

UNIVERSITY OF TORONTO
VELUT ARBOR ÆVO

M. J. J. McGUIRE

M. J. J. McGUIRE

HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
COMPENDIVM

PRAELECTIONIBVS PVBLICIS ACCOMMODATVM

AB

Henrico Guilielmo Wouters

ECCLESIAE CATHEDR. LEODIENSIS CANONICO, S. THEOLOGIAE DOCTORE
IN VNIVERSITATE CATH. LOVANIENSI HIST. ECCL. PROFESSORE

EDITIO NOVISSIMA CVM ADDITAMENTIS ET NOTIS

CVRA AC STVDIO

Bibliothecae Catholicae Scriptorum

Interroga patrem tuum, et annuntiabit
tibi; maiores tuos, et dicent tibi;
DEVTERON. XXXIII, 7.

TOMVS I

PRAECIPVA HIST. ECCLES. FACTA COMPLECTENS
a nativitate D. N. Iesv Christi
vsqve ad Pontificatvm s. Gregorii VII

NEAPOLI
APVD OFFICINAM EIVSDEM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM
Via *vulgo dicta* s. Giovanni Maggiore Pignatelli
IN AEDIBVS FIBRENIANIS

Neapolis — Typis Regiae scientiarum Academiae
apud Michaëlem de Rubertis


NEAPOLITANI CLERI

ADOLESCENTIBVS

Historiae Ecclesiasticae compendium ab Henrico Wouters in Universitate Lovaniensi professore elucubratum, ut vestro usui sit accommodatius, en novissimis curis atque additamentis procudimus. Maius enim emolumentum inde vos carpturos confidimus, si iis, quae eruditus auctor de Romanorum Pontificum historia enarrat, alia non minus probata certaque facta adnecteremus, quo penitiorem de eorum rebus gestis notitiam haberetis. Tum quae ad Ecclesiae doctrinam, disciplinam, liturgiam, haeresum varietates, caeteraque huiusmodi pertinent, maiorem in lucem ponere curavimus. Immo, pro rei opportunitate, recensere haud neglexinus quae vel ad vindicandum eorumdem Pontificum decus, vel ad aliquod Ecclesiasticae Historiae praecipuum caput magis enucleandum praeclari scriptores nuperrime ediderunt; idque, ubi opus fuit, appositis quoque adnotationibus saepenumero praestitimus. Praeterea ne quorumdam sive recentiorum, sive veterum non infimi subsellii auctorum nomina atque scripta, quae in hac ἐπιτομῇ *desiderabantur, vos omnino laterent, ea diligenter accurateque retulimus. Stylum quoque, ut politior esset, passim emendavimus. Ita ob oculos etiam habebitis ea quae vere mirandis Pii IX atque Leonis XIII, nunc feliciter regnantis, Pontificatibus addidimus eorumque nomina perquam mirifice illustrant, condecorant, atque immortalitati commendant. In quibus omnibus curis explendis id nobis consilii fuit, ut quo maiori vestrae utilitati et commodo consulere sategimus, eo alacriores in Historiae Ecclesiasticae studium incumbatis. Faxit* Deus, *ut isti labores, quos ad vestrum in hac scientia profectum promovendum, et ad Catholicae Romanae Ecclesiae, in cuius spem succrescitis, emolumentum suscepimus, optatum consequantur effectum. Valete.*

Camillus d' Amelio
Bibliothecae Catholicae
Conlector





INDEX

CAPITVM QVAE IN HOC I TOMO EVOLVVNTVR

INTRODVCTIO IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM

HISTORIAE VETERIS TESTAMENTI SVMMARIVM QVO VIA PANDITVR AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM

EPOCHA PRIMA, A NATIVITATE IESV CHRISTI VSQVE AD OBITVM S. IOANNIS APOSTOLI AN. 101

EPOCHA QVARTA A FINE IMPERII OCCIDENTALIS VSQVE AD PSEVDO-PROPHETAM MAHOMET SEV AD ORTVM ISLAMISMI AN. 622

EPOCHA QVINTA, A PSEVDO-PROPHETA MAHOMET SEV ORTV ISLAMISMI VSQVE AD AETATEM CAROLI MAGNI AN. 771

EPOCHA SEXTA A CAROLO MAGNO VSQVE AD PONTIFICATVM S. GREGORII VII AN. 1703

PAG. 207-288

INTRODVCTIO

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

§ 1. *Historiae Ecclesiasticae Definitio*

Ecclesia est societas hominum inter se coniunctorum communione sub regimine legitimorum pastorum et praesertim unius in terris vicarii Christi, Romani Pontificis. Huius Ecclesiae seu societatis origo, propagatio et conservatio, varius eius status sive interior, sive exterior, fata prospera et adversa constituunt materiam seu argumentum historiae ecclesiasticae; eorum narratio dicitur historia ecclesiastica. Haec igitur definiri potest: Narratio fide digna et ordinata rerum seu eventuum memorabilium Ecclesiae a Christo institutae. Dicitur narratio *fide digna,* qua rerum eventus e monumentis et testimoniis authenticis atque idoneis sine praeconceptis opinionibus et partium studio referentur. Dicitur *ordinata,* qua eventuum series ita texitur, ut eorum causae, sequelae et nexus distincto ordine consocientur. Additur *rerum memorabilium,* qua e multitudine rerum in Ecclesia gestarum exhibentur eae, e quibus illius status accuratius cognoscitur, quaeque ad eum immutandum maxime contulerunt.

§ 2. *Historiae Ecclesiasticae Vtilitas*

Quod de historia generatim affirmavit Cicero « eam esse, testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, nunciam vetustatis, magistram vitae [1] », id maxime praedicare licet de historia ecclesiastica. Haec in primis eos, qui Ecclesiae adscripti sunt, magis magisque in constanter amandis et tuendis sacris suis confirmat; docet quippe apertissime divinam Religionis, quam profitentur, originem, mirabilem eius propagationem et perpetuam conservationem. Aliis, qui ab huius Ecclesiae gremio alieni sunt, facilis claraque via est, qua ad eam perveniant, quaque dignoscere valeant Religionem a Christo institutam et ab Apostolis propagatam. Exempla sunt non pauca eorum, quos a teneris haeretica labe infectos, nihil magis ad veritatem reduxit, quam historiae ecclesiasticae perscrutatio. Omnibus denique instituendae vitae sancte exempla et hortamenta exhibet innumera, ut beatam sortem eorum, qui Religionem christianam fideliter servarunt, assequantur, et multiplicia mala eorum, qui ab illa alieni fuerunt aut illius nomine falso maleque gloriati sunt, devitent.

Sed maxime in formando, adiuvando et ornando theologo historiae ecclesiasticae utilitas atque necessitas conspiciuntur, utpote quae singulas s. Theologiae partes mire illustrat; adeo ut doct. Melchior Canus iure dixerit, theologorum quemquam historiae ecclesiasticae ignarum, theologi nomine immerito gloriari [1].

In primis historia ecclesiastica ss. Scripturarum interpreti Ecclesiae traditionem de ss. Librorum numero, authentia et canonica auctoritate, versionum originem et fata, legitimum interpretandi magisterium, regulasque hermeneuticas exhibet.

Secundo historia ecclesiastica subsi-

[1] *De oratore,* l. II, c. 9.

[1] *De locis theologicis,* l. II, c. 11.

dium maximum offert ad acquirendam Patrum notitiam seu illam Theologiae partem, in qua agitur de vita, scriptis et doctrina Patrum. Haec cognoscere maximi ponderis est theologo, quum Patres sint locupletissimi testes doctrinae, morum et institutorum veteris Ecclesiae.

Tertio historia ecclesiastica adfert praeclara adiumenta ad Theologiae dogmaticae et polemicae studium solide tractandum. Illius ope theologus sacrorum dogmatum historiam, constantem Ecclesiae traditionem, conciliorum definitiones scrutatur; et quid ubique, semper et ab omnibus Christianis creditum sit, addiscit. Illa duce originem et fata errorum veterum ac recentiorum detegit; qua ratione fuerint propositi, quibusve argumentis confutati, indagat. Denique adversus eos, qui Religionem christianam ab humanis additamentis, quorum accusant catholicos, purgandam et pristino nitori restituendam esse clamitant, historiae ecclesiasticae ope invicte demonstrat, Ecclesiae Romano-catholicae doctrinam esse eamdem illam, quam Christus Apostolis, hi ecclesiis a se fundatis, haeque ad haec usque tempora legitima successione tradiderunt.

In morali etiam et pastorali Theologia locum haud infimum obtinet historia ecclesiastica. Docet quippe qua ratione quavis aetate ethices christianae praecepta fuerint exercita, qua methodo tradita; quae fuerint moralis corruptionis praecipuae causae, quae instaurandae disciplinae rationes initae.

Denique iuris ecclesiastici notio, quaecumque fuerit, sine historiae ecclesiasticae notione mutila erit. Hac qui caruerit, regiminis ecclesiastici formam, applicationem et cum civili iure *relationem* haud percipiet; iuris tam antiqui quam novi originem, indolem et fata ignorabit; ipsaque iuris ecclesiastici fontium qui post s. Scripturam sunt traditio, Patrum sententiae, Pontificum et conciliorum decreta, notione carebit [1].

[1] Cf Rautenstrauch, Prolegom. *Instit. iur. eccl.* § 165; Godeau, *Theol. moral.* part. I, t. I, sect. 2; Mabillon, Tractat. *De stud. monast.* part. II.

§ 3. *Historiae Ecclesiasticae Fontes*

Historica veritas nititur testimoniis eorum, qui facta referunt. Sunt autem testes alii, qui rationem ultimam in se continent, propter quam factum habeatur verum, seu qui e nullo alio anteriori adhuc existente hauserunt, et hi vulgo vocantur fontes seu testes primi ordinis. Alii sunt, qui notitiam facti, quod perhibent, ex anterioribus hauserunt, et hi vocantur testes secundi ordinis; possunt tamen esse instar fontium in iis, quae ex ipsis fontibus hauserunt, dum hi vel interierunt vel adiri nequeunt: talis est Eusebius Caesareensis in multis quantum ad tria priora Ecclesiae saecula attinet. Qui autem relationi testium secundi ordinis innituntur, appellari possunt testes tertii ordinis.

Fontes historiae ecclesiasticae spectata origine dividuntur in divinos et humanos, habita ratione formae in publicos et privatos, in scriptos et non scriptos. Divini sunt, quorum auctores a Spiritu S. fuerunt inspirati [1]; reliqui sunt humani. Publici dicuntur illa monumenta, quae ab integra aliqua societate confecta sunt, vel a privatis confecta eidem probata sunt, v. g. acta conciliorum, epistolae synodales, decreta Pontificum, acta iudicialia, diplomata, matriculae. Ad fontes privatos pertinent omnia monumenta, quae a privatis dumtaxat motu proprio confecta sunt, v. g. testamenta, codicilli, epistolae, aliaque scripta privatorum hominum. Fontes scripti sunt, qui litteris signisve facta exhibent, ut sunt scripta quaevis, hieroglyphica, monogrammata. Ad fontes non scriptos pertinent monumenta operum, statuae, marmora, numismata, sigilla, mausolea, item traditiones non scriptae.

§ 4. *Historiae Ecclesiasticae Scriptores*

Ad historiae ecclesiasticae studium plu-

[1] Tales sunt utriusque Testamenti libri, de quorum divina inspiratione et historica auctoritate videsis Bellarminum, *Controversiarum* t. I, l. 1-2; Melch. Canum, *De locis theologicis*, l. II; Huet, *Demonstratio evangelica*; Bergier, *Traité hist. et dogmat.*, t. IV, V, VII, aliosque.

rimum iuvat notio eorum, qui res in Ecclesia gestas collegerunt aut illustrarunt. Ut de his secundum seriem temporum, quibus floruerunt, agamus, a scriptoribus Canonicis exordium facimus.

Historiam seu vitam Salvatoris nostri conscripserunt quatuor Evangelistae. Primordia Ecclesiae a Christo institutae s. Lucas enarravit in Actis Apostolorum. Plura etiam nascentis Ecclesiae monumenta hauriuntur ex apostolorum Petri, Pauli, Ioannis, Iacobi et Iudae epistolis.

Ab eo tempore, quo desinunt scriptores Canonici usque ad saeculum IV, nemo, Hegesippo excepto, historicam rerum christianarum relationem scripsisse noscitur. Verumtamen, post Acta martyrum, quae supersunt, non pauca Ecclesiae huius temporis monumenta occurrunt in epistolis ss. Clementis, Ignatii et Polycarpi; in operibus s. Iustini, Theophili, Athenagorae, s. Irenaei, Tertulliani, s. Cypriani, et aliorum Patrum; in ipsis etiam scriptoribus iudaeis et paganis, Flavio Iosepho, Philone, Tacito, Suetonio, Plinio iuniore, Hegesippus autem floruit saeculo, scripsitque Historiae ecclesiasticae libros 5 a passione Christi usque ad sua tempora; sed tantum supersunt quaedam eorum fragmenta, ab Eusebio in sua Historia ecclesiastica relata.

Saeculo IV de historia Ecclesiae bene meruit Eusebius, episcopus Caesareensis in Palaestina, qui Historiae ecclesiasticae decem libros a Christo nato usque ad annum 325 elucubravit. Scripsit praeterea libros quatuor de Vita Constantini M.; Chronicon a mundi creatione usque ad annum post Christum natum 326; librum de Martyribus Palaestinae. Exeunte hoc saeculo Ruffinus, patria Toranus et ecclesiae Aquileiensis presbyter, Historiam ecclesiasticam Eusebii e graeco in latinum vertit et usque ad obitum Theodosii M. (395) duobus libris perduxit; verum in vertendo liberior et in referendo non sat accuratus fuit.

Saeculo V inter Graecos historiae ecclesiasticae adlaborarunt: Socrates, Cpnus, dictus Scholasticus, qui Historiam ecclesiasticam ab anno 306 usque ad 439 septem libris complexus est. Hermias Sozomenus, Gazensis, scripsit Historiae ecclesiasticae libros novem ab anno 323 usque ad 439.—Baronius aliique dicunt, Socratem, et Sozomenum favisse Novatianorum sectae; H. Valesius vero et alii utrumque ab hac accusatione vindicant.—Theodoretus, episcopus Cyrensis, Historiam ecclesiasticam libris quinque continuavit ab arianae haereseos initiis (324) usque ad obitum Theodori Mopsuesteni, praeceptoris sui (428). Gelasius Cyzicenus scripsit libros tres de Actis concilii Nicaeni I. Philostorgius Cappadox, arianus, Historiae ecclesiasticae duodecim libros contexuit ab arianae haereseos origine usque ad annum 425 [1].

E Latinis eodem saeculo Sulpicius Severus, domo Aquitanus et presbyter, Historiam sacram a mundo condito usque ad annum post Christum natum 400 duobus libris exaravit [2]. Paulus Orosius, presbyter Tarraconensis, dedit libros septem Historiarum ab universali diluvio usque ad annum aerae christianae 416; opus dogmatici potius quam historici generis[3].

Saeculo VI inter Graecos Theodorus, ecclesiae Cpnae lector, Historias ecclesiasticas Socratis, Sozomeni et Theodoreti redegit in compendium; praeterea Historiam Ecclesiae a tempore, quo eam reliquit Socrates, continuavit usque ad principatum Iustini senioris (518); sed tantum supersunt fragmenta. Evagrius Syrus, cognomento Scholasticus, Historiam ecclesiasticam, eruditam atque elegantem, sex libris perduxit ab an. 431 usque ad 594 [4].

Eodem saeculo e Latinis laudandi sunt: Epiphanius Italus, dictus Scholasticus, qui, hortante Cassiodoro, Historias eccle-

---

[1] Eorum versio latina prodiit Paris. 1600, in-8. — Gelasius Cyzicenus in variis cum melioribus historicis pugnat. Quae adhuc extant operis Philostorgii fragmenta, potius Arianorum encomium, quam Ecclesiae historiam continent.

[2] In Operum eius editione Veron. 1741.

[3] Lugd. Batav. 1738, in-4.

[4] H. Valesius optimam notisque illustratam curavit editionem graeco-latinam Historiarum ecclesiasticarum Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Philostorgii, Theodori et Evagrii; Paris. 1659, et August. Taurin. 1746, 3 vol. in-fol.

siasticas Sozomeni et Theodoreti e graeco in latinum vertit, quas ita translatas Cassiodorus in compendium redegit et Historiam tripartitam inscripsit [1]. S. Gregorius episcopus Turonensis, cuius extant libri decem, quibus post commemorata gesta ab orbe condito usque ad imperium Francicum, narravit res ecclesiasticas praecipue Francorum [2].

Ad monumenta etiam historiae ecclesiasticae e saeculis IV-VI pertinent Epistola S. Athanasii ad monachos Ægypti, et altera de synodis Ariminensi et Seleuciensi; Liber S. Hilarii episcopi Pictaviensis de synodis seu fide Orientalium; Libri sex D. Optati episcopi Milevitani de schismate Donatistarum; *Panarium* S. Epiphanii seu libri tres de haeresibus; Liber Philastrii episcopi Brixiensis de haeresibus; Historia religiosa Theodoreti; Historia Lausiaca Palladii; Historia persecutionis Vandalicae conscripta a Victore episc. Vitensi; Collectio Canonum Concilior. et Epistolar. RR. PP. a Siricio usque ad Anastasium II, exarata a Dionysio Exiguo.

Saeculis sequentibus studium Historiae ecclesiasticae simul cum amore meliorum litterarum fuisse remissum, eruditi amare queruntur. Quantacumque tamen his saeculis fuerit rei litterariae infelicitas, non tamen penitus intercidit studium colligendi res ecclesiasticas. In primis monachi Benedictini historiae ecclesiasticae fontes sollicite conservarunt auxeruntque. Notissimi sunt labores scriptorum Byzantinorum, qui historiae orientali ingentem lucem attulerunt [3]. Floruerunt etiam chronographi non pauci, qui quamvis magis generali rerum seriei indicandae adlaborarint, tamen res ecclesiasticas nonnunquam attigerunt. Saeculo VIII Paulus diaconus Aquileiensis, alias Warnefridus, scripsit libros sex de rebus gestis Longobardorum; adlaboravit etiam Historiae miscellae [4]. Venerabilis Beda, monachus Anglus, reliquit Chronicon ab orbe condito usque ad annum post Christum natum 724, et Historiam suae gentis usque ad an. 731 [1]. Saeculo IX Haymo, episcopus Halberstadiensis, ex Eusebio et Ruffino res christianas commemoravit usque ad Theodosii M. tempora [2]. Anastasius presbyter et R. Ecclesiae bibliothecarius, Chronographiam conflavit e cronicis Nicephori Cpni, Georgii Syncelli et Theophanis [3]; collegit etiam Vitas RR. Pontificum. Idem Anastasius, Ado archiep. Viennen., Florus e diacono presbyter Lugdun., Usuardus monach. Parisiens. et Notkerus monachus S. Galli in Helvetia exararunt Martyrologia. Saeculo X Flodoardus scripsit Historiam Ecclesiae Rhemen. [4]. Eutychius patriarcha Alexandrin. arabice conscripsit Annales a mundi primordiis usque ad suam aetatem [5]. Saeculo XI Adamus episc. Bremens. scripsit Histor. Ecclesiar. septentrional. praesertim Bremensis [6]. Eodem saeculo Chronica confecerunt Hermannus Contractus et Lambertus Schafnaburgens. Saeculo XII Orderius Vitalis, monach. Benedict. in Gallia, scripsit Histor. eccles. libros 13 [7]. Sigebertus Gemblacensis monachus, Chronicon elaboravit ab an. 382, quo desinit Hieronymiana ad chronicon Eusebianum appendix, usque ad an. 1112 [8]. Otto episcopus Frisingensis, dedit Chronicorum libros octo a mundi creatione usque ad annum 1146 [9]. Saeculo XIV Nicephorus Callistus, monachus graecus, scripsit Historiam ecclesiasticam a Christi nativitate usque ad an. 911, distributam in 20 libros, quorum 5 posteriores perierunt [10]. Ptolomaeus Lucensis, seu Bartholomaeus de Luca, ep. Torcellens. re-

---

[1] *Opera* Cassiodori, Rothomag. 1679 et Venet. 1729.
[2] Paris. 1699, in fol.
[3] Paris. 1648, 27 vol. in-fol; Venet. 1727, 22 vol. in-fol.
[4] Apud Muratori, *Rerum italicarum scriptores*, t. I.

[1] Paris. 1681, in-4; Cantabrig. 1722, in-fol.
[2] Romae 1564, in-fol.; Helmstadii, 1671, in-4.
[3] Paris. 1649, in-fol.
[4] Paris. 1611; Duaci 1617, in-8.
[5] Arabice et latine edidit E. Pocock, Oxonii 1659, 2 vol. in-4.
[6] Helmstad. 1670, in-4.
[7] Ap. Duchêsne, *Script. vet. hist. Norman.* Paris. 1619, in-fol.
[8] Antuerp. 1608, in-8.
[9] Extant in collectionibus Pistorii et Muratori.
[10] Graece et latine, edit. Paris. 1630, 2 vol. in-fol.

liquit Histor. eccles. 24 libros [1]. Saeculo XV S. Antoninus archiep. Florentin. scripsit Summam historialem seu Chronicon tripartitum [2].

Alios nonnullos inter historicos medii aevi numerat Mabillon [3]; nos vero ad recentiores transimus.

Saeculo XVI et deinceps historia ecclesiastica accuratius exculta fuit, maxime quum haeretici dicti Protestantes et Reformati, historicis armis Catholicos impetere, falsasque Ecclesiae ideas seu notiones obtrudere coeperunt, ut suis novitatibus umbram vetustatis conciliarent. Omnium primus cardinalis Baronius, ut Magdeburgensium haereticorum Centurias convelleret, incredibili labore confecit Annales ecclesiasticos usque ad ann. a Christo nato 1198 [4]. Eos prosecuti sunt Abraham Bzovius, Ord. P. Praed. usque ad ann. 1572 [5]; Odericus Raynaldus, presbyter Oratorii, usque ad 1565 [6]; Iacobus de Laderchio, eiusdem Oratorii presbyter, ab anno, quo desinit Raynaldus, usque ad an. 1572 [7]; Henricus Spondanus, episc. Apamiensis, usque ad ann. 1640 [8]. In abbreviandis vastissimis Baronii Annalibus praeter alios operam navavit memoratus Spondanus [9]. Emendatoribus vero Baroniani operis palmam praeripuit A. Pagi, Ord. Min. Convent., cuius Critica historico chronologica maximam lucem Baronii Annalibus attulit [10].

Post cardinalem Baronium conscribendae historiae ecclesiasticae operam dederunt ex Italis, C. Sigonius, qui res in Ecclesia gestas enarravit usque ad ann. 311 [1]; I. A. Orsi, R. E. cardinalis, qui historiam sex priorum Ecclesiae saeculorum italice scripsit [2]; quod opus usque ad ann. 1587 continuavit P. A. Becchetti, Ord. Praed. [3]; I. L. Berti, Ord. s. August. qui edidit Historiam sive dissertationes quinque priorum Ecclesiae saec. [4] et Breviarium historiae ecclesiasticae [5]; G. Saccarelli, presbyter Oratorii, cuius extat Historia ecclesiastica usque ad ann. 1185, variis annotationibus illustrata [6].

E Gallis primus occurrit A. Godeau, episcopus Vinciensis; gallice dedit Historiam Ecclesiae a mundi primordiis usque ad finem saec. IX [7]. Eum secuti sunt: S. N. Tillemont, scriptor Portus regii; gallice collegit Memoranda facta sex priorum Ecclesiae saeculorum [8]. I. B. Bossuet, episcopus Meldensis; scripsit gallice Orationem egregiam super historiam universalem [9]. C. Fleury, abbas, edidit gallice Historiam ecclesiasticam a Christo usque ad ann. 1414 [10]; cui pessimam continuationem usque ad ann. 1595 adiecit I. C. Le Fevre, presbyter Oratorii Gallicani. In ipsum Fleury merito animadverterunt Honoré de S[te] Marie, de Housta, Marchetti, Muzzarelli. Natalis Alexander, Ord. Praed. scripsit Historiam ecclesiasticam V. et N. Testamenti usque ad exitum saeculi XVI, adiectis cuique saeculo dissertationibus, in nonnullis a C. Roncaglia, I. D. Mansi et F. A. Zaccaria merito castigatam [11]. H. Amat de Graveson, Ord. Praed., reliquit Historiam ecclesiasticam colloquiis digestam usque ad ann. 1721, a D. Mansi observationibus et continuatione auctam [12]. A. H. Berault-Bercastel, scripsit gallice Historiam Ecclesiae usque ad pri-

---

1 Ap. Muratori, *Scriptor. rer. ital.* t. II.
2 Lugdun. 1517 in-fol.
3 *Tractatus de studiis monasticis*, part. II, c. 8.
4 Romae 1588; Antverp. 1610, 12 vol. in-fol.
5 Romae 1616, 9 vol. in-fol.
6 Ibid. 1646, 9 vol. in-fol.
7 Ibid. 1728, 3 vol. in-fol.
8 Coloniae 1640, 2 vol. in-fol. Nuperrime autem Augustinus Theiner, etiam Oratorianus, eosdem Baronii Annales ab anno, in quo destitit Laderchius, ad nostra usque tempora prosequendos suscepit. Romae iam edidit 3 vol. in-fol.
9 2 vol. in-fol.
10 Antverp. 1727, 4 vol. in-fol. Annales Baronii cum continuatione, critica, et observationibus editi sunt Lucae 1738, 38 vol. in-fol. — In praesentia, Barro-Duci typis Caelestinorum, novam prodit editionem *Annalium* Societas a s. Paulo nuncupata.

1 Mediolan. 1734, 2 vol. in-8.
2 Romae 1747-61, 20 vol. in-4.
3 Ibid. 1770, 24 vol.
4 August. Vindel. 1761, 4 vol. in-8; Bassan. 1769, in-fol.
5 Correctum et auctum Gand. 1831, 2 vol. in-12.
6 Romae 1771-96, 25 vol. in-4.
7 Paris. 1653, 3 vol. in-fol.; item 6 vol. in-12.
8 Paris 1693, 16 vol in-4.
9 1681 in-4, et alibi saepius in-8 et 12.
10 Paris 1691, 20 vol. in-4; Nimes 1779, 25 vol. in-8.
11 Lucae 1734; Venet. 1778, 9 vol. in-fol.; Bing. 1785, 20 vol. in-4.
12 Venet. 1762; Bassan. 1791, 9 t. in 3 vol. in-4.

mordia saeculi XVIII [1], deinde a M. Henrion castigatum, et usque ad Gregorii XVI Pontificatum continuatam [2]. Rohrbacher sacerdos, in seminario Nanciensi professor, gallice in lucem edidit Historiam universalem Ecclesiae catholicae [3].

E Germanis notissimi sunt hi qui sequuntur: I. Pohl, S. I., dedit Manuductionem ad historiam ecclesiasticam usque ad saec. XVIII [4]. C. Becker, presbyter et professor in Academia Monasteriensi, edidit Historiam Ecclesiae practicam usque ad saec. XVI [5]. A. F. Gudenus, can. s. Severini Erfurti, germanice collegit res ecclesiasticas duorum priorum saecul. [6]. I. N. Alber, cuius extant Institutiones historiae ecclesiasticae, pluribus dissertationibus illustratae [7]. F. L. comes de Stolberg, germanice publicavit Historiam Religionis Iesu Christi a mundo condito usque ad ann. 430 post Christum natum [8]; eius opus prosecutus est F. von Kerz. A. Klein, historiae ecclesiasticae in Universitate Graecensi professor, concinnavit historiam Ecclesiae christianae usque ad obitum Pii PP. VII [9]. T. Katerkamp, theologicae facultatis Monasteriensis professor, scripsit germanice Historiam ecclesiasticam usque ad ann. 1153 [10]. I. Ruttenstock, Claustroneoburgensis canoniae praepositus; cuius opera editae sunt Institutiones historiae ecclesiasticae N. Testamenti [11].

Praeterea infinitus prope est numerus eorum, qui aut particularium Ecclesiarum historias scripserunt, aut certas factorum seu monumentorum ecclesiasticorum classes collegerunt vel illustrarunt. Missis aliis, Orientalis ecclesiae monumenta collegit M. le Quien [12]; Italicae F. Ughelli [1]; Gallicanae I. de Longueval [2], Le Cointe [3] et Sammarthani [4]; Germanicae M. Hansizius [5].

Vitas et res gestas RR. Pontificum ediderunt Anastasius bibliothecarius [6], A. Ciaconius [7], F. Pagi [8], A. Sandini [9]. Haeresum et schismatum historiam, post s. Irenaeum, Tertullianum, s. Epiphanium, s. Augustinum, dederunt inter alios G. M. Travasa [10] et F. A. Pluquet [11]. Conciliorum acta, canones, summorumque Pontificum decreta collegerunt aut illustrarunt I. Merlin [12], P. Crabbeus [13], L. Surius [14], S. Binius [15], Ph. Labbeus et G. Cossartius [16], Chr. Lupus [17], I. Cabassutius [18], Ioan. Harduinus [19], Nic. Coleti [20], Ioan. Dom. Mansi [21], P. Coustant [22], L. Cherubini [23]. Sacrorum dogmatum et di-

---

[1] Paris 1778, 24 vol. in-12.
[2] Paris, 12 vol. in-8.
[3] Paris 1842, 29 vol. in-8, nunc a Petro Balan continuat. usque ad an. 1876; Taurini 1879.
[4] Viennae 1753, 6 vol. in-8.
[5] Monast. 1782, 7 vol. in-12.
[6] 1783, 2 vol. in-8.
[7] Colocae 1793, 4 vol. in-8
[8] 1806, 15 vol. in-8.
[9] Graecii 1828, 2 t. in 4 vol. in-8.
[10] Münster 1823, 5 vol. in-8.
[11] Viennae 1832, 3 vol. in-8.
[12] *Oriens christianus in quatuor patriarchatus digestus*, Paris. 3 vol. in-fol.

---

[1] *Italia sacra*, Venet. 1717-33, 10 vol. in-fol.
[2] *Histoire de l'Église gallicane*, continuée par les PP. Fontenay, Brumoy et Berthier jusqu'à l'an 1559, Paris 1730, 18 vol. in-4.
[3] *Annales ecclesiastici Francorum ab anno 235 usque ad 835*, 8 vol. in-fol.
[4] *Gallia christiana*, Paris. 1725, 13 vol. in-fol.
[5] *Germania sacra*, 3 vol. in-fol.
[6] *Liber pontificalis, cum prolegomenis et notis F. Bianchini*, Rom. 1718, 4 vol. in-fol.
[7] *Vitae et gesta RR. Pontificum et Cardinalium*, 1676, 4 vol. in-fol. Opus continuavit usque ad Clementem XII M. Guarnacci 1751, 2 vol. in-fol.
[8] *Breviarium hist. chronol. criticum* illustriora RR. Pontificum gesta complectens, Antverp. 1717, 4 vol. in-4. Opus duobus voluminibus continuavit A. Pagi.
[9] *Vitae Pontificum RR.* Ferrar. 1748; Bamberg. 1753, 3 vol. in-12.
[10] *Storia critica delle vite degli eresiarchi*, Venet. 1752, 5 vol. in-8.
[11] *Dictionnaire des hérésies, des erreurs et des schismes*, Besançon 1827, 2 vol. in-8.
[12] *Acta Conciliorum*, Paris. 1532, 2 vol. in-fol.
[13] *Collectio Conciliorum*, Colon. 1538, 2 vol., et 1551, 3 vol. in-fol.
[14] *Collectio Conciliorum*, Colon. 1567, 5 t. in-fol.
[15] *Collectio Conciliorum*, Colon. 1606, 4 t., et Paris. 1638, 9 t. in-fol.
[16] *Sacrosancta Concilia*, Lutet. Paris. 1671, 17 t. in-fol. Additur 18 sub titulo: *Apparatus alter*.
[17] *Commentarii in synodorum decreta et canones*, Lovan. et Bruxell. 1665, 1673, 5 vol. in-4.
[18] *Notitia ecclesiastica Conciliorum, Canonum, veterumque Ecclesiae rituum*, Lugdun. 1685, in-fol.
[19] *Collectio Conciliorum*, 1715, 12 vol. in-fol.
[20] *Collectio Conciliorum*, Venet. 1728, 25 vol. in-fol. Adiecit supplementa I. D. Mansi, Lucae 1748, 6 t. in-fol.
[21] *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, Florent. 1759-85, 28 vol. in-fol.
[22] *Epistolae RR. Pontificum a Clemente usque ad Innocentium I*, Paris. 1721, in-fol.
[23] *Bullarium magnum*, a variis continuatum usque ad Benedictum XIV, Romae 1742, 19 t. in-fol. — Continuatio vero *Bullarii* usque ad Gregorium XVI edita est Prati 9 vol. in-4, in fine Operum Benedicti XIV, 1839-56.

sciplinae ecclesiasticae historiam conscripserunt Dion. Petavius [1], L. Thomassinus [2], L. Du Mesnil [3]. Martyrum acta, Sanctorum vitas, Ordinumque monasticorum initia et fata litteris tradiderunt Th. Ruinart [4], S. E. Assemani [5], celebres Bollandistae [6], L. Surius [7], A. Butler [8], P. Helyot [9], I. Mabillon [10], L. Wadingus [11]. Edendis et illustrandis sacris ritibus atque christianis antiquitatibus operam dederunt I. S. Durandus [12], B. Gavantus [13], I. Bona [14], E. Martene [15], I. M. Cavalieri [16], L. A. Muratori [17], I.L. Selvagio [18], Th. M. Mamachi [19]. De editionibus et collectionibus SS. Patrum et veterum scriptorum bene meruerunt M. de la Bigne et Ph. Despont [20], A.

---

[1] *De theologicis dogmat.* edit. a F. A. Zaccaria, Venet. 1757, 6 t. in-fol.

[2] *Dogmata Theologica*, 1680, 3 t. in-fol. Item, *Discipline ecclésiastique sur les bénéfices et les bénéficiers*, 1678, 3 t. in-fol.

[3] *Doctrina et disciplina Ecclesiae ipsis verbis veterum monumentorum expressa*, Colon. 1740, 4 t. in-fol.

[4] *Acta SS. martyrum sincera*, Paris. 1689, in-4; Veron. 1731, in-fol.

[5] *Acta martyrum orientalium et occidentalium*, Rom. 1748, 2 vol. in-fol.

[6] *Acta Sanctorum*, Antverpiae 1643, 54 vol. in-fol. Hoc tempore opus Bruxellis continuatur, et 6 alia voll. in lucem prodierunt cum 7mo Tabularum.

[7] *Vitae Sanctorum*, Colon. 1617, 6 vol. in-fol.

[8] Vitas Sanctorum ab Albano Butler anglice conscriptas, gallice edidit I. F. Godescard, Paris 1763 et 1786, 12 vol. in-8. Recentius cum supplementis et notis DD. Räss, Weis et de Ram, Louvain 1828, 22 vol. in-8.

[9] *Histoire des Ordres monastiques, religieux et militaires*, Paris 1714-21, 8 vol. in-4.

[10] *Annales Ordinis Benedictini*, Paris. 1703; Lucae 1739, 6 vol. in-fol.

[11] *Annales Minorum*, Rom. 1731, 18 vol. in-fol.

[12] *De ritibus Eccl. catholicae*, Rom. 1591, in-fol.; Lugd. 1715, in 4.

[13] *Thesaurus sacrorum rituum*, August. Vindel. 1763, 3 t. in-fol. Praefertur editio cum Commentariis C. M. Merati, Taurin. 1736-49, 5 vol. in-4.

[14] *Rerum liturgicarum libri duo*, Rom. 1671, in-4, et cum notis R. Sala, August. Taurin. 1747-57, 3 t. in-fol.

[15] *De antiquis Ecclesiae ritibus*, Rhem. 1700, 4 vol. in-4; Antverp. 1763, 4 vol. in-fol.

[16] *Commentaria authentica in SS. Rituum Congregationis decreta*, Bresciae 1783, 3 vol. in-4.

[17] *Liturgia romana vetus*, Venet. 1748, 2 vol. in-fol.

[18] *Antiquitatum christianarum Institutiones*, Patav. 1780, 3 vol. in-4.

[19] *Originum et antiquitatum christianarum libri XX*, Rom. 1749, 5 vol. in-4; item, *De' costumi de' primitivi cristiani*, Rom. 1753, 3 vol. in-8.

[20] *Bibliotheca maxima veterum Patrum et antiquorum script. ecclesiast.* Lugdun. 1677, 27 vol. in-fol.

Gallandius [1], I. P. Migne [2], L. D'Achery [3], L. A. Muratori [4], E. Martene [5], I. S. Assemani [6]. Demum de viris illustribus et scriptoribus ecclesiasticis egerunt, post s. Hieronymum et alios, A. Possevinus [7], card. Bellarminus [8], Ph. Labbé [9], Nic. Nourry [10], L. E. du Pin [11], R. Ceillier [12].

§ 5. *Regulae Critices*

Quum in Historia ecclesiastica in primis veritas sit investiganda atque sectanda, haec autem idoneis fontibus et testimoniis innitatur, omnia eo ultimo redeunt, ut auctoritatem et gravitatem fontium atque testimoniorum rite aestimemus. Hinc in Historiae ecclesiasticae studio maxime necessaria est ars critica, ut haec duo extrema seu scopulos aeque vitemus, scilicet nimiam credulitatem et immoderatam dubitandi libidinem. Critica autem iudicat de monumentis seu fontibus et testimoniis tum scriptis tum non scriptis: quis sit eorum auctor, quae aetas; an sint genuina seu auctori et aetati, quibus adscribuntur, conveniant; an vero spuria seu supposititia; an sint integra; an vero additamentis vel suppressionibus interpolata aut mutilata. Iudicat

---

[1] *Bibliotheca veterum PP. antiquorumque Scriptor. ecclesiast.* Venet. 1765, 14 vol. in-fol.

[2] *Patrologiae cursus completus, seu Bibliotheca omnium SS. Patrum, doctorum scriptorumque ecclesiasticorum, sive Latinorum, sive Graecor.* Lutet. Paris. 1844, 317 vol. in-4.

[3] *Veterum aliquot scriptorum Spicilegium;* Paris. 1665, 13 vol. in-4; 1723, 4 t. in-fol.

[4] *Anecdota graeca*, Patav. 1709, in-4; item, *Anecdota latina*, Mediolan. 1697, 4 vol. in-4.

[5] *Thesaurus novus anecdotorum*, Paris. 1717, 5 vol. in-fol.; item, *Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectio*, Paris. 1724, 9 vol. in-fol.

[6] *Biblioth. oriental.* Rom. 1719-28, 4 t. in-fol.

[7] *Bibliotheca selecta*, Rom. 1593, in-fol.; item, *Apparatus sacer ad scriptores V. et N. Testamenti*, 3 vol. in-fol.

[8] *De scriptoribus ecclesiasticis*, in-4.

[9] *Dissertationes de scriptoribus ecclesiasticis*, 2 vol. in-8.

[10] *Apparatus ad Bibliothecam Patrum*, Paris. 1703 et 1715, 2 vol. in-fol.

[11] *Biblioth. des auteurs ecclés.* Paris 1686, 47 t. in-8; Amsterdam 1690, 19 t. in 4.

[12] *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*, Paris 1729, 23 vol. in-4. — Praeferenda nova editio Parisiens., multis adnotationibus locupletata, anni 1858 sqq.

praeterea critica de auctoritate testimonii, inquirendo scilicet, an auctor seu testis factum, quod refert, sciverit et in eo narrando sit sincerus. Ita enim sumus natura comparati, ut ad credendum non antea moveamur, quam firmiter persuasi simus, narrantem neque decipi neque alios decipere velle. Verumtamen sicut ars critica necessaria est in Historiae ecclesiasticae studio ne singulis promiscue et facile assentiamur, ita etiam cavendum est a nimia credendi difficultate et dubitandi temeritate. Quapropter in recto critices usu observandae sunt regulae, quas de fide historica probe aestimanda viri docti tradiderunt. Ex iis regulis praecipuae sunt hae, quae sequuntur:

a) Documentum historicum tamdiu genuinum habendum est, donec vel e characteribus internis vel testimoniis idoneis appareat esse supposititium.

b) Fontes, quos Ecclesia, quae est columna veritatis, genuinos aut apocryphos vel spurios declaravit, ut tales habendi sunt. Sic Gelasius PP. I, in Romana synodo anno 494 habita, post definitos libros utriusque Testamenti, plura scripta declaravit apocrypha [1].

c) Liber aestimatur apocryphus, quem veteres iam olim ceu talem repudiarunt; nisi momentosa ratione contrarium evincatur [2].

d) Fons, in quo memorantur facta, personae, haereses, aliave adiuncta, auctoris aetate posteriora, habendus est spurius aut interpolatus; nisi gravis ratio suadeat, illa fuisse adiecta ab alio qui illum continuavit.

e) Spurius vel interpolatus censetur liber, si dogmata contineat contraria iis, quae auctor alibi expresse tradit; si stilus sit diversus in eodem scribendi genere, vel alienus ab aevo, quo liber scriptus dicitur; nisi legitima ratione istae mutationes et differentiae concilientur.

f) In aestimanda fide monumentorum non scriptorum, praecipue inquirendum est, cui aetati, cui auctori monumentum sit tribuendum, an sit genuinum et integrum, an spurium aut adulteratum.

g) In iudicandis traditionibus eventuum ecclesiasticorum inquirendum est, an per incultam tantum plebem, an per Ecclesiae doctores et praepositos propagatae atque scriptis quoque mandatae fuerint; diligenter etiam attendendum ad tempus, quo primum litteris mandatae sunt, ad scriptores, a quibus adferuntur, et ad qualitatem eventus, quem referunt.

h) Scriptis supposititiis, ex ignorantia auctori alicui attributis, si tempus et locus, quibus composita sint, circiter definiri possit, ea fides competit, quae aliis eiusdem temporis et loci testibus.

i) E scriptis adulteratis ea tantum loca ab historico suscipienda sunt, quae incorrupta esse constat.

k) Testimonium vel factum, quod cum chronologia certa vel aliis eventibus historice certis aut cum temporis ritibus, moribus, aliisve adiunctis pugnat et conciliari nequit, commentitium habendum est.

l) Merito suspecta est narratio scriptoris posterioris, si aequales et suppares omnes, alioqui exacti et diligentes, de re sileant, quam propter celebritatem scire et referre debuissent.

m) Testes rem, quam narrant, scivisse aestimantur, si eius fuerint auctores aut consiliarii, vel ei praesentes fuerint, vel notitiam acceperint ab eiusdem auctoribus, consiliariis aut testibus oculatis vel auritis, vel vixerint loco et tempore cognoscendae rei opportunis.

n) Assertio testis vel scriptoris, qui factum novisse aestimatur, habetur sincera, quamdiu e rationibus sufficientibus non vocetur in dubium. Rationes praecipuae hic perpendendae, sunt affectiones amoris, adulationis et odii, exagerationis genius, studia religionis, sectae, societatis, patriae.

---

[1] Observandum est, vocabulum *apocryphum* apud veteres varia ratione usurpari; alios libros dixerunt apocryphos, quod non pertinerent ad canonem librorum divinorum vel ab Ecclesia non essent approbati ad usum publicum, alios, quod non essent proprii auctoris, cui adscribebantur; alios, quod continerent doctrinas falsas.

[2] Hinc plurimum valent iudicia s. Hieronymi, Gennadii, Isidori Hispalensis, Photii, Trithemii, aliorum, qui catalogos scriptorum ecclesiasticorum concinnarunt.

o) In dissensu testium, caeteris paribus, praeferendi sunt coaevi posterioribus, domestici extraneis, publici privatis, probi, docti et graves iis, qui his dotibus carent. Si testes varient aut sibi contradicant circa facti adiuncta, moralitatem, finem, causam, non ideo ipsum factum censendum est confictum [1].

§ 6. *Ordo Rerum et Temporum*

Ad legitimum modum pertractandi Historiam ecclesiasticam pertinet rectus rerum gestarum et temporum ordo, tum ut discentium memoria sublevetur, tum ut res in Ecclesia gestae facili intuitu iis quasi praesentes sistantur. Diversus vero rerum temporumque ordo a diversis Historiae ecclesiasticae scriptoribus adhibetur. Alii res gestas in certas classes distribuunt, et per singula capita agunt de Romanis Pontificibus, de conciliis, de haeresibus, de scriptoribus ecclesiasticis, de imperantibus civilibus, de doctrina et disciplina. Verum haec methodus frequenti rerum repetitioni et confusioni obnoxia est. Alii procedendo per annos res referunt eo ordine et tempore, quibus contigerunt. Sed hic modus filum narrationis saepius abrumpit et discentium memoriam affligit. Alii ordinem chronologicum rerum gestarum ita sequuntur, ut simul earum completae narrationi et nexui causali consulant. Haec postrema methodus nobis videtur praeferenda. Quantum ad ordinem temporum attinet, alii longam eorum seriem, in Historiae ecclesiasticae studio percurrendam, dividunt secundum saeculorum numerum. Sed inde hoc incommodum sequitur, quod cum fine cuiusvis saeculi narrationem rei, per plura saepe saecula protractae, abrumpere, nexumque factorum dissolvere cogantur. Alii melius temporum seriem distribuunt in certas epochas, quarum quaelibet diversum a superiori Ecclesiae statum, idque in maximis rebus exhibet.

Epochae vocantur celebriora quaedam tempora, ad quae memoriae causa caetera referuntur; quemadmodum in mappis geographicis ad certas civitates celebriores, quarum situs memoriae facilius inhaeret, alia loca minus illustria referri solent. Non easdem omnes Historiae ecclesiasticae scriptores *epochas* numerant. Nos vero Historiam ecclesiasticam dividimus in IV epochas maiores, hasque iterum dividimus in XIII minores.

[1] Cf Honoré de Ste Marie, *Réflexions sur les règles et sur l'usage de la critique*, Paris 1713, 3 vol. in-4; opus latine redditum, 3 vel 1 vol. in-4.—I. Mabillon, *Tractatus de studiis monast.* part. II, c. 8.

Epocharum Index

PRIMA ex epochis maioribus continet res gestas ab anno primo Christi usque ad conversionem Constantini M. an. 312.
SECVNDA a conversione Constantini usque ad aetatem Caroli M., an. 771.
TERTIA ab aetate Caroli M. usque ad initia pseudo-reformationis, an. 1517.
QVARTA a pseudo-reformatione usque ad nostram aetatem.
Ia ex epochis minoribus continet res gestas a nativitate Iesu Christi usque ad obitum s. Ioannis Apostoli, ab an. Chr. 1 usque ad 101.
IIa ab obitu s. Ioannis usque ad conversionem Constantini M., ab an. 101 usque ad 312.
IIIa a conversione Constantini usque ad finem imperii occidentalis, ab an. 312 usque ad 476.
IVa a fine imperii occidentalis usque ad pseudo-prophetam Mahomet, ab an. 476 usque ad 622.
Va a Mahomete usque ad aetatem Caroli M., ab an. 622 usque ad 771.
VIa a Carolo M. usque ad pontificatum s. Gregorii VII, ab an. 771 usque ad 1073.
VIIa a s. Gregorio VII usque ad pontificatum Innocentii III, ab an. 1073 usque ad 1198.
VIIIa ab Innocentio III usque ad schisma Occidentis, ab an. 1198 usque ad 1378.
IXa a schismate Occidentis usque ad finem imperii graeci, ab an. 1378 usque ad 1453.
Xa a fine imperii graeci usque ad pseudo-reformationem, ab an. 1453 usque ad 1517.
XIa a pseudo-reformatione usque ad Iansenismum, ab an. 1517 usque ad 1640.
XIIa a Iansenismo usque ad publicam rerum subversionem in Gallia, ab an. 1640 usque ad 1789.
XIIIa a rerum subversione in Gallia usque ad nostram aetatem.

Singulae hae epochae magna quadam mutatione sunt illustres, facile memoriae commendantur, et bene notae maximum addiscendae Historiae ecclesiasticae opem adferunt. Praeterea cuivis earum breve praemittemus procemium, in quo earumdem praecipuas proprietates indicabimus, ut facilius pateat, quis durante singula epocha fuerit Ecclesiae status.

HISTORIAE VETERIS TESTAMENTI

SVMMARIVM

QVO VIA PANDITVR AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PROOEMIVM

Tanta est inter revelationem primaevam, Mosaïcam et Christianam harmonia, tanta Religionis patriarchicae et christianae connexio, tantaque figurarum V. Testamenti cum veritate N. Foederis concordia, ut Religio christiana certo sensu ab ipso humani generis initio extitisse dici possit. « Ipsa res, inquit s. Augustinus, quae nunc christiana Religio nuncupatur, erat et apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque Christus venerit in carnem, unde vera Religio, quae iam erat, coepit appellari christiana[1] ». Non nisi per fidem in Messiam, qui est Christus Iesus, iustificati et salvati sunt, quotquot a mundi exordio salutem consecuti fuerunt. Proinde ut divinae Religionis status et nexus tum ante tum post adventum Christi in carnem, atque admiranda oeconomia, qua sapientissimus ac optimus Deus revelationum suarum lumina a mundi incunabulis per diversas aetates humano generi dispensavit, clariori in luce ponantur, hoc V. Testamenti summarium Historiae ecclesiasticae praemittendum duximus.

1. *Religionis primordia* — Religionem a Deo ipso humani generis protoparentibus fuisse revelatam, reperimus in Historia sacra V. Testamenti, quae veracitatis notis quasque alias antecellit[2]. Deus solus a se, per se et in se ab omni aeternitate existens, in principio temporis seu rerum, omnia creavit. Reliquarum creaturarum opificio absoluto, hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam, Adam scilicet et Evam primos humani generis parentes[1]. Iis seipsum operaque sua manifestavit; quae credere, quaeque observare deberent, ut Creatori suo placerent et beatum finem, ad quem creati erant, consequerentur, ostendit; eorum, quae erant super terram, potestatem dedit; ad humani generis propagationem coniugii leges inter eos sancivit; atque felicissimi status, in quo constituti erant, continuationem, a morte immunitatem, vitamque aeternam iisdem promisit, si divinis mandatis morem gererent[2].

2. *Hominis lapsus* — Longa non fuit hominis felicitas. Angeli apostatae, qui in Deum creatorem suum rebelles, in suppliciorum abyssum fuerant detrusi, felici hominis statui inviderunt. Daemon per serpentem, cuius organo usus est, Evam ad violationem divini praecepti callide sollicitavit; haec Adamum coniugem suum illexit; et ambo iustissimam Dei legem violarunt. Hac inobedientia non tantum ipsimet felici statu, in quo fuerunt constituti, exciderunt, sed per peccatum suum omnes etiam posteros suos in statum maxime miserum et infelicem coniecerunt; acceptam a Deo iustitiam et sibi et omnibus posteris suis perdiderunt; totique per praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutati, non tantum mortem et poenas corporis, sed et peccatum in omne genus humanum transfuderunt[3].

3. *Promissio Redemptoris* — Verumtamen clementissimus Deus homini

[1] *Retract.* l. I, c. 13
[2] Cf. Bellarminum et alios p. VI indicatos.

[1] *Genes.* I.
[2] *Genes.* II; *Eccles.* XVII.
[3] *Genes.* III. Cf *Concil. Trident.* sess. V.

lapso statim promisit redemptorem, promittens mulieris semen benedictum, quod caput serpentis contereret, idest Christum Messiam e muliere nasciturum, qui opera diaboli dissolveret, et quod homo non poterat, divinae iustitiae, peccato hominis laesae, dignam satisfactionem redderet [1]. « Deus omnipotens et clemens, ait s. Leo, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia praesignavit; denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret; Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans; qui natus ex virgine, violatorem humanae propaginis incorrupta nativitate damnaret [2] ».

4. *Patriarchae antidiluviani*—Moyses genealogiam Adae et posterorum eius per Seth, annosque vitae eorum recensens, ab exordio humani generis usque ad universale diluvium numerat decem patriarchas, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech et Noë. Horum vita speciali Dei ordinatione ad plura saecula fuit protracta, quo efficacius primaevae revelationis traditio et primorum temporum memoria conservata sunt [3]. Cain primogenitus Adae filius et Abel secundo loco natus, moribus diversissimi, duarum mysticarum civitatum, Dei scilicet et mundi, typi effecti sunt. Cain impius et criminibus deditus, Abelem pium et iustum occidit; quo occiso Seth, tertius Adae filius, civitatis Dei princeps fuit. Utraque civitas in Caini et Sethi posteris propagata est; unde hi *filii Dei*, illi vero *filii hominum* in Scripturis dicti.

5. *Corruptio moralis* — Sincera pietas felicius perseveravit in familiis Seth, Enos, Henoch et Lamech, quorum fides et religio in Scripturis commendantur [1]. Verum post plura saecula, cum multiplicatum esset genus humanum, morum pravitas invaluit. Filii Dei seu Sethiani ad filios hominum seu Cainitos accesserunt, coniugia contraxerunt, eorum prava exempla secuti sunt, et morum corruptio facta est communis: *Corrupta est terra coram Deo, et repleta est iniquitate. Omnis caro corruperat viam suam super terram* [2]. Quapropter Deus statuit diluvii aquis a facie terrae delere omnem hominem, excepta familia Noë, qui pius et iustus invenit gratiam coram Domino.

Quisquis mosaicam primae mundi aetatis relationem cum antiquis gentium annalibus contulerit fatebitur ultro, non ex his sed ex illa sola primorum temporum historiam certo hauriri, humanique generis primordia cognosci eum in modum, qui cum ratione congruit. Sunt enim antiqui gentium annales, quantum ad prima humani generis tempora pertinet, multis fabulis et inextricabilibus tenebris obducti. Verumtamen primigeniae traditionis de mundi hominisque creatione, de felici hominis statu, eiusque lapsu, de hominis redemptore, de Dei cum primis hominibus communicatione, de patriarcharum antidiluvianorum longaevitate, aliisque, vestigia non pauca occurrunt in veteribus Persarum, Indorum, Sinensium, Ægyptiorum, Phoenicum, Chaldaeorum libris [3].

6. *Diluvium (an. m.* 1656 *ant. C.* 2344). Postquam Noë, divinae iustitiae praeco, arcae fabricam et alia sibi a Deo mandata, perfecisset, Dominus immisit in terram aquas diluvii, quibus, Noë cum familia sua excepto, universum genus humanum propter communem morum corruptionem in terra deletum est [4].

Huius diluvii et arcae meminerunt omnes barbaricae historiae scriptores, inquit Fl. Iosephus [5]. Reipsa memorandi

---

[1] *Genes.* III.
[2] *Serm.* 2, *De nativit. Domin.*
[3] *Genes.* IV-V.

[1] *Genes.* IV-V.
[2] Ibid. VI.
[3] Cf Euseb., *Praeparat. evangel.* l. II, XII-XIII; Huet, *Demonstrat. evangel.* c. 3; Natal. Alexand., *Hist. eccl. V. Testamenti*, t. I, c. 1 a 3.
[4] *Genes.* VI-VII.
[5] *Antiquitat. iud.* l. I, c. 5.

huius eventus vestigia reperiuntur in annalibus Ægyptiorum [1], Syrorum [2], Chaldaeorum et Assyriorum [3], Sinensium [4], Indorum [5].

Noëmum cum familia sua post diluvium in avita religione et veri Dei cultu perseverasse, e Geneseos capitibus VIII et IX manifestum est. Hoc sacrum depositum a patribus acceptum, Noë fideliter transmittendum curavit novo orbi, qui totus ab eo originem sumebat. Habuit Noë tres filios, Sem, Cham et Iaphet, a quibus *disseminatum est,* inquit Moyses, *omne genus hominum super universam terram* [5].

7. *Dispersio gentium* — Quum progressu temporis rursum humanum genus esset multiplicatum, homines insolescere coeperunt. Dominus eorum superbiam et temeritatem linguarum divortio fregit. Inde factum est, ut familiae se in varias orbis terrae partes, primo in vicinas, deinde aucta hominum simul incolentium multitudine, in remotiores diviserint. Ita diversi populi exorti sunt [7].

8. *Idololatriae initia* — Decursu temporis sensim praeteritae aetatis memoria defecit; plurimi mortales sensibus et sensibilium rerum illecebris immersi, ab avita pietate deflexerunt; morum improbitas invaluit; veri Dei notitia obscurata est; primitivae revelationis dogmata male tradita, multisque fabulis adulterata. Quo factum est, ut pleraeque gentes, Deo patrum suorum posthabito, novos recentesque deos adorare coeperint. Sensim polytheismus et idololatria, quorum ante diluvium et primis saeculis post nulla usquam mentio certa occurrit, obtinuerunt [8].

9. *Abraham. Populus electus* (*an. m.* 2083 *ant. C.* 1917)—Ne avita Religio penitus deperiret, Deus sibi elegit specialem populum, cui antiquae revelationis et traditionis depositum committeret. In electi huius populi caput selegit Abraham, quem e Chaldaea vocavit in terram Chanaan; ei terrae huius possessionem et innumeram posteritatem promisit; eidemque revelavit, ex eius posteritate nasciturum humani generis Redemptorem, in quo omnes gentes benedicerentur, idest ad veri Dei sinceram cognitionem cultumque reducerentur. Novum foedus cum eo iniit, cuius signum esset circumcisio, quae divina promissa et Abrahae fidem consignaret, eiusque posteros ab aliis gentibus distingueret [1]. Eadem promissa Deus confirmavit Isaac filio Abrahae, et Iacob filio Isaaci [2]. Iacob congregatis duodecim filiis suis, totidem tribuum patriarchis, divino afflatu ventura praenuntians, Messiae adventum eiusque tempus diserte notavit his verbis: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium* [3].

Deus selectum populum Israël, sensim multiplicatum, peculiari semper providentia prosecutus est. In Ægypto, in quam patriarcha Iacob cum universa domo sua descenderat [4], ducentis et amplius annis in medio nationis pravae morati, veri Dei cultum et promissi Salvatoris fidem constanter retinuerunt. Singulari Dei munere et numero et viribus immensum aucti, ab Ægyptiis vehementer oppressi sunt. Dominus eorum clamores exaudivit, et post multa prodigia, quibus omnipotentiam suam Ægyptiis manifestam reddidit, illos Mose duce e durissima servitute liberavit, et trans mare Rubrum, Pharaone et exercitu eius in eo consumptis, eduxit [5].

10. *Historia Iobi* — Ad hanc mundi aetatem refertur historia Iobi e terra Hus; qui septem filiorum et trium filiarum pater; opibus inclytus, inter Orien-

---

1 Apud Diodorum, *Biblioth.* l. I; Platonem, *Timaeus.*

2 Apud Lucianum, *De dea Syria*

3 Apud Berosum et Abydenum.

4 In *Chou-King.*

5 In *Ezour-Vedam*

6 *Genes.* IX, 19.

7 Ibid. X-XI.

8 *Sapient.* XIII-IV. Cf Bergier, *Traité hist. et dogmat. de la vraie religion*, t. I; Hoocke, *Religionis naturalis et revelatae principia.*

1 *Genes.* XII, XIII et XIV.

2 Ibid. XXVI et XXVIII.

3 Ibid. XLIX.

4 Ibid. XLVI.

5 *Exod.* I-XIV.

tales seu Arabes vere magnus ac potens fuit. Quamvis genere Idumaeus, veram Religionem coluit. Simplex, rectus, Deum timens et a malo recedens, admirabile moderationis ac pietatis in prosperis et patientiae ac humilitatis in adversis praebuit exemplum [1].

11. *Moyses et Lex scripta* (*an. m.* 2513 *ant. C.* 1487) — Sub ministerio Mosis primaevae Religionis summa pluribus illustrata et evoluta fuit. Legi naturali et acceptis traditionibus addita est lex scripta; cultus divinus multis ritibus auctus; diversae oblationes et sacrificia praescripta, circumcisioni additus agnus paschalis ; sacris faciendis destinata tabernacula; sacerdotes et ministri speciali ratione constituti, hi e Levitis, illi e genere Aaronico: nova de venturo Messia vaticinia edita. Etenim ne populus Israël, immensum auctus, in mundo idololatrico a vera Religione deficeret, gentium usibus se accommodaret et divinorum promissorum memoriam amitteret, Deus illum magno legum tum moralium tum coeremonialium et iudicialium, quas severis poenis sancivit, apparatu circumvallavit. Moyses Dei internuntius, acceptas divinitus leges et populo promulgatas, in libris Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio conscripsit.

12. *Status Israelitarum sub Iudicibus et Regibus* — Sed quamvis multa mirabilia per Mosen Deus in Hebraeorum gratiam fecisset, hi tamen non semel se indignos tantis beneficiis praebuerunt. Ideo per quadraginta annos Deus eos in deserto peregrinari fecit. Deinde in promissam a Deo patribus suis terram Chanaan introducti sunt per Iosue, praeclarissimum typum Iesu Christi, cuius opera et meritis ex hac mortali peregrinatione in coelestis patriae possessionem introducendi sumus.

Israëlitae iam terram promissam ingressi, suasque possessiones tributim sortiti, sub Iosue et senioribus in Fide et Religione perseverarunt. At iis mortuis, pedetentim obliti sunt magnalium Dei; legisque eius immemores, gentium opera didicerunt. Propter praevaricationem in hostium manus traditi, clamaverunt ad Dominum, qui eos saepe liberavit per iudices. Iudices populum Israël gubernarunt a morte Iosue usque ad Saulem, primum regem Israël. Eorum gesta narrantur in libro *Iudicum*.

Ex quo Hebraeorum natio monarchici regiminis forma gubernari coepit, varius fuit Religionis status sub diversis eorum regibus. Horum alii pii, alii impii fuerunt. Religio mirifice floruit sub Davide, cui Deus venturi Messiae promissionem renovavit, et pleraque eius vitae, passionis, mortis, resurrectionis, sacerdotii adiuncta revelavit, quae regius Psaltes prophetico spiritu posteritati commendavit [1].

13. *Templ. Hierosol.* (*an. m.* 2992 *ant. C.* 1008) — Floruit etiam Religio sub Salomonis initia; qui rex pacificus, latius sapientiae fama quam vi armorum dominans, pacifici et sapientissimi regis Christi immensam potestatem seu regnum praesignavit. Anno regni sui quarto templi Hierosolymitani fundamenta posuit, quod absolutum magnis cum sollemnitatibus dedicavit. Verum Salomon mulierum amore insaniens, in deterius immutatus est, pravisque suis exemplis multos ex Israel pervertit [2].

14. *Schisma decem tribuum* — Sub Roboam, Salomonis filio et successore, regnum et Religio schisma subierunt. Decem tribus a Roboam defecerunt; Ieroboam sibi regem constituerunt, erectisque vitulis aureis Dominum Deum suum postposuerunt [3]. Multi tamen inter eos in veri Dei cultu perseverarunt una cum prophetis, qui divinae Maiestatis praecones et humanae pravitatis correctores a Deo destinati, schismaticam gentem ad Deum, quem dereliquerant, revocare non cessabant. Perstitit regnum Israel, seu decem tribuum, 254 annis sub viginti re-

[1] Cf librum Iob.

[1] Cf *Psalmos* II, XXI, LXVIII, LXXI, CI, CXVII, CXXXI.
[2] *I-II Regum.*
[3] *III Reg.*

gibus, donec per Assyrios deletum et decem tribus per Salmanassarum in captivitatem abductae sunt.

Samaritani — Ne autem Samaria, quae fuerat sedes regni Israel, maneret deserta, rex Assyriorum misit illuc colonos Cuthaeos, qui dein dicti sunt Samaritani. Erant hi idolorum cultores; postea vero a sacerdote ex Israel, a rege Assyriorum ad eos destinato, legem Mosaicam et Pentateuchum acceperunt [1].

15. *Captivitas Babylonis* (*an. m.* 3416 *ant. C.* 584)—Interim regnum Iuda, seu tribus Iuda et Beniamin, in antiquae Religionis professione perseveravit. Habuit tamen et sua desolationum et nebularum tempora, praesertim regnantibus Achaz et Manasse. Regum populique peccatum poena secuta est. Nabuchodonosor Babyloniorum rex, Iudaeam invasit; Iudaeos Babylonem captivos abduxit; urbem et templum Hierosolymitanum destruxit [2].

16. *Prophetarum series*—Hanc captivitatem degeneri populo praedixerant plures e prophetis, qui trium circiter saeculorum spatio, quod ab Ozia rege usque ad reaedificationem templi et urbis Hierosolymitanae effluxit, floruerunt. Hi divinae providentiae pro populo ministri, impios et Dei immemores iugiter arguebant; flagitiosos ad meliorem frugem revocabant; iustos in virtute confirmabant; futura praedicebant. Ex eorum vaticiniis nonnulla adimpleri vidit idem ille populus, qui fuerat praedictionis testis, disponente sic Altissimo, ut magis pateret, hos vates a Deo ipso qui solus futura contingentia novit, inspirari, firmiorque fides adhiberetur caeteris eorum vaticiniis, quibus Messias eiusque mysteria, e virgine e stirpe Davidica nativitas, nativitatis tempus et locus, vitae genus, praedicatio, miracula, passio, mors, resurrectio, regni eius, seu Ecclesiae per omnem mundum propagatio, gentium ad eam conversio, finis antiqui foederis eiusque sacrificiorum, ut novo sacrificio novaeque et perfectiori legi locum darent, aliaque consignabantur [1].

[1] *IV Reg.* et *II Paralipom.*

[2] *IV Reg.* XXI; *II Paral.* XXXIII.

17. *Iudaeorum status post captivitatem* — Providentissimus Deus populum suum in captivitate Babylonica gementem non dereliquit; sed, sicut prophetae praedixerant [2], eum in vinculis resipiscentem et emendatum, intra septuaginta annos per Cyrum, regem Persarum, libertati restituit [3].

Iudaei captivitatis experimento edocti, quam grave et amarum sit dereliquisse Dominum, in Dei cultu constantius perseverarunt, templum instaurarunt, murosque Ierusalem post multas disturbationes, a vicinis populis maxime a Samaritanis concitatas, reaedificarunt. Esdras legem populo praelegit [4]. Tunc etiam Libros ss. fuisse recognitos et in Canone, qui Iudaeorum dictus est, cuiusque auctor communiter creditur Esdras, conscriptos, fert Iudaeorum et Christianorum consensio [5].

Interim Iudaei Persis tributarii, regem non habebant; suis tamen legibus utebantur, et a summo sacerdote seu pontifice atque sanhedri, seu septuaginta duorum seniorum concilio in modum reipublicae regebantur. Post annos circiter 206 in eo statu transactos, ab Alexandro M., rege Macedonum, qui Asiae provincias Persis eripuit, in fidem recepti sunt, liberumque legum suarum usum conservarunt. Post mortem Alexandri M. distractis Asiae provinciis, Ptolomaeus Lagi occupavit Ægyptum, Hierosolymam dolo invasit, Iudaeam sibi subiecit et tributariam reddidit, ingentemque Iudaeorum multitudinem in Ægyptum deduxit. Sub eius in regno Ægyptiorum successore Ptolomaeo Philadelpho, anno circiter 273 ante Christum natum, Iudaei, Ægyptii vel Hierosolymi-

[1] Cf praecipue Isai. II, VII, IX, XI, XXXV, XLII, L, LIII, LX, LXVI; Ierem. XXIII, XXXI; Ezechiel. XXXIV; Daniel II, IX; Osee, II, XIII; Michaeam, V; Aggaeum, II; Zachar. IX, XI, XIII; Malach. I, II.

[2] Isai XLV; Ierem. XXIX-XXX; Ezechiel. XL-XLI.

[3] *I Esdrae*, I-II.

[4] *I* et *II Esdrae*.

[5] S. Hieron., *Prologus galeatus;* I. Bonfrerius, *Prologuia in S. Scripturam;* P. Lamy, *Apparatus biblicus*, l. II, c. 2.

tani, Libros ss. ex hebraeo verterunt in graecum, estque haec celebris versio LXX Interpretum [1]. Post aliquot annos Iudaeorum natio tributa pependit regibus Syriae; et tum ab his tum a regibus Ægypti multas vexationes perpessa est.

Post Alexandri M. mortem Iudaei haud amplius se intra Palaestinae limites continuerunt. Iam sub Ptolomaeo Lagi multi sedes fixerunt in Ægypto. Alii deinceps in alias regiones late diffusi sunt, praesertim cum Antiochus M. regnum Syriae teneret. Quo factum est, ut veri Dei notio, cultus atque oracula apud gentes longius innotescerent, mortaliumque animi ad Messiae adventum, qui propius imminebat, praepararentur.

18. *Persecutio sub Antiocho Epiphane* (*an. m.* 3836 *ant. C.* 164) — Sub Antiocho Epiphane, Antiochi M. filio, Iudaei durissime habiti sunt. Is summum Iudaeorum pontificatum venalem reddidit, plura eorum millia morte affecit, sacra templi vasa diripuit, Iovis Olympii simulacrum in templo collocavit, legemque dedit, qua prohibitis sacrificiis, circumcisione, sabbatorum observantia, aliisque legis Mosaicae ritibus, Iudaei ac alii subditi sub mortis poena ad unum eumdemque deorum cultum adigebantur. Hinc saeva in Iudaeos persecutio concitata est, qua durante inter alios illustria constantiae exempla dedere senex Eleazarus et septem iuvenes Machabaei cum matre sua, pro Deo et lege patria fortissime occumbentes [2].

19. *Machabaei* — Afflictis Iudaeorum rebus et periclitanti Religioni opem tulit Deus, excitatis ad eorum defensionem et liberationem Asmonaeis seu Machabaeis, quorum princeps fuit Mathatias sacerdos. Hic cuncta privilegia a Persis accepta et ab Alexandro confirmata, pessumdari, ipsamque Religionem in extremum discrimen vocari cernens et lugens, piorum exercitum collegit, et pro Religionis ac populi defensione fortiter certavit. Eum post annum unum in ducatu exceperunt, alter post alterum, Iudas Machabaeus, Ionatas et Simon filii eius; qui saepius exigua manu sed Dei auxilio freti, hostes prostraverunt, populum a tributis et iugo extero vindicarunt, reipublicae suae libertatem restituerunt, purificato templo divinum cultum instaurarunt, et cum Romanis atque Spartanis foedera percusserunt. Quin imo Simonis in ducatu successores nomen et diadema regium acceperunt [1].

20. *Iudaeorum status dilabitur* — Postquam Iudaei circiter 80 annis libertate sua fuissent potiti, eorum res dilabi, statusque publicus pessum ire coepit. Exortis inter Hircanum et Aristobulum fratres de regno et pontificatu dissidiis, Pompeius, qui tunc victricia Romanorum arma per Orientem circumferebat, Hierosolymam occupavit, litemque sic diremit, ut Aristobulus vinctus Romam mitteretur; Hircanus vero regnaret, sed in fide et clientela populi Romani. Verum filii Aristobuli bellum civile contra Hircanum continuarunt. Quibus dissidiis et bellis inde secutis Antipater, natione Idumaeus, pecuniosus et factiosus, ad sui exaltationem usus, ita se in Iulii Caesaris gratiam insinuavit, ut ab eo Iudaeae procurator fuerit constitutus, suumque filium Herodem praefecerit Galilaeae. Brevi post Antigonus, filius Aristobuli, Parthorum ope Hircanum et regno et sacerdotio deiecit, eaque ipse occupavit.

21. *Herodes M. rex Iudaeae* (*an. m.* 3963 *ant. C.* 37) — Tunc Herodes, Galilaeae tetrarcha, Romam properavit, et Antonii atque Octaviani opera a senatu rex Iudaeae declaratus est. Antigonus ex Asmonaeorum seu Machabaeorum genere rex ultimus, ab Herode et Romanis deiectus et interfectus est, cum tribus annis regnasset; sic ducatus cum sceptro a Iuda translatus est ad alienigenam, Herodem nempe, qui religione quidem Iudaeus sed natione Idumaeus erat [2].

Advenerat ergo plenitudo temporis, in qua veniret *Qui mittendus* erat [3]. Reip-

[1] Calmet, *Dictionnaire de la Bible*, art. *Septante;* Bergier, *Dictionnaire de Théologie*, art. idem.

[2] *LL. Machabaeorum;* Fl. Ioseph. *Antiquit. iud.* l. XII-XIII.

[1] Ibid.

[2] Fl. Ioseph. l. cit.

[3] *Genes.* XLIX.

sa regnante Herode natus est Messias, *Expectatio gentium, Lux quae illuminet omnem hominem* et ad veri Dei cognitionem cultumque reducat.

22. *Religiosus et moralis mundi status* — Qualis porro mundi status religiosus et moralis ad Christi Messiae adventum! Communem populorum depravationem, tum religiosam tum moralem, testantur eorum annales. Graecorum et Romanorum religio non tantum polytheismo, sed vel maxime vitiis, quae diis suis adscribebant, erat foedata, et non in virtutis studio, quum ipsos deos vitiis indulgere crederent, sed in quibusdam ritibus praecipue in sacrificiis consistebat. Caeterorum etiam populorum religiones falsis absurdisque conceptibus de natura et voluntate deorum, de futura hominum post mortem sorte, deque aliis erant depravatae. « Tantus fuit error, ait Cicero, ut perniciosis etiam rebus non modo deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur [1] ». Philosophi ipsi inter Graecos et Romanos, qui sanioribus de Deo rebusque divinis conceptibus studebant, veritatem erroribus multis morumque honestati adversis permiscebant, suisque sententiis inter se pugnantibus et vivendi ratione populorum impietatem, nefandos ritus, pravosque mores favebant. « Quoties quisque philosophorum invenitur, inquit idem Cicero, qui est ita moratus, ita animo et vita constitutus, ut ratio postulat? qui obtemperare ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet tanta levitate et iactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos; ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio [2] ».

Neque laetus erat Iudaeorum status religiosus et moralis. Ii ipsi Religionem humanis inventis multum deformarant. Quae deformatio a sectis religiosis, post instaurationem civitatis inter illos ortis, descendit. Praecipuae sectae erant Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum. Pharisaei legem superfluis absurdisque traditionibus enervabant; religionem in externo Dei cultu potissimum ponebant; Messiam expectabant non tanquam animarum liberatorem, sed tanquam heroem, qui Iudaeorum gentem potentissimam et felicissimam in orbe terrarum redderet; morum praecepta veramque virtutem parvi pendentes, vitiis indulgebant. Sadducaei omnem traditionem religiosam reiiciebant; ss. Scripturarum litterae inhaerebant; angelorum existentiam, animarum immortalitatem et corporum resurrectionem negabant; quibus opinionibus agendi rationem conformantes, potius malas vitiorum sequelas quam ipsa vitia evitare studebant. Esseni austeriori vitae disciplina ab aliis se secernebant, repudiato manuum labore, contemplationi et orationi vacabant, sed falsis opinionibus non carebant [1].

23. *Religionis melioris necessitas*— Quum ergo apud Iudaeos et apud ethnicos religio ac mores essent corrupti, necesse omnino erat generi humano, ut promissus Redemptor tandem inter homines compareret, Religionem hactenus revelatam perficeret, et institutum, quo perfecta ad omnes gentes propagaretur et integra conservaretur, introduceret. Praeterea divina providentia effectum erat, ut rerum adiuncta novae Religioni introducendae et propagandae essent opportuna. Quam plurimi enim ingentem morum corruptelam sentiebant, eorumque emendationem desiderabant; omnes fere populi cultiores sub uno imperio erant coniuncti, unde multiplex inter eos commercium atque liber transitus; linguae graeca et latina per omnes Imperii romani provincias propagatae; pax atque securitas interna. Quae cum ita essent comparata, et tempus, quo veniret promissus Redemptor, a prophetis praedictum, adesset, coaeternus et consubstantialis Deo Patri Filius in terras descendit, humanam naturam assumpsit, et redemptionis opus auspicatus est.

[1] *De natura Deorum*, l. II.

[2] *Quaest. Tuscul.* l. II, c. 4; Cf Mamachi, *Origines et antiquit. christ.* t. I, l. 2; Bergier, *Traité hist. et dogmat.* t. II.

[1] Fl. Joseph. *Antiquit. iud.* l. XIII, XV, et XVIII; item, *De bello iud.* l. II-III; Serarius, *De tribus sectis iudaeorum;* Becanus, *Analogia V. et N. Testamenti*, c. 11; *Bible de Vence*, t. X, c. 1-2.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA PRIMA

A NATIVITATE IESV CHRISTI VSQVE AD OBITVM S. IOANNIS APOSTOLI, AN. 101.

PROOEMIVM

Prima haec Historiae ecclesiasticae epocha, quam cum morte s. Ioannis, qui Apostolis omnibus superstes fuit, claudimus, nobis sistit Iesum Christum omnibus promissi et praedicti Messiae, coelestis legati et divini doctoris characteribus praeditum; eius inter homines acta, revelatam ab eo Religionem et institutam Ecclesiam. Exhibet deinde Apostolorum eorumque discipulorum et primorum successorum missionem; propagatum ab iis inter diversas gentes Evangelium; formatas ecclesias et constitutam disciplinam. Docet pios primorum Christianorum mores. Refert persecutiones et obstacula, quae Apostoli et Christiani, tum a Iudaeis tum ab ethnicis, maxime imperantibus Nerone et Domitiano, experti sunt. Quae quidem persecutiones et obstacula talia fuerunt, ut Ecclesia non tantum non propagata, sed in ipsis suis primordiis excisa fuisset, nisi potentissimam opem tulisset is, qui se ei usque ad consummationem temporis adfuturum spopondit. Reipsa dum Religionis christianae propagatio confertur cum obstaculis, quae superanda erant, manifestum fit, eam non ad humanam efficaciam referri posse, sed divinae virtuti esse adscribendam.

1. *Iesu Christi nativitas* (*an.* 1)—Quum iam instaret tempus, quo secundum Prophetarum vaticinia Redemptor venturus erat[1], missus est angelus Gabriel ad Mariam virginem, e genere Davidis, Nazareth in Galilaea habitantem et desponsatam Iosepho ex eodem genere, ut illi Verbi Divini, Messiae, conceptionem annuntiaret. Maria eiusdem angeli verbo edocta, se sola Altissimi virtute filium concepturam, respondit: *Ecce ancilla Domini*, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Eodem momento *Verbum,* quod *erat apud Deum,* quod *erat Deus,* in utero Mariae Virginis virtute Spiritus Sancti *caro factum est*[1]. Post aliquod tempus Maria cum sponso suo Iosepho profecta Bethleem Iudae, urbem Palaestinae, ut secundum edictum Caesaris Augusti census gratia consignarentur, ibidem, sicut praedixerat Michaeas propheta[2], Messiam, Iesum Christum, Deum et hominem, *salva virginitate,* ut ait s. Leo, *edidit, quemadmodum salva virginitate concepit*[3]. Annuntiaverunt angeli nativitatem Salvatoris pastoribus, greges suos prope Bethleem custodientibus, qui nato Domino pietatis obsequium obtulerunt. Apparuit stella in Oriente, qua duce Magi Hierosolymam, inde Bethleem venerunt, ut recens nato Messiae munera ferrent, eumque adorarent[4].

Vix natum et secundum legem Mosaicam circumcisum atque in templo Hierosolymitano Deo oblatum Messiam invidus Herodes, rex Iudaeorum, interimere constituit. In hunc finem omnes puerulos Bethleemiticos, alterum aetatis annum nondum egressos, occidi iussit. Sed Ioseph ab angelo praemonitus, puerum Iesum cum Maria matre eius duxerat in Ægyptum. Herodes non multo post tetro morbo extinctus est. Tunc Ioseph cum Maria eiusque filio reditum in patriam paravit; territus vero crudelitate Archelai, qui post Herodem regnavit in Iudaea, iter flexit in Galilaeam, Herodi Antipae subditam, fixitque domicilium Nazarethi; unde secundum propheticum sermonem Iesus vocatus fuit Nazaraeus[5].

Iesus anno aetatis suae duodecimo a pa-

---

[1] *Genes.* XLIX, 10; Daniel. IX, 24.

[1] Matth. I, 18-25; Luc. I, 26-38; Ioan. I, 1-14.

[2] V, 2.

[3] *Epist. ad Flavianum.* Nativitas Iesu Christi, teste s. Scriptura (Matth. II, Luc. II), incidit in tempus Augusti imperatoris Romanorum et Herodis M. regis Iudaeorum. De anno autem, quo Christus natus est, et veteres et recentiores inter se dissentiunt. Cum L. Berti (*Hist. eccl.* diss. IV), Natali Alexandro (*Hist. eccl.* saec. I, diss. 2), aliisque praestantissimis viris dicimus, Christum esse natum anno Romae conditae 749, Iuliano 41, imperii Augusti 40, ante aeram vulgarem 5 desinente, mundi creati 4000.

[4] Matth. II.

[5] Matth. II.

rentibus ad Paschatis festum ductus Hierosolymas, ibique iis insciis in templo remanens, sapientibus suis quaestionibus et responsis admirationem doctorum legis excitavit. Ab hoc tempore usque ad trigesimum aetatis suae annum apud parentes delituit, continenter proficiens sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines [1]. Plura de privata Iesu vita Scriptores Sacri non referunt.

2. *Ioannes Baptista* — Caesarem Augustum defunctum in Romanorum imperio excepit Tiberius, qui iam biennio proconsulare imperium gesserat. Huius principatus anno decimo quinto s. Ioannes Baptista, Zachariae sacerdotis et Elisabethae filius, qui ab adolescentia in deserto solitariam et austeram vitam egerat, venit in omnem regionem Iordanis, praedicans adventum Messiae; omnes ad cordis conversionem dignosque poenitentiae fructus hortabatur; et assentientes sermoni suo undis Iordanis baptizans, ad Evangelii gratiam praeparabat. Iesus ipsemet, cum esset triginta annorum, ad Iordanem venit, ut baptizaretur a Ioanne; cumque baptizatus prodiret ex aquis, novo divini testimonii genere honestatus est; aperti enim sunt coeli, Spiritus S. in columbae forma in eum descendit, et vox Patris de coelis intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Deinde petens desertum, se quadraginta diebus ieiunio et oratione ad ministerium publicum praeparavit; diaboli, ad diversi generis nefas eum allicientis, tentationes oppositis Scripturae S. eloquiis superavit.

Interim quum fama eorum, quae a Ioanne Baptista fiebant in Iordane, pervenisset Hierosolymam, sacerdotes et levitae legatos ad eum miserunt rogantes, an ipse esset Christus seu promissus Messias. Ioannes eis respondit, se non esse Christum, sed illius praecursorem ab Isaia propheta praedictum; Christum iam advenisse et inter eos versari. Altera die videns Iesum adventantem, inclamavit: *Ecce Agnus Dei; ecce, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est...* Is *ut manifestetur in Israël, propterea veni ego... Et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* [2].

3. *Praedicatio Christi* (*an.* 30) — Post haec Salvator noster impositum sibi evangelizandi munus palam adorsus est. Iudaeam, Galilaeam, Samariam tractusque vicinos docens peragravit. Quanta porro in docendo maiestas! quanta sapientia! Dei eiusque naturae et proprietatum suggerit notionem, qualem nulla unquam mens humana efformavit. In secretissimum divinae sapientiae consilium penetrans, mysteria revelat augustissima, quae quidem humana ratio non capit, sed ob docentis auctoritatem firmiter ac recte credit. Quanta simplicitas! nulla in sermone eius fucata eloquentia, nulla iactantia aut adulatio, nulla favorum aut laudis propriae cupiditas. Quanta auctoritas! praecipit, prohibet, hortatur, minatur, sine cunctatione decernit quae bona facienda, quae mala vitanda, *erat docens sicut potestatem habens* [1]. Quanta humilitas! ab omni ambitione alienus, omnium se servum facit, meditantes eum constituere regem declinat, solam Dei Patris gloriam, hominisque deperditi salutem quaerit. Doctrinam suam non in systemate quodam aut coniunctim, sed separatim pro data occasione proposuit. Usus est sententiis simplicibus omniumque intellectui accommodatis, parabolis vel plana et perspicua locutione, et dicendi genere suavi animos admodum movente, ita ut et docendi methodo altiorem de se opinionem in auditoribus excitaret. Non solum in templo et in synagogis, sed et in domibus privatis et sub dio populum docuit, occasione saepe desumpta a rebus obviis.

4. *Summa doctrinae eius* — Omnia doctrinae eius capita praescribere, haud sinit praestituta operis brevitas. Eorum tamen summam, quia divinae eius doctrinae, divinaeque missionis clarissimos characteres indicant, exponere placuit.

In primis seipsum, divinamque suam missionem revelavit. Se quidem filium hominis, filium Abrahae, sed simul filium Dei, ab omni aeternitate, antequam Abraham fieret, genitum profitetur [2]. Docet, se in hunc mundum venisse, ut faciat voluntatem Patris sui, a quo missus erat [3]; non ut destruat mundum, sed ut eum salvet [4], ut homines peccato mortuos, ad vitam resuscitet [5].

Quanta vero divinus Salvator ingerendae mortalium animis sublimi suae sanctissimaeque doctrinae impedimenta omni ex parte repererit, ex iis, quae supra de religioso et

---

[1] Luc. II.
[2] Matth. III-IV; Marc. I; Luc. III-IV; Ioan. I.

[1] Matth. VII, 29.
[2] Matth. XVI, 16-18, XXVI, 63-64; Ioan. VIII, 58, XVI, 27-28, V, 18, X, 30.
[3] Ioan. VI, 38-40, XVI, 28.
[4] Matth. XVII.
[5] Ioan. XVI, 39.

morali mundi statu ad Christi adventum breviter diximus, facile conspicitur. Conterenda erat humanae mentis superbia, moderanda cupiditas, corrigendi affectus, evertenda opinionum licentia. Hinc praesertim humilitatem, mansuetudinem, munditiem cordis inculcat [1]. Totum hominem interiorem reformans, beatos dicit pauperes spiritu, qui abiecta temporalium cupidine, aeternis divitiis inhiant [2]. Iis coelorum regnum paratum docet, qui inordinatos animi affectus ac passiones mortificant [3]; qui quae mundus diligit, evitant, et quae stulta sunt huic mundo, sectantur [4]; qui inimicos diligunt, offensas remittunt [5], adversitates patienter ferunt, pro iustitia persecutionem patiuntur.

Porro doctrina eius sublimis pariter ac sancta et rationi maxime conformis est. Tradit tum quae credere, tum quae agere atque vitare oportet, ut beati esse possimus. Deum ubique unum praedicat [6], illum docet esse purissimum spiritum [7], primum omnium rerum auctorem et dominum, omnipotentem, sapientissimum, omniscium, veracissimum et perfectissimum [8], summe bonum [9], beneficum [10], providum ac iustum, qui virtutem remunerat, punitque peccatum [11]. Docet, omnes has divinas proprietates tribus unius et eiusdem naturae personis, Patri et Filio et Spiritui Sancto, inesse [12]. Docet, huius omnipotentis Dei nutu et verbo universum hoc quaeque eo continentur, e nihilo facta fuisse, illiusque sapientia et providentia constanter gubernari [13]; hominem quoque non alium quam Deum, *qui fecit ex uno omne genus hominum* [14], habere auctorem; hominem non tantum terreno et corruptibili corpore, sed et spirituali ac immortali anima constare [15]; eum ad beatitudinem aeternam esse creatum, hanc tamen non nisi bonorum operum merito vitaeque sanctimonia obtentum iri [16]; hominem quidem esse infirmum [17], sed summam esse Dei in omne genus hominum bonitatem, qua omnes salvos fieri vult [1], gratiasque et auxilia ad consequendam beatitudinem offert [2]. Docet, quae sit malorum omnium causa, quique fons communis illius corruptionis, cuius quivis sibi intime conscius est. Sed simul revelat omni humana expectatione superiorem divini consilii et bonitatis in praeparata his malis medela oeconomiam [3].

Doctrina eius moralis, seu practica nihil nisi sanctum et summe honestum spirat. Ea homini exhibet Deum ut verum et solum finem suum ultimum, in quem omnia vota sua dirigat. Deum eiusque ordinatissimam voluntatem ut regulam vitae normamque perfectionis proponit [4]. Quidquid bonum est et honestum commendat; quidquid vero indecens, quidquid turpe est, prohibet [5]. Docet quae homo Deo, quae sibi et quae proximo suo debeat. Dei cultum praescribit omnium purissimum, internum simul et externum, *in spiritu et veritate* [6]; illius summam ostendit positam esse in Dei super omnia amore [7], in continuo illi per omnia placendi studio ac fideli mandatorum eius custodia [8]. Deum solum timendum perhibet; sed simul ut patrem optimum invocare, glorificare atque ab ipso per Christum Redemptorem omnia bona expectare docet [9]. Homini maxime inculcat curam propriae animae, a cuius salute omnis hominis felicitas pendet [10]. Hanc animae salutem quibusque in hac vita charissimis praeferre, et potius vitae quam illius iacturam pati iubet [11]. Commendat maxime orationem, ieiunium, et passionum carnisque mortificationem [12]. Inter ea autem quae homo debet proximo suo, fundamentum principiumque, e quo reliqua promanant, ponit communem in omnes charitatem [13]. Hanc dilectionem una cum charitate in Deum Christus ut summam legis [14] et proprium discipulis suis

[1] Matth. V, 8, XVIII, 3-12.
[2] Matth. V, 3.
[3] Luc. IX, 23.
[4] Matth. V, 5; Ioan. XI, 20.
[5] Matth. V, 44, XVIII, 35.
[6] Marc. XII, 29.
[7] Ioan. IV, 24.
[8] Matth. V, 48.
[9] Matth. XIX, 17.
[10] Matth. VII, 11.
[11] Matth. XVI, 27.
[12] Matth. XVIII, 18-20; I Ioann. V, 7.
[13] Matth. VI, 26.
[14] *Acta Apost.* XVII, 26.
[15] Matth. X, 28, XXV.
[16] Matth. V; Iacob. II, 14, 24; *ad Rom.* II, 13.
[17] Ioan. XV, 5.

[1] Matth. XVIII, 14; *I ad Tim.* II, 4.
[2] Luc. XI, 9.
[3] *Ad Rom.* V, XII, 15-25; *ad Ephes.* I, 4-10.
[4] Matth. V, 48.
[5] *Ad Philipp.* IV, 8; *I ad Thessalon.* V, 22.
[6] Ioan. IV, 23-24.
[7] Matth. XXII, 37.
[8] Ioan. XIV, 21; *ad Hebr.* XII, 28.
[9] Ioan. XVI, 23.
[10] Matth. XVI, 26.
[11] Ibid.
[12] Matth. XXVI, 41, XXVII, 20; Marc. IX, 28, XIII, 33; Luc. XVII, 1, XXII, 40; *ad Rom.* VIII, 12-14; *ad Coloss.* III, 5, IV, 2.
[13] Matth. XX, 39; *ad Rom.* XIII, 8.
[14] Ibid.

characterem constituit[1]. Ab ea ne inimicos quidem excludi voluit, sed et hos, condonatis offensis, diligere et benevolentia prosequi mandat[2]. Inter charitatis opera primo loco commendat eleemosynam[3]. Praeterea tam communia omnibus, quam cuivis hominum statui propria, iustitiae et beneficentiae officia tradit, quae subditi praepositis, liberi parentibus, servi dominis, uxor marito, et vicissim quae maritus uxori, domini servis, parentes liberis et praepositi subditis debeant[4]. Demum perfectioris vitae cupidos voluntariam paupertatem, continentiam, aliaque consilia, quae dicuntur Evangelica, docet[5].

5. *Sacramenta novae Legis*—Si vero divinus Magister, Christus Iesus, quae depravatae hominis naturae dura videntur, praecipiat, et quae eam delectant, prohibeat, etiam media quamplurima et auxilia offert, quorum ope homo divinae voluntati obsequatur, ad vitae sanctitatem ascendat, et in eadem perseveret[6]. « Impossibilia non iubet (ut Tridentini concilii verbis utar), sed iubendo monet et facere quod possumus, et petere quod non possumus; et adiuvat, ut possimus[7] ». Utque in nulla re humanae infirmitati defuisse videretur mundi Salvator, suasque gratias congruis dispensaret homini modis, abundantissimos gratiarum fontes, in Ecclesia iugiter manantes, instituit, septem scilicet Sacramenta; ut his sensibilibus signis, quae Redemptoris merita et divinae in homines largitatis opes continent, atque sanctitatis tum efficiendae tum significandae vim habent, homo coelestia dona degustaret, perciperetque. Sic spiritualiter renasci et Ecclesiae membrum fieri cupientibus Baptismum aquae praescripsit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti[8]. Communiendis ad profitendam constanter Fidem susceptam, copiosissima Spiritus S. dona sacramento Confirmationis adnexuit[9]. Ad refocillandas animas credentium ss. Eucharistiae sacramentum, in quo propriam carnem in cibum et sanguinem in potum largitur, instituit[10]. Ægritudine animae laborantibus sacramentum paravit Poenitentiae, Apostolis, eorumque legitimis in sacerdotio successoribus remittendi peccata potestate concessa[1]. Illis autem, qui sacro ministerio inaugurantur[2], vel matrimonii vinculo iunguntur[3], vel cum morte vicina luctantur[4], uberrima gratiarum auxilia per Ordinis, Matrimonii et Extremae Unctionis sacramenta praeparavit[5].

6. *Sanctio Legis* — Omnem hanc doctrinam seu legem Christus Dominus et praemiorum amplissimorum promissis et poenarum terribilium comminationibus sancivit. Legis suae sectatoribus promittit vitam sine fine duraturam[6], et beatitudinem, quae omnem sensum humanum exsuperat[7]; contra, illius contemptoribus aeterna et nunquam intermittenda supplicia praemonet esse destinata[8]. Eaque praemia et supplicia animae et corpori, post generalem conflagrationem ad vitam resuscitando[9], praeparata docet[10].

En Testamentum, Novumque Foedus, quod mediator Christus Deum inter et hominem constituit. Isthaec est societas, quam inter utrumque formavit; cuius societatis membra, quorum ipse caput est, unum cum ipso corpus, quod est Ecclesia, efficiunt: *Omnes in unum corpus baptizati*[11].

7. *Christus opus suum probavit* — Divinus Mediator, ut omnem dubitandi locum animis nostris auferret, eosque in obsequium Fidei captivaret, divinitatem missionis et veritatem doctrinae suae probavit tum per vitam quam duxit sanctissimam, tum per miracula quae patravit, tum per prophetias quas edidit et quae de se editae fuerant.

Fuit in ipso admirabilis vitae integritas, ab omni specie mali alienissima[12], adeo ut ab infensissimis hostibus quaerere non dubitaret: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*[13] Eminuit in eo summa in Deum Pa-

---

1 Ioan. XIII, 36.
2 Matth. V, 44, XVIII, 25.
3 Matth. XXV, 42-46; Luc. XI, 41; *Act* X, 4, 31.
4 I Petri, II, 13-18; *ad Coloss.* III, 18-24; *ad Ephes.* VI, 1-9.
5 Matth. XIX, 12, 16; Marc. X, 17; Luc. IX, 23, VI, 20, 30, XVIII, 18.
6 Matth. VII, 7; *ad Rom.* V, 15, 19; *ad Philip.* II, 13.
7 Sess. VI, et c. 2.
8 Matth. XXVIII, 19-20; Ioan. III, 5.
9 *Act.* VIII, 15.
10 Matth. XXVI, 26; Luc. XXII, 19; Ioan. VI, 54.

---

1 Ioan. XX, 23.
2 *Act* VI, XIV, 22; *I ad Tim.* V, 17; *II ad Tim.* I, 6-7.
3 *Ad Ephes.* V, 32.
4 Marc. VI, 13; Iacob. V, 14-15.
5 Catholicam doctrinam de Sacramentis, de divina eorum institutione, efficacia etc. expositam videsis in concilio Florentino, *Decret. ad Armenios*; Tridentino Sess. VII; Bellarmin. *De controversiis fidei christianae* t. II, edit. Ingolst; Drouin, *Tractatus de Sacramentis*, Paris. 1775, 9 vol. in-12, etc.
6 Matth. XXV, 34.
7 *I Petri*, II, 4; *I ad Cor.* II, 9.
8 Matth. XXV, 41-46.
9 *I ad Cor.* XV.
10 Ioan. V, 25-29; *II ad Cor.* V, 10.
11 *I ad Cor.* XII, 13.
12 *I Petri*, II, 22.
13 Ioan. VIII, 46.

trem pietas, mira in homines charitas [1], humilitas, omnis ostentationis ac proprii quaestus nescia, obedientia usque ad mortem [2]; patientia atque constantia plusquam humana; verbo fuit virtutum omnium exemplar absolutissimum [3].

Non tantum vaticiniorum Veteris Testamenti fide usus est, ut significaret, accurate evenisse, quae de se tot ante saeculis per vates Iudaeos fuerant praenuntiata [4], sed novis etiam a semetipso editis prophetiis opus suum probavit. Ita inferendam sibi a Iudaeis mortem [5], suam a mortuis die tertia resurrectionem [6], persecutiones, quae Apostolos discipulosque suos pro Evangelii veritate manebant [7], urbis et templi Hierosolymitani eversionem, Iudaici populi a patrio solo disiectionem et regni excidium [8], sui vero regni, idest Ecclesiae propagationem et perpetuam durationem [9], distinctissime praedixit.

Miracula autem patravit quamplurima. In Cana Galilaeae, quum vinum in nuptiis deficeret, aquam immutavit in vinum [10]; in deserto quinque panibus et pisciculis paucis quinque hominum millia satiavit [11]; mortuam Iaïri archisynagogi filiam [12], filium viduae Naïmitae, qui defunctus efferebatur [13], et Lazarum iam triduo sepultum [14] ad vitam revocavit; omnis generis morbos solius verbi imperio curavit [15], caecis visum [16], surdis auditum [17], mutis loquelam [18], claudis gressum [19] restituit. Haec et alia plura miracula non clam et in abscondito, sed palam et coram turbis congregatis fecit. Ea fecit et adhibuit in confirmationem missionis suae atque doctrinae. *Ipsa opera,* ait, *quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me...Si mihi non vultis credere, operibus credite* [20].

[1] *Act.* X, 38.
[2] *Ad Philip.* II, 8.
[3] Ioan. XIII, 15.
[4] Ioan. V, 39.
[5] Matth. X, XVI, XVII; Luc. XVII.
[6] Ibid.
[7] Matth. XXIV.
[8] Ibid. et Marc. XIII; Luc. XXI.
[9] Matth. XVI, XXIV, XXVIII.
[10] Ioan. II, 1-11.
[11] Matth. XXIV, 14; Marc. VI, 35; Luc. IX, 12; Ioan. VI, 10.
[12] Matth. IX, 18.
[13] Luc. VII, 11.
[14] Ioan. XI, 1-45.
[15] Matth. VII, IX; Marc. I; Luc. XIV, XVII; Ioan. IV.
[16] Matth. IX, XII, XX; Marc. VIII.
[17] Marc. VII.
[18] Matth. IX, XII.
[19] Matth. XV.
[20] Matth. XI; Luc. XVII; Ioan. V, X, XI.

Divina itaque sunt ac verissima Christi-Iesu missio, doctrina et Religio, tot confirmata vaticiniis, totque probata miraculis; haec enim, quum humanae naturae vires superent, et solius Dei virtute perfici possint, in confirmationem erroris fieri nequeunt, quin ipsa Dei sanctitas, bonitas et providentia destruantur [1].

8. *Electio Apostolorum* — Interim Christum praedicantem sequebatur turba plurima, ob operum eius magnitudinem stupore attonita. Selegit autem viros duodecim, quos nominavit Apostolos, Simonem nempe, quem vocavit Cephas seu Petrum, Andream Simonis fratrem, Philippum, Bartholomaeum, Iacobum et Ioannem filios Zebedaei, Thomam, Matthaeum, Iacobum Alphaei filium, Simonem Chananaeum cognomento Zelotem, Iudam alias Thaddaeum et Iudam Iscariotem [2]. Hos duodecim de regno suo, Ecclesia, peculiariter instruxit, eos universi orbis doctores instituit; ipsis in Ecclesia sua ministerii, regiminis et magisterii potestatem promisit, et postea contulit; eos praedicationis suae individuos comites esse voluit, ut eorum quae docebat et agebat, omni terrarum orbi testimonium redderent: *Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae* [3].

Erant ii nulla generis claritate, neque conditione, opibus, scientiis, artibusve conspicui, sed piscatores et publicani. Ipsos tamen in Apostolos suos elegit, ne, ut observat s. Ambrosius [4], traxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentia, aliisve similibus allexisse aliquos ad gratiam suam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis causa praevaleret; ut fructus eorum ministerii non humanis consiliis, sed soli divinae virtuti adscribi possent. Praeter duodecim Apostolos elegit Dominus alios septuaginta duos Discipulos, quos per omnem Iudaeam, quo erat ipse venturus, mittebat, ut Messiae adventum annuntiarent, eiusque praedicationi et Evangelio viam pararent [5].

9. *Iesu Christi passio et mors* (*an.* 33) — Iudaeorum seniores, sacerdotes, Scribae et Pharisaei ira in Christum perciti, quod eorum licentiam et sanctitatis simulationem

[1] Cf Stolberg, *Geschichte der Religion I. C.*, V Band; Bergier, *Traité historique et dogmatique de la vraie Religion*, t. VIII.
[2] Matth. X; Marc. III; Luc. VI.
[3] *Act.* I, 8.
[4] *In c. VI Luc.*
[5] Luc. X.

nonnunquam nobili auctoritate carperet; invidi quoque, quod confluente ad eum multitudine, ipsi quodammodo despici viderentur, salutares praedicationis eius fructus impedire, plebemque in eum concitare multifariis modis studuerunt. Eo demum ipsorum odium processit, ut in Redemptoris humani generis destructionem conspirantes, consilium de eo interficiendo saepius inierint. Sed necdum venerat passionis eius et mortis hora, a Daniele propheta praedicta [1].

Haec ultima hora cum instaret, Christus Iesus cum Apostolis suis Hierosolymas ad festum Paschatis properavit. Illic prima die azymorum, pridie mortis suae, cum Apostolis agnum paschalem comedit, ultimamque coenam sumpsit, in qua adorandum et inenarrabile ss. Eucharistiae Sacramentum instituit. Promiserat quippe suis, daturum se eis in cibum et potum, non quale olim Israëlitis manna pluerat in deserto, sed propriam carnem et sanguinem [2]. Haec promissa in ultima coena implevit. Accipiens enim panem, gratias egit, fregit et dixit: *Hoc est corpus meum,* omnem eodem momento substantiam panis transmutans in propriam carnem, quam sub speciebus panis Apostolis mox dedit gustandam. Similiter accepto calice, omnem substantiam vini convertit in sanguinem suum, dicens: *Hic est sanguis meus novi testamenti... bibite ex eo omnes* [3]. Apostolis suis idem faciendi, quod ipse fecerat, potestate tradita, *Hoc facite in meam commemorationem* [4], ipsos, eorumque legitimos in sacerdotio successores, ss. Eucharistiae, sacramenti simul et iugis in Nova Lege sacrificii, ministros constituit [5].

Exiit inde Christus cum Apostolis in hortum Olivarum. Hic eum orantem et passionis calicem de manu Patris ad nostram redemptionem acceptantem, tradidit armatis satellitibus Iudas Iscariotes, unus e duodecim Apostolis; qui sordida lucri cupidine abreptus, triginta argenteis Divinum Magistrum senioribus populi et sacerdotum principibus prodiderat [6]. Iesus a militari cohorte apprehensus atque ligatus, primum ductus est ad summum sacerdotem et Iudaeorum sanhedrin; ubi colaphis caesus, opprobriis saturatus, quasi seductor et blasphemus accusatus, et mortis reus declaratus est.

Inde ad tribunal Pontii Pilati, Romanorum nomine Iudaeae, quae iam rege carebat et in provinciam Romanam erat redacta, procuratoris, perductus, seditionis et laesae maiestatis incusatus fuit. Pilatus, etsi innocentiam eius probe novisset et palam profiteretur, nihilominus populi clamoribus perterritus, Iesum flagellis subiecit, barbarumque in modum caesum, excruciatum et spinis coronatum, infami crucis supplicio condemnavit [1].

Iesus in medio duorum latronum crucifixus cum iniquis et sceleratis reputatus, a planta pedis usque ad verticem propter iniquitates nostras vulneratus, felle et aceto potatus, e ligno crucis aeternum Patrem pro nobis precatus est; peccata nostra sanguine suo expiavit, et pro eisdem piacularem victimam se obtulit. Opere demum, ad quod missus fuerat, consummato, spiritum in manus Patris sui, inclinato capite, emisit. Et ecce, sol obscuratus est; tenebrae factae sunt super terram; terra mota est; velum templi, quod Sancta sanctorum ab oculis vulgi abscondebat, in duas partes scissum est; monumenta aperta sunt; mortui e sepulcris egressi, multis apparuerunt; totaque natura auctoris sui passione commoveri visa est [2].

In hoc passionis tempore maxime se prodiderunt admirabiles, prorsusque divinae Christi virtutes. Quanta quippe in eo humilitas! qui ventis et mari imperabat, funibus ligatur, prosternitur, illuditur, caeditur, et nullum querimoniae signum edit. Quanta charitas! Iudam proditorem benevolo amicitiae osculo excipit; pro crucifigentibus aeternum Patrem orat: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Quanta mansuetudo et animi fortitudo! ad infame mortis supplicium rapitur, et sicut ovis ad occisionem vadit, et *quasi agnus coram tondente se obmutescit.* Moritur, et morte sua humanum genus redimit, peccati regnum destruit, et novum inter Deum et hominem foedus effusione sanguinis sui ferit [3].

[1] Cap. IX.

[2] *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.... Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*; Ioan. VI, 48-59.

[3] Cf Matth. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19-20; *I ad Cor.* XI, 24.

[4] Luc. XXII, 19; *I ad Cor.* XI, 24.

[5] Constantem perpetuamque Ecclesiae doctrinam et traditionem de ss. Eucharistia contra novatores defenderunt card. Bellarmin., *Controversiarum* t. II; auctor operis, *La perpetuité de la Foi;* alii.

[6] Matth. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII; Ioan. XVIII.

[1] Loc. cit.

[2] Matth. XXVII; Marc. XV; Luc. XXIII; Ioan. XIX.

[3] E diversis sententiis de anno mortis Christi communior et verisimilior ea est, quae dicit, Christum esse mortuum anno aetatis suae 33, aerae vulgaris 29, Romae conditae 782. Cf Berti, *Hist. eccl.* diss. VI, n. 41; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 2.

10. *Resurrectio Christi*—Exanime Christi corpus, quum iam nullum superesset vitae signum, de cruce depositum et ante ortum sabbati magni sepulturae datum fuit. Ultimum hunc defuncto honorem reddidit Iosephus ab Arimathaea, senatorum unus et clam Iesu deditus. Is a Pilato obtinuit, ut corpus Christi sindone munda involvere, aromatibus condire et in monumentum recens in petra vicina excisum deponere posset. Principes sacerdotum et Pharisaei memores, Iesum non semel dixisse, fore ut intra trium dierum spatium resurgeret vivus, procuratorem rogarunt, ut lapidem, ostio sepulcri appositum, sigillo muniri, armataque manu custodiri iuberet, ne forte, inquiunt, discipuli eius corpus subducant, spargantque in vulgus, illum resurrexisse. Verum quae tandem humana prudentia est, quae divinis consiliis obstet? Quot apposuere custodes, tot habuerunt resurrectionis eius testes. Nam Christus, sicut praedixerat, tertia a morte die, quae fuit Dominica, custodibus pavore perterritis, resurrexit, novo sic et maximo miraculo doctrinae, operisque sui veritatem confirmans. Apparuit piis mulieribus, Apostolis atque discipulis, non semel aut uni, sed pluries pluribusque congregatis, praebens seipsum vivum multis argumentis; cum ipsis loquebatur, cibum sumebat, et palpandum se exhibebat, ut omnem dubitationem ex eorum mentibus excluderet [1].

11. *Christus formata Ecclesia in coelum ascendit* — Christus post resurrectionem suam quadraginta diebus cum Apostolis conversatus, eos in tradita a se doctrina et instituta Ecclesia plenius instruxit, *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei* [2]. Ipse Ecclesiam suam formavit, unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Illam constituit infallibilem doctrinae suae custodem, *columnam et firmamentum veritatis* [3]. Spopondit, se ei praesto futurum usque ad consummationem saeculi, et portas inferi adversus eamdem non praevalituras [4]. Instituit in ea publicum magisterium et ministerium, regimen perfectissimum et hierarchiam ordinatissimam. Triplicem hanc magisterii, ministerii et regiminis potestatem concessit Apostolis eorumque

[1] Matth. XXVII-XXVIII; Marc. XV-XVI; Luc. XXIII-IV; Ioan. XIX-XX; *Act. Apost.* I.
[2] *Act. Apost.* I, 3.
[3] *I ad Tim.* III, 15.
[4] Matth. XVI, 18, XXVIII, 20.

successoribus [1]. Inter omnes Petrum in fundamentum et visibile caput Ecclesiae suae selegit [2]; ei peculiari ratione seorsim ab aliis claves regni coelorum seu plenitudinem potestatis concessit [3]; ei munus pascendi et regendi omnes, agnos et oves, commisit [4], eique soli et legitimis eius successoribus summum honoris et iurisdictionis primatum in Ecclesia sua dedit [5].

Quadragesimo demum die post suam resurrectionem Christus promisso Apostolis Spiritu S., e monte Olivarum prope Ierusalem illis spectantibus in coelum victor ascendit [6].

Hic quatuor Evangelistae historiam vitae et gestorum Iesu Christi terminant. Ex iis ss. Matthaeus et Ioannes fuerunt testes oculati et auriti actorum et dictorum Iesu Christi; ss. Marcus et Lucas, quia Apostolorum comites et discipuli, testibus oculatis et auritis accensendi sunt. Praeterea omnes quatuor in scribendo fuerunt divinitus inspirati [7].

12. *Testimonia proferuntur de Christo* — Ineptissime Religionis christianae adversarii contra Historiae evangelicae veritatem opposuerunt silentium veterum scriptorum iudaeorum et ethnicorum. Quamvis enim id sit petere testimonia a christiani nominis hostibus, nihilo tamen secius reperiuntur in illorum scriptis monumenta non pauca, quibus Evangelicae Historiae veritas confirmatur. Non immoror vindicandis Abgari, regis, Edessae in Syria, ad Christum litteris. Scribit quidem Eusebius, Abgarum audita miraculorum Christi fama, litteras ad eum misisse pro impetranda valetudinis restitutione; Christum rescripsisse, se missurum esse unum e discipulis suis; hacque legatione functun fuisse s. Thaddaeum. Utriusque epistolae exemplum habet idem Eusebius [8]. Sed epistolas illas, quamvis a quibusdam propter Eusebii auctoritatem propugnentur, apocryphis esse adnumerandas,

[1] Matth. XVIII, XXVIII; Marc. XVI; Luc. XXII; Ioan. XX.
[2] Matth. XVI, 18.
[3] Ibid. 19.
[4] Ioan. XXI, 15-17.
[5] De Ecclesiae institutione, proprietatibus, hierarchia, et Petri eiusque successorum primatu, cf Card. Bellarmin., *Controversiarum Fidei* t. I; D. Petav., *De ecclesiastica hierarchia*, 1643, et 1700, in fol.; Mamachi, *Origines et antiquitates christianae*, t. IV; Perrone, *Praelectiones theologicae*, t. VIII; P. Ballerini, *De vi et ratione primatus;* alios.
[6] Marc. XVI; Luc. XXIV; *Act.* I.
[7] Cf Bellarminum et alios p. VI indicatos.
[8] *Hist. eccl.* l. I, c. 13.

multa suadent [1]. Pariter Acta Pilati seu relationem de Iesu Christo ad Tiberium imperatorem, qualia hodie leguntur, esse suppositia, censet maxima eruditorum pars; quamvis sincera Acta Pilati quondam extitisse, sed postea fuisse interpolata et corrupta, verisimillimum sit, cum ipsi Patres ea commemorarint [2]. Asserit Tertullianus, Tiberium relatione Pilati permotum, ad senatum retulisse de inserendo Christo Iesu inter deos, senatum vero id respuisse.

Celebrius est Flavii Iosephi de Christo testimonium: « Eodem tempore, inquit, fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum dicere fas est. Erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum qui libenter verum audiunt; multosque tam de Iudaeis quam de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat (*alias:* credebatur hic Christus), quem accusatum a gentis nostrae principibus, quum Pilatus crucis supplicio addixisset, nihilominus perseverarunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim iis tertia die redivivus, ita ut de eo vates hoc et alia multa praedixerint; et usque in hodiernum diem Christianorum genus, ab eo denominatum non deficit [3] ».

Praeterea de apparitione stellae novae et adoratione Magorum loquitur Chalcidius [4]. Caedem infantium iussu Herodis patratam, meminit Macrobius [5]. Solis defectionem, quae contigit in morte Christi, commemorat Phlegon [6]. Christum imperante Tiberio sub Pontio Pilato gubernatore Iudaeae fuisse supplicio affectum, refert Tacitus [7]. Alia alii litteris consignarunt [8].

13. *Ecclesia Hierosolym.* — Quum Iesus Christus consummato redemptionis opere, in coelum ascendisset, discipuli eius regressi sunt Hierosolymam; et cum ss. Virgine Maria aliisque piis mulieribus coenaculo conclusi (erat coetus fere centum viginti), assiduis precibus praestolabantur Paracletum promissum. Petrus iam tum de commisso sibi ministerio et Ecclesiae regimine sollicitus, iure primatus, quo ab ipso Christo fuerat ornatus, Apostolos monuit, ut in locum Iudae proditoris, qui se laqueo enecaverat, alter subrogaretur. Assenserunt omnes, et post fusas ad Deum preces Matthias in apostolicum collegium adscitus fuit. Decimo post Iesu Christi in coelum ascensionem die, ipso festo Pentecosteos Iudaeorum, Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, cuius adventum indicabant sonitus vehementis venti, totam domum implentis, et dispertitae linguae tanquam ignis. Apostoli virtute Spiritus Sancti, subito in alios homines immutati, omnem rerum divinarum veritatem edocti, omni formidine exuti, mox in publicum prodierunt, et diversis linguis, sibi antea incognitis, laudes Dei celebrarunt. Aderant Hierosolymis Iudaei propter festum Pentecosteos ex Asiae, Africae et Europae provinciis; qui stupebant omnes et mirabantur, cum audirent Apostolos loquentes linguis, quae sibi singulis erant propriae. Petrus vero, qui inter omnes Apostolos primatum tenebat, coram omnibus Iudaeis Iesum, Messiam ac Dominum, intrepide praedicavit, ad completa in eo Prophetarum vaticinia, ad eius miracula et resurrectionem provocans; omnes ad cordis conversionem et baptismi susceptionem hortatus est. Nec frustra, tria enim hominum millia sermone eius mota, baptismum susceperunt; arctiusque inter se et cum Apostolis et Christi discipulis coniuncta primam ecclesiam Hierosolymis constituerunt. Credentium numerus Apostolorum sermonibus et miraculis continuo auctus est. Cum quadam die Petrus virum ex utero matris claudum et ad portam templi stipem ab introeuntibus petentem, solius nominis Iesu invocatione curasset, coram multitudine eo miraculo attonita, de Iesu Christo tanta efficacia sermonem fecit, ut numerus credentium ad quinque virorum millia incresceret.

Petrus et Ioannes apprehensi, a Iudaeorum sanhedri, seu magno concilio, interrogati sunt, qua virtute aut quo nomine memorato claudo gressum tradiderant. Petrus summa animi libertate causam dixit, do-

---

[1] Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 13.

[2] S. Iustin., *Apolog.* I, n. 35; Tertullian., *Apolog.* c. 5 et 21; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 2. Cf Bolland., *Act. SS.* 5 februar.; item, *Bible d'Avignon*, tom. XIII, p. 513.

[3] *Antiquat. iud.* l. XVIII, c. 4. Hoc Iosephi testimonium esse genuinum contra quosdam recentiores probarunt Natalis Alexander, *Hist. eccl. V. T.* diss. X; Pagi, *Critica in Baronii Annales* ad an. 32; H. Valesius, *Adnotat. in Eusebii Hist. eccl.* l. I; G. Caveus, *Historia litteraria*; Huet, *Démonstrat. Evangel.* prop. III; Honoratus a s. Maria, *Regul. crit.* t. III, dis. 4; C. Daubuz, *Pro testimonio Fl. Iosephi de Iesu Christo libri II*, Londini 1706; I. C. Ditmarus, *Dissertatio hist. eccl. in Fl. Iosephi testimonium de Christo*; D. Martin, *Dissertation critique sur le passaye de Joseph touchant Jésus-Christ*, etc.

[4] *Commentar. in Timaeum.*

[5] *Saturnal.* l. II, c. 4.

[6] *Olympiad.* l. XIII.

[7] *Annal.* l. XV, c. 44.

[8] Cf Euseb. *Demonstratio evangelica*; Huet, *Démonstrat. Evangél.*; Houteville, *La vérité de la religion chrétienne prouvée par des faits*; Bullet, *Histoire de l'établissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et païens*; Duvoisin, *Démonstration Évangélique.*

ctrinae suae rationem reddidit, Iesum Christum eiusque resurrectionem confessus est, eum esse Messiam et non nisi per eum salutem obtineri posse affirmavit. Ad interdictum, ne deinceps Iesum praedicarent, ambo responderunt, Deo magis quam hominibus esse obediendum. Post quae a sanhedri dimissi sunt.

Apostoli autem missionem suam et doctrinam signis multis seu miraculis confirmabant; ea palam faciebant, erantque tam evidentia, ut nec sacerdotum Iudaeorum principes aut Sadducaei aut alii ea negare auderent. Non tantum Hierosolymitani, sed multi etiam e finitimis civitatibus ad Apostolos accurrebant, adferentes secum infirmos et a spiritibus immundis vexatos, qui curabantur omnes. Hinc factum est, ut credentium in Dominum multitudo, virorum et mulierum, in dies augeretur.

Id principum sacerdotum et Sadducaeorum invidiam auxit, iniectisque in Apostolos manibus, eos in carcerem detruserunt. Apostoli noctu ministerio angeli e carcere educti, diluculo in templo docebant. In sanhedrim perducti, eadem constantia Iesum Christum a mortuis resurrexisse, eumque esse hominum Salvatorem confessi sunt. Sacerdotes exasperati de inferenda Apostolis nece consilium inierunt; sed Gamalielis legis doctoris consilio dissuasi, eos virgis caesos dimiserunt. Apostoli gaudentes, se dignos haberi pro nomine Iesu contumeliam pati, non cessarunt in templo et per domos praedicare Christum.

Ii vero qui crediderant, *erant perseverantes*, inquit s. Lucas, *in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* [1], *et orationibus.* Tanta erat inter eos charitas, ut multitudinis esset cor unum et anima una, essentque iis omnia communia. Qui domos aut agros possidebant, eorum pretia Apostolis offerebant dividenda singulis prout cuique opus erat. Quanta vero mentis sinceritate in nova Ecclesia Deus coli vellet, ostendit terribili eventu; nam Ananias eiusque coniux Saphira, cum partem pretii, quod Domino voverant, sibi retinuissent, repentina morte percussi fuerunt [2].

14. *Primi diaconi*—Admirabilis fidelium in ecclesia Hierosolymitana concordia et unitas in periculum venerunt per murmur, quod ortum est inter Iudaeos conversos ex Hebraeis et ex Hellenistis seu Graecis. Querebantur posteriores, quod in eleemosynarum seu mensae partitione viduae suae despicerentur. Igitur Apostoli congregatis fidelibus dixerunt, ut, cum ipsi docendi munere occupati, eleemosynarum distributioni praeesse non possent, eligerent septem viros boni testimonii, plenos Spiritu S. et sapientia. Electi sunt Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, Nicolaus; quos Apostoli orantes et manus eis imponentes, ordinarunt diaconos, non solum ut ministerio mensae et eleemosynarum distributioni praeessent, sed etiam ut sacris officiis in Ecclesia fungerentur, episcopos et sacerdotes in divini verbi praedicatione et sacramentorum administratione adiuvarent [1]. Quibus compositis, Apostoli liberius praedicationi institerunt, numerusque discipulorum valde multiplicabatur. Multi etiam e sacerdotali Synagogae ordine, illorum sermonibus et prodigiis persuasi, christianae Fidei obediebant [2].

15. *Persecutio Hierosol.*—Tantis rei christianae incrementis irritati Iudaeorum antistites, Pharisaei et Sadducaei, novum adversus Christum eiusque Ecclesiam inierunt consilium. Maxime eis invisus erat Stephanus diaconus, quod miracula plura faceret coram populo, nullusque sapientiae eius et sermonibus resistere posset. Quare eum vinctum duxerunt in iudicium. Is vero fidei suae rationem redditurus, paucis percurrit gentis suae historiam; pluribus disseruit de Mose et de Christo; huncque novum Legislatorem ac verum Mediatorem inter Deum et homines praedicavit. Illi vero furore perciti, raptum extra urbem Stephanum lapidibus obrui iusserunt.

Ab hac protomartyris nece persecutio in ecclesiam Hierosolymitanam invaluit. Multi in vincula coniecti sunt. Alii, Apostolis Hierosolymis manentibus, se per Iudaeae et Samariae regiones disperserunt. Nonnulli etiam Phaeniciam, Cyprum, Damascum, Antiochiam et aliorsum perambularunt. At simul cum ipsis effundebatur Evangelii lumen. Diffusi quippe discipuli *pertransibant evangelizantes verbum Dei* [3]. A Iudaeis a-

[1] Idest in participatione panis eucharistici, seu corporis Christi, ut explicat Apostolus, *I ad Cor.* X.
[2] *Act. Apost.* I-V.

[1] Primos diaconos potissimum ad ministerium sacrum ab Apostolis fuisse ordinatos, confirmatur e requisitis in eis vitae sanctitate et sapientia, ex adhibitis in eisdem ordinandis oratione et manus impositione, et ex antiquissimorum Patrum testimoniis de diaconorum officiis. Cf Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 7; I. L. Selvaggi, *Antiquitat. christian.* l. I, part. II, c. 2; Mamachi, *Dissertatio de septem diaconis*, Rom. 1749.
[2] *Act. Apost.* VI.
[3] *Act.* VI-IX.

gitati, alius alio gentium, ait s. Gregorius Nyssenus, per orbem terrarum dispersi sunt, undique per mysteriorum sacrorum doctrinam diabolum exturbantes[1]. Ita, disponente illo, qui etiam e malis novit eruere bona, propediem non Hierosolymis tantum, sed et in omni Iudaea, Galilaea et Samaria crescebat Ecclesia Dei[2].

16. *Conversio Sauli seu Pauli*—Maximus autem Hierosolymitanae ecclesiae persecutor extitit Saulus, Tarso, Ciliciae metropoli, oriundus, et a celebri Gamaliele litteris sacris iuxta iudaicum ritum institutus. Pharisaicorum rituum ardentissimus sectator et christiani nominis hostis infensissimus, tantis ecclesiam Hierosolymitanam afflixerat malis, ut eorum fama quaquaversum esset vulgata. Praeterea obtinuit a sacerdotum principe litteras, quibus ei potestas dabatur ad synagogas Damasci, quo plures fideles persecutionis causa confugerant, ut quoscumque illic reperiret Christi cultores, vinctos Hierosolymas perduceret. Sed ecce! prope Damascum Saulus, *adhuc spirans minarum et caedis* in discipulos Domini, subita luce circumfusus, terraeque allisus, excaecatus, et apparentis Christi voce perterritus, repente se ad illum convertit, in timore et tremore exclamans: *Domine, quid vis me facere?* Divino monitu in urbem ad Ananiam, Christi discipulum, perductus, postque dies aliquot ab eo baptizatus, lucem animi simul et oculorum accepit. Damasci synagogas ingressus, eumdem Iesum, cuius discipulos tantis furiis persecutus fuerat, praedicare coepit, illum Christum, seu promissum a Deo Messiam et Filium Dei esse docens[3].

17. *Ecclesiae extra Ierusalem*—Interea etiam extra Ierusalem per discipulorum dispersionem credentium numerus augebatur et ecclesiae constitutae sunt. Ex istis praedicatoribus precipuus fuit Philippus, unus e septem primis diaconis, qui primo Samariae tum verbo tum editis miraculis multos ad Evangelium et baptismum suscipiendum induxit. Quod cum ad ecclesiam Hierosolymitanam esset perlatum, apostoli Petrus et Ioannes Samariam profecti sunt, ut baptizatos a Philippo confirmationis sacramento confortarent: *Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*[4].

---

[1] *Sermon. de s. Stephan.*
[2] *Act.* IX.
[3] *Act.* IX.
[4] *Act.* VIII, 5-17. « Hinc ecclesiarum consuetudo obtinuit, inquit s. Hieronymus (*Dial. adv. Lucif.*), ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus a presbytero et diacono baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus S. manum impositurus excurrat ».

Petrus et Ioannes confirmatis Samaritanis, regressi sunt Hierosolymam, per omnem circa regionem evangelizantes. Philippus vero angeli monitu transiit Gazam; in via eunuchum Candacis reginae Æthiopum, Hierosolymis, quò religionis causa iverat, erat quippe Iudaeorum proselytus, in patriam redeuntem, ad fidem Christi convertit et baptizavit. Postea in urbibus mari mediterraneo propinquioribus, Azoto, Ioppa, Lydda, Sarona, postremo Caesareae felici cum successu Evangelium praedicavit[1].

Eodem tempore etiam extra Palaestinam in Phoenicia, in insula Cypro, Antiochiae metropolis Syriae, nonnulli discipuli, qui Hierosolymis aufugerant, Iudaeis Evangelium annuntiabant.

Sopito persecutionis incendio, *Ecclesia per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur*[2]. Petrus quod muneris sui esset universo Christi gregi prospicere, ea tranquillitate usus est ad invisendas et confirmandas Palaestinae ecclesias. Lyddae Æneam paralyticum prodigiose sanavit; Ioppae Tabitham ad vitam revocavit; quo factum est, ut multi Lyddae, Saronae et Ioppae ad Fidem christianam converterentur. Quum Petrus Ioppae ageret, coelesti visione didicit, gentiles quoque ad Religionem christianam esse admittendos; moxque Caesaream Palaestinae ad Cornelium, centurionem Romanum, rogatus veniens, eum eiusque familiam ad Iesum Christum convertit et baptizavit[3]. Ita Petrus, princeps apostolici collegii, primus Iudaeis et gentilibus Evangelium annuntiavit: *Qui omnium pastor fuit a Domino institutus*, inquit s. Chrysostomus, *ex omnibus nationibus cogere coepit oves*[4].

Quum fideles Hierosolymitani audivissent, quod Petrus communicasset cum gentibus, nonnihil perturbati sunt; at ubi ab eo, Hierosolymas reduce, omnem rem gestam ac divinum consilium de gentium vocatione didicerunt, *glorificaverunt Deum, dicentes: ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam*[5].

---

[1] *Act.* VIII.
[2] *Act.* IX.
[3] *Act.* IX-X.
[4] *Homil.* III *ad populum Antioch.*, et IV *in Act. Apost.*
[5] *Act.* XI, 1-18.

18. *Apostolorum Symbolum et dispersio* — Tunc Apostoli, qui hactenus solis Iudaeis Evangelium praedicarant, in unum convenientes, de universo terrarum orbe Ecclesiae aggregando consilium inierunt. Priusquam se in diversas regiones dividerent, Fidei symbolum composuerunt, quod praecipua christianae Fidei capita continens, esset veluti tessera eorum, qui intra Ecclesiae castra Christo nomen darent [1]. Tum secundum divinum mandatum: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae* [2], ad disseminandum Evangelium quaquaversum profecti sunt, primum quidem in terras Iudaeae conterminas, dein in remotiores telluris plagas.

S. Petrus, Apostolorum princeps, Antiochiam Syriae metropolim petiit, et Antiochenae ecclesiae episcopatum fundavit, quem annis septem administravit [3]. Inde in vicinas provincias ad disseminandum Evangelium, fundandasque ecclesias pertransiit, donec, imperante Claudio, Romam profectus est.

De caeteris undecim Apostolis, in quas regiones singuli profecti sint, de eorum gestis et mortis genere, si s. Iacobi maioris martyrium excipias, silet s. Lucas in Actis Apostolorum. Hic iis, quae traditio probabilior nobis conservavit, acquiescere debemus.

S. Andream speciatim in Scythia praedicasse Evangelium, ex Origene scribit Eusebius [4]. Achaiam addit s. Hieronymus [5]. Patris in Achaia crucis supplicio martyrium subiisse dicitur. Extant Acta eius martyrii, a presbyteris et diaconis Achaiae conscripta, sed utrum ea sint authentica, disputant eruditi [6].

S. Iacobus dictus Maior in Iudaea et vicinia apostolatu functus est. Sub Herode Agrippa, qui Caii Caligulae et Claudii favore regnum Iudaeae acceperat, gladio interemptus fuit. Eum in Hispania Evangelium praedicasse, fert Hispanorum traditio; sed contradicunt scriptores haud pauci [1].

S. Ioannes, Iacobi frater, potissimum in Asia fidem propagavit; ubi Ephesinam aliasque ecclesias rexit [2].

S. Thomam Parthis Evangelium annuntiasse, testatur Origenes [3]. Eum in Indiam quoque pervenisse, scribunt ss. Ambrosius [4] et Hieronymus [5].

S. Matthaeus in Æthiopiam Christi fidem intulit secundum Rufini [6] et Socratis [7] testimonia. Persidem addit s. Ambrosius [8].

S. Bartholomaeum inter Indos, Æthiopiae proximos, Evangelium disseminasse, Eusebius [9], Socrates [10] et s. Hieronymus [11] tradunt.

S. Philippus in utramque Phrygiam Evangelium intulit, et Hierapoli martyrium passus est [12].

S. Iacobus dictus Minor, Hierosolymitanae ecclesiae episcopus constitutus fuit [13].

S. Simonem dictum Zelotem, in Ægypto, Cyrene, Lybia, Africa minori, Numidia et Mesopotamia Evangelium annuntiasse, tradunt Nicephorus Callistus, Isidorus, alii [14].

S. Iudas Thaddaeus in Palaestina, Idumaea, Syria, Mesopotamia et Armenia praeconis evangelici officio functus dicitur.

S. Matthiam in Æthiopia exteriori seu Colchide Evangelium propagasse, tradunt s. Hieronymus [15] et Nicephorus Callistus [16].

Apostolicos labores D. Petri, Apostolorum principis, et D. Pauli, qui, ut scribit s. Clemens Romanus, *in Oriente ac Occidente*

---

[1] Apostolos esse auctores Symboli, quod eorum nomine insignitur, ex constanti traditione et antiquissimorum Patrum testimoniis probatur. Videsis Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 12; I. L. Selvaggi, *Antiquit. christ.* l. I, part. II, c. 18; Cuperus, *De divisione Apostolor.*, *Acta SSrum.* t. IV iul. p. 7 sq ; D. Ceillier, *Hist. génér. des auteurs eccl.* t. I.

[2] Marc. XVI, 15.

[3] D. Petrum episcopatum Antiochenae ecclesiae fundasse, eumque, annis circiter septem tenuisse, constat e testimoniis Origenis, *Homil.* VI *in Luc.*; Eusebii *Chron.*, et *Hist. eccl.* l. III, c. 36; s. Ioannis Chrysostomi *Serm.* 12, *Opp.* t. V, p. 163; s. Hieronymi *Catal.* c. 1 et 16; s. Gregorii M., l. VII *Epist.*, 40; s. Leonis M. *Epist.* 92 *ad Maxim. Antioch.* Cf Baron., *Adnotat. in Martyrol. Rom.* ad 18 ian.; Bolland., *Acta SS.* t. II, p. 182; Bianchini, *Vitae RR. Pontif.* Diss. *de Romana cathedra*, t. IV, p. 150; A. Sandini, *Dissertat.* II, *de Cathedra Petri Antiochena.*

[4] *Hist. eccl.* l. III, c. 1.

[5] *Epist.* 148 *ad Marcellam.*

[6] Tillemont, *Mémoires pour servir à l'hist. eccl.* t. I, p. 320 ; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. I, c. XII, a. 10; Migne, *Patrol. cursus complet.* ser. Graec. Lut. Paris., t. II.

[1] Cf Bolland., *Acta SS.* t. VI iul. p. 69; Natal. Alex., loc. cit. diss. XV.

[2] S. Iren., l. III, c. 3; Euseb., ibid. c. 23; s. Hieron., *Catalog.*

[3] Euseb., ibid. c. 3.

[4] *In Psalm. XLV.*

[5] *Catal.* cit. — [6] *Hist. eccl.* l. I, c. 32.

[7] *Hist. eccl.* l. I, c. 19.

[8] Loc. cit. — [9] *Hist. cit.* l. V, c. 10.

[10] Ibid. l. I, c. 33.

[11] Loc. cit.

[12] Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 31; Theodoret., *in Psalm. CXVI.*

[13] S. Hieron., *Catal.*

[14] Nicephor. Call., *Hist. eccl.* l. II, c. 10. Cf Selvaggi, *Antiquit. christ.* t. I, p. 21, edit. Patav. 1780.

[15] *Catal.*

[16] *Hist. eccl.* l. II, c. 40. Cf Cuper. *De divisione Apostol.* — *Acta SSrum*, t. IV iul. p. 7 sq, et Papebroch. *Propylaeum Act. SSrum*, t. I, p. 12 sq.

verbi praeco factus, illustrem fidei suae famam sortitus est, in iustitia mundum universum instruens [1], per decursum narrabimus.

En apostolicae missionis primordia. Sed quanta divinae huic eorum missioni obstabant! In primis vincenda erat durissima Iudaeorum obstinatio, immutandae eorum praeconceptae de Messia, eiusque regno opiniones. Debellanda gentium inveterata idololatria et destruendi impii ritus. Corrigendi perversi populorum affectus ac pessimi mores. Ingerenda eorum animis Religio, terrarum incolis inaudita, sacris gentium institutis adversa, vigentibus opinionibus contraria, passionibus inimica; Religio, quae Iesum crucifixum humani generis Salvatorem, et verum Deum, verumque hominem praedicabat. Interim Apostoli ad docendas universas gentes proficiscuntur. Omni humano praesidio destituti, egentes, despecti, nunc contumeliis, nunc vinculis, nunc verberibus excepti, Christum annuntiant, Evangelium praedicant. Et ipsis loquentibus, ipsis prodigia patrantibus, simulacrorum et idolorum cultus corruit, populi regenerantur, mores immutantur, orbis innovatur, et ad gloriosum Crucis Christi vexillum et Tribus et Linguae incurvantur. Utique *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* [2].

19. *Caligula imperator Romanus* (*an.* 37) — Moderabatur interea Romanum imperium Tiberius, qui anno post Christum natum 37, magno totius populi gaudio ob regiminis duritiem, extinctus est. Successit ei Caius Caligula, qui imperii sui initio magnam sui spem Romanis fecit; at brevi post eo sevitiae ac dementiae progressus est, ut Tiberii tyrannidem excesserit, et pro deo coli optans, ubique aedes sacras sibi extrui, suamque statuam in templo Hierosolymitano excitari iusserit. Is Pontium Pilatum, iam sub Tiberio Romam ad iudicium evocatum, Viennam Galliae relegavit, ubi ille criminis sui, in mundi Salvatorem admissi, vindex, seipsum interemit. Herodem Antipam, qui Herodiadis suasu s. Ioannem Baptistam decollaverat, Lugdunum in Galliis relegavit, quo infaustam eius sortem Herodiades secuta est [3]. Agrippam Herodem, Aristobuli filium, a Tiberio in carcerem coniectum, vinculis solvit, et catena aurea donatum, ad regiam dignitatem in Philippi et Lysaniae tetrarchiis evexit; sed id penes Ægyptios, maxime Alexandrinos, tantam invidiam, furoremque in Iudaeos excitavit, ut saxis, fustibus, ferro et igne in Iudaeos, viros ac mulieres, parentes ac filios, saevitum fuerit [1]. Eodem tempore Seleuciae tanta facta est in Iudaeos coniuratio, ut in ea quinquaginta eorum millia a Syris et Graecis interempta fuisse, scribat Fl. Iosephus [2]. Ita obstinati Iudaei tum Romanorum procuratorum, militumque immanitate, tum vicinarum gentium odiis, tum domesticis factionibus oppressi, ultricem divinae iustitiae manum experiebantur, debitasque poenas pro commisso in Christum crimine luebant.

20. *Antiochena Ecclesia*—Contra Ecclesia Christi magis magisque propagabatur. Apostolus Petrus, postquam Antiochiae in Syria cathedram suam posuisset, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia et Asia Iudaeis Evangelium annuntiavit et ecclesias instituit [3]. Antiochena ecclesia e conversione tum ethnicorum tum Iudaeorum quotidie augebatur. Quod cum audivisset ecclesia Hierosolymitana, Antiochiam allegavit s. Barnabam, virum plenum Spiritu S. et fide, ut quae illic in conversione gentilium feliciter coepta fuerant a quibusdam discipulis Cypriis et Cyrenaeis, perficeret. Barnabas hanc missionem ita executus est, ut credentium, qui ibi primum Christiani appellati sunt, numerus in dies cresceret. Anno circiter 38 Barnabas in laboris socium Antiochiam accersivit Saulum, a Deo ad conversionem gentium specialiter electum. Saulus post suam conversionem in partibus Damasci aliquandiu Christum praedicarat, multosque Iudaeos ad Fidem converterat. Dein ad declinandas insidias, quas ei struebant obstinati Iudaei, confugerat Hierosolymam. Quum neque hic secure ageret, Caesaream, hincque Tarsum petierat, et in patrio solo verbum Dei praedicavit, donec a s. Barnaba vocaretur Antiochiam. Eorum praedicatione Antiochena ecclesia brevi primam post Hierosolymitanam celebritatem accepit [4].

21. *Claudius imperator Romanus* (*an.* 41)— Quum imperator Caius Caligula propter suam saevitiam Romanorum odium in se concitaret, anno imperii sui IV a Chae-

[1] *Epist. I ad Corinth.* n. 5.
[2] *Psalm.* CXVIII, 23. Admirabilis Evangelii propagationis testimonia infra indicabimus.
[3] Fl. Ioseph. *Antiquit. iud.* l. XVIII, c. 2 et 7; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 4 et 7.

[1] Philo, *in Flac.*, et *Legat. ad Caium.*
[2] *Antiquit.* l. XVII, c. 12.
[3] *I Petri*, I, 1-2; Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 1.
[4] *Act.* IX-XI; *Epist. ad Galat.* I.

rea Cassio, cohortis praetoriae tribuno, occisus est. In eius locum imperator salutatus fuit Tiberius Claudius. Hic Agrippae Herodis regno addidit Iudaeam et Samariam; et sub eius imperio Iudaei paululum respirarunt, sed durissimam famem experti sunt.

Hanc calamitatem praedixerat Agabus propheta, ideoque Christiani, qui erant Antiochiae, ad succurrendum egestati fratrum suorum in Palaestina, collecto aere, opportunissima subsidia per Saulum et Barnabam in Iudaeam miserunt [1].

22. *Agrippa persequitur christianos*— Agrippa rex, nova sibi ab imperatore Romano facta fortuna insolescens, ut erat Iudaicorum rituum studiosissimus servator, prosperum rerum christianarum statum nova persecutione turbare coepit. Venerant iis diebus Ierusalem Petrus et Iacobus dictus Maior. S. Iacobus egregiam operam propagando per Iudaeam Evangelio navarat. Ideo obstinati Iudaei ipsum valde oderant. Agrippa captare volens Iudaeorum gratiam, sanctum apostolum gladio interemit. Petrum quoque comprehendit et in carcerem coniecit, simili supplicio tollendum. Sed fusas ab omni Ecclesia pro communi pastore preces Dominus exaudivit, et vinctum non despexit: misit angelum, qui Petrum, solutis vinculis, e carcere eduxit [2].

Agrippa vero brevi post criminis sui poenas dedit: profectus Caesaream, et acclamante populo in theatrum prodiens, subito ab angelo percussus est, ac viscerum doloribus, corporisque putredine excruciatus, anno post Christum natum 44 animam exhalavit. Ex quo tempore Iudaea rursum ut provincia imperii Romani per procuratores administrata est [3].

23. *Petrus cathedram Romae constituit* (*an.* 42) — Anno Claudii imperatoris II, secundum Eusebii et s. Hieronymi computationem, Petrus Apostolorum princeps Romam perrexit [4], et primam Ecclesiae cathedram in ipsam imperii Romani urbem dominam transtulit, Antiochenae Ecclesiae praefato Evodio. « Beatissimus Petrus, inquit s. Leo, princeps apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii: ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet [1] ». Verum quanta huic missioni obstabant! « Hic, pergit idem s. Leo, conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates, hic confutandus daemonum cultus, hic omnium sacrificiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid usquam fuerat variis erroribus institutum [2] ».

Interim Petrus cathedram cum omni supremi pontificatus iure Romae constituit. In ea post eum successores serie non interrupta sederunt, et modo sedet ss. Pontifex noster Leo XIII. Iam inde a fundata Romae a Petro cathedra saecula octodecim elapsa sunt, generationes generationibus successerunt, Romanorum imperium corruit, regna cum humani ingenii institutionibus susque deque revoluta et immutata sunt; Petri vero cathedra post persecutionum tempestates, post barbarorum incursiones, post regnorum vicissitudines inexpugnabilis stetit. Utique *manus Domini fecit hoc* [3].

Porro e Romano Petri pontificatu factum est, ut Romani pontifices, hique soli utpote Petri successores, primatum honoris et iurisdictionis, a Christo Petro eiusque successoribus collatum, in universam Ecclesiam haberent. Equidem saeculo XVI quidam novatores asserere ausi sunt, Petrum nunquam Romam venisse, saltem non fuisse huius urbis episcopum [4]. Verum s. Petrum Romam venisse, huiusque Ecclesiae episcopatum instituisse et gessisse usque ad martyrium, quod ibi subiit, ita compertum et exploratum est, ut nihil testatius in ulla sive romana sive graeca historia reperiatur. Confirmatur id ex ipsius Petri I epistola [5], et testimonio Patrum primi et sequentium saeculorum, ex omnibus Romanorum Pontifi-

[1] *Act.* XI; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 8.

[2] *Act.* XII; Euseb., l. II, c. 9.

[3] *Act.* ibid.; Euseb., *ibid.* c. 10; Fl. Ioseph., *Antiquit. iud.* l. XIX.

[4] Euseb. *Chronicon*; s. Hieron., *Catalogus virorum illustrium.*—At Petrum in Romano itinere plures populos Evangelii praeconio imbuisse in dubium revocari nequit. Inter eos extitisse Neapolitanos constans est eiusdem Ecclesiae traditio, quam contra Iannonium propugnarunt p. Bianchius, t. III operis inscripti: *Della Potestà, e Politia della Chiesa*, Selvaggius in *Antiquit. christian. Institut.* l. I, c. 6, Scherillus, *Della venuta di S. Pietro Apostolo nella città di Napoli della Campania.*

[1] *Serm.* I *de ss. Apost. Petro et Paulo.*

[2] Ibid.

[3] Isaias XLI, 20.

[4] Primus omnium, teste card. Bellarmino, *De R. Pontif.* l. II, c. 1, id asseruit Guilielmus praeceptor Ioannis Wicleff. Post illum Ul. Velenus in libro de ea re edito; Illyricus, *Contra primatum Papae*; Calvinus, *Instit.* l. IV, c. 6; Magdeburgenses, *Centur.* I, lib. II, c. 10; Salmasius, *Apparat. ad libros de primatu Papae*; Spanhem., *Dissert. de ficta profectione Petri apost. in urbem Romam.*

[5] V, 13.

cum catalogis et e constanti atque perpetua Ecclesiae traditione [1].

24. *Apostolatus Sauli et Barnabae* — Postquam Saulus et Barnabas de christianae rei augmento Antiochiae optime meruissent, monente Spiritu S., ad executionem apostolici muneris, ad quod electi erant, praemissis ieiunio et oratione manuum impositione consecrati sunt [2]. Quo facto, comite Ioanne Marco per provincias Asiae minoris Evangelium praedicarunt. Adierunt primum Seleuciam Syriae; inde navigarunt Cyprum; cumque venissent Salaminam, praedicarunt verbum Dei in synagogis Iudaeorum. Percurrentes totam insulam venerunt Paphum, ubi Saulus ad Christi fidem convertit proconsulem Sergium Paulum; ex quo tempore ipse Saulus nomen Pauli assumpsisse videtur. Papho navigantes venerunt Pergen Pamphiliae, hincque Antiochiam Pisidiae metropolim, ubi complures ad Christum converterunt. Post dies aliquot excitato ab obstinatis Iudaeis tumultu, petierunt Iconium, ubi sermone et miraculis eorum magnus Iudaeorum et gentilium numerus in Christum credidit [3]. Ex horum numero fuit B. Thecla, multis laudibus propter virginitatis et martyrii palmam a Patribus celebrata [4]. Exorta in praecones Evangelii conspiratione, ii secesserunt in Lycaoniam, Lystrae, Derbes et in omni circuitu evangelizaverunt. Quum Lystrae Paulus claudo gressum reddidisset, Lystrenses ad tantam rapti sunt admirationem, ut Paulo et Barnabae divinos honores de ferre cogitarent. Paulo post obstinati Iudaei tantas turbas concitarunt, ut apostolus Paulus lapidibus appetitus vix necem evaserit. Quare apostolici viri inde digressi, Derben, Iconium, Antiochiam Pisidiae reviserunt, neocredentes in Fide confirmarunt, constitutisque per civitates presbyteris, episcopis et sacerdotibus, qui christianorum coetus regerent, Antiochiam Syriae, unde profecti fuerant, remigrarunt. Eo reduces congregatae ecclesiae narrarunt, quanta Deus eorum ministerio in Iudaeorum et gentium conversione operatus esset [1].

25. *S. Petri I Epistola* — Petrus Apostolorum princeps Romae et in finitimis locis Evangelium praedicabat eo cum successu, ut plurimi ad Christum converterentur tum e Romanis tum e Iudaeis illic commorantibus. Memor eorum, quos antequam Romam tenderet, in Asiae provinciis e circumcisione ad Christi fidem perduxerat,ex eadem urbe, Roma, quam utpote imperii et falsorum numinum caput vocat Babylonem [2], ad illos epistolam scripsit. In ea commendat admirandum Dei consilium in mysterio incarnationis, beneficium redemptionis, destinatamque fidelibus regni coelestis haereditatem; fideles hortatur, ut sancte vivant et Deo fideliter serviant in fide, humilitate et patientia; deinde disserit de officiis diversorum statuum.

26. *Evangelia*—Sub idem tempus s.Marcus, D. Petri discipulus et interpres, rogantibus Romanis christianis, ex iis, quae a Petro audiverat, Evangelium seu memorabilia Iesu Christi facta et dicta scripsit; quod Petrus auctoritate sua approbavit, ut in ecclesiis legeretur [3]. Iam ante eum s. Matthaeus, priusquam in provinciam sibi commissam praedicaturus Fidem abiret, Evangelium copiosius scripserat [4]. Anno 51 secundum codices graecos vel 53 iuxta multos auctores, s. Lucas, perigrinationum D. Pauli comes, etiam scripsit Evangelium, tum ut nonnulla Salvatoris facta eorumve adiuncta, a Matthaeo et Marco praetermissa, suppleret, tum ut historias, quas quidam de Iesu Christo minus sincere aut e falsis rumoribus scripserant, corrigeret [5]. Post hos tres s. Ioannes apostolus, rogantibus episcopis Asiae, Iesu Christi Evangelium scripsit, in quo praetermissis variis factis, ab illis narratis, ea maxime retulit, quae divinitatem Christi spectant contra haereses Cerinthianorum et Ebionitarum, tunc temporis exortas [6].

27. *Scripturae apocryphae* — Praeter haec quatuor Evangelia, quae Ecclesia con-

---

[1] Videsis card. Bellarmin, *Controvers. de R. Pontif.* l. II, c. 1-4; Iud. Coccius, *Thesaurus catholicus*, t. I, l. 7, a. 5; Schelstrate, *Antiquit. Ecclesiae illustrat.* t. II, diss. 3; Foggini, *De Romano s. Petri itinere et episcopatu exercitationes hist. criticae*, Florent. 1719; Haukius, *De Romanarum rerum scriptoribus*, l. II, p. 1, c. 8; Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 13; Sandini, *Disputatio* III *de cathedra D. Petri Romana*; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 6-7.

[2] *Act.* XIII, 1-3.

[3] *Act.* XIII.

[4] Tillemont, *Mémoires*, t. II, p. 60; Bolland, *Acta SS.* t. VI sept. — Acta vero ss. Theclae et Pauli a viris eruditis passim adnumerantur scriptis apocryphis.

[1] *Act.* XIV.

[2] *I Petri* V, 13; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 15; s. Hieron., *Catal.*

[3] Euseb. et s. Hieron., loc. cit.

[4] Cf Baron., *Annal.* ad an. 41.

[5] S. Hieron., loc. cit. et in *Prolegom. in Matth.*; s. Augustin., *De consens. Evang.* c. 8.

[6] Baron., ad an. 99.

stanter in canone ss. Librorum numeravit, alia pseudo-evangelia in lucem prodierunt, nimirum Evangelium XII Apostolorum, Proto-evangelium s. Iacobi, Evangelii ss. Petri, Thomae, Iudae, Evangelia secundum Hebraeos et secundum Ægyptios, alia. Haec vel ab imperitis christianis vel ab haereticis sunt conficta, ab Ecclesia numquam in s. Canonem recepta a veteribus Patribus constanter reiecta et a Gelasio Pp. I an. 494 in Romana synodo apocrypha declarata sunt [1]. Idem esto iudicium de Actis ss. Petri et Pauli, Ioannis, Philippi, Thomae, de Revelationibus et Apocalypsi ss. Petri, Pauli et Thomae [2]. Extant etiam sub nomine Apostolorum Petri, Iacobi, Matthaei, Marci liturgiae, quae saltem ut hodie compositae sunt, iis arrogantur. Forte Apostolis attributae sunt, quod fuerint compositae e ritibus, ab Apostolis iis ecclesiis, quas fundarunt, traditis et progressu temporis locupletatis. Liturgia enim Apostolorum aevo pro temporum circumstantiis simplex erat, consistebatque potissimum in ss. Eucharistiae seu sacrificii oblatione, consecratione et sumptione, in Sacramentorum ritibus, in oratione Dominica, Psalmorum cantu, s. Scripturae expositione, fidei professione, obsecrationibus, postulationibus et gratiarum actionibus. Progressu temporis primaeva liturgia variis caeremoniis aucta est, tum ad maiestatem divinorum mysteriorum commendandam, tum ad fidelium mentes ad eorum contemplationem excitandas. Et quum in hac re, exceptis iis, quae ad sacrificii et sacramentorum naturam pertinent, non eadem fuerit omnium ecclesiarum disciplina, plures et variae liturgiae exortae sunt [3].

28. *Lis de legis Mosaicae observantia*— E controversiis christianis antiquissima est ea, quae de observantia Mosaicae legis agitata fuit. Nonnulli Iudaei conversi contendebant, circumcisionis aliorumque veterum legalium observantiam christianis omnibus sive e iudaismo sive ex ethnicismo esse necessariam ad consequendam salutem. Id praecipue Antiochiae contenderunt contra christianos ex ethnicismo, qui circumcisionis aliorumque rituum V. Legis molestias recusabant; unde non exigua commotio in ecclesia Antiochena orta est. Quam cum Paulus et Barnabas, pro libertate a V. Legis servitute certantes, sedare non possent, utrique parti placuit, ut controversia per legatos deferretur Hierosolymas, ab Apostolis et presbyteris ibi morantibus dirimenda.

Opportunissime tunc Hierosolymis aderat Apostolorum princeps Petrus, qui causa Claudiani edicti, quo Iudaei Roma pellebantur, in Orientem reversus erat. Ubi primum Paulus et Barnabas et qui cum ipsis erant, Hierosolymas venerunt, causamque missionis suae exposuerunt, Apostoli et seniores anno 50 in unum convenerunt, ut propositam quaestionem examinarent, sollemnique sententia rem definirent. Cum iam magna facta esset de praesenti negotio inquisitio, Petrus pro primatus iure, primus de eximendis a legalium observantia fidelibus sententiam dixit, ostenditque exemplo Cornelii centurionis, qui licet incircumcisus, Spiritum S. acceperat, Iudaeos et gentiles iustificari fide, quae per charitatem operatur, et salvari per gratiam Iesu Christi. Petri sententiam confirmarunt Paulus et Barnabas, narrantes quanta Deus eorum ministerio in gentibus fecisset. Illis perdocta oratione de gentium vocatione, Prophetarum oraculis praenuntiata, consensit apostolus Iacobus. Unde communi suffragio, dirigente Spiritu S. [1], sancitum est, conversis ad Christi fidem nihil ultra oneris imponendum praeter abstinentiam ab immolatis simulacrorum, a sanguine et suffocato atque fornicatione [2]. Soluto concilio, litterae per Paulum, Barnabam, Barsabam et Silam missae sunt ad Antiochenam, aliasque per Syriam et Ciliciam ecclesias, quibus significabantur quae in Hierosolymitano concilio fuerant decreta [3].

Ita Apostoli conciliis, quae deinceps in Ecclesia saepius celebrata sunt, formam dedere; et ad eorum exemplum ecclesiarum praesules per omnia saecula convenisse conspicimus tum ad controversias dirimendas,

---

[1] Cf I. A. Fabric., *Codex apocryph. N. Testamenti;* Covarruias, *Oper.* t. II, l. IV, c. 17.

[2] Ibid.

[3] Cf Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, c. 12, a. 3; Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I; Le Brun, *Explication de la Messe;* Renaudot, *Recueil d'anciennes liturgies orientales.*

---

[1] *Act.* XV, 28.

[2] Concilii decretum christianos ab observantia legalium solutos declarat; haec quatuor ipsis nominatim interdicit: fornicationem, quod eam minus gravem culpam esse cogitarent gentiles; esum carnium, quae idolis fuerant immolatae, atque suffocatum ac sanguinem. Tria posteriora solum ad tempus interdixerunt Apostoli, ut facilius christianorum e iudaismo et ethnicismo animi coalescerent. Iudaei enim esum sanguinis et suffocatorum aversabantur, et esum immolatorum idololatriae speciem esse suspicabantur. Cf Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 10.

[3] *Act.* XV.

sanctasque disciplinae regulas constituendas, tum ad haeresum et schismatum capita communi sententia conterenda[1].

Petrus paucis post diebus Hierosolyma discessit, revisitque ecclesiam Antiochenam. Illic primo quidem, neglectis legalibus, cum gentilibus conversis promiscue cibis vescebatur; sed quum quidam Hierosolymitani, legalibus ritibus, quamvis ab eorum observantia et Iudaeos et gentes exemptos declarasset Hierosolymitana synodus, iugiter addicti, Antiochiam adventassent, ne iis offendiculo esset, a gentilium convictu abstinuit. Paulus animadvertens, hoc Petri exemplo fideles passim et ipsum Barnabam disturbari, et ad victitandum ritu iudaico, iam abolito quamvis nondum illicito, induci, Petrum palam reprehendit. Petrus id, quod libertate charitatis a Paulo utiliter fiebat, praeclarissimae humilitatis pietate accepit, cum eo de antiquatis legalibus consentiens, licet ad modicum tempus Iudaeorum conversorum infirmitati ob causam modo allatam indulsisset[2].

Non defuerunt adhuc, qui christianis circumcisions Legisque V. necessitatem obtrudere pergebant, unde saepius contentiones et motus in pluribus ecclesiis praesertim Galatiae orti sunt. Iis in primis apostolus Paulus se opposuit, qui pro speciali sua ad praedicandum inter gentes Evangelium vocatione, ore et scriptis huiusmodi pseudo-doctores oppugnavit, ut epistolae eius praesertim ea, quam ad Galatas scripsit, testantur.

29. *S. Paulus Fidem praedicat in Macedonia et Graecia* — Post Hierosolymitanum concilium s. Paulus ad convertendos ad Christum populos novum iter apostolicum suscepit, cuius comitem assumpsit Silam, magnae auctoritatis doctorem. Primo visitavit ecclesias, iam in Syria et Cilicia fundatas. Lystrae charissimum Timotheum, optimae famae iuvenem, praedicationis socium sibi adiunxit; eum e matre Iudaea conversa sed patre gentili natum, ut gratior esset Iudaeis, secundum antiquatam legem circumcidit. Inde transeuntes Phrygiam et Galatiam, traiecerunt in Mysiam, descenderuntque Troadem. Hic Paulus in visione doctus, Evangelium esse praedicandum in Macedonia, in hanc profectus est comitibus Sila, Timotheo et Luca Antiocheno. In hac provincia Philippis, Thessalonicae et Beraeae Iesum Christum annuntiarunt; plures e Iudaeis et ethnicis ad Fidem converterunt et ecclesias instituerunt; sed etiam obstinatorum praesertim Iudaeorum persecutiones experti sunt. Beraea Paulus profectus est Athenas, quae erat Graeciae civitas celeberrima, sed prae caeteris idolorum cultui eiusque sequelis addicta. Paulus zelo pro Christo eiusque nomine incitatus, disputabat cum Iudaeis in synagoga et cum philosophis in foro. Introductus in Areopagum, celeberrimum iudicum consessum, et de doctrina sua interrogatus, doctissima oratione causam egit. Initium faciens de *Deo ignoto*, cui Athenienses aram erexerant, dixit, se praedicare illum unum verum Deum, rerum omnium creatorem, conservatorem et iudicem; deinde disseruit de redemptione per Iesum Christum, de poenitentia et animi emendatione. Nec fructibus caruit; inter alios enim Evangelio crediderunt Dionysius unus ex areopagitis, et mulier nomine Damaris. Athenis Paulus se contulit Corinthum, Achaiae metropolim, totius Graeciae emporium celeberrimum. Ibi per annum cum dimidio commoratus, nihilque incredulorum Iudaeorum adversis conatibus territus, copiosam ex Iudaeis et Graecis conversis ecclesiam collegit. Postea Antiochiam reversus est[1].

30. *S. Barnabas* — Quum Paulus comitante Sila discederet Antiochia, Barnabas cum Ioanne Marco inde navigavit Cyprum. Deinceps nihil de s. Barnaba in *Actis* Apostolorum commemorat Lucas. Eum postea venisse in Italiam, et Mediolani, Bergomi et Brixiae instituisse ecclesias, tradunt ecclesiastici harum civitatum Annales[2]. An quae sub nomine D. Barnabae extat epistola, sit authentica, non una est criticorum opinio. Certo ex eius argumento et ex antiquissimis, qui eam commemorarunt, Patribus patet, illam esse aevi apostolici et magnam mereri venerationem[3].

31. *Nero imperator Romanus* (*an.*54)— Postquam Claudius annis tredecim imperasset, sumpto in boletis veneno extinctus est anno post Christum natum 54. Tunc impe-

[1] De conciliis eorumque auctoritate cf Bellarmin., *Controvers.* t. I, part. II, l. I-2; Sardagn., *Theol. dogmat. polem.* t. II; alios.

[2] *Epist. ad Galat.* II, 11-21. Nonnulli existimant, Cepham, cui se restitisse scribit Paulus, fuisse diversum a Cepha seu Petro Apostolorum principe. Cf Sandini, *Dissert I de Petro cui restitit Paulus;* Berti, *Hist. eccl.* t. II, diss. I, n. 12.

[1] *Act.* XV-XVIII.

[2] Baron. ad an. 51; N. Sormani, *Origine apostolica della chiesa Milanense;* I. A. Saxius, *Vindiciae de adventu Mediolanum s. Barnabae apostoli.*

[3] Edita est cura H. Menardi et L. d'Achery, Parisiis 1645; Gallandi, *Bibliot. vet. Patrum*, Venet. t. I; Migne, *Patrologiae cursus completus*, series Graeca, t. II.

rium adeptus est Nero, qui initio varia virtutis specimina dedit, praeceptis monitisque Senecae obtemperans; postea vero teterrimum crudelitatis et omnium vitiorum monstrum evasit. Matrem, fratrem, uxorem, amitam, Senecam praeceptorem suum, aliosque interemit. Christianos dirissime persecutus est, ut infra videbimus.

32. *B. V. Mariae assumptio* — Eo imperante, B. Virginem Mariam obdormivisse, complures eruditi sentiunt; an Ephesi an Hierosolymis vivere desierit, non plane constat. Porro de Beatissima Virgine post Christi ascensionem hoc unum e Scripturis sacris novimus, quod Hierosolymis cum Apostolis in oratione perseveraret [1]. Nulli dubium, quin s. Ioannes Evangelista, cui Salvator e cruce matrem suam commendarat, curam illius gesserit. At quae deinceps vitae eius series, ubi, quomodo, quo anno obierit, certo non constat. S. Epiphanius, spectata singulari Mariae excellentia et attento Scripturarum silentio, definire non est ausus, fueritne defuncta et sepulta vel a morte praeservata [2]. Verumtamen « Ecclesia catholica, ait Baronius, nullam de obitu Dei Genitricis dubitationem admittit; sed quam novit humanae naturae consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat [3] ».

Pia communisque catholicorum sententia est, B. V. Mariam post obitum mox redivivo corpore in coelum fuisse assumptam. Multa quidem de eius assumptione narrantur in libro « de Transitu Virginis », Melitoni affìcto; sed librum istum esse apocryphum, cum Gelasio Pp. I consentiunt omnes periti. Apocryphus etiam est *Sermo* s. Hieronymi, qui contra B. M. V. assumptionem adlegatur. Quamvis de corporea Mariae assumptione sileant Patres priorum Ecclesiae saeculorum, piam tamen de ea sententiam iam inde a saeculo VI in utraque Ecclesia graeca et latina fuisse receptam et deinceps constanter traditam, testantur Patres mediae et sequentis aetatis, graeci ac latini. Accedit utriusque Ecclesiae praxis, in qua iam inde ab annis 1200 et amplius festum Assumptionis celebratur. Accedit communis omnium insignium theologorum doctrina. Accedunt etiam rationes congruentiae. His aliisque rationum momentis persuasus omnis catholicus orbis sententiam de corporea B. V. M. assumptione amplexus est [4].

Quum post medium saeculi XVII Ioannes de Launoy, doctor Parisiensis, vir ultra modum criticus, in libro *De exscribendo Parisiensis ecclesiae martyrologio,* multa congessisset, quibus corporea Deiparae Virginis assumptio in dubium vocaretur, hanc egregie vindicarunt Ioannes Gaudinus, doctor Sorbonicus [1], et alter theologus Sorbonicus sub nomine anonymo *L' Advocat*, in docta dissertatione. Anno 1786 P. I. Marant, in Universitate Lovaniensi historiae ecclesiasticae professor regius, in libro *Discussio historica, an sit de fide aut saltem ita certum et de mente Ecclesiae, B. V. M. corpore in coelum assumptam esse* etc., quamvis expressis verbis corpoream assumptionem non negarit, piam tamen Ecclesiae de ea persuasionem impugnavit. Verum Marantii obiectiones et difficultates confutarunt I. A. Salmon, in Univ. Lovan. S. T. baccalaureus [2], G. I. van den Baviere, S. T. licentiatus [3], prof. Ig. van den Driesch [4].

33. *Ecclesiae in Occidente* — Sublato e vivis Claudio imperatore, Petrus Apostolorum princeps Romam regressus est [5]. Credentes in Fide corroboravit, eorumque numerum in urbe, locisque vicinis auxit. Non in sola urbe consistebat, sed relictis ibi vicariis, ad disseminandam christianam Fidem in provincias excurrebat. Praeterea e discipulis suis delegabat qui in diversis Occidentis provinciis Evangelium annuntiarent et Christianorum coetus seu ecclesias fundarent. Et quum esset frequens populorum e provinciis in urbem imperii dominam concursus, Religio Romae a Petro annuntiata, provinciis et civitatibus imperii significabatur. Ita factum est, ut non in solo Oriente sed etiam in Occidente ecclesiae plures Apostolorum tempore fuerint institutae [6].

---

[1] *Act.* I, 14. — [2] *Haeres.* 78.— [3] *Annal.* ad. an. 48.

[4] Suarez, *Theol.* part. III, q. 37, a. 4, disput. 21; Thomassin, *Tractatus de festis*, l. II, c. 20; Benedictus XIV, *De festis D. N. I. C. et B. M. V.* part. II; Baron., *Annal.* ad an. 48, et *Adnot. in Mart.* XV aug.; Butler, *Vies des SS.* 15 Août.—Inter recentiores scriptores vid. Ioan. de Luca, *L'Assunzione di M. SS.* in Eph. *La Scienza e la Fede*, vol. VII-X, Napoli 1869-70; A. Vaccari, *De corporea Deiparae Assumpt. in Coelum*, Romae 1869.—Varia postulata Concilio Vaticano exhibita fuere pro definitione dogmatica B. M. V. Assumpt. in Coelum.

[1] *Assumptio M. V. vindicata*, Paris. 1670, in-18.

[2] *Apologeticum tentamen pro communi Ecclesiae persuasione, qua pie creditur B. V. M. corpus in coelis existere*, Gand. 1788.

[3] *Reflexiones in librum cui titulus*: *P. I. Marant, Discussio historica* etc. Brugis, in-8.

[4] *Discussio discussionis historicae P. I. Marant* etc. Gand. in-18.

[5] De hoc secundo Petri Romam adventu loquitur Lactantius, in libr. *De mort. persecutor.* scribens, Petrum Romam venisse imperante Nerone.

[6] Cf. Schelstrate, *Antiq. christ.* l. II, Diss. I.

34. *Ecclesia Alexandrina* — Circa idem tempus Petrus discipulum suum et interpretem, Marcum Evangelistam, misit in Ægyptum ad propagandum in ea Evangelium. Is missioni suae ferventer adlaboravit, celebremque ecclesiam Alexandriae collegit; ingentem virorum et mulierum multitudinem ad Christum convertit, qui ab ipso statim initio, inquit Eusebius, tam severam institutionem professi sunt, ut eorum studia, coetus, convivia, totamque vivendi rationem scriptis suis commemorare operae pretium duxerit Philo [1].

Reipsa Philo Iudaeus, huius aetatis scriptor, laudat certum hominum genus, virorum quos Therapeutas et feminarum quas Therapeutrias appellari dicit, quod bonis suis ad propinquos transmissis, extra civitates in agris et hortis singuli in singulis domiciliis orationi, contemplationi, Scripturarum lectioni, pietatis et austeritatis exercitiis vacarent. Addit, hoc hominum genus in variis orbis regionibus, praesertim in Ægypto et maxime circa Alexandriam sparsum reperiri [2]. Verumtamen non consentiunt eruditi, an per istud hominum genus christiani, an Iudaei Esseni sint intelligendi [3].

S. Marcus ecclesiam Alexandrinam gubernavit usque ad an. 62. Cum in dies multi relicto idolorum cultu ad novam religionem transirent, et quos antea coluerant, deos palam spernerent, irati ethnici in sanctum episcopum, a quo christiana Fides Alexandriam fuerat perlata, cum sacris operaretur, irruerunt, eumque ligato ad collum fune per loca saxis aspera rapuerunt, donec animam redderet [4]. Post gloriosum eius martyrium Alexandrinae ecclesiae episcopatum viginti duobus annis gessit Anianus [5].

35. *Ecclesiae Asiae minoris* — Interea Paulus, gentium apostolus, tertium iter suscepit. Primum Phrygiae et Galatiae incolis Christum praedicavit. Postea se contulit Ephesum, Asiae minoris metropolim, ubi biennio moratus est. Primo Iudaeis in synagoga, deinde ethnicis Evangelium annuntiavit. Deus tantis miraculis ministerium Pauli confirmabat, ut ad religiosum sudariorum eius et semicinctiorum attactum aegri sanarentur et daemones pellerentur. Unde factum est, ut magna hominum multitudo Ephesi nomen Christo dederit, et florentissima ibi Ecclesia orta sit, quemadmodum etiam in vicinis urbibus Mileto, Smyrna, Sardi, Philadelphia, Pergamo, aliisque coetus christianorum coaluerunt. Quum vero praedicatione Pauli magnae Dianae cultus collaberetur, et argentarii artifices, qui aediculas ad formam celeberrimi templi Dianae conficiebant, quaestus sui detrimentum timerent, tumultum in Paulum eiusque socios excitarunt. Eo sedato, Apostolus, discipulo suo Timotheo Ephesiorum episcopo constituto, traiecit in Macedoniam, qua peragrata, Achaiam et Corinthum visitavit. Deinde Hierosolymas pauperibus christianis eleemosynas laturus petiit. Quum primum Iudaei Paulum in templo conspexerunt, eum contumeliis et verberibus affecerunt, et sine dubio interfecissent, nisi Lysias, Romanorum militum tribunus, illum ex eorum manibus ereptum in Antonia castra transtulisset. Lysias, audita coniuratione Iudaeorum contra Paulum, eum militibus stipatum misit Caesaream ad Felicem, Iudaeae praesidem. Iudaei Paulum apud praesidem seditionis et inductae novae sectae accusarunt; sed eorum accusationes ille ita confutavit, ut Felix accusatores dimiserit; Paulum tamen, quem pecunia se redempturum sperabat, in custodia biennio detinuit, et successori suo Festo iudicandum reliquit. Quum Festus, petentibus Iudaeis, Paulum Hierosolymas mittere meditaretur, ut eius causa a sinedrio cognosceretur, Apostolus Caesarem appellavit; quapropter una cum s. Luca aliisque a Festo Romam missus fuit [1].

36. *S. Pauli epistolae ad Thessalon. Galatas, Corinthios et Romanos* — Iam ante haec apostolus Paulus ad diversas ecclesias epistolas scripsit. Anno circiter 52 ex urbe Corintho epistolam scripsit ad Thessalonicenses, quibus de constantia in Fide gratulatur, hortaturque eos ad perseverantiam; tradit varia praecepta ad informandos mores; et suorum obitu nimium tristes solatur certissima spe resurrectionis. Quum vero quidam pseudo-doctores ea, quae Apostolus de mortuorum resurrectione scripserat, male interpretati, Thessalonicensium animos ter-

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 16.
[2] *De vita contemplativa.*
[3] Prius contendunt Euseb. ibid. c. 17; Baron. ad an. 64; Serarius, *De tribus Iudaeorum sectis*, c. 17; Bacchinius, *De origine hierarchiae eccl.* p. 246. Posterius defendunt Valesius, *Annotat. in Euseb.* l. cit; Cotelerius, *Monumenta eccl. graec.* t. I, p. 789; Pagi, *Critica*, ad an. 62; Mamachi, *Origines et antiquit. chr.* t. I.
[4] *Menologia Graecorum*; Bolland., *Acta SS.* 25 april.
[5] Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 24; l. III, c. 14.

[1] *Act.* XVIII-XXVI.

rerent, quasi iam proximus esset mundi finis; Paulus anno sequente ex eadem urbe alteram ad illos scripsit epistolam, qua eos docet, diem iudicii nondum instare; prius venturum antichristum, cuius improbos mores describit; monetque, ut sibi a pseudo doctoribus caveant, et teneant traditiones sive per sermonem sive per epistolam acceptas [1].

Anno circiter 55 Ephesi agens, quum audivisset, quosdam iudaizantes doctores subintrasse ecclesiam Galatiae, suadentes Galatis necessitatem legalium Mosaicorum et Apostolatum suum impugnantes, scripsit epistolam ad Galatas, in qua apostolatus sui auctoritatem vindicat; Galatarum in Fide cunctationem perstringit; pseudo-doctorum errores refellit; pluribusque disserit de operibus carnis et fructibus spiritus.

Ex eadem urbe epistolam scripsit ad Corinthios, cum audivisset, nonnullas inter eos ortas esse divisiones, quosdam ducere vitam christiano nomine indignam, alios litibus esse deditos, et in ipsas agapas seu pia convivia, quae primi christiani, dum ad ss. Eucharistiam sumendam conveniebant, ad mutuam charitatem fovendam instituebant, irrepsisse abusus. Ea mala Apostolus in sua Epistola corrigit; Corinthios ad meliorem vitam compellit; incestuosum Corinthium, donec resipiscat, tradit satanae [2], pluraque docet de statu matrimoniali et excellentia virginitatis, de ss. Eucharistiae institutione, et scelere ac poena eam indigne sumentis, de delectu ciborum, de donis Spiritus S., de excellentia charitatis, aliisque. Quum paulo post in Macedonia accepisset per adventum Titi, discipuli sui, Corinthios ad meliorem mentem reversos, alteram ad eos dedit epistolam, in qua iis gratulatur, quod dictis per priorem epistolam audientes fuerint; resipiscentem incestuosum in gratiam recipit, et auctoritate Christi ei reliquum poenitentiae indulget.

Deinde Apostolus ipse Corinthum profectus est. Ex hac urbe anno 57 aut sequente epistolam scripsit ad Ecclesiam Romanam. Etenim in ea contentiones erant inter Iudaeos et Romanos conversos praesertim de vocatione ad Fidem seu Evangelii gratiam. Nonnulli etiam obloquebantur apostolo Paulo, quod incircumcisos et a vinculis V. Legis liberos ad participationem mysteriorum N. Legis admitteret. Quapropter Paulus huius contentionis disceptator interveniens, ad Romanos epistolam scripsit, qua probat, neutram partem adversus alteram posse superbire; vocationem ad Fidem et iustificationem esse gratuitam et non praecedentibus legis meritis debitam. Retundit Iudaeos, quod Mosaicam, et gentiles, quod naturalem legem violaverint. Omnes hortatur ad pacem et concordiam, pluraque docet ad informandos pie mores.

37. *Martyrium et epistola s. Iacobi minoris* (*an.* 61) — Festo Iudaeae praeside defuncto, eiusque successore Albino adhuc in vita agente, ait Fl. Iosephus, Ananias, sacerdotum iudaeorum pontifex II, vir ferox et audax, christianos Hierosolymitanos vexavit, et praeter alios ipsum apostolum Iacobum minorem Hierosolymitanae ecclesiae episcopum, tradidit effraenatae plebi, quae sanctum praesulem tanta barbarie enecavit, ut idem Iosephus huic sceleri iudaicae nationis ruinam, urbis excidium, aliasque calamitates ut debitas poenas attribuerit [1].

Scripsit s. Iacobus epistolam brevem, quae est e septem catholicis. In ea christianos in humilitate et modestia erudit; a vana confidentia et ambitione deterret; ad patientiam in adversis et constantiam in periculis hortatur. Praeterea refellit errores eorum, qui fidem sine operibus ad salutem sufficere dicebant; agitque de extremae infirmorum unctionis sacramento, de peccatis invicem confitendis, de efficacia orationis iusti, etc. Mirum non est, hanc epistolam a Luthero fuisse canone ss. Librorum eiectam, cum suas novitates in ea iam praedamnatas cerneret. Canonica vero auctoritas huius epistolae tum e Patribus tum e Conciliis comprobatur [2].

38. *Paulus Romae captivus* — Paulus apostolus Romam, ut vidimus, perductus, illuc post varium iter pervenit. Quum autem neque a Iudaeis neque ab aliis ulla accusatio contra eum urgeretur, Burrhus praefectus ei extra carcerem in hospitio, cum custode tamen milite, degere permisit. Mansit illic biennio, omnibusque ad se convenientibus libere praedicabat verbum Dei [3], adeo ut in ipsa caesaris aula discipulos non paucos haberet [4].

---

[1] Hinc observat cum aliis s. Ioan. Chrysostomus (*Homil.* IV *in* II *ad Thessalon.*), Apostolos multa tradidisse sine litteris, quae eadem fide digna sunt ac ea, quae scripserunt.

[2] Idest, excommunicat, ut uno consensu interpretantur Patres. *Traditis satanae, idest extra Ecclesiam proiectis,* inquit Tertullianus (L. *de Pudicitia*, c. 13).

---

[1] *Antiquit. iud.* l. XX, c. 8; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 13.

[2] Cf Natal. Alexandr., *Hist. eccl.* saec. I, c. 12; Tillemont, *Mémoires*, t. I; Bellarmin., *Controvers.* t. I, l. I.

[3] *Act.* XXVII-XXVIII. — [4] *Ad Philipp.* I, 12; IV, 22.

Epist. ad Philemon. Philipp. Coloss. Ephes. et Hebr.—Ibi etiam inter alios plures ad Iesu Christi Fidem convertit Onesimum, Philemonis Colossensis civis fugitivum servum; quem ad dominum suum remisit cum epistola commendatoria, qua Philemonem hortatur, ut Onesimo veniam concedat, et eum iam fratrem in Christo Iesu, in gratiam recipiat.

Interea Romam venit Epaphroditus, episcopus Philippensium, tum ut Apostolum captivum inviseret, tum ut pecuniarum subsidia ei perferret. Ei redeunti Paulus epistolam ad ecclesiam Philippensium dedit, in qua eorum erga se beneficentiae gratias reddit et constantiam in Fide laudat; gaudium suum de evangelico fructu suorum vinculorum ipsis communicat; hortatur eos ad mutuam dilectionem, Dei timorem, humilitatem, confirmatque adversus pseudo-doctores, quos crucis Christi inimicos nominat.

Audivit etiam, quosdam pseudo-magistros turbare ecclesias, quas Colossis et Laodicaeae fundaverat Epaphras episcopus. Praedicabant ii inter alia, non Christum, sed angelos esse humanae salutis mediatores, eosque ut tales esse colendos et per ipsos solos accessum ad Deum obtentum iri. Quapropter ad Colossenses epistolam scripsit, in qua eorum fidei, charitati et in Deum fiduciae gratulatur, oratque, ut in scientia Dei, bonisque operibus crescant; monet eos, ut sibi ab impostoribus caveant; docetque Iesum Christum esse Deum inter et homines mediatorem, et primogenitum per quem omnia condita sunt; dein Colossenses ad generalia christianae vitae praecepta et ad propria status officia informat; rogatque, ut epistola sua etiam in Laodicensium ecclesia legatur.

Ex eadem urbe (Roma) epistolam scripsit ad Ephesios et alteram ad Hebraeos seu conversos Palaestinos. In priori praecipua christianae Religionis mysteria explicat; institutos a Christo Domino in Ecclesia ordines, seu varia ministeria describit; pluresque instituendae vitae regulas tradit. In posteriori totus est, ut contra Mosaicorum institutorum praecones demonstret supereminentem legis Christi, eiusque sacerdotii et sacrificii dignitatem; hisque et legem veterem, eiusque sacerdotium ac sacrificia fuisse abolita.

39. *Actus Apostolorum* — Ad haec usque tempora seu annum a Christo nato circiter 63, secundum ex quo apostolus Paulus Romae in libera custodia degebat, se extendunt Apostolorum Actus, a Luca Evangelista conscripti. Referuntur in iis praeclarissima ac admiranda Ecclesiae primordia, Apostolorum praedicatio, constantia, persecutio in eos concitata, prodigia ab eis perpetrata, fervensque primorum Christianorum pietas et sancta conversatio. *Actus Apostolorum,* inquit s. Hieronymus, *nudam quidem videntur sonare historiam et nascentis Ecclesiae infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum esse Lucam medicum... animadvertemus pariter, omnia verba illius animae languentis esse medicinam* [1].

40. *Paulus in Orientem redit*—Apostolus Paulus post biennium libertate donatus, in Orientem reversus est, ut ecclesias inviseret, novasque constitueret. Opinantur plures, eum priusquam in Orientem pergeret, profectum esse in Hispanias, *ut in peccati morte iacentibus,* inquit s. Gregorius M., *aeternae vitae gratiam nunciaret* [2]. Reipsa Paulum id consilium antea cepisse, constat ex eius epistola ad Romanos [3]; eumque post captivitatem romanam conceptum consilium executioni mandasse, diserte scribunt s. Athanasius [4], s. Cyrillus Hierosolymitanus [5], s. Epiphanius [6], s. Hieronymus [7], s. Gregorius [8], alii.

Epistola ad Timotheum et Titum — In Orientem rediens charissimum discipulum et itinerum socium, Titum insulae Cretae seu Candiae episcopum ordinavit. Ipse in Graeciam navigavit; lustratisque ecclesiis, profectus est in Macedoniam. Inde ad utrumque discipulum, Timotheum Ephesiorum et Titum Cretae episcopos, epistolas scripsit: Timotheum de pastorali munere et ecclesiae regimine plenissime instruit; narratque, se Alexandrum et Hymenaeum tradidisse satanae, idest Ecclesia expulisse, quod fidei naufragium fecissent; agit dein de episcoporum, diaconorum, viduarum seu diaconissarum dotibus ac officiis. Eiusdem fere argumenti est epistola ad Titum, quem pariter in pastorali munere erudit, et de constituendis per civitates episcopis ac presbyteris, deque dotibus ad id munus necessariis admonet.

[1] *Epist.* 103 *ad Paul.*, et in *Catal.*
[2] *Moral.* l. 31, c. 22
[3] XV, 24: *Cum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam vos*; 28: *Per vos proficiscar in Hispaniam.*
[4] *Epist. ad Dracont.*
[5] *Catech.* XVII.
[6] *Haeres.* 27.
[7] *In Cap. XI Isai.* — [8] *Loc. cit.*

41. *Diaconissae* — Ex epistola D. Pauli ad Timotheum et ex eiusdem epistola ad Romanos, in qua Phaeben ministram ecclesiae Cenchreensis διάκονον appellat [1], patet, diaconissarum institutionem ab ipsis Apostolis esse repetendam. Apostolus praecipit Timotheo, ut ad id munus eligantur viduae unius viri, non minus sexaginta annis natae, in operibus bonis testimonium habentes [2]. Hanc Apostoli legem suo tempore religiose fuisse observatam, tradunt Tertullianus [3] et s. Epiphanius [4]. Saepe tamen ad illud munus electas esse virgines perpetuas, colligitur e s. Ignatio [5] et eodem Epiphanio [6]. Anno 451 concilium Chalcedonense can. XV permisit, ut diaconissae eligerentur quadraginta annorum. Earum officia erant: Episcopis et sacerdotibus feminas baptizantibus operam praestare; catechumenas in christiana doctrina instituere; feminis in ecclesiis suum locum assignare; martyribus et confessoribus in carceribns ministrare, dum diaconi eos adire non poterant. Addicebantur his muneribus ab episcopo per manuum impositionem, quae non erat sacramentum sed simplex caeremonia instar benedictionis. Labentibus temporibus diaconissarum munus sublatum est [7].

42. *Persecutio Neroniana* (*an.* 64)—Fides christiana in dies magis magisque in urbe et orbe laeta foecunditate germinabat, quando scelestissimus imperator Nero cruentam in innoxios Christi sectatores persecutionem excitavit. Quae ad hoc tempus christianis sive a Iudaeis sive ab ethnicis adversa acciderant, certis tantum locis propria fuerant; generalis vero contra Dominum eiusque Ecclesiam persecutionis primus auctor fuit Nero «quo dedicatore damnationis nostrae gloriamur, inquit Tertullianus, qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum ab ipso damnatum [8] ».

Ut autem historia persecutionum, quas Ecclesia primis saeculis sub imperatoribus Romanis passa est, melius comprehendatur, attendere oportet generales earum causas. Cicerone teste, e legum romanarum praescripto quaevis religio peregrina vetabatur [1]. Christiani vero non tantum novam et peregrinam Romanis religionem profitebantur, sed etiam quamvis aliam ut falsam abhorrebant. Praeterea sacrificia, quae Romani pro reipublicae et imperatorum salute offerebant, adversabantur; publicis ludis et spectaculis, quae pro partis victoriis vel in imperatorum natalitiis celebrabantur, adesse, perque imperatoris vitam aut genios iurare, eorum imagines colere, nefas habebant. Unde quamvis integra esset christianorum vita et ordinata erga imperatores etiam nequiores observantia, ipsa religionis suae professione in se excitabant odium ethnicorum, qui illos non solum religionis et deorum, sed etiam reipublicae et imperatorum hostes et homines flagitiosos esse arbitrabantur. His addere oportet praesidum provinciarum et magistratuum civitatum privata in christianos odia, atque sacrificulorum invidiam, quod deorum sacra e Religionis christianae progressu despicerentur. Accesserunt infames calumniae contra christianorum conventus vulgatae. Hae fuere praecipuae causae, propter quas ethnici principes et subditi omnia sibi licere arbitrabantur in persequendis et damnandis christianis.

Neronianae persecutionis originem, causas atque saevitiam novimus non solum e Sulpicio Severo [2] aliisque scriptoribus christianis, sed etiam e Tacito [3] et Suetonio [4]. Scribit Tacitus, Neronem, cum nulla re efficere posset, quin urbis Romae incendium a se iussum crederetur, tantum crimen coniecisse in christianos per flagitia invisos. Inde ergo persecutio in christianos excitata est, non tantum veluti in auctores incendii, sed etiam veluti in homines superstitionis novae et maleficae (sic religionem christianam appellabant ethnici) et odii in humanum genus reos. « Haud perinde in crimine incendii, inquit Tacitus, quam odio humani generis convicti sunt ». Et Suetonius, « affecti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae ». Primo quidem, teste Tacito, correpti sunt qui se palam christianos profitebantur; eorumque indicio ingens multitudo exquisitissimis poenis affecta fuit, alii crucibus affixi, alii flammis usti, alii canum laniatui obiecti, alii pice et adi-

---

1 XVI, 1.
2 V, 9-10.
3 L. *de veland. virginibus*, c. 9.
4 *Exposit. Fidei*, n. 21.
5 *Epist. ad Smyrn.*
6 *Loc. cit.*
7 Cf card. Bona, *Rerum liturg.* l. I, c. 25; Morin., *De sacris ordinationibus*, part. III; Raynaud, *De sobria alterius sexus frequentia*, c. 8; Pinius, *Dissertatio de diaconissis — Acta SS.* t. I sept. in init. et p. 603 sq; Cabassut. *Notitia eccl.* saec. II, diss. 2.
8 *Apolog.* c. 5.

1 *De legibus*, l. II.
2 *Historiae sacrae*, l. II.
3 *Annal.* l. XV, c. 44.
4 *In Nerone*, c. 16.

pe illiniti, cum dies deficiebat, pro facibus ardere et nocturnis spectaculis feralem lucem exhibere iussi sunt; adeo ut ipsorum gentilium miseratio excitaretur, tot homines non in utilitatem publicam sed in saevitiam unius absumi [1].

Plurimorum horum martyrum, quos Romana ecclesia ante principum Apostolorum necem in coelum transmisit, generalem commemorationem agit Martyrologium Romanum VIII kalendas iulii.

43. *Petrus et Paulus Romae* — In his angustiis Apostolorum principes Romam accurrerunt, ut laboranti Ecclesiae opem ferrent et anxios consolarentur. Persecutionis furore sopito, non solum afflictos corroborarunt, sed ministeria verbi ardentius instantes, novos credentes Ecclesiae aggregarunt, huiusque detrimenta maioribus incrementis repararunt.

II Epistola s. Petri — Petrus divinitus monitus de proxime reddendo pro Christi fide testimonio, alterum doctrinae monumentum misit ad eosdem, ad quos priorem epistolam scripserat. In hac secunda epistola, propter diversum interpretem, ait s. Hieronymus, a stylo prioris aliquantum discrepante [2], hortatur fideles, ut vocationem suam et electionem per bona opera certam faciant, peccata devitent, acceptam doctrinam fideliter custodiant, et ab errorum magistris constanter sibi caveant. Hanc epistolam a multis commemoratam, ab aliis in dubium vocatam, scripsit Eusebius [3]. Verum eam esse genuinum D. Petri opus, tum ex eiusdem characteribus internis tum e conciliis et Patribus constat [4].

II ad Timotheum — Eodem tempore s. Paulus charissimum discipulum suum Timotheum, episcopum Ephesiorum, eorum, quae proxime acciderent, certiorem reddidit per epistolam; eum iterum hortatus est ad muneris sui partes fideliter explendas; adversus instantes persecutiones et imminentia pericula confirmavit; diemque mortis suae esse proximam eidem significavit.

44. *Martyrium ss. Petri et Pauli* (*an.* 66) — Reipsa imperator audiens, christianorum numerum ministerio apostolorum Petri et Pauli potius augeri quam persecutione minui, et ex ipsa aula nonnullos ad novam superstitionem, ut vocabant, transire, utrumque apostolum in Mamertinum carcerem coniici iussit. At quorum vox foris evangelizare prohibebatur, vincula praedicabant; et in ipsis carceris angustiis Processum et Martinianum custodum principes cum aliis quadraginta septem viris Evangelio genuerunt. Quare furore percitus imperator, ambos apostolos poena capitis condemnavit; Petrus cruci affixus fuit, Paulus vero capite truncatus. Sic duo Apostolorum principes cursum suum martyrio consummarunt, et quam praedicaverant, doctrinam proprii sanguinis fusione confirmarunt. Utrumque apostolum Romae martyrium subiisse, testantur scriptores antiquissimi [1]; eodem tempore, addit s. Dionysius episcopus Corinthiorum [2]; eodem anno et die, docent s. Epiphanius [3], s. Hieronymus [4], et synodus Romana sub Gelasio I. Illud III kalendas iulii commemorant Martyrologium Romanum et Menologia Graeca. Quo anno ambo apostoli passi sint, non una est historicorum sententia; nos id contigisse existimamus anno Neronis XII, aerae vulgaris 66 aut 67 *.

45. *Persecutio fit generalis* — Tunc non solum intra urbis Romae ambitum, sed etiam per imperii provincias in innoxios Christi discipulos saevitum est. Nam « cum animadverteret (Nero), inquit Lactantius, non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum et ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad exscindendum coeleste templum delendamque iustitiam, et primus omnium persecutus est Dei servos [5] ». Orosius: « Primus (Nero) Romae christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit [6] ». Feralia edicta in provincias delata sunt, quibus christiani eorumque sacra proscribebantur. « Datis legibus, inquit Sulpicius Severus, Religio ve-

[1] Loc. cit. — [2] *Epist* 160. — [3] *Hist. eccl.* l. III, c. 25.
[4] Cf Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, c. 12.

[1] Dionys. Corinth. apud Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 25; Tertull. *De praescript.* c. 36, et *contra Marcion.* l. IV, c 5; Caius, apud Euseb., loc. cit; s. Athanas., *De fuga*; Lactant., *Institut. divin.* l. IV, c. 11; s. Hieron., *Catal.*; Oros., *Hist.* l. VII, c. 4; alii apud Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, Diss. XIII, prop. 2.

[2] Loc. cit. — [3] *Haeres.* 27. — [4] *Catal.*, *s. Paulus.*

* Nuper de hoc argumento docte ac copiose disseruit perillustris S. R. E. Card. Dom Bartolini in opere, *Sopra l'anno LXVII dell' èra volgare, se fosse quello del Martirio de' gloriosi Principi degli Apostoli Pietro e Paolo* etc. Roma 1866. Cf etiam *La Scienza e la Fede*, vol. LXI, p. 303, Napoli 1866. Accedit quod Pius PP. IX, in Allocutione, quam habuit in publico Consistorio, VI Kal. iulii 1867, ob festum saeculare martyrii SS. App. aiebat: « *Agitur ut memoriam diei auspicatissimi sollemni ritu recolamus, quo die B. Petrus et Coapostolus eius Paullus ante annos mille octingentos illustri martyrio in hac urbe perfuncti, immobilem Catholicae unitatis arcem suo sanguine consecrarunt* ».

[5] *De mortibus persecutorum*, c. 2.

[6] *Hist.* l. VII, c. 5.

tabatur; palamque edictis propositis, christianum esse non licebat[1]. Accedit haec vetus inscriptio in Lusitania reperta: « Neroni Cl. Caes. Aug. Pont. Max. ob provinciam latronibus et his qui novam generi humano superstitionem inculcabant, purgatam[2]». Unde manifestus est error Henrici Dodwell, persecutionem Neronianam intra urbis Romae moenia coarctantis[3].

E plurimis qui in hac persecutione martyrium pro christiana Fide subierunt, Romae passi sunt, praeter Apostolorum principes, Processus et Martinianus cum quadraginta septem aliis, Basilissa, Anastasia, Herodion, Olympias; Mediolani, Nazarius et Celsus, Gervasius et Protasius; Lucae, Paulinus; Pisis, Torpes; Antiochiae, Evodius, quem in sede Antiochena excepit Ignatius; alii in aliis civitatibus, quorum nomina ad nos non pervenerunt, sed in libro vitae scripta sunt.

Nero persecutionem in christianos continuavit usque ad annum 68, quo extinctus est. At tantum abfuit, ut huius aut sequentium persecutionum causa Religio christiana tepuerit aut aliqua ex parte fuerit remissa, ut potius nova propagatione sit adaucta. « Non minuitur, ut recte dixit s. Leo, persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur[4].

46. *S. Linus D. Petri successor* — Interea ne urbis et orbis Ecclesia pastore et capite maneret orbata, s. Petro in episcopatu Romano et summo Ecclesiae primatu suffectus fuit s. Linus, natione Hetruscus et patria Volaterranus. Hunc fuisse proximus s. Petri successorem constat e vetustis Romanorum Pontificum catalogis et antiquissimis Patribus[5]. S. Linum e principis Apostolorum praecepto sancivisse, ut mulier velato capite ecclesiam ingrederetur[1], narratur in *Libro Pontificali*. Praefuit Ecclesiae secundum vetustiores catalogos et emendatiores Libri Pontificalis codices annis undecim[2].

47. *Epistola et martyrium S. Iudae apost.* — Sub eius pontificatus initia apostolus Iudas, cognomento Thaddaeus, scripsisse videtur epistolam, quae est e septem catholicis. Quamvis olim nonnulli de auctoritate huius epistolae dubitarint, illam tamen esse authenticam et canonicam, e Patribus ac Conciliis constat[3]. Est ea argumento fere similis secundae epistolae s. Petri. Perstringuntur in ea potissimum haeretici Simoniani et alii, qui Fidem sine operibus sufficere dicebant. S. Thaddaeus in Perside martyrium passus dicitur[4].

48. *Christianorum status post Neronem* (*an.* 68) — Quum imperator Nero propter scelerum suorum turpitudinem omnium odium in se concitaret, Sulpicius Galba ab Hispaniae legionibus imperator salutatus est. Nero a senatu hostis patriae declaratus; anno 68 se ipsum mucrone confodit. Sic qui christianorum sanguinem fuderat, vindice Dei manu, a suis despectus et e throno deiectus, proprium sanguinem fudit. Post eius interitum quietiora tempora christianis affulxerunt. Etenim Neronis successores, Sulpicius Galba, Salvius Otto, Vitellius, Vespasianus et Titus, qui unus post alium usque ad ann. 81 imperarunt, nullam contra

---

[1] *Hist. sacr.* l. II.

[2] I. Gruterus, *Inscriptiones antiquae*, p. 238.

[3] Cf Pagi, *Critica* ad an. 64; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 4.
H. Dodwell, Dublinensis, *Dissertatione Cypriana* XI, sibi proposuit demonstrandum, non solum multo minorem, quam vulgo existimatur, sed prorsus exiguum fuisse numerum martyrum, qui tribus primis Ecclesiae saeculis Religionis causa e medio sublati sunt. Idem sibi proposuit E. Gibbon, anglus, *Historia de Romani imperii interitu*. Contra quos videsis Th. Ruinart, Praefat. general. ad *Acta SS. Martyrum*; Th. Mamachi, *Origines et antiquitat. chr.* t. I, l. II, c. 8; F. Luchinium, Praefat. ad *Acta SS. Martyr. Th. Ruinart*, quae italice reddidit; alios a Walchio, *Hist.* saec. I, c. 4, citatos

[4] *Serm.* I *De apost. Petro et Paulo*.

[5] Cf P. Constant, *Dissert. de proximis Petri successoribus*, in *Collect. Epistolar. RR. Pontif.*; A. Sandini, *Disputat.* IV *de proximo successore D. Petri*.

[1] Sanctionem hanc, ut *Episcopali cura* minus dignam, irrident Centuriatores Magdeburgenses, Cent. 1, lib. 2, cap. 10; quos satis superque refelleret, qui diceret, id antea praeceptum etiam fuisse a D. Paulo *I ad Cor.* XI, 5, illis verbis: *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum*.

[2] *Liber Pontificalis* continet historiam RR. Pontificum; venit passim sub nomine Anastasii bibliothecarii, qui magnam partem in eo colligendo habuit. A nonnullis attributus fuit s. Damaso papae sub titulo *Chronici* quantum spectat ad vitas Pontificum, qui ante s. Damasum sederunt; sed huic opinioni obstat tum barbara dictionis ratio tum silentium s. Hieronymi, in *Catalogo* scripta Damasi recensentis. Gravissimorum virorum opinio est, librum istum non ab uno, sed a pluribus successive scriptoribus fuisse exaratum. Cum autem pervetustus sit et confectus a scriptoribus, qui Pontificibus, quorum vitas exhibuerunt, coaevi vel suppares fuerunt, magnam fidem meretur. Cf I. Ciampini, *Examen Libri Pontificalis*, Romae 1688, in-4; Schelstrate, *Antiquit. eccl. illustrat. Prolegom. ad Vitas RR. PP. Anastasio bibl. additas* (*Scriptor. rer. ital.*, t. III, p. 274). — Optimam editionem Libri Pontificalis curavit F. Bianchini, Romae 1718-20, 4 vol. in-fol.

[3] Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, c. 12.

[4] *Martyrol. Roman.* V Kal. Novembr.; Fortunat, *Carm.* l. VIII; Tillemont, *Mémoires*, t. I,

christianos persecutionem excitarunt. Neque Domitianus, Titi frater et successor, primis annis imperii sui aliquid iis adversi decrevit. Quamvis vexationes, quas magistratus et plebs proprio motu subinde in christianos exercebant, non penitus cessarint. Unde factum est, ut christianorum coetus tum Romae tum in imperii provinciis plurimum augerentur, novaeque ecclesiae instituerentur.

Primae porro ecclesiae, ut ex Apostolorum actis et scriptis patet, institutae sunt in civitatibus maioribus. Iis praeerant episcopi, hisque auxiliabantur presbyteri et diaconi, qui episcopi senatum et presbyterium constituebant. Christianorum numero magis crescente, in minoribus civitatibus constituti sunt tituli seu ecclesiae minores, ad quas episcopi diebus dominicis quosdam e clero suo mittebant, qui ibi sacra ministrarent. In initio Christiani, cum templis carerent, in idoneas aedes privatas conveniebant ad celebranda sacra; persecutionum tempore etiam in sylvis, speluncis et cryptis subterraneis sacros suos conventus agebant. In his s. Scripturae legebantur, divinum verbum exponebatur, sacrificium offerebatur, Eucharistia percipiebatur. Episcopi sicut Apostoli christianam plebem sibi commissam cum potestate regebant, unde Apostolus ad Hebraeos scribit: *Obedite praepositis vestris et subiacete eis, ipsi enim pervigilant; quasi rationem pro animabus vestris reddituri* [1]. Poenis etiam nominatim excommunicatione in contumaces animadvertebant, quemadmodum Paulus se contra incestuosum Corinthium et erga Hymenaeum et Alexandrum, errorum magistros, fecisse scribit ad Timotheum [2].

49. *Ascetae* — Quemadmodum supra in ecclesia Hierosolymitana sanctos primorum Christianorum mores conspeximus [3], ita etiam in aliis ecclesiis, quamvis nonnulli in vetitum ruerent nefas, Christiani mores suos praeceptis evangelicis conformabant. Quin imo ab ipsis Ecclesiae promordiis fuerunt utriusque sexus fideles non pauci, qui non, ut contendit Mosheimius [4], fanatica aut tristi mente et Pythagoraeorum aut Platonicorum exemplo, sed Christi Domini, s. Ioannis Baptistae et Apostolorum doctrina atque exemplis excitati, prae aliis perfectius et austerius vitae genus sectabantur; qui vitae commodis, bonis, hominumque commercio relictis, oratione, continentia, ieiuniis, aliisque piis christianarum virtutum exercitiis ad singularem perfectionem et arctiorem cum Deo communionem enitebantur; qui non tantum praecepta evangelica, sed et consilia, a Salvatore et Apostolo magnopere commendata [1], observare studebant. Id et veterum scriptorum testimonia ostendunt, et recentiores rerum ecclesiasticarum scriptores comprobant. Ii vero, qui hoc perfectioris vitae genus profitebantur, postea communi nomine appellati sunt Ascetae vel Ascetriae a voce graeca ἄσκησις, *exercitatio*; primo in civitatibus cum aliis vel in domo paterna aut soli vivebant; postea nonnulli e civitatibus discedentes, in locis suburbanis et secretioribus commanere coeperunt [2].

50. *Hierosolymae excidium* (*an.* 70) — Quae autem Christus Dominus de urbis et templi Hierosolymitani excidio praedixerat [3], an. 70 adimpleta sunt. Anno quippe 67 Iudaica natio, Gestii Flori, procuratoris Iudaeae, tyrannidem pertaesa, Romanum iugum obstinata mente excussit. Flavius Vespasianus cum ingenti exercitu in Galilaeam irrupit, pluribusque praeliis commissis, in quibus multa Iudaeorum millia caesa sunt, urbes arcesque Galilaeae cepit. Iudaeam omnem mox subacturus, sed post Neronis interitum imperator salutatus, curam conficiendi belli demandavit Tito filio suo. Imminentem ultimam cladem iam visa Hierosolymis signa protenderant; apparuerunt quippe discurrentes per aërem igneae phalanges; effulsit circa altare lux magna; aenea templi porta orientalis sponte aperta est, et vox in templo audita: *Migremus hinc* [4]. Reipsa Titus obsidionem urbis Ierusalem paravit, castra in monte Oliveti collocavit, et copiosissimum exercitum explicavit. Iudaei, quorum ingens multitudo e cunctis regionibus Hierosolymas convenerat ad celebrandum Pascha, ad urbis defensionem certatim conspirarunt. Contra, Christiani memores vaticinii Salvatoris: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius* [5], cum antistite suo s. Simeone, qui s. Iacobo minori in episcopatu Hie-

[1] XIII, 17.

[2] I Tim. I, 20. Cf s. Iustin. *Apolog.* I; et *Epistolam ad Diognetem* inter Opera s. Iustini.

[3] Vid. p. 9. — [4] *Hist. eccl.* saec. II, part. II, c. 3.

[1] Matth. V, XIX; Luc. IX; *I ad Cor.* VII.

[2] Cf Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.*, t. I; Papebroch. *Comment. in acta s. Pachomii—Acta SS.* t. III maii, p. 295; N. Antonelli, *Dissertatio de ascetis*, *Opera* s. Iacobi Nisib. Rom. 1756.

[3] Matth. XXIV; Marc. XIII; Luc. XXI.

[4] Fl. Ioseph., *De bello iud.* l. VII; Tacitus, *Annal.* l. XV, c. 13.

[5] Luc. XXI, 20.

rosolymitano successerat, ex urbe migrarunt, sedesque suas in oppidum Pellam trans Iordanem transtulerunt.

Ubi Titus urbem obsidionem cinxit, brevi tanta annonae inopia civitas laboravit, ut etiam matres natorum suorum carnes comederent. Accesserunt saevissima pestilentia, feralia incolarum in se ipsos odia, seditiones et caedes, adeo ut ipsum templum sanguine et abominatione repleretur. Tandem Titus, obsessis ad deditionem frustra invitatis, urbem vi cepit expugnavitque; iniecto a milite igne templum conflagravit, totaque civitas diruta ac deleta fuit [1].

Sic obstinatissima natio, quae suave Christi iugum suscipere detrectaverat, primo Romanorum tyrannidem subiit, deinde quae Messiae sanguinem fuderat, et inclamarat: *Sanguis eius super nos et super filios nostros* [2], proprio sanguine mersa fuit. Nam plus quam undecies centena millia Iudaeorum hac obsidione et expugnatione perierunt; quibus si addantur ii, quos bellum antea absumpserat, summa conficitur 1,337,490. Praeterea ad 97,000 in captivitatem abducti, pro mancipiis venditi et quaquaversum dispersi sunt [3].

Quum primum Iudaeis datum fuit, ad destructam urbem regressi sunt. Christiani etiam cum episcopo suo s. Simeone illuc redierunt; et, Deo favente, horum numerus ex illorum conversione magnopere auctus est.

51. *Haereses Gnost. et Iudaiz.*— Ecclesia praeter bella externa seu persecutiones, etiam interna, nempe haereses et schismata, a primordiis suis et deinceps experta est; sed quemadmodum ex illis ita etiam ex his victrix evasit. Primarum haeresum auctores fuerunt male conversi ethnici vel iudaei, qui christianae religionis dogmata coniungere volentes cum religiosis placitis, quae antea profitebantur, in turpes errores lapsi sunt. Priores Gnosticorum, posteriores Iudaizantium sectis initium dederunt.

Gnosticorum nomine appellati sunt, qui γνῶσιν seu veram Dei rerumque divinarum scientiam se habere iactabant. Gnosticismus derivatur a placitis religioso-philosophicis, iam ante Christum natum per Orientem propagatis. Theoretica illius doctrina potissimum spectabat originem mali physici et moralis in hoc mundo. Gnostici sibi persuadere non poterant, materiam, quam ceu fontem omnis mali considerabant, a Deo perfectissimo ac benignissimo fuisse creatam. Hinc eam, praeter Deum, ab aeterno extitisse, et postea ex eadem a spiritibus quibusdam hunc mundum visibilem, imperfectionibus malisque plenum, una cum hominibus conditum fuisse statuebant. Iudicantes, neque mundi vitiosi efformationem spiritibus perfectis, neque spirituum imperfectorum procreationem Deo convenire, effinxerunt seriem spirituum coelestium, quos aeones vocabant, quorum priores immediate a Deo procreati, longe erant praestantissimi; ex eorum, utpote diversi sexus, concubitu alii, sed imperfectiores, prodierant. Simili modo plures aeonum generationes, posteriores prioribus semper deteriores, enatae fuerant. Omnibus istis aeonibus in immenso aëris spatio sedes assignabant; et ab uno aut pluribus ex postremis, quos demiurgos nominabant, ex materia vitiosa mundum visibilem conditum fuisse, dicebant. Demiurgus quoque secundum Gnosticorum placita condiderat homines, corpore ex eadem materia vitiosa efformato, et anima vivifica et sensitiva instructos, quibus e substantiis coelestibus anima rationalis addita fuerat. Inde pugna in homine, cum anima rationalis, coelesti sua origine cognita, ad Deum omnis boni fontem redire conetur, a sensualitate vero retrahatur et in profundum errorum ac vitiorum demergatur. Addebant, Deum hominum conditionis misertum, subinde viros excitasse, qui eos viam ad Deum perveniendi docerent; demiurgum vero Dei eiusque legatorum conatibus semper restitisse, et suum in homines imperium variis legibus et institutis firmare studuisse; attamen demiurgi imperium aliquando destructum iri per aeonem quemdam praepotentem, suo tempore ad homines mittendum.

Cum autem Christus, multis miraculis aliisque argumentis se hominum Salvatorem ostendisset, et daemonia ex hominibus eiecisset, plures e gnosticis eum ceu aeonem, per quem demiurgi imperium destruendum esset, habuerunt, et suscepto baptismo ei nomen dederunt; sed cum nonnulli principiis suis gnosticis tenacius inhaerentes, ea cum doctrina christiana conciliare vellent, hanc turpiter perverterunt, et tum hoc, tum sequentibus seculis haereses, turpi compositione monstruosas, protulerunt. Eae haereses, quamvis pro diverso auctorum ingenio vel phantasia essent diversae, tamen, propter communia omnibus principia, in nonnullis rebus omnes conveniebant. Sic omnes Christum esse verum Deum negabant, dicentes eum esse aeonem praestantissimum,

[1] Fl. Ioseph., *Op. cit.* l. VI-VII.— [2] Matth. XXVII, 25.
[3] Fl. Ioseph., loc. cit.

cui cum non conveniret humanum corpus e materia vitiosa formatum, eum corpus aliquod aethereum vel umbram tantum carnis assumpsisse, et proinde non revera passum aut mortuum esse contendebant. Ex eadem doctrina carnis resurrectionem negabant. Vetus Testamentum, quod in eo mundi creatio Deo adscribebatur, reiiciebant; e N. Testamento libros, in quibus doctrinae Gnosticismo contrariae tradebantur, vel totos vel ex parte respuebant.

Contra has Gnosticorum doctrinas Apostoli non semel in scriptis suis praemuniunt fideles. Attamen saeculo sequente Gnosticorum sectae magis ecclesias perturbarunt [1].

Iudaizantes appellati sunt ii qui, e Iudaismo ad Christianismum conversi, non obstante concilii Hierosolymitani decreto, ritus Legis Mosaicae cum Lege Nova necessario observandos esse contendebant.

Gnosticorum haereticorum parens vulgo dicitur Simon Magus, patria Samaritanus. Is artibus magicis, a quibus cognomen accepit, Samaritanos in maximam sui admirationem et venerationem excitarat. Quum Philippus diaconus Samariae verbum Dei annuntiaret, Simon cum aliis baptismum suscepit. Paulo post cernens, prodigiosa Spiritus S. dona a Petro et Ioanne manuum impositione baptizatis communicari, pecuniam eis obtulit, ut sibi virtutem ea dona aliis conferendi tribuerent. Ideo a Petro severe reprehensus, ab Apostolis et a Fide discessit, pravaeque haereseos parens factus est [2]. Doctrinae seu potius errorum suorum summam partim ex iis, quae de Christianorum et Iudaeorum sacris noverat, partim et praesertim e Platonicorum philosophorum placitis conflavit. Constituit unum ens supremum seu numen, e quo aeones naturae sublimis seu angeli manarant. Ab his mundum fabricatum fuisse et captivum teneri genus humanum dicebat. Seipsum vocabat primum et supremum aeonem, atque in corpore apparuisse, ut homines a rebellium aeonum servitute redimeret. Alterum aeonem, ordine secundum et animarum humanarum parentem, dicebat inesse in sua Helena, muliercula e Tyro Phoenices, quam secum ducebat. Admisit animarum transmigrationem. Corporum vero resurrectionem et bonorum operum necessitatem negavit. Opera omnia per se esse indifferentia effutiit, suisque sectatoribus promiscue vivendi potestatem fecit [1].

Errores suos vulgavit primum in Samaria et Iudaea, deinde in aliis locis et postremo Romae. In hac urbe praestigiis suis tantam nominis celebritatem assecutus est, ut ei divini honores sint decreti et statua erecta cum hac inscriptione: *Simoni deo sancto*, ut testatur s. Iustinus martyr et post eum s. Irenaeus, aliique [2]. Sed ubi divinus sermo a B. Petro Romanis allatus est, Simonis celebritas brevi evanuit [3]. Secta eius, magis ex ethnicis et Iudaeis religionem suam pertaesis, quam e Christianis collecta, post unum aut alterum saeculum extincta est.

Simoni aequalis fuit Cerinthus, natione iudaeus, qui, postquam Alexandriae in Ægypto disciplinis philosophicis Chaldaeorum, Persarum, et Ægyptiorum operam contulisset christianae Religioni nomen dedit. At ab exordio turbas in Ecclesia fovit, fuitque praecipuus auctor contentionis, quae Antiochiae de necessitate observandae legis Mosaicae concitata fuit. Postea orientalis philosophiae commenta cum ritibus iudaicis et christianae Religionis mysteriis commiscens, non tantum a coelesti veritate aberravit, sed in absurdissimos errores dilapsus est, novamque religionis formam excogitavit. Errores eius praecipui fuere: Mundum non a Deo, sed inscio Deo, ab aeonibus rebellibus conditum fuisse. Christum a Deo missum ad aeonum tyrannidem deprimendam. Christum esse diversum a Iesu; hunc esse e coniugio Iosephi et Mariae genitum, illum unum e felicioribus aeonibus. Christum in Iesum ad Iordanem descendisse, et postea, quum is in crucem agebatur, ad coelum rediisse. Le-

---

[1] De Gnosticis plura habentur apud s. Irenaeum, LL. *contra haeres.*; s. Epiphan. *Panar. haeres*; s. August., Lib. *adversus haereses*; Theodoret. *Fabulae haeret.*

[2] *Act. Apost.* VIII.

---

[1] S. Iustin., *Apolog.* II; s. Irenaeus, *Adversus haereses*, l. I, c. 20; s. Epiphan., *Haeres.* 21; Tertullian., *De anima*, c. 34, et *De praescript.* c. 33; Theodoret., *Haeret. fabul.* l. I.

[2] S. Iustin., *Apolog.* I; s. Iren., ibid.; Tertull., *Apolog.* c. 13; Euseb., *Hist. eccl.* l. II, c. 13-14; s. Cyrill. Hierosol., *Catech.* VI; Theodoret., l. c.; s. Augustin., *Haeres.* c. 1.

Non est tamen una virorum eruditorum de hac re sententia. Valesius (*Annotat. ad Euseb.* l. II, c. 1), Pagi (*Critica in Baron.* ad an. 42), et alii existimant, s. Iustinum fuisse deceptum, et de Simone mago retulisse quae Semonem Sancum, Deum Sabinorum, respiciebant. Alii vero, inter quos Baronius (*Annal.* ad an. 44), et Tillemont (*Mémoires pour servir a l'hist. eccl.* t. II, p. 482), D. Iustini narrationem vindicarunt.

[3] Euseb., *Op.* cit. c. 14-15. Auctor *Constitutionum Apost.* (l. VI, c. 9), Arnobius (*Adversus gentes*, l. II), s. Cyrill. Hierosol. (l. c.), aliique tradiderunt, Simonem magum, ut Neronem imperatorem populumque Romanum deluderet, arte magica volare tentasse, sed D. Petri oratione e sublimi fuisse deiectum. Id reipsa factum esse existimant Berti (*Hist. eccl.* t. II, diss. I, n. 13), Baron. et Tillemont (l. c.). Alii illud mystice de expugnatione Simonis eiusque haereseos interpretandum censent.

galium observantiam ad salutem esse necessariam: Denique post generalem resurrectionem iustos annis mille in terra hac renovata regnaturos in nuptiarum festis, carnis cupiditatibus, et omnium voluptatum illecebris [1]. Eius sectatores dicti Cerinthiani, praecipue in Asia proconsulari et Galatia extiterunt.

Illis aetate coniuncti fuere Menandriani, Ebionitae, Nazaraei et Nicolaitae.

Menander—Menandrianorum auctor fuit Menander, Samarita et Simonis magi discipulus; qui ut ille praestigiis deditus, praeter impia magistri sui deliramenta, semetipsum a Supremo Ente ad humani generis redemptionem missum esse, atque eos, qui salvari cuperent, in suo nomine baptizandos dicebat; quibus eo lavacro tinctis, immunitatem a senio et morte pollicebatur [2].

Ebionitae — Ebionitae Iesum Christum esse quidem Messiam, sed merum hominem, e Iosephi et Mariae coniugio natum, contendebant. Docebant praeterea, circumcisionem et Mosaicae legis instituta in Ecclesia esse retinenda [3].

Nazaraei — Nazaraei, qui in urbe Pella, in quam christiani ante Hierosolymorum excidium confugerant, ab Ecclesia schisma fecerunt, etiam perpetuam legalium et caeremonialium rituum V. L. observantiam adstruebant. Iesum Christum secundum aliquos merum hominem, secundum alios Dei filium esse docebant [4].

Nicolaitae — Nicolaitis autem promiscuum mulierum usum et idolothytorum esum exprobant veteres [5]. Eorum auctorem fuisse Nicolaum Antiochenum, unum e septem primis ecclesiae Hierosolymitanae diaconis, scribunt s. Irenaeus [6], Tertullianus [7], s. Epihanius [8]. Contra, Clemens Alexandrinus [9], Eusebius [10], Theodoretus [11] dicunt, quod sectarii isti nomen suum mutuati sint, facto Nicolai diaconi, qui uxorem suam dimisisse dicitur, abusi, vel quod Nicolaum sectae suae principem falso dixerint, ut imperitis fucum facerent.

[1] S. Iren., l. I, c. 3; Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 28; s. Epiphan., *Haeres.* 28; s. Augustin., *De Haer.* c. 3; Theodoret., *Haeret. fabul.* l. II, c. 3.
[2] S. Iustin., *Apolog.* II; s. Iren., l. I, c. 21; Tertullian., *De praescript.*, c. 46; s. Epiphan., *Haeres.* 22; Euseb. *Hist. eccl.* l. III, c. 26.
[3] S. Iren., lib. cit. c. 20; Euseb., lib. cit. c. 27; s. Epiphan., *Haeres.* 27.
[4] S. Epiphan., *Haeres.* 29; Theodoret., *Op. cit.* l. II.
[5] Ioan. *Apocal.* II; s. Iren., lib. cit. c. 27; s. Epiphan. *Haeres.* 25; Clem. Alex., *Strom.* l. II-III.
[6] L. c. — [7] *De praescript.* c. 46. — [8] L. c. — [9] L. c.
[10] *Hist. eccl.* l. III, c. 29. — [11] *Op. cit.* l. . III, c. 1.

Ita antiquus hostis, diabolus, praesentiens iam, virtute Crucis Christi evertenda simulacra, in quibus colebatur, nova consilia molitus est; haereses nempe et schismata excitavit, quibus Fidem subverteret, veritatem corrumperet, unitatem scinderet, et quos in veteris viae caecitate retinere nequibat, novi itineris errore deciperet. Surgenti et fulgenti ubique Ecclesiae Christi alias sectas ipse opponere tentavit, ut incautos circumveniret; quae tamen, licet aliquandiu membris suis crescere viderentur, brevi post tempore collapsae sunt et exciderunt. Contra, quam Christus Dominus instituit, Ecclesia in omni quarumvis vicissitudinum, persecutionum, subversionum casu, firma semper et invicta stetit.

52. *Ss. Cletus et Clemens Pontifices* — Postquam s. Linus, D. Petri in Romano episcopatu et Ecclesiae primatu successor, annis undecim, ut supra diximus, Ecclesiam gubernasset, coelesti gloria, martyrumque aureola donatus fuit anno circiter 77. Eum in summo pontificatu excepit s. Cletus, patria Romanus; quem diversum esse ab Anacleto et immediate sedisse post Linum, probant tum traditio Romanae ecclesiae, tum nominis, patriae et parentum utriusque diversitas. Quod autem ex antiquis quidam meminerint Cleti, non vero Anacleti, et alii nonnulli inter Pontifices numerent Anacletum, sileant autem de Cleto, factum videtur ex utriusque nominis confusione. Etenim facile committi potuit errore amanuensium, ut uterque Pontifex ob nominis similitudinem confunderetur [1]. Cletus e praecepto D. Petri, ut habetur in Libro Pontificali, in urbe (Roma) constituit viginti quinque presbyteros, quos, ut explicat Pagi in Vita huius Pontificis, totidem ecclesiis seu titulis praeposuit. Secundum communem computationem pontificatum gessit duodecim annis, et

[1] A. Pagi, *Critica in Annal. Baron.* ad ann. 67 et 78 et aliquot alii, fulciti auctoritate D. Optati Milevitani, l. II, § 3, et s. Augustini *Epist.* 53, alias 165, post s. Linum numerant Clementem. At e Romanae ecclesiae traditione et monumentis, e potiori Patrum testimonio et vetustissimis RR. Pontificum catalogis evincitur, proximum s. Lini successorem fuisse s. Cletum. Hunc Cletum esse unum et eumdem ac Anacletum, opinati sunt P. Halloix, *Illustr. eccl. orient. scriptor.* t. II, in notis ad s. Irenaeum; Valesius, annot. in *Euseb. Hist. eccl.* l. III, c. 13; Tillemont, *Mémoires*, annot. 5 in *Vitam* s. Clementis; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 14; alii. Sed Cletum esse distinctum ab Anacleto, probarunt Baronius, *Annal.* ad an. 69, et in Notis in *Martyrol. Rom.* ad 26 april.; Henschen., *Acta SS.* t. III, april. ad eamdem diem; Schelstrate, *Antiquit. eccl. illustrat.* t. I, diss. 2; Sandini, *Disputat.* IV; Orsi, *Storia eccl.* t. I, l. 2; alii.

beato fine quievit anno circiter 90 post Christum natum [1].

Cleto in summo pontificatu successit Clemens, Romanus, cuius meminit s. Paulus in epistola sua ad Philippenses [2]. De eo habetur in Libro Pontificali, quod quatuordecim urbis Romae regiones diviserit septem notariis, qui ss. Martyrum gesta litteris consignarent et in Ecclesiae acta referrent. Divisionem in ecclesia Corinthiorum exortam composuit. Tanta fuerat quorumdam Corinthiorum audacia, ut ministros, officio sancte fungentes, deposuissent et alios constituissent. Quum vero meliores ad Romanam ecclesiam, omnium matrem et dominam, litteras scripsissent, ut grassanti divisioni opportunam medelam adferret, Clemens papa pro officio suo epistolam ad Corinthios scripsit, qua eorum divisiones correxit, pacemque composuit; monuit eosdem, ut memores acceptae ab Apostolis doctrinae et disciplinae, ad eam, quam deseruerant, vitae conversationem reverterentur.

Extat etiamnum haec s. Clementis epistola, estque praeclarissimum doctrinae et disciplinae primorum christianorum monumentum. Eam non tantum laudarunt antiquissimi Patres, sed etiam in plerisque ecclesiis post Libros sacros lecta fuit [3]. Alteram ad eosdem s. Clemens scripsit epistolam, quae *et ipsa,* inquit Photius, *institutionem admonitionemque vitae continet melioris* [1]. Sed huius solum superest fragmentum, quod una cum priori epistola integra e bibliotheca regia Britannica anno 1633 publici iuris fecit Patricius Iunius [2]. Duas alias eiusdem s. Clementis epistolas, syriace scriptas ad Fratres et Sorores de laude virginitatis, e codicibus syriacis ediderunt Wetstein [3] et I. T. Beelen, in Universitate catholica Lovaniensi professor [4]. Reliqua, quae sub nomine s. Clementis veniunt scripta, eruditorum iudicio sunt supposititia, puta, *Recognitionum* libri decem, Epistolae *Decretales* quinque, Homiliae novemdecim, Constitutionum Apostolicarum libri octo, et Collectio canonum apostolicorum, qui sicut Constitutiones illae Apostolis ut auctoribus et Clementi ceu collectori falso adscripti sunt. Existimant multi, quod istae collectiones Constitutionum et Canonum apostolicorum congestae fuerint priori saeculi IV tempore ex disciplina ecclesiastica quae per tria priora saecula obtinuit; cum enim haec disciplina e praeceptis et regulis apostolicae traditionis esset formata, ideo forsan istae constitutiones et canones nomen Apostolicum acceperunt [5].

S. Clemens Ecclesiam gubernavit novem annis, post quos immortali corona donatus est [6]. De eius in Chersonesum Thraciae relegatione, deque miraculis et mortis genere plura refert Baronius [7], excerpta ex Actis s. Clementis, quae graece extant; sed haec plurium iudicio apocrypha sunt.

53. *Hierarchia metropolitana* — Porro e memoratis nuper litteris, quas Corinthia Ecclesia ad Romanam dedit manifeste patet, Romanam ecclesiam iam inde ab initio ceu

---

[1] Martinus Polonus in *Chronico* tradit, Cletum formulam hanc: *Salutem et Apostolicam Benedictionem,* litteris omnium primum inscripsisse. Verum id nullo fretus veterum testimonio adserit, nec ulla extat Cleti epistola, quae faciat eius rei fidem. Nullum Pontificem verbis illis usum reperimus ante Ioannem V et Sergium I, septimo Ecclesiae saeculo in finem vergente, quorum Bullas verbis illis notatas refert Mabillonius, *De re Diplomatica,* lib. 5 et 6. Ante Leonem IX vel saltem Gregorium VII, saeculo undecimo, formulam istam non fuisse stabili usu receptam censet Daniel Papebrochius in *Conatu Chronico Historico ad Catalogum Pontificum Romanorum*, et Ioannes Garnerius, *Dissert.* I ad Librum Diurnum Romanorum Pontificum.

[2] IV, 3.

[3] S. Iren., l. III, c. 3; Origen., *De principiis,* l. II, c. 3; Dionys. Corinth., apud Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 23; Clem. Alexandr., *Strom.* l. III, IV, VI; s. Hieron. *Catal.*; alii.— * Nunc cura ac studio schismatici metropolitae Serensis *(in Macedonia)* Philothei Bryennios, integrae possidentur Clementis epistolae, quarum altera hodie fere universali consensu isti Pontifici non adscribitur, quamvis veluti monumentum priorum Ecclesiae saeculorum ab omnibus habeatur. Integrum textum graecum harum Epistolarum invenit Bryennios in manuscripto Bibliothecae monasterii patriarchalis Jerosolymitani, et an. 1875 Constantinopoli accurate edidit. Ex cc. LVII, vers. 7 ad LXIII, quibus prima epistola aucta est, plurimum crevit eius praestantia. Nam fatentibus ipsis protestantibus (vid. *Clementis Romani ad Corinth. quae dicuntur Epistolae textum ad fidem Codd. et Alexandrin et Cpni nuper inventi, recensuerunt et illustraverunt Ascar de Gebhardt, Adolph. Harnack*; Lipsiae I. C. Hinrichs 1876) ex iis luculenter eruitur potestas Episcopi Romani super alias Ecclesias. Brevi post inventa fuit in Gallia antiqua versio syriaca ipsarum epistolarum etiam integra, quae praecise respondet textui graeco edito a Bryennio. Utriusque epistolae nec non aliorum Patrum Apostolicorum operum accuratam editionem pro catholicis dedit Franc. Xav. Fung, Tubingae 1878.

[1] *Biblioth. Cod.* 126.

[2] Apud Coteler., *Patres apostol.* t. I; Galand., *Bibliotheca veterum Patrum*, t. I.

[3] *N. Testamentum graecum,* 1752, in-fol.—Vide etiam Dom Remy Ceillier, *Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclésiastiques*, t. I, l. III, c. X, art. III, Paris 1858.

[4] S. Clementis Rom. *Epistol. binae de Virginitate,* syriace, cum notis et interpret. latin. Lovan. 1856, in-4 et 8.

[5] Apud Coteler., l. c.; et Labbe, *Concilior.* t. I; Migne, *Patrol.* cit. ser. Graec. t. I et II; Cf Coteler. ibid.; Schelstrate, *Antiquit. eccl. illustrat.* part. II, diss. 2; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 18-19.

[6] Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 36; s. Hieron., *Catal.*

[7] *Annal.* ad an. 100-102.

omnium Ecclesiarum matrem ac magistram agnitam fuisse. Huius primatus documenta plurima nobis exhibet primorum Ecclesiae saeculorum historia, ut per eorum decursum videbimus. Praeterea sicut inter Romanam et caeteras ecclesias, ita inter has ipsas ab initio certus hierarchicus ordo extitit. Quum enim Apostoli plerumque in civitatibus maioribus seu metropoliticis Evangelium praedicarint, et ecclesias fundaverint, a quibus aliae Fidem acceperunt, illae ab his veluti ecclesiae matres habebantur, et in rebus difficilioribus consulebantur, illarumque episcopi caeteris certa auctoritate et honore praestabant. Unde fundamentum hierarchiae seu systematis metropolitici plures eruditi ab ipsis Apostolis repetunt. Inter ipsos metropolitas episcopos a priscis temporibus alii aliis honore iuribusque superiores extiterunt. Inter omnes honore et privilegiis eminuerunt Romanus in Occidente, Alexandrinus in Ægypto, et Antiochenus in Syria; tum quod eorum sedes essent in principibus imperii civitatibus, tum maxime quod ab ipso Petro Apostolorum principe originem repeterent. « Ipse enim (Petrus), ut pulcre ait s. Gregorius M., sublimavit sedem (Romanam), in qua etiam quiescere et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem (Alexandrinam), in qua evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem (Antiochenam), in qua septem annis quamvis discessurus sedit[1] ». Secundum hunc ordinem maiorum sedium antistites dicti sunt archiepiscopi, primates, exarchae, et Roman. Alexandr., et Antiochen. patriarchae. Haec eorum nomina, iura atque privilegia pedetentim usu primum et consuetudine inducta, deinde in conciliis magis explicata atque definita sunt; ipsa vero res ex apostolica traditione repetitur. Revera can. 4, 6 et 7 Concilii Nicaeni I, an. 325 celebrati, patriarchica et metropolitica iura non instituerunt, sed *secundum acceptam a Patribus regulam et mores antiquos confirmarunt*[2].

54. *Hermas, Dionysius Areopagita* — S. Clementi Romano aequalis fuit s. Hermas, quem apostolus Paulus in sua epistola ad Romanos[3] salutat. Sub eius nomine extat liber inscriptus *Pastor*, qui constat quatuor visionibus, duodecim praeceptis, et decem similitudinibus, continetque instructiones utilissimas[1]. Quidam hunc librum scriptum existimant saeculo sequente ab alio Herma, fratre Pii pp. I. Mosheim, Bruckerus, iisque similes, quorum interest apostolicos Patres exagitare, *Pastorem* Hermae petulantibus censuris perstrinxerunt. Contra, s. Irenaeus, Origenes, s. Athanasius, aliique Patres illum summopere laudarunt, et veteres Christiani in pluribus ecclesiis eumdem post Libros ss. legebant. Gelasius I in Romana synodo eum apocryphis scripturis adnumeravit, non quod foret doctrinae noxiae, sed quod esset extra canonem Librorum Divinorum, cui eum quidam inserendum putarant[2].

In maxima vero disceptatione positum est, num genuina sint opera, quae adscribuntur s. Dionysio Areopagitae. Hunc se ab apostolo Paulo, in areopago Atheniensi praedicante, ad christianam Fidem conversum vidimus. Postea creatus fuit episcopus ecclesiae Atheniensis[3], vitamque martyrio clausit. Eum diversum esse a s. Dionysio Parisiensi, hodie consentiunt eruditi. Sub eius nomine extant libri, qui sequuntur: *De coelesti hierarchia, De ecclesiastica hierarchia, De divinis nominibus, De theologia mystica,* et *Epistolae* decem[4]. Quum iam a VI saeculo Patres horum operum meminerint, sequitur ea, si non a s. Dionysio, saltem IV aut V saeculo ab auctore incerto fuisse conscripta[5].

55. *Persecutio sub Domitiano* (*an.* 93)— Domitianus imperator Romanorum, primis principatus sui annis clementiam Titi fratris sui imitari visus est. Postea ad tantam saevitiam descivit, ut a Iuvenali Calvus Nero, a Tacito Nerone saevior fuerit cognominatus. In christianos cruentam persecutionem excitavit. « Cum iam multa, inquit Eusebius, in multos crudelitatis suae specimina edidisset (Domitianus), nec paucos nobilium atque illustrium virorum urbis Romae iniuste interemisset, alios praeterea innumerabiles summae dignitatis viros licet insontes exilio et bonorum proscriptione multasset,

---

[1] L. VII *Epist.* 40, alias 37, quae est *ad Eulog. Alexandr.*

[2] Cf Thomassin, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina,* t. I, p. I, l. I; A. Bianchi, *Della potestà e della politia della Chiesa,* l. II, c. I, t. IV; Selvaggi, *Antiquitat. christ.* t. I, l. I, c. 17 et 20; Mamachi, *Origines et antiquit. chr.* t. IV, l. 4; Carolus a s. Paulo, *Geographia sacra,* l. I; Schelstrate, *Antiquit. christ.*

[3] XVI, 14.

---

[1] Extat latine apud Coteler., *Patres Apostol.* t. I; Migne, *Patrol.* cit. ser. Graec. t. II.

[2] Cf N. de Nourry, *Apparat. ad Biblioth. Patrum,* diss. IV; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, c. 12, a. 9; Tillemont, *Mémoires,* t. II, p. 121.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 4.

[4] Edita graece et latine, Antv. 1634, et Venet. 1757, 2 vol. in-fol. Item Migne, *Patrol.* cit. t. III-IV.

[5] Cf Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 2; Roncaglia, *Animadvers.,* l. c.; Berti, *Hist. seu Dissertat. eccl.* t. II, p. 118.

ad extremum Neronianae impietatis, bellique et odii adversus Deum successorem seipsum professus est. Quippe hic secundus persecutionem in nos concitavit[1] ». De eodem imperatore scribit Orosius: « Per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimae persecutionis edictis, convellere auderet[2] ». Eiusdem persecutionis testes sunt Lactantius[3] et Sulpicius Severus[4]. Illius initium Eusebius assignat anno 93; perduravit vero usque ad Domitiani interitum, qui contigit anno 96[5].

Quam cruenta fuerit haec persecutio, colligi potest e saeva imperatoris indole et stulta arrogantia, qua sibi divinos honores vindicavit. Et non solum exilio et bonorum spoliatione, sed etiam mortibus in christianos fuisse animadversum, confirmant etiam scriptores profani. Testatur Dio Cassius, Domitianum multos impietatis in Deos causa (id crimen ethnici inferebant christianis, quod cultum deorum spernerent) damnasse; alios fuisse occisos, alios facultatibus suis spoliatos; Acilium Glabrionem exconsulem, et Flavium Clementem, virum consularem et ipsius Domitiani patruelem, eadem de causa gladio percussos; Flaviam Domitillam, Clementis uxorem, in insulam Padetariam relegatam[6]. Testatur Brutius, multos christianos anno Domitiani 14, qui est 94 post Christum natum, martyrio subiisse[7]. Ex eodem Brutio refert Eusebius, anno 15 Domitiani Flaviam Domitillam, Clementis e sorore neptem, cum aliis multis propter confessionem Christi deportatam fuisse in insulam Pontiam[8]. Eiusdem imperatoris iussu s. Ioannem apostolum et evangelistam, Romae in ferventis olei dolium fuisse coniectum, et ex eo insigni miraculo liberatum in insulam Pathmon relegatum, tradunt Tertullianus[9] atque s. Hieronymus[10].

Ex iis patet, quae fides habenda sit Dodwello scribenti, hanc persecutionem vix uno anno durasse et minime fuisse cruentam[11].

Domitianus vero Neronis impietatem imitatus, parem ac ille sortem habuit. Omnibus odiosus factus, anno 15 sui imperii absoluto a familiaribus suis occisus est. Tantum erat, Dione teste, civium in eum odium, ut omnes eius statuae sive aureae sive argenteae in massam fuerint conflatae et nomen e lapidibus rasum.

56. *Ecclesiae pax sub Nerva* (*an.* 96)— Sublato Domitiano senatus militumque assensu imperium adeptus est Cocceius Nerva, qui ab anno 96 usque ad 98 illud moderatus est. Is e senatus consulto Domitiani acta rescidit et ab eo in exilium actos revocavit. «Eos, inquit Dio Cassius, qui rei facti erant impietatis (quo designabantur Christiani), absolvit, exulesque restituit[1] ».

57. *S. Ioannes Apostolus* — Hac caesaris indulgentia apostolus Ioannes ex insula Pathmo, in quam a Domitiano fuerat relegatus, Ephesum rediit; ecclesias Asiaticas, tum persecutione Domitiana tum haereticorum, maxime Cerinthianorum et Ebionitarum, sermonibus turbatas, composuit, firmavit, idoneosque in eis ministros constituit, et usque ad exitum huius saeculi vixit[2].

Ioannes quum in Pathmo exul esset, Apocalypsim seu revelationis librum conscripsit. In hoc libro, multis mysteriis gravido, Ioannes septem ecclesias Asiae hortatur et instruit; quorumdam vivendi rationem corripit et emendat; de futuris Ecclesiae rebus maxime sub mundi finem multa vaticinatur; Religionis christianae de iudaismo et ethnicismo triumphum, coelestisque Ierusalem gloriam sub nobilissimis symbolis describit[3]. Ab exilio redux scripsit Evangelium, ut iam diximus[4]. Scripsit praeterea tres epistolas. In prima totus est, ut adversus memoratos haereticos incarnationis Iesu Christi mysterium, humanique generis per eum redemptionis oeconomiam vindicet. Eidem argumento insistit in secunda, scripta ad Electam dominam eiusque filios, quibus gratulatur, quod rectam de Iesu Christo fidem teneant, hortaturque eos, ut in eadem perseverent, et bonis operibus maxime charitatis ac obedientiae eam exornent. In tertia Caium magnopere laudat, quod in veritate, in recta fide et charitatis operibus ambulet, hortaturque ad perseverantiam.

---

[1] *Hist. eccl.* l. III, c. 17. — [2] *Hist.* l. VII, c. 10.

[3] *De mortibus persecutor.*, c. 3.

[4] *Hist. sacr.* l. II.

[5] *Chron.* Cf Pagi, *Crit. in Annal. Baron.* ad ann 90 et 93; Dionys. Petav., *Doctrina tempor.* l. XIII; Th. Ruinart, Praefat. ad *Acta martyr.* n. 127.

[6] Apud Xiphilin., *Domitianus.*

[7] Apud Euseb., *Chronicon.*

[8] *Hist. eccl.* l. III, c. 18.

[9] *De praescript.* c. 36.

[10] *Contra Iovinian.*, et *Catal.*

[11] *Dissertat. Cyprian.* XI, n. 16. Cf Ruinart, l. c.; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 5.

---

[1] Apud Xiphilin., *Nerva*; Euseb., *Hist. eccl.* l. III, c. 20; Lactant., loc. cit.

[2] S. Iren., l. III, c. 3; Euseb., l. c. c. 23.

[3] Olim quidam Apocalypsim s. Ioanni apostolo abiudicarunt; at illam ut genuinum eius opus iam a saeculo II et deinceps laudarunt potiores Ecclesiae Patres. Cf Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. I, c. XII, a. 2, § 5.

[4] Videsis p. 14.

58. *Canon Librorum SS.*—Cum s. Ioanne clauditur catalogus ss. Scriptorum, quorum scilicet libri in canonem Divinarum Scripturarum ab Ecclesia relati sunt, ideoque ut divinitus inspirati et regula Fidei sunt habendi. Talis semper fuit de utriusque Testamenti libris Ecclesiae fides atque doctrina. Primis quidem saeculis de quibusdam libris, qui deutero-canonici dicti sunt, dubitatum fuit, sed non nisi quarumdam tantum particularium Ecclesiarum dubio fuerunt, quae iam saeculo V, ubi melius de generali ecclesiarum traditione hac in re constitit, penitus sublata fuit. Quum vero saeculo XVI haeretici protestantes quosdam libros e s. Canone expungere ausi essent, Tridentini concilii Patres veterem utriusque Testamenti canonem rursus auctoritate sua confirmarunt, eosdem libros divinos recensentes, quos perennis traditio Ecclesiae ut tales recepit [1].

59. *Traditio*—Non solis vero Libris Canonicis totum Fidei christianae depositum continetur, ut novatores contenderunt, sed etiam Traditionibus. Constat enim, Apostolos alia scripto alia viva voce fidelibus tradidisse [2]. Unde omnibus retro saeculis Ecclesia duplicem Fidei regulam, Scripturam et Traditionem, venerata est. «Non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, inquit s. Ioannes Chrysostomus, sed multa etiam sine litteris; eadem vero fide digna sunt tam illa quam ista [3]». Et s. Irenaeus: «Quid autem, si neque Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias [1] ».

60. *Disciplina arcani*—A prima etiam Ecclesiae aetate profecto est celebris disciplina Arcani, quae in tradendis ss. Mysteriis primitus servabatur; ita nimirum, ut qui ad Fidem christianam se convertebant et baptismum postulabant, primo de veritatibus apertis et simplicibus, officiisque christianae vitae instituerentur; difficiliora vero et abstrusiora dogmata, mysteria et sacratiores sacramentorum ritus non nisi initiatis seu baptizatis traderentur. Ratio huius disciplinae erat, ut sic catechumenorum pietas et fervor excitarentur ad cognoscenda et participanda sacra mysteria; ut his mysteriis reverentia conciliaretur; ut ea Iudaeorum aut ethnicorum ludibrio non exponerentur. Ubi autem ethnica superstitio ubique fere esset sublata, ista disciplina sua veluti sponte desiit, in Oriente labente saeculo V, in Occidente cadente saeculo VI. Hinc mirum non est, quod Patres apostolici iisque proximiores in scriptis suis vel sileant vel non nisi parce ac obscure de quibusdam dogmatibus, mysteriis et sacramentorum ritibus loquantur. Id non eorumdem dogmatum aut mysteriorum ignorationi, ut adversarii contendunt, sed necessitati custodiendi arcani tribuendum est [2].

---

[1] Cf Bellarmin., *Controvers.* t. I, l. 1-2; Melch. Can., *De locis. theol.* l. II; Bonfrer., *Praeloq. ad Menoch.*, t. III, c. 3; Bergier, *Traité hist. et dogmat.* t. IV, V, VIII; I. B. Malou, *La lecture de la s. Bible en langue vulgaire*, t. II, c. 8.

[2] *II ad Thess.* II, 14; *I ad Cor.* XI.

[3] *Homil.* IV *in II ad Thessal.*

[1] L. III. Cf Natal. Alexandr., *Hist. eccl.* saec. II, diss. 16; Bellarmin., *Controvers.* l. IV, c. 7; FF. Walemburg., *Tract.* IV *De traditione*; Melch. Can. *De locis theol.* l. III; I. Perrone, *De locis theol.* part. II, sect. 2.

[2] Apostolicam huius disciplinae originem et subiectam ei materiam inficiati sunt G. E. Tentzelius, *Exercitat. select.* part. II; Is. Causabon, *Exercit.* 16 in *Annal. Baron.*; Sam. Basnage, *Exercit. hist. crit. adv. Baron.* p. 489; I. Clericus, *Hist. eccl. duor. prior. saec.* ad an. 118. Eos confutarunt E. Schelstrate, *De disciplina Arcani*; Lupus, *Schol. in Tertull. de Praescript.* c. 41; A. Pagi, *Critica in Baron.* ad an. 118; C. Chardon, *Histoire des Sacrements*, l. I; Azevedo, *De discipl. Arcani et Liturgiis*; Card. Bona, *De reb. liturg.*, l. I, ed. Sola; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. I, c. 15-18.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA SECVNDA

A MORTE S. IOANNIS APOSTOLI VSQVE AD CONVERSIONEM CONSTANTINI M. AN. 312.

PROOEMIVM

In praecedenti epocha consideravimus Ecclesiae a Christo institutae primordia, miram propagationem, statumque internum atque externum sub Apostolis eorum discipulis. Nova haec epocha nobis exhibebit admiranda eiusdem Ecclesiae incrementa, eiusque non tantum in omnibus imperii Romani provinciis, sed in aliis etiam regnis inter ipsos populos barbaros extensionem, nihil obstantibus persecutionibus contra eam excitatis. Enimvero durante hac epocha persecutiones fuerunt tam frequentes, ut Ecclesia vix quaedam intervalla, omni ex parte quieta, nacta sit. Etiam sub iis ipsis imperatoribus, qui ceteris aequiores et mansuetiores, nulla persecutionis edicta promulgaverunt, Christiani saepius paganae plebis, per tumultum erumpentis, saevitiam, magistratuum iniquitatem et sacrificulorum invidiam experti sunt. Nihil porro est, quod ad exscindendam Ecclesiam non tentarint persecutores. Bonorum proscriptiones, exilia, carceres, membrorum abscissiones, totius corporis mutilationes, vivorum combustiones, aliaque mortis supplicia, quae non sine horrore leguntur, contra eos, qui Christo Iesu nomen dabant eiusque Religionem eiurare nolebant, fuerunt exercita [1].

Cum persecutoribus in Religionis expugnationem conspirarunt philosophi ethnici, quorum alii in universum eo animum intendebant, ut sophismatis Religionis christianae dignitatem deprimerent, illam calumniis proscinderent, coelestis sapientiae disciplinam vanitatis ac stultitiae arguerent, risuique publico exponerent; alii, nempe haeretici Gnostici, placitis philosophicis veram Christi doctrinam corrumpebant.

Verumtamen omnes has persecutiones atque certamina ad maiorem Ecclesiae triumphum atque splendorem direxit divinus illius Institutor. Persecutoribus opposuit constantiam martyrum atque confessorum; contra philosophos atque errorum magistros excitavit *apologistas* aliosque egregios Religionis christianae vindices. Unde effectum est, ut ipsae persecutiones ad extensionem Ecclesiae contulerint, et quo magis ab hostibus opprimerentur Christiani, eo magis multiplicarentur, ut testatur Tertullianus [1].

1. *Ecclesiae status sub Traiano* — Post Coccei Nervae mortem, quae contigit anno aerae christianae 98, Romanum imperium accepit M. U. Traianus, hispanus, qui imperavit usque ad annum 117. Sub eius principatu persecutiones in Christianos instauratae sunt. « Sub hoc, inquit Eusebius, cuius nunc tempora commemoramus, Traiano particularem quamdam per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persecutionem accepimus [2] ». Tumultuosa plebs et magistratus christianos, quos oderant, tanto liberius persequebantur, quanto magis Traianus deorum cultui in omnibus consultum cupiens, Religionis christianae progressionibus invideret. Haec autem iam ita propagata erat, ut Plinius II ad Traianum scriberet, non tantum per civitates, sed et per vicos et agros omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus multos colere Christum [3]. Traianus ipse, cum bellum Parthis illaturus Antiochiam venisset, s. Ignatium, huius urbis episcopum, propter vitae sanctitatem et religionis fervorem in universa Ecclesia celebratissimum, condemnavit, ut Romam duceretur et in amphitheatro a leonibus discerperetur [4].

Praeter s. Ignatium plures alios in Syria christianae Fidei causa fuisse morte affectos, colligimus ex epistola D. Polycarpi ad Smyrnenses. In Palaestina quaestiones institutas et animadversum fuisse in Christianos, novimus e martyrio s. Simeonis, episcopi Hierosolymitani, quod ex Hegesippo refert Eusebius [5]. Parem saevitiam in Asia

[1] Videsis A. Gallon, *De ss. martyr. cruciatibus*, Paris. 1660, in-4.

[1] *Plures efficimur*, inquit, *quoties a vobis metimur*; *Apol.*

[2] *Hist. eccl.* l. III, c. 32.

[3] *Epist.* 97, l. X.

[4] *Acta martyrii s. Ignatii*, apud Usserium, Ruinart, Cotelier. — [5] Loc. cit.

proconsulari exercitam contra christianos ab Arrio Antonino, testatur Tertullianus [1]. Notae sunt Plinii II, Bityniae proconsulis, et Traiani imperatoris epistolae. Ille ad hunc scribebat, se eos, qui tanquam christiani delati fuerant, interrogasse, confitentibus supplicia minatum, et perseverantes morte affecisse; attamen post habitas quaestiones nihil aliud de eorum sacramentis comperisse, quam quod praeter obstinationem non sacrificandi, coetus antelucanos celebrarent ad canendum Christo ut Deo et ad instituendam disciplinam; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et alia crimina prohiberent; ideoque se iudicasse de iis ad imperatorem esse referendum maxime propter multitudinem eorum, qui in periculum vocabantur [2]. Rescripsit ad eum Traianus, eiusmodi generis homines (christianos) non esse quidem conquirendos, puniendos tamen, si deferantur et in religionis suae confessione perseverent [3]. « Quo facto, inquit Eusebius, persecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, restrictum quidem aliqua ex parte videbatur, iis tamen, qui nos maligne et fraudulenter aggredi volebant, non minor opportunitas suppetebat, interdum populo, interdum praesidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus: adeo ut si non palam et publice, locales tamen in nonnullis provinciis persecutiones exardescerent et plurimi fideles multiplicis martyrii certamen subirent [4] ».

Hinc Traiani responsum merito suggillavit Tertullianus: « O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis? [5] »

2. *S. Ignatius et alii martyres* — E compluribus, qui in hac persecutione pro Christo Domino martyrium passi sunt, maxime noti sunt, Ignatius episcopus Antiochenus; Simeon episcopus Hierosolymitanus; Barsimaeus episcopus Edessae in Syria; Sarbellius et soror eius Barbea ibidem; Flavia Domitilla virgo, eiusque eunuchi Nereus et Achilleus; Antistius Dyrachii in Macedonia episcopus; Phocas episcopus Synopidis in Ponto; Iulianus presbyter et Caesarius diaconus Terracinae; Eutropius episcopus Xanthi; Victorinus episcopus Amiterni; Romulus aulae Traiani praefectus; Hyacinthus, Eudocia, Eustachius cum Theopista coniuge et liberis.

Post haec, quae attulimus, facile intelligitur, quantus sit error vel fraus eorum scriptorum, qui dicunt, admodum paucos christianos sub Traiano martyrium subiisse. Praeterea dum legimus ea, quae contra illos gesta sunt a Plinio et Arrio Antonino, iudicare licet de iis, quae in reliquis provinciis christiani perpessi sint; cum harum praefecti Plinio et Antonino utique non essent aequiores et mansuetiores, neque ulla adferri possit causa, cur christiani in Palaestina, Bithynia et Asia, non vero in caeteris provinciis vexarentur [1].

3. *Epistolae s. Ignatii* — Extant etiamnum s. Ignatii Antiocheni epistolae septem, pietatis, religionis studio et martyrii desideriis plenissimae [2]. Earum I^a^ est ad Ephesios, II^a^ ad Magnesianos, III^a^ ad Trallianos, IV^a^ ad ecclesiam Romanam, quam eminentiae supra caeteras causa vocat *sanctificatam, illuminatam per voluntatem Dei, Deo dignam, laudandam, beatificandam, spiritu plenam*, V^a^ ad Philadelphienses, VI^a^ ad Smyrnenses, VII^a^ ad D. Polycarpum. Sanctus praesul omnes, ad quos scribit, hortatur ad concordiam, ad mutuum amorem, ad obedientiam sacris ministris praecipue episcopis; confirmatque in doctrina apostolica contra serpentes haereses.

Eo autem pretiosiora sunt haec ecclesiasticae antiquitatis monumenta, quod in iis primaevae Ecclesiae imago propemodum viva reddatur, et non tantum res tunc gestae, sed et ecclesiastica hierarchia, disciplina et apostolicarum ecclesiarum traditiones veluti in tabula expressa exhibeantur. Nonnulli quidem has s. Ignatii epistolas oppugnare ausi sunt; at eorum audaciam confregerunt non tantum catholici [3], sed etiam sapientiores heterodoxi [4]. Aliae octo episto-

[1] *Ad Scapulam*, c. 5.
[2] Plin. l. c.; Euseb. l. c.
[3] Plin. l. X, Epist. 98; Euseb. l. c.
[4] Ibid. — [5] *Apolog.* c. 2.

[1] Cf Ruinart, Praefat. ad *Acta SS. martyr.* n. 3; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. I, c. 10.
[2] Edit. a Busserio, Vossio. Cotelier, *Patres apost.* t. II; Gallandi, *Bibl. veter. Patr.* t. I; Migne, *Patr. graec.* t. V.
[3] Nourry, *Apparat. ad Biblioth. PP.* diss. VII; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. I, diss. 23; Mamachi, *Origin. et antiquit. chr.* t. IV. — Cf etiam Ceillier, *Op. cit.* ed. 1858, cuius recens eruditus editor, t. I, lib. 3, c. XI, art. 2, loquens de MS. codice syriaco, quem Cureton an. 1843 reperiit, trium literarum D. Ignatii martyris ad s. Polycarpum, ad Ephesios et ad Romanos, multa addidit iis, quae iam auctor Ceillier praefatus fuerat de veritate septem epistolarum eiusdem Martyris.
[4] Pearson, *Vindiciae Ignatianae*; Grabe, in not. ad *Spicileg.* saec. II; item Vossius, Usserius.

lae, quae praeter septem memoratas, sub nomine s. Ignatii circumferuntur, omnium consensu apocryphae sunt.

4. *Ss. Anacletus*, *Evaristus*, *Alexander Pontifices* — S. Clemente anno circiter 100 vita functo, ad summum Ecclesiae pontificatum evectus fuit s. Anacletus, qui secundum Librum Pontificalem annis novem, secundum alios annis duodecim sedit; quam discrepantiam tollit L. Berti asserens, Anacletum duobus annis sedisse tanquam vicarium s. Clementis, anno 98 Traiani iussu in Chersonesum Thraciae deportati [1].

Porro consentiunt omnes critici, chronologiam Romanorum Pontificum, qui duobus prioribus Ecclesiae saeculis sederunt, esse valde implicatam. Verumtamen isthaec chronologorum discrepantia de successionis ordine et accidentibus non officit ipsi rei seu successioni; omnes quippe consentiunt de legitima et non interrupta RR. Pontificum successione. Caeterum ad stabiliendam Pontificum seriem et chronologiam cum Libro Pontificali conferendi sunt vetustiores Pontificum catalogi [2].

S. Anacletus *Memoriam B. Petri construxit et composuit,* teste auctore Libri Pontificalis, *idest*, ut explicat Altaserra, *Ædem sacram dicavit B. Petro.* Quae Ædes nullo unquam persecutionis turbine deiecta, sed maiore in annos splendore aucta in eam tandem crevit Templi amplitudinem, quae omnium admirationem in se convertit [3]. S. Anacletus autem, post fidelem ecclesiarum administrationem, martyr occubuit anno circiter 110. Extant sub eius nomine tres epistolae decretales, una ad episcopos et fideles, altera ad episcopos Italiae, tertia ad omnes episcopos et sacerdotes; sed has aliasque RR. Pontificum usque ad Siricium epistolas decretales, iis exceptis, quas ss. Patres et veteres rerum ecclesiasticarum scriptores commemorant, esse supposititias, consentiunt periti [4].

Post s. Anacletum Ecclesiae regimen demandatum fuit s. Evaristo, Bethlemitae, qui eo novem annis functus est. Ei acceptum refert *Liber Pontificalis* mandatum, ut septem diaconi concionanti pontifici adessent, tum ad muneris maiestatem commendandam, tum ut contra aemulorum calumnias essent sanae doctrinae testes et veritatis stilum in praedicationis officio addiscerent [1]. In eodem libro legitur, hunc Pontificem titulos in urbe distribuisse presbyteris. Tituli vero sunt aedes sacrae seu ecclesiae, quibus certi presbyteri et ministri habentur adscripti. Qui autem in urbe Roma his titulis erant praepositi, presbyteri et diaconi, in iis sacris ministeriis fungebantur, R. Pontifici in ecclesiarum regimine opem ferebant, eius senatum constituebant, et postea Cardinalium nomen acceperunt, quod R. Ecclesiae, omnium aliarum cardini, sunt adstricti [2]. Praeterea s. Evaristum esse primum, qui consecrationem ecclesiarum in morem induxerit, quorumdam opinio est; sed verisimilius censet card. Bona, morem consecrandi ecclesias esse originis apostolicae, et s. Evaristum forsan istum morem decreto confirmasse aut caeteris caeremoniis hoc adiunxisse, ut ecclesiae non consecrarentur sine sacrificio Missae [3].

Post s. Evaristi obitum, anno circiter 119, Romano pontificatu functus est s. Alexander, patria Romanus. Hunc praetermittit D. Optatus Milevitanus, post Evaristum numerans Xystum [4]; quod vel Optati oblivione vel potius amanuensium incuria factum esse, observat Sandini [5]; nam apud s. Irenaeum, Eusebium, s. Epiphanium, s. Augustinum et alios, post Evaristum numeratur Alexander [6].

Legitur in Libro Pontificali, s. Alexandrum esse auctorem ritus aquae benedicendae cum sale et Christianorum domibus aspergendae; sed card. Bona [7] et Baronius [8] existimant, eum ritum esse ex traditione apostolica ortum et ab Alexandro confirmatum. Ad altiorem quoque originem revocanda esse, quae de commemoratione dominicae passionis in Missae sacrificio et de aqua vino miscenda pro consecratione calicis ab eodem Pontifice instituta narrantur, observant

[1] *Dissert. de RR. PP. I et II saec.*

[2] Celebriores catalogi sunt *Liberianus*, aetate Liberii papae confectus et a Bucherio editus, et ii, quos ediderunt Henschenius et Papebrochius, *Acta SS.* t. I april.; Schelstrate, *Antiquit. Eccl. illustrat.* t. I in appendice; Pagi, *Critica ad Baron.* in *Apparat. chronol.*

[3] Vid. Baron. ad an. 106, et vitam Iulii II, Pontificis, apud Antonium Sandini, *Vitae Pontificum Romanorum*, part. II.

[4] Baron., ad an. 865; Bellarmin., *Controvers.* l. II *de R. Pontif.*, c. 14; Bona, *Rer. liturg.* l. I, c. 3; alii.

[1] Ciacon., *Vitae RR. Pontif.*; Bianchini, *Annotat. ad Anast.* t. II, p. 78.

[2] Mabillon, *Comment. in Ord. roman.* c. 3; card. Antonelli, *Dissert. de titulis, quos s. Evaristus presbyteris distribuit*; I. Tamagna, *Origine e prerogative dei Cardinali.*

[3] *Rer. liturg.* l. I, c. 20.

[4] *Contra Parmen.* l. II.

[5] *Vitae Pontif.* annot. *ad S. Alexandr.*

[6] Sandini, *ibid.*

[7] *Op. cit.* l. II, c. 13.

[8] *Annal.* ad an. 57.

idem cardin. Bona [1] et Sandini [2]. Apud quosdam invenies, s. Alexandrum decrevisse, ut ss. Eucharistia in azymo pane conficeretur; sed nullus huius decreti reperitur testis praeter Martinum Polonum, qui undecim post saeculis vixit. Verisimilius sentiunt ii, qui usum panis azymi ad conficiendam Eucharistiam in Ecclesia latina e traditione apostolica semper viguisse dicunt. Existimant nonnulli, ipsam Ecclesiam graecam primum azymo, deinde fermentato pane esse usam; alii vero in ea usum fermentati semper obtinuisse defundunt. Porro tum in azymo tum in fermentato pane triticeo Eucharistiam vere confici, definivit Concilium generale Florentinum [3].

5. *Ecclesiae status sub Hadriano* (*an.* 117) — Traianus imperator mortuus est anno 117. Quae autem de animae eius ab inferis liberatione, quam aiunt concessam D. Gregorii precibus, narrantur, fabulis adnumeranda sunt [4]. Successit ei Ælius Hadrianus, gente Hispanus, qui usque ad annum 138 imperavit. Quamvis hic nullis nefastis edictis Christianorum persecutionem imperarit, sub eius tamen imperio persecutiones populares, imperante Traiano coeptae, perdurarunt. Id evincitur tum ex actis martyrii s. Symphorosae et septem eius filiorum, tum ex apologiis Quadrati et Aristidis atque e litteris Serenii Graniani proconsulis, de quibus mox dicemus [5]. Etenim pagana plebs saepe Christianos turbulentis clamoribus ad mortem deposcebat, eiusque votis magistratus civitatum et praesides provinciarum facile annuebant, rati id haud ingratum fore imperatori, quem noverant idololatriae superstitionibus addictum. Quae autem Hadriani imperatoris in Christianos mens fuerit, vel ex hoc solo patet, quod in monte Calvariae ubi Christus mortuus est, Veneris, et Bethlehem ubi natus est, Adonidis simulacra erigi iusserit.

Popularibus his in Christianos persecutionibus causam saepe dederunt horrenda crimina seu calumniae, quae auctoribus Iudaeis de iis circumferebantur; nimirum quod non solum essent reipublicae hostes, sed etiam in conventibus suis infantes mactarent et comederent, luminibusque extinctis promiscuae libidini vacarent; quibus effingendis verisimiliter ansam praebuerunt ss. Eucharistiae sumptio et osculum pacis. Has calumnias non parum auxerunt infames Gnosticorum haereticorum sectae, quae christianum nomen sibi usurpantes, absurdis doctrinae suae portentis et infami suae vitae genere Christianos universos in communem infamiam protrahebant, amplamque occasionem calumniandi insontes et sinceros Christi cultores ethnicis praebebant [1]. Videbimus, quantum Christianorum apologistae laborarint ad refellendas istas calumnias.

6. *Gnosticorum sectae* — Gnosticorum haeresis iam praecedenti saeculo in lucem edita [2], hoc saeculo maiora incrementa, praesertim in Agypto et Syria, cepit, pluresque et diversae eorum sectae formatae sunt. Earum auctores fuere hi, qui sequuntur:

Saturninus, Antiochenus, qui imperante Hadriano errores suos vulgavit in Syria. Eorum summa haec est: Existere ab aeterno supremum Deum, seu Ens, qui angelos, virtutes et potestates creavit. Septem infimos angelos, planetarum rectores, condidisse mundum visibilem, et formasse hominem, scintilla vitae coelitus demissa animatum. Dei regno, horumque angelorum regimini obstitisse principem malum (satanam), qui hominibus coelesti vita praeditis, opposuit aliud hominum genus natura pravum. Christum, aeonum principem, umbra tantum carnis praeditum, a supremo Ente missum fuisse, qui hominibus contra satanam et homines pravos opem et salutem adferret. Nuptias et generationem veluti res a daemone inventas, esse evitandas [3].

Basilides, Alexandrinus, eodem tempore, quo Saturninus in Syria, errores suos disseminavit in Ægypto. Docebat autem, a supremo Deo prognatos esse septem aeones, et ab his angelorum principes. A primis angelis primum coelum et alios angelos; ab his secundum coelum iterumque alios angelos esse genitos, donec per continuas angelorum propagines 365 coetus gradatim nati essent, qui omnes et singuli mystico vocabulo *Abraxas* insigniebantur. A septem angelis infimi coeli, praesertim ab eorum primipilo Archon, Iudaeorum deo, procreatum fuisse hunc terrarum orbem. Ad animas humanas e corporeis vinculis liberandas et in regnum

[1] Loc. cit. — [2] L. c.
[3] A. Sandini, *Diss.* X-XI *ad Vitas Pontif.*; Natal. Alexand., *Hist. Eccl.* diss. XI *in saec. XI-XII.*
[4] Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. II, diss. I; Berti, *Hist. eccl.* saec. II, diss. 5.
[5] Cf Ruinart, Praefat. ad *Acta Martyr.* n. 4; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. II, c. 11.

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 7.
[2] Videsis, p. 25.
[3] S. Iren., l. I, c. 22; Tertullian., *De anima*, c. 23; s. Epiphan., *Haeres.* 23; Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 7; Theodoret., *Haeret. fabul.* l. I, c. 3.

lucis restituendas, aeonem Nun seu mentem se coniunxisse cum homine Iesu, dum in Iordane baptizabatur; sed instante passionis et mortis tempore, derelicto homine Iesu, ad originem suam rediisse [1].

Carpocrates, Alexandrinus, Saturnino et Basilidi aequalis. Is etiam mundi rerumque corporearum creationem Gnosticorum more exposuit. Iesum Christum, quem plerique aeonem, corpore tantum aethereo vel umbra corporis inter homines manifestatum docebant, merum hominem, caeteris tamen praestantiorem, dixit. Omne actionum externarum discrimen morale destruens, cuncta turpitudinis genera licita reddidit. Eius filius Epiphanius, doctrinae patris sui fervidus propagator, addidit, omnia in hoc mundo communia esse debere, ne mulieribus quidem exceptis [2].

Valentinus, Ægyptius, Alexandria, ubi Graecorum disciplinis et artibus studuerat, anno 140 profectus Romam, anno 160 in insula Cypro mortuus, commentus est Deum aeternum, non genitum, nempe Bythos, e quo utriusque sexus aeones triginta successive emanarant, qui pleroma seu divinitatem constituebant. Ab ultima aeone, Sophia, procreatam esse substantiam informem, Achamot; quae extra pleroma oberrans, vires vitales communicaverat materiae, cui praeerat satan, unde elementa spiritualia, vitalia et materialia orta sunt. Ex his elementis per Demiurgum, filium Achamot, conditum esse hunc mundum visibilem et procreatos homines. Ex omnibus aeonibus missum esse Iesum servatorem, qui Achamot et spirituales naturas in pleroma reduceret. Hunc aeonem in baptismo apud Iordanem se coniunxisse cum messia, quem Demiurgus naturis vitalibus promiserat, sicque homines seu naturas spirituales a satanae et vitales a Demiurgi imperio liberasse. Praeterea notantur Valentiniani ab antiquis scriptoribus propter pravos et corruptos mores [3].

Valentini commenta discipuli varium in modum evolverunt, et tum a pseudo-magistro suo tum inter se dissentientes, diversas factiones seu sectas produxerunt, quarum errores recensent veteres, s. Irenaeus, s. Epiphanius, Theodoretus, aliique. Praetermittimus pariter errores Adamitarum, Sethianorum, Cainitarum, Ophitarum, tum quod fuerint obscuri nominis sectae, tum quod omnes e Gnosticorum, praesertim Valentinianorum, scholis prodierint. Caeterum ii haeresiarchae potius mala fama, quam pravis suis moribus apud ethnicos de Christianis excitabant, quam orthodoxorum ad suas sectas traductione Ecclesiae nocuisse videntur.

7. *Iudaeorum status* — Dum Ecclesia christiana, nihil obstantibus persecutorum saevitia, philosophorum conviciis, ethnicorum et Iudaeorum invidia, haereticorum perfidia, magis magisque extendebatur, Iudaeorum status ad ruinam properabat. Anno 116, Traiani imperatoris 18, Iudaei Alexandriae et per totam Ægyptum ac Cyrenaicam ad seditionem proruperunt. Parem rebellionem excitarunt in Cypro. In quibus tumultibus non tantum magnam ethnicorum stragem ediderunt, sed permultos etiam Christianos interfecerunt. Marcus Turbo, romani exercitus dux, consertis contra rebelles praeliis, plura eorum millia neci dedit. In Mesopotamia Lucius Quietus ingentem eorum multitudinem armis prostravit. Quum Hadrianus imperator Iudaeos rursum rebelles repressisset, circumcisione interdixisset, et in loco, in quo fuerat templum Iehovae, aliud Iovi Capitolino sacrum excitasset, Iudaei exasperati, duce Barchocheba, qui se gentis liberatorem et promissum messiam iactitabat, atrocius quam unquam in Romanos arma verterunt; simulque in Christianos, armorum rebellium societatem fugientes, crudeliter saevierunt. At rebelles post plura praelia victi et ad internecionem caesi sunt, eorum arces destructae, et qui reliqui erant ex omni circa Ierusalem regione eiecti, patriumque solum vel e longinquo conspicere prohibiti sunt [1].

8. *Marcus episcopus Hierosolymitanus*— Tunc iuxta rudera veteris urbis Ierusalem novam urbem excitavit Hadrianus, quam Æliam capitolinam vocavit. Novis incolis Evangelium praedicatum fuit; et quum brevi tempore ibidem ecclesia e gentibus seu ethnicis conversis coaluisset, post quindecim episcopos e genere iudaico, qui ecclesiam Hierosolymitanam rexerant, Marcus, primus e genere gentili, illius summum sacerdotium suscepit. Ea omnia non absque divinae providentiae consilio, et in magnum Fidei christianae bonum effecta fuisse, ob-

[1] S. Iren., l. c., c. 23; Clem. Alex., *Strom.* l. IV; s. Epiphan., *Haeres.* 24; Theodoret., loc. cit. c. 2 et 4.

[2] S. Iren., loc. cit. c. 24; Clem. Alex., *Strom.* l. III; Theodoret., l. c. c. 5; s. Epiphan., *Haeres.* 27.

[3] S. Iren., loc. cit. c. 22; Clem. Alex. *Op. cit.* l. II; Tertullian., L. *adv. Valentin.*; s. Epiphan., *Haeres.* 31.

[1] Dio in *Traiano* et *Hadriano*; Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 3 et 6; Sulpic. Sever., *Hist.* l. II.

servat Sulpicius Severus; quatenus sic Christiani a Iudaeorum persecutionibus fuerunt liberati, et periculum *iudaizandi* sub gratiae lege amotum [1].

9. *S. Xystus Pontifex* — Post s. Alexandrum, qui pontificatum decem annorum martyrio coronavit, Ecclesiae praefectus fuit Sixtus seu Xystus, patria Romanus, qui secundum Eusebium [2], et omnes RR. Pontificum catalogos sedit decem annis. De hoc Pontifice in Libro Pontificali legitur, quod decreverit, ut vasa sacra tantum a sacris ministris tangerentur, utque nullus episcopus, Roma ad ecclesiam suam rediens, susciperetur, nisi Apostolicae Sedis litteras *formatas*, veluti communionis tesseram, exhiberet. Eiusmodi litterae, a forma seu sigillo dictae *formatae,* perantiquae sunt in Ecclesia, perque eas ecclesiastica pax et communio, fideique seu doctrinae unitas capita inter et membra Ecclesiae significabantur et fovebantur; unde etiam *pacificae* ac *communicatoriae* dictae sunt; et ne in iisdem fraudi locus esset, earum ratio conciliorum canonibus, unde etiam *canonicae* dictae sunt, praescripta fuit [3]. — Trisagion *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* Missae sacrificio ab eo insertum, aliqui tradunt. Sed hoc solum est in Libro Pontificali, Xystum *constituisse, ut Missarum actionem* [4] *sacerdote incipiente, populus hymnum* (seu Trisagion) *decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Itaque Baronius [5] existimat, eo duntaxat spectasse Xysti decretum, ut huius hymni usus iam receptus *custodiretur sanctius* [6].

10. *Quadratus et Aristides apologistae* — Quum interim in multis provinciis persecutiones populares adversus Ecclesiam saevirent, in quibus, praeter Evaristum et Alexandrum pontifices aliosque, passi sunt Faustinus presbyter, Iovita diaconus, Sabina nobilis matrona, Serapia virgo, Symphorosa cum septem filiis; Quadratus, Apostolorum discipulus et s. Publii martyris in Atheniensi episcopatu successor, mora, quam Hadrianus imperator Athenis traxerat, in ecclesiarum commodum usus est, et imperatori egregiam Christianorum eorumque Fidei apologiam obtulit [1]. Paulo post Aristides, ex ethnico philosopho christianus, pariter Atheniensis, eidem imperatori apologeticam orationem pro Christianis obtulit, in qua ex ipsorum philosophorum sententiis illorum Fidem vindicavit [2].

Inter ipsos gentiles non defuerunt, qui Christianorum causam contra iniquos persecutiones defenderent. Clarissimus Serenius Granianus, Asiae proconsul, ad Hadrianum litteras dedit, iniquum sibi videri scribens, christianos, nullo obiecto crimine, indicta causa, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio occidi [3].

Hadrianus his omnibus in Christianos factus propensior, eos deinde, nisi per iudicia et legitimam accusationem criminis convictos, condemnari aut plecti vetuit; quin etiam in eorum calumniatores animadverti iussit. « Si quis eos detulerit, inquit ad Minucium Fundanum, Graniani successorem, probaveritque contra leges quidquam agere, tu pro gravitate delicti in eos statue. Sin, mehercule, calumniae causa istud intenderit, operam dabis, ut pro gravitate criminis in illum animadvertas [4] ». Hinc factum est, ut concitatae variis in locis adversus Ecclesiam persecutiones deferbuerint.

11. *Celsus philosophus* — Verum alterius generis hostes Ecclesia experta est, philosophos, scilicet, quorum alii, ut diximus, philosophicis placitis sinceram Christi doctrinam, ab Apostolis traditam, corrumpebant; alii in universum eo contendebant, ut fallacibus conclusiunculis christianas disciplinas vanitatis ac stultitiae arguerent, risuique publico exponerent. Ex his fuit Celsus, philosophus epicureus, odio in Christianos et calumniis, quibus eorum Religionem proscidit, notissimus. Talem quippe se prodidit in libro, qui *Sermo verus* inscriptus erat. Dudum eius liber deperditus et solum notus est e celeberrima illius refutatione,

---

1 *Op. cit.*

2 *Hist. eccl.* l. IV, c. 5.

3 Cf Baron., ad an. 142; Du Cang. *Glossar.*, v. *Formatae.*

4 Walafridus Strabo, *De rebus Ecclesiasticis*, c. 22, t. XV *Bibl. Patr.* p. 193, ait: « Actio dicitur ipse *Canon*, quia in eo sacramenta conficiuntur Dominica; *Canon*, vero, eadem *Actio* nominatur, quia in ea est legitima et regularis sacramentorum confectio ».

5 *Annal.* ad an 142.

6 Hymnus hic adhibitus in sacra Liturgia ex Iacobi Apostoli decreto legitur lib. VIII *Constitut. Apostolic.* c. 12. Bona, lib. II *Rer. Liturgic.* c. 10, subdit: « Duplex est Trisagion, istud nimirum, de quo nunc agimus, omnibus Ecclesiis commune, et illud, quod Graeci quotidie, Latini semel in anno graece simul et latine concinunt in magna Parasceve, nempe: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, cuius originem Felix III Pontifex narrat in Epistola ad Petrum Cnaphaeum ».

1 Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 3. — *Apologiae* Quadrati tantum superest fragmentum, ab Eusebio relatum, in quo auctor disserit de miraculis Christi.

2 Euseb., l. c. Oratio Aristidis penitus excidit.

3 Euseb. l. c. c. 8.

4 Ibid.; Sulpic. Sever., *Hist.* l. II; Oros. l. VII, c. 13.

quam libris octo elaboravit doctissimus Origenes. Celsus in libro suo, quantum ex eius refutatione colligi potest, tum falsis assertionibus tum calumniis et malignis Scripturarum detorsionibus oppugnavit historiam, religionem, moresque Iudaeorum et Christianorum. Mosem et Christum aggressus est; utriusque doctrinam contulit cum doctrina pilosophorum, hanc illi anteponendam contendens. Miracula Christi et eius discipulorum non negabat, sed magiae tribuebat. Fatebatur, Christum cum viveret, paucos habuisse discipulos, post passionem vero et mortem habuisse innumeros, qui eum ut Deum adorabant, ideoque ad cruenta supplicia fuisse damnatos. Christianos nullius criminis accusabat, nisi quod contra imperii leges occulte convenirent, deos spernerent, simulacra detestarentur. Alia non pauca, veritati christianae Religionis contra recentiores, adversarios confirmandae utilia, confessus est [1].

12. *S. Iustini initia* — Divina providentia, quae Ecclesiam a multigeneribus hostibus impugnari permisit, omni etiam aetate egregios illius vindices excitavit, qui scriptis doctissimis christianam Religionem propugnarunt, et adversariorum calumnias, dicteria et obiectiones confutaverunt. Ex his fuit s. Iustinus, philosophus et martyr; qui Neapoli in Samaria parentibus clarae stirpis, sed ethnicis natus, post litterarum studium assequendae verae sapientiae seu philosophiae desiderio omnium fere philosophorum, Stoicorum, Peripateticorum, Pythagoreorum, Platonicorum scholas delibavit. Demum sermonibus cuiusdam venerabilis senis, quem in solitudine circa mare obvium habuit, ad nobiliorem ac diviniorem philosophiam, christianam nempe, incensus, et christianorum in perferendis pro Fide suppliciis miranda patientia et heroica constantia permotus, Christo nomen dedit, eiusque Fidem, sincerissimamente amplexus est. Exinde ardentissimo animo et sacras Litteras perscrutari, et earum magistros, Apostolorum discipulos et successores, audire coepit, ut ad exantlandos Dei causa labores et subeunda cum adversariis certamina idoneum se praestaret. Quanto autem animo ac virtute id praestiterit, per decursum patebit [2].

13. *Ecclesiae status sub Antonino* (*an.* 138) — Hadrianum anno 138 extinctum in imperio romano excepit Antoninus cognomine Pius, qui usque ad annum 161 imperavit et propter aequitatem ac clementiam commendatur. Verumtamen prioribus eius imperii annis christiani a persecutione, quam privati et magistratus iis inferebant, minime liberi fuerunt. Constat id ex Apologia a s. Iustino ipsi Antonino imperatori oblata, ut mox videbimus; e veteri inscriptione s. Alexandro, sub Antonino martyrium passo, posita et in coemeterio Callisti reperta [1]; et ex actis martyrii s. Felicitatis et septem eius filiorum, qui iussu Antonini, ab idolorum sacerdotibus in Christianos excitati, Fidei causa variis suppliciis affecti fuerunt [2].

14. *Apologia I s. Iustini* — S. Iustinus, qui optime noverat pravas ethnicorum de christianis opiniones, turpes, quae contra sacrosanctam horum disciplinam vulgo spargebantur, calumnias, ac iniquam condemnandi christianos ob solum nomen absque ulla forma legali rationem, eorum causam palam defendit in Apologia, quam an. 150 ad imperatorem Antoninum, eiusque filios adoptivos, M. Aurelium et L. Verum, ad senatum, populumque romanum scripsit. In ea depingit saevam iniustitiam, qua christiani, nulla criminis instituta cognitione aut iudicio, solius nominis causa condemnabantur: illos a vulgaribus calumniis praeclare purgat: pluribus demonstrat eorum vitae innocentiam, erga principes fidem, singulare castimoniae studium, et verissimam in Deum verum, Patrem, Filium et Spiritum S. pietatem: deinde christianae Religionis originem, aequitatem, sanctitatem ad divinitatem exponit: utque christianae disciplinae sanctitas integre perspiciatur, praecipua Religionis mysteria, baptismum, sacrificium, eorumque ritus explicat, quadam hic dispensatione usus in celebri Arcani disciplina, ut christianos ab affictis criminibus vindicaret: commemorato demum Hadriani ad proconsulem Asiae in christianorum gratiam edicto, concludit dicens: « Haec si rationi et veritati vobis consentanea videntur, illis honorem habete; si pro nugis habetis, contemnite: neque tamen idcirco adversus insontes, qui nihil in leges peccarunt, capitis supplicium statuatis [3] ».

---

[1] Cf Origen. l. VIII *contra Celsum*; Bergier, *Traité hist. dogmat.* t. VIII, Tournay 1827.

[2] Cf P. Maran, *Vita s. Iustini*, in *Operum* eius editione.

[1] In hac inscriptione legitur: « O tempora infausta, quibus inter sacra et vota ne in cavernis quidem salvari possumus; quid miserius vita, sed quid miserius in morte, cum ab amicis et parentibus sepeliri nequeant »; Aringh. *Roma subterranea*, l. III, c. 22.

[2] Ruinart, *Acta SS. Martyr.*

[3] *Opera* s. Iustini edita a Maran.

15. *Antonini pro Christianis rescriptum* — Antoninus imperator hac christianorum defensione factus erga eos benignior, primum in rescripto ad Graecos dato, supra memoratum Hadriani decretum observari iussit. Quod cum non sufficeret, imo cum post terrae motum, quo plures urbes eversae fuerant, ethnici in Asia minori contra christianos quasi calamitatis istius auctores propter suum in deos odium, crudelissime saevirent, imperator horum supplicatione permotus, ad civitates Asiaticas scripsit, ne quis christianos solius religionis causa vexaret aut ad iudicem deferret [1]. Ex quo tempore tranquillior fuit Ecclesiae status.

16. *Religionis propagatio* — Post Antonini imperatoris in favorem christianorum rescripta magis magisque christiana Fides propagata fuit. Iam non tantum in imperii provinciis sed etiam in aliis regnis, inter ipsos populos barbaros Ecclesiam Christi viguisse, testantur s. Iustinus et s. Irenaeus, qui hoc ipso saeculo, atque Tertullianus, qui sub saeculi huius exitum et sequentis initia floruerunt. Secundum eorum testimonia Christus colebatur in Asia inter Palaestinae, Syriae et Asiae minoris incolas, inter Armenos, Mesopotamios, Parthos, Medos et Elamitas seu Persas; in Africa inter Ægyptios, Lybios, Getulos, Mauros; in Europa inter Graeciae et Italiae populos, inter Hispanos, Gallos, Germanos, Britannos, Dacos, Sarmatas, Scythas, Hamaxobios et populos nomadicos, aliosque, quorum ne nomina quidem satis nota erant. Sic s. Iustinus dicit: « Ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine... inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes et gratiarum actiones Patri fabbricatori rerum omnium non fiant [2] ». S. Irenaeus de una eademque in omnibus ecclesiis Fide, unaque omnium Traditione disserens, ait: « Etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae ecclesiae, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae quae in Iberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Ægypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi sunt constitutae [3] ». Tertullianus, « Hesterni sumus, inquit, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa [1] ». Et adversus Iudaeos disputans, « In quem alium, ait, universae gentes crediderunt, nisi in Christum qui iam venit? Cui enim et aliae gentes crediderunt; Parthi, Medi, Elamitae; et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; et incolentes Pontum, et Asiam, et Pamphyliam; immorantes Ægyptum, et regionem Africae quae est trans Cyrenen inhabitantes Romani et incolae; tunc et in Hierusalem Iudaei, et caeterae gentes, ut iam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium [2] ».

Tam explorata erat omnibus celeris per orbem christianae Religionis propagatio, ut nemo, sive e Iudaeis sive e gentibus, Iustini, Irenaei aut Tertulliani assertiones fraudis incusare ausus fuerit. Contra celerrimam Religionis propagationem confirmant ipsi scriptores ethnici: testatur Tacitus, imperante Nerone, in sola urbe Roma ingentem fuisse christianorum multitudinem [3]. Plinius II ad Traianum imperatorem de christianis ait: « Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus, etiam vocantur in periculum; neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros, superstitionis istius contagio (ita christianam religionem appellat) pervagata est [4] ».

Divinae certo providentiae opus est, nascentem Ecclesiam, licet Iudaeorum et ethnicorum furiis agitatam, philosophorum dicteriis ac haereticorum perfidiis oppugnatam, foecundiori semper propagine fuisse diffusam. Contra ethnicorum sacra christianae veritatis aurora quasi fulmine coelitus demisso quassata, et haereticorum sectae, ubi nasci videbantur, in diversas mox factiones interitumque dilapsae sunt.

---

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 12, 13 et 26; Oros. *Hist.* l. VII, c. 14.
[2] *Dialog. cum Triphon.*
[3] L. I, c. 10.

[1] *Apolog.* c. 37.
[2] L. *advers. Iudaeos*, c. 7. Cf C. I. Ansaldum, *Multitudo maxima eorum qui prioribus Ecclesiae saeculis christianam Religionem professi sunt*, August. Taurin. 1765; I. L. Selvag., *Antiquit. chr.* l. I, c. 2; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 3.
[3] *Annal.* l. XV, c. 44.
[4] L. X *Epist.* 97.

17. *Ss. Thelesphorus, Hyginus, Pius, Pontifices* — S. Xysto anno circiter 140 coelesti vita donato, in summum pontificatum suffectus est s. Thelesphorus, Graecus, qui undecim annis et novem fere mensibus Ecclesiam administravit. In *Chronico* Eusebii ad ann. 136 legitur: « Quadragesimale ieiunium a Thelesphoro per hoc tempus institutum ac praeceptum quidam scribunt ». Verum praeter quam quod haec verba *quidam scribunt*, Eusebio sint insolita, observant critici, illud non reperiri in Mss. chronicis Eusebii [1]. Multique viri eruditi dicunt, quadragesimale seu antepaschale ieiunium ex apostolica traditione repetendum. « Nos, inquit s. Hieronymus, unam quadragesimam secundum traditionem apostolicam toto anno tempore nobis congruo ieiunamus [2] ».

Post s. Telesphorum, anno circiter 152 e vivis sublatum, supremum Ecclesiae regimen demandatum fuit s. Hygino, Atheniensi, qui illud quatuor annis gessit. De eo in *Libro Pontificali* legitur, quod clerum composuerit et gradus distribuerit, non quasi clericalem hierarchiam instituerit, sed quod clericis certa officia assignarit, ut explicat F. Bianchini [3]. Idem Pontifex haeresiarcham Cerdonem, de quo mox loquemur, Ecclesia eiecit; — itemque iussit, virum saltem unum et mulierem unam tamquam patrinos et susceptores ad Baptismum praeter sacramenti ministrum adhiberi. Quod quidem decretum quamvis apud antiquissimos scriptores non reperiatur; consuetudo tamen adhibendi susceptores in Baptismo pervetusta est, et ab ipsis fere Catholicae Ecclesiae incunabulis usurpata. Tertullianus [4] ait: *Quid enim necesse est, sponsores etiam periculo ingeri?*

S. Hyginum in Petri cathedra excepit s. Pius, Aquileiensis. Apud D. Optatum quidem et s. Augustinum post Hyginum legitur Anicetus, sed errore, nam tum veteres, s. Irenaeus, Hegesippus, Eusebius, s. Epiphanius, tum recentiores post Hyginum recensent Pium [5]. Hunc Pontificem nonnulli dicunt auctorem decreti de celebrando Paschate die dominica, et alterius decreti de poenitentia subeunda ab eo, cuius negligentia aliquid sanguinis eucharistici effunderetur; sed de utroque decreto alii merito dubitant, quod prius eruatur ex epistola s. Pii apocrypha, et de posteriori nulla sit apud veteres scriptores mentio [1]. — Pio I Pontifice, anno Christi 164, quartam, quam vocant alii quintam, adversus Ecclesiam persecutionem M. Aurelius et L. Verus Imperatores excitarunt uti mox videbimus.

[1] A. Pontaeus, *Annotat* in *Chron. Euseb* p. 612.
[2] Epist. 54 *ad Marcell.* Cf A. Pontac., l. c.; Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. II, diss. 4; Selvag. *Antiquit. chr.* l. II, part. 2, c. 7.
[3] *Annot.* in *L. Pontif.* t. II, p. 107.
[4] *De Baptismo*, c. 18.
[5] Cf Sandini, *Vitae RR. Pontif.*, *S. Pius.*

18. *Cerdo et Marcion haeresiarchae* — Haeresiarcha Cerdo, quem supra nominavi, erat patria Syrus. Gnosticorum more docebat, duo esse rerum principia aeterna, unum natura bonum, deum ignotum; aliud natura malum, materiae dominum: mundum a principio malo fuisse formatum; Christum a Deo ignoto missum et in umbra carnis apparuisse ad docendos et liberandos homines [2]. Romae sub pontificatu s. Hygini errores suos confessus, aliquandiu resipiscere visus est. At paulo post relapsus, ab eodem Pontifice communione Ecclesiae exclusus fuit [3].

Cerdone praeceptore a Fide catholica ad haeresim deflexit Marcion, patria Ponticus, filius episcopi Sinopensis. Is propter stuprum virgini illatum a patre suo communione Ecclesiae privatus, ut famae suae consuleret, patrisque censuram declinaret, Romam confugit, sperans futurum ut illic in communionem Ecclesiae reciperetur. A Romano presbyterio, Sede per obitum s. Hygini vacante, repulsam referens, ad partes Cerdonis defecit, eius prava dogmata suscepit, latius evolvit, novamque sectam Marcionitarum instituit. Is tria statuit principia, nempe Deum bonum et invisibilem, satanam materiae dominum, et demiurgum quasi medium inter deum bonum et daemonem. Demiurgus secundum Marcionem, non quidem bonus attamen iustus, e materia creavit mundum et homines; hos propter legis suae violationem severis poenis subiecit; deinde peculiarem populum, nempe Iudaeos, sibi elegit, ei legem dedit et Messiam promisit. Deus bonus, hactenus hominibus ignotus, eorum, rigidissimo demiurgi imperio subditorum, misertus, Christum misit corporis umbra vestitum; qui legem Mosis, prophetas et omnia demiurgi opera destrueret, atque deum amoris hucusque ignotum hominibus revelaret. Christus non vere sed in opinione tantum hominum, insidias ei struente demiurgo, in crucem actus et mortuus fuit. Praeterea Marcion ex odio materiae resurrectionem corporum reiiciebat, esumque animantium ac

[1] Sandini, l. c.
[2] S. Iren., l. I, c. 28; s. Epiphan., *Haeres.* 51; Theodoret, *Haer. fabul.* l. I, c. 24.
[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 11.

matrimonii usum suis prohibebat. Vetus Testamentum totum reiecit; e Novo tantum Evangelium s. Lucae et decem epistolas D. Pauli, sed neque illud neque has integras admisit. Episcoporum et sacerdotum hierarchiam conservavit; quo factum est, ut secta usque ad saec. VI perdurarit, quamvis domesticis dissensionibus in plures factiones divisa [1].

19. *S. Iustini Opera* — Contra, s. Iustinus, philosophus eximius, cuius initia supra vidimus [2], non solum in suscepta Religione constanter perseveravit, sed eam adversus Iudaeos, ethnicos et haereticos egregie defendit, atque moribus suis integerrimis constanter commendavit. Plura per Asiam, Graeciam et Italiam itinera fecit, in quibus nullam occasionem propugnandi Christi doctrinam praetermisit. Multiplicem eius eruditionem, sacram, philosophicam et historicam testantur scripta, quae reliquit. Sunt ea partim apologetica, partim polemica; nimirum duae *Apologiae*, de priori iam diximus [3], de posteriori infra dicemus: *Dialogus cum Triphone* Iudaeo, in quo religionis christianae veritatem adversus Iudaeos et proinde maxime e vaticiniis V. T. probavit: *Exhortatio ad gentes* seu Paraenesis ad Graecos, qua docuit, veram Religionem esse hauriendam non e philosophorum aut poetarum, sed Prophetarum scriptis, e quibus ipsi ethnici desumserunt quidquid de Deo rebusque divinis rectius dixerint: Oratio *ad Graecos* seu gentiles, qua causas exposuit, quibus motus ab ethnica ad christianam Religionem transierit: Liber *de monarchia* seu *de Dei unitate*, quam ex ipsis Graecorum scriptoribus propugnavit: Epistola *ad Diognetum* ethnicum (quam tamen nonnulli Iustino abiudicant), in qua ad illius quaestiones, quis sit Deus christianorum, et quo amoris vinculo hi coniungantur, respondit [4].

20. *S. Polycarpus et Papias* — Divo Iustino aetate aequales sunt s. Polycarpus, s. Ioannis apostoli discipulus et ab eo episcopus ecclesiae Smyrnensis constitutus, atque Papias, episcopus Hierapolitanus in Phrygia. E pluribus epistolis, quas s. Polycarpus de rebus Religionis scripsit, unica superest *ad Philippenses* data, in qua Christianis, pro status, sexus et aetatis diversitate, praecepta plura tradit; in haereticos gnostici generis invehitur; ad patientiam et constantiam in afflictionibus, atque ad preces pro regibus, principibus et inimicis hortatur [1]. Hanc epistolam esse genuinam, quidquid obganniant Centuriatores Magdeburgenses et alii, e characteribus eius internis et ex antiquissimorum Patrum testimoniis probatur [2]. De D. Polycarpi cum Aniceto papa colloquio, eiusque martyrio infra dicemus. Papias scripsit libros quinque *De interpretatione oraculorum seu sermonum Dominicorum*, in quibus Christi et Apostolorum dicta et gesta ex oralibus seniorum relationibus collegit; sed eorum tantum quaedam fragmenta supersunt [3].

21. *Lis de Regno millenario* — Hic Papias a vero aberravit in iis, quae scripsit de Chiliasmo seu regno millenario iustorum cum Christo in terris post corporum resurrectionem. Eumdem errorem nonnulli alii Patres admiserunt. Eius origo probabiliter derivanda est e Iudaeo-christianorum conceptibus de terreno Messiae regno, qui effecerunt, ut loca Apocalypsis s. Ioannis, quibus diabolus per mille annos alligandus et Sancti cum Christo regnaturi dicuntur, ad litteram intelligerentur. Tamen Papiae et aliorum aliquot Patrum hac in re error longe diversus erat ab errore Cerinthianorum haereticorum, de quibus supra mentionem fecimus [4]. Hi enim nuptias et promiscuas voluptates ac delicias, illi vero nihil nisi sanctum et maxime honestum in regno millenario admittebant. Praeterea plures e Patribus Chiliasmum scripto confutarunt. Id in primis versus finem huius saeculi fecit Caius, Romanae ecclesiae presbyter, eruditione et scriptis clarus, qui singulari libro Chiliasmum Cerinthi confutavit. Post eum Origenes, qui Scripturistica loca, quae Chiliastae adferebant, allegorice interpretanda esse ostendit. Deinde Dionysius, episcopus Alexandrinus, qui eumdem errorem, a Nepote episcopo in Ægypto instauratum, confutavit [5].

De Paschate — Altera tunc temporis erat controversia de die legitima celebrandi Pascha. Ecclesiae Asiae minoris more Iu-

[1] S. Iren., l. I, c. 29; Tertullian., L. *adv. Marcion.*; s. Epiphan., *Haeres.* 48; Theodoret., *Op.* cit. l. II, c. 24.
[2] Pag. 38.
[3] Ibid.
[4] Optimam editionem Operum D. Iustini curavit Maran, Congr. s. Mauri, Paris. 1742, in-fol., in cuius Praefatione idem agit de scriptis s. Iustino suppositis.

[1] Extat apud Cotelier, *Patres aevi apost.* t. II; Halloix, *Illustr. eccl. orient. scriptor.* t. I; Migne, *Patrol. graec.* t. VI.
[2] Cotelier et Halloix, ibid.; Nourry, *Apparat. ad Bibl. Patrum*, t. I.
[3] Apud Grabe, *Spicileg. Patrum*, saec. II, t. I; Routh, *Reliquiae sacrae*, t. I; Migne, l. c.
[4] Videsis, p. 26-27.
[5] De veterum opinionibus circa regnum millenarium multa docte et erudite edisseruerunt citt. Ephemerides Neapolitanae, *La Scienza e la Fede.* Cf vol. XII, p. 437, et vol. XVI, p. 6 et sqq. Napoli 1846 et 1848.

daeorum illud celebrabant luna XIV mensis Nisan seu martii, in quamcumque hebdomadis diem ea incideret. Contra, Romana aliaeque ecclesiae non alia quam dominica die, lunam XIV proxime sequente, Pascha celebrabant. Utraque pars se traditionem apostolicam sequi contendebat, Asiatici s. Ioannis, Romani ss. Petri et Pauli auctoritatem adlegabant. Diversitas ritus inde oriebatur, quod s. Ioannes, cum christiani in Asia minori plerique essent e circumcisione seu Iudaei conversi, temporanea dispensatione cum iis usus erat, sinens Pascha celebrari ea die, qua in Veteri Lege celebrabatur, quemadmodum caeteri Apostoli nonnulla alia V. L. legalia ad tempus tolerarunt, ut sic Iudaei suaviter a Veteris Legis servitute ad Christi iugum allicerentur et sensim perfectioribus institutis assuescerent. Anno circiter 166 s. Polycarpus, episcopus Smyrnensis, de dirimenda hac controversia contulit cum s. Aniceto R. Pontifice. Quum autem, re nondum satis discussa, non convenirent, dissidentibus quidem sententiis sed amicis animis discesserunt, opinati, utrumque ritum tolerari posse donec melius de genuina traditione constaret [1]. — *Et Anicetus,* quemadmodum refert s. Irenaeus, *in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit,* idest, *in publico omnium Fidelium conventu sui loco Pontificalia munia obeundi* [2]. Caeterum, ut est apud eundem Irenaeum, neque Anicetus, neque eius decessores Pius, Hyginus, Telesphorus, Xystus, Arianorum morem *umquam observarunt, aut iis, qui cum ipsis erant, ut observarent, permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex Ecclesiis, in quibus id observabatur.* — At versus finem huius saeculi eamdem litem acrius agitatam fuisse sub Victore papa videbimus.

22. *Ecclesiae status sub M. Aurelio (an. 161)*—Antonino Pio an. 161 mortuo, Romanorum imperio potiti sunt Marcus Aurelius et Lucius Verus. Posterior princeps fuit mollis, extinctus an. 169. Marcus Aurelius ab infantia gravis et in multis mansuetus, sed christianis infensus, regnavit usque ad an. 180. Nihil obstante M. Aurelii mansuetudine, quam osores multitudinis martyrum tantopere commendant, sub eius imperio christiani cruentam persecutionem perpessi sunt. Constat id e Iustini, Athenagorae, Melitonis, Apollinaris et Miltiadis apologiis, ex ecclesiarum Smyrnensis et Lugdunensis, atque s. Dionysii Corinthiorum episcopi epistolis, de quibus mox dicemus, et ex Eusebii testimonio [1]. Nec mirum; erat enim hic imperator cultus deorum studiosissimus, ideoque non poterat non odisse christianos, qui deos contemnentes, quosvis ab eorum cultu avocabant, quorumque numero in dies crescente, sacra imperii dilabebantur. Erat praeterea philosophiae stoicae ardens sectator, et philosophis familiariter utebatur; iam vero hi Religioni christianae, quam ignorabant, maligne obtrectantes, eiusque sectatores ut profanos et impios continuo insectantes, infensum imperatoris in christianos animum augebant.

Ex his philosophis notissimi sunt Lucianus Samosatenus et Crescens Cynicus. Prior eodem irrisionis et cavillationis modo, ac Celsus, de quo supra diximus [2], contra christianos usus est, praecipue in Dialogo suo de morte Peregrini Cynici. Parem mentis indolem, christianae rei inimicam, prodidit Crescens, qui totus in eo erat, ut sophismatis et calumniis christianos ceu impios, eorumque religionem ceu absurdam et contemnendam traduceret. Hicque infensissimus christianorum hostis et calumniator, s. Iustinum, celeberrimum eorum apologistam, cum aliis ad iudicem detulit.

23. *Apologistae* — Revera s. Iustinus, qui sub Antonino Pio christianos eorumque religionem et disciplinam egregie defenderat, sub M. Aurelio alteram ad imperatorem et senatum scripsit Apologiam. In ea demonstrat, quam inique agatur contra christianos, qui solius nominis causa, nullo crimine probato, damnantur; eorum sanctam disciplinam et doctrinam praeclare propugnat et a petulantium philosophorum dicteriis vindicat. At tam parum hac christianorum defensione profecit, ut potius non multo post a Crescente philosopho ad Rusticum iudicem delatus, cum aliis pluribus, aequali constantia Fidem confessis, capite plecteretur [3].

---

[1] S. Iren., l. III, c. 3; Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 23-24; s. Hieron. *Catal.*

[2] Ruinart, in *Actis* primorum Martyrum, Admonitione in martyrium s. Polycarpi, § 3. Idipsum opinatur Valesius adnotatione in citatum Eusebii locum, reiicitque Franciscum Florentem, qui in *Tractatu ad Titulum 7 Decretalium, De Translatione Episcopi,* contendit, Anicetum *porrexisse duntaxat Eucharistiam* Polycarpo, *non* autem *concessisse illi ius sacra mysteria celebrandi.* Vid. Baron. ad an. 46, n. 13.

[1] Euseb., l. IV, c. 14, 15, 23; l. V, in Prooem. et c. 1-3. Cf Ruinart, Praef. ad *Acta SS. Martyr.*; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 13.

[2] Vid. p. 38.

[3] *Vita s. Iustini* in *Operum* eius editione cura Maran

Quum paulo post persecutionis furor maxime in Asia exarsisset, illic etiam viri eruditi pro christianis apologias scripsere, in quibus crimina iis obiecta diluerunt, Religionis christianae indolem exposuerunt, et ut secundum iustitiam cum iis ageretur, postulaverunt. Id fecerunt qui sequuntur: Melito episcopus Sardensis, qui pro christianis imperatori M. Aurelio Apologiam obtulit, cuius solum superest fragmentum. In eo perstringit auctor inauditam impudentiam, qua contra innoxios in Asia saeviebatur. « Persecutionem patitur, inquit, piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores et alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur spoliantque homines innoxios ». Rogabat imperatorem, ut, si ipse id iusserit, prius christianorum causam secundum iuris formam cognosceret, videretque, utrum suppliciis affici an securi vivere mererentur. Deinde ostendebat, quomodo christiana Religio sub principatu Augusti bono publico adolevisset; supplicabatque M. Aurelium, ut, quemadmodum Hadrianus et Antoninus fecerant, insontes Christi cultores contra iniquas oppressiones tueri vellet[1]. Miltiades et Apollinaris episcopus Hierapolitanus in Phrygia, etiam pro christianis apologeticos libros scripserunt, qui penitus exciderunt[2]. Athenagoras, Atheniensis, e philosopho ethnico christianus, cuius Apologia ad M. Aurelium eiusque filium et imperii consortem L. Commodum integra superest. In ea graphice depinguntur iniquae vexationes et persecutiones, quae in christianos suscitabantur; hique a vulgaribus calumniis atheismi, thyestearum epularum, incestuosi concubitus egregie vindicantur[3].

Verum quamvis M. Aurelius eas apologias acceperit legeritque, tamen stoicus eius animus nihil iustis afflictorum precibus fuit permotus.

24. *Martyres* — Persecutione saeviente christiani praeclarissima constantiae exempla dederunt, quaecumque potius supplicia pati quam Fidem abnegare eligentes. Romae praeter s. Iustinum eiusque socios, martyrium perpessi leguntur Ptolomaeus cum sociis, Anicetus papa et alii; Spoleti, Concordius presbyter et Pontianus; Atinae, Iulianus; Heracliae in Thracia, Glyceria; in Ponto, Hermas miles; Damasci, Victor et Corona; Pergami in Asia, Carpus episcopus Thyatirensis, Papylus diaconus eiusque soror Agathonica; Smyrnae, Polycarpus episcopus. Sed praeter hos, quorum nomina ad nos pervenerunt, alios plurimos martyrio fuisse affectos, tum e memoratis apologiis tum ex aliis monumentis evincitur[1].

Extat hanc in rem praeclarissima epistola, quam christiani Smyrnaei ad alias ecclesias scripserunt[2]. Narrant in ea, quemadmodum christiani undique conquisiti et Smyrnam ad proconsulem perducti, immanissimis suppliciis excruciarentur, ad viscera usque dilacerarentur vel in acutis testarum fragmentis volutarentur. Quorum omnium tanta erat in perferendis suppliciis fortitudo ac patientia, ut ipsi tortores mirarentur. Narrant deinde, quomodo post plures alios s. Polycarpus episcopus ad necem conquisitus et coram iudice Fidem confessus, in rogum fuerit iniectus; cumque a flammis non laederetur, gladio confossus et in ignem coniectus, fuerit crematus. Addunt, se eius ossa, quae supererant, collegisse, et tanquam gemmis pretiosissimis cariora in loco decoro condidisse, ubi martyrii eius memoriam celebrando quotannis festo recolerent.

Ita Smyrnensis ecclesia ad alias scripsit de s. Polycarpi exuviis; quo antiquum ecclesiarum morem in venerandis martyrum reliquiis et celebrandis eorum natalibus docemur. Ita etiam saeculo sequente s. Cyprianus, episcopus Carthaginensis, sibi a clero suo sollicite significari voluit dies, quibus martyres occubuissent. « Ut, inquit, celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum[3] ».

25. *Ss. Anicetus, Soter, et Eleutherus Pontifices*—Interea an. circiter 165 s. Pium in Romano pontificatu excepit s. Anicetus, Syrus; qui cum D. Polycarpo, ut diximus, de celebrando Paschate contulit, et anno pontificatus sui octavo Romae martyr occubuit.—*Constituit,* ait Liber Pontificalis, *ut Clericus comam non nutriret, secundum praeceptum Apostoli*[4].

---

[1] Apud Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 26.
[2] Ibid.; s. Hieron., *Catalog.*
[3] Extat ad finem *Operum* s. Iustini, edit. Maran; etiam graece et latine edita est Oxonii, 1682.

[1] Ruinart, Praefat. ad *Acta ss. Mart.*
[2] Apud Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 16; Cotelier, *Patres aevi apost.*
[3] *Epist.* 34 et 37.
[4] S. Damasus (*Epist.* 8), ordinatores arguens Maximi Cyrici, qui comatus ab eis ordinatus fuerat, ait: *Non legerant Apostolum scribentem*: « Vir autem, si comam nutriat, ignominia est illi ». Ubi generale ad omnes viros praeceptum, specialiter ad Clericos videtur referre. Petrus Constant, in *s. Aniceto*, t. I *Epist. Rom. Pont.*; Amalarius (l. II *de Eccl. off.* c. 5, in t. XIV *Bibl.*

In eius locum successit s. Soter, Fundis in Campania oriundus, qui annis circiter quatuor Ecclesiam gubernavit. De eo in Libro Pontificali legitur, quod vetuerit, ne mulier, quamvis Deo dicata, pallam sacram contingeret, aut incensum poneret in sancta ecclesia [1]. Eius beneficentiam in christianos, ad metalla damnatos aut in exilium eiectos aut peregre advenientes, magnopere commendavit s. Dionysius, episcopus Corinthiorum, in epistola ad Romanos, cuius fragmentum recitat Eusebius [2]. Is quippe ab initio fuit ecclesiarum, praesertim Romanae, mos, omnibus in Christo fratribus beneficentiae testimonia praebere, egentium inopiam sublevare, ecclesiis pauperibus subsidia ministrare [3].

Obiit s. Soter anno circiter 177, martyris honoribus auctus. Ei successit s. Eleutherus, Nicopolitanus, qui annis fere quindecim Ecclesiae praefuit. — Hic Pontifex *constituit*, inquit Liber Pontificalis, *ut nulla esca usualis, quae tamen rationabilis et humana est, quam Deus creavit, a christianis maxime fidelibus repudiaretur.* Edita fortasse est huiusmodi constitutio adversus Encratitas, quorum haeresis tempore Soteris summi Pontificis exordium habuit referente Eusebio [4]. De hac haeresi mox verba faciemus.

26. *Legio fulminatrix* (*an.* 174) — Anno 174 Marcus Aurelius, post relatam precibus christianorum militum de hostibus victoriam, erga christianos se mansuetiorem exhibuit. Quum enim adversus Marcomannos et Quados bellum gereret, contigit, ut Romanorum copiae, in regione hodierni comitatus Honthensis vel Zoliensis in Hungaria ab hostibus interclusae, siti perirent. Tunc christiani milites, qui in legione Melitinensi stipendia merebant, flexis in terram genibus Deum deprecati sunt. Derepente nubes coactae Romanis copiosum imbrem profuderunt, in barbarorum vero castra congesserunt tanta fulmina et ignes, ut eorum innumeri caesi, reliqui in fugam versi sint.

Mirabilem hunc eventum, quo Dei Christianorum omnipotens virtus enituit, et ex quo Melitinensis legio *Fulminatricis* nomen accepit, testantur e christianis Tertullianus [1], Apollinaris [2], Eusebius [3], Gregorius Nyssenus [4], Orosius [5], ex ethnicis Dio Cassius [6], Iulius Capitolinus [7], Claudianus [8], Themistius [9]. Hi quidem prodigii causam vel diis suis vel magiae tribuerunt; illi vero rem ingenue ac simpliciter litteris tradiderunt. Addit Tertullianus, sua adhuc aetate in romanis archiviis extitisse imperatoris M. Aurelii ad senatum litteras, quibus testabatur, exercitum in Germania aquae penuria pressum, christianorum militum precibus fuisse servatum [10].

27. *Martyres Lugdunenses et Viennenses* — Post memoratam victoriam persecutio in christianos deferbuit. Verum paulo post in variis locis recruduit. Extat in hanc rem praeclarissimus commentarius, quem nobilissimae in Gallia ecclesiae, Lugdunensis et Viennensis de martyrum suorum morte scripserunt ad ecclesias Asiae et Phrygiae. Referunt in eo, quomodo primum plagas, bonorum spoliationes, lapidum iactus, et quidquid concitatum furore et rabie vulgus adversus hostes excogitare solet, perpessi sint. Quomodo comprehensi et in forum perducti, a tribuno militum et civitatis magistratibus interrogarentur. Quantis suppliciis torquerentur, qui in Fide christiana erant constantes; alii candenti ferreae cathedrae superponerentur; alii bestiis obiicerentur; alii in obscurissimo carcere suffocarentur; alii

Patr.) refert quod, interrogatus ab aliquibus qui primus tonsus sit nostro more, ait: *Legi in epistola cuiusdam viri, Petrus.* Eandem sententiam in lib. IV, c. 39, Bedae auctoritate, confirmat. S. Gregorius Turonensis, *De gloria Martyrum* l. I, c. 28 (*Bibl. Patr.* t. II) inquit: *Petrus Apostolus, ad humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit.* Vide Baron. ad an. 53, n. 122 et sqq.

[1] Circa huiusmodi rem nihil antiquius novimus canone 44 Concilii Laodiceni: *Quod non oporteat mulieres ingredi ad Altare.* Petrus Constant, t. I *Epist. RR. PP.* in *Sotero*, § 3, n. 6; Harduinus, t. I *Concil.* p. 789; Labbe, *Concil*, t. I, p. 1503.

[2] *Hist. eccl.* l. IV, c. 23. — Idem auctor, *ibidem*, tradit, hunc *morem, institutumque Romanorum ad persecutionem usque sua aetate factam perpetuo custoditum*, et Baronius ad an. 157, n. 10, addit, *laudatissimam eiusmodi Romanae Ecclesiae, sui artu congenitam consuetudinem, non tantum perseverasse usque ad ultimam* (Diocletianeam) *Eusebii tempore excitatam persecutionem, sed semper viguisse.*

[3] Cf s. Leonem, *Serm.* V; Baron. ad an. 44; ubi agunt de pecunia ad id colligi solita.

[4] *Chron.* ad an. 173.

[1] *Apolog.* c. 5, et L. *ad Scapulam*, c. 4.

[2] Apud Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 5.

[3] Ibid.

[4] *Orat.* II *de XL Martyr.*

[5] *Hist.* l. VII, c. 15.

[6] Apud Xiphil. *Op. cit.* p. 270.

[7] *M. Aurel.* c. 24.

[8] *Consul.* IV, *Honor.*

[9] *Orat.* XV.

[10] Prodigiosum hunc eventum a petulantium criticorum obtrectationibus vindicarunt Mamachi, *Origin. et antiquit. chr.* t. I, l. 2, c. 7; Witsius, *Diatriba de legion. fulminat.*; Stolberg, *Geschichte der religion I. C.* t. VIII, p. 103-20; Kingius, Frickius, alii.

capite truncarentur aut gladio confoderentur. Quos omnes, inquiunt, gaudium martyrii, promissae beatitudinis spes, charitas erga Christum et Spiritus Dei Patris ita recreabant, ut laeti ad supplicium properarent, suavemque Christi odorem spargerent, adeo ut nonnulli terreno unguento eos delibutos crederent[1]. Praeter alios plures passi sunt Photinus episcopus Lugdunensis, cui successit Irenaeus, Sanctus diaconus, Vetius, Apagathus, Maturus, Ponticus, Attalus, Alexander, Blandina[2].

In Orientis provinciis quoque recruduisse persecutionis incendium, plebisque clamoribus christianos ad mortem fuisse petitos, compertum est ex Eusebio[3].

28. *Ecclesiae status sub Commodo* (*an.* 180) — Caeterum divina providentia factum est, ut Ecclesia sub M. Aurelio gravi persecutione afflicta, sub Commodo eius successore pacem obtineret. Hic patri suo M. Aurelio an. 180 successit, imperavitque usque ad an. 192. A paterna institutione degenerans, morum foeditate ac crudelitate Neroni simillimus fuit. Eum patriae hostem et parricidam, senatus occisorem atque carnificem, impurum gladiatorem vocant Dion Herodianus et Marius Maximus[4]. Verumtamen sub hoc impuritatis ac crudelitatis monstro persecutionis contra Ecclesiam furor sopitus est. Dumque nobiliorum et optimatum quique sub eo vexabantur ac necabantur, christiani pace fruiti sunt; adeo ut non sine supremi Numinis consilio imperium crudeli viro commissum fuisse videretur, ut qui, imperante Aurelio, in christianos saevierant, Commodum christiani sanguinis ultorem experirentur.

29. *Ecclesia augetur* — Sub huius itaque principatu Deus Ecclesiae ruinas maioribus augmentis reparavit. « Rebus quidem nostris, inquit Eusebius, imperium tenente Commodo, in tranquilliori statu versantibus, pace per Dei gratiam cunctas orbis terrarum ecclesias complexa, salutaris Dei sermo quamplurimos ex omni hominum genere ad religiosum veri Numinis cultum pertrahebat. Multi ex iis, qui in Urbe (Roma) genere et opibus eminebant, simul cum universa domo et familia, salutem consecuturi ad Ecclesiam Christi veniebant[5] ».

[1] Apud Euseb. *Hist. eccl.* l. V, c. 1-3; Gregor. Turon., lib. I *de Glor. Mart.*, c. 49.
[2] Tillemont, *Mémoires*, t. II, part. 2; Butler, *Vies des SS.* 2 avr.
[3] *Op. cit.* in Prooem.
[4] Apud Lamprid., *Commodus.*
[5] *Hist. eccl.* l. V, c. 21.

Apollonius senator — Hos inter fuit Apollonius senator, vir politioris litteraturae ac philosophiae peritia celebris; qui paulo post ob christianae Fidei professionem ad Perennem praefectum delatus et in iudicium vocatus, coram frequentissimo senatu apologeticam orationem pro Fidei defensione recitavit; deinde propter extantes leges ex senatus consulto capite plexus, doctrinae christianae professionem sanguine suo confirmavit[1].

Britanniae conversio — Sub eadem tempora Lucius, unus e Britanniae maioris regibus, Romam legatos misit ad Eleutherum papam sacerdotes postulatum, qui Britannos christiana Fide erudirent. Pontifex principis votis lubens annuit. Missique, ut fertur, Fugatius et Damianus, tanto cum fructu ibidem Evangelium praedicarunt, ut Tertullianus testetur, iam sua aetate « Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita[2] ».

30. *Tatiani, Bardesani, Montani haereses* — Alios tunc hostes experto est Ecclesia, nempe haeresiarchas, e quibus fuere Tatianus, Bardesanes et Montanus.

Tatianus, patria Assyrius, primum in gentilium disciplinis magna cum fama versatus est; dein ad christiana sacra perductus, Romae s. Iustini auditor et in propugnanda adversus ethnicos philosophos christiana veritate adiutor fuit. Quanta eruditione id praestiterit, sat patet ex ea, quam adversus Graecos seu gentes edidit, Oratione, in qua Graecorum superbiam, de inventis scientiis ac artibus falso gloriantium, retundit; christianam veritatem defendit; et ethnicas institutiones, philosophorum contradictiones ac errores carpit[3]. Verum Tatianus post s. Iustini gloriosum exitum, scientia inflatus, Fidei naufragium fecit. Roma in Orientem redux, in tetros errores dilapsus est, novamque haeresim condidit. Æonum systema commentus est Valentiniano haud absimile. Cum Saturnino nuptias ceu stupra proscripsit, unde sectatores eius *Encratitae* seu continentes dicti sunt. Usum animalium vinique prohibens, sola aqua in divinis mysteriis utendum contendebat, unde discipuli eius *Hydroparastatae* quoque appellati sunt. Praeterea ve-

[1] Ibid., et s. Hieron. *Catal.*
[2] L. *adv. Iudaeos*, c. 7. Legationem Lucii et Britannicum Fugatii atque Damiani apostolatum, testantur auctor *Libri Pontificalis*; Beda, *Hist. Angl.* l. I, c. 3, alii, quorum testimonia collegit Usserius, *De ecclesiar. Britan. primordiis*, c. 3.
[3] Extat Tatiani Oratio ad calcem *Operum* s. Iustini edit. Maran, et alibi.

ritatem carnis Christi, primique hominis salutem inficiatus est [1]. Secta eius saeculo adhuc quarto inter Syros, apud quos praecipue nota fuerat, existebat.

Bardesanes, Edessae in Mesopotamia christianis parentibus natus, diu in Ecclesia celebris fuit; vir singularis eruditionis de re christiana bene disseruit, scripsitque; christianam Religionem coram Apollonio, inter philosophos stoicos huius temporis principe, egregie defendit; haereses, quae emerserant, fere omnes confutavit [2]. Verum huic praeclarae famae turpem maculam aspersit, quia orientalis philosophiae commentis nimium delectatus. Valentinianas sententias suscepit. Postea quidem eas improbare et meliora sapere visus est; sed vetusti et inoleti erroris sordes non penitus extersit [3].

Montanus, in Mysia prope Phrygiam natus, temperamento melancholico et dominandi cupidine excitatus, divinas inspirationes venditare, nova et inaudita proloqui, futuraque praeter morem et institutum Ecclesiae a maioribus traditum, praedicere coepit. Alii eum ceu fanaticum et erroris spiritu actum indignabundi obiurgabant, alii veluti spiritu Dei motum et prophetam venerabantur. Inter hos primas partes obtinebant duae fatidicae mulieres, Priscilla et Maximilla. Cum his Montanus sectam instituit, falsa pietate ac specioso rigore distinctam. Praedicabat, in se descendisse paracletum Spiritum, a Christo promissum ad perficiendam Religionem, ab Apostolis traditam. Secundas nuptias damnabat. Idololatriae, homicidii, adulterii reos, quantumvis poenitentes, ab Ecclesia recipiendos negabat. In persecutione fugere aut quovis modo martyrium declinare, illicitum dicebat. Praeter unam quadragesimam, quam secundum Apostolorum traditionem, inquit s. Hieronymus [4], Ecclesia servabat, duas alias veluti ad salutem necessarias praescribebat.

Episcopi Asiatici, ubi profana Montani oracula et nova dogmata cognoverunt, saepius convenerunt in unum, ut pullulantem sectam cohiberent; sectariis silentium indixerunt, eorumque prophetias et doctrinas damnarunt. Quibus cum parere nollent novatores, tanquam damnatae doctrinae sectatores Ecclesia eiecti sunt. Quamquam Montanus eiusque discipuli severitatem in moribus profiterentur, non desunt tamen e veteribus, qui eos depravationis moralis insimulant. Quum autem nullo tempore inter homines desint, qui ingenio aut phantasia exaltata praediti in severitatem propendeant, mirum non est, plures tum viros tum feminas ad Montani sectam descivisse. Hi ab auctore Montanistae, et a provincia in qua frequentissimi erant, Phryges aut Cataphryges dicti sunt. Non tantum in Phrygia, sed etiam in Cappadocia, Galatia, Cilicia, Constantinopoli et in Africa coetus efformarunt. In postrema regione saeculo IV cum Novatianis et Donatistis coaluerunt, in aliis usque ad saeculum V perdurarunt [1].

31. *Blasti et Florini schisma* — Infensissimus bonorum omnium hostis in ipsa ecclesia Romana, omnium aliarum matre et domina, schismata excitare tentavit. Romanam quippe ecclesiam turbarunt duo degeneres presbyteri, Blastus et Florinus. Prior communem ecclesiarum ritum in celebrando Paschate improbavit, illudque celebrandum esse contendit non alia die quam luna XIV mensis primi seu Nisan. Florinus, Deum omnium malorum etiam peccati, auctorem esse, blasphemavit; postea ad Valentinianam haeresim dilapsus est. Eleutherus papa utrumque sacerdotii gradu deiecit [2].

32. *Scriptores ecclesiastici* — Caeterum omnipotens et providus Deus, qui Ecclesiam suam haereticorum perfidiis et philosophorum dicteriis probari et manifestam reddi permisit, providit simul, ne ea adversariorum armis succumberet. Quamobrem omni aetate suscitavit viros, ingenio ac doctrina praestantes, qui scriptis suis philosophorum superbiam infringerent, haereticorum petulantiam reprimerent, avitamque doctrinam contra profanas novitates defenderent.

Ex his fuerunt s. Apollinaris, Hierapolis in Phrygia episcopus, qui praeter apologeticos pro christianis, de quibus verba fecimus [3], libros, alios, quinque scripsit adversus gentiles, duos contra Iudaeos, totidem de veritate, et alios adversus Encratitas et Monta-

[1] S. Iren., l. II, c. 28; Tertull., *De praescr.* c. 52; Clem. Alex. *Strom.* l. III; Euseb. *Hist. eccl.* l. IV, c. 28; s. Epiphan., *Haeres.* 46; Theodoret. *Haer. fab.* l. I, c. 20.

[2] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 30; s. Hieron., *Catal.* Praeter alia opera scripsit Bardesanes librum de Fato, cuius magnam partem, in qua auctor disserit de christianis ut iam per omnes orbis partes diffusis, recitat Eusebius, *Praep. Evang.* l. VI, c. 10.

[3] Origen., *Contra Marcion.*; s. Epiphan., *Haeres.* 56

[4] *Epist.* 54 *ad Marcel.*

[1] Tertullian., *De pudicitia*, et alibi passim; Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 16; s. Epiphan., *Haeres.* 48; s. Augustin., L. *adv. Haeres.*

[2] Tertullian., *De Praescript.* c. 53; Euseb., l. c. c. 20; Theodoret. *Haer. fabul.* l. I, c. 23.

[3] Vid. p. 43.

nistas [1]. Musanus, qui elegantissimum librum conscripsit adversus eosdem Encratitas, seu potius ad quosdam catholicos, qui in eorum haeresim propendere videbantur [2]. Miltiades, qui apologiam scripsit pro christianis, uti memoravimus [3], egregium quoque opus adversus gentes et aliud contra Iudaeos, atque singulare volumen adversus Montanistas edidit [4]. S. Philippus, episcopus Gortynensis, et Modestus, qui haeresiarcham Marcionem confutarunt [5]. S. Dionysius Corinthiorum episcopus, qui ecclesiarum pastores et oves eruditis epistolis docuit ac hortatus est [6]. Athenagoras, qui praeter memoratam supra apologiam ad M. Aurelium, librum conscripsit *de Resurrectione mortuorum*, qui etiamnum extat [7]. Melito episcopus Sardensis, e cuius scriptis, *Apologia* citata [8] minime excepta, ab Eusebio et s. Hieronymo laudatis, nihil superest, praeter fragmenta, et librum qui *Clavis* inscribitur [9]. Melito, teste Eusebio, confecit canonem ss. Librorum V. T., qui omnium consensu erant recepti [10]. S. Hegesippus, qui libris quinque Ecclesiae historiam a Christi passione ad suam usque aetatem complexus est [11]. S. Theophilus, episcopus Antiochenus, qui contra grassantes haereses acriter depugnavit, et adversus christianae Religionis obtrectatores libros tres, qui sacrae et profanae eruditionis promptuarium dici possunt, scripsit ad Autolycum; praeterea Hermogenem, qui ex stoicorum doctrinis materiam aeternam, omnisque mali causam dicebat, et Marcionem confutavit [12]. Rhodon, patria Asiaticus, qui praeter *Commentarium* elegantissimum in *Hexameron* seu opus creationis, scripsit contra Marcionem et Montanistas [1]. Apollonius, qui contra eosdem Montanistas insigne volumen edidit [2]. Serapion, episcopus Antiochenus, qui, teste Eusebio, multa ingenii sui monumenta reliquit, inter quae numeratur Liber ad fideles Rhossenses contra quoddam Evangelium sub nomine Petri apostoli vulgatum, quod his verbis proscribit: « Nos quidem, fratres, Petri et reliquorum Apostolorum doctrinam perinde ac ipsius Christi suscipimus; sed quae nomen eorum falso inscriptum praeferunt, ea repudiamus, qui compertum habemus, ea nos a maioribus minime accepisse [3] ».

Magno sane christianae rei dispendio horum scriptorum opera, si pauca excipias, temporis iniuria perierunt. Attamen ex iis, quae supersunt, et ex antiquorum de ceteris testimonio docemur, quanta eruditione eorum auctores fuerint praediti, quantoque fervore Fidem christianam contra adversarios defenderint.

33. *S. Irenaeus* — Floruit iisdem temporibus s. Irenaeus, ex Asia minori oriundus, D. Polycarpi discipulus, postea in Galliam profectus, ibique ecclesiae Lugdunensis primum presbyter, deinde post martyrium s. Photini episcopus; vir sanctitate vitae, zelo religionis et eruditionis sacrae ac profanae copia, diversitate et profunditate clarus. Praeter alia scripsit litteras ad supra nominatum Blastum *de schismate*, et ad Florinum *de Deo uno ac sanctissimo*, qui peccati auctor esse non possit; librum ad eumdem Florinum *de octonario* seu octo aeonibus, quos Valentiniani opifices mundi dicebant; librum *de scientia* contra Gentes, alium *de praedicatione apostolica*. E quibus scriptis nihil praeter pauca fragmenta ad nos pervenerunt. At extant etiamnum libri quinque adversus haereses, opus eximium, in quo sanctus praesul haereses a Simone mago usque ad Tatianum recenset, et tum ss. Scripturarum tum Traditionis, quam unam in omnibus ubique ecclesiis testatur, auctoritate confutat. Anno 202 imperante Severo cum multis christianis Lugdunensibus Religionis causa gladio interfectus est [4].

---

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 27; l. V, c. 16; s. Hieron., *Catal.*; Phot., *Biblioth. Cod.* 14.

[2] Euseb., l. IV, c. 28; s. Hieron., ibid.

[3] Pag. 43. — [4] Euseb., l. c. c. 17; s. Hieron., ibid.

[5] Euseb., ibid. c. 25; s. Hieron., ibid.

[6] Euseb., ibid. c. 23; s. Hieron., ibid.

[7] Euseb., ibid. c. 26; s. Hieron., ibid. Athenagorae Liber *de Resurrectione* et *Apologia* extant ad calcem *Operum* D. Iustini edit. P. Maran, et ap. Migne, *Patrolog. graec.* t. VI. — [8] Vid. p. 43.

[9] Quae supersunt Melitonis fragmenta et librum qui *Clavis* dicitur, vid. in *Spicilegio Solesm.* cura Emi I. B. Pitra, t. II, Paris 1855. Librum *De Transitu Virginis*, qui sub Melitonis nomine extat, esse apocryphum, ex characteribus internis, Eusebii et s. Hieronymi silentio, et Gelasii I decreto comprobatur. — Cf etiam Nat. Alex. *Hist. Eccl.* saec. II, c. IV, art. III, § 1.

[10] Euseb., l. IV, c. 26.

[11] Euseb., *Hist.* l. IV, c. 8; s. Hieron., *Catal.* Fragmenta operis eius extant ap. Migne, *Patrol. graec.* t. VI.

[12] Euseb., ibid. c. 20. Ex operibus Theophili soli supersunt libri 3 *ad Autolycum*, extantque in editione *Operum* s. Iustini cura P. Maran. In eadem editione habetur celebris *Oratio* Hermiae, philosophi christiani, qui scita ac acri ratione philosophorum petulantiam perstrinxit. Silent porro antiqui, quo saeculo floruerit hic Hermias; eum II saeculo vixisse existimat Caveus; antiquum esse, recentiorem tamen s. Iustino martyre, ex eius Orationis internis characteribus colligunt critici.

[1] Euseb., l. V, c. 13; s. Hieron., l. c. Fragmenta edidit Migne, l. c.

[2] Euseb., ibid. c. 18; s. Hieron., ibid. Fragmenta edidit Migne, l. c.

[3] Euseb., ibid., c. 19; l. IV, c. 12; s. Hieron., ibid. Fragmenta edidit Migne, l. c.

[4] Cf Tillemont, *Mémoires*, t. III; card. Orsi, *Storia*

34. *Pantaenus*.— Per idem tempus floruit Pantaenus, vir eruditionis fama et Fidei zelo spectatissimus. Is primum philosophiae Stoicae praecepta ritusque ethnicos sectatus, deinde christiana sacra professus est. In Divinis Scripturis versatissimus, Alexandriae in Ægypto praefectus fuit celebri ss. Litterarum scholae. Postea a Demetrio, ecclesiae Alexandrinae episcopo, ad populos orientales evangelista destinatus, ad Indos usque progressus est, ubi s. Matthaei Evangelium, hebraicis litteris conscriptum, reperisse fertur apud aliquot Christianos, quibus olim s. Bartholomaeus, *ut fama est*, ait Eusebius, Fidem praedicaverat et exemplum Evangelii secundum Matthaeum reliquerat. Pantaenus post multa in hac missione praeclare gesta, Alexandriam redux, in exponendis divinorum dogmatum thesauris tum viva voce tum scripto perrexit, pluresque illustres discipulos, prae caeteris Clementem Alexandrinum, habuit. Scripta eius temporis iniuria perierunt[1].

35. *Schola Alexandrina*—Inter scholas a Christianis ad ss. Litterarum traditionem et explicationem antiquitus institutas, celeberrima erat Alexandrina, quam a priscis temporibus fundatam et a viris illustribus frequentatam fuisse testatur Eusebius[2]. In ea non tantum doctrinae christianae elementa tradebantur, sed etiam erudita et philosophica methodo ss. Scripturae exponebantur, et christianae Fidei dogmata defendebantur. Utique planus ille et simplex modus, a philosophica subtilitate et dialectica arte alienus, proponendi Fidei dogmata et morum praecepta, qui aevo apostolico obtinuit, etiam hac aetate conservatus est in instituendis Religionis christianae candidatis et catechumenis, in instructionibus, quas episcopi et presbyteri ad populum habebant; sed inter eruditos et in scholis huic methodo simplici iam accessit alia, erudita et philosophica, qua Religionis institutio formam induit scientificam et theologia evasit. Ubi enim philosophi ethnici Religionem christianam oppugnarunt, pluresque haereses ex immoderata quorumdam philosophandi libidine ortae sunt, doctores christiani dogmata Religionis scientifica methodo explicare et defendere coeperunt. Cumque ex his plures ex ethnicis ad christiana sacra transiissent, quales erant Iustinus, Athenagoras, Theophilus, Pantaenus, hi pro philosophica disserendi ratione, cui assueti erant, doctrinas christianas terminis, rem accurate exprimentibus, definire, exponere, adductisque rationibus comprobare et stabilire coeperunt. Placuit illis *eclectica* ratio, quae nulli philosophorum sectae addicta, ex omnibus deligebat ea, quae rationi convenire videbantur; Platoni tamen potiores partes tribuebant. Ea methodo in schola Alexandrina usi sunt Athenagoras, Pantaenus, Clemens Alexandrinus, Origenes.

Heterodoxi quidam scriptores iniuste asseruerunt, nonnulla Fidei dogmata a Patribus huius et sequentis saeculi secundum ideas Platonicas immutata, aut varias doctrinas e philosophia platonica in Religionem christianam illatas, sicque hanc ipsam corruptam fuisse [1]. Patres enim nulla dogmata a Platone mutuati sunt, neque illa huius ideis accommodarunt; contra vero ipsius Platonis eiusque discipulorum aberrationes et contradictiones confutarunt; et philosophia eclectica usi sunt non ut Fidei criterio sed ut famula ad doctrinae christianae expositionem atque defensionem erga philosophos, quibuscum disputabant [2].

36. *Versio graeca V. Testamenti*—Hoc etiam saeculo libri sacri V. Testamenti versi sunt in linguam graecam. Extabat iam versio graeca LXX Interpretum, diu ante nativitatem D. N. I. C. confecta. Novam hoc saeculo edidit Aquila, Ponticus, qui sub Hadriano imperatore Christianorum consuetudine, miraculis et pietate excitatus, ethnicos ritus abiecit et christiana sacra professus est; sed parum sibi constans, postea ad ritus iudaicos deflexit. Tunc litteras hebraicas doctus, libros V. T. ex hebraeo in graecum transtulit; quae versio ab antiquis in aliis laudatur, in aliis vero, praesertim in iis, quae spectant ad Messiam, reprehenditur [3]. Post Aquilam eidem rei operam dederunt Theodotion et Symmacus. Prior, patria Ephesius, primum fuit Tatiani, deinde Marcionis sectator, postremo iudaeus proselytus[4]. Posterior, genere Samaritanus, e iudaeo christia-

eccl. t. II; J. Longueval, *Hist. de l'Église gall.*, t. I, l. 1. Textus graecus operis s. Irenaei adversus haereses intercidit praeter quaedam fragmenta; sed conservata fuit antiqua versio latina, et ex his novam versionem latinam edidit D. Massuet, Paris 1710, in-fol., Venet. 1754; Migne. *Patrol.* cit. t. VII.

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 10; s. Hieron., *Catalog.*

[2] Loc. cit.

[1] Mosheim, *Diss. in hist. eccl.*; Brucker, *Hist. critiq. philos.*

[2] Petav., *Dogmata theol.* t. II, l. 1; Baltus, *Défense des SS. Pères accusés de platonisme*; Bergier, *Diction. de théol.* art. *Platonisme.*

[3] S. Iren., l. II, c. 24; s. Epiphan., L. *de mensur.* n. 25; s. Hieron., Praefat. *in Iob*, et *Epist.* 33.

[4] S. Hieron., Praefat. *in Daniel.*

nus, postea ebionita factus est [1]. Eorum sicut et Aquilae versiones, utpote factae a iudaizantibus et apostatis, nunquam ab Ecclesia publice susceptae aut approbatae fuerunt.

37. *S. Victor Pontifex* (*an.* 192) — Postquam s. Eleutherus annis circiter quindecim Ecclesiae praefuisset, coelesti gloria donatus est. Martyr dicitur in Martyrologio Romano, quod aerumnas multas et labores pro Fidei causa pertulit. Martyris quippe nomen, ut observat Baronius, non fuit proprium iis solis, qui pro Christo Iesu occidebantur, sed etiam commune fuit iis, qui Fidei causa aliquem cruciatum gravesque labores subierant, quamvis effusione sanguinis martyrium non consummassent [2]. In locum D. Eleutheri subrogatus fuit s. Victor, Afer, qui decem annis Ecclesiam gubernavit. Hic Theodotum et Artemonem, duces Pauli Samosateni, propter haereticam doctrinam Ecclesiae communione eiecit; Sabellium quoque et Noëtum, qui de divinitate in tribus personis subsistente contractionem et commixtionem personarum divulgabant. Excommunicavit etiam Valentinum, qui praeter caeteras ineptias, asserebat Christum coeleste corpus habuisse. Cum Asiaticis de die celebrandi Pascha certavit, ut mox videbimus.

38. *Haeresis adversus divinitatem Christi* — Theodotus ille a s. Victore damnatus, erat patria Byzantinus et arte coriarius, litteris tamen imbutus; indigne ferens opprobria, quod Christum in persecutione negasset, prius Byzantii, postea Romae sibi facta, asseruit, Christum fuisse merum hominem, modo tamen supernaturali conceptum, virum sanctum ac sapientem, ipsisque prophetis praestantiorem [3]. Ex eius asseclis, qui a magistri sui nomine Theodotiani appellati sunt et iam saeculo V extincti erant, praecipuus fuit alius Theodotus, cognomine trapezita seu argentarius, qui Melchisedechum virtutem quamdam divinam, ipso Christo superiorem, commentus, auctor extitit Melchisedechianorum [4]. Artemon, alias Artemas, easdem ac Theodotus coriarius blasphemias tradidit, nomenque et originem dedit Artemonitis, caeterum paucis et mox ab aliis sectariis absorptis [5].

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 17; s. Epiphan., loc. cit.
[2] Ad an. 194, et *Annot.* in *Martyrol. Rom.*
[3] Tertullian., *De Praescript.* n. 53 et 58; s. Epiphan. *Haeres.* 54; Theodoret., *Haer. fabul.* l. II, c. 5.
[4] Tertullian., ibid. c. ult.; Euseb., l. c.; s. Epiphan. *Haeres.* 55; Theodoret., ibid. c. 6.
[5] Theodoret., ibid. c. 4.

Porro hi divinitatis Iesu Christi detractores non solum ab Ecclesia reiecti, sed etiam, teste Eusebio, perdocte confutati fuerunt a quodam anonymo huius temporis scriptore, qui sacratissimum dogma defendit tum e Scripturis tum e traditione, quam in ipsis fidelium hymnis et Patrum, Iustini, Melitonis, Miltiadis, Irenaei etc., scriptis ostendit [1].

39. *Lis de Paschate* — Altera controversia, quae non ad Fidem, sed ad disciplinam spectabat, pontificatum gerente s. Victore, anno 196 agitata est, de legitima scilicet die celebrandi Pascha. Haec quaestio, iam Anicetum papam inter et Polycarpum Smyrnensem pacificis animis mota, ut vidimus [2], sub Victore acrius agitata est. Ecclesiae Asiaticae hac in re diversum ritum seu traditionem secutae, Pascha semper celebrabant luna XIV mensis primi, Nisan seu Martii, qua die praescriptum erat Iudaeis, ut agnum paschalem immolarent; eaque luna, in quamcumque diem hebdomadae incideret, ieiunium antepaschale solvebant. Eumdem ritum sectabantur plerique Montanistae, et qui schismatico Blasto adhaerebant.

S. Victor haud ultra tolerandum censens, catholicorum quemquam more Iudaeorum aut schismaticorum Pascha celebrare, curavit, ut una eademque disciplina hac in re in omnibus ecclesiis obtineret. Synodum ipse Romae celebravit, aliasque in provinciis indici iussit, ut eo magis de communi ecclesiarum disciplina et sincera traditione constaret. Tum in Romana, tum in Palaestina, Pontica, Osroena, Gallicana, aliisque synodis decretum est, Pascha non alia die quam dominica, lunam XIV mensis primi proxime sequente, esse cebrandum, neque ante hanc diem ieiunia solvenda. His factis, voluit Victor, ut Asiatici se ad communem Ecclesiae catholicae disciplinam conformarent.

Verum Polycrates, Ephesiorum episcopus, aliique Asiae minoris praesules, propriae disciplinae pertinaciter inhaerentes, Victoris decreto obtemperare detrectaverunt, rati, se receptam in ecclesiis suis ex s. Ioannis traditione, ut contendebant, disciplinam tuto sequi posse. Id aegre ferens Pontifex, consilium iniit obstinatos ab Ecclesiae communione segregandi. Verumtamen suasu et hortatu s. Irenaei Lugdunensis, ne ob hanc ritus diversitatem ecclesias integras a communione abscinderet, animum mutavit et intra minas se continuit. Nonnulli censent,

[1] *Hist. eccl.* l. V, c. 28.
[2] Pag. 41-42.

excommunicationis sententiam reipsa in Asiaticos latam fuisse, sed s. Pontificem Irenaei consilio mox pacem iis reddidisse. Lis brevi post sopita est ob instauratam sub Severo persecutionem. Anno 325 generale concilium Nicaenum cunctis ecclesiis Romanum morem praescripsit [1].

40. *Ecclesiae status sub Severo imperatore* — Imperator Commodus, ob saevitiam omnibus invisus, anno 192, quum propinatum sibi venenum evomeret, a Narcisso palestrita suffocatus est. Illo extincto imperator salutatus fuit Helvius Pertinax, annis natus amplius sexaginta; sed a militibus, disciplinam severiorem aegre ferentibus, intra octogesimum octavum diem e medio sublatus est. Tum Didius Iulianus pecuniae pollicitatione imperium a praetorianis accepit; at cum promissum pretium solvere non posset, post menses duos ab iisdem destitutus est. Eodem tempore militari suffragio imperatores salutati sunt in Pannonia Septimius Severus, in Britannia Claudius Albinus, in Syria Pescennius Niger. Praevaluit Severus, Romae a senatu populoque consalutatus. Is Didium Iulianum occidi iussit: reliquos competitores bello vicit et oppressit, Pescennium Nigrum anno 194, Claudium Albinum anno 197, imperavitque usque ad annum 211.

Severus hisce adversus competitores bellis distractus, memor quoque fidei Christianorum, quorum nulli aut Albini aut Nigri partibus favere inventi sunt [2], forsan metuens eorundem Christianorum, si vexarentur, a fide, quam ei servarant, defectionem (iam enim, ut Tertullianus in *Apologetico* scribit, urbes, insulas, castella, municipia, castra, tribus, decurias, palatium, senatum, forum implebant), sub imperii sui initia Ecclesiae pacem non turbavit; contra, non semel furenti in Christianos paganae plebi restitit. «Unde satis bono loco, inquit Nicephorus, res nostrae fuere, in diesque professio augmenta sua cepit... Idque in maximis potissimum ubique urbibus, nimirum Alexandriae, Antiochiae, Ælliae et per Palaestinam omnem, Ephesi, Caesareae, et Occidentem versus Thessalonicae, Athenis, Corinthi, in Galliis, et Romae; universae enim multitudines et domus totae ad Fidem accedebant, quidvis facere et pati paratae, quem ut quicquam contra Religionem agerent aut novarent [1] ». Sed post paucos annos persecutio gravis contra Ecclesiam excitata est, ut mox dicemus.

41. *Clemens Alexandrinus et alii scriptores* — Clarebat tunc temporis tum vitae sanctimonia, tum eruditione Clemens cognomento Alexandrinus; qui e philosopho stoico christianus et presbyter, Pantaeni primum discipulus, deinde in Alexandrina schola successor, multa in Ecclesiae bonum scripta edidit. Plura ex iis temporum iniuria perierunt; sed extant *Exhortatio ad gentes*, quas perstrictis earum sacris, ad christiana amplectenda hortatur; *Paedagogi* libri tres de vita moribusque christiani hominis informandis; *Stromatum* libri octo, multiplici eruditione referti, in quibus christianos in Religione sua confirmare et ethnicos ad eamdem suscipiendam allicere sibi proposuit; *Oratio de salute divitis*, qua rectum divitiarum usum docet. Alia quae sub eius nomine extant, ad supposititiorum classem ablegantur [2].

Eiusdem aetatis sunt scriptores qui sequuntur: Heraclitus, qui Commentarios edidit in epistolas Paulinas. Candidus, disceptator acutissimus, qui tractatus composuit *in Hexameron*. Appion, qui in eodem argumento versatus est. Sextus, qui librum edidit *de Resurrectione*. Arabianus, qui *de Dogmate* scripsit. Maximus, qui quaestionem *de origine mali,* apud philosophos et primos haeresiarchas famosam, insigni volumine exagitavit. Eorum vero opera ad nos non pervenerunt [3].

42. *Persecutio V* (*an.* 197) — Tranquillitas, qua Christiani sub Severi imperatoris

---

[1] Firmilian., *Epist. ad s. Cyprian.* 75, edit. Pamel.; Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 23-24; Socrat., *Hist. eccl.* l. V, c. 22; s. Hieron. in *Catal*; s. Epiphan., *Haer.* 70, etc. Cf Append. ad *Opera* ven Bedae, t. VI, p. 318 ap. Migne, *Patrol. cursus complet.* Laboriosae potius coniecturae quam argumenta sunt, quibus M. Molkenbuhr in *Dissertationibus suis criticis* historiam huius controversiae inficiari conatur.

S. Victorem reipsa Asiaticos excommunicasse, existimant P. De Marca, *De concordia sacerd. et imper.* l. III, c. 9; Pagi. *Critica in Baron.* ad an. 196; Schelstrate, *Antiquit. eccl illustr.* part. II, diss. I, c. 3; alii. Pontificem intra minas se continuisse, defendunt Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. II, diss. 5; H. Valesius, Annot. *in Euseb. Hist. eccl.* l. V, c. 24; A. Sandini, *Disput. hist.* V; alii.

Ex ipsa huius controversiae historia patet, quae ratio habenda sit eorum scriptorum, qui, Victorem papam in hac re accusant inconsiderati, temerarii et imprudentis consilii. Recte I. B. Palma (*Praelect. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 20), aliique ostendunt, sanctum Pontificem secundum causae gravitatem fecisse quod muneris sui partes poscebant.

[2] Tertullian. L. *ad Scapul.* c. 2.

---

[1] *Hist. eccl.* l. V, c. 2.

[2] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 13-14; s. Hieron. in *Catal.* Opera Clem. Alex. edita sunt Oxonii 1715, et Venet. 1758, in-fol. Item, Migne, *Patr. graec.*, t. VIII-IX.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 27; s. Hieron. in *Catal.*

initia potiti sunt, non perduravit. Quum enim imperator devictis competitoribus, in Orientem adversus Parthos et Arabes esset profectus, in Occidente provinciarum praesides et exolescentis deorum cultus ministri, opportunum tempus vexandi Christianos nacti, eos calumniis, opprobriis, suppliciis opprimere in multis locis coeperunt. Foecundissima christianae Fidei propagatio et deserta in dies magis deorum templa eorum invidiam atque furorem in illius sectatores acrius accendebant, adeo ut quae primo in aliquot provinciis, brevi post in omni imperio grassata sit persecutio.

In Africa dirissime in Christianos saeviit Saturninus proconsul, sub quo praeter alios martyrium passi sunt duodecim Scillitani, Speratus, Narzalis, Cythinus, Veturius, Felix, Acyllinus, Letantius, Ianuaria, Generosa, Vestina, Donata et Secunda; qui post heroicam Christi confessionem in carcerem missi, in lignum confixi, dein gladio decollati sunt [1].

Anno 202 persecutio per omnes ubique provincias grassari coepit. Severus enim, rebus in Oriente compositis, Romam reversus est et Parthicum triumphum celebravit. Quum autem Christiani ab impuris et impiis spectaculis ac ludis, quae in eiusmodi festivitatibus exhibebantur, se subducerent, novi facinoris apud imperatorem ab hostibus incusati sunt, quasi domi Albini interitum lugerent, Severo purpuram et civibus laetitiam inviderent. Ac, licet absurda et temeraria fama, totus erga Christianos immutatus imperator, edicta promulgavit, quibus eorum sacra ceu nova et Romanis legibus adversa prohibuit, et sub gravissimis poenis cavit, ne quis ad ea transiret [2].

« Cum Severus persecutionem adversus ecclesias excitasset, inquit Eusebius, per omnes quidem ubique locorum ecclesias ab athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria. Praecipue tamen Alexandriae increbuerunt, cum ex universa Ægypto ac Thebaide lectissimi pugiles eo tamquam in amplissimum Dei stadium deducerentur, et cuiusquemodi tormenta mortesque invicto animo perpessi, immortales a Deo coronas acciperent [3] ». Tam atrox erat persecutio, ut Iudas, huius temporis scriptor, qui praeter Commentarios in LXX Danielis hebdomades, edidit Chronologiam usque ad Severi decennalia, Antichristi adventum imminere crederet [1]. Exilia, carceres, cruces, ungulae, bestiae, equulei, rotae, aliaque carnificinarum instrumenta ad exscindendos christiani nominis confessores congesta sunt. —Huius persecutionis acerbitatem veluti sub oculos ponit Tertullianus [2], atque inter alia Christianorum etiam violata sepulcra conqueritur, et Christianos *sarmentitios* et *semaxios* per convicium vocatos dicit, *quod ad stipitem dimidii axis revicti sarmentorum ambitu exurerentur.* Eadem fere habet Minucius Felix in Dialogo, cui nomen *Octavius* sub idem tempus Romae edito, in quo etiam Christianorum puerorum puellarumque non in unius dexterae, sed in totius corporis exustione invictam constantiam, et sine ullo eiulatu patientiam fucatae ethnicorum fortitudini eleganter opponit.

Severo annum imperii decimum (202) agente, subdit Eusebius, tanta immanitate ac furore in Christianos saeviebatur, *ut innumerabiles martyrio coronarentur* [3]. Idem hoc ipso tempore scripsit Clemens Alexandrinus. « Nobis, inquit, sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur et capite damnantur [4] ». In Galliis tanta, ait Gregorius Turonensis, multitudo Christianorum ob confessionem Dominici nominis iugulata est, ut per plateas flumina currerent de sanguine christiano, quorum nomina ac numerum colligere impossibile erat [5].

Alexandriae praeter alios passi sunt Leonides, pater Origenis, Plutarchus cum sociis, et Potamiaena virgo, quae postquam multa certamina pro virginitate strenue tolerasset, cum Marcella matre sua flammis tradita fuit [6]. Carthagine in Africa in sexu fragili singularis fortitudinis exempla dederunt Perpetua ac Felicitas, feris obiectae; quibuscum itidem passi sunt Revocatus, Saturninus et Secundolus [7]. Lugduni in Gallia cum s. Irenaeo episcopo christiani 19,000, ut in vetusto ecclesiae s. Irenaei Lugdunensis epitaphio legitur, martyrio coronati sunt [8]. Va-

---

[1] Apud Baron., ad an. 202; Ruinart, *Acta Mart.* p. 75; Bolland., *Acta SS.* t. IV iul. p. 204.

[2] Severi edictum extat apud Spartian., *Vita Severi*, c. 17.

[3] *Hist. eccl.* l. VI, c. 1.

[1] Euseb. *loc. cit.* c. 7.

[2] Tertullian., *Apol*; Clem. Alex., *Strom.* l. II; Euseb., ibid. c. 1-3; Oros., l. VII, c. 17; Sulpic. Sever., *Hist. sacr.* l. II, c. 45. Cf Ruinart, Praef. ad *Act. Mart.*

[3] L. c., c. 21.

[4] Loc. cit.

[5] *Hist. Franc.* l. I, c. 29.

[6] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 1-5.

[7] Ruinart, *Act. Mart.*; Tillemont, *Mémoires*, t. III, Butler, *Vies de SS.*, 7 mars.

[8] *Millena dena novemque.* Cf Tillemont, loc. cit.: R. P. de Colonia, *Hist. lit. de la ville de Lyon*, sect. 3.

lentiae Felix presbyter, Fortunatus et Achilleus diaconi, qui a s. Irenaeo ad hanc urbem missi, maximam illius partem ad Fidem Christi converterant, primum in carcerem coniecti sunt, deinde verberibus caesi, confractis cruribus circa rotarum vertiginem stricti, fumum in equulei suspensione perpessi et ad extremum gladio percussi sunt[1].

Tam manifesta sunt veterum testimonia de persecutione Christianorum sub Severo, ut Dodwellus[2] ipse eam negare non fuerit ausus; sed ut martyrum numerum minueret, illam intra biennii angustias coarctavit, addiditque, non tantam fuisse martyrum multitudinem, quantam innuit Eusebius. At confutatur petulantissimus scriptor non solius Eusebii, sed etiam Clementis Alexandrini, Tertulliani, Gregorii Turonensis, P. Orosii, Sulpicii Severi, aliorumque testimoniis[3].

43. *Tertullianus* — In his angustiis de Christianorum causa bene meruit Tertullianus, anno circiter 160 patre proconsularium copiarum centurione Carthagine in Africa natus, ex ethnico christianus et presbyter, vir acris et vehementis ingenii, omnisque litterarum generis peritus. In primis Christianorum causam fortiter defendit in *Apologetico* libro ad provinciarum praesides; depingit in eo graphice iniquam condemnandi Christianos formam; ostendit, eos ab affictis irreligionis, rebellionis, incestus criminibus esse alienissimos; deinde perstrictis ethnicis institutis, docte disserit de Christianorum doctrina et sancta disciplina. Eidem argumento institit in libris duobus contra gentes; in priori Christianos iterum vindicat a pravis calumniis, quae contra eos vulgabantur; in posteriori ethnicum deorum cultum refutat.

Eodem tempore, quo Religionem eiusque sectatores defendebat contra gentiles, eam propugnavit adversus alios hostes. In libro contra Iudaeos Christum esse verum Messiam, et V. Foederis instituta per eum abrogata demonstravit. Alios scripsit libros contra Valentinianos, Marcionem, Hermogenem, et Praxeam, de cuius haeresi infra dicemus. Adversus haereses omnes edidit eximium opus *De Praescriptionibus*, in quo primum monet, mirandum non esse, quod emergant haereses, quippe quae fuerint praedictae; neque quibuscumque earum auctoribus offendendum esse, quum non ex personis Fides, sed ex Fide personae probentur. Dein ostendit quid sint haereses et quibus e causis passim nascantur. In reliquis adversus haereses earumque auctores demonstrat, eos immerito provocare Scripturarum disputationem; prius videndum esse, cui Scripturarum, quae variae circumferuntur, possessio et interpretatio competant; has esse in iis ecclesiis, quas Apostoli instituerunt, et quae ab iis veram Fidem, veramque eam tradendi disciplinam acceperunt; cum his apostolicis ecclesiis solos catholicos legitima episcoporum successione communicare; apud hos ergo esse verarum Scripturarum possessionem et interpretationem, omniumque traditionum veritatem, non vero apud haereticos, qui novi sunt et cum apostolicis ecclesiis non communicant.

Plures etiam libros morales ad docendos fideles composuit, puta, *de Oratione, Baptismo*, *Poenitentia*, *Martyrio*, *Patientia*, *Virginibus*, *Spectaculis*, *Idololatria.*

Verum Tertullianus, quum usque ad mediam aetatem presbyter Ecclesiae permansisset, inquit s. Hieronymus[1], magnamque nominis famam esset consecutus, anno circiter 207 ab avita et catholica Fide ad Montanistarum haeresim deflexit. Vir severi ingenii et animi austerioris, avidius audivit famosum inter Montanistas Proclum[2], cuius commercio adversus Ecclesiae disciplinam praeoccupatus, ex asperioris vitae cultu de ipsa Ecclesia ac dogmatum veritate iudicium tulit. Hac severioris disciplinae specie excitatus, et a Romanae ecclesiae clero despici sibi visus, ad Montanistarum sectam transiit[3]; et qui antea tanta cum laude ac eruditione catholica dogmata defenderat, exhinc profanas Montani, Priscillae, Maximillae novitates propugnavit, ut libri eius *de Pudicitia*, *Monogamia*, *Ieiuniis*, *Exhortatione castitatis*, *Fuga*, *Corona militis*, testantur.

Quis autem fuerit Tertulliani exitus, parum constat. Scribit s. Augustinus, eum ut a Catholicis ita etiam postea a Montanistis defecisse, novamque collegisse sectam, cuius asseclae Tertullianistae dicti sunt. Qui autem ex his tempore D. Augustini supererant, huius opera ad catholicam unitatem redierunt[4].

---

[1] Tillemont, ibid. p. 97 et 628.
[2] *Diss. Cyprian.* XI.
[3] Cf Ruinart, Praef. ad *Act. Mart.*

---

[1] *Catalog.*
[2] Hunc Proclum in disceptatione Romae habita a Caio, viro in primis pio et diserto, palam convictum, damnavit s. Zephyrinus papa. Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 28, l. VI, c. 14, et 20.
[3] De causis eius lapsus agit Baronius, ad an. 201.
[4] S. Augustin., *Haeres.* 86. Opera Tertulliani edita

44. *Origenis initia* — Iam etiam inclarescebat Origenes, inter scriptores graecos ingenio ac eruditione nemini secundus, qui patre Leonide anno 185 Alexandriae natus, post patris martyrium aliquandiu humaniores litteras tradidit. Annis natus octodecim a Demetrio, episcopo Alexandrino, in locum Clementis ss. Litterarum scholae praefectus est. Brevi tantam nominis famam consecutus est, ut undique ad eum audiendum plurimi convenirent; quibus haud sufficiens, Heraclam discipulum magisterii socium elegit, ipse maiores disciplinas tradidit. Multi etiam ethnici, in philosophicis disciplinis praestantissimi, eum audierunt, eiusque ope ad christianam Fidem perducti, usque adeo inclaruerunt, ut quidam illustribus martyriis eamdem confirmarint [1]. Caetera eius gesta infra indicabimus.

Minutius Felix — Romae celebris erat Minutius Felix, fori causidicus et orator insignis, qui eleganti stylo egregiam composuit christianae Religionis apologiam in forma dialogi, in quo cum Caecilio ethnico disputat Octavius christianus [2].

S. Hippolytus — Eiusdem aetatis fuit D. Hippolytus, Clementis Alexandrini discipulus, deinde episcopus Portuensis. Is praeter commentarios in varios s. Scripturae libros, scripsit plura alia diversi argumenti opera, quorum alia perierint, alia, inter quae *Canon* seu *Cyclus paschalis*, Oratio *de Antichristo*, Demonstratio *contra Iudaeos*, tractatus *adversus Noetum*, conservata sunt [3]. Martyr obiit iuxta quosdam sub imperatore Alexandro, secundum alios sub Decio [4].

45. *Ecclesiae status sub Caracalla* (*an.* 211) — Post duram sub Severo imperatore persecutionem, divina providentia tranquilliora tempora Ecclesiae destinavit sub Caracalla, qui anno 211 una cum fratre suo Geta patri Severo in imperio successit. Caracalla consortis impatiens, Getam fratrem interemit, mentemque ferocem convertit in omnes, qui vel levissime Getam coluissent aut solum nomen eius post mortem scripsissent vel pronunciassent: omnes morte mulctari mandavit; e caesarianis militibus, qui cum Geta fuerant, viginti millia, viros ac mulieres, plures quoque nobiles aliosque, vel levissime suspectos, interimi iussit [1]. « Sane dum tantam saevitiam a truculento principe in Romanos ob solum Getae nomen congestam considero, inquit Baronius, et in mentem revoco quae ipsi pauco ante tempore in Christianos ob solum Christi nomen perpetrarunt, plane omnia haec ulciscente Numine illos passos esse dixerim [2] ».

Quod magis mirandum est, hoc hominis monstrum grassanti in Christianos persecutioni modum posuit, omnesque exules, cuiuscumque rei incusati ac quomodocumque essent damnati, restituit. Quamvis in remotioribus provinciis aliquandiu perdurarit persecutio, uti e Tertulliani libro ad Scapulam, Africae proconsularis praesidem, constat, tamen, ubi imperatoris voluntas innotuit, sopita est. Hinc evangelica praedicatio, post longam tempestatem libertate donata, tanto abundantiores protulit fructus, quanto terrarum orbis martyrum sanguine erat foecundior. Innocentia, constantia ac patientia plus quam humana eorum, qui in persecutionis incendio sanguinem pro Christo fuderant, christianam Religionem quaquaversum praedicabant. Alii, qui persecutionis causa in longius dissitas terrae plagas transierant, earum incolis, qua valebant, arcana coelestia verbis communicabant, exemplis commendabant; quo factum est, ut in dies maior fieret ad Ecclesiam gentium accessio.

46. *S. Zephyrinus Pontifex* — Summum Ecclesiae pontificatum tunc temporis gerebat s. Zephyrinus, Romanus, qui anno 201 s. Victori successit. Hic Pontifex in communionem recepit Natalium, qui postquam persecutionis tempore Christum confessus fuisset, a novatoribus deceptus ad Theodoti sectatores deflexerat, sed a clementissimo Deo saepius correptus, haeresim eiuravit et coram Zephyrino papa exomologesim fecit [3].

Perperam huic Pontifici Montanismi ignominiam inurere quidam tentarunt, quod Tertullianus scribat, episcopum Romanum (alii Zephyrinum, alii Victorem, alii Eleutherum a Tertulliano notari putant) Montani, Priscillae et Maximillae prophetias agnovisse, iamque pacem *Asiae et Phrygiae ecclesiae* (Montanistis) *inferre paratum*, a Praxea fuisse coactum, ut *litteras pacis revocaret*

---

sunt studio Rigalt. Paris. 1634 et 1641, atque Venet. 1701 in fol., item studio I. Pamel., Antv., Parisiis et alibi; Migne, *Patrol. latin.* t. I-III.

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 2-5 et 18.

[2] Minutii Felicis Dialogus, inscriptus *Octavius*, editus est cura Rigalt. 1643, Migne, *loc. cit.* t. III.

[3] Operas. Hippolyti quae supersunt, et aliorum fragmenta edidit Fabricius, 1716, 2 vol. in-fol.; Galland., *Biblioth.* t. II; Migne, *Patr. graec.* t. X; Card. Mai, *Scrip. vet.* t. I, p. 30. De eius Vita et scriptis vid. De Magistris, *Acta Martyr. ad ostia Tiberina*, Rom. 1795.

[4] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 20; s. Hieron., *Catal.*; Bolland., *Acta SS.* 22 aug.; De Magistris, *Op. cit.*

[1] Dio et Spart., *Caracal.*; Herodian., l. IV.

[2] Baron., *Annal. eccles.* ad an. 214.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. V, c. 28.

et a proposito recipiendorum charismatum cessaret[1]. Mirum non est, ita loqui Tertullianum Montanistam; semper enim novatoribus solemne fuit, ut errores suos Romanorum Pontificum auctoritate obtegere conarentur, quo facilius simplicioribus fucum facerent. Id generis calumniam etiam Artemonis sectatores Victori papae importasse, scribit Eusebius[2]. Contra, notum est, Zephyrinum papam damnasse Proclum, famosum Montanistam; Natalium post haeresim ad poenitentiam recepisse; et, teste ipso Tertulliano, mandasse, ut etiam moechi ad poenitentiam reciperentur[3]; haec autem a Montanistica doctrina sunt alienissima.— Demum si pacificas litteras, ut scribit Tertullianus, Montanistis Zephyrinus concessisset, id agere potuisset deceptus sanctioris vitae specie, quam illi prae se ferebant, ac proinde non *circa fidem*, sed *circa personam* errasset, ut docet Bellarminus[4].

Idem Pontifex constituit ut Ordinis sacramentum publico in Ecclesia administraretur, utque Episcopo sacrificium facienti *sacerdotes omnes adstarent*[5].—Comiter excepit Origenem, qui sub eius pontificatu Romam venit, ut omnium ecclesiarum Matrem coram videret[6]. Obiit autem S. Zephyrinus anno Heliogabali imperatoris I, post Christum natum 219[7]; eique suffectus fuit Callistus, Romanus.

47. *S. Narcissus et Alexander*—Ecclesiam Hierosolymitanam annis multis sanctitate vitae et miraculis ornavit s. Narcissus. Is de falso crimine ab adversariis accusatus, in eremum clam secessit; postea, calumniatoribus divina ultione correptis, quasi redivivus Hierosolymas rediit, et a fratribus rogatus est, ut ecclesiae administrationem rursum susciperet. Cum senio confectus oneri ferendo vix par esset, s. Alexander ignotae sedis episcopus, qui Hierosolymam visendi Terram sanctam causa se contulerat, divino monitu ei coadiutor datus est[8].

48. *Ecclesiae status sub Heliogabalo et Alexandro imperatoribus*—Caracalla imperator, ob feralem saevitiam omnibus invisus, anno principatus sui sexto (217) mandato Macrini, praetorio praefecti, necatus est. Tunc a militibus imperator salutatus est idem Macrinus, qui post adversum praelium pace cum Parthis composita, se totum voluptati dedit, militum animos offendit, et anno imperii sui altero ab iisdem occisus est. Eo sublato, imperium obtinuit Bassianus, dictus Heliogabalus, princeps moribus foedis, qui ob infamem vitam omnibus invisus, anno 222 interemptus et in Tiberim proiectus fuit. Tum imperare coepit M. A. Alexander, princeps bonus, domi militiaeque clarus.

Tranquillitatem a Caracalla Christianis redditam, neque Heliogabalus neque Alexander turbavit. Posterior non tantum illos toleravit, sed erga eos consiliis Mamaeae matris, vel christianae vel certe Christianis deditae, amico animo fuit. Sub hoc principe magis firmata est pax Ecclesiae, maiorque Christianis libertas conveniendi ad celebranda divina mysteria contigit. Tunc, quod antea ob ethnicorum invidiam et persecutiones haud licuerat, Christiani aedes sacras seu ecclesias palam exstruxerunt. Inter alios Callistus papa Romae trans Tiberim ecclesiam in honorem partus Deiparae Virginis Mariae aedificandam curavit[1]. Iam ab Apostolorum temporibus, ut diximus[2], Christiani ecclesias seu aedes divinorum mysteriorum celebrationi destinatas habebant, sed privatas et ab aliis aedificiis non distinctas, ut invidos hostes laterent. Eos saepius persecutionis causa in cryptis conventus suos ac sacra celebrasse, testatissimum est[3].

49. *Coemeteria christiana* — Idem Pontifex, ut habet *Liber Pontificalis*, tunc temporis in via Appia instauravit ampliavitque celebre coemeterium, quod Callisti nomen accepit, et sic appellatur usque in hodiernam diem: eiusque saepe fit mentio in actis Sanctorum, quorum corpora in illud illata sunt[4]. Christiani enim omni tempore mortuorum corpora, aliquando resuscitanda, religioso more sepelierunt; in quo differebant a paganis, qui defunctorum corpora cremare, dein eorum cineres et ossa humare solebant[5]. Christianos semper ad id pium opus

[1] Tertull, L. *adv. Praxeam*, c. 1.
[2] *Hist. eccl.* l. V, c. 28.
[3] L. *de Pudicit.* c. 1.
[4] *Controvers.* l. IV, *de R. Pontif.* c. 8.
[5] Cf *Liber Pontificalis*.
[6] Euseb., *Hist. eccl.* l. IV, c. 14.
[7] Ibid. c. 21.
[8] Euseb. l. VI, c. 9-10.

[1] Cf *Liber Pontificalis*.
[2] Pag. 21.
[3] Petrus Cluniacen., L. *contra Petrobusianos*; Card. Bona, *Rer. liturg.* l. I; Card. Orsi, *Storia eccl.* l. VI, § 23; Mamachi, *Origin. et antiquit. chr.* t. III, et *De' costumi de' primitivi Cristiani*, l. I, c. 4.
[4] P. Aringhus (*Roma subterranea*, l. 3, c. II, § 1) haec habet: «Callistus Pontifex non quidem, ut nonnulli perperam arbitrantur, coemeterium hoc extruxit, sed potius instauravit»; et § 29 addit, «centum septuaginta quatuor millium Martyrum, et sex et quadraginta Pontificum exuviis nobilitatum».
[5] Tertullian., L. *de resurrectione*, c. 1; Minut. Felix, *Octavius*, c. XI.

usos fuisse coemeteriis seu locis distinctis a Iudaeorum, haereticorum et ethnicorum sepulturis, ex ipsa religionis diversitate, e studio, quo communionem cum iis vitabant, et ex invidia odioque quibus isti Christianos persequebantur, manifestum est. Haec Christianorum coemeteria uti eorum aedes sacras durantibus persecutionis saeculis fuisse occulta, per se patet. Illos Romae ad hunc usum elegisse cryptas arenarias, quae *catatumbae* seu *catacumbae* dictae sunt, certissime constat tum e veterum testimoniis tum ex inscriptionibus, figuris, emblematibus, vasis aliisque monumentis, in iisdem cryptis repertis. Constat insuper, sepulcra sanctorum martyrum fuisse semper certis signis ab aliorum sepulcris distincta, ad conservandam et colendam eorum memoriam et offerenda illic sacrificia. Eiusmodi signa quinque numerat Benedictus XIV, nempe inscriptionem, instrumenta martyrii, monogramma nominis Christi, palmam, et vasculum sanguinis. Quorum signorum ope Ecclesia veras sanctorum martyrum reliquias a falsis et dubiis dignovit [1].

50. *Martyrium Ss. Callisti et Urbani Pontificum* — Quamvis Alexander imperator in Christianos benignus extiterit, sub ipsius tamen, quemadmodum sub eius decessoris Heliogabali imperio, nonnulli martyrio affecti leguntur. Inter alios s. Callistus Pp. pontificatum quinque annorum martyrio consummavit [2]. S. Urbanus, qui post Callistum ab an. 224 usque ad 231 summum pontificatum gessit, etiam capitis abscissionem martyrii cursum absolvit [4]. Hunc Pontificem s. Caeciliam, eiusque sponsum Valerianum, Tiburtium fratrem, ac Maximum imperatoris cubiculo praefectum, Fidei praeceptis instituisse, et ad obeundum pro Christo martyrium hortatum fuisse, annales ecclesiastici testantur [1]. — In *Libro Pontificali* legitur, eum fecisse *ministeria omnia argentea* [2].—Urbano successit Pontianus, Romanus.

51. *Iulius Africanus* — Floruit sub his Pontificibus Iulius Africanus, qui plura ingenii sui monumenta reliquit; praecipua sunt: Chronologiae libri 5 a mundi exordio usque ad an. 221; epistola ad Aristidem de apparenti discrepantia inter ss. Matthaeum et Lucam in genealogia Christi, et altera epistola ad Origenem de Susannae historia apud Danielem, quam commentitiam esse suspicabatur; sed errorem eius mox erudita epistola correxit Origenes [3].

52. *Origenes interpretatur Scripturas* — Origenes tunc temporis labore improbo interpretandis ss. Scripturis adlaborabat. Ad hunc finem non tantum hebraeos codices, sed etiam versiones Graecas scrutabatur. Tanta erat ingenii eius foecunditas, ut septem et amplius notarii seu amanuenses ei per vices assisterent, qui quae ipse dictabat, scribebant. Praeter vastissimos commentarios in utriusque Scripturae libros, edidit Bibliorum Tetrapla et Hexapla; illa erant per singulas paginas distincta quatuor columnis, quarum 1ª versionem Aquilae, 2ª Symmachi, 3ª LXX Interpretum, 4ª Theodotionis exhibebat; Hexapla volumina distributa erant in sex columnas, quarum 1ª textum Hebraeum litteris hebraicis, 2ª eum-

---

[1] Bened. XIV, *De servorum Dei beatificatione et canonizatione*, l. IV, p. II; P. Aringh. *Roma subterranea*, 1651, 2 vol. in-fol.; M. A. Boldetti, *Osservazioni sopra i cimiteri*, Rom. 1720, in-fol.; Mamachi, *Origines* etc. t. III; Fabretti, *Inscript. antiquar. explicatio*, Rom. 1699 in-fol.; Mabillon, *Museum ital.* t. I. — Quum viri in sacrae Archeologiae studiis valde periti adversus Phialam sanguineam utpote indubium Martyrii signum decertassent, PIUS PP. IX istiusmodi difficultates in quadam peculiari S. R. Congregatione severo examini subiici iussit. Et S. C., prae oculis habens universam argumentorum seriem, per Decretum diei 10 decembr. 1863, a SSmo approbatum, declaravit, atque sancivit: Phialas vitraeas, aut figulinas sanguine tinctas, quae ad loculos sepultorum in ss. Coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debere Martyrii signum. Vid. citt. *La Scienza e La Fede*, v. LII, p. 45 sq.

[2] Cf Butler, *Vies de SS.* 14 oct.; Sandini, *Vitae RR. PP.*, *Callistus.* In *Pontificali* ei tribuitur decretum de ieiunio quatuor temporum; in quam rem plura disputant Natal. Alex. *Diss.* IV *in saec. II*; Baron. ad an. 57. — [4] *Martyrol. Rom.* ad 25 maii.

[1] Butler, ibid. 22 oct.; Sandin. ibid., *Urbanus.*

[2] Adnotat Bona (*Rer. Liturgic.* l. I, c. 25, § 2), non hinc inferendum, ut quidam perperam faciunt, tunc primum ex argento cusos calices fuisse. Nam *Liber Pontificalis* refert, quid ille fecerit, quid vero ab aliis ante ipsum factum sit, et quibus vasis usi sint, non dicit. Concilium Triburiense, an. 895 celebratum, can. 18 *De Consecrat.* distinct. I, c. *Vasa* 44 (apud Lab. t. IX, et Harduinum, t. VI), haec habet: « *Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur Mysteria, Calices sunt, et Patenae. De quibus* Bonifacius *martyr et Episcopus interrogatus*, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, *respondit*: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. *Zephyrinus decimus sextus Romanus Episcopus* patenis vitreis Missas celebrari *constituit. Tum deinde* Urbanus *decimus octavus Papa* omnia ministeria sacrata fecit argentea. *In hoc enim, sicut et in reliquis cultibus, magis et magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum* ». De vasis sacris aliisque ad Missae sacrificium celebrandum necessariis multa loquitur Benedictus XIV, *De Sacrificio Missae*, sect. I, n. 23.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, 31; s. Hieron. *Catal.* Ex operibus Iulii Africani praeter epistolam de historia Susannae, tantum supersunt fragmenta, hinc inde ab Eusebio et aliis collecta.

dem textum litteris graecis exaratum continebat, 3ª versionem Aquilae, 4ª Symmachi, 5ª LXX Interpretum, 6ª versionem Theodotionis exhibebat; quibus cum alias duas V. T. versiones graecas addiderit, Hexapla quandoque Octapla dicta sunt [1]. Vastissimum opus, 50 voluminibus contentum, post annos 20 absolvit; in bibliotheca Pamphili Alexandriae repositum, in huius urbis per Saracenos devastatione periisse fertur [2].

Ordinatur presbyter — Tanta erat Origenis fama, ut Mamaea augusta, Alexandri imperatoris mater, quum occasione belli Persici Antiochiae ageret, illum conventum voluerit, ut de religione eum disputantem audiret [3]. Post haec ad Ecclesias Achaiae legatione functus, in Palaestina a Theoctisto episcopo Caesareae, approbante Alexandro Hierosolymitano, ex ecclesiasticae epistolae, quam ei dederat Demetrius Alexandrinus, testimonio presbyter ordinatus est [4].

Damnatur in synodo — Id tam graviter tulit Demetrius, episcopus Alexandrinus, ut non tantum occultam Origenis castrationem [5] divulgarit, sed an. 230 coacta episcoporum ac presbyterorum synodo, eum, quod ab alieno episcopo fuisset ordinatus, et errores plures in libris suis docuisset, Alexandria expulerit [6]. Tum Alexandrinae scholae regimen demandatum est Heraclae. Origenes vero secessit in Palaestinam, ubi ab episcopis honorifice exceptus est, iisque consentientibus Caesareae eodem docendi officio, quo antea Alexandriae functus est [7]. Id aegre ferens Demetrius Alexandrinus, alteram episcoporum ex Ægypto synodum collegit, in qua multum de Origene conquestus est, eumque annuente synodo sacerdotii honore privavit [8]. In eamdem sententiam consensisse Romanum Pontificem, aliosque antistites, exceptis Palaestinae, Arabiae, Achaiae et Phoenices episcopis, scribit s. Hieronymus [1].

Origenes, ut famae suae consuleret, ad familiares Alexandrinos litteras scripsit, in quibus sui apologiam adversus Demetrii sententiam fecit; errorem, cuius accusabatur, de daemonum salute improbavit; librosque suos ab haereticis depravari questus est [2].

Brevi post obiit Demetrius postquam ecclesiam Alexandrinam administrasset annis 43. Successit ei Heraclas, quem in schola Alexandrina excepit Dionysius. Origenes vero Caesareae in docendis litteris philosophicis et theologicis perseveravit; multique etiam e remotioribus provinciis discipuli ad eum confluebant, inter quos celebrantur Theodorus, alias Gregorius Thaumaturgus, eiusque frater Athenadorus, quibus cum philosophia christianae Religionis dogmata communicavit [3].

53. *Persecutio sub Maximino* (*an.*235)— Alexander imperator, celebrato Parthico triumpho, adversus Germanos, Gallias depopulantes, profectus est; sed quum prope Moguntiam venisset, quorumdam militum conspiratione una cum Mamaea matre sua interemptus est an. 235. Eo sublato, a militibus imperator salutatus fuit Maximinus, obscuro loco in Thracia natus, ex opilione miles, ac demum tyronum praefectus. Hic genere et indole barbarus, in romanos cives, qui nihil tristius umquam aut asperius quam Alexandri necem acceperant, tam saevus extitit, ut, teste Iulio Capitolino, eum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent [4]. Quum autem sub imperio Alexandri, Christianis minime infensi, Religio longe lateque propagata fuisset, et in ipsa imperatoris familia multi numerarentur christiani [5]; Maximinus ex invidia in Alexandri familiam, Christianos graviter odit, et, quum esset saevus ac ferox, acerbam persecutionem in eos excitavit, quam toto imperii eius triennio perdurasse, ex Eusebio ac Ruffino constat [6]. Ratus autem, se christianam Religionem, per omne imperium diffusam, gladio convellere non posse, idque ipsi Reipu-

---

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 16; s. Epiph. L. *De pond. et mensur.* n. 19; s. Hieron. *in c. II Epist. ad Tit.*

[2] In colligendis operis fragmentis magnam diligentiam posuit B. de Montfaucon, et quae supersunt, edita ac notis illustrata sunt, Paris. 1713, 2 vol. in-fol.

[3] Euseb. *Hist. eccl.* l. VI, c. 21.

[4] Ibid. c. 23.

[5] Hoc audax facinus Origenes adhuc iuvenis in seipsum admiserat, male intelligens verba Christi apud Matth. XIX de eunuchis, qui seipsos castraverunt, volensque famam tutari a maledicentia, quum scholae Alexandrinae praefectus, et viris et mulieribus praecepta Fidei traderet; sed id facinus postea in Commentariis in s. Matthaeum improbavit.

[6] S. Hieron. *Catal.*; Phot. *Cod.* 118; Baluz. *Supplem. Concil.* p. 15. — Origenes paulo ante inter alios libros ediderat *Periarchon*, seu libros 4 de principiis in materia Religionis; et in his, philosophiae placitis abreptus, non semel aberravit.

[7] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 26-27.

[8] S. Hieron., *Apol.* II *adv. Ruffin.*; Ruffin. *Invect.* II.

[1] S. Hieron., *Apol.* II *adv. Ruffin.*

[2] S. Hieron. et Ruffin., l. c.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 26-27.

[4] Iul. Capitol. *Maximin.*

[5] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 28.

[6] Id innuit Euseb., l. c., diserte affirmat Ruffinus, *Hist. eccl.* l. VI, c. 19.

Perperam contendere Dodwellum, hanc persecutio-

blicae detrimento futurum, solos praesules seu ecclesiarum capita neci dari iussit, ut sic paucorum excidio tota Ecclesia corrueret, quemadmodum convulsis fundamentis universum collabitur aedificium [1].

54. *Ss. Pontianus, Anterus, aliique martyres* — Ab ipso Ecclesiae capite persecutio initium sumpsit. S. Pontianus Pp. ad necem usque fustibus caesus est anno pontificatus sui IV (235). S. Anterus, eius successor, vix mense in summo pontificatu expleto, martyr occubuit [2]. Brevi post persecutio ab antistitum nece coepta, in clericorum, caeterorumque Christianorum caedem evasit; uti in Cappadocia sub Sereniano praeside contigisse, constat e Firmiliani Caesareae episcopi epistola ad s. Cyprianum [3]. Inter alios plures, quorum nomina et acta ad nos non pervenerunt, Nicomediae post carceris duritiem variaque tormenta gladio martyrium consummavit s. Barbara virgo [4].

Huius persecutionis causa Origenes eximium librum scripsit de martyrio, quo Christianos ad patientiam ac constantiam in Fide hortatus est [5].

Post acerbam hanc tempestatem providus Deus rursum sereniorem diem Ecclesiae reddidit. Afri iugum saevi Maximini excusserunt, et utrumque Gordianum, patrem et filium, imperatores salutarunt. Maximinus tunc bellum inferebat Sarmatis. Senatus etiam tyrannici imperii pertaesus, Afrorum exemplo a Maximino defecit, et ambos Gordianos augustos renunciavit. His post annum extinctis, imperatores salutati sunt Pupienus, Balbinus et Gordianus iuvenis. Maximinus furore percitus, Romam versus copias duxit; sed in Aquileiae obsidione a militibus interemptus est an. 238. Paulo post Pupieno et Balbino a militibus trucidâtis, solus imperavit Gordianus, princeps bona indole, qui Misithei soceri consiliis usus, annis sex rempublicam sapienter administravit.

Maximino extincto Ecclesia sub Gordiani principatu pacem obtinuit, nullaque deinceps persecutione usque ad Decii imperium perturbata est.

55. *Martyrologia* — De s. Antero Pp. qui sub Maximino imperatore martyr occubuit, dicitur, quod acta martyrum, quae a notariis excipi et scriptis fideliter mandari iusserat s. Clemens, ab iisdem diligenter exquisivit in Ecclesiae tabularium reponi, ne interirent aut ab ethnicis corrumperentur. Ab omni retro antiquitate Christiani magno pretio habuerunt acta martyrum, eaque in conventibus suis legere solebant. Haec acta diligenter conquirebant litterisque mandabant, uti ex ecclesiarum Smyrnensis, Lugdunensis et Viennensis epistolis patet [1]. Saepe ea per custodes archivorum pecunia acquirebant. Nonnunquam cum periculo vitae inter gentiles iudiciis et condemnationibus martyrum adstabant, ut horum gesta colligerent. Singulas ecclesias habuisse singula kalendaria, quibus martyres suos celebrabant, testatur Sozomenus [2]. Etiam s. Cyprianus, Carthaginensis episcopus, clero suo speciatim commendasse legitur, ut litteris consignarent dies, quibus martyres passi essent, ad celebrandas eorum commemorationes [3]. Omnium tamen martyrum acta vel etiam nomina conscribere haud possibile fuit, quum saepe multi sine iudicii ordine, indicta causa et tumultuantis vulgi clamoribus gratificandi studio turmatim morti addicti fuerint [4]. Ista autem kalendaria partim temporum iniuria perierunt, partim ab ethnicis destructa fuerunt, prout illis exprobravit Arnobius [5]; multa flammis consumpta sunt in persecutione Diocletiani, qui, ut omnes norunt, non tantum christianos cruente vexavit, sed etiam eorum scripturas et codices comburi iussit. Multi quidem eruditi viri labentibus temporibus e calendariorum veterum fragmentis, aliisque monumentis, quae supererant, conficiendis martyrologiis operam dederunt; at multo numerosiores imo innumeros fuisse martyres, evincitur tum ex eo, quod omnium nomina non fuerint conscripta, et antiqua kalendaria perierint, tum e veterum scriptorum etiam ethnicorum testimoniis, quae occasione persecutionum attulimus et deinceps adferemus, quum de reliquis persecutionibus agemus [6].

Haec observare placuit adversus H. Dodwellum, qui ingenti martyrum multitudini

nem vix unico anno durasse, probat A. Pagi, *Critica* ad an. 235 et 238. Cf Ruinart, Praef. ad *Act. Mart.* p. 11; Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. I, c. 24.

[1] Euseb., l. c.

[2] *Martyrol. Roman.* 19 nov. et 3 ian.

[3] *Epist.* 75 inter *Cyprian.*

[4] *Martyrol. Roman.* 4 dec.

[5] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 28.

[1] Vid. supra p. 44 et 45.

[2] *Hist. eccl.* l. V, c. 3.

[3] *Epist.* 34 et 37. Cf Baron. *Annal.* ad an. 238, et Annot. ad *Martyrol. Rom.* c. 1; Bolland. *Acta SS.* t. I apr. p. 26.

[4] Euseb., *Op.* cit. l. IV, c. 8; Greg. Turon. *Hist. Franc.* l. I, c. 29.

[5] L. IV *Adv. Gentes.*

[6] Cf Ruinart, Praefat. ad *Acta SS. Martyr.*; Sandin. *Disput. hist.* IX; Pagi, *Critica* ad an. 64; Binterim,

opposuit paucitatem eorum, quorum nomina in martyrologiis commemorantur.

56. *S. Fabianus Pontifex* — Summum pontificatum post s. Anterum an. 236 suscepit s. Fabianus, indicio columbae, ut fertur, super caput eius advolantis, electus [1]. De eo dicitur, quod decessoris sui sollicitudini in colligendis sanctorum martyrum actis insistens, septem urbis notariis, qui ex avito instituto ea colligebant, praefecerit 7 subdiaconos, ut ita historiae martyrum magis foret consultum. Idem Pontifex urbis regiones, quae secundum civilem Augusti divisionem 14, secundum ecclesiasticam 7 erant, distribuit 7 diaconis, qui curam pauperum in iis haberent, et diaconi *regionarii* appellati sunt[2]. Contra Privatum Lambesitanum sententiam synodi Lambesitanae confirmavit. Is in Africa errores, nescio quos, docuerat, et in episcoporum synodo sub Donato, primate Carthaginensi, damnatus, Romam recurrerat, ut communionis litteras a Fabiano Pp. impetraret[3]. Ita, scilicet iam ab eo tempore, Romani Pontificis primatus erat conspicuus, ut ipsi novatores eum factis suis profiterentur.

57. *Antitrinitarii* — E diversitate haeresum, quas iam recensuimus, satis patet, quam longe a veritate aberrent, qui, spretis Ecclesiae doctrina et traditione, pro suo ingenio Scripturas interpretari volunt. Nova huius rei exempla hoc saeculo praebuerunt haeretici Antitrinitarii, sic dicti, quod ss. Trinitatis mysterium oppugnarint.

Praxeas et Noëtus—Iis iam adnumerari possunt supra memorati Theodoti et Artemon [1], qui asserentes, I. Christum esse merum hominem, consequenter secundam divinitatis personam negabant. Alii expressius distinctionem trium divinarum personarum impugnarunt. Ex his fuere Praxeas et Noëtus, docentes, Patrem, Filium et Spiritum S. non esse tres personas distinctas, sed tria nomina, uni eidemque Deo pro diversis eius existendi et operandi modis propria; adeo ut idem ille unus Deus vocaretur Pater, quod omnia operaretur, Filius, quod humanam in I. Christo naturam, quam Dei Filium nominabant, sibi associarit, Spiritus S., quod pietatis sensa in animis hominum excitaret. Quum proinde idem unus Deus secundum illos esset natus, passus et mortuus, dicti sunt Patripassiani, alias Monarchiani. Praxeas ex Asia minori oriundus et Fidei confessione antea clarus, exeunte saeculo II, prius Romae, deinde in Africa proconsulari errorem suum disseminavit. Eum erudito libro confutavit Tertullianus [2]. Noëtus, adversus quem mox librum scripsit s. Hippolytus, ut supra diximus [3], secundum s. Epiphanium Ephesius, secundum Theodoretum Smyrnensis, priori huius saeculi medietate in Asia minori errores suos sparsit, et in iisdem, quamvis saepe monitus, pertinax, Ecclesia eiectus fuit [4].

Beryllus — Aliter de Patre, Filio et Spiritu S. statuerunt Beryllus et Sabellius. Ambo in eo convenerunt, quod personalitatem Filio et Spiritui S. abiudicantes, I. Christum verum Deum fuisse negarent. Beryllus Bostrae in Arabia Petraea episcopus, munere laudabiliter gesto et scriptis etiam editis clarus, contendit, Filium ante incarnationem in propriae personae differentia non extitisse, sed solum in intellectu et consilio divino; neque propriam ex se habuisse divinitatem, sed tantum Patris divinitatem in eo extitisse. Quum vero Beryllus ex illis paucis esset, qui potius ex errore intellectus quam ex animi perversitate a veritatis tramite deflectunt, Origenes ad episcoporum synodum contra illum coactam vocatus, eum de falsitate sententiae convicit, et ad Ecclesiae doctrinam reduxit. Hinc nulla secta a Beryllo condita fuit [5].

Sabellius — Sabellius, qui paullo post dimidium huius saeculi in Africana Pentapo-

---

Dissert. de Martyrol. et actis Martyr.; Butler, *Vies des SS.* t. I, ed. Bruxell.

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 29.

[2] De regionariis diaconis et eorum officiis agit Mabillon, *Comment. in Ordinem Roman.*, c. 3. — Primus Ordo Romanus, apud Mabillonium, ab A. citat (t. II *Musaei Italici*) haec refert: *Primo omnium observandum est, septem esse regiones Ecclesiastici Ordinis Urbis Romae; et unaquaeque regio singulos habet Diaconos regionarios.* Hi principio septem tantummodo erant pro numero septem regionum Ecclesiasticarum. Postea a tempore Honorii II fuerunt duodeviginti, tandem viginti. Ex his alii *Regionarii* dicebantur numero duodecim, alii *Palatini* numero sex, praefecti *Regionariis*. — Hinc Cencius (in eodem Ordine Romano) decem et octo esse in Urbe Diaconatus seu Diaconias scribit. In Diaconiis erant nosocomia, et pauperum diversoria, ubi viduae aliique egentes alebantur ecclesiastica stipe. Cuilibet diversorio adiuncta erat ecclesia. Temporum progressu in collegia clericorum mutatae sunt huiusmodi Diaconiae, et redditus adeo imminuti, ut nihil opis ferant pauperibus, in quorum gratiam fuerunt primitus institutae. Nunc appellantur tituli Diaconorum Cardinalium.

[3] Labbe, *Concil.* t. I, p. 650.

[1] Vid. p. 49.

[2] Vid. p. 52. — [3] Pag. 53.

[4] S. Epiphan., *Haeres.* 57; Theodoret., *Haer. fabul.* l. III, c. 3; Baluz. *Supplem. Concil.* p. 18.

[5] Euseb., *Hist. eccl* l. VI, c. 20 et 33; Tillemont, *Mémoires*, t. III.

leos provincia vixit, et a quo ss. Trinitatis oppugnatores denominantur Sabelliani, contendit, Patrem et Filium et Spiritum S. non esse personas distinctas, sed appellationes quae designarent Divinitatis, seu unitatis divinae emanationes ac manifestationes, ita ut Divinitas quatenus se manifestavit mundo, Pater diceretur; quatenus se univit Christo pro redimendis hominibus, Filius vocaretur, et quatenus fidelium sanctificationem efficit, Spiritus S. appellaretur. Errorem suum explicabat similitudine solis, in quo habetur corpus, quod conspicitur, et discus appellatur, radius illuminans, et vis calefaciendi.

Haec Sabellii doctrina in viciniis Africae et Ægypti haud paucos asseclas nacta est. Ei se potissimum opposuit s. Dionysius, episcopus Alexandrinus, qui postquam novatores ad deserendum errorem per legatos frustra hortatus fuerat, ad diversos scripsit epistolas, in quibus Sabellianorum doctrinam confutavit [1].

A Sabellii placitis non multum abfuit Paulus Samosatenus, de quo infra dicemus. Cum autem ii omnes in eo convenirent, ut, sublata personarum trinitate, personae unitatem assererent, dicti sunt Antitrinitarii atque Unitarii.

58. *Origenes* — Origenes, qui Beryllum ab errore ad veritatem catholicam reduxerat, anno 248 ad aliam in Arabia episcoporum synodum evocatus fuit contra nonnullos, qui animarum immortalitatem oppugnabant, asserentes, illas una cum corporibus extingui ac corrumpi, rursus autem resurrectionis tempore cum iisdem corporibus ad vitam redituras. Origenes tanta vi de praesenti quaestione disceptavit, ut qui errorem sectati fuerant, mutata sententia eidem renuntiarint [2].

Caesaream redux, alium hostem debellandum suscepit, nempe Celsum philosophum, qui sub Hadriani principatu Religionem christianam multis sophismatis impugnaverat [3]. Scripsit Origenes adversus eum libros octo, qui praestantissimam Religionis christianae apologiam continent, et in quibus divina I. Christi missio, miracula, resurrectio, vaticinia, mirabilis Evangelii propagatio, sacra Christianorum disciplina, aliaque a Celso impugnata, magna eruditione, eleganti dictione et singulari argumenti ordine defenduntur et ab illius conviciis vindicantur.

[1] Epiphan., *Haeres.* 62; Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 6 et 26; Theodoret., *Op. cit.* l. II, c. 9.
[2] Euseb., ibid. c. 37; Labbe, *Concil.* t. I, p. 560.
[3] Vid. p. 37-38.

Vixit porro Origenes usque ad annum circiter 254. Nemo certe tot scripta in lucem edidit quot ille [1]; sed nemo etiam tantis in Ecclesia disceptationibus occasionem praebuit, aliis alia de eius doctrina opinantibus. In operibus eius, praesertim in *Periarchon* seu libris quatuor de principiis, plures reperiri errores, compertum est. Ingenio suo plus aequo indulsit, et ecclesiasticas traditiones veterumque doctrinas propriis commentis et philosophiae placitis non raro postposuit. Ei tamen favent constans insectandi haereses studium, servata semper cum catholicis Palaestinae et Arabiae episcopis communio, litterae quae corruptionem librorum suorum contestantur, et immunitas a pertinacia in defendendis erroribus contra Ecclesiae decreta.

59. *Ecclesiae status sub Philippo* (*an.* 244) — Postquam Gordianus annis 6 imperasset, et Persas, qui Antiochia, aliisque urbibus potiti, in ipsa Italia timebantur, extra Romani imperii fines remeare compulisset, militari seditione, a Philippo Arabe, praetorii praefecto, concitata, occisus est. Hoc immani facinore parricida Philippus imperium accepit, gessitque usque ad an. 249. Hunc principem fuisse christianum, et crimen poenitentia expiasse, nonnulli crediderunt, uti scribit Eusebius: « Hunc utpote christianum, *fama est,* in postrema Paschae vigilia precationum in ecclesia (Antiochena) participem simul cum reliquo populo fieri voluisse; sed episcopum (s. Babylam), qui tunc ecclesiae praeerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui humanitus lapsi fuerant, et in poenitentium ordine stabant, sese adiunxisset... Et imperator quidem libenter obtemperasse *dicitur* [2]». Eadem fere leguntur apud s. Chrysostomum [3], s. Hieronymum [4], ac Orosium [5]. Unde Baronius [6], Natalis Alexander [7], Huetius [8] concludunt, Philippum

[1] Solum supersunt libri 8 *contra Celsum*, Hortatio *ad martyrium*, Tractatus *de oratione*, Epistola *ad Iulium Africanum* de historia Susannae, *Periarchon*, fragmenta *Hexaplorum* et *Commentariorum*; quae omnia ediderunt PP. Benedictini G. et V. de la Rue, Paris. 1733-59, 4 vol. in-fol. Nonnulla edidit Card. Mai in *Script. vet. collect.* t. I, p. 30. Cf Migne, *Patrol. graec.* t. XI-XVII
[2] *Hist. eccl.* l. VI, c. 34.
[3] Orat. *de s. Babyla.*
[4] *Catal.*, *Origenes.*
[5] L. VII, c. 13. — [6] Ad an. 246.
[7] *Hist. eccl.* saec. III, c. ult.
[8] *Origenian.*, l. I, c. 3.

imperatorem christianam fidem, sed occulte, addit Huetius, tenuisse. Contra A. Pagi[1], F.Pagi[2], Sandini[3] et alii famam, de qua Eusebius loquitur, ex benignitate huius principis erga Christianos potius quam ex ipsius Fidei professione dicunt esse repetendam, contenduntque, Constantinum Magnum primum ex imperatoribus romanis Christo nomen dedisse, tum quod idem Eusebius in *Vita* Constantini hunc primum imperatorem christianum expresse dicat, tum quod in reliqua vita Philippi plura ethnicae superstitionis vestigia occurrant. Certum est, Philippum imperatorem erga Christianos fuisse optime affectum, eoque imperante christianae Religionis professionem plurimum auctam esse. « In omnem partem, scribit s. Gregorius Nyssenus, pervadebat divina praedicatio; altaria, templa, et quae in eis fuerant simulacra evertebantur; humana vita ab idolorum inquinamentis expurgabatur; cruor ex altaribus et sordes caesorum animalium abluebantur; in omni loco erigebantur in nomine Christi ecclesiae et oratoria; mysterium Christianorum augebatur, et per totum orbem terrae multiplicabatur Ecclesia[4] ».

Attamen postremo Philippi imperatoris anno Alexandriae in Ægypto gravissima contra Christianos exarsit persecutio, cuius auctor fuit quidam hariolus, incolis persuadens, se extirpatis Christianis summam deorum gratiam merituros fore. Incolae igitur contra Christianos surgentes, eorum domos depraedabantur, et quos comprehendere poterant, interficiebant. Inter hos martyres fuit s. Apollonia virgo. Post aliquot menses bellum civile Alexandrinos inter se ipsos collidens, Christianis tranquillitatem reddidit[5].

60. *S. Dionysius Parisiorum, et socii*— Hoc tempore in Gallia de Fidei christianae propagatione optime meruerunt sancti praesules, qui sequuntur: Dionysius Parisiorum, Paulus Narbonae, Martialis Lemovicorum, Saturninus Tolosanorum, Gratianus Turonum, Trophimus Arelatis et Stremonius Arvernorum episcopi. Isti anno circiter 245 a s. Fabiano Pp. in Galliam missi, se in diversas provincias diviserunt, Fidem praedicarunt, ecclesias iam institutas auxerunt, novasque instituerunt[6].

[1] *Critica* ad an. 244.
[2] *Vitae RR. Pontif., Fabianus.*
[3] *Disput. Hist.* VI. — [4] *Vita s. Greg. Thaumat.*
[5] Dionys. Alex., apud Euseb. *Hist. eccl.* l. VI, c. 41.
[6] Gregor., Turon. *Hist. Franc.* l. I, c. 28; Longueval, *Hist. de l'Égl. Gall.* t. I, l. I.

61. *S. Cyprianus* — In Africa ecclesiam Carthaginensem illustrabat s. Cyprianus; qui ibidem ethnicis parentibus natus, primo senator et rhetorices magister, deinde opera Caecilii presbyteri ad Religionem christianam conversus, post paucos annos ecclesiae Carthaginensis presbyter, et an. 248 episcopus, religionis ardore, disciplinae ecclesiasticae studio, pluribusque scriptis apologetico-polemico-moralibus claruit. Inter scripta eius apologetico-polemica numerantur liber de idolorum vanitate, libri 3 testimoniorum *contra Iudaeos*, liber de unitate Ecclesiae; inter moralia referuntur libri de Oratione, de Mortalitate, de Bono patientiae, de Zelo et livore, de Opere et eleemosynis, de Habitu virginum, de Lapsis. Accedunt multae Epistolae, quae varia continent ad doctrinam Fidei et morum, ad historiam et disciplinam ecclesiasticam spectantia[1].

S. Gregorius Thaumaturgus — Cum D. Cypriano floruerunt ss. Gregorius Neocaesariensis et Dionysius Alexandrinus. Gregorius, antea vocatus Theodorus, ab Origene in Palaestina institutus, postea Neocaesareae episcopus, eloquentia, eruditione, vitae sanctitate, religionis studio, miraculis, a quibus dictus est Thaumaturgus, praestituit. Civitatis Neocaesareae, in qua solum erant 17 Christiani, cum episcopatum eius susciperet, incolas omnes, praeter 17, ab idolorum cultu ad Fidem Christi convertit[2]. E scriptis eius supersunt panegyris Origenis, quam ei ex schola eius discedens dixit, Expositio Fidei in ss. Trinitatem, quam eum in visione coelesti didicisse testatur s. Gregorius Nyssenus[3], Epistola canonica de poenitentia subeunda ab iis Christianis, qui occasione invasionis Gothorum rapinas aliave crimina commiserant[4].

S. Dionysius Alexandrinus—Dionysius Alexandrinus, ex ethnico christianus, Origenis discipulus, post Heraclam scholae Alexandrinae praefectus, et an. 248 ecclesiae Alexandrinae episcopus, vitae sanctitate, eruditione et religionis studio insignis fuit[5]. Is Nepotem, episcopum Arsionitarum, qui in libro, *Refutatio Allegoristarum*, Chilias-

[1] Pontius Diac *Vita s. Cypriani.* Opera eius post alios ediderunt Baluz. et Maran, Paris. 1726 et Venet. 1758 in-fol. Migne, *Patrol. lat.* t. IV.
[2] D. Gregor. Nyss. *Vita s. Gregorii Thaumat.*
[3] Ibid.
[4] Edidit Galland. in *Biblioth.* t. III; G. Vossius, Mogunt. 1604, in-4; Paris. 1622, in-fol.; Migne, *Patrol. graec.* t. X; Card. Mai, *Script. vet.* t. VII, et *Spicileg. rom.* t. III et VI.
[5] Butler, *Vies de SS.*, 17 nov.

mum seu Millenariorum errorem instaurarat, duobus libris, *De promissionibus*, confutavit, et eos, qui Nepotis auctoritate errorem susceperant, ab eo reduxit [1]. Confutavit etiam doctrinam Sabellii, ut diximus [2], qua occasione ipse apud Dionysium Pp. accusatus fuit, ut infra videbimus. E pluribus eius scriptis praeter fragmenta superest tantum Epistola canonica ad Basilidem, episcopum Pentapolitanum in Africa [3].

62. *Status moralis Christianorum*—Dolendum sane est, Christianos multos, etiam ecclesiastici ordinis, in diuturna tranquillitate, qua usi sunt, a sancta vitae disciplina defecisse. De iis amare questus est s. Cyprianus in libro *De lapsis*. « Studebant, inquit, augendo patrimonio singuli, et obliti, quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis cupiditatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata... Iungere cum infidelibus vinculum matrimonii... Praepositos superbo tumore contemnere... Odiis pertinacibus invicem dissidere: episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet caeteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum saecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire... ». Quapropter idem sanctus praesul saevam Decii persecutionem depravatae in multis Christianis disciplinae coelestem censuram merito dixit.

63. *Ecclesiae status sub Decio* (*an.*249)—Anno post Christum natum 249 Philippum in Romano imperio excepit Decius, qui adversus rebelles in Pannonia legiones missus, ab iis imperator salutatus est, et Philippo patre et filio a militibus iugulatis, purpuram induit, imperavitque usque ad annum 251. Decius saevissimam persecutionem contra Christianos excitavit, quae passim Septima dicitur, duravitque usque ad eius interitum. Partim odio contra praedecessorem suum, in Christianos ab eo protectos translato, partim sollicitudine de religione publica, per Christianam diminuta, motus, ab ipso imperii sui initio crudelia edicta contra Christianos ad provinciarum praesides dedit, a praecedentium persecutorum edictis in eo distincta, quod ipsis magistratibus in eorum executione segnioribus graves poenas intentarent, et Christianos non cito enecari, sed lentis et diuturnis cruciatibus plecti iuberent. Inde proprius huius persecutionis character fuit, quod, ut scribit s. Cyprianus, *essent tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, quae lente ad coronam dimittebant, quae tamdiu torquebant, quamdiu deiiciebant, nisi aliquis divina dignatione subtractus intra tormenta deficeret, adeptus gloriam sine termino supplicii* [1].

Tunc ethnicorum furor, sub praecedentibus imperatoribus diu repressus, veluti ruptis aggeribus in Christianos prosiliit tanto impetu, ut s. Dionysio Alexandrino adimplenda videretur terribilis sententia, qua Christus praedixit, electos etiam, si fieri posset, fore seducendos [2]. Magistratus, posthabitis reliquis negotiis, toti in eo erant, ut Christianos conquirerent et ad negandam Fidem omni tormentorum genere compellerent. Enses, ignis, ferreae sellae ignitae, aliaque terribilia instrumenta palam exposita, terrorem et perturbationem generalem iniiciebant [3].

64. *Martyres* — Ex his, quae veteres de persecutione Deciana scripserunt, sat colligere est, quantus esse debuerit numerus Christianorum, qui in ea martyrium subierunt. Praeter alios Romae passi sunt Fabianus Pp., Abdon et Sennen; Ravennae, Tuscia et Maura; Catanae, Agatha virgo; Aretii, Pergentinus et Laurentius; in Tuscia, Secundianus, Marcellianus et Verianus; in Gallia, Saturninus episcopus Tolosanus; Lampsaci, Petrus, Andreas, Paulus et Dionysia; Lambesae, Marianus et Iacobus; Alexandriae, Iulianus, Chronicon, Dioscorus et Amonarium virgo; Hierosolymis, Alexander episcopus; Nicomediae, Lucianus et Marcianus; Nicaeae, Tryphon et Respicius; Antiochiae, Babylas episcopus [4].

65. *Lapsi* — Verumtamen quod hactenus non fuerat visum, magnus Christianorum numerus durante hac persecutione a Fide defecit. Id quidem effectum est partim perse-

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 24.
[2] Vid. p. 59.
[3] Edidit quae supersunt Gallandus, *Biblioth. PP.*, t. III, et copiosius Simon de Magistris, Romae 1796 in-fol. et Migne, *Patr. graec.* t. X.

[1] S. Cyprian. *De lapsis.*
[2] Apud Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 41.
[3] S. Cyprian., ibid.; Euseb. ibid.; D. Gregor. Nyss. *Vita s. Gregor. Thaumat.*; s. Hieron. *Vita D. Pauli*; Lactant. *De mort. persecut.* c. 4; Oros. l. VII, c. 21; Sulpic. Sever. *Hist.* l. II, c. 32.
[4] *Martyrol. Roman.*

cutionis acerbitate, partim tepore religionis et amore rerum terrenarum, quibus multi christiani affecti erant. Huiusmodi degeneres Christiani maxime Alexandriae in Ægypto et Carthagine in Africa visi sunt, ubi turmatim defecerunt, alii quidem antequam comprehenderentur, alii in carceribus, alii coram tribunali, alii in tormentis. Sed non omnes eodem gradu lapsi sunt. Alii diis sacrificarunt, alii in eorum honorem thus cremarunt, alii a magistratibus pecunia impetrarunt libellos, in quibus scriptum erat, eos diis sacrificando voluntati imperatoris satisfecisse, quamvis reipsa non sacrificassent. Primi dicti sunt *Sacrificati*, secundi *Thurificati*, tertii *Libellatici*[1].

Divina ultio in lapsos — Confestim divina ultio in lapsos manifesta apparuit, ut paucorum praesenti correptione corrigerentur caeteri: unus qui sponte Capitolium ascenderat et Christum negarat, mox obmutuit; alia ab immundo spiritu correpta cecidit, ventrisque doloribus et viscerum cruciatu defecit; parvula filia, cui a nutrice ad magistratum delatae, panis de immolatione traditus fuerat, quum postea de sacramento calicis accepisset, mox singultavit et evomuit, quia in corpore et ore pollutis Eucharistiam servare non poterat; quaedam provectae iam aetatis, cum post lapsum ad ss. Eucharistiam accessisset, delicto suo oppressa, palpitans et tremens concidit; alia cum arcam, in qua Sanctum Domini fuerat, aperire tentaret, igne inde erumpente deterrita fuit[2].

66. *Disciplina poenitentiae* — Ecclesia discessionem multorum, qui in persecutione Decii a Fide defecerant, graviter doluit. Dolorem eius auxit temeritas quorumdam lapsorum, instanter et sine mora reconciliationem poscentium. Haec enim in Ecclesia catholica disciplina obtinebat, ut qui in graviora crimina, v. g. idololatriam, homicidium, moechiam lapsi erant, non prius Ecclesiae communionem consequerentur, quam dolorem de delictis et mutatam in melius vitam per poenitentiam publicam, idest, suspiria, lacrymas, aliaque rigida pietatis exercitia significassent[3]. S. Gregorius Neocaesariensis seu Thaumaturgus memorat quatuor gradus, a publice poenitentibus transeundos, nempe *Flentium*, qui ad fores ecclesiae in squalore et luctu ingredientium preces implorabant; *Audientium*, qui ecclesiae narthecem ingressi, s. Scripturae lectionem et episcopi sermonem audiebant, sed ante preces communes dimittebantur; *Substratorum*, qui intra ecclesiae ambitum usque ad ambonem prostrati, Scripturarum lectioni, concioni et fidelium precibus assistebant; *Consistentium*, qui simul cum fidelibus propius ad altare consistebant, oblationibus et sacrificio intererant, sed nondum ad oblationes aut ss. Eucharistiam admittebantur[1]. Poenitentes a tertio gradu ad quartum transeuntes per manuum impositionem et preces primam seu minorem reconciliationem accipiebant, quacum coniuncta erat communio ecclesiastica, oblationibus et ss. Eucharistia exceptis. Persoluto autem quarto gradu seu statione, impertiebatur reconciliatio maior seu absolutio solemnis cum iure offerendi et ss. Eucharistiam sumendi. Monet s. Cyprianus[2], ne ullus lapsorum in communionem Ecclesiae recipiatur aut absolvatur, nisi prius peccatorum suorum exomologesim seu confessionem fecerit. Haec confessio a quibusdam fiebat publice, vel pro dati scandali reparatione vel aliis ex causis, quas laudant Patres Tridentini, quamvis nulla divina aut ecclesiastica lege confessionis publicae necessitas esset imposita. Absolutio sacramentalis secundum aliquos in tertii secundum alios in quarti gradus fine impertiebatur. Porro poenitentiae publicae uti aliorum negotiorum ecclesiasticorum moderamen primitus ab episcoporum discretione pendebat; coram ipsis peccatores in communionem Ecclesiae recipi cupientes, se sistebant, ut poenitentiae genus et tempus audirent. Deinde episcopi etiam presbyteros, imo, urgente casu, diaconos sibi adiutores adsciverunt. Postea constituerunt presbyteros poenitentiarios, qui poenitentium confessionem exciperent, et poenarum genus tempusque definirent[3].

67. *S. Cyprianus defendit disciplinam poenitentiae*—Contra hanc disciplinam Carthagine nonnulli, qui persecutionis tempore a Fide defecerant, quo citius se a lapsus ignominia lavarent, absque poenitentia reconciliationem instanter poscebant; a mar-

[1] S. Cyprian. *De lapsis*; s. Dionys. Alex. apud Euseb. *Hist. eccl.* l. VI, c. 41-42; Cf P. Maran, *Vita s. Cypr.* n. 6, praemissa editioni *Oper.* s. Cypr; Tillemont, *Mémoires*, t. IV, § 14; Natal. Alex. *Diss.* II *in saec.* III.

[2] S. Cyprian., ibid.

[3] Tertull., *De poenitentia*, c. IX; s. Cyprian. l. c. ad finem.

[1] *Epist. canonica*, c. XI.

[2] *De lapsis*, et in *Epistolis*, passim.

[3] Cf Martène, *De antiq. eccl. rit.* l. I, t. I; Tournel., *Praelect. theol.*, *de poenitentia*; Natalis Alex. *Hist. eccl.* saec. III, diss. 6-9; Devoti, *Institut. Canon.* t. I, tit. 2, sect. 4; et alii.

tyribus et confessoribus communionis libellos extorquebant, quibus obtentis, reconciliationem ut sibi debitam sine mora postulabant [1]: quos autem sic, nulla praevia poenitentia purgatos aut probatos, quidam Carthaginensis ecclesiae presbyteri in Ecclesiae communionem recipiebant, pro ipsis offerebant, et eos ad ss. Eucharistiam admittebant. S. Cyprianus, qui persecutionis tempore ad salvandam vitam flagitantibus fidelibus discesserat, his abusibus, qua potuit, restitit; cumque ad ecclesiam suam necdum reverti posset, ad confessores et ad clerum suum litteras misit, in quibus memoratos abusus graviter perstringebat, monebatque, ut lapsorum causa differretur, donec, reddita Ecclesiae pace, concilium celebrari posset, in quo de iis tractaretur, et cuique pro delicti gravitate conveniens poenitentia imponeretur; ita tamen, ut iis, qui infirmitatis periculo laborarent et a martyribus libellos accepissent, occurreretur, et facta apud presbyterum, vel, eo deficiente et exitu urgente, apud diaconum delicti exomologesi, manus iis ad communionem et pacem imponeretur [2].

68. *Schisma Felicissimi*—Hanc regulam, a s. Cypriano ad tempus praescriptam, omnes generatim Africae episcopi, clerusque Romanus, quem, vacante Sede, Cyprianus de toto negotio consuluerat, probarunt [3]. Restitit protervus Felicissimus, qui cum paucis contendit, omnes promiscue lapsos, sine mora, venia et communione esse donandos. Ei lapsi multi, quidam etiam confessores et quinque Carthaginensis ecclesiae presbyteri adhaeserunt. Ex his presbyteris fuit Novatus, a quo Felicissimus, spretis ecclesiasticis legibus, diaconus constitutus, s. Cypriani communionem abiecit, et schisma Carthagine excitavit. Cyprianus, his audi-

[1] Erat ea martyrum, seu eorum qui pro Christo patiebantur, praerogativa, ut lapsos ad privatam orationum suarum communionem admitterent; iisque, si expedire iudicarent, supplices libellos darent ad episcopos, ut eos etiam ad publicam orationum communionem reciperent, partemque poenarum, quae adhuc persolvenda foret, ipsis condonarent. Tertul., *L. ad martyres* et *L. de pudicitia*, c. 22; s. Cyprianus, *Epist.* 13-14, 18-20, 23, 29, etc. Cf Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. III, diss. 3.

[2] S. Cyprian. *Epist.* 16 et 30. Verba s. Cypriani de facienda exomologesi apud diaconum, absente presbytero, non de Sacramentali, sed Caeremoniali, qua poenitens a canonicis poenitentiae publicae legibus absolvebatur et cum Ecclesia conciliabatur, intelligenda esse; diaconisque facultatem impertiendae absolutionis sacramentalis nusquam esse concessam, praeter alios fuse ostendunt Natal. Alex., *Diss.* 4 *in saec. III*; Benedict. XIV, *De synod. dioeces.* l. VII, c. 16; card. Blasch. *Diss* I. — [3] S. Cyprian. *Epist.* 31.

tis, schismatico Felicissimo eiusque fautoribus excommunicationem inflixit [1].

69. *Synodi in causa lapsorum* — S. Cyprianus Carthaginem redux, an. 251 synodum 42 episcoporum celebravit, in qua Felicissimus schismaticus eique adhaerentes 5 presbyteri excommunicationis sententia perculsi sunt; et lapsorum quoque, causa discussa, statutum fuit ut iis, facto inter sacrificatos, thurificatos, et libellaticos discrimine, condigna poenitentia imponeretur explenda priusquam in communionem ecclesiasticam reciperentur, nisi obstaret vitae periculum. Haec ipsa decreta Cornelius Pp., ad quem una cum epistola synodica missa fuerunt, in Romana 66 episcoporum synodo approbavit. Praeterea in hac Romana synodo constitutum est, ut sacerdotes lapsi post peractam poenitentiam ad laicam tantum communionem reciperentur et a sacerdotali functione abstinerent [2].

Ad eumdem finem s. Cyprianus librum scripsit de lapsis, in quo intempestivam eorum reconciliationem redarguit, eosque hortabatur ad sinceram poenitentiam et humilem delicti confessionem. An. 252 idem praesul, divinis monitis seu signis instaurandae persecutionis sub Gallo imperatore praescius, omnesque ad certamen confortare desiderans, alteram 66 episcoporum synodum Carthagine habuit. In hac statutum fuit, ut iis, qui a die lapsus Dominum cum fletu deprecati fuerant, propter instantem necessitatem reliquum poenitentiae condonaretur, et pacis gratia atque protectio corporis ac sanguinis Domini concederentur. De quibus rursus congregati praesules synodicam epistolam ad Cornelium Pp. dederunt, eius approbationem exquirentes [3].

70. *S. Cornelius Pontifex* (*an.* 251) — Romae persecutio adeo saevierat, ut post martyrium S. Fabiani, quod contigit X calendas martias an. 250, Apostolica Sedes amplius 16 mensibus vacarit. Quum primum Decius ab urbe adversus Gothos dimicaturus discessisset, comitia ad eligendum pontificem coacta sunt, electusque fuit Cornelius, Romanus. « Factus est Cornelius, episcopus, inquit s. Cyprianus, de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quae tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio [4] ».

[1] *Epist.* 41-43.
[2] Labbe, *Concil.* t. I, p. 713-14.
[3] Labbe, *Concil.* t. I, p. 715.
[4] *Epist.* 52.

71. *Norma ss. electionum* — Ex his s. Cypriani verbis expressum satis haberi, observat Baronius, quae olim esset eligendi R. Pontificis ratio[1]. Nimirum praemittebantur preces ad Deum, plebis christianae seu eorum, qui illius vices repraesentabant, desiderium et testimonium audiebatur, Romani cleri vota et assensus postulabantur; quibus auditis et expensis episcopi, Romae vicini et alii qui in Urbe erant, in comitiis suffragia ferebant.

Eadem fere erat eligendorum episcoporum ratio. Conveniebant nimirum episcopi provinciae, in qua sita erat ecclesia vidua, postulabantur plebis christianae testimonia, cleri vota et assensus; quae episcopi iudicio suo vel confirmabant, et electus a metropolita consecrabatur, vel improbabant, et electio repetebatur. « Apud nos, inquit idem s. Cyprianus, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus eligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit... ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum iudicio episcopus ei deferretur[2]». Idem scripsit Caelestinus Pp. I ad episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis. « Nullus, ait, invitis detur episcopus. Cleri, plebis et ordinis consensus atque desiderium requiratur[3] ». Haec populi et cleri ecclesiae vacantis testimonia atque desideria requirebantur, ut arcerentur indigni, dignoscerentur facilius optimi quique vulgo probati, maiorique cum profectu electi fungerentur suo ministerio. Postea autem disciplina hac in re iustis ex causis fuit mutata[4].

72. *Novatiani schisma et haeresis* — Vidimus, quanta prudentia causa eorum qui in persecutione Deciana lapsi erant, fuerit definita. Verumtamen nonnullorum contra lapsos severitas, ab Ecclesia merito reprobata, causam dedit novae sectae, cuius primus dux fuit Novatianus, e philosopho ethnico christianus et Romanae ecclesiae presbyter, vir doctus quidem et eloquens, sed perfidus, ambitiosus et turbulentus. Is aegerrime tulit, s. Cornelium ad summum pontificatum esse electum. Praeterea excitatus a Novato presbytero Carthaginensi, schismatis Felicissimi contra s. Cyprianum praecipuo motore, qui Romam confugerat, adversus s. Cornelium insurrexit, quod is lapsos ad poenitentiam et reconciliationem admittebat. Ei non pauci e laicis, clericis et confessoribus adhaeserunt, Ecclesiae denegantes potestatem lapsos ad reconciliationem et veniam admittendi, et contendentes, hos ad poenitentiam internam et ad postulandam a solo Deo delicti sui veniam esse demittendos. Quapropter Cornelius Pp. an. 251 copiosum concilium Romae habuit, in quo confirmatum est, lapsos ad poenitentiam, hacque peracta ad reconciliationem cum Ecclesia et veniam esse admittendos; Novatianus vero eiusque asseclae, contrarium asserentes, excommunicati sunt. Id ipsum in synodis in Italia, Africa et aliis locis definitum fuit. Tunc Novatianus eiusque sectatores gravissimas calumnias contra Cornelium sparserunt; tres obscuros Italiae episcopos Romam accersitos, qua vi qua fraude compulerunt ad ordinandum Novatianum episcopum seu pontificem Romanum; litterasque encyclicas ad ecclesias dederunt, ut ab iisdem antipapa Novatianus agnosceretur. Sed Cornelius Pp. ecclesias de iis, quae in Romana aliisque synodis decreta fuerant, certiores reddidit.

Efficacissimam Cornelio Pp. opem tulerunt ss. Dionysius Alexandrinus et Cyprianus Carthaginensis, qui pluribus litteris ecclesias hortati sunt, ut schismaticorum communionem vitarent, et unitatis vinculum non rumperent. In eumdem finem s. Cyprianus scripsit eximium librum de unitate Ecclesiae, in quo unitatem tum corporis tum capitis Ecclesiae necessarium demonstrat. Fabius vero, episcopus Antiochenus, Novatiani fraudibus circumventus, eidem favebat, sed acceptis ss. Dionysii et Cypriani litteris, ad rem melius examinandam episcoporum synodum indixit. Quum is priusquam episcopi convenissent, obiisset, Demetrius eius successor an. 252 synodum habuit, in qua Novatianus damnatus est.

Initio quidem Novatiani solis in persecutione lapsis spem reconciliationis ecclesiasticae ademerunt; postea vero Ecclesiae denegarunt potestatem reconciliandi quosvis graviorum peccatorum reos, unde etiam poenitentiae disciplinam et coniunctam cum ea reconciliationem abrogarunt, haeresimque cum schismate coniunxerunt. Cum autem per severiorem hanc disciplinam maioris honestatis et singularis sanctimoniae spe-

---

[1] Ad an. 251.
[2] *Epist.* 67, alias 68.
[3] *Epist.* 2.
[4] Cf *Caeremoniale electionis R. Pontificis*; Mabillon, *Commentar. in Ordinem Rom.*; I. L. Selvag. *Antiquit. christ.* l. I, c. 22; L. Thomassin., *Vetus et nov. Ecclesiae disciplina*.

ciem prae se ferrent, eorum numerus ita auctus et propagatus est, ut Romae, in Gallia, Hispania, Africa, Ægypto et Asia eorumdem coetus deprehendantur usque ad V^m et alibi usque ad VII^m saeculum [1].

73. *Ecclesiae status sub Gallo*—Post interitum Decii imperatoris, qui cum aciem contra Gothos duceret, in paludem demersus est an. 251, imperio potitus est Gallus. Hic quidem edictum de persequendis Christianis non promulgavit, verumtamen persecutionem contra eos excitavit; quod orta pestifera lue an. 252 praeceperit, ut ad placandam iram deorum ubique sacrificia offerrentur ab omnibus concelebranda. Cum autum Christiani propter religionem suam partem in iis habere non possent, variis modis a gentilibus afflicti, plures etiam necati sunt, idque eo magis, quod ethnici publicas calamitates Christianis, quasi deorum vindictam provocarent, adscribere solerent. Brevis tamen fuit haec persecutio, cum Gallus an. 253 in seditione, ab Æmiliano exercitus duce contra eum excitata, a propriis militibus interfectus fuerit [2].

74. *Martyrium Ss. Cornelii et Lucii*—In hac persecutione nonnulli, qui in Deciana lapsi erant, praeclara christianae constantiae exempla dederunt. Passi sunt in eadem persecutione duo Pontifices, Cornelius et Lucius. Ille ad Centumcellas relegatus, ibidem ore eius plumbatis [3] contuso, XVIII cal. octobr. an. 252 vitae sanctitate et martyrii gloria clarus obiit. Ex eius epistolis adhuc duae supersunt, ad Fabium Antiochenum datae, e quibus inter alia discimus, eius tempore clerum Romanum constitisse ex 46 presbyteris, 7 diaconis, 7 subdiaconis, 42 acolythis, 52 exorcistis, lectoribus et ostiariis [4]. S. Lucius, Romanus, vix in locum s. Cornelii ordinatus erat, quum una cum pluribus aliis, quod diis sacrificare nollent, in exilium eiectus fuit. Paulo post in urbem redux, cruciatibus confectus vita excessit IV non. martii an. 253. Eius studium adversus Novatianos litteris commendavit s. Cyprianus, et in Libro Pontificali ab eodem decretum legitur, ut duo presbyteri tresque diaconi episcopum comitarentur ceu testes vitae eius contra calumniatores.

75. *S. Stephanus Pontifex* (*an.* 253)—Post obitum s. Lucii ad summum Ecclesiae pontificatum evectus fuit s. Stephanus, Romanus, qui eo functus est usque ad an. 257. Eius erga Christianos Syriae et Arabiae caritatem et beneficentiam commendavit s. Dionysius Alexandrinus [1]. Refert *Liber Pontificalis*, Stephanum decrevisse ut sacerdotes et Levitae vestibus sacris uterentur tantum in Ecclesia.—Sub eiusdem pontificatu acriter agitata fuit controversia de valore baptismi ab haereticis collati, ut mox videbimus.

76. *Pestis*—Porro per omnes imperii provincias, in quas, ut observat Orosius [2], ad profligandas Dei ecclesias edicta Decii perlata fuerant, pestis immanis grassabatur. Eluxit tunc mirum in modum caritas Christianorum, qui omnibus laborantibus, fratribus et ethnicis, succurrebant, et paratissima mente officia caritatis, misericordiae et pietatis praestabant. Ad haec s. Cyprianus Carthaginenses tum verbo tum exemplo hortabatur, eaque de causa librum scripsit de mortalitate, quo debiles ac timidos ad patientiam, humanaeque vitae contemptum amore ac desiderio coelestis excitaret [3]. In Ponto eadem lues pluribus ethnicis conversionis ad Fidem occasio fuit: videntes enim D. Gregorii Thaumaturgi precibus pestem a domibus et familiis dispelli, virtutem Fidei per opera cognoverunt, abiectisque impiis sacrificiis, ad Religionem christianam transierunt [4].

Ad dirissimam pestem accesserunt barbarorum incursiones: Persae Orientem, Gothi Europam populabantur. Quum autem inter captivos, quos barbari e Numidia abduxerant, plures essent Christiani, episcopi Numidiae ad eos redimendos pro subsidio scripserunt ad ecclesiam Carthaginensem. Hac de causa s. Cyprianus librum de eleemosyna et bonis operibus scripsit, collectasque pecunias ad episcopos Numidiae misit [5].

77. *Synodus Carthaginensis* — S. Cyprianus tum ad Fidem et catholicam unitatem fovendam, tum ad disciplinam informandam, novam synodum Carthagine indi-

---

[1] *Epistolae ss. Cornelii et Cypriani*; Euseb., *Hist. Eccl.* l. VI, c. 43-44; Labbe, *Concil* t. I, p. 715; Pagi, *Critica*, ad an. 258; Orsi, *Dissertatio historica, qua ostenditur, catholicam Ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis, pacem et absolutionem neutiqvam denegasse.*

[2] S. Cyprian., *Epist.* 58 et 60; Euseb., *Hist. Eccl.* l. VII, c. 1.

[3] *Erat id genus tormentorum quasi flagellum ex funiculis, in quarum summitatibus glandes erant impactae.* Baron. *in Martyrolog. Rom.* die 6 iunii; Gallonius, *de Martyrum cruciatibus.*

[4] Extant inter *Cyprianicas* 46 et 48.

[1] Apud Euseb., ibid. c. 5.

[2] *Hist.* l. VII, c. 21.

[3] Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 22; Pontius, *Vita s. Cypriani.*

[4] S. Gregor. Nyss. *Vita s. Gregor. Thaumat.*

[5] S. Cyprian., *Epist.* 60.

xit. In ea Therapius episcopus, quod Victori presbytero, in persecutione lapso, praepropere pacem reddiderat, reprehensus fuit. Geminius Victor, quod moriens Faustinum presbyterum contra canones liberorum suorum tutorem instituerat, sacrificiis et oblationibus fidelium exclusus est; et sententia Fidi episcopi, qui infantium baptismum secundum legem circumcisionis usque ad diem octavam differendum esse opinabatur, reiecta est, quod nulli hominum nato misericordia Dei ac gratia deneganda sint[1].

78. *Causae Marciani, Basilidis et Martialis* — Tanta erat per omnem ubique Ecclesiam s. Cypriani fama, ut multi antistites in gravioribus negotiis consilium eius expeterent, uti in causis Marciani Arelatensis, Basilidis Legionensis et Martialis Asturicensis conspicimus. Marcianus, episcopus Arelatensis, ad Novatianorum partes dilapsus, lapsis quantumvis poenitentibus communionem ac pacem negabat etiam in mortis periculo. Basilides Legionensis et Martialis Asturicensis in Hispania episcopi, tempore persecutionis libellaticorum crimen admiserant. Hae causae, utpote maiores, secundum avitum morem ad Apostolicam Sedem perlatae sunt. Stephanus Pp., hortante s. Cypriano, qui de causa Marciani Arelatensis a Faustino Lugdunensi fuerat interpellatus, Marcianum deposuit, aliumque in locum eius subrogavit[2]. Basilides et Martialis a provinciae episcopis ad laicam communionem redacti fuerant, Sabino et Felice in eorum locum ordinatis. Sed Basilides se Romam contulit, et supplicem libellum, mendaciis multis repletum, Stephano Pp. obtulit, ut per eum sedi et pristino honori restitueretur. Id quum resciverint episcopi Hispani, Romam legarunt Sabinum ac Felicem, iisque, ut validius causam apud Apostolicam Sedem propugnarent, suaserunt, ut prius s. Cyprianum ea de re audirent. Illi Carthaginem profecti sunt, Cyprianum audierunt, eiusque testimonio muniti, Romam adnavigarunt, ut libellaticorum episcoporum mendacia coram refellerent[3].

79. *Lis de haereticorum baptismo* — Alia gravisque sub pontificatu s. Stephani controversia agitata fuit, an scilicet ii, qui in coetibus ab Ecclesia catholica seiunctis baptizati, ad hanc reverterentur, essent iterum baptizandi nec ne. Generalis semper fuerat Ecclesiae praxis, ut eiusmodi homines non iterum baptizarentur, sed tantum manus impositione ad poenitentiam et reconciliationem admitterentur. Anno vero 217 Africani in synodo Carthaginensi sub Agrippino contra communem Ecclesiae regulam statuerant, ut baptizati ab haereticis, si ad Ecclesiam reverterentur, rursum baptizarentur. Idem paulo post constitutum fuit in Iconiensi Phrygiae et Synadensi Asiae synodis. Anno autem 255 s. Cyprianus, episcopus Carthaginensis et Africae primas, ab episcopis Numidiae consultus, quomodo revertentes a Novatianorum secta essent suscipiendi, secundum receptum in Africa morem respondit, illos, sicut alios extra Ecclesiam baptizatos, esse vero et unico Ecclesiae catholicae baptismo tingendos. Idem constitutum est in synodo 30 episcoporum, quam s. Cyprianus ea de causa Carthagine indixit. Cum tamen plures in Africa, Numidia et Mauritania episcopi secundum priscam consuetudinem, redeuntes ab haeresi sola manus impositione reciperent, s. Cyprianus, ne catholica unitas ex hac diversitate scinderetur, libros scripsit *de bono patientiae, de zelo et livore*, aliamque 71 episcoporum synodum coëgit. Haec cum prioris decretum confirmasset, Cyprianus illud ad s. Stephanum Pp. direxit.

Verum Stephanus novitati Africanorum fortiter restitit; rescripsitque, secundum receptam a Patribus regulam, circa revertentem ab haeresi, nihil esse innovandum praeter manus impositionem ad poenitentiam: «Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi, quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam».

Africani tamen errorem suum necdum deposuerunt. Nova 87 episcoporum synodus Carthagine habita, in eamdem ac priores sententiam descendit. Hanc acriter etiam defendit Firmilianus, episcopus Caesareae in Cappadocia. Stephanus Africanis, morem suum defendentibus, excommunicationem comminatus est. Animorum contentio utrimque crevit, donec, excitata a Valeriano imperatore persecutione, sopita fuit. Postea in concilio, quod s. Augustinus plenarium appellat, seu Arelatensi seu Nicaeno I, controversia secundum s. Stephani rescriptum et communem Ecclesiae regulam definita est[1].

Quidam critici totam huius controversiae historiam inficiati sunt, eamque ut Donati-

[1] Apud Labbe, *Concil.* t. I, p. 741.
[2] S. Cyprian., *Epist* 68. Cf Baron. ad an. 258.
[3] S. Cyprian., *Epist.* 67; Baron. loc. cit.

[1] S. Cyprian., *Epist.* 70-76; s. Augustin, *De baptismo*; Vincent. Lirin., *Commonitor.* c. 6; Labbe, *Concil.* t. I, p. 740 seq.

starum figmentum habuerunt [1]. Historica eius veritas seu authentia adstruitur non tantum e s. Cypriani et Firmiliani epistolis, quas illi perperam dicunt a Donatistis confictas, sed etiam e s. Dionysii Alexandrini, Eusebii, s. Basilii, s. Augustini, s. Hieronymi, Vincéntii Lirinensis testimoniis [2]. Adhuc sub iudice lis est. Iis autem non assentimur, qui censent, Africanos et Asianos, baptizantes ab haereticis baptizatos, a Stephano Pp. fuisse excommunicatos; nam si s. Cypriani, s. Augustini et aliorum de hac re scripta perpendantur, intelligitur, communionem non fuisse ruptam, et Pontificem intra minas se continuisse [3]. Longius a vero aberrant, qui dicunt, Stephanum Pp. adprobasse quemcumque haereticorum baptismum, etiam despecto Ecclesiae ritu collatum [4]. Constat enim ex omnibus huius controversiae monumentis, eam non fuisse agitatam de baptismi ritu seu materia aut forma, sed de sola baptizantis fide, num scilicet baptismus, unicus in Ecclesia, extra eam valide conferri posset [5]. Denique ex hac ipsa controversia perperam quis concluderet, s. Cyprianum et cum eo sentientes neque primatum R. Pontificis neque eius infallibilitatem in dirimendis Fidei controversiis agnovisse. Nam praeterquamquod s. Cyprianus in aliis scriptis R. Pontificis primatum clare professus sit, ex omnibus huius controversiae adiunctis, ipsorumque Cypriani et Firmiliani epistolis patet, eos existimasse, hanc quaestionem non ad fidem sed ad disciplinam pertinere, et esse ex earum genere, in quibus pro recepto in singulis regionibus more episcopis, salvo pacis vinculo, agere liceret [6]. Concludit s. Augustinus, D. Cyprianum, si quid in huius disceptationis aestu humanitus admiserit, illud martyrio emendasse [1].

80. *Persecutio VIII sub Valeriano* (*an.* 257) — Post Galli interitum (253) imperator proclamatus fuit Æmilianus; quo etiam brevi post a militibus occiso, imperium accepit Valerianus. Hic principatus sui initio non tantum christianis tranquillitatem concessit, sed etiam iis favit, multosque eorum inter aulicos suos habuit. Verum an. 257 Macrinus militum dux, qui Imperatorem totum sibi conciliarat, ethnicae superstitionis maxime studiosus et Christianorum inimicus infensissimus, eum in hos adeo excitavit, ut ille plures contra eosdem leges promulgarit. Primo quidem Christianorum conventus prohibuit, eorumque episcopos et doctores in exilium pelli iussit. Deinde mandavit, ut omnes episcopi, presbyteri et diaconi sine mora interficerentur; senatores, equites, aliique viri egregii, qui christiani essent, dignitatibus bonisque privarentur, et si in christiana Religione perseverarent, occiderentur; matronae seu mulieres nobiles bonis privatae in exilium pellerentur; *caesareani*, seu qui quacumque ratione ad familiam imperatoris pertinerent, ad *caesareanas passiones* seu durissimam servitutem redigerentur. Hinc persecutio in Christianos instaurata est. Et quamvis plebeii legibus imperatoris non tangerentur, nihilominus in multis provinciis odium magistratuum contra christianum nomen experti sunt. Alii in exilium relegati, alii in carceres coniecti, alii ad metalla damnati, alii suppliciis affecti fuerunt [2].

Inter multos alios qui in hac persecutione martyrium subierunt, numerantur sequentes: Romae, Stephanus Pp. 2 aug. an. 257 (*alii*, 260), eius successor Xystus II die 6 augusti an. 258 (*alii*, 261) [3], Laurentius diaconus Xysti II, Eusebius presbyter, Marcellus diaconus, Quartus, Felicissimus, Agapitus,

---

[1] R. Missorius in libro edito Venet. 1733; M. Molkenbuhr, *Dissertation. critic.* VII et XIV; N. Alberus, *Dissert. in hist. eccl.* t. I; V. Tizzani, *La celebre contesa fra s. Stefano e s. Cipriano*, Roma 1862.

[2] I. G. Walch., *Dissertatio* edita Ienae 1738; I. H. Sbaralea in libro edito Bonon. 1741; P. L. Berti, *Discipl. theol.* l. XXXI, c. 13; Bolland., *Acta SS.* t. I. aug. *s. Stephanus*, et t. IV sept. *s. Cyprian.*; I. B. Palma, *Prael. hist. eccl.* t. I, part. I, c. 28.

[3] Natal. Alex., *Hist eccl.* saec. III, diss. XII, a. 1; H. Vales., Annot. ad *Euseb. Hist. eccl.* l. VII, c. 5; I. B. Palma, loc. cit.

[4] Launoi., l. VII *Epist.* 15; Dupin, *Biblioth.* t. I, p. 151 et 176.

[5] Cf Coustant, *Dissertatio de vera Stephani sententia*, in *Epist. RR. Pontif.* t. I, p. 227; Schelstrate, *Antiquit. eccl. illustrat.* p. II, diss. I, c. 5; Natal. Alex., l. c. diss. XIV; Sandini, *Dissert. hist.* VIII; I. B. Palma, l. c., c. 29.

[6] Natal. Alex., ibid. diss. XII, a. 4; Roncaglia, *Animadv. in Natal. Alex.*; I. B. Palma, ibid.

[1] *Epist.* 95 *ad Vincent. Rogatianum.*

[2] *Acta s. Cypriani*, apud Ruinart; *Epist. s. Cypriani* 77 *ad Mart.* et 82 *ad Successum*; Pontius, *Vita s. Cypriani*; Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 10-12; Sulpic. Sever., *Hist. sacra*, l. II; Orosius, *Hist.* l. VII.

[3] Hic Pontifex corpora apostolorum Petri et Pauli ad catacumbas transtulisse dicitur, ut ibi saeviente persecutione stationes tutius haberentur. Pearson, *Annal. Cyprian.* ad an. 258; Sandini, *Vitae RR. Pontif.*— Ducangius, in *Glossario mediae et infimae Latinitatis*, t. VI, scribit, quod statio apud veteres erat coetus sive conventus fidelium in Ecclesia, maxime is, qui Dominico fiebat die, uti patet ex Tertulliano (*De corona militis*). Ita autem vocantur eiusmodi conventus, metaphora sumpta a militibus, qui dum praesidium certo loco collocant, stationem facere dicuntur.

Rufina et Secunda sorores; in Galliis, Dionysius episcopus Parisiensis et Florentinus Viennensis; in Hispania, Fructuosus episcopus Tarraconensis cum Augurio et Eulogio diaconis; in Africa, Cyprianus episcopus Carthaginensis, Theognes episcopus Hipponensis, aliis 150, secundum alios 300, in vivam calcem demersi, unde nomen *massae candidae* acceperunt; in Mauritania, Donatilla, Maxima et Secunda virgines; in Numidia, Agapius et Secundinus episcopi, Iacobus diaconus cum sociis; Caesareae in Palaestina, Priscus, Malchus et Alexander; Tarsi in Cilicia, Athanasius episcopus et Anthusa nobilis femina; Antiochiae in Syria, Nicephorus; alii alibi [1].

Brevis tamen fuit persecutio. Nam an. 260 Valerianus in bello a Persis captus, post tres annos abiectissimae servitutis detracta cute miserrime periit.

81. *Ecclesiae status sub Gallieno* (*an.* 260) — Gallienus, Valeriani filius et successor, dirissima patris sorte multisque imperii periculis perterritus, persecutioni finem imposuit; Christianis tranquillitatem restituit, ecclesias etiam et coemeteria iis erepta reddi praecepit [2]. Attamen sub eo nonnulli martyrium passi leguntur, quod provinciarum praesides voluntatem imperatoris non servabant.

Tunc ecclesiarum praesules nil potius habuerunt, quam ut dispersos Christianos recolligerent, internum ecclesiarum statum instaurarent, malisque illatis mederentur. S. Dionysius in locum s. Xyxti II ad summum pontificatum evectus, paroecias in urbe Roma iterum divisit, limitibus distinxit, singulisque coemeteria adsignavit [3].

Interim preter exitiosam pestem, maris effusiones et terrae motus, quibus urbes integrae absorptae vel eversae sunt, praeter tyrannos, qui in diversis provinciis rebelliones, bella, caedesque excitarunt, barbari quoque imperium diripuerunt. Germani in Gallias, Hispaniam et Italiam, Parthi in Mesopotamiam et Syriam, Gothi in Thraciam, Graeciam et Daciam irruerunt. Quae tamen incursiones barbarorum propagationi christianae Religionis eatenus profuerunt, quatenus plures Christiani, etiam sacerdotes, in terras barbarorum abducti, his Christum eiusque Fidem manifestarunt, quorum pium vitae genus barbari admirari, deinde sermonem audire, sensimque sacra amplecti coeperunt [1].

82. *Synodus Romana* (*an.* 263) — Anno 263 s. Dionysius Pp. Romae synodum coëgit in causa s. Dionysii Alexandrini. Hic sanctus praesul scripto confutavit errores Sabellii, ut diximus [2]; cum vero usus esset quibusdam dicendi modis, qui orationis nexu avulsi, tollere videbantur Filii divinitatem, seu eius cum Patre consubstantialitatem, a nonnulliis apud Dionysium Pp. accusatus est. Quapropter Pontifex synodi Romanae sententiam de trium divinarum personarum, in una divina substantia seu essentia, distinctione, ad patriarcham Alexandrinum misit, eumque monuit, ut doctrinam suam distincte declararet. Paruit hic, et orthodoxam doctrinae suae expositionem, in 4 libros distributam, Dionysio Pp. nuncupavit, eique in omnibus satisfecit [3].

83. *Paulus Samosatenus* — Haeresim Sabellianae simillimam hoc tempore docuit Paulus, ab urbe patria dictus Samosatenus, Demetrii in episcopatu Antiocheno successor, vir astutus, laudis et honorum cupidus, fastu et arrogantia elatus. Docuit autem, non esse nisi unam personam divinam, quae in ss. Scripturis Pater vocetur; Verbum seu Filium non esse personam, sed Dei sapientiam seu rationem, quae ita Deo insit, sicut ratio inest homini; I. Christum fuisse merum hominem, qui tum solum existere coepisset, quum a Maria conceptus fuit; ei in conceptione coniunctam fuisse Dei rationem, qua homines salutis viam docuisset, miracula patrasset et Filius Dei seu etiam Deus improprio sensu dici meruisset. Ubi haec audierunt praesules Syri, an. 264 Antiochiae synodum habuerunt, in qua impietates supra dictas execrati sunt; de Paulo vero, cum mentem suam ambiguis locutionibus occultaret, et se catholice sentire simularet, iudicium non tulerunt. Paulus in sententiis suis pravisque moribus pertinax extitit. Quapropter an. 269 in altera 70 episcoporum synodo Antiochena haereseos convictus, depositus et excommunicatus fuit, atque in locum eius ordinatus Domnus [4].

Fertur in hac synodo vocem ομοθσιος, seu

---

[1] *Martyrologium Romanum.*
[2] Euseb, *Hist. eccl.* l. VII, c. 13.
[3] *Liber Pontif.*; Baron, ad an. 270.

[1] Sozomen., *Hist. eccl.* l. II, c. 6; Philostorg. l. II; Nicephor. l. VIII.
[2] P. 59 et 61.
[3] S. Athanas, *De sententia Dyonis. Alexandr.*; Euseb., *Hist. eccl.* l. VII; Labbe, *Concil.* t. I, p. 830.
[4] Dionys. Alexand., *Epist. ad Paul. Samosat.* in *Biblioth. PP.* t. XI, p. 273; Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 27 seq.; S. Epiphan., *Haeres.* 45; Labbe, *Concil.* t. I, p. 813 et 893.

consubstantialis, a Patribus fuisse reiectam, eo quod Paulus Samosatenus eam male explicaret, suaque explicatione ad alios decipiendos abuteretur. Sed illud gravibus de causis negant plures viri eruditi [1].

Paulus vero, quamvis in synodo depositus, fultus praesidio reginae Zenobiae, quae tunc temporis Syria potiebatur, neque domo episcopali excessit neque functionibus episcopalibus abstinuit. At paulo post Aurelianus imperator, devicta Zenobia, et a Christianis interpellatus, locum adiudicavit illi, quocum episcopi Itali et in primis Romanus communicarent. Tunc Paulus Domno cedere coactus fuit [2]. Eius autem sectatoribus, dictis Samosatenianis et Paulianistis, praeter memoratos errores, crimini vertitur, quod corrupta baptismi forma, non baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Ideo concilium Nicaenum I, can. 9, Paulianistas ad Ecclesiam venientes, rursus baptizandos esse constituit [3].

84. *Porphyrius, Philostratus, Hierocles* — Hoc ipso tempore etiam a nonnullis philosophis ethnicis religio christiana impugnata fuit. Ex his erat Porphyrius, Tyri in Phoenicia natus, qui ab Origene ad christiana sacra perductus, deinde eadem deseruit, Romamque profectus, Plotino in addiscenda philosophia magistro usus est. Scripsit adversus Christianos libros 15, qui postea Christianorum imperatorum legibus proscripti, perierunt, praeter aliquot fragmenta ab Eusebio, s. Hieronymo aliisque conservata. Ex iis patet, auctorem in primis eo tetendisse, ut s. Scripturae auctoritatem convelleret. Quocirca ostendere conatus est, multas in ea contineri contradictiones, librumque Danielis nonnisi Antiochi Epiphanis tempore fuisse conscriptum. Praeterea scripsit vitam Pythagorae eo consilio, ut ostenderet, inter philosophos etiam extitisse mirabilium patratores, qualia de Christo et Apostolis praedicabant Christiani. At quae de Pythagora refert Porphyrius, non tantum carent internis miraculorum characteribus, sed multa etiam sunt absurda, omnia vero testibus idoneis destituta.

Eodem consilio, non diu ante eum, Philostratus, Atheniensis, scripsit vitam Apollonii Tyanaei, qui post medium primi saeculi vixit, et a Philostrato exhibetur tanquam vir, qui vitae suae ratione hominum admirationem captavisset et natura humanam superante praeditus fuisset. Contra, scriptores coaevi vel penitus de Apollonio silent vel de eodem velut impostore loquuntur.

Post aliquot annos, sub Diocletiano imperatore, Hierocles, prius Bithyniae, deinde Alexandriae praefectus, infensissimus hostis Christianorum, quos horrendis tormentis subiecit, in duobus libris virulentis contra Christianos scriptis, Apollonium Tyanaeum Christo aequiparavit, imo praetulit, asserens, Apostolos et Evangelistas, qui Christi gesta conscripserunt, fuisse homines rudes et deceptores; Apollonii vero historiam a viris, philosophiae et veritatis amore claris, esse litteris mandatam; aliaque plura impudenter effutiit.

Porphyrii calumnias falsasque ratiocinationes scripto confutavit s. Methodius, hac ipsa aetate episcopus Tyri auctorque plurium librorum, sed qui magna ex parte deperditi sunt [1]. Hieroclis mendacia atque blasphemias peculiari libro confutavit Eusebius, episcopus Caesareensis.

85. *Ecclesiae status exterior* — Gallienum, patris sui Valeriani an. 260 in imperio successorem, Christianis tranquillitatem reddidisse vidimus. Quum vero reprimendis barbarorum invasionibus et internis seditionibus impar esset, an. 268 interfectus fuit, et successorem habuit Claudium II. Hic Germanos subegit, Gothos ingenti strage ad Martinopolim concidit, nihil Christianis adversi decrevit, imperavitque usque ad an. 270. Tunc imperium adeptus est Aurelianus, gessitque usque ad an. 275. Is etiam Gothos vicit; Marcomannos, Vandalos et Sarmatas debellavit; Zenobiam Palmyrenorum reginam in Oriente superavit, imperiumque ad pristinos fines perduxit. Anno vero sui regiminis IV edictum de persequendis Christianis promulgavit, at non multo post Mnestei liberti fraude interfectus est. « Processu temporis aliter de nobis sentiens, inquit Eusebius, quorumdam consiliis coepit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. Iamque ea de re multus ubique rumor spargebatur. Sed eum paratum iam et compositis contra nos edictis, ut ita dixerim, subscribentem, ulta est divina iustitia, quasi constricto gladio conatum eius reprimens, simulque omnibus apertissime ostendens, nihil unquam huiusmodi prin-

[1] P. Maran, *Divinitas D. N. I. C. manifestata in Scripturis et traditione*, l. IV, c. 29; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. I, par. I, c. 30.

[2] Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 30.

[3] S. Augustin., *De haeres.* c. 44.

[1] S. Hieron., *Catal.*; Phot., *Biblioth.* cod. 224 et 237. Quae e scriptis s. Methodii supersunt, collegit edidit-que F. Combefis, Paris. 1644, in-fol.; Migne, *Patrol. graec.* t. XVIII.

cipibus adversus Christi ecclesias licere, nisi propugnatrix Dei dextera arcano quodam ac coelesti iudicio ad castigationem et emendationem nostram, quibus ipsi visum est temporibus, id fieri permiserit [1] ». Haec persecutio non tantum intenta, quod affirmat Dodwellus, sed variis in provinciis exercita fuit [2].

Post septem mensium ab interitu Aureliani interregnum imperator creatus est Tacitus, qui post septem menses moriens, imperium reliquit fratri suo Floriano; at electo a militibus Probo, Florianus secundo imperii sui mense sibi mortem intulit. Probus an. 282 a seditiosis militibus occisus, successorem habuit M. Aurelium Carum, qui proximo anno extinctus, imperium reliquit duobus filiis suis, Carino et Numeriano, quibus uno post alterum interfectis, an. 284 imperium adeptus est Diocletianus.

Porro ab imperio Gallieni usque ad initia Diocletiani, si brevem sub Aureliano persecutionem excipias, Ecclesia tranquillitatem nacta est, multumque aucta.

86. *S. Felix Pontifex* (*an.* 269)—Praeter alios sub Aureliano imperatore martyrium passi leguntur: Ancyrae in Asia, Philomenus; Iconii in Isauria, Conon eiusque filius; in Pamphilia, Heliodorus cum aliis; Caesareae in Cappadocia, Mamans; Augustoduni, Reverianus episcopus, Paulus presbyter cum aliis decem; Romae, Felix Pp. I [3]. Hic pontifex an. 269 successerat s. Dionysio. Scripsit adversus Sabellii et Pauli Samosateni haereses doctam epistolam ad Maximum, successorem Dionysii patriarchae Alexandrini, in qua catholicam doctrinam de una in tribus personis divinis substantia seu natura, et de unione utriusque naturae divinae et humanae in Christo exposuit [4].— Eidem ritum faciendi sacrificia supra sepulcra aut memorias [5] martyrum acceptum refert *Liber Pontificalis* [6]. — Martyr decessit III calendas iunii an. 275.

S. Eutychianus Pontifex — Post eum Ecclesiam usque ad an. 283 gubernavit s. Eutychianus, Lunensis Hetruscus. — De eo in *Libro Pontificali* legitur, constituisse ut fruges, fabae et uvae *super Altaria* benedicerentur, non quod id ante non fieret, sed quod nondum id esset sanctione decretum. In eodem *Libro Pontificali*, et *Martyrologio Romano* VI idus decembris refertur, quod ipse plus quam 300 martyres tumularit, mandaritque, ut deinceps martyrum corpora sepelirentur cum colobio aut dalmatica purpurea [1], quae forent eorum martyrii indicia, ut explicat Bianchini, cum antea Christiani sacra martyrum corpora sepelire consuevissent cum linteis eorum sanguine respersis [2].

87. *Manes, eiusque secta*—Per haec ipsa tempora famosissimam et late diuque propagatam sectam condidit Manes seu Manichaeus, Persa. Is doctrinam Zoroastris cum doctrina Christianorum maxime Gnosticorum conferens, ex utraque religionis systema confecit. Propter novam religionem, magorum regumque Persarum odium expertus et ad necem quaesitus, confugit in Mesopotamiam. Hic cum s. Archelao, Cascarorum episcopo, congressus, impietatis convictus tantoque pudore suffusus est, ut metuens in lucem amplius prodire, Persidem repetierit. Tandem iussu regis captus et pelle vivus exutus, feris obiectus est.

Manetis doctrina theoretica ad haec capita reducitur: Duo ab aeterno extiterunt principia, unum natura sua bonum, quod dicitur Deus, regni lucis dominus, lux purissima, non sensibus sed ratione tantum percipienda, per totum suum regnum diffusa; alterum natura sua malum et e prava

---

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VII, c. 30; Lactant., *De mort. persecut.*; s. Hieron., *Chronicon*; Oros., *Hist.* l. VII, c. 23.

[2] Cf Pagi, *Crit.* ad an. 272.

[3] Cf *Martyrol. Rom.*; Ruinart. Praef. ad *Acta Martyr.*

[4] Exstat illius fragmentum in *Actis* concilii Ephesini et in *Apologetico* s. Cyrilli, apud Labbe, *Concil.* t. III, p. 512, 851, et apud Coustant, *Epistol. RR. Pontif.* t. I.

[5] « Sepulcra vel ob inscriptiones et signa martyrii, vel ob ossa martyrum ibidem posita vocantur *Memoriae Martyrum* ». Ita Schelstratus, t. I *Antiquitat. illustrat.*

[6] De Felice I summo Pontifice sic scribit Anastasius: « Hic constituit supra sepulcra aut memorias martyrum Missas celebrari »; « quia fortassis, subdit Cardinalis Bona (*Rer. Liturgicar.* c. 19, § 5), de hoc legem edidit, ne aliter fieri posset». Idem sentit etiam Tillemontius. Baronius quoque, hac de re disserens, ad an. 275, n. 2, in eandem venit sententiam: *Eiusmodi institutionem longe ante Felicis Papae tempora Ecclesia sibi vindicat...... Felicis ergo decretum stabilivisse videtur, quod absque scripto canone, traditione tantum simpliciter servaretur.* Quare ad an. 57, n. 105, inquit: *Cum Altaria essent sepulcra martyrum, ubicumque esset martyr conditus, illic Altare erigi consuevit.*

[1] Colobia et dalmaticae erant tunicae talares. Hoc autem distabant dalmaticae a tunicis et colobiis, quod dalmaticis amplae erant manicae, tunicis strictae, colobiis vel nullae, vel breviores. De voce *dalmatica* iuvat heic animadvertere, quod est antiquissima et a Dalmatia orta, ubi primum eiusmodi vestis adhibita. Pontius in *Vita s. Cypriani* sub finem ait: « Et cum se dalmatica expoliasset et Diaconibus tradidisset, in linea stetit ». V. *Opp.* s. Cypriani, edit. Felli.

[2] Bianchini, Annotat. in *Anastas. Biblioth.* t. II, p. II, p. 244.

materia constans, quod vocatur hyle vel satanas, regni tenebrarum dominus, aliosque depravandi cupidus. Utrumque principium naturas sibi similes produxit, et per regnum suum distribuit. Incolae utriusque regni, invidia excitati, sibi bellum intulerunt, cuius occasione daemones multas lucis animatae particulas, seu animas bonas et rationales, e regno lucis rapuerunt; has autem princeps daemonum in unum collectas, uxori suae communicavit per concubitum, e quo natus est Adamus, omnium hominum futurorum animas in se continens. Qui cum per copiam lucis in se contentae, rationis dictamini obsequeretur, satanas ei filiam suam Evam, e lucis particulis fere nihil iam habentem, addidit eo consilio, ut eum ad concubitum alliceret, quo facto, ob pravae materiae propagationem lucis ablatae restitutio retardata est. Deus, ut luci a materia prava liberandae medium praeberet, per spiritum vivum, ducem exercitus, quem daemonibus opposuerat, mundum construi curavit, ita quidem ut sol et luna e materia bona, reliqua astra et aër e materia minus infecta, globus terraqueus e materia maxime infecta pararentur; in hoc collocarentur homines, qui tribus constant partibus, nimirum corpore e materia prava confecto, anima sentiente, pravis cupiditatibus plena et a diabolo nata, et anima rationali e luce divina oriunda, quae semper bonum vult, et non nisi pravis animae sentientis cupiditatibus assentiendo peccat. Per solis calorem particulae lucis e prava materia eliciuntur, sursum elevantur, et in luna et sole purgatae, in patriam suam reducuntur. Daemones a spiritu vivo devicti et astris affixi, tempestates et alias calamitates excitant. Reliqui daemones hominibus aut falsas religiones, velut Iudaicam, suggerunt, aut per animam sentientem a pietate abstrahunt. Deus, ut hominibus succurreret, ad eos misit Christum filium suum, quem una cum Spiritu S. post mundum conditum procreaverat. Christus est quaedam luminis coelesti substantia in sole residens. Spiritus S. etiam coelestis substantia, sed Filio minor, in bono aëre habitat, et in terrestria corpora salubriter influit. Christus in terram descendit, umbram corporis assumpsit, ad speciem tantum cruci affixus est, ut homines ad verum Deum adduceret, doceretque, qua ratione ad regnum lucis pervenire possent. Manes est paracletus, a Christo promissus et immediate ab eo missus ad homines, ut eis omnem doctrinae thesaurum, neque a Christo neque ab Apostolis totum traditum, communicaret. Post mortem animae *electorum*, seu perfectorum, per lunam et solem transeunt, et penitus purgatae in regnum lucis recipiuntur; animae *auditorum*, seu catechumenorum, in alia, sive hominum sive animalium, corpora tamdiu migrant, donec reddantur perfectae; reliquorum animae in igne malo, attamen purgativo, aliquandiu cruciantur, deinde in alia corpora detruduntur, et si ne tunc quidem doctrinae Manetis conformiter vixerint, in eodem igne asservantur usque ad mundi finem. Mundus igne peribit, quando omnia elementa e regno lucis ablata, eidem fuerint restituta. Nulla futura est carnis resurrectio. Daemones in pristinum statum suum revertentur, et ne novam in regnum lucis irruptionem facere possint, animae, quas ne ignis quidem emendavit, in illius regni limitibus custodes constituentur.

Quantum ad practicam Manichaeorum doctrinam spectat, ea speciatim corpus, tanquam e materia prava formatum, dure tractandum mandabat. Praescribebat crebro ieiunandum; abstinendum ab omnibus blasphemiis, inter quas referebant cunctos sermones, doctrinae suae contrarios; vitandam prolis procreationem; nulla animalia esse occidenda. Haec omnibus, etiam auditoribus seu catechumenis, erant interdicta. Electis, seu perfectis, praeterea abstinendum erat a vino et ab omni cibo e regno animali, ab omni concubitu et matrimonio, a manuum labore, magistratus muneribus, bonorum possessione, aliis. At quomodo ea observarint, colligitur e vitiis, quorum arguuntur.

Manes ad exemplum Christi 12 magistros sibi familiares elegerat. Eius secta habebat unum supremum ducem, qui Christum repraesentaret, 12 magistros velut apostolos, et, ad similitudinem 72 discipulorum Christi, totidem episcopos, quibus presbyteri et diaconi suberant. Eos omnes e numero electorum esse oportebat. Publicus Dei cultus inter eos simplex erat, consistens precibus, canticis et praelectionibus sacris. Sacrificiis, altaribus, imaginibus, templis carebant, conventus sacros in aedibus communibus celebrantes. Diem solis, parasceven in memoriam Christi, ad speciem mortui, diemque anniversariam mortis Manetis celebrabant. Ss. Eucharistiam seu coenam soli electi, sed sine usu vini, sumebant. Alii erant electorum ritus secreti, variorum iudicio infames.

Manichaeorum secta non tantum in Perside, sed etiam per Romanum imperium la-

te propagata fuit, pluribusque saeculis in christiani nominis probrum percrebuit [1].

88. *S. Caius Pontifex* (*an.* 283) — Post s. Eutychianum, qui VI idus dec. an. 283 obiit, in Petri cathedram evectus est Caius, Dalmata Salonitanus, qui in eadem sanctissime sedit usque ad an. 296, et tristia aeque ac difficilia tempora propter persecutionem tunc excitatam expertus est.—Ab eo confirmatum dicitur vetus Ecclesiae institutum, ut Clerici per septem Ordinum gradus pedetentim initiarentur [2].

89. *Ecclesiae status dub Diocletiano* — Anno 284 Caro et Numeriano extinctis, imperium adeptus est Diocletianus, obscuro loco Dalmatiae oriundus, sed rei bellicae laude clarus. A primo eius imperii anno initium ducit aera Diocletiana, quae et aera martyrum dicitur et etiamnum Coptis usitata est. Quum autem in Oriente et in Occidente imperium periclitaretur, Diocletianus an. 286 Maximianum Herculium imperii collegam creavit. Praeterea an. 292 Maximianum Galerium et Constantium Chlorum, in filios sibi adoptatos, creavit caesares, et imperium ita distribuit, ut Constantio Galliam et Britanniam, Herculio Hispaniam, Italiam et Africam, Galerio Illyricum et Thraciam committeret; sibi vero praeter supremam potestatem reservaret Asiam, Romanis subiectam, et Ægyptum, sede sua Nicomediae in Bithynia constituta.

[1] *Acta disputationis s. Archelai Cascarorum ep. cum Manete*, apud Zacagni, *Monumenta vet. Eccl.* t. I; et apud Migne, *Patrol. graeca*, t. X; s. August., *LL. contra Faust. Fortunat.* etc.; s. Epiphan., *Haeres.* 66; Theodoret., *Haer. fab.* l. I, c. 26; Tillemont, *Mémoires*, t. IV; Berti, *Dissert.* III *in saec. III*; L. Alticotti S. I., *Diss. hist. crit. de antiq. et nov. Manichaeis*, Rom. 1763, in-4.

[2] Septem Ordinum numerus est in memorata Epistola Cornelii Pontificis *ad Fabium Antiochensis Ecclesiae Praesulem* (vid. p. 65) et apud Eusebium, l. VI *Hist. Eccl.* c. 43, nec non Bona, *Rer. Liturgicar.* lib. I, c. 25, § 16, 17; Mabillon, *Comment. in Ordinem Romanum*, c. 3. Horum Ordinum muneribus functum esse eundem Cornelium Pontificem, indicat s. Cyprianus, *Epist.* 52, ubi de ipso scribit: « Non iste ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit ». Ex numero Presbyterorum sex et quadraginta, quos Romae fuisse dicit Cornelius Pontifex in sua Epistola, totidem fuisse Basilicas colligit Valesius, in adnotat. ad eundem locum, affirmans singulos Presbyteros singulis praefuisse Basilicis. Equidem s. Optatus (*De schismate Donatistarum* lib. II, c. 4) testatur sub Diocletiano Romae quadraginta et amplius extitisse ecclesias. *Non enim*, inquit, *grex, aut populus appellandi fuerant pauci* Donatistae, *qui, inter quadraginta, et quod excurrit, basilicas locum, ubi colligerent, non habebant.*

Ecclesia iam annis pluribus a persecutione libera, ita aucta erat, ut spatiosiora templa in singulis urbibus aedificarentur. Christiani iam ad publica munera, ad provinciarum praefecturas, promovebantur, in ipsa imperatorum aula sacra sua libere profitebantur, episcopis specialis honor deferebatur. Hic felix Ecclesiae status primis imperii Diocletiani annis perduravit, qui etiam Christianos, muneribus publicis fungentes, ab officio peragendi ritus ethnicos eximebat, Christianos multos in aula sua habebat, et inter eos Dorotheum et Gorgonium eximia dignitate honorabat [1]. Postea vero illum atrocem eorum persecutorem factum esse videbimus.

Quamquam Diocletianus Christianis faveret, ipseque Herculius augustus, avaritia, libidine et ferocia infamis, contra illos nullam persecutionem imperasset, tamen individuis seu particularibus vexationibus et caedibus etiam hoc tempore Christiani liberi non erant, sive quod provinciarum magistratus antiquis legibus contra eos latis, insisterent, sive quod eorumdem religio cum publicae religionis officiis saepe collideretur. Unde in variis provinciis ante indictam a principibus persecutionem multi martyres passi leguntur.

Celeberrimum est martyrium legionis Thebaeae. Quum enim Herculius an. 286 copias in Galliam adversus hostes duceret, et superatis Alpibus ad partes Valesiae prope lacum Lemannum consisteret, pro prospero belli successu sacrificia offerri et omnes copias ad aras deorum iurare iussit. Thebaea legio, quae tota christiana erat, ne impiorum rituum societate se contaminaret, principis mandatis restitit. Herculius id indigne ferens, Thebaeos milites in castra ad sacrificia revocavit. Illi autem cum duce suo Mauritio responderunt, se ad pugnandum pro imperatore adversus hostes esse paratissimos, sed religione impediti, quo minus sacrificiis interessent. Herculius ira percitus, bis decimum quemque ex ea legione militem interfici iussit, et cum eorum, qui occisi erant, exemplo constantiores cerneret reliquos, totam legionem, immisso contra eam exercitu, trucidari praecepit [2].

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VIII, c. 1.

[2] Acta martyrii ss. Mauritii et sociorum, ab Eucherio Lugdunensi episcopo conscripta, extant apud Th. Ruinart, *Acta SSrum Martyrum*, p. 237. Historiam huius martyrii e Protestantibus impugnarunt Dubourdieu, *Dissertatio historica.*

Sat colligere est, sub tali principe provinciarum praesides, Christianis infensos, secure hos vexasse. Novimus, quanto furore in Galliis Rictiovarus praeses in Christianos saevierit, ubi praeter alios martyrium perpessi sunt: Ambiani, Firminus episcopus, Victorinus, Fuscianus et Gentianus; Augustae Veromanduorum, Quintinus; Suessione, Crispinus et Crispinianus; Agenni, Caprasius; in territorio Agathensi, Tiberius, Modestus et Florentia; Arelatae, Genesius; Ebreduni, Vincentius, Orosius, Victor; Bellovaci, Iustus; in agro Rhemensi, Rufus, Valerius et Magra virgo; Tornaci, Piaton, Tornacensium apostolus [1].

Paulo post ipsius Diocletiani animus erga Christianos immutatus est. Quum securitas, quam pluribus annis ii experiebantur, multis occasio esset deficiendi a sincera pietate et sancta vitae disciplina, ut scribit Eusebius, divina ultio levi brachio, ut solet, sensim in eos animadvertere coepit, ut castigati ad veram pietatem et sanctiorem disciplinam reverterentur [2]. Haruspices enim Diocletiano, pecudum exta consulenti, affirmarunt, consueta indicia non exhiberi propter adstantes profanos, scilicet Christianos; ideo princeps superstitiosus excandescens, omnes in palatio degentes sacrificare et renuentes flagris caedi iussit. Praeterea militum ducibus mandavit, ut omnes milites ad sacrificia cogerent et recusantes ex exercitu turpiter pellerent. Cernere tunc erat complures, qui Christiani nominis confessionem mundanae gloriae praeferebant [3]. Nonnulli militum duces non tantum exercitu pepulerunt milites, sacrificia recusantes, sed plures etiam interfecerunt.

Haud quietiorem fuisse Christianorum militum conditionem in exercitibus Herculii et Galerii, satis colligitur e saeva et Christianis infensa utriusque indole. Contra in Gallia et Britannia Constantius Chlorus caesar Christianis patrocinatus est. Quinimo, convocatis quondam palatinis christianis, praecepit: ut ii, qui diis sacrificarent, in palatio degere et consuetis honoribus frui possent; qui vero renuissent, ab eius aditu et familiaritate exclusi, discederent. Quidam ex illis, principis iram metuentes, se ad sacrificandum paratos exhibuerunt; alii vero responderunt, Deo magis quam hominibus esse obediendum. Constantius hos propter devotam Numini conscientiam magnopere laudavit, et regiae *protectores* constituit; illorum vero timiditatem condemnavit, eosque ceu Dei proditores et principis obsequio indignos, abiecit [1].

90. *S. Marcellinus Pontifex* (*an.* 296)— Priusquam generalis persecutio contra Christianos esset indicta, s. Caius Pp. X° calendas maias an. 296 aeternam gloriam consecutus est. In eius locum subrogatus fuit s. Marcellinus, Romanus, martyrium adeptus VI° calendas maias an. 304. Eius martyrium, quod nonnulli in dubium revocant, comprobant vetusta *Martyrologia* et Romanae ecclesiae traditio. Dicitur tamen, hunc Pontificem saeviente persecutione mortis metu adactum, idolis thura incendisse, et in Sinuessano 300 episcoporum concilio, ea de causa coacto, lapsum suum confessum poenitentiam egisse. At Marcellini lapsum et Sinuessanum concilium esse commentitia, a Donatistis conficta, consentiunt iam eruditi, 1° quia eorum nullus veterum scriptorum meminit, et primus ea obiecit Petilianus donatista, cuius temeritatem explosit s. Augustinus [2]; 2° quia incredibile videtur, 300 episcopos tempore persecutionis convenire potuisse haud procul ab urbe Roma; 3° quia concilii istius acta stilo tam barbaro rebusque tam inusitatis contexta sunt, ut cuivis legenti suspecta videantur; 4° quia Theodoretus scribit, Marcellinum tempore persecutionis inclaruisse [3].

91. *Persecutio X* (*an.* 303) —Persecutio, quam in milites christianos aliosque coeptam vidimus, post paucos annos generalis facta est. Quum excitatam, inquit Eusebius [4], Dei iram placare negligeremus, eamque novis delictis quotidie excitaremus, cum pastores nostri mutuis inter se contentionibus decertarent, tunc secundum Ieremiae effatum, *obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion et deiecit de coelo gloriam Israël.*

---

critica, Amstelodami 1705, aliique. Eorum conatus magna eruditione confutarunt, pluribusque argumentis historicam veritatem huius martyrii vindicarunt Bollandistae, *Acta SS.* ad diem 22 sept.; Ios. de l'Isle, *Défense de la verité du martyre de la légion Thébéenne*, 1737, in-8; De Rivaz, *Eclaircissements sur le martyre de la légion Thébéenne*, 1799, in-8; A. Zaccaria, *Dissert.* X, t. II, Rom. 1780.

[1] *Martyrol. Roman.*; Ruinart, *Acta SS. martyr.*; Longueval, *Hist. de l'Eglise gall.* t. I, l. 1.

[2] *Hist. eccl.* l. VIII, c. 1.

[3] Euseb., ibid. c. 4, et in *Chron.*; Lactant., *De mort. persecut.* c. 9-10.

---

[1] Euseb., *Vita Constantini*, l. I, c. 16.

[2] *De baptismo adv. Petilianum*, c. 16.

[3] *Hist. eccl.* l. I, c. 3. Cf Bolland., *Acta SS.* t. 8 maii, p. 42; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. III, diss. 20; Pagi, *Critica* ad an. 302 et 304; De Noris, *Hist. Donatist.* p. I, c. 7; — Sandini, *Vitae Romanorum Pontificum*; *Marcellinus*.

[4] *Hist. eccl.* l. VIII, c. 1.

Primarius persecutionis auctor fuit Galerius caesar, vir *omnibus qui fuerunt, malis peior*, inquit Lactantius [1]. Is princeps ferocia et barbarie nulli secundus, initio a persequendis Christianis se tenuerat, non propria humanitate, sed Diocletiani auctoritate. Postea vero tum proprio in Christianos odio, tum a matre, femina superstitiosissima; instigatus, Diocletiano imperatori, qui eum, devictis Persis elatum et auctoritate apud milites pollentem, iam pertimescebat, tamdiu institit, donec an. 303 edictum contra Christianos ab eo impetraret. Eo edicto praecipiebatur, ut Christiani omnibus dignitatibus et honoribus privarentur, quique essent liberti rursus in servitutem redigerentur, ecclesiae diruerentur, libri sacri comburerentur. Confestim in Diocletiani et Galerii provinciis ecclesiae destructae, altaria eversa, libri sacri, ecclesiastica scripta et martyrum acta concremata, multi Christiani, qui libros sacros magistratibus comburendos haud tradere sibi religioni ducebant, tormentis et nece affecti sunt. Qui vero, poenarum metu fracti, libros sacros aliasve ecclesiarum res magistratibus prodebant, appellati sunt *traditores*, et a fratribus ceu Religionis desertores habiti, quales haud pauci fuerunt, etiam inter clericos, praesertim in Numidia.

Cum paulo post Nicomediae palatium caesareum flammis fuisset dirutum, Galerius, quo auctore id factum fuisse, haud vana est suspicio, cum sanguinolento eius in Christianos odio memoratum edictum non sufficeret, hos ipsos apud Diocletianum incendii et conspirationis in vitam imperatoris accusavit, effecitque, ut is omnes urbis Christianos sine conditionis atque aetatis discrimine catervatim iugulari, comburi et aquis mergi iuberet. Eodem tempore seditionis in Armenia minori et Siria exortae Christiani per summam calumniam accusati sunt; quapropter episcopi, presbyteri caeterique clerici, utpote Christianorum duces, ubique in carceres coniecti sunt, et brevi post fuit mandatum, ut qui ex iis sacrificare renuissent, exquisitis tormentis afficerentur. Tandem an. 304 hoc ipsum mandatum ad omnes indiscriminatim Christianos extensum fuit.

Sic enata est persecutio, omnium quotquot hactenus fuerunt, crudelissima, sive eius diuturnitatem et extensionem, sive suppliciorum atrocitatem et martyrum numerum spectes. Non tantum in Asia, Ægypto, Illirico et Thracia, quibus imperabant Diocletianus et Galerius, persecutio in Christianos exarsit; sed cum isti principes fera sua edicta cum Herculio, cui Italia, Hispania et Africa, et cum Constantio Chloro, cui Gallia et Britannia subiectae erant, communicassent, confestim Herculius ea in toto suo imperio executioni mandari iussit. Constantius vero, melius erga Christianos affectus, ecclesias quidem eorum dirui passus est, ne maiorum suorum praeceptis dissentire videretur, sed verum Dei templum, quod est in hominibus, ait Lactantius, idest Christianae Fidei confessionem non divexavit. « Vexabatur universa terra, subdit idem Lactantius, et praeter Gallias ab Oriente usque ad Occidentem tres acerbissimae bestiae saeviebant ». Eo cruentior fuit haec persecutio, quod magistratibus esset mandatum, ut non solum consuetis tormentis Christianos, ad sacrificandum cogerent, sed nova etiam suppliciorum genera adhiberent. Alii igitur e Christianis, capite truncati sunt, adeo ut, Eusebio teste, gladii hebetarentur; alii gregatim circumdato igne combusti aut ligatis ad collum lapidibus in aquas coniecti; alii ungulis ferreis usque ad ossa et viscera dilaniati, et non tantum in lateribus et dorso sed in ventre etiam et genis lacerati; alii candentibus laminis aut facibus admotis ustulati; aliorum vulnera immisso aceto et sale exacerbata; alii in craticulis prunis suppositis assati; alii recenter vulnerati in testarum acutarum fragminibus volutati; aliorum capitibus in terram conversis pedibusque sursum elevatis lentus ignis supponitur; aliorum unguibus aculei aut acutissimae arundines infixae; aliorum crura distantium arborum rami vi sibi invicem admotis et deinde in naturalem situm dimissis alligata, unde misere discerpebantur. Nec eo gradu talia tormenta adhibebantur, ut confessores brevi extinguerentur, sed ut multi vivi iis emergere et ad novos cruciatus reservari possent; nam non tam mors Christianorum, quam eorum a Religione defectio a persecutoribus intendebatur [1].

92. *Martyres* — Quamvis non solum diuturna, sed et admodum saeva fuerit haec persecutio, tamen pauci fuerunt Christiani, qui fidem Christo datam violarint; confessorum vero et martyrum ingens fuit numerus. Eusebius, testis oculatus, scribit: « Dici non potest, quot et quantos Christi mar-

[1] *De mort. persecul.* c. 9.

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. VIII; item *De Martyribus Palestinae* et in *Chron.*; Lactant., *De mort. persecutor.*; Oros., *Hist.* l. VII; Sulpic. Sever., *Hist. sacr.* l. II, c. 32; Theodoret., *Hist. eccl.* l. V.

tyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit[1] ». In Martyrologio Romano legitur, tantam fuisse persecutionem, ut intra unum mensem 17,000 Christianorum martyrio coronarentur[2]. Ex his aliisque veterum de hac persecutione testimoniis patet, quid sit sentiendum de H. Dodwello, qui petulanter affirmat, illam neque valde crudelem fuisse, neque magnum Christianorum numerum sustulisse[3]. Ex innumeris martyribus celebriores et frequentius nominantur: Antiochiae in Syria, Romanus diaconus et Barylas puer septennis; Ancyrae in Galatia, Theodotus; Tarsi, Iulitta cum trimulo filio Cytico; Caesareae in Palaestina, Procopius lector; in Ægypto, Phileas episcopus Thonitanus, Philoromus senator, Theodora virgo nobilis et Dydimus; Abyssinae in Africa, Dativus senator, Saturninus presbyter et 47 alii; Adrianopoli, Philippus episcopus Heracleensis, Severus presbyter et Hermes diaconus; Thessalonicae, Demetrius; Sirmii, Irenaeus episcopus; Syracusis in Sicilia, Lucia virgo; Romae, Genesius, Sebastianus miles, Pancratius iuvenis, Agnes virgo, Anastasia matrona; Bononiae, Agricola eiusque servus; Mediolani, Nazarius, Celsus, Gervasius et Protasius; Aquileiae, Chrysogonus, Cantius, Cantianus et Cantianilla eorum soror; in Hispania, Valerius episcopus Caesaraugustanus, Vincentius diaconus, Encratia virgo, Iustus, Pastor, Leocadia virgo; in Lusitania, Eulalia virgo; Augustae Vindelicorum, Afra[4].

93. *Mutatio politica imperii*—Anno 305 ecclesiis in Occidente tranquillitas rediit per mutationes politicas, quae in imperio acciderunt. Etenim Galerius, quatuor principum violentissimus simul et dominandi cupidissimus, effecit, ut Diocletianus et Herculius se imperio abdicarent, hicque in Campaniam, ille in Dalmatiam se ad vitam privatam conferret. Quo facto Galerius et Constantius Chlorus augusti proclamati sunt. Cum Constantius sponte sua Gallia, Britannia et Hispania esset contentus, Galerius duos creavit caesares, nempe Severum, cui Italiam et Africam, et Maximinum, cui Orientem commisit; Illyricum vero, Thraciam et Asiam minorem sibi reservavit. Tunc non tantum in Gallia, Britannia et Hispania sub Constantio ecclesiae pace potitae sunt, sed in Italia etiam et Africa sub Severo caesare persecutio remisit. In Illyrico, Thracia et Asia minori Galerius augustus persecutionem in Christianos continuavit. In Oriente sub Maximino caesare, qui Galerio ferocia et superstitionis ethnicae studio minime cedebat, persecutio efferbuit, dataeque sunt ad provinciarum rectores litterae, quibus Christiani sine discrimine ad sacrificia ethnica adigi iubebantur. Hinc saevissima omnis generis tormenta contra eos continuata sunt. « Viri ignem ac ferrum, inquit Eusebius, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones, et effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes; ad haec famem, metalla, vincula perpessi... Mulieres, doctrina verae Fidei non minus quam viri roboratae, aliae eadem, quae viri, certamina subierunt et aequalia virtutis adeptae sunt praemia; aliae cum raperentur ad stuprum, vitam potius quam pudorem corporis sui prodere sustinuerunt[1] ». Mirabilis fuit Christianorum in his omnibus fortitudo, vel potius mirabilis Deus, qui hanc fortitudinem suis largitus est.

Anno 306 Constantio Chloro Eboraci defuncto, Constantinus, eius ex Helena filius, suprema patris voluntate et militum suffragio augustus salutatus est. Is subditis suis Christianis eamdem, quam pater, religionis libertatem concessit. Eodem anno Maxentius, filius Herculii quondam augusti, Romae imperator renunciatus est, qui Severo devicto atque occiso, et Galerio, qui cum exercitu urbi appropinquabat, Italia eiecto, Italiam et Africam sibi subiecit. Maxentius, rationibus politicis motus, primis imperii sui annis tranquillitatem, qua Christiani in Italia et Africa iam fruebantur, non turbavit; postea vero ita immutatus est, ut Eusebius eum Maximino in omnibus simillimum appellarit[2], et Lucifer Calaritanus eum cum Nerone coniungere non dubitarit[3].

Verum crudeles religionis christianae persecutores vindicem Dei manum experti sunt. Nam Herculius, qui in Galliam confugerat, suamque filiam Faustam Constantino in coniugem dederat, conspirationis in vitam generi sui convictus, an. 310 se ipsum laqueo occidit. Diocletianus ignobili morte extinctus est an. 313. Galerius foedo et doloroso mor-

[1] *Hist. eccl.* l. VIII, c. 4.
[2] VI kal. maii.
[3] Cf Ruinart, *Praefat.* ad *Acta martyr.*; Tillemont, *Mémoires*, t. IV; Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.*, t. I, l. 2, c. 8; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. II, c. 2.
[4] *Martyrol. Roman.*

[1] *Hist. eccl.* l. VIII, c. 14.
[2] Ibid.
[3] L. I *pro s. Athanasio.*

bo percussus est, ita ut totum eius corpus in putredinem dissolveretur et omnes intolerabili foetore a se propulsaret. Tunc recordatus malorum, quae Christianis intulerat, edictum in eorum favorem promulgavit, et brevi post (an. 311) mortem sibi conscivit. Successorem suum nominaverat Licinium exercitus ducem, qui post eum in Illyrico et Thracia imperavit; Asiam vero cedere coactus est Maximino, qui se in Oriente augustum dixit. Posterior persecutionem contra Christianos continuavit usque ad annum 313.

94. *Synodus Cirtensis et Eliberitana*— Interea anno 305, remissa iam sub Severo caesare in Africa persecutione, 12 episcopi synodum celebrarunt apud Cirtam, Numidiae civitatem, ut in locum defuncti huius civitatis episcopi alium ordinarent. In hac synodo etiam actum est de traditoribus, qui suppliciorum metu sacros libros aliasve ecclesiarum res magistratibus tradiderant. Postquam Secundus, episcopus Tigisitanus, omnes fere qui aderant episcopos istius criminis convicisset, ipse etiam eiusdem accusatus est a Purpurio, episcopo Lametensi. Unde omnibus satius visum est, causae iudicium relinquere soli Deo [1].

Circa idem tempus 19 episcopi, inter quos eminebat Osius Cordubensis, convenerunt Eliberim seu Illiberim in Boetica Hispaniae provincia. Condiderunt 81 canones, in quibus multa sanciuntur de poenitentia eorum, qui in gravia crimina lapsi essent; de continentia clericorum, a quorum etiam contubernio mulieres extraneae praeter sororem aut virginem Deo dicatam arcentur; de usu Sanctorum imaginum seu picturarum in ecclesiis; de aliis ad disciplinam et cultum divinum spectantibus [2]. Quum autem horum canonum nonnulli graviorum criminum reis communionem etiam in exitu vitae denegandam dicant, sicque Novatianis favere videantur, et canon 36 picturas in ecclesiis prohibeat; nonnullis suspecta est synodi huius auctoritas. Verum alii observant, per communionem, quae in istis canonibus etiam in exitu vitae quibusdam negatur, non sacramentalem absolutionem aut reconciliationem cum Ecclesia, sed ss. Eucharistiae viaticum esse intelligendum; saltem illam non negari in sensu Novatianorum, sed ut fideles durioris disciplinae freno ab istis criminibus arcerentur; canone autem 36 vel solas prohiberi picturas Dei, ne quis Deum corporalem suspicaretur aut eas adoraret, vel prohiberi picturas in parietibus ecclesiarum, ne fugientibus propter persecutiones Christianis, eae ethnicorum ludibrio expositae relinquerentur [1].

95. *Cultus ss. Imaginum et Reliquiarum* — Quamvis tribus prioribus Ecclesiae saeculis rarior fuerit Sanctorum imaginum usus, tum propter continuas persecutiones, tum etiam ne Christiani eas instar ethnicorum ut idola colere viderentur, et ne Iudaei, a simulacris et imaginibus abhorrentes, a suscipienda christiana Fide removerentur; tamen et tunc temporis apud Christianos fuisse certum Sanctorum imaginum usum, constat e Tertulliano, qui meminit imaginis Christi sub habitu pastoris depingi solitae [2], ex Eusebio, qui testatur, se Caesareae Philippi seu Peneade vidisse statuam aeneam Christo erectam [3], e vasculis testaceis et vitreis, saxis sepulcralibus et tabellis lapideis, Christi, B.V. Mariae et Apostolorum effigiem exhibentibus, quae Romae in catacumbis et cryptis et alibi inventa sunt [4]. Quo propius ad tempora ecclesiasticae pacis accedimus, eo frequentiorem reperimus Sanctorum imaginum usum, huncque saec. IV et deinceps, fuisse frequentissimum, e Patrum aequalium testimoniis novimus. Ex eorumdem Patrum testimonio docemur, Christianos, maxime post persecutionum tempora, Sanctorum imagines cultu debito seu *relativo* fuisse veneratos, non quod iis aliquam divinitatem aut virtutem inesse crederent, sed quoniam honos, imaginibus exhibitus, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; « ita ut per imagines, inquit Concilium Tridentinum, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur [5] ».

Potiori ratione Christiani omni tempore Sanctorum reliquias venerati sunt. Legimus in Actibus Apostolorum, fideles Ephesios sudaria atque semicinctia s. Pauli religiose adhibuisse ad sanandos aegrotos et pellendos daemones [6]. Testatur Eusebius, fideles Hie-

---

[1] Labbe. *Concil.* t. I, p. 936.
[2] Ibid. p. 967.

[1] Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. III, diss. 21; Ferd. de Mendoza, *De confirmando concilio Illiberitano*, Madriti, 1594.
[2] *De pudicit.* c. 7 et 10.
[3] *Hist. eccl.* l. VII, c. 18.
[4] Aringhi, *Roma subterranea*, l. IV, c. 37, 43, 47; Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.* t. I, p. 322.
[5] *Sess.* XXV. Cf Bellarmin., *Controvers.* t. I, p. II, c. 8 seq.; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. VIII, diss. 6.
[6] *Act.* XIX.

rosolymitanos magna semper reverentia prosecutos fuisse cathedram s. Iacobi, apostoli et episcopi Hierosolymitani [1]. Vidimus supra, quanto honore Smyrnenses christiani habuerint ossa s. Polycarpi, episcopi et martyris [2]. Pontius in *Vita* s. Cypriani, episcopi Carthaginensis, refert, Christianos expansis linteis eius sanguinem excepisse. Inde etiam persecutionum tempore ethnicorum studium sacras martyrum exuvias huc illuc dispergendi et perdendi, ne a Christianis exciperentur. A Constantini M. temporibus Sanctorum reliquias maiori seu sollemniori honore habitas, ex aliis in alia loca translatas, in ecclesiis publicae venerationi expositas, et Vigilantium aliosque, qui eas pie et utiliter a Christianis coli negabant, ab Ecclesia pro haereticis habitos fuisse, monumenta ecclesiastica testantur [3].

96. *Continentia Clericorum*—Supra memoratum concilium Eliberitanum, can. 33, episcopis, presbyteris, diaconis, aliisque clericis in ministerio positis, continentiam ab uxoribus, ante susceptos Ordines ductis, praecipit sub poena depositionis. Quamvis enim Christus aut Apostoli nulla lege coelibatum clericis imperarint, quum tamen eius possibilitatem, excellentiam et meritum verbo et exemplo docuerint, ab ipsis Ecclesiae initiis consuetudo mosque obtinuerunt, ut clerici in sacris Ordinibus constituti (episcopi, presbyteri et diaconi) caelibem aut continentem vitam colerent; adeo ut non solum post susceptos Ordines sacros uxores non ducerent, sed etiam ab usu earum, quas antea duxerant, abstinerent. De hac disciplina tanquam usu recepta diserte loquuntur Origenes [4], Eusebius [5], s. Epiphanius, qui eamdem ex apostolica institutione repetit [6], s. Hieronymus [7], aliique Patres. Narrant quidem Socrates [8], et Sozomenus [9], Patres concilii Nicaeni I, quod an. 325 celebratum est, consilio Paphnutii episcopi a sancienda lege, ut clerici maiores se continerent ab uxoribus, ante sacram Ordinationem ductis, abstinuisse, satisque esse iudicasse, ut qui in clerum fuissent adscripti, secundum veterem Ecclesiae traditionem deinceps uxores non ducerent. At Baronius, Valesius, Bellarminus, Sandinus, aliique Socratis et Sozomeni narrationem gravibus de causis sublestae fidei habent [1].

Iam saec. IV prisca disciplina de maiorum clericorum continentia tum RR. Pontificum tum Conciliorum legibus sancita fuit [2]. Quod ad clericos diaconis inferiores spectat, quum olim ne subdiaconatus quidem inter maiores ordines numeraretur, varia primum fuit ecclesiarum disciplina. Supra dictum concilium Eliberitanum omnes clericos in ministerio positos continentiae lege obstrinxit. Subdiaconos etiam eadem lege adstrictos esse, scribit s. Epiphanius [3]. S. Hieronymus solos episcopos, presbyteros et diaconos memorat [4]. S. Leo M., qui ab an. 440 usque ad 461 summum pontificatum gessit, ad Anastasium Thessalonicensem scribit, ne subdiaconis quidem concedi uxorem ducere aut antea ducta uti. Anno 538 synodus Aurelianensis III, can. 2, sub poena depositionis prohibuit, quominus ullus clericus, incipiendo a subdiaconis, uxorem duceret aut ante ductae se misceret. « Quod si fecerit, subdit synodus, laica communione contentus, iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur ». Quum haec disciplina in Sicilia non observaretur, Pelagius Pp. II, creatus an. 578, mandavit, ut subdiaconi Siculi secundum morem R. Ecclesiae se ab uxoribus antea ductis continerent. Quod decretum s. Gregorius M., eius successor, temperavit quidem in gratiam eorum subdiaconorum, qui iam ante illud uxores duxerant et ordinati fuerant, sed ea lege, ut ad altiores Ordines non ascenderent, et deinceps episcopi nullum ordinarent subdiaconum, nisi qui caelibem vitam agere vellet [5]. Eamdem legem urget idem Pontifex in epistola sua ad Leonem Catanensem et in alia ad Bonifacium Rhegiensem episcopum [6]. Ex quo tempore lex de continentia subdiaconorum a Romana ad

---

1 *Hist. eccl.* l. VII, c. 19.
2 Vid. p. 43.
3 Cf Bellarmin., *Op.* et loc. cit., c. 3; Selvag. *Antiquit. christ.* l. II, p. II, c. 10.
4 *Homil.* 23 *in L. Numer.*
5 *Demonstrat. evangel.* l. I, c. 9.
6 *Exposit. fidei*, n. 21; *Haeres.* 49 et 59.
7 *L. contra Vigilant.* et *Epist.* 48 *ad Pammach.*
8 *Hist. eccl.* l. I, c. 11.
9 *Hist. eccl.* l. I, c. 23.

---

1 Baron. ad an. 58 et 325; Vales., Annot. in *Socrat.* et *Sozomen.*; Bellarmin., *Controvers.—de Concil.* l. I, c. 18, et *de Clericis*, l. I, c. 20; Sandini, *Disput. hist.* XIII; Stilting, *Acta SS.* t. III Sept. *S. Paphnut.*—De continentia Clericorum appositum opus composuit Franciscus Antonius Zaccaria, inscriptum: *Storia polemica del celibato sacro*, Roma 1774, et Napoli 1852, in quo ipse apostolicam huius disciplinae originem docte eruditeque tuetur.
2 Siricius Pp. *Epist.* I *ad Himer. Thessalon.*; Innocent. I *Epist. ad Victricium et Exsuper. Tolosan.*; Leo M. *Epist. ad Rustic. Narbon.*; Concilium Eliberitanum, Carthaginense II an. 390, Taurinense an. 397, Carthaginense V an. 398, Toletanum an. 400, alia.
3 Loc. cit. — 4 Loc. cit.
5 L. I *Epist.* 44.
6 L. III *Epist.* 34 et 5.

caeteras ecclesias transmissa est, et labentibus temporibus eorum ordo in ecclesia Latina sacris adnumeratus est.

Graeci vero sub exitum saec. VII veterem disciplinam hac in re relaxare coeperunt. Anno 692 in concilio Trullano seu Quinisexto, quamvis can. 6 ratam firmamque habuerint legem, qua clerici maiores prohibebantur nuptias inire, tamen can. 13 subdiaconis, diaconis et presbyteris, non item episcopis, permiserunt usum uxorum, quas ante Ordines susceptos duxerint, modo ad peragenda ss. Mysteria accessuri abstinerent. Hunc canonem RR. Pontifices, non obstantibus imperatorum Graecorum pollicitationibus et minis, nunquam probarunt; postea tamen tolerandum censuerunt, ut causam schismatis, ad quod Graecorum animi propensiores erant, praeciderent [1].

Quisquis autem perpenderit status clericalis naturam, sanctitatem, officia, atque gravissimas difficultates et incommoda, quae in statu coniugali rite obeundis muniis sacerdotalibus obsisterent, facile deprehendit, legem caelibatus convenientissime et iustissime ab Ecclesia Ordinibus sacris esse annexam [2].

97. *Anachoretae* — Vitae continentiam cum austeritate et singulari perfectionis christianae studio coniungebant ascetae et anachoretae. De ascetis utriusque sexus supra diximus [3]. Anachoretae dicti sunt, qui e simili ascetico studio vitam solitariam in locis desertis seu eremis agebant. Hanc vitae solitariae rationem alii elegerunt, ut, ab hominum societate remoti, et a rerum temporalium curis liberi, pietatis aliarumque virtutum exercitiis melius vacarent. Aliis eligendae eiusmodi vitae occasionem dederunt persecutiones, ita ut ad has declinandas loca deserta peterent, et in his vitam asceticam vel instituerent, vel si iam antea egissent, continuarent.

Inter primos anachoretas notissimi sunt D. Paulus et D. Antonius, quorum priorem s. Hieronymus anachoreticae vitae auctorem, posteriorem vero illustratorem vocat [4]. D. Paulus in inferiori Thebaide natus, an. 250 sub persecutione Deciana in eremum secessit et reliquum vitae tempus usque ad an. 342 in continuis pietatis, austeritatis, aliarumque virtutum exercitiis exegit, spelunca pro habitaculo, palmae fructibus pro cibo, eius foliis pro vestitu et fontis aqua pro potu utens [1]. D. Antonius an. 251 in superiori Ægypto illustri stirpe natus, his Christi verbis: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus*, permotus, anno aetatis suae circiter vigesimo, amplum patrimonium pauperibus distribuit, et non procul a domo sua vitam asceticam instituit. Deinde secessit in sepulcrum a vico suo remotius, hincque circa an. 285 progressus in montem, ibidem in castello deserto annis prope vigniti ascesim egit. Anno 356 supremum diem obiit [2].

Ipsorum exemplis et consiliis innumeri alii anachoreticae vitae disciplinam in locis desertis seu eremo professi sunt; qui, ut praecepta evangelica magis observarent, hominum commercia vitabant, rerum divinarum meditationi frequentius vacabant, a rebus sensui iucundis abstinebant, difficilibus se subiiciebant, ad maiorem perfectionem enitebantur, consilia evangelica observabant.

98. *Ss. Marcellus, et Eusebius Pontifices* — Post s. Marcellini martyrium, quod contigit VI° calendas maias anno 304, ad summum pontificatum evectus est s. Marcellus, Romanus. Hunc nonnulli cum Eusebio propter nominis similitudinem confundunt cum Marcellino. At utrumque fuisse pontificem et alterum ab altero distinctum, tum e D. Augustino [3] et D. Optato Milevitano [4], tum e tabulis ecclesiasticis constat [5]. Sedit s. Marcellus usque ad an. 309, quo obiit inedia et loci squalore confectus in domo Lucinae, quam ipse in ecclesiam, Maxentius imperator in stabulum converterat [6]. — Marcelli constantiam in servanda poenitentiae disciplina celebrat Damasus, ob eamque addit a Maxentio pulsum in exilium. De eodem legimus in *Libro Pontificali*, 25 titulos seu Paroecias Romae instituisse ad Baptismi et Poenitentiae administrationem, atque ad sepulturas Martyrum eorumque omnium, qui ex ethnicis nomen Christo dedissent [7].

Tunc summum sacerdotium delatum est

---

[1] Benedict. XIV *Constit.* 56, n. 26; *Bullar.* t. I.

[2] Cf F. A. Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro*, cit. Napoli 1852; *Nuova giustificazione del celibato sacro*, Foligno 1785.

[3] P. 24.

[4] *Epist.* 22 *ad Eustoch.*

---

[1] Vitam D. Pauli scripsit s. Hieronymus.

[2] Vitam D. Antonii scripsit s. Athanasius.

[3] *Epist.* 53, alias 165.

[4] L. II, § 3.

[5] Baron. ad an. 296.

[6] Baron. et Pagi, ad an. 309.

[7] Mabillonius, *Comment.* in *Ordinem Romanum*, cap. 3, inquit: *Non omnes forte tituli erant paroeciales Ecclesiae; sed quidam instituti fuerunt, ut sepulturis Martyrum honor haberetur. Unde in Concilio Chalcedonensi martyria, id est basilicae*

s. Eusebio, natione Graeco, qui eo functus est usque ad an. 311.—Is Stephani I decretum confirmans, haereticos in Urbe Roma inventos sola manum impositione reconciliavit, uti narrat *Liber Pontificalis*.—Eo autem maxime laudatur [1] quod *integre servaret foedera pacis* hoc est legem a Cornelio et Lucio decessoribus suis latam, qua poenitentiam subire Lapsi iubebantur, ut Ecclesiasticae communioni et paci restituerentur [1].—Successorem habuit s. Melchiadem sive Miltiadem, genere Afrum.—Huic Constantinus M. imperator Lateranas Aedes concessit, et sub eius pontificatu Deus Christianis sufficienter probatis, firmiorem, quam hactenus experti erant, pacem paravit per conversionem ipsius Constantini M. a qua novam epocham inchoamus.

martyrum, inter titulos recensentur. Advertit Thomassinus (*De veteri et nova Ecclesiae disciplina*, part I, lib 2, cap. 21, § 11): *Id observandum in compendiosissimis illis veterum Pontificum Vitis*, quae sunt in memorato Libro Pontificali, *Presbyteros ordinari perpaucos, Episcopos vero nonnumquam plures. Cuius rei ratio in promptu est. Soli enim Urbi presbyteros Romani Pontifices, Episcopos vero Provinciis compluribus ordinabant.*

[1] Epigramma de hoc Pontifice apud Petrum Coustant, t. I *Epist. RR. PP.*, et apud Baron. ad an. 357, n. 87.

[1] S. Cyprianus extrema *Epist.* 67, et apud eundem Coustant.



HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA TERTIA

A CONVERSIONE CONSTANTINI M. VSQVE AD EXCIDIVM IMPERII OCCIDENTALIS, AN. 476.

PROOEMIVM

Postquam Religio christiana Iudaeorum invidiam et ethnicorum furorem vicisset, cunctisque tempestatibus fortior extitisset, divina providentia meliora tempora Ecclesiae destinavit; eam non modo a cruentis persecutionibus, quas praecedenti epocha perpessa erat, liberavit, sed gloriose etiam exaltavit. Constantinum elegit, qui christiana sacra amplexus, Ecclesiam in libertatem vindicavit, eique, hostibus eius vexillo crucis debellatis, pacem et splendorem conciliavit. Ab eo inde tempore Ecclesia, profligatis hostibus, quasi super colles elevata totoque orbe conspicua atque resplendens, omnes populos ad se evocabat, qui certatim accurrerunt, ut vias Domini discerent et ambularent in semitis eius. Tunc deorum fana in veri Numinis templa conversa et crucis tropaeo decorata sunt. Tunc crux illa, antea Iudaeis scandalum et gentibus stultitia, in frontibus regum visa est, purpurasque et ardentes diadematum gemmas decoravit. Orbis se domitum agnovit non ferro sed ligno. Fides christiana tam intra quam extra imperium latissime propagata fuit, exterior Ecclesiae status maiorem splendorem accepit, Religionis decor magis evolutus est.

Verumtamen durante hac ipsa epocha, Ecclesia multiplicis generis certamina sustinuit. Eius exterminium machinatus est Iulianus imperator apostata. Eidem, praeter reges Persarum, persecutiones intulerunt barbari, qui Romani imperii provincias invaserunt. Interiori eius tranquillitati obstiterunt nova schismata et haereses, antiquis eo periculosiora, quo subtilioribus verbis essent proposita, formisque fallacioribus ornata. Nulla fuit deterior haeresis quam Ariana, cuius propugnatores, quamvis post Nicaenum concilium de sola voce *consubstantialis* disceptare viderentur, revera tamen ipsum Religionis christianae fundamentum, divinitatem scilicet Filii, evertebant. Nulla latius serpsit quam illa maioraque detrimenta, praesertim imperantibus Constantio et Valente, Ecclesiae intulit. At in his omnibus rursum divina providentia circa Ecclesiam singulariter emicuit. Haec enim instar arcis inexpugnabilis semper firma, una et eadem stetit. Ipsi eius hostes pedetentim ad eam transierunt. Schismatici vero et haeretici in diversas factiones abierunt, quae, ubi temporalium principum patrocinio orbatae sunt, corruerunt.

1. *Constantini conversio* (*an.* 312)—Romanum imperium hoc tempore, ut vidimus, inter Constantinum, Maxentium, Maximinum et Licinium erat divisum [1]. Maxentius, qui in Italia et Africa imperabat, exactionibus, crudelitatibus et libidinibus suis subditorum odium incurrit, adeo ut Romani iam Constantinum, ut tyrannum exturbaret, clam evocaverint. At Maxentius ipse militum suorum viribus nimium confisus, Constantino bellum indixit, quasi patris sui Herculii necem ulturus. Constantinus, ut procacem Maxentium reprimeret, et Romanos ab eius tyrannide vindicaret, exercitum in Italiam duxit; primas adversarii copias ad Veronam fudit, victorque propius ad urbem Romam properavit. Verum, propter praepotentes Maxentii copias se altiori auxilio indigere sentiens, simulque perpendens tristem exitum principum, qui iis, qui vulgo dii credebantur, confisi fuerant, animum convertit ad illum unicum Deum, cuius protectioni patris sui prospera fata adscribebat, precans, ut se ei manifestaret, eumque signo aliquo de auxilio certiorem redderet. Eo deprecante, cum sol ad occasum vergeret, signum crucis in coelo apparuit, cui erat inscriptum: *Hac vince.* Obstupuit imperator, obstupuerunt milites ostenti huius spectatores. Sequenti nocte Christus ipse cum simili signo dormienti imperatori apparuit, eumque monuit, ut crucis signum, quod in firmamento vide-

[1] Vid. p. 75-76.

rat, in scutis notaret, formatoque ad illius imaginem militari vexillo, illo tamquam salutari praesidio in bello uteretur. Altera die Constantinus vexillum confici iussit, constans ex hasta oblonga, per stipitem transversum, e quo pannus purpureus auro intextus pendebat, crucis figuram referens, et in summitate ornatum monogrammate, idest duobus nominis Christi initialibus litteris graeci characteris sibi invicem insertis. Idem monogramma Constantinus suae galeae suorumque militum clypeis applicari iussit. His factis, versus finem an. 312 exercitus pari fronte concurrerunt, praelioque ad pontem Milvium commisso, Maxentius devictus et in Tiberim, quem traiicere conabatur, lapsus periit. Constantinus urbem ingressus, ab omnibus, tum e civium tum e senatorum et equestrium ordine, faustis acclamationibus exceptus est, suoque imperio Italiam et Africam adiunxit.

Constantinus felicem belli exitum acceptum referens illi, cuius auxilio vicerat, sublimem hastam ad imaginem vexilli crucis, quo in praelio usus fuerat, in celeberrimo urbis loco collocavit. Sacerdotes accersivit, a quibus christianae Religionis mysteriis et praeceptis erudiretur, et deinceps eamdem sincero atque constanti animo professus est[1].

Quidam petulantes critici relationem de visione, quae Constantino obtigit, fabulis adnumerarunt[2]. Alii istud phaenomenon ad causas naturales referunt[3]. At Constantinus ipse rei veritatem iureiurando confirmavit Eusebio, ut hic testatur, et insuper ad testimonium totius exercitus, qui idem signum viderat, provocavit. Nulla invenitur causa, propter quam imperator totam rem confinxisset; qui enim dicunt, eum militibus suis hac ratione animos addere voluisse, non perpendunt, plerosque eorum fuisse ethnicos. Eusebii relationem confirmant Lactantius, Socrates, Sozomenus aliique scriptores. Ex ipsis ethnicis scriptoribus Nazarius testatur, Constantino coeleste phaenomenon apparuisse[4]. Istam visionem non fuisse phaenomenon aliquod naturale, ex omnibus illius adiunctis manifestum est[5]. Nonnulli dixerunt, Constantinum non sincero animo, sed e rationibus politicis Religionem christianam esse professum[1]. Verum sinceram Constantini conversionem extra omnem dubitationem ponunt modus, quo conversus est; tota eius deinceps agendi ratio, nulla simulatae religionis vestigia prodens, consilia etiam legesque ad propagandam Religionem christianam et ad abroganda deorum sacrificia et cultum. Praeterea, si Constantinus e ratione politica ad firmandum et amplificandum imperium suum aliquam religionem profiteri intendisset, ethnicam potius eligere debuisset, utpote cui maxima pars, et in imperio et in senatu et in exercitu, adhuc adhaerebat. Actiones vero improbandae, quas post suam conversionem admisit, eius sinceritati in profitendo Christianismo ita non obstant, quemadmodum nec aliorum Christianorum naevi eorum fidem in dubium vocant[2].

2. *Ecclesiae libertas* — Divina providentia mox post conversionem Constantini in caeteris etiam imperii partibus libertatem Ecclesiae procuravit. Etenim Constantinus una cum Licinio, cui sororem suam Constantiam uxorem dederat, an. 312 Romae et anno sequenti Mediolani edictum promulgavit, quo christianae Religionis professio ubique libera reddebatur, omnibus cuiusvis ordinis aut conditionis eam suscipiendi potestas fiebat, coemeteria, ecclesiae et bona, Christianis durante persecutione erepta, iis restituebantur. Legis huius exemplum una cum nuncio partae de Maxentio victoriae transmiserunt principes ad Maximinum, Orientis imperatorem, qui Christianos dirissime persequebatur. Hic vero provincias Licinii armata manu invasit, votumque de delendo per orbem christiano nomine, si victor extitisset, emisit. At quamvis militum numero Licinium duplo superaret, apud Adrianopolim ad internecionem victus, confugit in Asiam minorem; et brevi post foedissimo morbo e sumpto veneno correptus, per quatuor dies vehementissimis doloribus excruciatus, an. 313 extinctus est. Eius imperium Licinius victor suo adiunxit.

Tunc exstinctis persecutoribus dies sereniores Ecclesiae illuxerunt per totum imperium. Sed laetam Christianorum spem paulo post turbavit Licinius. Hic iam ditionis amplitudine Constantinum superans, elato ani-

---

[1] Euseb. *Vita Constantini*, l. I, c. 28-29; Lactant. *De mort. persecutor.*, c. 44; Socrat, *Hist. eccl.* l. I, c 2; Sozomen. l. I, c. 3; Philostorg. l. I, c. 6; Nicephor. l. VII, c. 29.

[2] I Oisel, *Thesaurus numismat.* p. 463; I. Toll. Annotat ad Lactant. *de Mort. persecut.* p. 267; I. Clericus, *Biblioth.* t. III, p. 351.

[3] I. A. Fabric., *Biblioth. graec.* t. VI, l. 5, c. 3; I. A. Schmid, *De luna in cruce visa.* — [4] *Panegyr.*

[5] I. Gretser., *De cruce*, l. II, c. 36; P. F. Chifflet, *De conversione Constantini*; Duvoisin, *Dissertation hist. sur la vision de Constantin*; I. C. Wolf, *Dissertatio de visione crucis Constantino M. oblatae.*

[1] G. Arnold, *Hist. eccl.* t. I, l. IV, c. 2.

[2] I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. II, c. 5.

mo ei bellum suscitavit; sed petulantiae suae poenas luit. Apud Cibalem ad Savum a Constantino ingenti praelio victus, pacem petiit impetravitque, relictis Constantino omnibus provinciis Europaeis. Crevit exinde eius in Constantinum invidia. Quum autem hic Christianis faveret, Licinius multifariis modis eos vexare et exagitare coepit; episcopos inter se communicare aut concilia celebrare prohibuit; feminas in easdem cum viris ecclesias ad divina officia convenire vetuit; milites et praetorum ministros, qui diis sacrificare nolebant, exauctoravit et muneribus privavit; omnes Christianos palatio suo expulit; servos suos, qui Christiani erant, aut exilio multavit aut bonis spoliavit. Quod imperatoris in Christianos odium quum innotuisset, provinciarum rectoribus, qui Christianis infensi erant, animum addebat, ut iterum tormentis et suppliciis in eos animadverterent. Id praecipue factum est in Ponto et Armenia minori, ubi ecclesiae aliae destructae, aliae clausae, plures episcopi occisi, quos inter Blasius Sebastenus, et 40 milites sub praefecto Agricolao in stagnum gelu concretum coniecti sunt.

Talis agendi ratio erga Christianos, in quibus Constantinus ipse despici videbatur, aliaque a Licinio contra pacis supra initae conditiones attentata, an. 323 inter utrumque rursus bellum excitarunt. Constantinus crucis vexillo in omni certamine usus, Licinium tribus magnis praeliis vicit, eum Nicomediae inclusum ad deditionem compulit, et purpura exutum Thessalonicam ad vitam privatam relegavit. Tandem anno sequenti novas insidias molientem, capite plecti iussit [1].

Tunc solo imperante Constantino, Ecclesia per totum imperium Romanum accepit principatum. Constantinus enim ad promovendam Religionem christianam et supprimendam ethnicam varia decrevit. Neminem tamen ethnicorum ad Christianismum compellendum aut propter ethnicismum aliqua iniuria afficiendum esse, expresse statuit. Auguria et sacrificia ethnica prohibuit; deorum statuas deiici et destrui iussit praeter eas, quae insignioris artificii essent specimina; templa partim claudi partim in veri Dei ecclesias converti mandavit; provinciarum praesides et praetorii praefectos plerumque constituit Christianos, vel si ethnici essent, iis sacrificare nullo modo licebat; iis qui relicto ethnicismo Fidem christianam suscipiebant, favores et praerogativas largitus est; pauperibus aes donavit; oppidis aut urbibus quae integra convertebantur, ius civitatis Romanae vel immunitatem a tributis concessit. Unde factum est, ut per totum imperium quamplurimi e deorum cultoribus, non tantum singuli, sed integrae etiam urbes simul ad christiana sacra transirent. Praeterea ecclesias earumque ministros seu clericos variis praerogativis et immunitatibus ornavit; patrimonia ecclesiastica auxit; cunctis subditis e bonis quod vellent, ecclesiis legandi potestatem fecit; aliaque ad augendam Religionis christianae maiestatem constituit [1].

3. *Donatistarum schisma* — Partis ubique pace et tranquillitate, bonorum omnium hostis alias in Ecclesia tempestates excitavit, scilicet schismata et haereses. In Africa tetro schismati ansam dedit electio Caeciliani archidiaconi ad episcopatum Carthaginensem. Huic electioni, quamvis unanimiter factae, adversati sunt duo presbyteri, Botrus et Celeusius, quod ipsi episcopatum cupiebant. Iis se mox adiunxerunt quidam alii presbyteri, a Caeciliano ad reddenda vasa sacra, sibi persecutionis tempore depositi loco credita, adacti. Iisdem se iunxit femina quaedam Lucilla, nobilitate et divitiis praepotens, Caeciliano infensa, quod ossa cuiusdam hominis, de cuius martyrio non constabat, ante sacram synaxim osculari solita, ab eo fuerat reprehensa. Illi igitur an. 311 Caecilianum accusarunt, quod durante persecutione cum esset diaconus, confessoribus in carcere cibum denegasset, quodque et ipse *traditor* et ab episcopo *traditore* ordinatus fuisset. Secundus, episcopus Tigisitanus, et aliquot alii, qui synodo Cirtensi interfuerant [2], e Numidia a factiosis Carthaginem vocati, reprobata electione Caeciliani in eius locum ordinarunt Maiorinum lectorem, Lucillae domesticum. Inde dissensio et initium schismatis in ecclesia Carthaginensi, et paulo post in omni Africa proconsulari, in Numidia et Mauritania, aliis cum Caeciliano, aliis cum Maiorino communicantibus. Maiorino, an. 313 mortuo, suffectus fuit Donatus, a quo sicut ab altero Donato, episcopo Casarum nigrarum, schismatici appellati sunt Donatistae.

---

[1] Euseb., *Hist. eccl.* l. IX-X, et *Vita Constantin.* l. I; Lactant., *De mort. persecutor.* c. 48-49; Socrat. l. I, c. 3; Sozomen. l. I, c. 7; Theodoret. l. I, c. 6.

[1] Euseb., *Vita Constantin.* l. II-III; Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 9; Sozomen. l. I, c. 9, l. V, c. 5; Theodoret. l. I, c. 15; *Codex Theodos.* l. X, XI, XVI.

[2] Vid. p. 76.

Schismatici rati, sibi maxime profuturum imperatoris patrocinium, ad eum libellum miserunt, quo adversus Caecilianum iudicium postulabant. Constantinus «non ausus de causa episcopi iudicare, inquit s. Augustinus, eam discutiendam atque finiendam episcopis delegavit [1] ». Anno 313 Melchiades Pp. Romae concilium indixit, cui, praeter episcopos Italos, e Galliis interfuerunt Maternus Agrippinensis, Rheticius Augustodunensis et Marinus Arelatensis. Aderant ex utraque parte, Caeciliani et adversariorum eius, episcopi deni. Postquam per triduum causa fuisset discussa, Caecilianus a concilio innoxius declaratus est; Donatus episcopus Casarum nigrarum, totius mali instigator, damnatus; episcopis, qui factioni assenserant, in pristino honore manere concessum ea lege, ut cum Caeciliano communicarent. Verum schismatici sententiam Romani concilii contemnentes, apud imperatorem questi sunt, quod in eo non plene et a paucis tantum episcopis auditi fuissent. Constantinus eorum pervicaciam aegre tulit, attamen ut multorum interventu causa finem acciperet, et perduellibus os penitus obstrueretur, an. 314 copiosius concilium ex omni Occidente indixit Arelate in Gallia. Silvestrum Pp., qui paulo antea s. Melchiadi successerat, huius concilii celebrationi assensisse, vel ex eo patet, quod eidem per legatos suos praesederit.

Interfuerunt concilio Arelatensi circiter 200 episcopi. Praesederunt vice Pontificis Claudius et Vitus presbyteri, Eugenius et Cyrianus diaconi. Donatistae in eo Caecilianum eorumdem ac in Romano concilio criminum accusarunt; at cum nullus accusandi modus, nullaque probatio conveniret, iterum sententia dicta est pro Caeciliano, illi vero damnati sunt [2]. Tunc multi ad communionem Caeciliani transierunt. Alii a concilii sententia ad imperatorem appellare ausi sunt. Constantinus primo iratus, deinde de priori sua indignatione remittens, eos an. 316 Mediolani audivit; sed conciliorum sententias secutus, Caecilianum innoxium declaravit, adversarios ceu improbos calumniatores repulit.

Quum tot iudiciis damnati schismatici nondum acquiescerent, sed Catholicos opprimerent, ipsumque imperatorem reprehenderent, Constantinus eorum pervicaciae poenas opponendas ratus, iis ecclesias eripi et eorum primarios in exilium migrare iussit. At nec his schismaticorum audacia fracta est, contra, saepenumero vi armisque imperatoris legibus restiterunt. Constantinus indignabundus, eos, tamquam homines qui ad frugem corrigi non possent, an. 321, revocatis legibus suis, soli divinae vindictae reliquit. Unde factum est, ut Donatistae, adhibitis etiam contra Catholicos violentiis, latissime se per Africam propagarint. Extra Africam vero omnes ecclesiae cum Caeciliano communicabant. Hinc schismatici asseruerunt, veram Ecclesiam ubique *traditorum* communione defecisse, et apud se tantum perdurasse; ac proinde ab alienis baptizatos, confirmatos aut ordinatos si clerici essent, rursus baptizabant, confirmabant et ordinabant. Sic Donatistae cum schismate haeresim coniunxerunt [1]. Ulteriora eorum fata postea referemus.

4. *Ss. Melchiades et Silvester, Pontifices* — S. Melchiades Pp. an. 311 in locum s. Eusebii suffectus, Ecclesiam gubernavit duobus annis totidemque mensibus. Obiit IV idus dec. an. 313.—Referente *Libro Pontificali* hic Pontifex constituit, *ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum* [2]. Similiter decrevisse, ut duo sal-

---

[1] *Epist.* 162.

[2] Contra eos, qui dicunt, patres Arelatenses suo facto probasse, R. Pontificis sententiam esse reformabilem et ab ea ad concilium generale appellari posse, videsis card. Orsi, *De irreformabili iudicio R. Pontificis in definiendis Fidei controversiis*, t. II, l. 3, c. 10; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. II, c. 7.

[1] D. Optat. Milevitan., *LL. contra Parmen.*; s. Augustin., *Brevicul. collat.*; card. Noris, *Historia Donatistarum*; H. Valesius, *Dissert. de schismate Donatist.*; Schelstrat., *Eccles. African*, Dissert. III.

[2] Huic decreto similia sunt illa Siricii et Innocentii I. Siricius enim, ut est in *Libro Pontificali* (ap. Labbe, t. II *Concil.*), *constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Innocentius I autem, in Epistola *ad Decentium* c. 5 (apud eundem Labbe), *De fermento*, inquit, *quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiae nostrae intra Civitatem sint constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non iudicent separatos. Quod per paroecias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per coemeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, et Presbyteri eorum conficiendorum ius habent atque licentiam.* At de sensu atque intelligentia horum trium decretorum Melchiadis, Siricii atque Innocentii summa est inter Scriptores dissensio. Sunt, quibus videatur *fermenti* voce designari Eucharistiam, ut Claudio Espencaeo (*De adoratione Eucharistiae*, l. II, c. 4), Sirmondo (in Disquisit. *De azymo*, c. 5), Ioan. Card. Bonae (*Rer. Liturgic.* l. I, c. 23, § 16), ubi tamen *fermentum* sumit pro fer-

*

tem candelabra essent in Altari, dum Missae sacrificium celebratur, quidam auctores sunt: sed unde hoc hauserint, minime compertum est. Iam inde ab Apostolicis temporibus candelabra fuisse adhibita in actu sacrificii Missae, eruitur ex *Actorum Apostolicorum* c. XX, ubi narratur quod dum Troade D. Paulus sacrificium offerret, lampades erant accensae.—Post Eusebii obitum, pridie calend. februarias an. 314, summus pontificatus delatus fuit s. Silvestro, Romano, qui eo functus est usque ad annum 335.—Varia in *Libro Pontificali* memorantur Silvestri decreta: Chrisma a solo Episcopo conficiendum; baptizati verticem summum chrismate ungendum a presbytero *propter occasionem transitus mortis*; sacrificium non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo faciendum [1]. Dalmaticas a Diaconis adhibendas in Ecclesia, laevamque eorum tegendam palla linostima, quae ex sententia Cardinalis Bona [2] asseri potest esse stola diaconalis, quae in humero sinistro ab ipsis defertur ad differentiam sacerdotalis a collo ante pectus pendentis [3]. S. Silvester primus omnium Romanorum Pontificum pingitur Tiara coronatus [1].

5. *Canones synodorum Arelatensis, Ancyranae et Neocaesareensis* — Porro episcopi in commemorata synodo Arelatensi post definitam Caeciliani Carthaginensis et Donatistarum causam, contulerunt etiam de disciplina ecclesiastica, edideruntque 22 canones. Praecipui sunt qui sequuntur: 1° canone mandatur, ut Pascha eodem tempore et die ubique celebretur; 2° et 21°, ut clerici permaneant in ecclesiis, pro quibus ordinati sunt; 8°, ut baptismus ab haereticis cum debita forma et materia collatus, non repetatur; 10°, ut matrimonium ne adulterii quidem causa solvatur; 13°, ut *traditores*, de quibus ex actis publicis constet, ab ordine cleri amoveantur; 20°, ut episcopus a tribus saltem episcopis consecretur. Praeterea episcopi congregati, priusquam synodum absolverent, honorificam epistolam scripserunt ad Silvestrum Pp., qua Concilii canonumque confirmationem penes eum esse professi, postulabant, ut quae in synodo fuerant decreta, rata haberet totique Ecclesiae proponeret servanda [2].

In aliis etiam provinciis praesules ecclesiarum, pace et tranquillitate bene usi, nihil prius habuerunt, quam ut ecclesias persecutionibus dissipatas colligerent, malis illatis mederentur, collapsamque disciplinam instaurarent. Pastoralis huius sollicitudinis monumenta sunt canones synodorum Ancyranae et Neocaesareensis. Ancyram Galatiae metropolim an. 314 convenerunt 18 episcopi, qui, praeside Vitali Antiocheno, condiderunt 24 canones. In his canonibus, praeter alia, statuitur: in Canone 1° et 2°, ut presbyteri et diaconi qui, idolis sacrificaverint, si poenitentiam egerint, ad honoris quidem

---

mentato, dissentiens a Sirmondo, qui scribit, *Eucharistiam* Fermentum *ex eo dictam, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem praestaret, eisque unionis inter se vinculum esset sicut fermentum massae, cui commiscetur.* Sirmondo prorsus accedit Christianus Lupus (in Dissert. *De S. Leonis IX Actis*, c. 9), Thomassinus (*Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, part. I, l. II, c. 21, § 6, 9, seqq.). Accedit et Mabillonius in Dissert. *De Azymo* (c. 10), sed vult alia de causa Eucharistiam appellatam *fermenti* vocabulo, nimirum *ut nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium.* Cuius sententiae est etiam Schelstratus, *De disciplina Arcani,* c. 7, art. 5. Non pauci arbitrantur, *Fermentum* illud esse *Eulogias*, seu panem benedictum. In his est Anselmus Episcopus Havelbergensis (l. III *Dialog.* c. 15). Consentiunt Baron. ad an. 313, n. 49, Nicolaus Card. Cusanus, Binius, Theophilus Raynaudus, Franciscus Macedo, Antonius Dadinus Altaserra, et Ioannes Cabasutius. Horum scriptorum testimonia recitat Ioannes Ciampinus, *De perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina*, c. 4. Eandem sententiam secutus est etiam Petrus Coustant, t. I *Epist. RR. PP.* in *Melchiade*, § 5, n. 28. Cf Sandini, *Op.* saepius cit., in *Melchiade.*

[1] Velum hoc lineum in *Ordine Romano*, et s. Gregorii M. *Sacramentario, Palla corporalis* appellatur, vulgo autem *Corporale*, sive quod repraesentat memoriam Sindonis, qua corpus Christi involutum fuit, sive quod ipsum Christi corpus ei superponitur in Missae sacrificio.

[2] *Rer. liturg.* l. II, c. 24, § 6.

[3] Dicitur autem huiusmodi palla seu stola *linostima*, vel potius *linostema*, quia lino et lana contexta, in stamine linum, in trama lanam habet. Atque hic non incongruum ducimus animadvertere, quod stolae fit mentio sub nomine Orarii in can. 22 et 23 concilii Laodiceni habiti tempore eiusdem Silvestri, a quo concilio prohibitum fuit Subdiaconis et Lectoribus, ne Orariis utantur. Ex quo iure infertur, ante mille et quingentos annos usum stolae in Ecclesia invaluisse.

[1] Papebrochius, in *Conatu* ad s. Silvestrum, n. 5, inquit: *Omissis fabulis dici posse videtur, quod constituta per Constantinum Ecclesiastica pace,* Silvester *vel propria electione, vel ipsius mandato Pileum sumserit, Romano more Symbolum libertatis; eumque aureo phrygio, seu diademate ornatum inferne, qua caput tangit, ad significandum Regale Sacerdotium sacerdotum omnium Principi collatum a Christo: cui* Bonifacius VIII *alteram coronam imposuit, exprimi eo volens utriusque Regni corporalis ac spiritualis praerogativam Pontifici competentem. Triplicis denique coronamenti Tiaram assumsisse legitur* Urbanus V *numeri mystici forsitan causa.* Vid. Io. Albertum Fabricium, *Bibliothecae Graecae* vol. VI; citatum Papebrochium in *Conatu* ad Stephanum III, n. 2; Nat. Alex. Dissert. XV in *Hist. eccl.* saec. IV; Thomassin., *Vetus et nova Ecclesiae disciplina,* l. I, part. I, c. 5, § 14

[2] Labbe, *Concil.* t. I, p. 1421.

gradum, non vero ad functiones sacras admitterentur; 3° et sequentibus usque ad 9^m, lapsis poenitentiae publicae modus et tempus constituuntur; 10°, iis, qui postquam protestati essent, quod uxorem ducere intenderent, ab episcopo ad diaconatum fuerint assumpti, si postea uxorem duxerint, in ministerio manere conceditur; alii vero, si id fecerint, e diaconatu deponuntur; 12°, chorepiscopis presbyterorum et diaconorum ordinationes prohibentur; 7°, dignitate et officio privantur episcopi, qui e sedibus suis pulsi, alienas invaserint [1]. Paulo post iidem fere episcopi convenerunt Noecaesaream Cappadociae, ubi 14 canones ediderunt: horum 1^s depositionis poena plectit presbyteros, qui uxores duxerint; 2^s animadvertit in mulierem, quae duobus fratribus nupserit, et in virum, qui duas sorores sibi iunxerit; 8^s in clerum admitti vetat eum', cuius uxor adulterii convicta est; 11^s prohibet, ne quis ante 30 annum presbyter ordinetur [2].

Chorepiscopi, de quibus can. 12 synodi Ancyranae fit mentio, dicebantur episcoporum vicarii rure constituti. Quum enim his temporibus episcopi ipsi fere omnes functiones sacras peragerent, nunc vero omnibus totius dioecesis negotiis, praesertim maioris momenti, administrandis non sufficerent, negotiorum partem commiserunt vicariis rure constitutis, suprema potestate, et inspectione sibi reservatis. Isti vicarii inde dicti sunt chorepiscopi; quamvis plerumque charactere episcopali non essent insigniti, non numquam tamen inter eos fuerunt veri nominis episcopi, sive quod proprius episcopus alium, e sede sua pulsum, in suum chorepiscopum assumeret, sive quod presbyterum, cui partem dioeceseos erat commissurus, episcopatus ordine insigniret. Cum, progressu temporis, chorepiscopi sibi plura arrogarent quam quae ab episcopis essent concessa, neque synodorum decretis compesci possent, eorum munus in utraque ecclesia orientali et occidentali abrogatum fuit [3].

Praesules ecclesiarum praeter chorepiscopos, alium tum e presbyteris tum e diaconis adiutorem assumebant. Qui e presbyteris erat, archipresbyter dicebatur, et episcopo suppetias ferebat generatim in omnibus functionibus, quas presbyteri vi ordinis sui peragere valent. Hoc archipresbyteri munus in historia huius ipsius saeculi iam occurrit, eratque dignitate primum post episcopalem. Antiquius est officium archidiaconi, qui, sicut archipresbyter in functionibus spiritualibus, in negotiis ecclesiastico-oeconomicis, liturgicis et disciplinaribus episcopum adiuvabat. Archidiaconorum auctoritas progressu temporis ita accrevit, ut supra presbyteros, rebus mere spiritualibus occupatos, extollerentur. Quapropter archidiaconatum, qui ab initio proprius erat diaconorum, etiam petiverunt acceperuntque presbyteri [1].

6. *Meletianorum schisma*—Eodem tempore, quo Donatistae in Africa, Meletiani in Ægypto ecclesias schismate perturbarunt ac diviserunt. Huius schismatis auctor fuit Meletius, episcopus Lycopolitanus in Thebaide, qui, propter negatum in persecutione Galeriana Christum et alia crimina, in synodo Alexandrina a Petro patriarcha depositus et excommunicatus est. Spreta synodi sententia, Meletius episcopales functiones exercere perrexit; ipsa iura patriarchica, quae a priscis temporibus in Ægypto, Lybia et Pentapoli episcopi Alexandrini propria erant, usurpavit; presbyteros et episcopos instituit, atque tetrum schisma, cuius asseclae dicti sunt Meletiani, creavit. De his schismaticis actum fuit an. 325 in concilio Nicaeno I. In eo iura patriarchica secundum antiquum morem patriarchae Alexandrino confirmata sunt, et de Meletio eiusque sectariis constitutum, ut is, solo episcopi nomine retento, sine ulla episcopali functione maneret Lycopoli, et qui ab eo sacris Ordinibus fuissent initiati, sub potestate forent patriarchae Alexandrini [2]. Qui posthaec in schismate perseverarunt, brevi post se coniunxerunt haereticis Arianis.

7. *Arianae haeresis initia*—Haeresim vero, quae principalem Religionis christianae doctrinam tangebat, eiusque fundamentum destruebat, Alexandriae in Ægypto protulit Arius. Is adhuc diaconus a Petro patriarcha propter favorem erga schismaticos Meletianos, ad quos pertinuerat, a communione ecclesiastica separatus, sub Achilla, Petri successore, in communionem receptus et ad presbyteratus gradum admissus fuerat. Ægre ferens, Alexandrum post Achillae obitum ad patriarchatum Alexandrinum, quem ipse affectabat, evectum, eius doctrinam impugnare coepit. Alexander in presbyterorum et cle-

[1] Labbe, *Concil.* t. I, p. 1455.
[2] Ibid. p. 1479.
[3] Selvag., *Antiquit. christian.* l. I, p. I, c. 15; Thomassin, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, t. I, l. II, c. 1-2.

[1] Selvag. ibid. c. 1-2; Thomassin. ibid. c. 3-6, 17-20.
[2] *Epist. PP. Nicaenorum*, apud Theodoret. *Hist. eccl.* l. I, c. 9; s. Athanas., *Apologia II*; Labbe, *Concil.* t. I, p. 955.

ricorum consessu orationem habuerat de ss. Trinitate. Arius eam oppugnans contendit, Verbum seu Filium non esse e Patris substantia genitum, sed libera Patris voluntate e nihilo procreatum; ante omnes res creatas fuisse productum, non tamen aeternum; non esse veri nominis Deum, sed creaturam caeteris praestantiorem; vocari Filium Dei, quatenus in Dei creatione opifex et divinae omnipotentiae instrumentum, ad specialem divinae gratiae et gloriae participationem seu consortium elevatus fuerit. Hinc patet, quantum a vero aberrent qui dicunt, controversiam inter Arium eiusque fautores et Catholicos solum constitisse in subtili quadam rerum expositione et terminorum usurpatione; cum tamen quaereretur de ipsa Verbi et Christi Iesu divinitate, adeoque de religionis christianae fundamento. Arius, qui cum externa honestate et suavitate morum eruditionem, facundiam et artem dialecticam haud vulgarem coniungebat, suasque sententias sermone et scriptis, inter quae celebre est *Thalia*, commendabat, non paucos asseclas in clero et populo nactus est.

Alexander patriarcha, postquam Arium ad saniorem mentem revocare frustra tentasset, an. 320 Alexandriae synodum 100 fere episcoporum ex Ægypto et Lybia indixit, in qua Arius damnatus, depositus et cum omnibus suis asseclis excommunicatus est. Tunc Arius in Palaestinam, deinde in Asiam minorem se contulit, ubi pravis artibus et ambiguis fidei confessionibus plures sibi episcopos conciliavit, inter quos praecipuus eius patronus fuit Eusebius, episcopus Nicomediensis in Bithynia. Unde factum est, ut hac controversia omnes fere Orientis ecclesiae se implicarent; et non tantum clerici, sed etiam in urbibus et pagis laici tanto cum aestu de materia controversa disputarent, ut Religio christiana a gentilibus in theatris risui publico exponeretur [1].

Quae cum rescivissent s. Silvester Pp. et Constantinus imperator, de componendis dissidiis contulerunt. Convenit inter eos, ut Osius, episcopus Cordubensis in Hispania, cuius auctoritati in rebus ecclesiasticis tunc temporis multum deferebatur, Alexandriam legaretur. Is an. 324 copiosam episcoporum Ægyptiorum synodum coëgit Alexandriae. Cum vero acta huius synodi exciderint, haud plene constat, quae in ea gesta sint. Scribit s. Athanasius, Colluthum presbyterum Alexandrinum, qui Deum neque malorum naturae neque poenae auctorem esse contendebat, et, Alexandri patriarchae communione abiecta, episcopalia munia usurpare et sacerdotes ordinare audebat, fuisse in ordinem coactum et ordinatos ab eo in statum laicorum repositos [1]. Narrat Socrates, in eadem synodo damnatum esse errorem Sabellii, quem Arii fautores per calumniam impingebant Alexandro, patriarchae Alexandrino [2].

8. *Concilium Nicaenum I, generale I* (*an.* 325)—Quum vero animorum aestus in Oriente minime defervesceret, necesse visum est convocare generale concilium, ut totius Ecclesiae iudicio veritas definiretur. Quapropter auctoritate s. Silvestri Pp., cuius, utpote summam in universam Ecclesiam potestatem habentis, erat concilium generale indicere, concilium oecumenicum Nicaeae in Bithynia celebrandum decretum est. Constantinus imperator hac de re tam bene meruit, ut ab antiquis rerum ecclesiasticarum scriptoribus passim dicatur hoc concilium convocasse; is enim urbem Nicaeam concilio celebrando commodam concessit, episcopos litteris honorificis ad illud invitavit, iis annonam aliaque subsidia subministravit, concilium sua praesentia illustravit, protexit, eiusque decreta auctoritate sua roboravit, ut promptius executioni mandarentur et rebelles in officio continerentur. Hac ipsa etiam ratione alii deinceps imperatores christiani concilia convocasse et confirmasse leguntur.

Habitum est concilium an. 325. Interfuerunt ei 318 episcopi plurimique presbyteri et diaconi: hi quidem iure suffragii non gaudebant, sed consilio et doctrina sua episcopis in pertractandis controversiis opem ferebant. Praesedit Silvester Pp. per legatos suos, nempe Osium episcopum Cordubensem, Vitum et Vincentium R. E. presbyteros. Tres causae tractatae sunt, nimirum haeresis Ariana, schisma Meletianum, et controversia de die celebrandi Pascha. In primis lecta sunt Arii dogmata, ad quae cohorruere episcopi, eaque exsecrati sunt. Lectae etiam sunt litterae Eusebii episcopi Nicomediensis, et propter blasphemias, quas continebant, dilaceratae. Arius et eius patroni invitati, ut sententias suas earumque rationes in medium adducerent, primum haesitarunt, deinde ad altercationes et fallaces fidei formulas progressi sunt. Prae aliis s. Athanasius diaconus, qui

[1] S. Athanas., *Orat.* II *contra Arian.*; s. Epiphan., *Haeres.* 69; Theodoret., *Haer. fabul.* l. I, et *Hist. eccl.* l. I, c. 3-4; Sozomen., *Hist. eccl.* l. I, c. 14.

[1] *Apolog. II*; s. Augustin., *De haeres.* c. 63; Philostr., *De haeres.*, c. 31.

[2] *Hist. eccl.* l. III, c. 5.

Alexandrum patriarcham Alexandrinum ad concilium comitatus erat, Arianas sententias doctissime confutavit. Deinde Arius cum sua haeresi damnatus est et sequens Fidei symbolum conditum: «Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium creatorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre Unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quae in coelo sunt et in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus, et homo factus est, et passus, et tertia die resurrexit, et ascendit ad coelos, unde venturus est iudicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt: fuit aliquando tempus quando non erat, et antequam nasceretur, non erat, vel quod de non existentibus factus est; aut ex alia substantia vel essentia esse dicunt, aut creatum, aut conversioni et mutationi obnoxium, anathematizat sancta catholica et apostolica Ecclesia».

Arii fautores huic symbolo subscribere noluerunt, sub praetextu, quod vox ὁμοούσιος, *consubstantialis*, in s. Scriptura non reperiretur, et quamdam emanationem seu partem essentiae divinae indicaret; sed postquam Catholici sensum eius exposuissent, tergiversari haud amplius potuerunt, et una cum his subscripserunt, exceptis duobus, nimirum Theona Marmaricae et Secundo Ptolemaidis episcopis. Quibus factis, Constantinus imperator Arium, Theonam et Secundum episcopos in exilium ablegavit, eorumque scripta, praesertim *Thaliam* Arii, in concilio damnata, ubique flammis tradi imperavit.

Quid vero in causa Meletiani schismatis constitutum fuerit, iam supra diximus [1]. Quantum ad controversiam de celebrando Paschate spectat, decretum est, ut illud ab omnibus ubique ecclesiis uno et eodem die secundum R. Ecclesiae morem celebraretur.

Praeter haec Nicaeni Patres condiderunt 20 canones, ad hierarchiam et disciplinam ecclesiasticam spectantes. Can. 1° mandatur, ut eunuchi, qui seipsos sponte castraverunt, a sanctis Ordinibus et a susceptorum functionibus arceantur; 2°, ut ad Ordines sacros non admittantur neophyti; 3°, ut a clericorum contubernio arceantur mulieres subintroductae [1]; 4°, ut episcopi eligantur ab episcopis provinciae vel saltem a tribus de caeterorum consensu, ius autem confirmationis habeat in unaquaque provincia metropolita; 5°, ut excommunicatus ab uno episcopo non recipiatur ab aliis; 6°, ut secundum antiquam consuetudinem episcopus Alexandrinus iura patriarchica habeat in Ægypto, Lybia et Pentapoli, sicut Romanus in Occidente et Antiochenus in Oriente [2]; 7°, ut quartum honoris gradum habeat episcopus Hierosolymitanus; Can. 8° praescribitur modus recipiendi Novatianos ad Ecclesiam redeuntes; 9° et 10° animadvertitur in clericos certorum criminum reos; 11°, 12°, 13° et 14° agitur de disciplina erga lapsos servanda; 15° et 16° prohibetur, quominus ne episcopi, presbyteri, aliive clerici ab una ecclesia ad aliam transeant; 17° clerici usurarii a sacro ministerio arceantur; 18° diaconorum fastus coerceatur; 19° Paulianistae ad Ecclesiam venientes baptizari iubentur; 20° statuitur, ut diebus dominicis a Paschate usque ad Pentecosten stando oretur.

Alios canones, qui praeter 20 commemoratos a Turriano et Abrahamo Echellensi sub nomine Nicaenorum editi sunt, supposititios esse, probatur ex eo quod eorum nullus veterum meminerit, quodque in iis habeantur nonnulla, quae cum antiqua traditione et ipso concilio Nicaeno pugnant [3].

Post haec Patres synodicam epistolam scripserunt ad ecclesias in Ægypto, Lybia et Pentapoli constitutas, quas certiores reddiderunt de omnibus quae in concilio fuerant definita et decreta. Constantinus imperator etiam litteras scripsit ad omnes ubique ecclesias, quas ad observanda Nicaena decreta hortatus est, ea maxime ratione, quod quae tot episcopi a Spiritu S. directi definierunt, ipsius Dei effata censenda sint. Reipsa concilii Nicaeni decreta ubique, etiam ab illis ecclesiis, quae neminem ad illud deputarant, suscepta sunt: illudque semper ab omnibus Catholicis tanquam oecumenicum seu universale Ecclesiae concilium habitum est [4].

---

[1] Vid. p. 85.

[1] *Subintroductae* appellabantur mulieres illae quae in domo clericorum erant seu caritate, seu quod eis inserviebant. Canon vero a sua ordinatione excipit matrem, sororem, amitam vel materteram, et omnes alias quae propter agnationem se omni suspicione exsolverent.

[2] Cf de hoc canone L. Allat. *Eccl. orient. et occident. consens.* l. I, c. 12; C. Lupum, *Ad can. 6 Nicaen.* t. I; Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. IV, diss. 20; E. Schelstrat., *Antiquit. Eccl. illustrat.* t. II, diss. 6.

[3] Cf E. Schelstrat., *Op.* cit. diss. 11; Pagi, *Critica in Annal. Baron.* ad an. 325.

[4] S. Athanas., *Epist. de decret. Nicaen.*; Euseb., *Vita*

9. *Arianorum status usque ad mortem Constantini* — Quamvis nunc sollemni et infallibili Ecclesiae iudicio Ariana haeresis esset damnata et Fidei dogma definitum, lis tamen paulo post recruduit. Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicaenus episcopi nonnullos arianos ad communionem ecclesiasticam admiserunt, contra vocabulum ὁμοούσιος reclamarunt, suasque subscriptiones, quas fraudulento animo et ex imperatoris metu dederant, revocarunt; quapropter eodem anno 325 a Constantino in Galliam relegati sunt. Verum post annos 3 sedibus suis restituti fuerunt, quia in litteris ad praecipuos episcopos datis, consueta simulatione asseruerant, se subscriptiones suas non alia ex causa revocasse, quam quod Arium errorum, ei a concilio adscriptorum, minime reum et proinde anathemate haud dignum iudicarant; interim se, ne haereseos haberentur suspecti, omnibus concilii decretis plene consentire. Arius ipse quum assereret, se non tenere errores a concilio Nicaeno damnatos, atque ad hoc persuadendum imperatori subdolam fidei professionem tradidisset, ab exilio revocatus est. Ariani prospera hac fortuna mox usi sunt ad sectam suam augendam. Rati vero dissimulandum esse quamdiu viveret Constantinus, qui neminem Nicaenae fidei aperte refragari patiebatur, obliquis artibus illam oppugnarunt, contendentes, Arium nusquam docuisse errores, a Nicaeno concilio damnatos, vocem *consubstantialis* non esse necessariam, satisque esse fidem de Filio Dei profiteri verbis s. Scripturae. Subinde omnia tentarunt, ut praecipuos Nicaenae fidei defensores e sedibus episcopalibus deiicerent, easque ipsi invaderent. In primis quidem an. 331 Eusebius Nicomediensis, adiunctis sibi Eusebio Caesareensi, Patrophilo Scytopolis, Aetio Lyddae, Theodoto Laodicaeae, aliisque Arii patronis, Antiochiae conciliabulum coëgit, in quo D. Eustathium patriarcham Antiochenum ceu Sabellianismi et fornicationis reum deposuerunt, et a Constantino imperatore, cui veritatem criminum persuaserunt, in Thraciam relegandum curarunt. Pari fraude deposuerunt Eutropium Adrianopolitanum, Asclepam Gazensem aliosque, in quorum sicut in D. Eustathii sedes intruserunt suae factionis viros.

Nullum vero magis oderant quam Athanasium, qui post mortem Alexandri an. 326 factus patriarcha Alexandrinus, factiosorum prava studia constanter debellabat, et neque iussis neque minis Constantini, quem factiosi multis fraudibus circumvenerant, permoveri poterat ad Arium in ecclesiam Alexandrinam recipiendum. Illi autem adiunctis sibi schismaticis Meletianis, sanctum praesulem apud imperatorem accusarunt stupri, necis Arsenii episcopi, extorsi ab Alexandrinis tributi, aliorumque, a quibus Athanasius erat alienissimus. Constantinus, qui ab an. 330 Constantinopoli sedem fixerat, assiduis Eusebianorum (ita ab Eusebio Nicomediensi dicti sunt Arii fautores) clamoribus impulsus, an. 335 in causa Athanasii synodum indixit Tyri. In ea Athanasius, quamvis sole clarius se a calumniis adversariorum vindicasset, excommunicatus atque depositus fuit. Iniquam sententiam merito sprevit Athanasius, et in Alexandrina ecclesia permansit. Eusebiani Tyro profecti sunt Hierosolymas ad solemnem dedicationem basilicae, curis Constantini extructae. Ibi peracta festivitate, novum conciliabulum habuerunt, in quo Arius post fidei professionem, specie quidem catholicam sed revera ambiguam, quae nec errorem excludebat nec Filium Patri consubstantialem aut verum Deum dicebat, in communionem receptus et cum synodica epistola ad ecclesiam Alexandrinam remissus est. At Athanasius eorum simulationes optime noscens, Arium minime recepit. Quapropter illi novis calumniis Athanasium apud imperatorem accusarunt, quod impediret, ne frumentum Alexandria Constantinopolim veheretur. Unde effectum est, ut Constantinus an. 336 Athanasium Treviros in Galliis relegarit.

Eodem anno Arius miserrime extinctus est. Ab ecclesia Alexandrina, quae in communione cum exule praesule constanter perseveravit, repulsam passus, et ab Eusebianis Constantinopolim vocatus, dum sollemni cum pompa ad ecclesiam, reclamante licet Alexandro episcopo, duceretur, medio in itinere subita naturae necessitate locum secretum petiit, ubi disrupto ventre dilapsisque visceribus animam periuram emisit [1].

Nonnullis Constantini imperatoris fides suspecta visa est, quod cum Eusebio Nicomediensi aliisque Arii patronis communicarit, Athanasium vero et alios Nicaenae fidei defensores in exilium miserit. Verum Eusebius aliique, quamdiu vixit Constantinus,

Constantini, l. III, c. 6-23; Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 8-9; Sozomen. l. I, c. 17, 19-25; Theodoret. l. I, c. 7-10; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1 seq.

[1] S. Athan., *Apolog. adv. Arian.*, et *L. de synod.*, Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 9, 18; Sozomen. l. II, c. 19; 25-27; Theodoret. l. I, c. 21, 26; Ruffin. l. I, c. 11.

nihil aperte adversus Nicaenam fidem loquebantur, contra, se eamdem tenere et catholicos omnino esse contendebant; Arius ipse perfidis professionibus ab haeresi, cuius accusabatur, se alienum simulabat; unde Constantino, cuius animus ad credendum erat levior, facile fucum fecerunt; hic autem Athanasium et alios relegavit, non quod Nicaenam fidem defendebant, sed quod propter alia crimina, quorum veritatem Ariani ei persuaserant, in synodis fuerant depositi et excommunicati. Testatur praeterea Constantinus iunior, patrem suum misisse Athanasium Treviros, quod vita eius inter infensissimos hostes non erat in tuto; unde etiam non indulsit Constantinus, ut in locum exulis Athanasii alter episcopus subrogaretur [1].

10. *S. Helena inventrix Crucis* —Constantinus christianam Religionem amplexus, ad eamdem perduxerat matrem suam Helenam. Haec pio desiderio visendi Terram sanctam ardens, an. 326 in Palaestinam peregrinationem instituit. Imperator ei potestatem et litteras ad Macarium episcopum Hierosolymitanum et ad provinciarum rectores dedit de expurgandis locis, quae praecipuis redemptionis humanae mysteriis sanctificata fuerant, et de exstruendis in iis basilicis. Haec enim sacra loca imperante Hadriano ipsius Veneris et Adonidis statuis templisque fuerant profanata. Confestim sub potentissimis religiosae Helenae auspiciis manus operi admota est. Templo et statua Veneris deiectis; terra ruderibusque exportatis, sacrum Salvatoris sepulcrum detectum est. Prope illud etiam repertae sunt tres cruces, titulus seu inscriptio, quae cruci Salvatoris fuerat affixa, et clavi, quibus corpus eius fuerat perfossum. Dubitationem quae existebat, cui e tribus crucibus Christus fuisset affixus, Deus dissipavit insigni miraculo, dum mulier mortali morbo affecta, per illius tactum subito sanata est [2]. Helena partem s. Crucis misit ad Constantinum filium suum, reliquam, argentea theca inclusam, tradidit Macario episcopo conservandam in amplissima basilica, quae Constantini iussu ad s. Sepulcrum exstructa fuit. Ab hac aetate frequentes fuerunt piae Christianorum in Terram sanctam peregrinationes, quarum occasione plures s. Crucis particulae ad alias diversarum regionum ecclesias delatae sunt. Constantinus pretiosissimas reliquias a matre acceptas in urbe Constantinopoli exaltari curavit, et partem earumdem Romam misit; tum huc tum illuc magnus erat Christianorum ad venerandam s. Crucem concursus [1].

S. Helena Romam redux, paulo post obiit. Eius memoria in ecclesia Latina XV calend. septembris, in Graeca 20 iunii celebratur [2].

11. *Constantinopolis Dedicatio* (*an.* 330) — Quum autem senatus Romanus, maxima ex parte adhuc ethnicus, aegre ferret propensum Constantini studium in christianae Religionis propagationem, hic imperii sedem alio transferendi consilium iniit. Selegit in hunc finem Byzantium urbem Thraciae, quam multis splendidisque aedificiis, ecclesiis et amplissima senatorum curia auxit, et an. 330 suo nomine Constantinopolim dedicavit. Eam ex integro reddidit christianam, omnibus religionis ethnicae exercitiis ibidem interdictis, templisque idolorum in christiana conversis. Ex quo tempore Constantinopolis quasi altera Roma effecta est.

12. *Arnobius* —Claruit interea Arnobius cognomine Afer, qui sub Diocletiano imperatore Siccae in Numidia rhetoricam professus, christianam Religionem acriter impugnarat, donec, immissis divinitus somniis, ad eamdem amplectendam stimularetur. Anno circiter 300, ut ab episcopis in numerum catechumenorum et ad baptismum admitteretur, libros 7 adversus Gentes conscripsit, in quibus ethnicam religionem impugnavit et christianam defendit [3]. Monet autem s. Hieronymus, in iis quaedam esse cavenda [4]; nec mirum, cum auctor adhuc catechumenus et christianae Religionis mysteria necdum plene edoctus esset.

Lactantius—Arnobii auditor fuit Lactantius, a Firmio Italiae urbe, qua oriundus erat, cognominatus Firmianus, Nicomediae in Bithynia aliquandiu rhetorices magister, inde in Gallias a Constantino imperatore evocatus, ut Crispum caesarem, Constantini e Minervina filium, latinas litteras doceret. Obiisse videtur circa an. 330. Vir fuit grandis eruditionis et propter singularem eloquentiam dictus Cicero christianus. Inter

---

[1] Vid. Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. IV, diss. 24; alios.

[2] S. Cyrill. Hierosol., *Epist. ad Constant.*; s. Ambros. *Orat. de obitu Theodos.*; Ruffin., *Hist. eccl.* l. I, c. 7-8; Sulpic. Sever., *Hist. sacr.* l. II; s. Paulin., *Epist.* 11 *ad Sever.*; Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 17; Sozomen. l. II, c. 1; Theodoret., l. I, c. 18.

[1] Cf Gretser., *Tractatus de Cruce*; Bolland, *Acta SS.* 18 aug.

[2] Bolland., loc. cit.

[3] Rom. 1542, Lugd. Batav. 1651; Migne, *Patrol. latin.* t. V.

[4] *Epist.* 76 *ad Tranquill.*

scripta eius potiora sunt, *Institutionum divinarum* libri 7, et *De mortibus persecutorum* liber 1. In priori opere religionem et philosophiam ethnicam refutat, christianam vero commendat, in posteriori agit de tristi et misero vitae fine imperatorum, qui Christianos persecuti sunt, concluditque, Deum, eis haec mala instar poenae immittendo, testimonium de veritate Religionis christianae dedisse. Felicior tamen fuit in expugnanda ethnica superstitione quam in defendenda christiana Religione. Unde Gelasius Pp. in Romana synodo an. 495 opera eius, propter errores in iis contentos, in apocryphorum classem reposuit [1].

Iuvencus, Maternus — Lactantio aequales fuerunt Caius Iuvencus et Iulius Maternus. Iuvencus Hispanus, presbyter et insignis poeta, *historiam Iesu Christi secundum quatuor Evangelistas* libris 4 carminum hexametrorum exposuit et Constantino M. nuncupavit [2]. Maternus natione Siculus, et e gentili christianus, circa an. 339 ad Constantium et Constantem, Constantini M. filios, librum scripsit *de errore profanarum religionum* [3].

Eusebius Caesareensis — Floruit eodem tempore Eusebius, natus in Palaestina, an. 314 episcopus Caesareensis, mortuus an. 340. Fuit is aevi sui eruditissimus, sed Arianorum factioni studuit, in eorum conciliabulis contra Athanasium magnas partes habuit, multorumque iudicio eorumdem doctrinae assensit; quod e pluribus loquendi formulis, quae in nonnullis eius scriptis reperiuntur, ostendunt. Plurima, ad diversas scientias pertinentia, scripsit, quorum varia perierunt. Ex iis quae supersunt praecipua sunt: *Praeparatio evangelica* in 15 libros divisa; *Demonstratio evangelica* in 20 libros distributa, quorum tantum 10 priores supersunt; liber *adversus Hieroclem*; libri 5 *contra Marcellum Ancyranum* et *de ecclesiastica theologia; Commentarii in Psalmos; Onomasticon urbium et locorum s. Scripturae;* Canones 10 *de Consonantia quatuor Evangelistarum; Chronicon a nativitate Abrahae usque ad annum aerae christianae* 326; *Historiae ecclesiasticae* libri 10 *a Christi adventu usque ad an.* 325; *de vita Constantini M.* libri 4 [4].

13. *Religionis christianae propagatio* — De ratione, qua Constantinus imperator contulit ad propagandam per universum imperium christianam Religionem, iam mentionem fecimus. Opem etiam tulit illius extra imperium propagationi.

In partibus inferioris Germaniae Evangelium magno cum successu praedicavit s. Maternus, episcopus Coloniae Agrippinae, qui una cum ss. Eucherio et Valerio ab Apostolica Sede in Galliam et Germaniam destinatus, apud Trevirenses, Agrippinenses, Tungros et vicinos populos ecclesias plures condidit, a quibus magna semper veneratione tamquam apostolus, a quo christianam Fidem acceperunt, honoratus est. Illum tanti faciebat Constantinus imperator, ut eum an. 313 ad synodum Romanam sub s. Melchiade et anno sequenti ad Arelatensem contra Donatistas destinarit [1].

Sub saeculi huius initia Armenia universa christianam fidem suscepit. In ea iam per Apostolos Evangelium praedicatum fuerat, et dudum ante haec tempora Christianos multos in ea extitisse, constat ex epistola Dionysii Alexandrini ad Armenos, quorum episcopus tunc temporis erat Meruzanes [2], et e Martyrologiis, in quibus nonnulli Armeni sub Decio et Diocletiano martyrium passi leguntur. Ineunte hoc saeculo rex ipse Tiridas per miraculum in palatio suo patratum, ad Fidem Christi conversus, suo exemplo subditos ad eamdem pertraxit. Praecipuus huius conversionis auctor fuit s. Gregorius, Armenorum episcopus, quem ii post Iudam Thaddaeum ut apostolum suum colunt, et a propagato apud se Evangelii lumine *Illuminatorem appellant* [3].

In Mesopotamia Religio christiana hoc tempore facta est universalis potissimum opera s. Iacobi, episcopi Nisibensis, qui tum vitae sanctitate tum miraculorum dono Magni cognomen consecutus est [4].

Similiter in Perside christiana Religio continuo aucta est praesertim in provinciis occidentalibus, ubi plures et copiosi erant Christianorum coetus. Ad propagandam ibi Fidem haud parum contulit tum commercium cum conterminis provinciis christianis tum Constantinus imperator, qui icto foe-

---

[1] Opera eius edita sunt Rom. 1650, Paris. 1748, et alibi. Edidit etiam Migne, l. c. t. VI-VII.

[2] Extat in *Biblioth. PP.* Lugdun. t. IV; et seorsim edita est Lipsiae 1710.

[3] Argentorat. 1562, in-8.

[4] Singula haec Eusebii opera saepius edita sunt. Edidit Migne, *Patrolog. graec.* t. XIX-XXIV; card. Mai, *Scriptor. vet.* t. VIII.

[1] Ghesquiere, *Acta SS. Belgii selecta*, t. I; Grandidier, *Hist. de l'Eglise de Strasbourg.*

[2] Euseb., *Hist. eccl.* l. VI, c. 46.

[3] Sozomen., *Hist. eccl.* l. II, c. 8; Bolland., *Acta SS.* 30 sept.; Le Quien, *Oriens christianus*, t. I.

[4] Bolland. ibid. 15 iul.; Le Quien, ibid.

dere cum Sapore Persarum rege, in litteris ad eum datis Evangelii praestantiam plurimum laudarat, eiusque protectioni Christianos commendaverat [1].

Ad Iberorum gentem, quae in hodierna Georgia sedem suam habebat, Ecclesiae aggregandam divina Providentia circa an. 326 usa est femina christiana apud eos captiva, quae tum vitae sanctimonia tum morbis invocato Iesu nomine curatis gentis admirationem excitavit. Paulo post regina Iberorum precibus eius a gravi morbo liberata et ab eadem de uno summo Deo eiusque filio I. Christo edocta, maritum hortabatur, ut reiectis idolis, hunc solum coleret. Rex brevi post e certo periculo post factum colendi Christum votum liberatus, populum convocavit, eique beneficiis, quae sibi et uxori a Christianorum Deo obtigerant, expositis, hunc solum, reiectis idolis, colendum pronunciavit. Confestim ecclesiam extrui et subditos per feminam captivam in christiana Religione institui curavit, deinde missis ad Constantinum imperatorem legatis, episcopos et Fidei praecones impetravit, quorum opera Iberorum ad Christum conversio perfecta est [2].

Eodem circiter tempore ex eventu non minus fortuito, quem Deus ad hominum salutem direxit, enata est conversio Æthiopum in hodierna Abyssinia. Meropius, philosophus christianus, Tyro oriundus, cum duobus adolescentibus fratribus in Æthiopiam ad eam accuratius cognoscendam profectus, in reditu a feris incolis occisus fuerat; duo vero adolescentes ad regem Auxumae residentem ducti sunt. Rex, cui iuvenes placuerunt, eis munia in aula sua detulit, et natu maiorem Frumentium tabulario et secretis praefecit. Rege mortuo, regina, cui regnum, cum filius adhuc puer esset, administrandum erat, Frumentium in regiminis societatem adscivit. Is auctoritate sua effecit, ut Christiani, ex imperio Romano mercaturae causa illuc venientes, primo in privatis aedibus, deinde in peculiaribus ecclesiis, Deum christiano more colere possent. Ipse exemplo suo et sermone indigenas quoque ad eorum sacra frequentanda hortabatur. Rege adulto Frumentius cum fratre suo in patriam regressus est. Alexandriam transiens, huius urbis patriarchae D. Athanasio narravit quae Deus in Æthiopia ad dilatandam Ecclesiam operatus esset, quaeque adhuc effici possent, si Religionis doctores illuc mitterentur. Athanasius neminem Frumentio aptiorem ad hoc esse intelligens, eum an. 326 episcopum consecravit et cum pluribus presbyteris in Æthiopiam remisit. Frumentius magna cum laetitia ab Æthiopibus receptus, tanto cum successu Evangelium praedicavit, ut rex Aizan et subditi passim Fidem susceperint, omnisque regio Ecclesiae Christi aggregata sit. Ipse autem coelestem coronam consecutus est [1].

Conversio Gothorum, qui inter Tanaim et Tibiscum ad littora septentrionalia Ponti Euxini et Danubii latissime erant diffusi, iam inde ab an. 260 repetenda est, quo irruptione in Asiam minorem facta, cum magna praeda etiam captivos secum abduxerant. Erant inter hos clerici, qui vitae severitate ac pietate, prodigiosis infirmorum sanationibus, multorum Gothorum animos Religioni christianae conciliarunt, et ecclesiam fundarunt. Haec iam an. 325 proprium habebat episcopum nomine Theophilum, ut in actorum concilii Nicaeni subscriptione legitur. Circa dimidium huius saeculi Christianorum numerus inter Gothos insigniter auctus est opera potissimum Ulphilae; qui inter eos natus et postea eorumdem episcopus ordinatus, non tantum muneris sui partes solerter explevit, sed etiam inventis propriis litterarum characteribus, ad linguae gothicae sonos accommodatis, utriusque Testamenti Scripturam in hanc linguam transtulit, atque ita legendi gnaros reddidit idoneos, ut se ipsos et audientes in divina salutis doctrina instituerent vel confirmarent [2].

Paulo serius, imperante iam Constantio, Constantini M. filio, illi Arabiae felicis incolae, qui Homeritae dicebantur, iidemque cum Sabaeis existimantur, ad Christum perducti sunt, quem tamen non recte cognoverunt, utpote ab Arianis instituti. Etenim Constantius imperator, iam Arianis addictus, ad regem Homeritarum legatos cum muneribus misit, qui peterent, ut in sua ditione ecclesias christianas extrui permitteret in usum tum Romanorum, mercaturae causa eo venientium, tum eorum, qui e subditis fidem christianam essent suscepturi. Rex legatorum petitioni assensit, Fidei praecones ab

---

[1] Euseb., *Vita Constant.* l. IV, c. 19; Sozomen, *Hist. eccl.* l. II, c. 8 et 15; Theodoret., l. I, c. 25; Le Quien, ibid.

[2] Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 20; Sozomen. l. II, c. 7; Theodoret. l. I, c. 24; Ruffin. l. I, c. 9.

[1] Socrat., *Hist.* lib. cit. c. 19; Sozomen. ibid. c. 24; Theodoret. ibid. c. 23; Ruffin. ibid.; Ludolf. *Historia Æthiopum*, l. III.

[2] Socrat. *Hist. eccl.* l. IV, c. 33; Sozom. l. II, c. 6; Theodoret. l. IV, c. 37; Philost, *Hist. eccl.* l. II, c. 5.

arianis missos suscepit, baptismum admisit, maximamque subditorum partem ad idem faciendum permovit [1].

14. *Ss. Marcus et Iulius, Pontifices* — S. Silvester Pp. exeunte anno 335 ad coelestem vitam evocatus est. Summum sacerdotium delatum est s. Marco, Romano, qui post 8 menses, an. 336, aeterna gloria donatus fuit. —Ab eo institutum, *ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur* [2], tradit *Liber Pontificalis.*— Huic successit Iulius, Romanus, quem causam Nicaenae fidei eiusque defensorum adversus arianorum conamina fortiter gessisse videbimus. Sedit usque ad an. 352.

15. *Constantini M. obitus* (*an.* 337) — Constantinus M. iam trigesimum primum imperii annum agebat, quum infirmari coepit: ad suburbana Nicomediae digressus, ab accitis episcopis regenerationis Sacramentum postulavit, contestatus, sibi semper fuisse in votis, ut in flumine Iordane baptizaretur, et ad illud usque tempus a voti executione fuisse praepeditum. Illic sollemni ritu baptizatus, dispertitoque tribus filiis imperio, e vivis excessit an. 337; relatis de hostibus imperii victoriis et egregiis in Ecclesiam meritis vere Magnus. Constantinum in fine vitae in suburbio Nicomediae fuisse baptizatum, Eusebius Caesareensis, aliique veteres testantur [3]. Acta vero s. Silvestri, in quibus Constantinus ab hoc Pontifice baptizatus, et a lepra mundatus legitur, a plerisque criticis habentur apocrypha [4]. Idem esto iudicium de donatione Constantiniana, qua hic Imperator Silvestro Pp. Romae totiusque Italiae et Occidentis dominium contulisset [5].

Post eius obitum tres filii imperium paternum ita partiti sunt, ut Constantinus Galliam, Britanniam et Hispaniam, Constans Italiam, Africam et Illyricum, Constantius Asiam et Ægyptum haberet. Patris pietatem imitati nihil intermiserunt quod ad augendam rem christianam conducere existimabant. Episcopos catholicos sub patre iniquis arianorum artibus relegatos, nominatim s. Athanasium, ecclesiis suis restituerunt. Constantinus, qui an. 340 in bello contra fratrem suum Constantem occubuit, et Constans, qui usque ad an. 350 imperavit, in catholica Fide constanter perseverarunt. Constantius vero ad arianos deflexit, iis impense favit, et Catholicos, praesertim post fratris sui Constantis mortem, graviter persecutus est.

16. *Instituta monastica*—Quantum porro hac aetate plurimorum Christianorum fuerit studium assequendi moralem perfectionem, satis ostendunt instituta monastica ab huius saeculi initiis et deinceps longe lateque propagata.

Multi quidem scriptores monasticae vitae initia ad haec ipsa tempora referunt. At, quum vita monachorum et monialium, quoad substantiam, conveniat cum ratione vivendi ascetarum et anachoretarum [1], scriptores non vulgares vitam monasticam ac religiosam ab ipsis Ecclesiae exordiis derivant. Certis praeterea documentis constat, ante quartum saeculum monachorum coetus et monialium coenobia exstitisse, saltem in Oriente [2]. Saeculo vero IV et sequenti monasticum institutum mire autem atque propagatum fuit.

In primis circa annum 305 multi ad s. Antonium in vetusto et deserto castello degentem, accurrerunt, eius ascesim imitari cupientes. Antonius illis vitam solitariam persuasit, effecitque ut etiam in montibus erigerentur monasteria, et eremus habitaretur a monachis, inquit s. Athanasius, qui hactenus passim prope habitata ab hominibus loca solitarie vivebant [3].

Quod s. Antonius in eremo Aegypti, id s. Hilarion in Palaestina effecit. Is quippe a s. Antonio asceticae seu monasticae vitae ratione institutus, et anno circiter 307 in Palaestinam, e qua erat oriundus, reversus, possessiones suas pauperibus distribuit, atque in deserto vitam admodum austeram duxit. Multi eius sanctitate et miraculis excitati, eius ascesim imitati sunt, plurimaque

---

[1] Philostorg. *Hist.* cit. l. III, c. 4 seq.

[2] Hac de re verba faciens Baronius, ad an. 336, § 63, inquit: *Primo hic mentio in rebus gestis Romanorum Pontificum habetur de Pallio, summi honoris et potestatis plenitudinis indice.*

[3] Euseb., *Vita Constantini M.* l. IV, c. 61-62; Socrat., *Hist. eccl.* l. I, c. 39; Sozomen. l. II, c. 34; Theodoret. l. I, c. 32; s. Hieron, *Chron.*; s. Ambros., *Orat. funebr. Theodos. M.*

[4] Natal. Alexand., *Hist. eccl.* diss. 23 *in saec.* IV; Sandini, *Disputat. hist* XII; Papebroch. *Acta SS.* t. V maii; Lambec., *Biblioth. Caesar.* t. V.—De auctoritate *Actorum s. Silvestri*, et de Baptismo imperatori Constantino Romae vel Nicomediae collato edisseruerunt Ephem. Neapol. *La Scienza e la Fede*, vol. XLIV, p. 259, et 263, ac vol. LXXVIII, p. 201 seqq. Ibi videre est, quae hinc inde afferuntur rationum momenta pro utraque sententia.

[5] I. A. Fabric., *Biblioth. graec.* I. V, c. 3, t. VI; Labbe, *Concil.* t. I, p. 1534; I. L. Berti, *Dissert. hist. eccl.* t. III, diss. I, c. 14.

[1] Vid. p. 24 et 78.

[2] Cf F. A. Mondelli, *Diss. sopra le sagre vergini*, apud Zaccar. *Raccolta di Diss.* t. IV, p. 265; A. I. Binterim, *Epist. cathol. de probat. theol.* p. 194, *Denkwurdigkeiten*, B. 1, T. 2, K. 9.

[3] S. Athanas., *Vita s. Antonii.*

in desertis Palaestinae monasteria fuerunt constructa [1].

S. Pachomius in Thebaide natus circa annum 292, quum desertis ritibus ethnicis atque militia, christianam fidem et vitam asceticam susceperat, in insula Tabenna discipulos multos congregavit et in contubernia distribuit; iis regulam praescripsit; oeconomos et praefectos horumque secundos designavit, qui spiritalem et corporalem fratrum curam, sub uno omnium praeposito, gererent; deinde eamdem disciplinam ad sex alias mansiones extendit tanto cum successu, ut ante obitum suum, qui contigit anno 348, tria monachorum millia viderit sub suo moderamine constituta [2]. A S. Pachomio in Aegypto monachorum forma magno plausu ordinata, propter innumeras suas utilitates, inter monachos recepta fuit, et labente tempore tam in Oriente quam in Occidente passim ab omnibus frequentata.

In montibus Nitriensibus et adiacente deserto Scetico monasticum institutum insigniter propagavit s. Ammon, e nobili Ægypti familia natus circa annum 286 [3]. Alii deinceps in aliis regionibus monasticam vitam aut introduxerunt aut propagaverunt.

Depromovendo etiam instituto monastico insigniter meruerunt celeberrimi Ecclesiae doctores, qui, non minus sanctitatis quam eruditionis laude florentes, vitam monasticam tamquam perfectionis christianae apicem summis laudibus celebrabant, alios ad eam suscipiendam hortabantur, ipse vel in eremo, vel ad episcopatum evecti, in civitatibus vitam admodum austeram, monasticae similem, vivebant, summique monachorum patroni et fautores erant. Tales fuerunt s. Athanasius, s. Basilius, qui etiam regulas conscripsit pro monachis, quas hi in Oriente passim susceperunt, unde etiam postea Basiliani appellati sunt, s. Gregorius Nazianzenus, s. Ephrem Syrus, s. Ioannes Chrysostomus.

Quum anno 340 nonnulli monachi cum s. Athanasio venissent Romam, eorum vivendi disciplina Romanis ita placuit, ut mox plures illam susceperint, et tum Romae tum in locis vicinis et deinde in reliqua Italia monasteria constructa sint.

Monasticum institutum in Italia plurimum promoverunt s. Eusebius episcopus Vercellensis, s. Ambrosius Mediolanensis, et s. Hieronymus, qui nobilissimas matronas Romanas, Marcellam, Fabiolam, Paulam eiusque filiam Eustochium ad suscipiendam vitam monasticam perduxit. Idem institutum in Africa promovit s. Augustinus, qui illud inter clericos in tantum introduxit, ut eos ad commune habitaculum, communem mensam et communia pietatis exercitia in sua domo sub sua directione collegerit. In Gallia monasticum institutum propagarunt auxeruntque s. Martinus episcopus Turonensis, Ioannes Cassianus, qui pro utroque sexu monasteria extruxit in vicinia Massiliae, s. Honoratus episcopus Arelatensis, fundator celebris monasterii Lirinensis, s. Romanus, auctor monasteriorum in monte Iura.

Virorum monasteriis aetate aequalia sunt monasteria virginum seu sanctimonialium. Iam a primis Ecclesiae temporibus plures fuisse virgines et viduas, quae maioris perfectionis studio castimoniae, pietatis et poenitentiae exercitiis vacabant, seque totas Christo virgini devovebant, Patrum scripta testantur. Illae primitus in suis parentumve aedibus degebant; coram episcopo castitatem profitebantur; ex eius manu specialem habitum recipiebant, et clericorum more ecclesiarum matriculis inscribebantur, unde *ecclesiasticae*, et *canonicae*, sicuti ab exercitiis *ascetriae*, dictae sunt [1]. Nonnullas ex eis iam ante saeculum IV ad monachorum exemplum in societatem ad vitam asceticam coivisse, constat ex *Actis* s. Bonifacii martyris [2], et s. Febroniae [3]. Harum exempla aliae secutae sunt, earumque numerus brevi ita auctus est, ut exeunte saeculo IV in Oriente et Occidente plura essent sanctimonialium millia [4].

17. *Donatistarum fata*—Postquam Constantinus M. pervicaces Donatistas divinae vindictae reliquisset [5], hi se latissime per Africam propagarunt, et mala gravissima Catholicis intulerunt. Erat inter eos genus hominum summopere fanaticorum, qui origine rustici, desertis laboribus suis, rure circum tuguria aut cellas reliquorum rusticorum catervatim vagabantur, ideoque *circumcelliones* dicebantur. Hi Catholicorum praesertim clericorum domos diripiebant, iis verbera, vulnera et necem infligebant, et insa-

[1] S. Hieron., *Vita S. Hilarionis.*
[2] Bolland., *Acta SS.* 14 maii.
[3] Tillemont, *Mémoires*, t. IV, p. 153, edit. Paris. 1706.

[1] Cf p. 24.
[2] Ruinart, *Acta Mart.*, p. 291, ed. Amstel.
[3] Bolland., *Acta SS.* 25 iun.
[4] Cassian., *De coenobior. institutis*; Pallad., *Historia Lausiaca*; Theodoret., *Historia religiosa*; Martene, *De antiquis monachorum ritibus*; Holsten., *Codex regularum monasticarum*; Helyot, *Histoire des Ordres religieux.*
[5] Vid. p. 83.

no quodam atque inaudito martyrii desiderio excitati, aut ipsi sibi violentas manus inferebant aut alios, violentias eis inferendo vel minitando, ad se enecandos adigebant. Constans, Constantini M. filius, cui post patris obitum Africa obtigerat, a Grato episcopo Carthaginensi contra Donatistarum violentias interpellatus, clarissimos viros Paulum et Macarium in Africam misit, qui pecunia et beneficiis dissidentes ad pacem et concordiam cum Catholicis allicerent. Verum Donatistarum duces, praesertim Donatus pseudo-episcopus Carthaginensis, omnia concordiae consilia reiecerunt, turbas excitarunt, armatosque circumcelliones legatis caesareis opponere ausi sunt. At vero circumcelliones ab exercitu caesareo fugati, magnaque strage affecti sunt, rebellium duces capite plexi, Donatistarum episcopi relegati, eorum ecclesiae Catholicis traditae, omniaque religionis exercitia iis adempta fuerint. Hoc in statu Donatistarum res permanserunt sub Constante et Constantio usque ad imperium Iuliani apostatae,qui an. 361 Costantino successit [1].

Interea Gratus episcopus Carthaginensis an. 348 synodum episcoporum coëgit, in qua ad restituendam disciplinam ecclesiasticam editi sunt 14 canones [2].

18. *Arianismi status post Constantinum M.* — Supra perpendimus Arianismi statum usque ad mortem Constantini M. [3]. Mox sectarii omnia tentarunt, ut Constantium imperatorem Orientis in partes suas pertraherent. Primo quidem eius aulicis, deinde ei ipsi persuaserunt, propter solum vocabulum ὁμοούσιος a Scriptura sancta alienum, Christianos adeo dissentire. Conciliato sibi imperatore, Catholicis praevalere et praecipuas sedes episcopales viris suae factionis comparare nisi sunt. In primis D. Paulum episcopum Cpnum apud imperatorem accusarunt, quod praeter eius et Theodori metropolitae Heracleensis consensum fuisset ordinatus, et propter pravam vitam episcopatus honore esset indignus. Quibus factis anno 339 Paulum deposuerunt, et in eius locum intruserunt Eusebium Nicomediensem, Arianorum caput, a quo hi Eusebiani etiam dicebantur. At continuo odio potissime prosequebantur s. Athanasium patriarcham Alexandrinum, invictissimum Nicaenae fidei propugnatorem. Quam fidem, stante illa columna, vix obrui posse censentes, iterum Athanasio varia crimina, quibus Constantio invisus redderetur, affinxerunt, nimirum quod eius ad ecclesiam Alexandrinam reditus magni moeroris graviumque turbarum in urbe causa fuisset; quod reditus et frumenta, a Constantino M. clericis et viduis destinata, in proprios usus converteret; quodque a synodo (conciliabulo Tyriensi) depositus, sine novo episcoporum iudicio ad sedem suam rediisset. Accusationum capita ad ipsum Iulium Romanum pontificem per legatos detulerunt, postulantes, ut Athanasii causam in synodo iudicaret. Episcopi vero Ægypti et Lybiae, eodem an. 339 magno numero Alexandriae congregati, Athanasium ab affictis ei criminibus alienum declararunt, litterasque innocentiae eius testes ad Iulium Pp. miserunt. Pontifex auditis utriusque partis legatis, an. 340 Romae synodum indixit, ad quam ambas partes evocavit. Paruit Athanasius, Romamque ad dicendam causam suam profectus est. Eusebiani vero, desperantes, se Romae finem suum consecuturos, variis quaesitis praetextibus ad synodum, quam ipsi postularant, venire detrectarunt.

Anno 341 episcopi circiter 90 Constantii imperatoris iussu convenerunt Antiochiam ad sollemnem dedicationem augustissimi templi, a Constantino M. coepti et Constantii curis absoluti. Peracta dedicatione synodum ibidem celebrarunt. Ex his episcopis 36, secundum alios 40, erant ariani, qui cum se Arii sectatores palam negarent, et sinceros fidei et morum vindices se profiterentur, mirum non est, episcopos catholicos cum iis in sacris encaeniorum sollemnitatibus communicasse atque in synodum coiisse. Extant sub huius synodi nomine 25 canones, in quibus multa, disciplinae ecclesiasticae utilissima, statuuntur, quosque Chalcedonensis concilii patres [1], Zacharias Pp.[2] et Leo IV [3] commendarunt. Verum eruditi critici existimant, eos canones non in hac sed in alia synodo Antiochena, anno circiter 332 habita, fuisse conditos; atque praesentem synodum non Catholicorum concilium sed Arianorum conciliabulum, tum propter depositum in ea Athanasium, tum propter editas Fidei formulas, appellant [4]. Clarissimus Pagi rem conciliare conatur asserendo, syno-

---

[1] Card. Noris, *Historia Donatistarum*; H. Valesius, *Dissertat. de schismate Donatist.*

[2] Labbe, *Concil.* t. II, p. 714.

[3] Vid. p. 88.

---

[1] *Act.* IV.

[2] *Epist*, *ad Pipin.*

[3] *Synod. Roman.*

[4] Tillemont, *Annot.* 26 ad *Hist. Arian.*; FF. Ballerini, *Append.* ad *Opera s. Leonis M.* t. III.

dum Antiochenam fuisse bene inceptam, sed male absolutam; in eius primordiis canones illos summa consensione esse conditos, deinde alia a solis arianis tentata [1]. Enimvero 90 episcopis, qui Antiochiae convenerant, tantum 36 episcoporum suffragiis Gregorium Cappadocem in locum D. Athanasii fuisse intrusum, scribit Iulius Pp. in sua ad episcopos orientales epistola [2]. Reipsa in hac synodo Eusebiani, imperatoris auxilio freti, Athanasii causam in medium proferentes, eum iterum deposuerunt, et in eiusdem locum ordinarunt Gregorium Cappadocem. Deinde paucorum mensium spatio quatuor Fidei formulas, aliam ex alia, ediderunt; quae formulae quamvis haeresim arianam non exprimerent, eam tamen non excludebant. Filium quidem e Patre genitum, ante omnia saecula existentem, Deum de Deo Verbum dicebant, sed vocem ὁμοούσιος, seu *consubstantialis*, reticebant; unde quamvis catholico sensu explicari possent, aliud tamen significabant secundum mentem suorum auctorum. Porro haec ipsa arianorum in condendis et mutandis Fidei formulis mobilitas eos erroris et perfidiae arguit.

Quum iam 18 mensibus Athanasius accusatorum suorum Romam adventum expectasset, Iulius Pp. anno 342 synodum Romae cum 50 episcopis habuit. In ea Athanasii, atque Marcelli Ancyrani, Asclepae Gazensis et Lucii Hadrianopolitani, qui et ipsi contra arianorum sententias ad Apostolicam Sedem confugerant, causae discussae sunt, omnesque praedicti praesules in communione Ecclesiae suisque sedibus, quibus ab arianis eiecti fuerant, synodi sententia retenti sunt. Quo facto Pontifex ad 7 primarios arianae factionis episcopos eorumque fautores epistolam scripsit, in qua eos increpuit, quod Nicaenam fidem clanculum innovarent, quod vocati ad Romanam synodum venire noluerint, quod contra ius Athanasium aliosque primarium sedium antistites deposuerint, quorum, etiam si rei deprehensi fuissent, causae secundum ecclesiasticum canonem et morem eis notum ad Apostolicam Sedem erant deferendae [3].

Ariani spretis R. Pontificis monitis atque sententiis, in male coeptis perrexerunt. Eusebio Nicomediensi, qui pulso Paulo sedem Cp. invaserat, anno 342 ad divinum iudicium evocato, Cp. populus Paulum repetiit. Ariani vero in Eusebii locum ordinarunt Macedonium, virum e sua factione, quem Constantius, resistente populo, per milites in ecclesiam introduci iussit; unde tantus exortus est tumultus, ut ultra 3,000 hominum fuerint trucidata. Item imperator Gregorium Cappadocem, iam in locum D. Athanasii electum, Alexandrinis et caeteris Ægyptiis inter multas violentias caedesque obtrusit; et vix credi potest, quanta immanitate Gregorius in clericos, virgines aliosque, secum communicare nolentes, saevierit. Interea s. Athanasius Romae exulabat [1].

Tunc Episcopi ariani, imperatoris patrocinio audaciores, omnia tentarunt, ut orthodoxos praesules perducerent ad supprimendam vocem ὁμοούσιος, *consubstantialis*, et ad supprimendam cum ea fidem Nicaenam. In hunc finem an. 344 rursum convenientes Antiochiam, aliam fidei formulam, caeteris prolixiorem, ediderunt. Deinde Eudoxium, Martyrium et Macedonium in Occidentem legarunt, qui episcopos Occidentales ad eamdem formulam probandam adducerent. Verum in hac formula Arianae haereseos venenum, quamvis sub verbis aequivocis latens, facile detegebatur. Dicebatur quidem in ea Filius similis Patri, at vox substantia et essentia reticebatur. Quapropter episcopi Occidentales, an. 345 Mediolani congregati, istam formulam reiecerunt [2].

19. *Christianismi status in Perside* — In Perside ampla Evangelii propagatio sacerdotum ethnicorum, qui *magi* vocabantur, et Iudaeorum, nativorum christiani nominis inimicorum, invidiam excitavit. Isti, exorto Persas inter et Romanos bello, Christianos apud Saporem regem falso accusarunt, quod Romanis, sibi religione iunctis, faverent, et in regni detrimentum cum eis clam communicarent. Rex iratus, anno 343 omnes subditos christianos primo gravissimis tributis oppressit, ut facultatum suarum penuria et exactorum saevitia obtriti, Religionem desererent. Quum hac ratione nil proficeret, Christianorum clericos inquiri et gladio occidi, ecclesias funditus everti, earumque vasa et instrumenta ad fisci usum converti iussit. Vi huius mandati Simeon, metropolita Seleuciae et Ctesiphontis, post constantem Fidei confessionem capite plexus est. Cum eo occisi sunt alii 100, episcopi, presbyteri et diversorum ordinum clerici. Anno sequente persecutio extensa fuit ad laicos

[1] *Critica* ad an. 341.
[2] Ss. Athanas. et Hilar. *LL de Synodis*; Labbe, *Concil.* t. II, p. 494.
[3] Labbe, loc. cit.

[1] Socrat., *Hist. eccl* l. II; Sozomen., l. III.
[2] Labbe, t. II, p. 607-614.

per generale edictum, quo rex praecipiebat, ut omnes, qui se Christianos profiterentur, mortis supplicio afficerentur. Cum autem magi per singulas urbes et vicos studiose Christianos inquirerent, pluresque ex his se ultro manifestarent, ne Religionem dissimulare viderentur, ingens Christianorum numerus gladio occisus est[1]. Duravit haec persecutio prope viginti annis. Ita, quemadmodum in Romano imperio factum vidimus, apud alias etiam gentes religionis christianae propagatio persecutiones experta est.

20. *Concilium Sardicense* (*an.* 347) — Quum episcopi arianae factioni devoti, turbas et dissensiones augerent, atque s. Athanasium et alios, quamvis sententia Iulii Pp. restitutos et absolutos, in sedes suas recipere detrectarent, inter Iulium Pp. et utrumque imperatorem, Constantem et Constantium, convenit de cogendo Sardicae in Illyrico generali concilio, ut sollemni totius Ecclesiae iudicio turbae atque dissidia componerentur. Concilium ex utroque orbe christiano, Orientali et Occidentali, convocatum, anno 347 celebratum est. Convenerunt secundum Theodoretum episcopi 250, secundum Socratem 300, secundum Sozomenum 300 ex Occidente et 76 ex Oriente [2]. Praesederunt vice Iulii Pp. Osius, episcopus Cordubensis, Archidamus et Philoxenus R. E. presbyteri. Episcopi ex ariana factione numero fere 80, causae suae diffidentes, ab ipso concilii initio tergiversari coeperunt. Deinde facto divortio et relicta clam Sardica, transierunt Philippopolim urbem Thraciae. Verumtamen caeteri episcopi de causis, propter quas convocati fuerant, contulerunt: Athanasium Alexandrinum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem aliosque ab Arianis iniuste depositos, sedibus suis restituerunt; Ursacium vero Singiduni, Valentem Mursiae, Georgium Laodiceae, Menophantum Ephesi, Basilium Ancyrae, Gregorium Alexandriae, Acacium Caesareae, Narcissum Neroniadis et Theodorum Heracleae, arianae factionis principes, deposuerunt.

Posthaec congregati praesules pro instauranda disciplina condiderunt 20, secundum alios 21, canones. Canone 1⁰ et 2⁰ damnantur migrationes episcoporum ab ecclesia minori ad maiorem avaritiae aut ambitionis causa; 3⁰ 4⁰, et 7⁰ ius accipiendarum appellationum a quovis episcoporum iudicio confirmatur Romano Pontifici; 5⁰ statuitur, ut episcopus ordinetur a vicinae provinciae episcopis, si episcopus provinciae eum ordinare et populi desiderio satisfacere neglexerit; 6⁰ prohibetur, ne pro vico aut modica civitate ordinetur episcopus; 8⁰ et sequentibus perstringuntur episcopi, frequentius et citra legitimam causam ad imperatoris aulam properantes, uti Ariani faciebant; 14⁰ et 15⁰ prohibetur, ne episcopus ultra tres hebdomades a sua ecclesia absit; 17⁰ presbyteris et clericis minoribus, qui se iniuste ab episcopo suo damnatos esse quererentur, datur potestas interpellandi episcopos finitimos; 18⁰ et 19⁰ vetatur, ne alieni clerici sollicitentur aut ordinentur absque proprii eorum episcopi consensu; 20⁰ presbyteris et diaconis in alienis regionibus et ecclesiis morari inhibetur ultra tempus pro episcopis supra definitum[1].

His factis, patres Sardicenses epistolam scripserunt ad Iulium Pp. qua eum de cunctis concilii actis certiorem reddiderunt. « Hoc enim, inquiunt, optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes ». Rogabant dein Pontificem, ut episcopis Siciliae, Italiae et aliis, qui concilio non interfuerant, praescriberet, ne eorum, qui a concilio fuerant damnati et depositi, communicatorias litteras acciperent. Alteram epistolam scripserunt ad clerum et populum ecclesiae Alexandrinae, ut Gregorii et aliorum arianorum consortium vitantes, in communione cum Athanasio et orthodoxis perseverarent. Tertiam denique eiusdem fere argumenti epistolam scripserunt ad omnes episcopos [2].

Contendit Petrus de Marca, concilium Sardicense convocatione quidem, non vero celebratione et exitu, fuisse oecumenicum seu generale [3]. Verum illud omni ex parte oecumenicum esse, extra controversiam est. E veterum enim testimoniis constat, auctoritate R. Pontificis episcopos ex omni orbe christiano fuisse convocatos et convenisse, qui una cum legatis R. Pontificis decreta condiderunt, et generale Ecclesiae concilium constituerunt. Praeterea illius canones ab universa Ecclesia, graeca ac latina, recepti sunt. Nec obstat, episcopos circiter 80 ab eo

[1] Sozomen., *Hist. eccl.* l. II, c. 9-14; s. Hieron., *Chronicon*; P. A. Assemani, Praefat. ad *Acta Mart.*; Bolland., *Acta SS.* 20 febr.

[2] Socrat., *Hist. eccl.* l. II, c. 20; Sozomen. l. III, c. 12; Theodoret. l. II, c. 7.

[1] Labbe, *Concil.* t. II, p. 627; C. Lupus, *Decret. et canon. synod.* part. I.

[2] Labbe, loc. cit. p. 660.

[3] *De concordia sacerdotii et imperii*, l. VII, c. 3.

discessisse; ii quippe aut ariani aut arianis partibus dediti erant. Insuper una cum Occidentalibus in concilio permanserunt episcopi e Thracia, Palaestina, Arabia, Ægypto, aliunde, ut probat inscriptio epistolae synodicae ad ecclesiam Alexandrinam. Ideo autem Sardicense concilium inter oecumenica proprio nomine appellatum non est, quod nullam peculiarem haeresim damnavit, quodque cum totum fuerit in Arii fautoribus perstringendis, veluti appendix Nicaeni concilii habitum fuit [1].

Idem Petrus de Marca male interpretatus est canones huius concilii de appellationibus, contendens, 1° his canonibus R. Pontifici tantum fuisse assertum ius concedendi causae revisionem seu retractationem, non vero potestatem iudicii; 2° istos canones introduxisse ius novum; 3° usum appellationum episcopalium tardius invaluisse, in ecclesia Orientali ad tempora concilii Trullani, in Occidentali ad saec. VIII [2]. Simili fere modo Sardicenses canones exposuerunt L. E. Dupin [3], Quesnell [4], I. Febronius [5]. At ius appellationum non per canones conciliorum institutum fuit, sed ex ipsa primatus institutione est RR. Pontificum proprium, estque appendix primatus, D. Petro eiusque successoribus a Christo collati. Ex ipsis canonibus Sardicensibus patet, per eos non tantum ius concedendi causae retractionem, sed iudicandi appellationes R. Pontifici confirmari. Facta plurima comprobant, frequentem fuisse appellationum usum in utraque Ecclesia iam ante concilium Trullanum et saec. VIII [6].

21. *Synodi Philippopolensis et Mediolanensis* — Eusebiani, qui clam discesserant Sardica, convenerunt Philippopolim. Illic rursum Athanasium Alexandrinum, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem et Paulum Cpnum proscripserunt, atque Osium Cordubensem et alios praecipuos Athanasii patronos, ipsumque Iulium Pp. excommunicarunt [7]. Haec constant ex epistola, quam e pseudosynodo Philippopolensi, ab ipsis, ut fucum aliis facerent, Sardicensis concilii nomine exornata, scripserunt [1].

Multi vero episcopi, qui Sardicensi concilio interfuerant, eo soluto, cum Apostolicae Sedis legatis profecti sunt Mediolanum, tum ut doctrinam Photini, episcopi Sirmiensis excuterent, tum ut cum Constante imperatore agerent pro restituendis episcopis, ab Arianis in imperio Constantii eiectis. Illic Photinus propter instauratam Sabellii et Pauli Samosateni haeresim damnatus est; Ursacius Singiduni et Valens Mursiae episcopi, in concilio Sardicensi a communione suspensi, postquam eorum omnium, quae contra Nicaenum concilium et Athanasium egerant, veniam postulassent, et Ario eiusque sectariis anathema dixissent, in gratiam recepti sunt. Praeterea missa fuit legatio in Orientem ad Constantium, ut relegatis praesulibus ad ecclesias suas reverti concederet [2].

Legati vero Antiochiae, ubi degebat imperator, multis iniuriis ab arianis affecti sunt. Verumtamen Constantius, fratris sui minas metuens, maxime quod assiduo cum rege Persarum bello esset implicitus, meliora sapere visus est; s. Athanasium, cuius adversarius Gregorius Cappadox obierat, perhonorificis litteris ex Occidente evocavit et ad Alexandrinam ecclesiam remisit; omnes clericos, communionis cum Athanasio causa exules, revocavit, vetuitque, ne quis, quod cum Athanasio communicabat, vexaretur. Athanasius inenarrabili cum laetitia ab Alexandrinis exceptus est. Eodem tempore D. Paulus ad ecclesiam Cpnam, Marcellus ad Ancyranam, Asclepas ad Gazensem redierunt [3]. Sed brevi post, extincto Constante imperatore, omnia in peius mutata sunt.

22. *Ecclesiae status sub Constantio* (*an.* 350) — Anno 350 Constans, imperator Occidentis, a Magnentio legionum praefecto occisus est. Tunc idem Magnentius et Vetranio, magister militum, imperium arripuere. At hic armis victus, ad privatum otium re-

---

[1] Cf Natal. Alex., *Hist. eccl* saec. IV, diss. 26; Card. Noris, *Hist. Pelagian.* l. I, c. 17; FF. Ballerini, *De antiq. collect. Canon.* p. I, c. 7.

[2] Lib. cit. — [3] *De antiq. Eccl. discipl.* diss. II.

[4] Diss. V, in edit. *Oper.* s. Leonis.

[5] *De praesenti statu Ecclesiae liber singularis*, c. 6, § 6.

[6] Cf Natal. Alex., l. c. diss. 28; Ballerini, Annot. in *Diss.* V *Quesnelli*, *Opera* s. Leonis; F. A. Zaccaria, *Anti-Febronius*, l. III, p. 2, c. 3; Marchetti, *L'autorità suprema del Romano Pontefice dimostrata da un solo fatto*, Rom. 1789; I. B. Palma, *Praelect. histor. ecclesiast.* t. I, p. II, c. 10.

[7] Hac de re loquens Baronius, ad an. 347, n. 65, scribit, quod in hoc conventu *primum furor haereticae pravitatis terminos omnes praesumptae ab aliis temeritatis excessit. Ausa enim est Ariana procacia illud nefas, quod vel attingere quaelibet execranda haeresis hactenus sibi inconcessum putavit, ausa est in Iulium Papam aeque ac alios catholicae communionis Episcopos sententiam excommunicationis inferre.*

[1] Labbe, t. II, p. 698; Baron., ad an. 347.

[2] S. Athan., *Epist. ad solitar.*; s. Hilar. in *Fragm.*; Theodoret., *Hist. eccl.* l. II, c. 8; Labbe, loc. cit. p. 721 et 729.

[3] S. Athan. in *Apolog.* et *Epist. ad solitar.*; Socrat. l. II, c. 22-24.

dactus est; ille etiam profligatus, sibi mortem conscivit. Constantius autem totam imperii summam in Occidente ac in Oriente solus accepit.

Tunc Arianis spes crevit, maiorique audaçia Nicaenam fidem impugnarunt et orthodoxos praesules insectati sunt, Constantio imperatore iis in omnibus impense favente. Synodi plures coactae sunt, in quibus, catholica doctrina de consubstantialitate Verbi negata, illius defensores damnati fuerunt; orthodoxi praesules ipseque R. Pontifex Liberius depositi, variae et fallaces fidei formulae conscriptae, quibus incauti deciperentur, Nicaena fides abrogaretur, et ariana haeresis stabiliretur.

23. *Arianorum factiones* — In maximo hoc Ecclesiae discrimine opportune accidit, ut inter ipsos arianos orirentur contentiones, et ex his diversae factiones, quae progressu temporis sibi invicem exitium intulerunt. Praecipuae arianorum factiones hae tres fuerunt: Anomaeorum, qui Filium Patri dissimilem, ἀνόμοιον, esse contendebant. Huius factionis antesignanus fuit Aëtius, quem Eunomius, Euzoius aliique secuti sunt. Semiarianorum, qui Filium Patri in omnibus etiam natura similem, ὁμοιούσιον, non tamen consubstantialem profitebantur. Inter hos celebres erant Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Eustathius Sebastenus. Acacianorum, qui sic dicti ab Acacio Caesareae in Palaestina episcopo, eorum auctore, Filium Patri simpliciter similem, ὅμοιον, praedicabant, quo modo effigies est similis prototypo suo[1].

Anomaeos et Acacianos fuisse plane haereticos, nemo catholicorum dubitat. Semiarianos vero, qui Filium Patri in omnibus etiam natura similem, ὁμοιούσιον, dicebant, et solum vocabulum ὁμοούσιον supprimendum volebant, multi praesertim recentiores scriptores ab haeresi absolvunt[2].

24. *Sirmienses formulae* — E Semiarianorum factione erant episcopi, qui a Constantio imperatore ex Oriente Sirmium contra Photinum, qui iam damnatus, novos iudices ab imperatore petierat, evocati, illic anno 351 synodum celebrarunt; Photinum episcopatu Sirmiensi deposuerunt; fideique formulam, quae est Sirmiensis prima, cum 25 anathematismis ediderunt. Hanc formulam D. Hilarius exponit ceu catholicam; contra, s. Athanasius eam perinde ac reliquas ab arianis exaratas, condemnat et reiicit. Quamvis enim ista formula, si in se spectabatur, non esset haeretica, nec aliquid catholicae doctrinae de Verbi divinitate repugnans enuntiaret, tamen arianam haeresim non excludebat, et vox *consubstantialis*, quae catholicae professionis tessera erat, in ea desiderabatur[1].

Anno vero 357 altera fidei formula edita est apud Sirmium, quae est Sirmiensis secunda. Haec erat plane ariana, nam voces *consubstantialis* et *similis substantia* in ea proscribebantur tanquam a Scriptura S. alienae; Pater Filio et honore et dignitate et deitate maior, Filiusque Patri, cum omnibus quae illi Pater subiecit, subiectus dicebatur[2]. Unde haec formula in ipsis arianorum castris dissidiorum seminarium fuit. Eudoxius, qui, defuncto Leontio, Antiochenam sedem invasit, an. 358 collecto Arianorum rigidorum conciliabulo, eam confirmavit, omnesque illi refragantes Antiochena ecclesia repulit[3]. Contra, Basilius Ancyranus aliique Semiariani, eodem anno convenientes Ancyram, illam proscripserunt, Filiumque Patri substantia similem dixerunt[4].

Ut inter utramque partem transigeretur, pauci episcopi, qui erant in comitatu imperatoris, an. 359 Sirmii quasi mediam formulam ediderunt, quae est Sirmiensis tertia. Haec vocabulum *substantiae*, quod in Scripturis non esset positum et populo scandalum pareret, interdicebat, Filiumque Patri per omnia similem praedicabat. « Vocabulum porro substantiae, inquit, quia simplicius a Patribus positum est, et a populis ignoratur, et scandalum affert, eo quod in Scripturis non contineatur, placuit ut de medio tolleretur, et nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod ss. Scripturae nusquam meminere substantiae Patris et Filii. Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum ss. Literae dicunt et docent[5] ».

Tanta porro arianorum in immutandis fidei formulis levitas ipsa per se eorum causae iniustitiam et doctrinae falsitatem prodit, confirmatque communem novatorum ab Ecclesia dissidentium morem, ut legitima, quam sequantur, auctoritate relicta, inter se scindantur et in novos errores impingant.

25. *Persecutio ariana*—Quamvis autem

[1] Natal. Alex., *Hist. Eccl.* saec. IV, c. 3, a. 3.

[2] Cf Nat. Alex., *Hist. Eccl.* diss. XV in saec. IV; Petav. *De Trinit.* l. I, c. 9; Tournel., *De Trinit.* q. edit.

[1] Ss. Athan. et Hilar., *LL. de Synod.*; Socrat. l. II, c. 29-30.

[2] Ss. Athan. et Hilar., Socrat., ibid.; Sozomen., l. IV, cap. 6.

[3] Sozomen. ibid. c. 12.

[4] S. Hilar., *L. de Synod.*

[5] S. Athan., ibid.

in condendis doctrinae formulis discordes essent ariani, omnes tamen Nicaenam fidem eiusque defensores oderant. Hinc protegente eos Constantio imperatore maiori furore persequebantur orthodoxos praesules, praesertim eos, qui prae aliis Nicaeni concilii definitionem defendebant et illorum perfidiam manifestam reddebant. In primis arianum furorem expertus est D. Paulus Cp., quem Constantius imperator, subrogato in eius locum Macedonio, in exilium eiecit, in quo sanctus praesul ab arianis strangulatus, martyr pro Fidei defensione occubuit [1]. Tunc supra omnem modum desaevierunt in Athanasium Alexandrinum. Novis adversus sanctum patriarcham prolatis calumniis, eum apud Constantium accusarunt, quod imperatori apud Constantem fratrem fuisset oblocutus, deinde Magnentio imperii hosti favisset. Constantius ab iis excitatus, episcopos tum in Occidente tum in Oriente ad condemnandum Athanasium et abiiciendam fidem de consubstantialitate Verbi compellere coepit quovis modo, vi, fraude, exilio, ut videbimus.

26. *Liberius Pontifex* (*an.* 352) — Summum Ecclesiae pontificatum tunc gerebat Liberius, qui an. 352 defuncto s. Iulio suffectus est [2]. Is ab initio pontificatus sui ab arianis ad condemnandum Athanasium tentatus, eorum consiliis restitit. Ad cognoscendam vero illius et eius adversariorum causam concilium indixit, quod an. 353 Arelate, ubi tunc agebat Constantius, habitum est. Sed tanta in hoc conventu fuit imperatoris et arianorum episcoporum fraus tantaque vis, ut Vincentius Capuanus, Liberii legatus, minis perterritus, cum aliis Athanasii damnationi subscripserit; et s. Paulinus Trevirensis, qui Athanasii innocentiam fortiter propugnarat, in Phrygiam relegatus fuerit [3]. Idem fuit exitus concilii Mediolanensis, quod, postulante Liberio Pp., de eadem causa anno 355 habitum est. In eo pariter nulla fuit episcopis libertas, tantaque Constantii tyrannis, ut in causa Athanasii voluntatem suam pro canone habendam esse, episcopis reponeret, et qui pravis eius in Athanasium consiliis subscribere nolebant, mox in exilium pellerentur, inter quos fuerunt Lucifer Calaritanus, Pancratius R. E. presbyter, Hilarius diaconus, Eusebius Vercellensis, Liberii legati, atque Dionysius Mediolanensis [1].

Liberius Pp., infausto utriusque concilii exitu audito, multum ingemuit; exules confessores encyclicis litteris consolatus et de constantia gratulatus est, seque eorum precibus commendavit. « Ut supervenientes impetus, inquit, qui de die in diem, cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus, ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiae catholicae, praemia nobis Dominus dignetur afferre [2] ».

27. *Liberii exilium* — Reipsa Constantius imperator, ab arianis incitatus, turbas in Ecclesia magis magisque auxit; per omnes provincias mandata dedit, quibus episcopi contra Athanasium subscribere et cum arianis communicare vel exilii poenas subire cogebantur. At generosi Fidei athletae nec caesaris minas verebantur, neque ob strictos enses veritatem prodiderunt, quidvis potius pati, quam suo deesse officio parati [3].

In primis singularis constantiae specimina dedit Liberius Pp. Eum Constantius primo per Eusebium eunuchum muneribus minisque ad condemnandum Athanasium et ad communicandum cum Arianis flectere tentavit; deinde Mediolanum ad se pertrahi iussit. Sed Liberius coram imperatore eadem, qua Romae coram Eusebio, dicendi libertate usus, ad Constantium dixit: « Desine persequi Christianos... Ad omnia potius sustinenda parati sumus, quam nos christiani eo deveniamus, ut ariani appellemur ». Imperatori exilium minitanti, respondit: « Leges ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quam Romae domicilium habere [4] ». Tunc Constantinus Pontificem, quem nullis modis flectere poterat, Beraeam Thraciae relegavit an. 355.

28. *S. Hilarius, Osius*, *s. Athanasius*— Inter alios quoque exilii poenas pro Fidei defensione subierunt D. Hilarius episcopus Pictaviensis, egregius Nicaenae fidei propugnator et arianae perfidiae debellator; Rhodanus episcopus Tolosanus, et Osius Cordubensis. Osium toto orbe christiano celebrem, Constantius omni modo ad condemnandum Athanasium et communicandum cum aria-

---

[1] S. Athan., *Epist. ad solitar.*

[2] Baron. et Pagi, ad an. 352. Extant etiamnum duae epistolae s. Iulii Pp., una ad Orientales, altera ad Alexandrinos; Migne, *Patrol. latin.* t. VIII.

[3] Liber., *Epist. ad Constant*; s. Athan., *Apolog.* I; s. Hilar. in *Fragment.*

[1] S. Athan., *Epist. ad solitar.*; Socrat., *Hist. eccl.* l. II, c. 36; Sozomen., l. IV, c. 9; Theodoret., l. II, c. 15.

[2] Liber. *Epist.* IV.

[3] S. Athan., *Apolog.* II, et *Epist. ad solitar.*

[4] S. Athanas., *Epist. ad solitar.* Extat dialogus Liberii cum Constantio apud Theodoret., *Hist. eccl.* l. II, c. 16; Labbe, *Concil.* t. II, p. 775.

nis tentavit; cumque nihil proficeret, exilii vice Sirmii captivum detineri iussit. At Osius, summis huc usque meritis pro Fidei defensione clarus, annis, terrore et exilii malis fractus est, et formulae Sirmiensi secundae, quae plane ariana erat, subscripsit [1]. Eum tamen ante obitum facti sui poenituisse et arianam haeresim damnasse, satis clare indicat D. Athanasius [2].

Athanasius an. 356, iubente imperatore, a militari cohorte in ecclesia impetitus, sed a fidelibus eorum manibus ereptus, ad monachos in Ægypti eremis degentes confugit, inter quos usque ad Constantii mortem delituit. Ibi duas sui Apologias edidit, quarum una *ad Constantium*, altera *De fuga* inscripta est. Post eius discessum Georgius Cappadox, vir arianus et flagitiosus, Alexandrinis patriarcha datus est, qui tyranni magis quam episcopi munus gessit. Eo agente episcopi orthodoxi per totam Ægyptum depositi, et in eorum loca ariani intrusi sunt. Cum horum communionem vitarent Catholici, multi utriusque sexus, presbyteri et diaconi vexati, cruciati, necati sunt [3].

29. *Felix II Pontifex* (*an.* 355) — Liberio Pp. a Constantio in exilium eiecto, suffectus est Felix II, qui usque ad illius ab exilio reditum pontificatum gessit. De Felicis huius pontificatu admodum diversa sunt eruditorum iudicia. Tillemont [4], Natalis Alexander [5], C. Lupus, Card. Orsi, I. B. Palma [6] aliique censent, Felicem inter legitimos Pontifices haberi non posse: 1°, quia unum est Ecclesiae caput, unus Christi vicarius, et Liberius nusquam se pontificatu abdicasse legitur; 2°, quia s. Athanasius [7], Ruffinus [8], Socrates [9] referunt, Felicem ab arianis fuisse ordinatum; 3°, quia D. Optatus Milevitanus [10] et s. Augustinus [11], RR. Pontificum seriem recensentes, nullam huius Felicis mentionem faciunt; 4°, quia Romanos assiduis clamoribus Liberii reditum postulasse, eum redeuntem summa cum laetitia excepisse, et Felicem urbe eiecisse, legitur apud Socratem [1], Sozomenum [2], Faustinum et Marcellinum [3]. Contra, Baronius [4], Bellarminus [5], Schelstrate [6], Sollerius Bollandianus [7], et alii, Felicem legitimis Pontificibus adnumerandum esse arbitrantur: 1°, quod Felix de consensu Liberii electus videatur cum in *Libro Pontificali* legatur: « Congregatos sacerdotes et cum consilio eorum Liberium (seu consilio Liberii, vel procurante Liberio, ut legit Baronius) ordinasse in eius locum Felicem »; 2°, quod Theodoretus laudet Felicis fidem, solam eius cum arianis communionem culpat, narratque simpliciter: « Successum esse Liberio a fideli quodam illius diacono nomine Felice [8] »; 3°, quod Felicis orthodoxiae quoque favent Socrates [9] et Sozomenus [10]; 4°, quod Felicis memoria recolatur in *Sacramentario* s. Gregorii, in *Martyrologiis* Usuardi, Adonis, Bedae, et Romano, in quo IV calend. august. legitur: « Romae via Aurelia s. Felicis Pp. et Mart., qui a Constantio imperatore ariano ob catholicae fidei defensionem, e sede sua deiectus, Cerae in Tuscia occulte gladio necatus, gloriose occubuit »; 5°, quod anno 1582 Gregorio XIII pontifice repertus fuerit hic titulus, humato Felici adhibitus: « Hic iacet corpus s. Felicis Pp. et Martyris, qui Constantium haereticum damnavit ». Alii eum non ut pontificem sed ut Liberii vicarium sedisse, existimant. Nos autem cum eruditissimo P. Lazzari [11] et M. I. Maceda [12] iudicamus, rem esse dubiam, neque aliquid certi de ea pronunciari posse.

30. *Liberii reditus* (*an.* 358) — Elapso ab exilio Liberii Pp. biennio, Constantius imperator Romam venit. Eum sollemni cum ornatu et cultu adierunt praestantissimae mulieres romanae, senatorum et nobiliorum virorum coniuges, viris id praestare metuentibus, suppliciterque ab eo petierunt, ut urbis, pastore orbatae et luporum insidiis expositae, misereretur [13]. Populus etiam crebris acclamationibus eum pro Liberio interpellare non destitit, ut sibi restitueretur [14],

---

[1] S. Hilar., *De synod.*; Socrat. l. II, c. 31; Sozomen. l. IV, c. 6.
[2] *Epist. ad solitar.* Cf Natal. Alex., *Diss.* 32 *in saec. IV*, a. 2.
[3] S. Athanas., *Epist. ad solit.*; Theodoret., *Hist. eccl.* l. II, c. 14; Baron. ad an. 356.
[4] *Annot.* 60 *in Hist. arian.* t. VI.
[5] Dissert. cit. a. 3.
[6] *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. II, c. 14.
[7] *Epist. ad solitar.*
[8] *Hist. eccl.* l. X, c. 22.
[9] *Hist. eccl.* l. II, c. 37.
[10] L. II *contra Parmen.*
[11] *Epist.* 53, *Oper.* t. II, edit. Antv.

[1] *Hist. eccl.* l. II, c. 37.
[2] *Hist. eccl.* l. IV, c. 11.
[3] *Libell. precum ad imperat.*, apud Sirmond. t. I, p. 137, edit. Venet.
[4] Ad an. 357.
[5] *De R. Pontif.* l. IV, c. 9.
[6] *Antiquit. illustr.* t. I, diss. II, c. 9.
[7] *Acta Ss.* t. VII iul. ad diem 29.
[8] *Hist. eccl.* l. II, c. 16.
[9] Loc. cit.
[10] Loc. cit.
[11] *Diss. de duobus catalogis RR. Pontific.*
[12] *L. Hosius vere Hosius.*
[13] Theodoret., *Hist. eccl.* l. II, c. 17.
[14] Sozomen. l. IV, c. 11.

factaque seditione, Felicem ecclesia expulit [1]. His flexus Constantius *licet invitus*, inquit Socrates, Liberio Pp. redeundi in urbem potestatem fecit. Imperator conatus Felicem Liberio in pontificatu collegam adiungere, populi clamoribus ab hoc consilio desistere coactus est. Liberius an. 358 in urbem redux, summa cum laetitia a Romanis exceptus est; Felix vero recedens, ad aliam urbem se contulit [2].

Hic porro Liberii sub Constantio in urbem reditus antiquae de Pontificis huius lapsu querelae occasionem dedit. Blondellus [3], Basnagius [4], de Potter [5], aliique Apostolicae Sedis inimici, dicunt, Liberium fuisse a Constantio restitutum, quod exilii taedio fractus, subscripserit formulae Sirmiensi II^{ae}, quae arianam haeresim manifeste tradebat. Bossuet, seu auctor *Defensionis Declarationis Gallicanae* [6], card. De la Luzerne [7], aliique RR. Pontificum infallibilitati adversantes, Liberii lapsum extollunt, contenduntque, illum primae Sirmiensi formulae subscripsisse et in haeresim arianam incidisse. D. Coustant [8], Natalis Alexander [9], pluresque alii, Liberium quidem ab ariana haeresi vindicant, sed ex eis quae apud ss. Athanasium [10], Hilarium [11], atque Hieronymum [12], de Liberii lapsu et subscriptione leguntur, Pontificem hunc reprehendunt, quod Athanasii damnationi et primae Sirmiensi formulae subscripserit, et communionem cum Eusebianis inierit. P. Corgneus [13], card. Orsi [14], P. Ballerinius [15], I. Stiltingius [16], F. A. Zaccaria [17], Liberium ab Athanasii damnatione, a communione cum Eusebianis, et ab omni Sirmiensium formularum subscriptione vindicant, contenduntque Pontificis huius lapsum esse merum arianorum commentum, a Catholicis quibusdam creditum, ab aliis in dubium vocatum, ab aliis reiectum. Horum eruditorum virorum argumenta, quae hic adferre non possumus, sed in indicatis infra locis videre est, tam gravia sunt, ut si non certam, valde saltem probabilem reddant Liberii innocentiam. Id exploratum est, hunc Pontificem in arianam haeresim non incidisse [1].

31. *Concilium Ariminense et Seleucianum* (*an.* 359)—Cum autem Arianorum in condendis et immutandis fidei formulis inconstantia bene uterentur, orthodoxae fidei defensores ad explodendam eorum haeresim atque perfidiam, cumque diversae Arianorum factiones dissensionibus domesticis mutuisque excommunicationibus inter se dimicarent, et totum imperium dissidiis ac disceptationibus Catholicos inter et arianos, horumque diversas sectas arderet; Constantius imperator ad componenda dissidia et stabiliendam ubique doctrinam Semiarianorum, an. 359 episcopos occidentales Ariminum in Æmilia, orientales Seleuciam in Isauria convenire iussit. Convenerunt Ariminum episcopi 400, inter quos, Sulpicii Severi computatione, erant 80 ariani [2]. In primis ariani postularunt, ut abrogatis cunctis fidei formulis ante editis, retineretur formula Sirmiensis III, ab imperatore Constantio approbata, in qua Filius Patri per omnia similis dicebatur. Verum cum in hac formula voces *substantia* et *consubstantialis* essent suppressae, episcopi catholici illam recipere noluerunt; sed Nicaenum fidei symbolum confirmantes, arianam haeresim, eiusque sectatores iterum damnarunt. His absolutis, ad imperatorem legatos miserunt, qui ei res in concilio gestas renunciarent, et sibi redeundi ad ecclesias suas potestatem ab eodem peterent.

Legatorum tamen apud Constantium adventum praevenerunt Ursacius, Valens et alii ariani, quorum consilio imperator legatos abiecit, et episcopos catholicos Arimini detineri iussit. Interea ariani tum vi tum fraude catholicorum antistitum constantiam tentarunt, ut mutata sententia, vocis *substantiae* praetermissioni assentirent. In hunc finem contestati sunt, se non esse arianos, contra, ab horum blasphemiis abhorrere; Fidem in tuto esse positam absque *substantiae* vocabulo, satis esse illam profiteri Scripturae S. verbis; vocem istam ecclesiarum

---

[1] Socrat. l. II, c. 37; Sulpic. Sever. *Hist. sacr.* l. II, p. 412, edit. Batav.
[2] Cf Socrat., Sozomen., et Theodoret., l. c.
[3] *De primatu Papae.*
[4] *De eversa Ecclesiae unitate, visibilitate et auctoritate.*
[5] *L'esprit de l'Église*, t. I, c. 10.
[6] Part. II, l. 14, c. 35.
[7] *Sur la Déclaration de l'assemblée du Clergé de France.*
[8] In notis ad *Opera s. Hilar.*
[9] *Diss.* 32 *in saec. IV.*
[10] *Epist. ad solitar.*
[11] *Fragment.*
[12] In *Chron.*, et in *Catal.*
[13] *Diss. crit. et hist. sur le pape Libère.*
[14] *Storia eccl.* t. VI, l. XIV, n. 72.
[15] *De vi ac ratione primatus RR Pontif.* c.15, § 8.
[16] *Comment. hist.* in *Actis SS.* t. VI sept. ad diem 23.
[17] *Diss. de commentitio Liberii lapsu.*

[1] Cf Natal. Alex., Coustant, l. c.; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. I, p. II, c. 11, 12.
[2] *Hist. sacr.* l. II, p. 421.

pacem turbare et unitatem scindere. His aliisque fraudibus circumventi catholici antistites, nihilque mali suspicati, oblatae sibi a Valente, Ursacio, aliisque eiusdem ingenii viris, formulae subscripserunt. Haec formula, spectatis solis verbis et iuxta obvium sensum, haeresim non continebat, sed orthodoxa et catholica apparebat, Filium Dei ante omnia saecula et ante omne principium ex Deo natum, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas dicebat [1]. Nequaquam igitur Ariminenses episcopi, huic formulae subscribentes, in arianam haeresim lapsi sunt. Equidem vocum *substantiae* et *consubstantialis* praetermissioni assenserunt ob memoratas rationes ab Ursacio et Valente propositas, sed non in sensu Arianorum. Hinc paulo post mirati, quod ab arianis, qui vocum istarum suppressione ad evertendam Nicaenam fidem et propugnandam haeresim utebantur, tamquam Nicaenae fidei adversarii traducerentur, detectis arianorum fraudibus, quod incauti fecerant, correxerunt, et Nicaenam fidem maiori quam unquam animo propugnantes, luculenter ostenderunt quantopere ab arianis erroribus abhorrerent [2].

Liberius Pp., cognitis iis omnibus, quae Arimini gesta fuerant, cuncta conciliabuli illius acta rescidit et irrita declaravit; mandavitque episcopis, qui Ariminensi formulae subscripserant, ut illam condemnarent, Nicaenae fidei subscriberent, et omnem cum arianis communionem abiicerent [3].

Eodem tempore, quo ista agebantur Arimini, Seleuciam Constantii iussu convenerant Orientales episcopi 160. Sed illic inter diversas arianorum factiones tam acerrime disceptatum est, ut Leonas comes, concilio praefectus, illud dissolvere coactus sit.

Tunc dissensiones inter ipsos arianos auctae sunt. Semiariani Acacium Caesareensem, Eudoxium Antiochenum, Georgium Alexandrinum aliosque, vocabula *similis substantia* reprobantes, deposuerunt et excommunicarunt. Acacius vero aliique convenientes Constantinopolim, Macedonium Cp., Basilium Ancyranum, aliosque Semiarianos deposuerunt, et, proscriptis vocibus *substantia* et *subsistentia*, Ariminensem formulam confirmarunt. Eudoxius, deturbato Macedonio, invasit sedem Cpnam, Antiochenam accepit Meletius, quo brevi post ob catholicae fidei professionem eiecto, eam invasit Euzoius arianus [1].

32. *Mors Constantii* (*an.* 361) — Constantius imperator, qui pravis arianorum consiliis obsecutus, Ecclesiam tristem in statum coniecerat, anno imperii sui 36, cum Iulianum, ab exercitu in Galliis augustum salutatum, bello aggredi cogitaret, prope Tarsum febri extinctus est.

33. *Macedonii et Apollinaris haereses*— Magnam arianae sectae cladem intulit mors Constantii. In Occidente, opera praesertim Liberii Pp. et s. Hilarii Pictaviensis, ad ecclesiam suam reducis, catholica veritas clarior eluxit, et detrimenta, quae ei Arimini illata videbantur, correcta ac reparata sunt. In Oriente quoque s. Athanasius, aliique orthodoxi praesules maiori ardore restituendae catholicae fidei institerunt. Sed nova certamina novaque pericula Ecclesiam manebant.

In primis Macedonius, Semiarianorum princeps, qui in sedem Cpnam an. 350, eiecto D. Paulo, militari manu et non sine multorum catholicorum caede fuerat intrusus, postea Constantii imperatoris iussu et ipse eiectus, ex invidia in Catholicos et Arianos divinitatem Spiritus S. impugnavit. Iisdem, ac ariani contra divinitatem Verbi, argumentis usus, asserebat, Spiritum S. non esse Patri et Filio coaeternum aut aequalem, neque eiusdem cum Patre et Filio honoris participem, sed utriusque ministrum. Errorem suum pluribus, praesertim semiarianis, persuasit. Non tamen eaedem fuerunt omnium Macedonianorum de Spiritu S. sententiae, alii illum non personam sed ipsam Patris et Filii deitatem, alii vim seu virtutem divinam, alii creaturam altioris ordinis dicebant [2].

Eodem tempore in errorem absurdum contra catholicam doctrinam de humana Christi natura impegit Apollinaris, e lectore ecclesiae Laodicenae episcopus; qui politiori litteratura excultus, sed nimium Platonicis placitis deditus, a vero deflexit. Primo docuit, Christum sumpsisse quidem ex Maria corpus humanum, sed sine anima; deinde,

---

[1] S. Athanas. *L. de synod.*; s. Hilar. *Fragment.*; s. Hieron., *Dialog. adv. Lucifer.*; Socrat. l. II, c. 37; Sozomen. l. IV, c. 17; Theodoret. l. II, c. 18-21; Sulpic. Sever., *Hist. sacr.* l. II.

[2] Cf Natal. Alex., Diss. *in saec. IV*; P. Corgneus, *Dissertatio crit. et theol. de concilio Ariminensi*; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.*, t. I, p. II, c. 13.

[3] Siric. Pp., *Epist. ad Himer. Tarracon.*; Damas. Pp. *Epist. ad episcop. Illyr.*; Baron. ad an. 359.

[1] Ss. Athanas. et Hilar., l. c.; Socrat. l. II, c. 39-44; Sozomen. l. IV, c. 23-24; Theodoret. l. II, c. 27 et 31; Sulpic. Sever. l. II.

[2] S. Epiphan., *Haeres.* 73-74; Socrat. l. c. c. 45; Sozomen. l. c. c. 27; Theodoret., *Haer. fabul.* l. V, c. 7.

priorem sententiam emolliens, asseruit, Christum assumpsisse etiam humanam animam, sed mente carentem, Divinumque Verbum ei mentis et intellectus loco fuisse [1]. Macedonii et Apollinaris errores in conciliis damnati, et ab Athanasio, Basilio, Epiphanio, aliisque Patribus confutati sunt [2].

Apollinaristae frequentes fuerunt Antiochiae, in aliis etiam Syriae urbibus, in Phoenicia, in Asia minori et Cpnli coetus collegerunt. Sed ab Ecclesia damnati et imperatorum legibus proscripti, ita decreverunt, ut eorum secta prioribus saeculi V annis fuerit exstincta. Eadem sors fuit Macedonianorum, qui in Thracia praesertim, in Hellesponto et Bithynia coetus suos habebant.

34. *Persecutio Iuliana* — Constantio extincto, imperium accepit Iulianus cognomine apostata, quod eiurata christiana fide, ad ethnicorum rituum professionem palam descivit. Is tum odio in familiam Constantinianam, tum impiis philosophorum ethnicorum, Maximi, Iamblici et Libanii consiliis incitatus, totus in eo fuit ut christianam religionem, latissime per imperium propagatam, exscinderet, et collapsos ethnicos ritus restitueret. Hinc patet, quo loco habendae sint magnificae illae laudes, quibus hic imperator ab adversariis christianae religionis passim cohonestatur.

Iulianus probe sciens, cruentis priorum saeculorum persecutionibus rem christianam potius auctam quam excisam esse, alias persequendi Christianos vias iniit; lenta et occulta magis quam aperta excidia iis struxit. In primis deorum templa aperiri et sacrificia restitui iussit; eos, qui ethnicos ritus assumebant, iuribus et privilegiis auxit; Christianos, quos per contemptum Galilaeos vocabat, officiis publicis, foro et iudicio exclusit; eis litterarum studia interdixit, ut paulatim Ecclesia viris eruditis et facundis destitueretur; leges a Constantino M. in gratiam clericorum, viduarum et virginum latas, rescidit; episcopos, catholicos et arianos, sub Constantio exules, ad ecclesias revocavit, ut eorum inter se discordiis et contentionibus Ecclesiae excidium accelleraretur; alios sexcentos persequendi Christianos modos, dicteria, irrisiones, calumnias adhibuit [3].

Eadem de causa in Africa Donatistas restituit et plena libertate donavit. Hi autem violentias gravissimas in Catholicos exercuerunt, basilicas armata vi occuparunt, et, quod animus dicere refugit, ss. Eucharistiam, a Catholicis consecratam, canibus obiecerunt, chrisma per fenestras proiecerunt, altaria et calices fregerunt, alia plura in ecclesiae Africanae detrimentum perpetrarunt [1].

Ex eodem in christianum nomen odio impius Iulianus Iudaeis, infensissimis illius hostibus, gratiam praestitit. Ut ipsum Christum Dominum mendacem traduceret, atque inania esse ostenderet illius de templo Hierosolymitano vaticinia, Iudaeos ad novam templi aedificationem evocavit et sumptibus iuvit. Sed divinitus factum est, ut impii imperatoris conatus frangerentur; erumpente quippe e fundamentis igne, terrae motu, ignitis globis, aliisque miris signis disiecta sunt omnia, quae ad novi templi aedificationem erant comparata. Iudaei ab incepto opere deterriti, sedes suas repetierunt, multique eorum hoc prodigioso eventu veritatem christianae religionis cegnoscentes, eam susceperunt [2].

Edidit idem imperator adversus Religionem christianam libros 3, dicteriis, obtrectationibus, mendaciis, et sosphismatis plenos, quos s. Cyrillus Alexandrinus libris 10 solide confutavit.

Quamvis ipse Iulianus Christianos non afficeret suppliciis, cum tamen eorum hostibus et persecutoribus veniam indulgeret, impune in illos saeviebatur. Multi, durante hac persecutione, martyrium passi leguntur; inter quos Æmilianus Dorostori in Mysia; Macedonius, Theodulus et Tatianus Meri in Phrygia; Basilius presbyter Ancyrae; Artemius, Iuventinus et Maximus Antiochiae; Eusebius, Nestabus, Zeno et Nestor Gazae in Palaestina; Dorotheus presbyter Tyri; Eupsychius Caesareae in Cappadocia; Romae Gordianus, Ioannes et Paulus fratres, Bibiana virgo, alii [3].

At intra breve tempus Iulianus, supremo

---

[1] S. Athan., *De incarnat.*; s. Epiphan., *Haer.* 77.
[2] Cf Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. IV, c. 3.
[3] Socrat. l. III, c. 11 seq.; Sozomen. l. V, c. 3; Theodoret. l. III, c. 1; Ammian. Marcell., scriptor ethnicus, *Hist.* l. XX, c. 5.

[1] S. Augustin. *Epist.* 68; s. Optat. Milevit. l. II.
[2] S. Ioan. Chrysost., *Orat.* II *adv. Iudaeos*, *Oper.* t. I; s. Gregor. Naz. *Orat.* IV *contra Iulian.*; s. Ambros., *Epist.* II *ad Theodos.*; Ammian. Marcell. l. XXIII, c. 1; Socrat. l. III, c. 20; Sozomen. l. V, c. 22; Theodoret. l. III, c. 20. Non obstantibus his veterum testimoniis, Basnagius, *Hist. Iudaeor.* l. VI, veritatem huius facti oppugnare ausus est; quem refellit G. Warburton, cuius hac de re dissertatio an. 1751 gallice edita est a Marzea presbytero. Cf I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. I, p. II, c. 3.
[3] Cf *Martyrol. Rom.*

Numine impietatis eius poenas exigente, in bellico cum Persis conflictu telo confossus, inter blasphemiae voces periit an. 363.

35. *Synodus Alexandrina* (*an.* 362) — Interea, quum orthodoxi episcopi aeque ac ariani sub Iuliano imperatore ad ecclesias suas rediissent, illi nihil magis curarunt, quam ut illatis ariana persecutione sub Constantio malis mederentur, et eos, quos arianorum vis aut fallaciae ad tempus seduxerant, ad meliorem sententiam revocarent. Prae caeteris s. Athanasius, Alexandriam redux episcoporum 20 synodum coegit, in qua primo constitutum est, ut episcopi, qui sive Arimini sive alibi, aut vi aut ignorantia vel simplicitate, arianis consensissent, si eos facti poeniteret et Nicaenam fidem profiterentur, in pristinae dignitatis gradu conservarentur; secundo, controversia inter Catholicos exorta de una aut tribus in Trinitate hypostasibus, explicata et composita est, cum hypostasis vocabulo alii essentiam, alii personam intelligerent; tertio, contra emergentes Macedonii et Apollinaris haereses fides de ss. Trinitatis mysterio et Divini Verbi incarnatione exposita fuit [1].

36. *Schisma Luciferianum*—Synodi huius decretum de recipiendis episcopis, ab arianorum et semiarianorum partibus sincero animo reversis, Liberius Pp. confirmavit in epistola ad episcopos Italiae probavitque universim Ecclesia. Nonnullis vero, nempe Luciferianis, excitandi schismatis occasio fuit. Hi schismatici nomen acceperunt a Lucifero Calaritano in Sardinia episcopo, qui una cum Eusebio Vercellensi a Liberio Pp. an. 355 ad Mediolanense concilium legatus, cum eodem Eusebio a Constantio imperatore in Orientem relegatus fuerat, et fidem catholicam atque causam D. Athanasii adversus arianos et imperatorem Constantium magna cum libertate defenderat [2]. Mortuo Constantio, Lucifer et Eusebius exilio liberati, Orientis ecclesiis, arianorum perfidia et tyrannide perturbatis, praesentissimum subsidium attulerunt, vel ex auctoritate Apostolicae Sedis, cuius erant legati, vel ex lege caritatis. Anno 362 Eusebio ad Alexandrinam synodum pergente, Lucifer divertit Antiochiam, quam arianos inter et Meletianos atque Eustathianos divisam invenit. Etenim an. 361, cum famosus Eudoxius a sede Antiochena ad Cpnam transiisset, Meletius antea episcopus Sebastae, ad Antiochenum patriarchatum evectus est. At quum id de assensu ipsorum arianorum, qui Meletium doctrinae suae participem putabant, factum esset, multi Catholici, dicti Eustathiani, Meletii communionem vitabant. Brevi post Meletius fidei catholicae causa a Constantio in exilium eiectus fuit, sedemque Antiochenam invasit Euzoius arianus. Interim divisio inter Eustathianos et Meletianos, quamvis in fide concordes, perdurabat. Lucifer Calaritanus ad reconciliandos Catholicos opportunum iudicans, ut novus iis daretur episcopus, ordinavit Paulinum. Id tamen potius auxit dissidium, Eustathianis cum Paulino, Meletianis cum Meletio ab exilio reduce communicantibus. Quum autem Eusebius Vercellensis, Antiochiam veniens, Luciferi factum haud probaret, hic Eusebium aversatus est. Praeconceptam animi eius acerbitatem Alexandrinae synodi decreta de recipiendis in pristinos gradus episcopis, qui arianis consensissent, ita auxerunt, ut neque cum episcopis istis, neque cum iis, qui eos reciperent, communicandum esse ratus, schismati locum et nomen dederit. An ante obitum suum schismati renunciarit, incertum est.

Nonnulli viri eruditi asserunt, Luciferum non solum in communione catholica obiisse, sed numquam se ab ea separasse, quamvis duriore ingenio Alexandrinae synodi decreta improbarit, et revertentes ab ariana communione clericos ad pristinos honores recipere recusarit; unde factum esset, ut quidam eius disciQuli post magistri mortem, nomine et auctoritate eius abusi, schisma et brevi post haeresim confecerint, contendentes, baptizatos et ordinatos ab haereticis, esse iterum baptizandos et ordinandos [1].

Luciferianos egregie confutavit s. Hieronymus in Dialogo contra eos scripto.

37. *Ecclesiae status sub Ioviano* (*an.* 363) — Iuliano extincto mox ab exercitu in Perside imperator salutatus est Iovianus. Qui cum respondisset, se utpote christianum imperare non posse ethnicis, milites una voce clamaverunt, se quoque esse christianos. Erat Iovianus animi pietate et christianae religionis studio insignis. Quum composita

[1] Apud Labbe, *Concil.* t. II, p. 808; Baluz. *Concil. Suppl.* p. 74.

[2] Opera eius ediderunt I. Tillius, Paris 1668, FF. Coleti, Venet. 1778, in-fol., Migne, *Patrol. latin.* t. XIII.

[1] Pro Lucifero scripserunt Papebrochius, *Acta SS.* t. IV maii ad diem 20; Thomassinus, *Diss.* V *de Concil. Arimin.* n. 25; Machinus, *Defensio sanctit. B. Luciferi*; alii. Contra vero pugnarunt Baronius, *Annal.* ad an. 362; Natal. Alexander, *Hist. eccl.* saec. IV, c. 3, a. 13; Tillemont, *Mémoires*, t. VIII, n. 4, p. 764, edit. Ven. 1732, alii.

cum Persis pace in Orientem adveniret, diversae arianorum factiones eius benevolentiam captare conatae sunt. Ipse vero, ne in Fide circumveniretur, ut Constantio obtigerat, litteras dedit ad magnum Athanasium, rectam catholicae fidei expositionem postulans. Quapropter s. Athanasius coacta Alexandriae episcoporum synodo, epistolam, orthodoxam fidem et Nicaenum symbolum continentem, ad imperatorem dedit.

Eodem tempore Macedoniani seu Semiariani, qui, quamvis vocem *consubstantialis* necdum admitterent, tamen Filium secundum substantiam Patri similem profitebantur, Ioviano libellum obtulerunt, quo postulabant, ut ii qui Filium Patri dissimilem dicerent, ex ecclesiis pellerentur, ipsi autem eas acciperent. Imperator illos reiecit cum hoc responso: « Ego contentionem odio prosequor; eos qui concordiae dediti sunt, complector amore veneror que ».

Acacius Caesareensis et qui cum eo sentiebant, metuentes, ne, quod ipsi antea Catholicis fecerant, ecclesiis suis eiicerentur, a Meletio patriarcha Antiocheno, quem ab imperatore, tum in urbe ista agente, summo in pretio haberi noverant, synodum postularunt. In ea Acacius et alii 25 episcopi eius sequaces una cum Meletio synodi praeside, voce *consubstantialis* et Nicaena fide admissis, unionem cum Catholicis inierunt [1]. Unde manifestum est, quantopere sectarii ad nutum ob sententiam eorum, qui rerum potiebantur, semper se flectere soliti sint.

Praeterea Iovianus illata a Iuliano religioni christianae mala resarcivit; leges in illius favorem latas et ab eo abrogatas, restituit; illos qui Fidei causa in exilium fuerant eiecti, revocavit; pacem Ecclesiae reddidit. Id vero dolendum, quod hic imperator, cum Antiochia transiret Constantinopolim, praematura morte sublatus fuerit an. 364.

38. *Synodi Gangrensis et Ladiocena* — Ad haec circiter tempora referuntur a pluribus synodi Gangrensis in Paphlagonia et Laodicena in Phrygia Pacatiana, utriusque tamen annus incertus est. Prior coacta fuit adversus Eustathium quemdam, seu Eutactum, ut eum vocat Baronius [2]. Ille nuptiarum honestatem, bonorum temporalium possessionem, recepta in Ecclesia ieiunia, conventus et oblationes, quae ad sanctorum martyrum memorias celebrabantur, aliaque impugnabat. Conditi sunt in hac synodo canones 20, quibus avita et recta doctrina confirmata, et novitates ei oppositae damnatae sunt [1].

In Laodicena synodo sanciti sunt canones 60, quibus plura utiliter statuta fuere de modo recipiendi redeuntes ab haeretica pravitate, de sacris Ordinationibus, de Christianorum coniugiis, de clericorum moribus, de divinis officiis aliisque [2]. Canon ultimus continet ss. Librorum indicem, in quo e V. T. ii tantum numerantur, qui in Hebraeorum canone esse putabantur; e N. T. iidem recensentur, quos Tridentinum concilium numerat, excepto libro Apocalypseos; ratio est, quod de istis libris, in hoc indice praetermissis, in quibusdam ecclesiis adhuc extaret aliqua dubitatio, quae postea, ubi melius hac in re de Ecclesiae traditione constitit, sublata fuit.

39. *Ecclesiae status sub Valentiniano et Valente* (*an.* 364) — Exstincto Ioviano imperium rursus divisum fuit. Valentinianus in Occidente, Valens frater eius in Oriente imperavit; hic Constantinopoli, ille Mediolani imperii sedem posuit. Ambo imperatores et religione et moribus erant dissimiles. Valentinianus catholicae fidei professione claruit; pacifica tamen aliorum cultuum exercitia toleravit. Ab episcopis interpellatus, num sibi ad dirimendas Fidei controversias convenire liceret, rectissime respondit: « Mihi quidem in laicorum ordine constituto, fas non est huiusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero, quibus id curae est, seorsum ubicumque voluerint, conveniant [3] ». Quapropter in Occidente, catholicae fidei defensione ab omnibus vexationibus liberata, arianismus pene extinctus est. Contra, in Oriente Valens, a coniuge sua ariana et ab Eudoxio episcopo Cp. circumventus, ab initio favit Arianis et quidem Anomaeis, qui Filium Patri dissimilem dicebant, aliter vero sentientes, maxime Catholicos, graviter persecutus est.

40. *Semiariani Nicaenam fidem recipiunt* — Diximus, Acacium aliosque vocem *consubstantialis* et Nicaenam fidem admisisse, atque ad unionem cum catholicis transiisse. Eorum exemplum sub principatu Valentis secuti sunt Semiariani. Quum enim

---

[1] S. Athanas. *L. de Fide ad Iovian.*; Socrat. l. III, c. 24-25; Sozomen. l. VI, c. 4-5.
[2] Ad an. 319.

[1] Labbe, *Concil.* t. II, p. 414.
[2] Ibid. t. I, p. 1495. Hanc synodum ante Nicaenam fuisse celebratam, falso asserunt Baronius et Binius.
[3] Sozomen., l. VI, c. 7.

imperator eos ad communicandum cum Anomaeis compelleret, eorumque ecclesias his traderet [1], illi sic vexati, per singulas civitates legatos inter se miserunt, significantes, satius esse ad Liberium PP. et ad Valentinianum Occidentis imperatorem confugere eorumque fidem et communionem amplecti, quam cum Valente et Eudoxio communicare. Quapropter Eustathium Sebastenum, Silvanum Tarsensem et Theophilum Gastabalorum episcopos, in Occidentem legarunt, ut cum Romana Ecclesia communionem inirent et doctrinae de *consubstantialitate* Filii cum Patre assentirent.

Liberius Pp., lectis eorum litteris, eos, postquam sacrosanctae fidei in Nicaeno concilio definitae subscripsissent, in communionem recepit, litterisque *communicatoriis* ad episcopos Orientales munivit [2]. Illi Roma digressi, in Sicilia coram congregatis episcopis similiter Nicaenam fidem professi sunt, et ab iis etiam communionis litteras acceperunt. In Orientem reduces, episcoporum, qui iam sub principatu Ioviani, ut supra vidimus, coram Meletio Antiocheno Filium Patri consubstantialem erant professi, synodo Tyanae congregatae litteras Liberii Pp. et episcoporum Siculorum exhibuerunt. Praesules Tyanenses magno gaudio affecti, rem omnibus Orientis ecclesiis significarunt, easque ad eamdem cum R. Ecclesia unionem ineundam hortati sunt. At Valens imperator, Eudoxius Cp. aliique rigidi ariani omnibus viribus unioni restiterunt, graviusque Catholicos vexarunt [3].

41. *Obitus Liberii et ss. Hilarii et Eusebii* — An. 366 obiit Liberius Pp. quum sedisset annos 14 et amplius. Eum beatae memoriae virum, admirabilem, beatissimum laudarunt ss. Basilius, Epiphanius, Ambrosius, Siricius papa, et Theodoretus [4]. Eum Beda aliique martyrologiis suis inscripserunt. Unde patet, hunc Pontificem, si aliquando, ut multi contendunt, humanitus lapsus sit, errorem correxisse. — Liberio Pontifice conditum traditur in colle Exquilino B. Mariae templum, aestivae nivis miraculo insigne [5].

[1] Sozomen., loc. cit.

[2] Socrat., *Hist.* l. IV, c. 12; Sozom., l. VI, c. 10-11.

[3] Socrat., l. c.; Sozomen., l. c. c. 12.

[4] Basil. *Epist.* 74; Epiph. *Haer.* 75; Ambros. l. III *de Virg.*; Siric. *Epist ad Himer.*; Theodoret *Hist. eccl.* l. II, c. 17.

[5] Utrum haec, an Transtyberina a Callisto I aedificata ecclesia, prima Romae B. V. Mariae dicata fuerit, disquirit Florentinius in *Martyrolog. Hieronym.* Exercitat. 12, atque in fine antiquiorem Liberiana Basilica Transtyberinam agnoscit.

Anno sequenti vita quoque excessit s. Hilarius Pictavorum episcopus, et anno 370 s. Eusebius Vercellensis qui ambo fidem Nicaenam adversus arianos acerrime defenderant. Inter opera s. Hilarii celebrantur Commentarii in Psalmos et s. Matthaeum, libri 12 *de Trinitate*, liber de *Synodis*, libri ad Constantium imperatorem, et contra Auxentium Mediolanensem [1]. S. Eusebius Vercellensis scripsit epistolas ad Constantium augustum et alios, deditque versionem latinam Commentariorum, quos Eusebius Caesareensis scripserat in Psalmos, Matthaeum et Marcum [2]. De eodem sancto praesule commemorat D. Ambrosius, quod ex Oriente primus in Occidentem invexerit sanctum vivendi genus, quod clerici cum episcopo ducebant, in eadem ecclesia clericali vitae monasticam formam iungentes [3].

42. *Damasus Pontifex* (an. 366) — Post obitum Liberii legitimis suffragiis pontifex electus est et ordinatus Damasus, Hispanus, vir omni virtutum genere ornatus, ut ait Theodoretus [4].

Schisma Ursicini — Eius electionem funesto schismate turbavit Ursicinus, R. ecclesiae diaconus, qui a quadam cleri et populi factione electus et in basilica Sicini ordinatus, turbas gravissimas in urbe excitavit; sed rebus ad Valentinianum imperatorem delatis, Ursicinus cum praecipuis suis fautoribus urbe exulare iussus est [5].

Damasus non tantum abrogando schismati, sed tollendis quoque, quae adhuc in Occidente extabant, arianismi reliquiis adlaboravit. Anno 368 Romae plurium episcoporum synodum celebravit, in qua Valens et Ursacius, quondam in Illyrico episcopi, paucorum qui in Occidente supererant, arianorum coryphaei, damnati sunt, et uti tales universo christiano orbi denuntiati [6]. Anno 370, acceptis ab Athanasio Alexandrino litteris, aliam 93 ex Italia et Gallia episcoporum synodum Romae celebravit contra Au-

[1] Opera eius ediderunt P. Coustant, Paris. 1693 in-fol., et Scip. Maffei, Veron. 1730, 2 vol. in-fol. — Pius PP. IX titulum Doctoris quo iam pridem apud nonnullas Galliarum ecclesias gaudebat, III idus maii 1851 s. Hilario confirmavit.

[2] Cf Butler, *Vies de Ss.* 15 dec. Opera s. Euseb. Vercell. edidit Migne, *Patrol. latin.* t. XII.

[3] S. Ambros. *Epist.* 82; Cf Thomassin, *Velus et nov. Eccl. disciplin.*, p. I, l. III; Devoti, *Instit. can.* l. I, tit. 9, § 1, not. 3.

[4] *Hist. eccl.* l. II, c. 17.

[5] Socrat. l. IV, c. 29; Sozomen, l. IV, c. 23; Ruffin. l. II, c. 10.

[6] S. Athan. *Epist. ad Afr.*; Pagi, ad an. 369; Labbe, *Concil.* t. II, p. 886.

xentium, qui mentem arianam sub catholici nominis larva occultans, sedem Mediolanensem iugiter occupabat, plures in errorem pertrahebat, ipsi Valentiniano imperatori imponebat, et episcopis Illyricis Ariminensem fidem suadere tentarat. In hac synodo Auxentius Mediolanensis damnatus fuit, Ariminensis concilii acta irrita declarata, Nicaena fides confirmata, et definitum, Patrem et Filium et Spiritum S. esse unius deitatis, virtutis et substantiae [1]. Acceptis quoque litteris ab episcopis Orientalibus de Apollinari Laodiceno, eiusque discipulo Timotheo, et eorum erroribus, an. 373 tertiam Romae synodum coegit, in qua Apollinaris et Timotheus depositi sunt eorumque haeresis damnata. Extat hac de re epistola s. Damasi ad episcopos Orientales, in qua horum erga Apostolicam Sedem, ad quam secundum avitum morem recurrerant, observantia laudatur [2].

Praefuit s. Damasus Ecclesiae annis 17, obiitque an. 384. Eius in componendis versibus ingenium et opuscula laudat s. Hieronymus [3]. — Alternum cantum a divo Ambrosio exemplo orientalium in Occidentali Ecclesia institutum, Damasus decreto confirmavit [4].

43. *Valens catholicos persequitur* — In Oriente Valens Catholicos graviter persecutus est secundum iusiurandum, quod anno 367, cum ante bellum baptismatis lavacrum susciperet, coram Eudoxio Cp. fecerat. Hic enim in ipso baptismo imperatorem iuramento obstrinxerat, ut in ariana doctrina perseveraret et contra sentientes omnibus locis expelleret. Valens, ea, quae sub iurisiurandi fide promiserat, executioni mandavit. Eodem anno provinciarum rectoribus praecepit, ut episcopos, qui Constantii temporibus depositi, regnante Iuliano sedes suas recuperarant, ecclesiis expellerent; omnibus praesidibus eorumque officialibus et decurionibus poenas minasque intentavit, nisi imperata fecissent. Huius iussionis effectum mox expertus est s. Athanasius; sed cum populus Alexandrinus ad seditionem usque pastoris sui, qui clam se subduxerat, restitutionem peteret, rescripsit imperator, ut Athanasius ad ecclesiam suam secure rediret. An. 370 sublato e vivis Eudoxio, qui annis 11 Cpnam sedem occupaverat, ariani ad hanc sedem ordinarunt Demophilum; Catholici vero sibi delegerunt et ordinandum curarunt Evagrium. Ariani ad seditionem commoti, fautores Evagrii acerbe persequi coeperunt. Valens electionem Demophili ratam habuit; Evagrium vero atque Eustathium, qui eum ordinaverat, in exilium eiecit. Quare ariani audaciores facti, Catholicos multo acerbius vexarunt, omnia malorum genera eis inferentes. Catholici sic oppressi, 80 viros ecclesiastici ordinis cum libello supplici legarunt Nicomediam ad Valentem imperatorem. Hic vero non tantum sprevit iustas Catholicorum expostulationes, sed crudeli barbarie eorum legatos in mare clam demergendos tradidit Modesto praefecto. In cunctis civitatibus, per quas imperator stipatus arianis episcopis transibat, catholicos episcopos eiecit, eorum ecclesias arianis tradidit, et eos, qui cum his communicare nolebant, dire vexavit. Quum an. 372 venisset Antiochiam, Meletium patriarcham exilio damnavit; Paulino, vitae eius sanctimoniam veritus, pepercit; eos autem, qui cum intruso Euzoio communicare recusabant, tanto furore insectatus est, ut alii pecuniis mulctati, alii in Orontem fluvium coniecti, alii suppliciis affecti sint.

Pari persecutioni Catholici in aliis imperii orientalis provinciis subiecti erant. In Ægypto post obitum s. Athanasii (373) tristem in modum Ecclesia divexata fuit. Petrus II, qui cleri et populi votis D. Athanasio in patriarchatu Alexandrino suffectus fuerat, Valentis iussu eiectus est, inque eius locum militari manu intrusus Lucius. Huius communionem cum clerus et populus vitarent, per omnem Ægyptum in Catholicos flagris, caedibus, exilio et omni iniuriarum genere saeviebatur. Pseudo-patriarcha ratus, sibi admodum profuturum, si monachos in partes suas traheret, militarem expeditionem ad pios deserti incolas misit. Primo quidem verbis suavibus, deinde comminationibus eorum fides tentata fuit, et cum nullo modo eorum constantia flecteretur, vis fuit adhibita, alii flagris caesi, alii lapidati, alii gladii occisi, alii in exilium amandati sunt [1].

Idem imperator, qui usque ad ann. 378 summa rerum potitus est, etiam Gothos ad arianam haeresim perduxit, ut infra videbimus.

---

[1] Apud Labbe, t. II,. p. 888.

[2] Ibid. p. 896, et apud Theodoret. *Hist. eccl.* l. V, c. 10.

[3] *Catal.* Opera et res gestas s. Damasi edidit A. Merenda, Romae 1754. Hunc Pontificem non esse auctorem *Chronici* seu *Libri Pontificalis*, modo convenit inter peritos.

[4] Bona, *De Divina Psalmodia*, c. 16, § 10.

---

[1] Socrat. *Hist. eccl.* l. IV, c. 13-24; Sozomen. l. VI, c. 12-20; Theodoret. l. IV, c. 13-22; *Martyrol. Roman.* V sept.

Tristissimus itaque fuit sub Valente Orientalis ecclesiae status. « Hic laborat, inquit s. Basilius, et defatigata est frequenti adversariorum insultu Ecclesia.... Patrum dogmata contemnuntur; apostolicae traditiones nullo numero habentur; recentiorum hominum inventa in ecclesiis dominantur; homines artificiose disputant, non theologos agunt... Pastores abiguntur; lupi graves introducuntur, qui Christi gregem discerpunt; domus oratoriae deseruntur ab ecclesiastico coetu, solitudines refertae sunt plorantibus; seniores ingemiscunt, dum vetera praesentibus comparant [1].

44. *S. Athanasii obitus* — Magnus arianae haereseos debellator, s. Athanasius, post laboriosum 46 annorum episcopatum, post multiplicia pericula et egregia pro defensione Fidei certamina, anno, ut iam diximus, 373, ad meliorem vitam transiit [2]. Plura atque egregia scripta reliquit, quibus catholicam fidem exposuit, defenditque, et Arianos, Macedonianos, Apollinaristas eorumque haereses debellavit [3].

45. *Ss. Basilius, Gregorii Nazianzenus et Nyssenus* — Cum S. Athanasio veritatis catholicae vindices ab omnipotenti Deo, qui se Ecclesiae semper adfuturum spopondit, destinati erant ss. Basilius, Gregorius Nazianzenus et Gregorius Nyssenus; qui adversus Valentis et arianorum conatus, contra haereticorum studia et persecutiones bona certamina pro Fide certarunt.

Basilius, illustri genere Caesareae in Cappadocia natus, litterarum studiis absolutis, vitam monasticam in Pontica regione professus est. Valente catholicos persequente, Basilius, ex eremo evocatus, laboranti Ecclesiae suppetias tulit. An. 370 Caesareae in Cappadocia episcopus creatus, doctrinae et sanctitatis laude, Fidei et disciplinae zelo claruit; tantaque animi constantia pravis arianorum machinationibus et violentiis restitit, ut eam nullo modo flectere potuerit Valens imperator [4].

Gregorius patria Nazianzenus, individuus s. Basilii primo Athenis in studiis, deinde in vita solitaria socius, cum eo ex eremo ad defensionem Ecclesiae convolavit. An. 372 Sasimorum episcopus ordinatus, sed a patre sene, Nazianzenae ecclesiae episcopo, in partes laboris adscitus, relictis Sasimis, patrem in ecclesiastico regimine adiuvit [1].

Gregorius Nyssenus, frater s. Basilii, an. 372 Nyssae in Cappadocia episcopus ordinatus est. Is pariter apostolica constantia fidem catholicam defendit tantoque animo arianis restitit, ut a Valente imperatore in exilium eiectus fuerit [2].

46. *S. Moyses episcopus Saracenorum* — Apud Saracenos seu Arabes illos, qui Palaestinam inter et Euphratem habitabant, circa haec tempora christianae Fidei professio magna incrementa cepit opera D. Moysis episcopi. Iam christiana religio huic populo innotuerat colloquiis monachorum et anachoretarum, qui finitima deserta incolentes, vitae sanctitate atque prodigiis venerationem et amorem erga religionem christianam Saracenis instillarant. Sub Valente imperatore Mavia Saracenorum regina, pace cum Romanis inita, pro populi sui conversione postulavit impetravitque episcopum D. Moysem, unum ex iisdem eremicolis, qui totam pene gentem ad Christi Domini Fidem convertit [3].

47. *Religionis status apud Gothos* — Apud Gothos christiana religio ingentia incrementa ceperat opera praesertim Ulphilae episcopi [4], sed post huius saeculi dimidium Athanaricus, eorum rex, offensus multitudine eorum, qui cultum idolorum deserebant, persecutionem contra Christianos excitavit. Praeter alia supplicia, quae illi heroica fortitudine substinebant, tectis eorum, qui idolum curru circumvectum adorare detrectabant, flammas subiici iussit, quibus plures consumpti sunt. Eodem mortis genere perierunt alii, qui, ut ignis supplicium evaderent, confugerant in ecclesiam, nam et haec iussu regis succensa est. E Gothorum martyribus prae ceteris illustre nomen consecuti sunt Nicethas et Sabas. Cum tamen ipsi inter Gothos ethnici idololatriae non adeo essent studiosi, nec proinde Christianis valde infensi, eiusmodi in hos crudelitates non fuerunt diu a populo continuatae. Athanaricus pluribus porro christianis e ditione sua relegatis, a persecutione abstinuit.

---

[1] *Epist.* 61.

[2] Cf G. Hermant, *Vie de s. Athanase*, 2 vol. in-4.

[3] Opera D. Athanasii curis B. Montfaucon edita sunt Parisiis 1698, 3 vol. in fol. Cf Card Mai, *Script. vet.* t. I; *Spicil. Rom.* t VI; *Nov. Bibl. PP.* t. VI; Migne, *Patrol graec.* t. XXVI-VIII. Utrum Symbolum, quod sub nomine s. Athanasii extat, ei adscribendum sit, disputant eruditi; affirmant Baron. ad an 340, Bellarmin. L. *de Scriptor eccl*, Petav. *Animadv. in s. Epiph. Haer.* 72; negant Natalis Alex., saec. IV, c. 6, Oudin., *Supplem. de Script. eccl.*, Murator. *Anecdot.* II, p. 219.

[4] Cf G. Hermant, *Vie de s. Basile*, in-4.

[1] Hermant, *Vie de s. Grégoire de Nazianze*, in-4.

[2] Cf Tillemont, *Mémoires*, t. IX; Bolland., *Acta SS.* 9 mart.

[3] Cf Bolland. *Acta SS.* 7 febr.

[4] Vid. p. 91.

Verum paulo post Gothi e sua regione ab Hunnis eiecti, ad imperatorem Valentem legatos miserunt, ut sibi agri Thraciae ad incolendum darentur. Assensit imperator ea lege, ut Gothi arianam doctrinam et communionem susciperent, quod proh dolor! Ulphilas eorum episcopus effecit. Postea a Gothis idem dogma transmissum fuit ad Vandalos et Suevos [1].

48. *Ecclesiae status sub Gratiano et Theodosio* (*an.* 378) — Tanta Valentis perfidia haud inulta mansit. Iidem Gothi paulo post Romani iugi propter ducum duritiem pertaesi, seditionem excitarunt, et romanas copias Thracia eiecerunt. Valens inito cum iis apud Adrianopolim certamine, sagitta confossus et in tugurio, in quod confugerat, combustus est an. 378. Ex quo tempore felicius sidus Ecclesiae illuxit.

Iam ab an. 375 in Occidente post obitum Valentiniani imperabat Gratianus, eius filius, cum iuniori Valentiniano fratre suo. Gratianus princeps erat catholicae religionis studio, morumque gravitate et castimonia clarus. Idolorum cultum depressit, nullam tamen ethnicis ad suscipiendam religionem christianam vim intulit. Lites de negotiis sacris ab episcopo aut provinciae synodo dirimendas esse edixit. Alias plures leges in Ecclesiae favorem tulit. Post interitum Valentis patrui sui, etiam imperio orientali potitus, confestim omnibus, qui ab illo Religionis causa fuerant relegati, reditum concessit. Cunctis liberum religionis exercitium indulsit, exceptis Manichaeis, Photinianis et Eunomaeis seu Anomaeis, horumque ecclesias tradi iussit iis, qui cum Damaso Pp. communicarent. An. 379 Theodosium, nobilem Hispanum, in imperii consortium pro Oriente selegit.

Theodosius et ipse catholicae Fidei addictissimus, quum barbaris partim eiectis partim subactis, venisset Thessalonicam, et ab Ascholio didicisset, ecclesias in Illyrico et usque ad Macedoniam in fide seu dogmate ss. Trinitatis consentire, reliquas vero provincias versus Orientem, praecipue civitatem Constantinopolim, variis sectis esse distractas, an. 380 Thessalonicae legem dedit *Cunctos populos*, Gratiani, Valentiniani et Theodosii nomine inscriptam. Mandabatur hac lege, ut per totum imperium ea obtineret Religio, quam Apostolorum princeps Petrus ab initio tradiderat Romanis, quamque Damasus pontifex Romanus et Petrus Patriarcha Alexandrinus servabant; ut eorum dumtaxat Ecclesia nominaretur catholica, qui tres divinas personas aequali honore colerent; qui vero aliter sentirent, haeretici dicerentur, infames essent, scirentque se poenis afficiendos. Eodem anno, cum venisset Constantinopolim, Demophilum, obstinatum arianae sectae episcopum, eiusque sequaces eiecit, et eorum ecclesias tradidit Catholicis [1].

Interea Petrus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, aliique pro Fide exules episcopi, ad sedes suas reversi sunt, et colligendis ecclesiis, Arianorum tyrannide dispersis, malisque sive Fidei sive disciplinae illatis reparandis, indefessam operam navarunt.

Tunc etiam dissidium ecclesiae Antiochenae compositum fuit, ea conditione, ut Meletius et Paulinus Antiochiae ecclesias simul administrarent, et alterutro mortuo, qui superstes esset, solus eas regeret [2]. Sed conditionem post mortem Meletii non fuisse servatam, postea videbimus.

Nulli ecclesiae maiora mala intulerant ariani quam Constantinopolitanae. Ad illius ruinas reparandas multorum episcoporum precibus evocatus fuit s. Gregorius Nazianzenus, qui Constantinopolim profectus, sermonibus et exemplis collapsam prope Fidem et pietatem restituit, invicto animo catholicam veritatem adversus Arianos, Macedonianos et Apollinaristas propugnavit, sacras Litteras docuit, et inter alios auditorem habuit s. Hieronymum [3].

49. *Synodi Romana et Aquileiensis* — In Occidente post Valentiniani senioris obitum, Ursicinus antipapa eiusque sectatores, novos tumultus excitarunt. Is rursus Romanam sedem invadere molitus est; eius consortes, et in schismate ordinati episcopi, licet catholicorum episcoporum sententia damnati et exauctorati, ecclesias, quas invaserant, impudenter retinebant. Quapropter episcopi multi, anno 378 Romae sub s. Damaso adunati, Gratianum et Valentinianum imperatores epistola interpellarunt, ut schismaticorum audaciam reprimerent, et praeciperent, ut omnes, a Damaso Pp. et catholicis episcopis damnati, horum iudicio ac-

---

[1] Socrat. *Hist. eccl.* l. IV, c. 33; Sozomen. l. VI, c. 37; Theodoret. l. IV, c. 37; s. Hieron. *Chron.* ad an. 370; Oros. *Hist.* l. VII, c. 7.

[1] Socrat. *Hist. Eccl.* l. V, c. 2; Sozomen. l. VII, c. 1-5; Theodoret. l. V, c. 2.

[2] Socrat. l. c., c. 5; Sozomen. l. c., c. 3. Cf p. 104.

[3] Socrat. l. c., c. 6; Sozomen. l. c., c. 5; Ruffin. l. II, c. 9.

quiescerent; quicumque vero a sacerdotali iudicio vocatus, adesse contumaciter renueret, a praefectis praetorio Italiae vel vicario urbis Romae ad R. Pontificis tribunal, aut si extra Italiam quaestio mota fuisset, ad metropolitani iudicium, et si de metropolitani causa ageretur, ad R. Pontificem vel designatos ab eo iudices se sistere cogeretur [1].

Synodi votis annuit Gratianus augustus, datoque ad Aquilinum urbis vicarium rescripto, supra dictum iudiciorium ecclesiasticorum ordinem servari iussit [2].

Eosdem imperatores, Gratianum, Valentinianum et Theodosium, adversus Ursicinum antipapam, qui Mediolani cum arianis coniunctus novas turbas meditabatur, et contra Palladium et Secundianum, episcopos in Illyrico, litteris interpellavit synodus Aquileiensis an. 381, in qua Palladius et Secundianus, qui neque Arium eiusque haeresim damnare, neque Filium Dei verum Deum profiteri volebant, sed modo concilium generale, modo iudices saeculares temere postulabant, sacerdotio depositi sunt [3].

50. *S. Basilii obitus* (*an.* 379) — Interim s. Basilius, episcopus Caesareensis in Cappadocia, qui Valentis tempore Ecclesiam adversus arianos invicta constantia defenderat, ad immortalem vitam transiit [4]. Multa reliquit eruditionis suae monumenta, inter quae eminent Homiliae in Hexameron et Psalmos, Commentarii in Isaiam, libri 5 adversus Eunomium, liber de Spiritu S., libri 2 de Baptismo, Liturgia, libri morales et ascetici, pluresque epistolae [5].

51. *Ss. Ephrem, Cyrillus Hierosolymitanus, Zenon Veronensis, et Optatus Milevitanus* — Basilio aetate aequales fuerunt s. Ephrem Syrus, Edessenae ecclesiae diaconus, qui an. 378 obiit [6], et sermones plures, commentarios in Scripturam S., aliaque tum ligata cum soluta oratione scripsit [1]; s. Cyrillus, episcopus Hierosolymitanus, qui ab arianis sede sua ter deiectus, sub Theodosio restitutus, usque ad an. 386 ecclesiam suam sanctissime gubernavit [2], et reliquit Catecheses 18, Mystagogicas 5, et epistolam ad Constantium imperatorem de signo crucis, quod an. 351 Hierosolymis visum fuerat [3]; s. Zenon, episcopus Veronensis, egregius Fidei praedicator et adversus arianos defensor, qui an. 380 vita excessit [4], pluresque sermones reliquit [5]; s. Optatus Milevitanus, in Numidia episcopus, acerrimus oppugnator Donatistarum [6], de quorum schismate libros 7 edidit adversus Parmenianum [7].

52. *Ss. Ambrosius, Martinus et Hieronymus* — Hoc ipso tempore praeter alios tum vitae sanctitate tum fidei et verae pietatis zelo maxime celebres erant Ambrosius, Martinus et Hieronymus. S. Ambrosius, praefecti praetorio in Galliis filius, primo forensium causarum patronus, deinde Liguriae et Æmiliae praefectus fuit. An. 374 missus Mediolanum ad componendas turbas, de creando episcopo post mortem Auxentii ortas, ipse quantumvis invitus, Mediolanensis archiepiscopus electus est. Hac dignitate insignitus, nihil quidquam neglexit eorum, quae ad rectam muneris administrationem et ad Ecclesiae bonum pertinebant. Sanae doctrinae cultor eximius, durae et poenitentis vitae studiosus, litterarum sanctiorum amantissimus, pauperum miseriis sublevandis intentus extitit. Arianos aliosque huius aetatis haereticos imperterrite oppugnavit; arianis studiis Iustinae augustae, matris Valentiniani, constantia vere sacerdotali restitit, nullisque artibus flecti potuit, ut, quod illa mandabat, arianis basilicam concederet. Symmachi Romae praefecti, qui post Gratiani mortem ethnicos ritus instaurare tentabat, conatus repressit [8].

S. Martinus primo militiam, dein monasticam vitam professus, anno circiter 371 vel 375 ad episcopatum ecclesiae Turonensis evectus est. Factus episcopus, nihil de vitae disciplina remisit; christianae religionis professionem in omni late regione propagavit stabi-

---

[1] Labbe, *Concil.* t. II, p. 1001.

[2] Ibid. p. 1004. Natalis Alex. *Hist. eccl.* saec. IV, c. 11, ex hoc facto concludit, ad imperatores pertinere ut ferant leges, Ecclesiae pacem et ecclesiasticorum iudiciorum ordinem spectantes; de causis clericorum decernant, modo non sint mere ecclesiasticae, sed mixtae; imo earum cognitionem post episcoporum iudicium, titulo patrocinii iure suo suscipiant. Sed hanc Natalis propositionem animadversionibus correxit C. Roncaglia in editione *Hist. eccl.* Natal. Alex, quam ipse curavit

[3] Labbe, ibid. p. 979; Baron. ad an. 381, n. 81.

[4] Cf Hermant, *Vie de s. Basile*.

[5] Cura DD. Garnier et Marant, Paris. 1721-1730, 3 tom. in-fol. Cf Card. Mai, *Script. vet.* t. I.

[6] Bolland. *Acta SS.* 19 iul.

---

[1] Optima operum eius editio est Romana an. 1732, 6 vol. in-fol.

[2] Bolland., ibid. 18 mart.

[3] Opera eius edita sunt Paris. 1720 et Venet. 1763.

[4] Bolland. ibid. 12 april.

[5] Sermones seu Tractatus Zenonis ediderunt Ballerini, Veron. 1739, in-4.

[6] Bolland. *Acta SS.* 4 iun.

[7] Paris. 1700, et Antwerp. 1702, in-fol; Migne, loc. cit.

[8] Cf G. Hermant, *Vie de s. Ambroise*, in-4.

livitque, et quae adhuc extabant idololatriae reliquias, aras et templa sustulit; fidem catholicam adversus sectarios propugnavit; veram pietatem tum exemplo tum sermone docuit, et quemadmodum s. Ambrosius penes Mediolanenses, ipse apud Turones et Pictavos monasticum institutum, conditis coenobiis, promovit [1].

S. Hieronymus Stridone in Dalmatia natus, latine, graece et hebraice doctus, varia aggressus itinera, deinde in Syriae solitudine annis 4 vitam anachoreticam duxit; a Paulino Antiocheno presbyter ordinatus, Romam venit, ubi s. Damaso a secretis fuit. Huius Pontificis mandato veterem ss. Librorum versionem latinam, dictam *Italam*, correxit et secundum textum graecum in integrum restituit. Post s. Damasi obitum an. 384, plurium etiam e clero, quorum vitia acerbe perstringebat, invidiam expertus, in Orientem regressus est; et perlustratis sacris Palaestinae locis et Ægypti monasteriis, reliquam vitam in secessu Bethlemitico usque ad ann. 420 inter continua pietatis, poenitentiae et litterarum exercitia peregit [2].

53. *Concilium Cpnum I, generale II (an.* 381) — Theodosius imperator Orientis, ecclesiarum paci consultum cupiens, anno 381 episcopos imperii sui Constantinopolim ad concilium evocavit, ut detrimenta, Religioni sub Constantio, Iuliano et Valente imperatoribus illata, resarcirentur; catholicae fidei veritas contra Arianos, Macedonianos et Apollinaristas assereretur, et ecclesiae Cp., quam contra vota catholicorum, Gregorium Nazianzenum poscentium, invaserat Maximus cynicus, episcopus daretur. Convenerunt 150 episcopi catholici et 36 macedoniani vel semiariani, omnes ex Oriente. Macedonianos vel semiarianos etiam ad concilium vocaverat imperator, ut hac via inducerentur ad recipiendam Nicaenam fidem, quam sub Liberio Pp. fuerant professi, sed post Valentis imperatoris obitum rursus deseruerant [3]. Quis autem huic concilio, quod per plures menses protractum est, praesederit, certo affirmari nequit. Multi dicunt, primo praesedisse Meletium Antiochenum, post eius obitum Gregorium Nazianzenum, post huius discessum Timotheum Alexandrinum, et tandem Nectarium, qui Gregorio Nazianzeno in Cpna sede suffectus est. In primis deiecto invasore Maximo, Gregorius Nazianzenus cuius merita iam laudavimus [1], summo concilii applausu ad Cpnam sedem evectus est. Post dies paucos obiit Meletius Antiochenus. Quare nonnulli episcopi, praesertim iuniores, alium in eius locum ordinandum proposuerunt. Restitit vero Gregorius Nazianzenus, quod id initae olim Meletium inter et Paulinum concordiae adversaretur et Antiochenae ecclesiae divisionem foveret. Inde turbae graves in concilio excitatae sunt. Prioribus praevalentibus, in locum Meletii ordinatus est Flavianus. Cum autem huic ordinationi consentire nollet Gregorius, multorum invidiam in se concitavit. Quapropter, ne dissensio scandalum pareret, pacis studio et concilio et episcopatui Cp. nuncium remisit. In eius locum ordinatus fuit Nectarius, ex ordine senatorio et adhuc catechumenus. Quantum ad causam Fidei spectat Macedoniani interpellati, ne Fidem, quam coram Liberio per legatos professi fuerant, subverterent, responderunt, se malle Arianam quam Nicaenam doctrinam sectari; et Costantinopoli discesserunt [2]. Episcopi vero catholici, Arianorum, Macedonianorum et Apollinaristarum erroribus damnatis, Nicaenum symbolum confirmarunt, additis nonnullis verbis, quae catholicam praesertim de Spiritu S. doctrinam explicarent et Macedonianorum aliorumque errores everterent. Editi sunt canones 3: Canone 1° confirmatur Nicaena fides, omnisque haeresis speciatim Arianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Photinianorum et Apollinaristarum damnatur; 2° praecipitur, ut sua quaeque ecclesiae servent iura et privilegia sibi per Nicaenos canones asserta, et episcopi suas ita gubernent ecclesias, ut non accedant ad alias; 3° can. primae honoris partes post R. Pontificem tribuuntur episcopo Cp., eo quod Costantinopolis sit nova Roma. Praeter hos tres canones nonnulli numerant alios quatuor, quibus: 4° declaratur Maximum Cynicum nec esse, nec fuisse unquam episcopum; 5° confirmatur libellus Occidentalium, quo Antiocheni unam Patris et Filii et Spiritus S. deitatem profitentes, suscipiuntur; 6° haeretici, excommunicati, criminis rei et infames ab accusandis episcopis et clericis arceantur; 7° praescribitur modus haereticos in Ecclesiae gremium recipiendi. His absolutis episcopi per epistolam synodicam ad imperatorem Theo-

[1] Sulpic. Sever. *Vita s. Martini;* N. Gervaise, *Hist. de s. Martin*, Tours 1669, in-4.

[2] J. Martianay, *Vie de s. Jérôme*, in-4; Bolland., *Acta SS.* t. VII sept. p. 418.

[3] Socrat. l. V, c. 4; Sozomen. l. VII, c. 2.

[1] Vid. pp. 108 et 109.

[2] Socrat. l. V, c. 8; Sozomen. l. VII, c. 7.

dosium retulerunt de iis, quae pro Fide et disciplina decreverant [1]. Imperator ea, ut ab omnibus servarentur, secundum episcoporum preces auctoritate sua munivit, legemque dedit, ut fides Nicaena custodiretur, et in omnibus locis ecclesiae traderentur iis, qui unam deitatem in trium personarum, Patris, Filii et Spiritus S., honore et potestate aequalium, subsistentia confiterentur, et cum Nectario Cp., Timotheo Alexandrino aliisque quos nominat, episcopis communicarent [2].

Hoc quidem concilium vi convocationis et celebrationis non fuit oecumenicum, seu generale, sed Orientis, cum neque episcopi Occidentis ad illud fuerint convocati, neque Damasus Pp. ei praesederit. Verumtamen, RR. Pontificibus et Occidentis episcopis cum Orientalibus in eadem Fidei expositione et haeresum damnatione consentientibus, postea illud concilium ab universa Ecclesia oecumenicis adnumeratum est [3]. Eius vero canonem 3m, quo honoris primatus post R. Pontificem conceditur episcopo Cp., utpote novum et avitis confirmatisque Alexandrinae et Antiochenae ecclesiarum iuribus ac privilegiis oppositum, neque Damasus Pp. neque eius successores receperunt. Et quum anno 451 concilium Chalcedonense secundum praedictum canonem episcopo Cp. patriarchica iura in Asiaticam, Ponticam et Thracicam dioeceses asseruisset, non tantum reclamarunt Apostolicae Sedis legati, sed s. Leo Pp. eiusque successores diu contra ea, quae sive in Cp. sive in Chalcedonensi concilio hac de re fuerant constituta, pugnarunt. Lapsu vero temporis et non amplius contradicentibus RR. Pontificibus, episcopi Cp. secundum honoris locum et patriarchica iura in praedictas dioecesos acceperunt; quod demum an. 1215 in concilio Lateranensi IV, can. V, legitima auctoritate confirmatum est [4].

54. *Concilium Romanum* (*an.* 382) — Damasus Pp. auditis iis, quae in concilio Cp. circa ordinationem Flaviani Antiocheni et Nectarii Cp. acta fuerant, litteras ad imperatorem Theodosium scripsit, ut de iis, aliisque ecclesiarum negotiis generale concilium Romae celebraretur. Plures ex toto Occidente episcopi Romam convenerunt. Orientales, Costantinopoli consistentes, legatos miserunt cum litteris ad Damasum Pp. et congregatos Romae episcopos, quibus moram suam in Oriente necessariam excusarunt; ea quae in concilio adversus haereticos pro Fide decreverant, significarunt, rogaruntque Occidentales, ut ordinationes Flaviani et Nectarii, quas dicebant secundum canones factas, comprobarent. Quae autem in Romano concilio gesta sint, non constat, cum acta eius exciderint [1].

55. *Aëriani* — Quum iam ariana secta, caesareae potestatis patrocinio privata, tum in Oriente tum in Occidente collabebatur et penes solos Gothos latibulum obtinebat, Aërius presbyter semiarianus, aegre ferens, Eustathium amicum suum anno 355 in episcopatu Sebasteno Armeniae minoris sibi fuisse praelatum, ab eo secessit, magnum plebis numerum ab Ecclesia abstraxit, et sectam quae Aërianorum nomen accepit, instituit. Illius errores praecipui, ab haeresiarchis saec. XVI instaurati, fuere sequentes: Asserebat, nullam esse episcopos inter et presbyteros distinctionem; orationes et bona opera vivorum defunctis non prodesse; spernenda esse ieiunia in Ecclesia instituta. Cum Aëriani nusquem tolerarentur, et in campis, sylvis ac speluncis morari cogerentur, non diu videntur durasse. Eorum errores confutarunt s. Epiphanius et s. Augustinus [2].

Messaliani — Peior fuit Messalianorum secta, in Syria orta. Illi orationem solam ad salutem assequendam sufficere contendebant; ea pravum daemonem, quocum, iuxta ipsos, quisque nascebatur et ad malum impellebatur, fugari, Spiritum S. recipi, hominemque ad corporalem ipsius ss. Trinitatis visionem elevari. Alii quibusvis operibus bonis, immo ipsis Sacramentis neglectis, soli orationi vacabant, qua absoluta, tempus otio et somno terebant; unde magna morum corruptela inter eos secuta est [3]. Cum autem errores suos sollicite celarent negarentque, eorum mysteria non sine arte et industria Flavianus, episcopus Antiochenus, ab Adelphio sectae duce didicit. Tunc sectarii Syria eiecti, digressi sunt in Pamphyliam; et an. 383 ab Amphilochio, episcopo Iconiensi, in synodo Sydensi damnati, discesserunt in Armeniam, ubi eos compescuit Letoius episcopus Melitinensis.

[1] Labbe, *Concil.* t. II, p 911.
[2] Sozomen., l. VII, c. 9.
[3] Cf Lupus, *Diss. de Synodo Cpno* I, t. I; Tillemont, *Mémoires*, t IX, p 211; FF. Ballerini, *Append.* ad *Opera s. Leonis*, t. III.
[4] Cf P. M. Le Quien, *Oriens christianus*, t. I.

[1] Theodoret. *Hist. eccl.* l. V, c. 8-9; Labbe, *Concil.* t. II, p. 960 et 1008.
[2] S. Epiphan. *Haer.* 75; s. Augustin. *Haer.* 53.
[3] S. Epiphan. *Haer.* 80; s. Augustin. *Haer.* 57; Theodoret. *Haeret. fab.* l. IV, c 11; Baron. ad an. 383, n. 39; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1015.

Priscillianistae — In Hispania veterum Gnosticorum, Manichaeorum aliorumque haereses, iam pene exoletas, instaurarunt Priscillianistae, sic vocati a Priscilliano, nobilitate, facundia et externa humilitatis ac devotionis specie conspicuo. Is a quodam Marco Aegyptio erroribus infectus, eos multis utriusque sexus omnisque ordinis, etiam duobus episcopis, Instantio et Salviano, persuasit. Priscillianistae corporum creationem non Deo sed daemoni e materia prava tribuebant. Realem distinctionem trium divinarum personarum, veram Christi incarnationem, matrimonii honestatem, corporumque resurrectionem negabant. Vetus figmentum de emanationibus divinis seu aeonibus renovabant. Animas in peccati poenam corporibus inclusas, easque, uti et corpora hominum, fatalibus stellis obnoxias esse asserebant. Scripturas apocryphas obtendebant, quibus commenta sua confirmare studebant. Ad sectae suae arcana occultanda mendacium et periurium licita esse dicebant. Accusantur praeterea vitae turpis [1].

Quum iam in dies sectarii numero augerentur, post plura cum iis colloquia et disceptationes, an. 380 Caesaraugustae synodus indicta est. In ea, accusatoribus Idacio et Ithacio episcopis, Priscillianus, Instantius, Salvianus, aliique Ecclesiae communione exclusi, et prava eorum dogmata canonibus 8 damnata sunt [2]. Illi vero contumaciores et audaciores Priscillianum in oppido Abulensi episcopum crearunt, maioresque turbas in Hispania excitarunt. Gratianus imperator ab Idacio et Ithacio interpellatus, rescriptum dedit, quo Priscillianistae ecclesiis et urbibus pellebantur; sed illud consilio Macedonii officiorum magistri, cuius ope Priscillianistae sibi aditum ad imperatorem fecerant, paulo post rescidit [3]. Anno 383 post Gratiani interitum Ithacius, acerrimus Priscillianistarum insectator, adversus eos libellum obtulit Maximo, qui imperium usurparat. Hic praecipuos e sectariis ad synodum, an. 385 Burdigalae convocatam, adduci iussit. Instantius in synodo erroris convictus, sede sua depositus est. Priscillianus vero synodi sententiam declinans, ad imperatorem provocavit [4]. Eum cum sociis Treviros ad imperatorem adductum, secuti sunt Idacius et Ithacius accusatores. Demum Maximus Priscillianum, duplici iudicio ab Evodio, praetorio praefecto, auditum et non diffitentem, obscoenis se studuisse doctrinis, eiusque socios capite plecti iussit [1]. Hac tamen in re s. Martinum Turonensem et saniorem episcoporum partem agendi rationem Idacii et Ithacii improbasse, scribit Sulpicius Severus, quod haereticorum causam apud imperatorem ad necem usque, praeter Ecclesiae morem et christianae caritatis leges, fuissent persecuti.

Caeterum sublato Priscilliano, secta exstincta non est; denuo in Toletana an. 400 et Bracarensi an. 560 synodis damnata fuit. Sed ab hoc tempore collapsa, inter hostiles Saracenorum seu Maurorum incursiones plane pessum ivit.

56. *Siricius Pontifex*—Post s. Damasum an. 384 Ecclesiae regimen demandatum fuit Siricio, Romano, qui illud gessit usque ad an. 398. Exstant huius Pontificis 4 epistolae decretales. Prima celeberrima et disciplinae ecclesiasticae instauratrix est ad Himerium Tarraconensem episcopum, in qua vetat Pontifex, ne ariani rebaptizentur; ne baptismus, excepto necessitatis casu, extra Pascha et Pentecosten celebretur; ne desponsata uni, nubat alteri; sacerdotum et diaconorum continentiam, ab Apostolicis temporibus observatam, lege sancit; 3m Nicaeni concilii canonem de arcendis feminis a clericorum domibus renovat; monachos, quos morum gravitas, et fidei ac vitae institutio sancta commendat, ad clericorum officia admitti optat [2]; interstitia inter Ordines sacros, quique ad hos admittendi non sint, explicat. Secunda epistola est ad episcopos Africanos, in qua eadem fere decreta inculcat Pontifex, prohibetque insuper, quominus episcopi inconsulto primate aut ab uno tantum episcopo consecrentur, quominus episcopi alienae dioeceseos clericum ordinent, aut ab aliis episcopis abiectum admittant. Tertia est ad episcopos universos, in qua vetat, ne ignari et neophyti ad Ordines sacros, neque indigni ad episcopatum promoveantur. Quarta est ad Anysium Thessalonicensem et episcopos Illyrici contra Bonosum haeresiarcham, de quo infra dicemus.

---

[1] Sulpic. Sever. *Hist. sacr.* l. II; s. Leo M. *Epist. ad Turibium*; s. August. *Haer.* 70.
[2] Labbe, *Concil.* t. II, p. 1009; Mansi, t. III, p. 633.
[3] Sulpic. Sever. loc. cit.
[4] Labbe, loc. cit., p. 1033.

[1] Sulpic. Sever. loc. cit., et *Dialog.* l. III, c. 11-13; Baron. ad an. 385.
[2] Monachi sacro Presbyteratus Ordine initiari coepti sunt quarto Ecclesiae saeculo. Primus omnium s. Athanasius Clero Alexandrino sacerdotes ex monachis dedit. Eius vestigiis in partibus Occidentis primus institit s. Eusebius Vercellensis Episcopus, teste D. Ambrosio (*Epist.* 63, § 66). Siricius monachis etiam ad Episcopatum aditum patefecit.

De eodem Pontifice in *Pontificali Libro* legitur, quod Manichaeos damnarit, urbe pepulerit, et ab eorum partibus ad Ecclesiam redeuntes perpetuae poenitentiae in monasteriis subiecerit, tantum in exitu vitae ad participationem ss. Eucharistiae admittendos [1].

57. *Ss. Gregorii Nazianzeni et Philastrii obitus* — Pontificatum gerente Siricio, ad immortalem vitam evocati sunt ss. Philastrius, episcopus Brixiensis in Italia, et Gregorius Nazianzenus. Hic, abdicato episcopatu Cp., Nazianzi privatam vitam egit, et anno 389 obiit [2]. Inter eius opera, quae insigni eruditionis et eloquentiae laude celebrantur, celebriora sunt Orationes de dogmate, et contra Arianos, Macedonianos, Apollinaristas aliosque haereticos, Epistolae plurimae et Carmina varii argumenti [3]. Philastrius, qui et ipse catholicae Fidei adversus haereticos praesertim Arianos, a quibus multa passus est, strenuus defensor extitit, obiit an. 386, reliquitque librum de haeresibus [4].

58. *Ss. Gregorius Nyssenus et Amphilochius, et alii*—Cum iis floruerunt in Oriente s. Gregorius episcopus Nyssenus [5], s. Amphilochius episcopus Iconiensis [6], ambo ss. Macarii monachi celeberrimi [7], et Didymus Alexandrinus; in Occidente s. Pacianus, episcopus Barcinonensis [8], et Marius Victorinus.

Gregorius Nyssenus plura scripta reliquit, e quibus eminent Hexameron, liber *de opificio* hominis, libri contra Eunomium et Apollinaristas, Oratio de deitate Filii et Spiritus S., Homiliae plures, Epistolae, et libri Morales [9]. Multa quoque scripsit Amphilochius, sed pleraque exciderunt [10]. Macarii senioris eruditionem satis produnt, quae sub eius nomine extant, Homiliae 50 et plura opuscula ascetica [1]. Macarius iunior reliquit Regulam monasticam, in capitula 30 divisam, Sermonem de exitu animae iustorum et peccatorum, et Epistolam ad monachos [2]. E pluribus scriptis Didymi Alexandrini tantum supersunt liber de Spiritu S., Enarrationes breves in epistolas canonicas, liber contra Manichaeos, sed non integer [3]. Paciani adhuc extant Epistolae tres ad Sympronianum contra Novatianos, Exhortatio ad poenitentiam et liber de Baptismo ad catechumenos [4]. Marius Victorinus, praeter alia, scripsit libros 4 de ss. Trinitate contra Arianos [5].

59. *Helvidius*—Catholicas vero traditiones avitamque doctrinam oppugnarunt Helvidius, Bonosus, Iovinianus et Vigilantius. Helvidius Auxentii, quondam Mediolanensis episcopi ariani, discipulus, vir rudis atque obscurus, edito Romae libello perpetuam Deiparae Mariae virginitatem impugnavit, effutiens, eam, postquam Christum Dominum virtute Spiritus S. conceptum virgo peperisset, alios e Iosepho coniuge liberos genuisse [6]. Eum eiusque blasphemias peculiari libro anno 383 confutavit s. Hieronymus, tum Romae praesens [7].

Bonosus —Bonosus, episcopus Sardicensis in Illyrico, cum Ebionitis et Photino divinitatem Christi, et cum Helvidio perpetuam Deiparae virginitatem oppugnavit. De eo actum est in synodo Capuana an. 389, eiusque causae cognitio a synodo demandata fuit Anysio Thessalonicensi caeterisque Illyrici episcopis. Anysius, Apostolicae Sedis in Illyrico vicarius, aliique episcopi Illyrici sententiam Siricii Pp. de hac re sciscitati sunt; et acceptis ab eo litteris, in quibus Siricius errorem Bonosi perstringebat, et episcopos, ut causam eius cognoscerent, monebat, Bonosum haereticum damnarunt [8].

Iovinianus — Iovinianus, monachus Mediolanensis, anno 382 e monasterio egressus

---

[1] « Hinc duo consequuntur, inquit Schelstrate (*Antiquit. illustr.* part. I, p.463), et monasteria ante Siricium in Occidente exstitisse, et gravioribus delictis poenitentiam perpetuam impositam fuisse, cum hoc tamen moderamine, quod in ultimo constitutis Viaticum concederetur ».

[2] G. Hermant, *Vie de s. Grégoire de Naz.*, in-4.

[3] Paris. 1609 et 1630, 2 vol. in-fol.; et 1778-1839; Migne, *Patrol. graec.* t. XXXV-VIII. Fragmenta edidit card. Mai in *Spicil. Rom.* t. VI.

[4] Bolland. *Acta SS.* 18 iul. Liber s. Philastrii editus est Hamburgi 1721, Brixiae 1738, et a Migne in *Patrol. lat.* t. XII.

[5] Bolland. *Acta SS.* 9 mart.

[6] Butler, *Vies de SS.* 23 nov.

[7] Bolland. ibid. 2 et 16 ian.

[8] Ibid. 9 mart.

[9] Paris. 1615-1618, 2 vol. in-fol., et 1638, 3 vol. in fol.; Migne, *Patrol. graec.* t. XLIV-VI.

[10] Varia sub s. Amphulochii nomine collegit Combefis, Paris. 1644, in-fol.; Migne, *ibid.* t. XXXIX.

---

[1] Edita a P. Possin in *Thesaur. Ascet.*, et a I. G. Prit. Lips. 1699, in-8.

[2] Galland., *Bibl. PP.* t. VII; Migne, *Patrol. graec.* t. XXXIV.

[3] Edit. Colon., Helmstad. et in *Bibl. PP.*; Migne, *ibid.* t. XXXIX.

[4] Galland. loc. cit.; Migne, *Patrol. lat.* t. XIII.

[5] Galland. t. VIII.

[6] S. Hieron., *L. adv. Helvidium*; s. August., *Haer.* 84.

[7] Ibid.

[8] Labbe, *Concil.* t. II, p. 1033-1039; Innocent. Pp. *Epist.* 22.

ad vitam tam mollem descivit, ut eum *christianorum epicureum* vocet s. Hieronymus. Is, B. Mariam virginitatem suam in partu Messiae deperdidisse, asseruit. Contendit praeterea, nuptias et virginitatem esse eiusdem meriti; abstinentiam non magis prodesse quam cibi sumptionem cum gratiarum actione; hominem baptizatum non posse in peccatum labi; omnium, qui baptismum servaverint, parem fore in coelo remunerationem seu gloriam [1]. Quum hos errores Iovinianus Romae spargeret, Siricius Pp. an. 390 synodum coëgit, in qua illum eiusque sectatores damnavit, litterasque ea de re dedit Mediolanum, quo haeresiarcha migraverat. S. Ambrosius Mediolanensis, acceptis Pontificis litteris, synodum convocavit, in qua pariter Iovinianus eiusque sectatores damnati sunt [2].

Ioviniani errores scriptis confutarunt s. Hieronymus [3], s. Ambrosius [4], et s. Augustinus [5]. Iovinianistas etiam legibus insectati sunt imperatores Theodosius [6], et Honorius, qui Iovinianum in insulamBoam relegavit [7].

Vigilantius—Post aliquot annos Ioviniani errores instauravit Vigilantius presbyter, natione Gallus, quem per iocum D. Hieronymus Dormitantium appellat. Is an. 404 edito libro impugnavit sacrarum reliquiarum cultum, Ssrum invocationem, vitam caelibem, institutum monasticum. Illum etiam confutavit s. Hieronymus [8].

60. *Status Ecclesiae Antiochenae* — In Oriente divisio in ecclesia Antiochena, a Meletii temporibus coepta, post eius obitum, ob ordinationem Flaviani contra pacta inter Meletium et Paulinum composita factam, revixit [9]. Alii communicabant cum Paulino episcopo, alii cum Flaviano Meletii successore; omnes tamen in doctrina Fidei erant concordes. An. 388 Paulinus, paulo antequam moreretur, Evagrium sibi successorem ordinavit, Episcopi orientales passim communicabant cum Flaviano, quemadmodum cum Meletio fecerant, Pontifex vero et Occidentales cum Evagrio, sicuti cum eius decessore Paulino; catholica tamen communio inter eos rupta non erat, neque altera pars se ab altera absciderat. Cum vero ex eiusmodi divisione mala graviora et schismata sequi potuissent, de ea actum est an. 389 in synodo Capuana, quae causae illius cognitionem delegavit Theophilo, patriarchae Alexandrino, tum quod dignioris in Oriente sedis esset episcopus, tum quod neutri parti addictus, una cum Ægypti episcopis dissidia facilius componere posset. Siricius Pp. de eadem re interpellavit Theodosium imperatorem. Verumtamen divisio non fuit composita [1]. An. 392, defuncto Evagrio, solus Flavianus permansit episcopus; sed Antiocheni, qui ab Evagrio steterant, privatim conveniebant; et cum Flaviano non communicabant. An. 398 Flavianus ad conciliandam concordiam legatos misit ad Apostolicam Sedem. Anastasius, qui hoc anno Siricio Pp. successerat, Flaviani ordinationem ratam habuit, eique communionis litteras concessit; unde concordia inter episcopos restituta fuit. Demum Alexander, qui an. 413 patriarcha Antiochenus creatus fuit, omnes Eustathianos blanda verborum persuasione ad unam eamdemque cum aliis communionem perduxit [2].

61. *Theodosii M. obitus* — In Occidente Gratiano imperatore an. 383 interfecto, imperium in Gallia, Britannia et Hispania arripuit Maximus. Reliquas imperii Occidentalis provincias tenebat Valentinianus II. Hic invasionem et arma Maximi metuens, ad eum legavit s. Ambrosium, archiepisc. Mediolanensem; quo mediatore pax inter Maximum, Valentinianum et Theodosium composita est. At postea pacis initae poenituit Maximum; qui totius Occidentis imperium affectans, arma adversus Valentinianum paravit. S. Ambrosius nova legatione ad Maximum functus, re infecta rediit. Sed Theodosius imperator Orientis, a Valentiniano evocatus, an. 388 truculentum Maximum apud Aquileiam debellavit, pacatumque imperium Valentiniano restituit. Anno vero 392 interfecto Valentiniano, imperium usurpavit Eugenius tyrannus. Verum Theodosius cum exercitu in Occidentem profectus, an. 394 Eugenium debellavit, et solus utroque imperio potitus est.

Theodosius quinto post devictum Eugenium mense anno 395 Mediolani vita decessit, propter res praeclare gestas et sinceram in Deum pietatem cognomen Magni consecutus. Utique in Thessalonicensium caede, quam ad castigandos seditiosos imperaverat, iustitiae limites transgressus est, sed s. Ambrosii mandato palam poenitentiam egit.

---

1 S. Hieron. LL. *adv. Iovinian.*; s. Augustin., *De haeres.*
2 Labbe, *Concil.* t. II, p. 1040.
3 Libri II *adv. Iovinian.*
4 *Epist.* 26 *ad Eccl. Vercell.*
5 LL. *De bono coniugali* et *de s. Virginitate.*
6 *Cod. Theodos.* l. I *de monach.*
7 Ibid. l. LIII *de haeres.*
8 L. *contra Vigilant.*, et *Epist. ad Riparium.*
9 Vid. p. 104 et 111.

---

1 Theodoret. l. V, c. 23; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1039.
2 Theodoret. ibid. c. 23 et 35.

62. *Ecclesiae status sub Arcadio et Honorio* (*an.* 395)—Mortuo Theodosio M. successerunt duo eius filii, Arcadius in Orientis, Honorius in Occidentis imperio. Cum essent ambo moderandis rebus inepti, regiminis summa penes ministros fuit. Attamen a teneris pie instituti, varias leges in Ecclesiae favorem tulerunt, tum ad augendam et defendendam christianae religionis professionem, tum ad exscindendas ethnicae superstitionis reliquias, et compescendam haereticorum petulantiam [1]. Hinc orthodoxae fidei professio magis aucta est; catholica veritas in omni imperio praevaluit; Arianorum vero sectae, quae tanta olim incommoda Ecclesiae intulerant, principum protectione orbatae, et intestinis discordiis divulsae, in dies pessum ibant.

Verum Ecclesiae status plurimum turbatus fuit barbarorum in imperium incursionibus. Theodosius moriens filios suos et imperium commendarat Stiliconi, probatae fidei viro et utriusque imperii militiae magistro. Rufinus, Arcadii minister, aegre ferens Stiliconem sibi praelatum, et Arcadium, non filiam ipsius, sed Eudoxiam duxisse uxorem, Alaricum Gothorum ducem in imperium evocavit. Hic Macedoniam, Graeciam et Illyricum invasit, omnia, per quae transibat, ferro et igne devastans. Verumtamen Alaricus a Gaina duce bellicoso repressus fuit, et Rufinus a militibus trucidatus perfidiae suae poenas luit. Gainas etiam brevi post in Arcadium perfidus extitit, imperium affectavit, et una cum Tribigildo, militum tribuno in Phrygia, Arcadio imperatori insidias struxit; sed a Fravito duce debellatus et in Thraciam profugus, anno 400 interfectus est. Imperavit Arcadius usque ad an. 408.

In Occidente sub Honorio, imperatore inerti et a re bellica alieno, foedissimus erat imperii status, internis pariter ac externis motibus assiduis perturbatus. Alaricus, a Visigothis rex salutatus, cum exercitu ingenti in Italiam irrupit; sed an. 403 a Stilicone, ei cum romanis copiis occurrente, Pollentiae in Liguria profligatus est. Eodem tempore Vandali, Alani, et Suevi, traiecto Rheno, in Gallias ac Belgium irruerunt, urbesque et agros ferro et igne tristem in modum populati sunt; eadem deinde commiserunt in Hispania. Stilico apud imperatorem incusatus, quod barbaros in imperium evocasset, Honorii mandato an. 408 interfectus fuit.

[1] *Cod. Theodos.* l. XXV.

Barbarorum invasionibus accesserunt intestinae tyrannorum rebelliones. In Africa tyrannidem exercuit Gildo, qui a Mascezel duce debellatus, rebus desperatis anno 398 sibi mortem adscivit. Postea illic rebellionem excitavit Heraclianus comes, qui instructa potentissima classe, in Italiam contra Honorium transfretavit; sed a Marino comite superatus, an. 413 iugulatus est. In Britannia post Gratianum, rebellavit Constantinus, qui a legionibus Britannicis imperator salutatus, Galliam invasit, initoque cum barbaris pacto, in Britannia, Gallia et Hispania imperium occupavit usque ad an. 411, quo a Constantio Honorii duce debellatus est.

Interea Alaricus Visigothorum rex Romam properavit. An. 408 urbem obsedit, civesque ad redimendam magno auri et argenti, pondere pacem coëgit; Honorio, Ravennae commoranti, pacis conditiones obtulit, quas cum reiecisset imperator, Alaricus anno sequente Romam expugnavit et militum direptioni dedit, basilicas tamen et eos, qui in illas confugerant, incolumes servari iussit: Placidia autem, Honorii soror, capta est. Alarico, brevi post mortuo, successit Athaulphus, qui relicta Italia, transiit in Galliam, cui clades multas intulit; Placidiam Honorii sororem coniugem duxit, sedemque fixit Narbone; anno 415 a Constantio duce victus, relicta Gallia transiit in Hispanias, ubi eodem anno occisus est. Ei successit Wallia, qui cum Honorio pacem pepigit, Placidiam ei reddidit, quam Honorius Constantio duci coniugem dedit, et bellum intulit Suevis, Vandalis et Alanis, qui Hispaniae provincias occuparant.

Ex his breviter delibatis sat colligere est, admodum turbatum fuisse his temporibus Ecclesiarum statum malaque innumera iis illata [1].

63. *Ss. Victricius, Nicetas et Ninianus*—Sanctorum virorum laboribus ac sudoribus populi nonnulli ad christianam fidem hoc tempore conversi sunt. Hac de re praeter alios praeclare meruit s. Victricius, episcopus Rothomagensis, qui ad Morinos et Nervios, Gallo-Belgii partem incolentes, profectus, tanto cum successu iis christianam fidem annuntiavit, ut brevi tempore idolorum arae essent eversae, vero Deo ecclesiae erectae, utriusque sexus monasteria constructa, et

[1] Oros. *Hist.* l. VII; Gregor. Turon. *Hist. Franc.* l. II; Socrat. l. VI; Sozomen. l. VII; Claudian. l. II in *Rufin.*; Iordan. *De rebus Geticis.*

christiana religio per omnem late regionem propagata [1].

S. Nicetas, Romatianae in Dacia episcopus, non tantum inter utriusque Daciae populos Evangelium propagavit, sed etiam penes Gothos, Scythas et Bessos usque ad montes Rhipaeos apostolicas missiones ingenti cum fructu obivit [2].

S. Ninianus, illustri loco in Scotia meridionali oriundus, Romae litteris institutus et episcopus ordinatus, dein in patriam redux, Evangelium inter Pictos seu Scotos meridionales, latissime propagavit, sedemque episcopalem constituit in urbe Casa-Candida, hodie Whiterne [3].

Marcomanni etiam, qui in hodierna Bohemia, Moravia et Austria Transdanubiana habitabant, praeeunte regina sua Fritigildi, fidem Christi susceperunt. Etenim Fritigildes s. Ambrosii fama quaquaversum diffusa, ad suscipiendam religionem christianam incitata, ad sanctum praesulem legatos misit, ut ab eo doceretur, quae essent credenda. S. Ambrosius ad eam litteras dedit, quae christianae doctrinae summam continebant [4].

64. *S. Ambrosii et Nectarii Cp. obitus* (*an.* 397) — S. Ambrosius vitae sanctitate, eruditione, fidei catholicae defensione et disciplinae ecclesiasticae instauratione spectatissimus [5], obiit an. 397 [6]. Scripsit libros multos, de patriarchis V. Testamenti, de mysteriis et sacramentis N. Foederis, de Fide, de Spiritu S., de officiis ministrorum, de virginibus et virginitate; commentarios in Psalmos et in Evangelium s. Lucae, pluresque diversi argumenti Epistolas et Orationes [7].

Obiit eodem anno Nectarius episcopus Cp. De eo Socrates [8] et Sozomenus [9] narrant, quod munus presbyteri poenitentiarii abrogarit ob grande scandalum, ortum e confessione mulieris, quae poenitentiae publicae exercitiis vacans, cum diacono stuprum commiserat. Perperam hoc facto gloriantur Calvinus, caeterique, qui divinam confessionis sacramentalis institutionem impugnant, iactitantes, ipsam confessionem sacramentalem, quam a Christo Domino institutam, omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam, et ab initio Ecclesiae semper in usu fuisse, definivit concilium Tridentinum [1], a Nectario fuisse abrogatam, ac proinde eam non divinae, sed humanae esse institutionis, hominum auctoritate usurpari coeptam, hominumque decreto sublatam. Verum neque Socrates, neque Sozomenus dicit, confessionem sacramentalem a Nectario fuisse abrogatam, sed solum sublatum presbyterum poenitentiarium, cuius officium erat, imponere et moderari poenitentiam publicam. Quo officio suppresso, Nectarius, abrogavit non sacramentalem peccatorum confessionem aut poenitentiam secretam, sed vel solemnem poenitentiam, cui quorumdam graviorum delictorum rei erant obnoxii, vel publicam confessionem, quae a nonnullis sive in scelerum suorum vindictam vel ad scandali reparationem, sive ex humilitate aut propter aliorum exemplum ad Ecclesiae offensae aedificationem fiebat. Id manifestum reddit utriusque, Socratis et Sozomeni, narratio. Praeterea confessionem et poenitentiam arcanam post aetatem Nectarii sicuti ante in Cpna ac in tota ecclesia Graeca perpetuo obtinuisse, e s. Ioannis Chrysostomi, qui Nectario in sede Cp. successit, Ioannis Ieiunatoris, qui eamdem occupavit, testimoniis, aliisque plurimis monumentis constat [2].

65. *Ss. Ioannes Chrysostomus et Augustinus* — Defuncto Nectario, magna cleri, populi et imperatoris Arcadii consensione ad sedem Cp. evectus est s. Ioannes, propter auream eloquentiam dictus Chrysostomus; qui an. 344 Antiochiae natus, primo forensium causarum patronus fuit, deinde in eremo pietatis exercitiis et Scripturarum lectioni vacavit, postea in patriam redux, Antiochiae diaconi et presbyteri officio functus est, et an. 397 Nectario succesit [3].

Ecclesiam Hipponensem in Numidia illu-

---

[1] S. Paulin. *Epist.* 26; Ghesquiere, *Acta SS. Belgii selecta*, t. I.
[2] *S. Nicetae vita et opuscula*, opera P. Braidae, Utin. 1810 in-4; Bolland., *Acta SS.* 7 ian.
[3] Beda, *Hist.* l. III, c. 4; Alford., *Annal. Britan.* ad an. 432.
[4] Paulin. *Vita s. Ambrosii*, n. 36.
[5] Cf p. 110.
[6] G. Hermant, *Vie de s. Ambroise*, in-4.
[7] Edit. cura Benedictin., J. Frisch. et N. le Nourry, Paris. 1686, 2 vol. in-fol.; Migne, *Patrolog. latin.*, t. XIV-VIII; card. Mai, *Scriptor. vet.* t. VIII. — Opera omnia huius s. Doctoris cura Paul. Aug. Ballerini Patr. Alexandr. latini ritus, et ad mediolanenses codices pressius exacta, prodeunt in-fol., Mediol. t. I, 1875; t. II, 1876 (edit. nondum completa).
[8] L. V, c. 19. — [9] L. VII, c. 16.

[1] Sess. XIV, *de Poenit.* c. 5.
[2] Cf H. Vales. Annot. *in Socrat.*; I. Morin. *Comment. hist. de sacramento Poenit.*; F. A. Zaccaria, *Dissert. de poenitent. a Nectario sublata*; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. XIII-XIV, diss. 14; I. B. Palma, *Praelect. hist. eccl.* t. I, p. II, c. 14.
[3] B. de Montfaucon, *Vita s. Ioan. Chrysost.* in *Operum* eius edit. t. XIII; Stilting., *Acta SS.* t. XLI, p. 401-709.

strabat s. Augustinus. Is an. 354 Tagastae in Numidia natus, magno ingenio praeditus, litteris doctrinisque variis imbutus, sed iuvenili ardore in vitia abreptus, Manichaeorum errores suscepit. Artis oratoriae peritissimus, Carthagine, Romae, deinde Mediolani, rhetoricam docuit. Hoc munere Mediolani fungens, s. Ambrosii sermonibus incitatus, manichaeos errores abiuravit, et baptizatus in patriam rediit, ubi 3 circiter annorum spatio litterarum studiis et pietatis exercitiis vacavit. An. 391 quamvis reluctans, presbyter ordinatus est a Valerio episcopo Hipponensi: qui paulo post metuens, ne Augustinus alii ecclesiae regendae praeficeretur, eum sibi in episcopatu Hipponensi coadiutorem et post mortem successorem petiit ac impetravit. Augustinus anno 395 episcopus consecratus, commissam sibi ecclesiam annis 36 gubernavit, vitae sanctitate, eruditione relatisque de haeresi victoriis toto orbe celeberrimus [1].

66. *Siricii Pp. obitus* (*an.* 398) — Postquam Siricius Pp. annis 13 Ecclesiam sancte gubernasset, an. 398 decessit [2]. Eius nomen Romano Martyrologio inscribendum censuit Benedictus XIV [3]. — Baronio quaedam Siricii sanctitatem obscurare visa sunt, quod periclitanti propter Origenistas Ecclesiae non statim occurrerit, sed potius communicatorias litteras Rufino, acerrimo Origenis defensori, concesserit; quod exemplo decessoris sui Damasi in conscribendis epistolis opera s. Hieronymi usus non sit, neque ei, ut par erat, faverit. Verum haec minime Siricii sanctitati obesse debent; nam quando Pontifex communicatorias litteras dedit Rufino, hic bene audiebat, Origenistae vero tumultuati sunt post Siricii mortem; quia post Damasi obitum s. Hieronymus Romae multorum, etiam e clero, odium et invidiam subiit; hinc Siricius ad sedandos tumultus illum Romae non retinuit, sed Sanctorum locorum et studiorum ardore inflammatum Hierosolymas regredi permisit [1].

Anastasius Pontifex — Siricio in summo pontificatu successit Anastasius, Romanus, qui annis 4 Ecclesiam gubernavit. — Is, ut est in Libro Pontificali, *constituit ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent* [2], *ut videlicet humilitatem, quae a Domino docetur, etiam corpore demonstrarent.*

67. *Origenistarum tumultus* — Pontificatum gerente Anastasio, graves in Ecclesia tumultus excitarunt Origenistae. De Origenis doctrina et orthodoxia tum ante, tum post eius mortem, disceptatum fuit. Vehementius de iisdem actum est, quum ariani ad haereseos suae defensionem multa e scriptis eius mutuarentur. Erant autem Origenistarum (sic enim dicti sunt Origenis defensores) duae classes. Alii quidem Origenem, eiusque auctoritatem acriter tuebantur, eius in rem christianam merita laudabant, inepte ab eo scripta non probabant, sed benigne interpretabantur, eiusque libros ab haereticis corruptos dicebant. Alii tanta veneratione illum prosequebantur, ut etiam, qui in scriptis eius occurrebant, errores acerrime defenderent.

Origenianas partes acrius propugnabant monachi Nitrienses in Ægypto; qui fatebantur, libris Origenis errores inesse, sed Origenem ab illis immunem, eosque ab haere-

---

[1] Possid., *Vita s. Augustini*; Tillemont, *Mémoires*, t. XIII; Bolland. *Acta SS.* t. VI augusti.

[2] Papebrochius, in *Conatu Chronico Historico* ad Siricium, n. 9, inquit: *Hactenus Romani Pontifices* Episcopos *sese simpliciter scripserant in genuinis, quae quidem inveniuntur epistolis*; *primus (quod quidem sciatur) Papae nomen sibi tribuit* Siricius *Papa*, *Orthodoxis per diversas provincias scribens.* — Quod quidem iam antea observaverat Petrus Cantelius in sua *Metropolitarum Urbium Historia*, t. I, part. 2, dissert. 1, c. 2. Hic idem auctor in citata Dissert. part. I, c. 1, scribit, saeculo sexto Ennodium Ticinensem, Cassiodorum, et Liberatum vocare consuevisse Romanum Episcopum *Papam*. Antistites vero aliarum Ecclesiarum Episcopos; postea sensim obtinuisse, ut nono saeculo exeunte, vel decimo ineunte, *Papae* nomen uni Romano Pontifici tribueretur. — De origine et notione nominis *Papa* fuse disputant Bollandiani in *Historia Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum* praemissa t. V iunii, et Benedictus XIV, *De Synodo Dioecesana*, l. I, c. 3, § 4.

[3] Vid. Benedict. XIV, *De Servorum Dei Beatificat. et Beator. Canoniz.* l. IV, part. II, c. 5, n. 4, et in Epist. praemissa *Martyrologio Romano*, § 51 et seqq., ubi rationem reddit, cur ita censuerit.

[1] Cf Florentin. *Exercit.* XVI *in Martyrol. Hieron.* ad VI calend. decembr.; Noris, *Diss. de sanctit. Siricii*, *Oper.* t. IV, p. 721; Benedict. XIV, *De beatif. et canoniz.*, l. IV, p. II, c. 5; Pagi, *Crit.* ad an. 398.

[2] Ritus est antiquissimus in Ecclesia, dum legitur Evangelium omnes assurgere, ut tanquam servi ante Dominum se promtos et paratos ostendant ad exequenda mandata Dei, quae in Evangelio promulgantur. Videsis Cardinal. Bona, *Rer. Liturgicar.* l. II, c. 7, § 3. Cur autem hoc decretum Anastasius conderet, causam praebuit contentio Romae presbyteros inter et diaconos oborta. Diaconi enim, ut refert Baronius ad an. 402, n. 44, res Ecclesiae administrantes supercilio elati presbyteros spernebant. Hi autem in diaconos insurrexere, atque contendebant ut ex consuetudinis Romanae Ecclesiae praescripto, ipsis sedentibus, illi erecti starent. Sed eo usque progressa est contentio, ut cum stantes Diaconi Evangelium in Ecclesia legerent, Presbyteri minime a sessione consurgerent, quod Anastasius Papa apposito decreto emendandum putavit.

ticis in eius libros insertos esse dicebant; hinc nullo modo ferebant ut Origenis libri damnarentur [1].

Hierosolymis Origenis fautores extiterunt Ioannes urbis huius episcopus, et Rufinus presbyter Aquileiensis, qui ad D. Hieronymi exemplum in Terram sanctam transierat. Cum utroque ea de causa simultatem non levem habuerunt s. Epiphanius et s. Hieronymus [2].

Rufinus an. 397 ex Oriente Romam redux, apologiam Origenis, ab Eusebio Caesareensi graece scriptam, ut opus D. Pamphili latine reddidit. E graeco pariter in latinum vertit *Periarchon* Origenis, seu libros de principiis, contestatus, se intacta Origenis doctrina, expunxisse errores ab haereticis insertos. His artibus Rufinus Romae plures in Origenianas partes pertraxit, litesque in Oriente coeptas transvexit in Occidentem.

S. Hieronymus, his auditis, epistolam scripsit ad Pammachium et Oceanum, in qua Rufinianam librorum *periarchon* interpretationem coarguit. Alteram de eadem re epistolam scripsit ad ipsum Rufinum. Hic vero ira percitus, e vestigio libros 2 *Invectivarum* scripsit, in quibus non tantum s. Hieronymi epistolam, sed et alia eius scripta aculeatis censuris perstrinxit; sed Rufini censuras duabus apologiis dispulit s. Hieronymus.

Dum haec agebantur Hieronymum inter et Rufinum, Theophilus patriarcha Alexandrinus, episcoporum Ægypti et Lybiae synodum an. 399 convocavit. In ea Origenes eiusque sectatores damnati sunt, et ad Anastasium Pp. omnesque catholici orbis episcopos synodica epistola de re gesta scripta est [3]. Idem Theophilus ab imperatore Arcadio edictum impetravit, quo monachi, qui Origenem sectabantur et pertinaciter defendebant, Nitriensibus asceteriis expulsi sunt. Eodem anno s. Epiphanius, episc. Salaminae in Cypro, episcoporum Cypriorum synodum collegit, quae omnibus Cypri christianis librorum Origenis lectionem prohibuit [4].

Origenistae monachi ex Ægypto pulsi, Constantinopolim ad Ioannem Chrysostomum confugerunt, multumque questi sunt de iniuriis sibi a Theophilo illatis. Cum se calumniam passos esse dicerent, speciemque pietatis prae se ferrent, sanctus praesul eos humaniter excepit; quod ei apud s. Epiphanium, s. Hieronymum, et maxime apud Theophilum Alexandrinum invidiam peperit [1].

Quum contentiones effervescerent, et Orientales et Occidentales in diversas partes distraherentur, Anastasius Pp. Origenis errores condemnavit, et Rufinum Aquileia Romam ad dicendam causam vocavit. Is venire detrectans, fidei suae apologiam ad Anastasium misit. Pontifex agendi rationem Rufini, factamque ab eo librorum Origenis versionem graviter improbavit, uti legere est in epistola Anastasii ad Ioannem Hierosolymitanum [2].

Origenistis auctoritate Anastasii repressis, animorum aestus deferbuit; et supervenientibus paulo post Pelagianorum, Nestorianorum et Eutychianorum contentionibus, Origenianae lites usque ad saec. VI sopitae sunt [3].

68. *Synodi Carthaginenses* — Sub saeculi IV exitum et V initia Carthagine in Africa plures synodi ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam celebratae sunt, quarum canones Apostolicae Sedis consensu et auctoritate ita recepti fuerunt, ut partem fecerint veteris Collectionis canonum, quae incipit a concilio Carthaginensi III, celebrato an. 397. Huic synodo, praeside Aurelio Carthaginensi, interfuerunt episcopi 44, et postquam in ea lectum et confirmatum fuisset breviarium canonum, quos an. 393 ediderat synodus Hipponensis, conditi sunt canones 50, quorum quadragesimus septimus continet indicem ss. Librorum utriusque Testamenti, eumdem cum eo, quem Innocentius I in epistola ad Exuperium, Gelasius I in concilio Romano, et Tridentinae synodi Patres conscripserunt [4].

Anno sequente, praeside eodem Aurelio, Carthaginem convenerunt episcopi 214, canonesque 104 condiderunt. In his multa decernuntur de sacris ordinationibus, de vita et moribus episcoporum, presbyterorum et clericorum, de disciplina poenitentiali, de catechumenis, neophytis, viduis et sanctimonialibus [5].

Post menses paucos idem Aurelius 73 episcoporum synodum coëgit, quae ratione temporis est Carthaginensis 3ª, nomine 5ª. E-

---

1 S. Epiphan. *Haer.* 64.

2 S. Epiphan. *Epist. ad Ioan. Hierosol.* inter *Hieron.* 60; s. Hieron., *Epist* 91 *ad Pammach.*

3 S. Hieron. *Epist.* 67, 70 et 71; Socrat. l. VI, c. 10-12; Sozomen. l. VIII, c. 12-14; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1220.

4 Socrat. et Sozom. ibid.

1) Ll. cc. — 2) Labbe, t. II, p. 1193.

3) Cf Card. Noris, *Dist. hist. de synodo V oecumen.*; Baron. ad an. 398-400.

4) Labbe, ibid. p. 1180; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. IV, c. 4, a. 9.

5) Labbe, ibid. p. 1196.

diti in ea sunt canones 15. Canon 1ˢ vetat, ne persona ecclesiastici ordinis cogatur ad dicendum testimonium; 2ˢ episcopis, presbyteris et diaconis secundum priora statuta continentiam etiam ab uxoribus, quas antea duxerint, sub poena depositionis inculcat; 4ˢ prohibet, ne quis rem Ecclesiae vendat: in casu vero necessitatis prius audiatur primatis provinciae iudicium; 6ˢ praecipit, ut infantes, de quorum baptismo non constiterit, baptizentur [1].

In Hispania an. 400 episcopi 19 convenerunt Toletum, et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam ediderunt canones 20 de clericorum continentia aliisque ad disciplinam spectantibus. Praeterea composuerunt fidei regulam contra errores Priscillianistarum, et duo episcopi Priscillianistae, Symphosius et Dictinius, haeresi eiurata, ut in sedibus suis permanerent, obtinuerunt, suspensa tamen communione quousque Romani Pontificis et Mediolanensis episcopi communicatorias litteras exhiberent [2].

69. *Innocentius I Pontifex* (*an.* 402) — Postquam s. Anastasius annis 4 Ecclesiam administrasset, vita excessit [3]. Successit ei Innocentius I, Albanus. Hic Pontifex plures scripsit epistolas, quae veteris sanctioris disciplinae veluti promptuaria sunt. In Epistola ad Decentium, episcopum Eugubinum, agit de conservandis in Occidente R. Ecclesiae ritibus: atque inter alia emendavit abusum, qui irrepserat, ut contra Romanae Ecclesiae morem pax alicubi ante confecta mysteria traderetur, cum necessario indicenda sit post consecrationem, ut pacis osculo demonstretur, populum ad omnia, quae in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, praebuisse consensum—tum ut populus fidelis immediate ante communionem, qua Christo unitur, mutuae ac fraternae charitatis signum exhibeat.—Insuper ieiunium Sabbati probavit iampridem Romae receptum; traditionem, ex qua Ecclesia die Parasceves et Sabbato ante Pascha abstinet a sacrosancto Missae sacrificio ratam fecit [4]. Disciplinam arcani hoc saeculo adhuc vigere quodammodo indicavit in Epistola ad Concilium Milevitanum [1]. Praeterea Epistola ad Victricium Rothomagensem docet, causas minores ab episcopis provinciae esse cognoscendas, maiores vero secundum morem ad Apostolicam Sedem deferendas, inculcatque clericorum continentiam et mores sanctos. Epistola ad Exuperium Tolosanum continet indicem Librorum Divinorum, eumdem cum eo, quem ediderunt Patres Tridentini. Epistola ad Felicem Nucerianum docet, qui in clerum non sint admittendi.

70. *S. Ioannis Chrysostomi exilium et mors* — Innocentio I negotium grave fuit cum Theophilo Alexandrino et episcopis Orientalibus in causa s. Ioannis Chrysostomi. Hic sanctus praesul ad Cp. sedem evectus, ita munere suo fungebatur, ut Ecclesiae ornamento bonisque omnibus utilitati et laetitiae esset. Eius sollicitudo non tantum in dioecesi Byzantina se continuit, sed alias etiam regiones, prout Religionis causa requirebat, complexa est. Sanctitatis et sapientiae fama ubique celeber, anno 401 ab episcopis provinciae Ephesinae in Asiam accitus fuit, ut ecclesiarum necessitatibus in ea regione prospiceret. Illic sex episcopos, simoniace electos ab Antonino Ephesino, qui anno praecedente obierat, episcopatu privavit. Hoc a Chrysostomo non ambitione, sed extraordinario iure factum fuisse, praeter alios scriptores M. Le Quien ostendit [2].

---

[1] Labbe, l. c. p. 1215.

[2] Ibid. p. 1222. In hac synodo episcopi a Symphosio et Dictinio communicatorias litteras R. Pontificis et Mediolanensis episcopi petunt, non quod par esset Pontificis et episcopi Mediolanensis potestas, sed quod hic eiusmodi litteras, catholicae communionis testes, daret delegatione, Pontifex vero iure ordinario. Cf Baron., ad an. 405.

[3] Baron. et Pagi, ad ann. 402.

[4] Ugo Menardus (in notis ad *Sacramentarium* s Gregorii t. III), inquit: *In Parasceve Maioris Hebdomadis non consecratur corpus Christi; sed sacerdos in Missa utitur Sraesanctificatis, id est hostiis antea consecratis tum pro se, tum pro omni populo. Quod per totam Quadragesimam observant Graeci, exceptis Dominicis, Sabbatis, et Festo Annuntiationis, in quibus peragunt Corporis et Sanguinis Domini sacrificium ex antiquo more, quem reperire est in can.* 52 Synodi Quinisextae seu Trullanae (apud Labbe, *Concilior.* t. VI). De *Missa Sraesanctificatorum*, bene advertit Card. Bona (*Rer. Liturgicar.* l. I, c. 15, § 5), quod aequivoce dicitur Missa, *cum careat consecratione Corporis et Sanguinis Iesu Christi.* Adde quod Missa Sabbati S. ad noctem insequentem pertinet. Disputant vero eruditi in as signanda causa, ob quam solemne sacrificium in Parasceve et Sabbato subsequenti sit praetermissum. Quamplurimi rituum Ecclesiasticorum expositores moralem causam afferre solent, nempe quia in hac die Dominus seipsum obtulit, et ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium. Innocentius I aliam rationem indicat, scilicet quod isto biduo Apostoli in moerore constituti, ieiunii permanserint, adeo ut ob hanc causam traditio Ecclesiae sit, hisce duobus diebus Sacramenta penitus non celebrari. Hinc factum est, ut primi Christiani Apostolos, imitandi studio, ab omni cibo hoc biduo abstinuerint, atque ab ipsa Sacrificii oblatione; et fortasse etiam communionem ex Praesanctificatis, illos omisisse. Videsis Mabillonium *Comment.* in *Ordinem Romanum*, t. II *Musaei Italici*, Prooem. c. 11.

[1] Ap. Coustant *Epist. Rom. Pont.* t. I, p. 896, n. 2.

[2] *Oriens christianus*, t. I, c. 4.

Sed cum vigilantissimi pastoris partes omnes expleret, in reformationem cleri diligenter incumberet, summaque eloquentiae vi in depravatos mores inveheret, multorum, praesertim Eudoxiae augustae et aulicorum, invidiam in se commovit. Demum res eo devenit, ut Theophilus patriarcha Alexandrinus, Chrysostomo etiam infensus, quod is monachos Nitrienses, Ægypto pulsos, exceperat, ab Eudoxia Constantinopolim adversus sanctum praesulem evocaretur. Theophilus an. 403 episcoporum, Chrysostomo inimicorum, conciliabulum coëgit ad Quercum in suburbio prope Chalcedonem, in quo contra Chrysostomum absentem iudicium institutum est. Multis accusationibus falso allatis, Chrysostomus episcopatu Cp. depositus et ab imperatore Arcadio exilii poena mulctatus fuit. Sed excitato a populo ob episcopi sui eiectionem gravi tumultu, Arcadius Chrysostomum revocavit.

Verum post menses circiter 8 persecutio in s. Chrysostomum recruduit. Ab adversariis accusatus, quod in synodo (conciliabulo ad Quercum) depositus, absque novo episcoporum concilio episcopalem sedem conscendisset, iterum damnatus est an. 404, et Arcadii imperatoris iussu Cucusum in Armenia minori relegatus. In eius vero locum intrusus fuit Arsacius.

Chrysostomus sede sua deiectus, Innocentium Pp. contra iniquam sententiam appellavit, missis Romam legatis cum litteris. Theophilus quoque legatos ad Innocentium misit, qui latum in Chrysostomum iudicium defenderent. Pontifex appellationem Chrysostomi suscepit, sententiam in eum latam rescidit legatosque Constantinopolim misit, qui causam Chrysostomi in legitima synodo cognoscerent. At legati re infecta, multasque iniurias perpessi, Romam reversi sunt.

Arsacio, sub exitum an. 405 defuncto, suffectus fuit Atticus. Plerique tamen Cpni et episcopi Orientales neque cum hoc neque cum illo communicabant, contra imperatoris mandatum; unde factum est, ut fideles multi iniurias graves et episcopi plures exilium subierint [1].

S. Chrysostomus Cucusi multa perpessus, translatus est Arabissum, deinde Pityuntem, quo cum pergeret, a militibus multum vexatus et aerumnis confectus an. 407 Comanis occubuit [2]. Quantum doctrinae lumen fuerit s. Ioannes Chrysostomus, quanta ingenii eius perspicuitas, quanta dicendi copia, sat probant opera, quae reliquit [1].

Innocentius Pp., qui praesto fuit Chrysostomo vivo, non defuit defuncto. Cum Attico, qui post Arsacium ad Cp. sedem evectus est, et cum Orientalibus episcopis, qui nomen Chrysostomi e sacris diptychis expunxerant, communicare recusavit, donec nomen sancti praesulis in illa restituerent, iisque expungerent nomen Arsacii usurpatoris [2].

Inter praeclara episcoporum ad Apostolicam Sedem appellationum exempla celebre est illud s. Io. Chrysostomi. Chrysostomus, qui R. Pontificis auctoritatem requisivit, erat vir magnae sanctitatis et doctrinae, episcopus illius ecclesiae, quae iam tum coeperat gradum Alexandrinae et Antiochenae superiorem postulare; appellavit itaque a sententia Concilii, in quo omnia patriarchae Alexandrini nutu gesta fuerant; deinde, R. Pontifex sententiam illam rescidit. Tale igitur est appellationis s. Chrysostomi factum, ut splendidum adferat Apostolicae Sedis in universam Ecclesiam, in ipsas etiam patriarchicas sedes, potestatis testimonium. Mirum ergo non est, istud exemplum displicuisse P. de Marca [3], Dupinio [4], Febronio [5]. At illud ab eorum dicteriis egregie vindicarunt Natalis Alexander [6], C. Lupus [7], F. A. Zaccaria [8], alii [9].

71. *S. Epiphanius* — Annis prope 4 ante Iō. Chrysostomum ad immortalem gloriam transiit quoque s. Epiphanius, e monacho episcopus Constantiae seu Salaminae in Cy-

---

[1] Pallad. *Vita s. Chrysostomi*; Socrat. l. VI, c. 18-20; Sozomen., l. VIII, c. 17-28; Theodoret. l. V, c. 34.

[2] Cf *Vitam* s. Chrysost. in *Operum* eius edit. cura B. de Montfaucon, et apud Stilting. *Acta SS.* t. XLI, p. 401-709.

[1] Opera s. Ioan. Chrysost.; edidit B. de Montfaucon, Paris. 1718-1738, 13 t. in-fol. Migne, *Patrolog. graec.* t. XLVII-LXIV. Praecipua sunt Homiliae plures in s. Scripturam et de aliis argumentis; libri 6 *de Sacerdotio*; Orationes contra Eunomeos, Manichaeos, aliosque; libri contra Iudaeos et Gentiles; libri *de Providentia Dei, de Virginitate*, aliique; Epistolae complures.

[2] Diptycha erant tabulae, quibus in singulis ecclesiis vivorum et mortuorum nomina inscribebantur. Eorum autem tria genera erant: 1m particulare erat episcoporum, eorum praesertim, qui ecclesiam illam gubernarant; 2m erat illorum, qui adhuc viventes, dignitate aliqua vel beneficio ecclesiae collato conspicui aut alio titulo bene meriti erant; 3m erat mortuorum, qui, in communione catholica decesserant. Cf Card. Bona, *Rer. liturg.* l. II, c. 8 et 12.

[3] *De concord. sacerd. et imper.* c. 9.

[4] *De antiq. Eccl. discipl.* diss. II, c. 2.

[5] *De praesenti statu Ecclesiae lib. singul.* c. V, § 8.

[6] *Hist. eccl.* saec. IV, diss. 28, prop. 3.

[7] *Diss. l. de appellat.*

[8] *Antifebron.* l. II, c. 4. Cf I. B. Palma, *Praelect. hist. Eccles.* t. I, part. II, c. 17.

[9] Cf D. Gervaise, *Vie de s. Epiphane*, Paris 1738, in-4; Tillemont, *Mémoires*, t. IX. Opera s. Epiphanii graece et latine edidit Petavius, Paris. 1622, 2 vol. in-fol., Migne, *Patrolog. graec.*, t. XLI-III.

pro, qui monasticum institutum, quod ipse colebat, plurimum propagavit, et hebraice, syriace, graece ac latine doctus, inter alia scripsit *Anchoratum* seu expositionem fidei catholicae contra haereses de ss. Trinitate; *Panarium*, sive opus de haeresibus, in quo non tantum historicum, sed etiam disceptatorem egit; librum *de ponderibus et mensuris*, quae in ss. Scripturis commemorantur.

S. Chromatius et alii Scriptores — Florebant autem hoc tempore, s. Chromatius, episcopus Aquileiensis, pietate et litteris clarissimus, qui elegantissima commentaria edidit in s. Matthaeum [1]; s. Gaudentius, episcopus Brixiensis, qui scripsit Vitam s. Philastrii et tractatus seu sermones 17 de variis argumentis [2]; Aurelius Prudentius, Caesaraugustanus, poeta christianus, qui vario metrorum genere poemata multa composuit [3]; s. Paulinus, Burdegalensis, ex eremita presbyter, deinde episcopus Nolanus, cuius extant adhuc epistolae et poemata multa [4]; Sulpicius Severus, Primuliacensis in Aquitania presbyter, ob politum scribendi genus *christianus Sallustius* vocatus, qui edidit Historiae sacrae compendium a mundi exordio usque ad annum post Christum natum 400, Vitam s. Martini Turonensis, Epistolas 3 et Dialogos 3, quorum unus est de virtutibus monachorum orientalium, et duo de virtutibus s. Martini [5]; Synesius Pentapolitanus, primum ethnicus et philosophiae platonicae sectator, deinde christianus et anno 410 episcopus Ptolemaidis, praeter alia scripsit plures epistolas et orationes [6].

Rufinus Aquileiensis — Rufinus autem, cuius simultates cum s. Hieronymo supra vidimus, an. 410 obiit. Eum iustissime a s. Hieronymo vapulasse et Anastasii Pp. censuram meruisse, quod Origeni eiusque libris esset addictissimus, et multorum dissidiorum causam excitasset, convenit inter peritos. Disputant vero, an is sit ille Rufinus, a quo Pelagius et Caelestius errorem suum de originali peccato acceperunt. Plures censent, Rufinum postea coram Innocentio I correxisse errorum suspicionem, qua apud Anastasium laborarat [1]. Multa is e graeco in latinum vertit Rufinus, praeter alia libros 10 *Recognitionum*, quae s. Clementi Pp. tribuuntur, apologiam Origenis eiusque *Periarchon*, opera Fl. Iosephi, Historiam ecclesiasticam Eusebii. Proprio autem ingenio lucubravit libros 2, quibus historiam ecclesiasticam Eusebii continuavit usque ad obitum Theodosii M., libros 2 *Invectivarum* contra s. Hieronymum, expositionem Symboli, commentaria in quosdam s. Scripturae libros, et doctrinae suae apologiam ad Anastasium Pp. [2].

Theodorus Mopsuestenus — Maioribus etiam, quam Rufinus, contentionibus causam praebuit Theodorus, Mopsuestenus in Cilicia episcopus ab anno circiter 391 usque ad 428, quo mortuus est. Is ingenio haud vulgari praeditus, plures in Scripturam ss. commentarios, et polemica opera contra Arianos, Apollinaristas aliosque haereticos scripsit. Sed ingenio suo plus iusto indulgens et antiquiores semitas fastidiens, in absurdissimos errores impegit, Pelagianae et Nestorianae haeresibus praelusit, et gravissimis in Ecclesia disceptationibus causam dedit; unde merito opera eius in concilio oecumenico V damnata sunt [3].

72. *Collatio Carthaginensis contra Donatistas* (*an.* 411) — In Africa Donatistae, Valentiniani et Gratiani legibus repressi, a vexandis Catholicis abstinuerunt usque ad rebellionem Gildonis, qui an. 397 in Africa tyrannide adeptus, iis concessit, ut Catholicos impune vexarent. Brevi tamen post extincto Gildone, Honorius imperator eos a Catholicorum caede et vexatione prohibuit. Idem imperator, petentibus Catholicis et consentientibus Donatistis, an. 411 disceptationem inter utramque partem de rebus controversis indixit Carthagine coram Marcellino tribuno. Celeberrimae huius *Collationis* acta posterorum memoriae prodidit s. Augustinus, qui conventus particeps fuit [4]. Convenerunt ad eam episcopi Catholici 286, Dona-

---

[1] Bolland., *Acta SS.* ad 17 aug. Opera eius edita sunt Utini, 1816 et 1823; Migne, *Patrolog. lat.* t. XX.

[2] Butler, *Vies de SS.* 25 oct.; Opera eius extant in *Biblioth. PP.* t.V, et speciatim edita sunt Brixiae, 1736; Migne, *loc. cit.* t. XXII.

[3] Tillemont, *Mémoires*, t. X, p. 560. Opera eius edita sunt Hanov. 1613, in-8, Amstel. 1667, in-12, Paris. 1687, in-4; Migne l. c. t. LIX-LX.

[4] Butler, *Vies des SS.* 22 juin; Tillemont, *Mémoires*, t. XIV. Scripta eius edidit J. Le Brun, Paris. 1685, et Raimondi, Neap. 1759, in-fol. Migne, l. c. t. LXI.

[5] Edit. Veronae 1741-54, 2 tom. in-4, Migne, *loc. cit.* t. XIX-XX.

[6] Opera eius graece et latine edidit Petavius, Paris. 1633, in-fol. Migne, *Patrol. graec.*, t. LXVI.

[1] Card. Noris, *Hist. Pelagian.* l. I, c. 3; Mansi, Annot. in *Natal. Alex. saec. IV*, c. 6, a. 33.

[2] Edit. Paris. 1580, in-fol., et Veronae 1745; Migne, *Patrol. lat.*, t. XXI.

[3] Cf Card. Noris, *Diss. de synodo generali V.* Theodori Mopsuesteni *Commentarios in XII Prophetas* et alia edidit Card. Mai, *Scriptorum veterum nova Collectio*, et *Spicilegium Romanum*; Migne, *Patrol. graec.*, t. LXVI.

[4] *Brevicul. Collation.*

tistae 159. Post triduanam disceptationem Marcellinus, cunctis ultro citroque auditis et cognitis, pro Catholicis sententiam dixit, Donatistas ad unitatem evocavit, eorum conventus prohibuit et ecclesias Catholicis addixit. Multi quidem factionem schismaticam deseruerunt; sed maior pars in ea perseveravit et ad imperatorem provocavit. Honorius vero imperator Marcellini sententiam confirmavit. Quum his omnibus schismatici fierent acerbiores in Catholicos, Honorius severis legibus, bonorum confiscatione si laici, exilio si clerici essent, contumaces compescuit [1]. Posthaec plures ad Ecclesiae unitatem reversi sunt, alii patriis terris exierunt, alii leges contemnentes in schismate et haereresi perseverarunt. S.Gregorii M. temporibus multos Donatistas in Africa superfuisse, constat ex eius epistolis [2]. Nec, nisi cum ipsius religionis christianae in Africa depressione, saec. VII per Saracenos effecta, pervicax factio extirpata fuisse videtur.

Violenti quidem modi ab imperatoribus contra Donatistas adhibiti sunt. At nemo non novit, eos non solum fuisse haereticos, schismaticos, rebelles in Ecclesiam, sed et turbulentos, factiosos, saevos in Catholicos, pacis et boni publici seu societatis perturbatores [3].

73. *Pelagius, eiusque haeresis*—Emersit iisdem temporibus Pelagianorum haeresis, cuius auctor fuit Pelagius, e Britannia oriundus et professione monachus. Is Romae aliquandiu moratus, cum Caelestio discipulo catholicam doctrinam de peccato originali et gratia Christi impugnare coepit. Errorum eius summa haec fuit: Adam et Evam a Deo mortales fuisse creatos, suoque peccato sibi solis et non posteris nocuisse; mortem et concupiscentiam esse conditiones humanae naturae ingenitas; naturam humanam non esse vitiatam, propriisque viribus sine gratiae auxilio sufficere tum ad boni et praemio digni operis principium, tum ad progrediendum et perseverandum in eo. Postea quidem Pelagius gratiae necessitatem admittere visus est, sed gratiae nomine naturae vires, Dei legem, Christi doctrinam intelligebat. Quod si quando gratiam interiorem ad facilius operandum bonum admiserit, absolutam tamen eius necessitatem negabat; eamque non gratuito, sed pro hominis meritis dari docebat [1].

Pelagius et Caelestius ante Gothicam urbis Romae direptionem transierunt in Siciliam, inde in Africam. Pelagius ex Africa transiit in Palaestinam. Caelestius vero Carthagine consistens, pseudo-magistri sui dogmata praedicare coepit. An. 412 in synodo Carthaginensi excommunicatus, ad Apostolicam Sedem provocavit; sed quum causae suae diffideret, neglecta appellatione, Ephesum confugit [2].

In Palaestina Pelagius doctrinam suam pluribus afflaverat, quum Orosius presbyter Hispanus, a s. Augustino ad D. Hieronymum legatus, illum apud Ioannem, episcopum Hierosolymitanum, pravae doctrinae accusavit. Ioannes an. 415 utrumque, Pelagium et Orosium, ad synodum vocavit; sed cum illi se invicem haereseos incusarent, Ioannes causae cognitionem ad Innocentium Pp. detulit [3].

Brevi post adversus Pelagium libellus delatus est ad Eulogium, episcopum Caesareensem, Palaestinae primatem, qui eodem anno synodum 14 episcoporum indixit Diospoli. In ea Pelagius alia, quorum accusabatur, negavit, alia aequivocis et subdolis verbis interpretatus est; ac proinde ab episcopis, latini sermonis parum gnaris, absolutus fuit [4].

Haec quum ab Orosio presbytero accepisset Aurelius, Carthaginensis in Africa episcopus, an. 416 synodum 68 episcoporum coëgit, in qua Pelagii et Caelestii errores condemnati sunt, et ambo, ut haereticae doctrinae auctores, ad Innocentium I delati [5]. Eodem anno Milevitana 61 episcoporum synodus sub Silvano, Numidiae primate, Pelagii et Caelestii errores damnavit, epistolamque de hac causa ad Innocentium Iscripsit. Augustinus quoque de tota re litteras, a pluribus episcopis subscriptas, ad Pontificem dedit [6].

Innocentius I Pelagii et Caelestii errores damnavit, et utrumque, donec resipiscerent,

---

[1] *Cod. Theodos.* l. LII *de Haeret.*

[2] L. III *Epist.* 32; l. V *Epist.* 36; l. VI *Epist.* 63.

[3] Muratori, *De ingeniorum moderatione*, l. II; Muzzarelli, *Opuscoli*, n. 10. *de Inquisitione.*

---

[1] S. Augustin., *L. de natura et gratia*, et alibi; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. V, c. 3, a. 3; Pluquet, *Diction. des Hérés.*

[2] S. Augustin., L. I *de peccat. et merit.* c. 1; L. *de gest. Pelag.* c. 11 et 35; Oros. *Apol. adv. Pelag.*; Card. Noris, *Hist. Pelagian.* l. I, c. 3; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1510.

[3] Oros. ibid.; Labbe, ibid. p. 1525.

[4] S. Augustin. L. I *contra Iulian.* c. 5; Labbe, ibid. p. 1529.

[5] Labbe, ibid. p. 1533.

[6] Labbe, ibid. p. 1537.

communione Ecclesiae exclusit. Unde solemne illud s. Augustini effatum: *Rescripta Roma venerunt, causa finita est, utinam finiatur et error* [1].

Reipsa tamen error finitus non est. Innocentio I paulo post, an. 417, mortuo, Caelestius Romam properavit ad Zosimum, Innocentii successorem; ei modis omnibus persuadere conatus est, se et Pelagium esse catholicos; plurimum de praecipiti Africanorum in se iudicio conquestus, et multa ad fidem catholicam, sed non ad causam praesentem, spectantia professus, addidit, se caeteroqui damnaturum, quae Apostolica Sedes damnaret. Praeterea Zosimo oblatus est libellus, sed mendaciis plenus, cum litteris commendatitiis Prayli, episcopi Hierosolymitani. Pontifex his artibus deceptus, Pelagium et Caelestium catholicos esse existimavit; datis ad Africanos episcopos litteris, eos corripuit, quod Pelagium et Caelestium damnassent ob doctrinam, a qua eos alienos errore *facti* putabat; Africanos monuit, ut Romam mitterent qui Pelagium et Caelestium aliter sentire probarent, quam hi litteris et verbis professi erant; nihil tamen immutavit circa iudicium et sententiam Innocentii I, decessoris sui [2].

Verum Africanorum opera mox fraudes detectae sunt. Illi enim coacta anno 418 Carthagine synodo, litteras ad Zosimum dederunt, quibus totius rei seriem, omnes Pelagii et Caelestii fraudes, et cuncta quae in eorum causa egerant, Pontifici exposuerunt. Zosimus, Africanorum litteris acceptis, confestim Caelestium ad pleniorem audientiam vocavit; sed is iam Roma fugerat. Quapropter Pontifex Pelagium et Caelestium, omnemque eorum doctrinam, in synodis Africanis et ab Innocentio I proscriptam, damnavit, deditque ea de re ad universos christiani orbis episcopos epistolam, quam Marius Mercator *Tractoriam* seu *Tractatoriam* appellat [3].

Tractoriae Zosimi epistolae de haereseos Pelagianae damnatione omnes ubique episcopi subscripserunt, exceptis 18, inter quos praecipuus fuit Iulianus Eclanensis. Hi ad plenarii concilii audientiam pertinaciter provocantes, non tantum ecclesiastico iudicio damnati, sed ab imperatoribus exilii etiam poena mulctati sunt.

An. 424 Caelestius iterum Romam venit, et a Caelestino tunc temporis Pontifice novam causae suae, quasi nondum finitae, discussionem petiit. At pontifex — sciens condemnatis non examen iudicii, sed solum poenitentiae remedium esse praestandum —, contumacem novatorem totius Italiae finibus expelli curavit. Tunc is una cum Iuliano Eclanensi aliisque Pelagii asseclis confugit Constantinopolim. Eos quidem excepit Nestorius patriarcha; sed Theodosius imperator II, agente Mario Mercatore, eosdem ad deserendam urbem compulit. In Britannia Pelagianam haeresim disseminavit quidam Agricola; at brevi post ibidem eversa est opera s. Germani, episcopi Antisiodorensis, ab episcopis Galliae, approbante Caelestino Pp. et postulantibus Catholicis Britanniae, in hanc insulam legati. Sic ista haeresis, a RR. Pontificibus synodisque damnata, a viris doctis, s. Hieronymo, Orosio, Mario Mercatore, praecipue a s. Augustino confutata, a civili etiam potestate proscripta, tandem concidit [1].

74. *Zosimus et Bonifacius Pontifices* (*an.* 417-423) — Interim s. Innocentius I, annis 15 et mensibus 2 summo pontificatu functus, an. 417 obierat [2]. Eum exceperat s. Zosimus, Graecus, cuius gesta in causa Pelagianorum vidimus. Quae autem egerit in causa Apiarii de appellationibus, infra dicemus. An. 418 vita excessit [3]. De ipso narrat *Liber Pontificalis* quod Paroeciis concessit licentiam benedicendi cereum Paschalem [4].

---

[1] S. Augustin. *Sermon.* 2; Mansi, *Concil.* t. III, p. 1071, et t. IV, p. 121.

[2] S. Augustin, L. II *de peccat. origin.*, et Lib *de gratia*; Mar. Mercat. *Commonitorium*, c. 1; Garnier, *Diss.* II *de synod. in causa Pelag.*

[3] S. Augustin., L. II *ad Bonif*; Mar. Mercat. *Commonit.* — Quam male ii, qui R. Pontificem, dum ex cathedra de rebus fidei aut morum loquitur, infallibilem esse negabant, in sententiae suae argumentum advocando factum Zosimi in causa Pelagii et Caelestii, e sola facti relatione patet. Cf Card. Orsi, *De irreformabili R. P. in definiendis fidei controversiis iudicio*, t. II, p. 132.

[1] Mar. Mercat., Card. Noris, Garnier, loc. cit.

[2] *Acta SS.* t. VI iul. p. 548.

[3] Baron. et Pagi, ad an. 418.

[4] Bene animadvertit Baronius ad an. 418, § 76, perperam nonnullos opinari Cerei Paschalis usum a Zosimo primum inventum fuisse. Ipse enim tantummodo instituit, ut idem Cereus, qui in maioribus Basilicis solum incendi soleret, singulis Paroeciis aeque concederetur. De antiquitate Cerei Paschalis edisserit Martene, *De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, c. 24, et Mabillonius, *De Liturgia Gallicana*, l. II. In Missali Gothico-Gallicano occurrit benedictio cerae beati Augustini episcopi, quam adhuc Diaconus edidit et cecinit hoc exordio: *Exultet iam Angelica turba Coelorum* etc. ut modo habetur in usu. Immo s. Augustinus ipse (*De Civitate Dei*, l. XV, c. 22) quosdam versus refert, quos in *laude quadam Cerei scripsit*. Fideles, referente Ennodio, ex cereo benedicto soliti fuerunt particulae decerpere *contra procellas*. Hinc Agnorum Dei cereorum origo. Sunt qui

Post eius obitum a maiori cleri parte electus est Bonifacius, Romanus, vir morum integritate et doctrina conspicuus. Perpauci vero, Symmachi urbis praefecti patrocinio nixi, elegerunt Eulalium archidiaconum. Honorius imperator, mendaci Symmachi relatione circumventus, utrumque Ravennam accersiri iussit, donec causa in episcoporum synodo cognosceretur. Sed dum convocabatur synodus, Eulalius, spreto imperatoris mandato, Urbem ingressus est; quapropter Honorius, pulso Eulalio, Bonifacium Sedi Romanae restitui iussit [1].

Bonifacius Ecclesiae regimen adeptus, in eo incubuit, ut extincto schismate, Ecclesiae paci non tantum in praesens, sed in futurum etiam prospiceret. Hac de re cum Honorio imperatore agens, edicto sanciendum curavit, ut in Urbe Roma nullus unquam per ambitum pontifex ordinaretur; si vero duo contra fas temere certantes, fuissent ordinati, neuter esset pontifex; sed ille solus in Apostolica Sede permaneret, quem e numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et universitatis consensus elegisset [2]. Idem Pontifex decessoris sui *Tractoriae* contra Pelagianos inhaesit, et contra inimicos gratiae non tantum apostolicis, sed etiam regiis edictis usus est, inquit D. Prosper [3]. Magna quoque constantia defendit Apostolicae Sedis iura in ecclesias Illyrici, quae ab antiquis temporibus Romano patriarchatui obediebant; et Theodosium II, Orientis imperatorem, qui quorumdam episcoporum Illyrici et Attici Cp. consilio circumventus, iura, quae episcopi Thessalonicenses, utpote Sedis Apostolicae vicarii, in ecclesias Illyrici habebant, transtulerat ad episcopum Cp., ad rescindendum edictum suum compulit [4].

75. *Lis de appellationibus* — Celebris est controversia, quae hoc tempore inter Zosimum, Bonifacium et Caelestinum, PP., et episcopos Africanos agitata fuit de appellationibus. Ius appellationum esse RR. Pontificum proprium ex divino eorum primatu, illudque in concilio Sardicensi non fuisse institutum, sed confirmatum, eiusque rationem explicatam, supra diximus [1]. In Africa vero mos receptus erat, ut presbyteri aliique clerici inferiores ad Apostolicam Sedem non appellarent, non quod R. Pontifex non haberet ius eorum appellationes suscipiendi et iudicandi, sed quod eiusmodi appellationes propter loci distantiam aliasque causas subessent periculo fraudis, et quod disciplinae conservandae congruum duceretur, ut clericorum causae intra regionem definirentur. Ad hanc rem an. 416 synodus Milevitana can. 22 sancierat: « Placuit, ut presbyteri, diaconi vel caeteri clerici inferiores in causis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, et inter eos quidquid est finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia vel ad primates provinciarum suarum. Ad Transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur ». Verumtamen Apiarius, presbyter ecclesiae Siccensis, ab Urbano episcopo suo excommunicatus et depositus, Zosimum Pp. appellavit, et Romam profectus est. Zosimus appellationem Apiarii suscepit, legatosque in Africam misit, qui cum episcopis finitimis causam eius cognoscerent. Africani episcopi id aegre tulerunt, non quod aliquid R. Pontificis iuribus detractum vellent, sed quod Apiarii appellatio moribus et disciplinae Africanae ecclesiae adversaretur. Apostolici legati in Carthaginensis 217 episcoporum concilio an. 419 interrogati, quae ferrent Apostolicae Sedis mandata, protulerunt Commonitorium Zosimi Pp., cuius 1^m caput erat de appellationibus episcoporum ad R. Pontificem; 2^m de importunis episcoporum ad *comitatum* seu aulam accessibus; 3^m de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis fuissent perperam excommunicati; 4^m de excommunicando vel etiam Romam evocando Urbano episcopo, nisi ea quae in causa Apiarii erant corrigenda, corrigeret. Difficultatem moverunt Africani, quod Zosimus in memorato de appellationibus commonitorio custodiendos mandaret canones Nicaenos; ipsi vero eos in suis Nicaeni concilii exemplaribus non reperirent. Reipsa canones isti non in Nicaeno, sed in Sardicensi Concilio editi fuerant. Zosimus eos appellarat Nicaenos, quod ita in codicibus Romanae ecclesiae inscripti legebantur, et concilium Sardicense habeba-

cerei benedictionem Gregorio M. tribuunt, a quo *et musicis tonis ornatam ferunt.* Qui plura cupit, Hieronymum Gigli consulat in *Epist. s. Catharinae Senensis*, part. II, Epist. 87, et Benedictum XIV *De Festis Iesu Christi* etc. part. I, § 394, et *Institut.* 39.

[1] Baron. et Pagi, ll. cc. Observat hic Pagi, hoc Bonifacium inter et Eulalium dissidio factum esse, ut primum Honorius, deinde Italiae reges, alii aliis temporibus, se sensim RR. Pontificum electioni immiscuerint.

[2] Labbe, *Concil.* t. II, p. 1582.

[3] L. *adv. Collatorem.*

[4] Cf Pagi, *Critica* ad an. 401-422.

[1] Vid. p. 96.

tur veluti Nicaeni appendix. Miserunt igitur Africani Constantinopolim, Alexandriam et Antiochiam legatos, qui in harum ecclesiarum codicibus in authenticos canones Nicaenos inquirerent. Interea, ut suam erga R. Pontificem observantiam ostenderent, ad Bonifacium I, qui Zosimo successerat, litteras scripserunt, quibus significabant, se Apiarium de omnibus veniam petentem, recepisse in communionem et in pristinum gradum, eique concessisse, ut amotus ab ecclesia Siccensi, ubi vellet, presbyteri munere fungeretur; Urbanum episcopum id in quo peccaverat, sine ulla dubitatione correxisse; se etiam conservaturos canones Nicaenos, sibi a Zosimo missos, donec aliter per authentica exemplaria de iis constitisset [1].

Rebus sic compositis, missisque in Orientem legatis, qui Nicaenos canones inquirerent, contigit, ut idem Apiarius novorum criminum reus, ab ecclesia Tabracena excommunicatus et depositus fuerit. Is rursum Romam confugit, et Caelestino I, qui tunc summum pontificatum gerebat, ita imposuit, ut Pontifex Apiarium innoxium credens, eum in Africam remiserit una cum Faustino episcopo Potentino, qui eum restituendum curaret. Verum Aurelius Carthaginensis et alii episcopi, Carthagine convenientes, Apiarium tot criminum a Tabracenis accusatum reperierunt, ut Faustinus, sicuti ipsi scribunt in epistola sua synodica ad Caelestinum, eum purgare non posset, quamvis pro virili id efficere tentasset. Demum Apiarius scelerum suorum conscientia compulsus, in synodo se reum confessus est criminum, propter quae fuerat condemnatus, et ministerio sacro privatus mansit. Ita rem referunt episcopi in epistola sua ad Caelestinum Pp., quem deprecantur, ne deinceps venientibus ex Africa aures facilius praebeat, nec in communionem ultra vellet excipere eos, qui ab ipsis fuissent excommunicati, sicuti etiam in Concilio Nicaeno erat constitutum, ut e clero aut e laico ordine ab episcopo suo excommunicatus ab aliis episcopis non susciperetur. Rogant Pontificem, ut presbyterorum et inferiorum clericorum improba refugia, quia propter loci distantiam et testium absentiam fraudibus obnoxia, reiiciat; nec deinceps, quibusque petentibus, executores legatos mitteret, quod nulla concilii definitione Africanae ecclesiae disciplinae de terminandis clericorum causis derogatum esset, cum transmissi ad se canones Nicaeni neque in Alexandrinae neque in Cp. ecclesiae codicibus fuissent reperti [1]. Verumtamen RR. Pontifices deinceps, uti antea, iure primatus sui proprio, recipiendi ex Africa appellationes usi sunt.

Existimat Natalis Alexander, Africanos episcopos, errore facti circa canones Sardicenses deceptos, ipsum ius appellationum ad R. Pontificem aliquandiu impugnasse, sed non multo post ab errore liberatos, illud agnovisse et veneratos esse [2]. Baronius cum aliis contendit, Africanos solum improbasse modum prosequendi appellationes, sive nimiam RR. Pontificum facilitatem quasvis appellationes suscipiendi et appellantes in communionem restituendi [3]. Legendi sunt de hac re FF. Ballerinii, qui ex ipsis Africanorum synodis et epistolis ostendunt, illos non negasse in R. Pontifice ius excipiendi appellationes, sed propter fraudum pericula de frequentibus ac promiscuis appellationibus esse conquestos et nonnulla ob eamdem causam decrevisse, quae impediendis eiusmodi appellationibus necessaria putabant [4].

76. *Religionis status in Perside* — In Perside gravis adversus Christianos persecutio excitata est an. 414. Conciliata inde a morte Iuliani Persas inter et Romanos pace, christianae religionis professio, non obstante magorum invidia, in Perside plurimum aucta erat. Verum an. 414 Abdas, Susae episcopus, immoderato zelo auctor extitit, ut Pyreum, seu aram a Persis igni dicatam, conflagraret. Quapropter Isdegerdes, Persarum rex, furore percitus, in omnes per totam Persidem Christianos persecutionem cruentam indixit, qua durante, praeter Abdam episcopum, alii plurimi Christiani suppliciis affecti sunt, eorumque ecclesiae eversae. Ad restituendam pacem multum contulit Acacius, episcopus Amidae, a Romanis in Persas pro concilianda pace legatus. Ad eamdem rem contulit Marathas, Maiphercatae episcopus, qui a Theodosio II ad Isdegerdem legatus, sua pietate, religionis christianae commendatione et detectis magorum fraudibus, a rege obtinuit, ut christiana sacra libere exerceri et ecclesiae extrui possent. Unde christiana religio amplio-

[1] Apud Constant, *Epist. RR. Pontif.* p. 1012 et 1014; Labbe, *Concil.* t. II, p. 1589 et 1670; Mansi, t. IV, p. 451.

[1] Labbe, t. II, p. 1674.

[2] *Hist. eccl.* saec. IV, diss. 28, prop. 3.

[3] *Annal* ad an. 419.

[4] *Observat. in Part. I Diss. V Quesnelli*, *Oper. s. Leon.* t. II. Cf etiam C. Lupus, *Diss. de African. Eccl. appellat.*; E. Schelstrat., *Diss.* I, c. 7 *in Eccl. Afr.*; F. A. Zaccaria, *Antifebron.* t. III, l. 3, c. 4; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. I, p. II, c. 19-20.

res illic progressus fecit. Verumtamen anno 420 Isdegerdi in Persarum regno successit Vararanes filius, qui suasu magorum et odio Romanorum, quibuscum bellum gerebat, acerrimam persecutionem in Christianos exercuit. At an. 422 a Romanis superatus, pacem componere coactus est. Tunc Christiani quietiores dies nacti sunt. Verumtamen eorum status in Perside vicissitudini erat obnoxius; nam quoties Persae et Romani inter se dimicabant, toties Christiani, quasi Romanis faverent, multis modis vexabantur [1].

77. *Suppressio ethnicismi* — In imperio romano ethnicismus magis magisque deperibat. Quum post Iulianum nullus imperatorum religionem ethnicam fuisset professus, haec ubique christianae Religionis praedicationi atque virtuti cedebat. Maxime ethnicorum numerus decrevit sub imperatoribus Gratiano, Valentiniano II, Theodosio M., eorumque successoribus, Arcadio, Honorio et Theodosio II; ita ut ethnici iam ad pagos potissimum restringerentur, unde paganorum nomen iis tributum. Memorati principes pluribus legibus deorum sacrificia et ethnicos ritus proscripserunt, templa, sacella et simulacra deiici iusserunt. Quamvis imperatores isti ethnicos ad suscipienda Christianorum sacra non cogerent, neque eorum personis aut fortunae bonis sub religionis praetextu iniuriam inferrent, hi tamen principum exemplis excitati et deorum suorum impotentia intellecta, passim ad veri Dei cultum transibant.

Incursiones barbarorum—At in imperio Occidentali Ecclesia tempestatibus gravibus concussa fuit, in iis nempe provinciis, quas barbari occuparunt. De Visigothorum, Zuevorum, Vandalorum et aliorum in Italiam, Galliam et Hispaniam incursionibus supra diximus [2]. An. 415 Wallia Visigothorum rex, inito cum Honorio imperatore foedere, adversus Suevos, Vandalos, Alanos in Hispania prospero marte dimicavit, res Romanorum illic restituit, omnem regionem inter Garumnam, Pirenaeos et mare ab Honorio accepit, regnique sui sedem constituit Tolosae an. 419. Eodem tempore Burgundiones Burgundiam et Franci provincias Galliae septentrionales occuparunt. An. 429 Gensericus cum 80,000 Vandalorum exercitu ex Hispania transiit in Africam, quam subegit, regnique Vandalici sedem posuit Carthagine anno 439. Isti autem populi pro ferocia et furore bellico fere ubique locorum, per quae transibant, igne ferroque saevierunt, urbes et pagos destruxerunt, templa et monasteria incenderunt, clericos et laicos multos interfecerunt, malaque ingentia ecclesiis, praesertim in Norico, Vindelicia, Rhaetia, Germania romana etc. intulerunt. De Vandalica persecutione in Christianos Africae infra dicemus.

Interea Arcadio imperatori Orientis an. 408 defuncto, successit Theodosius II filius, regnavitque usque ad an. 450; princeps vere christianus, plures leges Ecclesiae et imperii bono tulit. In Occidente post Honorium an. 423 defunctum, tyrannidem arripuit Ioannes; sed hic a Theodosii II ducibus profligatus est, et Occidentis imperium accepit Valentinianus III, qui usque ad annum 455 regnavit.

78. *Caelestinus Pontifex* (*an.*423)—S. Bonifacio, quum annis fere 5 Ecclesiam rexisset, ad vitam immortalem evocato, pacifica electione subrogatus est Caelestinus, Romanus, qui usque ad an. 432 Ecclesiae praefuit. Hic Pontifex decessorum suorum decreta contra Pelagianos inviolabiliter servari mandavit [1]. Nestorium haeresiarcham et Semipelagianos, de quibus infra dicemus, compescuit. Novatianis ecclesias, quas Romae occupabant, ademit, adeo ut Rusticola, eorum episcopus, plebem suam extra privatas aedes colligere non posset [2]. S. Palladium ad Scotos destinavit episcopum et Evangelii praeconem.

79. *Ss. Hieronymi et Augustini obitus*—Interea s. Hieronymus in Bethlemitico secessu inter pietatis et studiorum exercitia an. 420 prope nonagenarius obiit. Non tantum vitae sanctitate, sed omni etiam eruditionis genere spectatissimus erat, adeo ut s. Augustinus, s. Paulinus, s. Chromatius, aliique viri docti eum in difficilioribus quaestionibus consulerent. In primis mandato s. Damasi Pp., ut diximus, veterem ss. Librorum versionem latinam, dictam Italam, secundum textum Graecum correxit. Postea V. Testamentum quoad maximam partem e textu Hebraeo latine vertit, Novum vero secundum textum Graecum emendavit, unde Vulgata nostra descendit. Edidit praeterea diversi generis opera, exegetica, polemica, historica et epistolas; Libros sacros doctissimis commentariis interpretatus est; haereticos et novatores sui temporis, Helvidium,

[1] Socrat., l. VII, c. 18; Theodoret., l. V, c. 39; Pagi, *Critica* ad an. 420.

[2] Vid. p. 116.

[1] S. Prosper, *L. advers. Collator.* c. 41, et *Chron.* ad an. 429.

[2] Socrat. l. VII, c. 11.

Iovinianum, Vigilantium, Pelagianos, Origenistas, Luciferianos confutavit, ut vidimus [1].

Decem annis post obitum s. Hieronymi (430) ad immortalem vitam transiit s. Augustinus, qui ethnicos, Manichaeos, Donatistas, Pelagianos debellavit libris, doctrina et argumentorum pondere admirandis. Praeter haec scripta polemica reliquit alia plura diversi argumenti, exegetica, dogmatica, moralia, variasque epistolas, in quibus omnibus singularis ingenii vis et industria elucent [2].

80. *Institut. monast. propagatio* — Diximus supra, monasticum institutum in Occidente plurimum fuisse promotum opera ss. Eusebii Vercellensis, Ambrosii Mediolanensis, Hieronymi, Martini Turonensis et Augustini Hipponensis; in Oriente autem studio ss. Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ephrem Syri et Ioannis Chrysostomi [3]. Idem institutum his temporibus in Gallia propagarunt s. Honoratus, Ioannes Cassianus, et s. Romanus, Sequanus.

S. Honoratus—Sub fine regni Constantii in regione inter Campaniam et Lotharingiam ortum suum habuit Honoratus. Bonis suis pauperibus distributis, solitariam vitam vivere coepit. Plures post peregrinationes, in quibus eius frater, s. Venantius, obiit, anno 391 in insula Lerina, orae Galliae Narbonensis, sese sistit, ubi coenobium ab eo conditum annos 35 rexit. Attamen, an. 426 ad episcopatum Arelaten., se invito, promotus, 3 annis vix quidem elapsis, e vita excessit. Eius reliquiae supersunt in eadem insula quae *s. Honorati* quoque nomen habuit. Regula suis monachis relicta, una cum Homiliis et litteris, deperdita est [4].

S. Romanus — Monasteriorum in monte Iura fundator, Burgundiae Comitatus an. 390 Romanus natus est. Nonnulla coenobia instituit etiam in Germania: quod nunc *S.ti Claudii* nuncupatur, celeberrimum est. Sancte obiit III kalendas martii an. 460, in monasterio Candaten [5].

Cassianus — Ioan. Cassianus monasticam vitam annis multis in Oriente professus, postea in Gallia se contulit et Massiliae consedit. De loco ortus eius non omnes conveniunt; nonnulli in Ægypto, alii in Scythia, in Gallia alii, anno 360 circiter, eum esse natum contendunt. Ordinatus (an. 403) diaconus a s. Ioanne Chrysostomo, pro utroque sexu monasteria in vicinia Massiliae extruxit [1]. In coenobio s. Victoris ab ipso condito, Cassiani festum X kalendas sextilis colitur; ubi, fertur, eius reliquias extitisse. Sunt qui ponunt mortem ipsius sub imperio Theodosii et Valentiniani, et qui ann. 448 ei adtribuunt.

Acoemetae—In Oriente novum monachorum genus hoc tempore instituit s. Alexander, scilicet Acoemetarum seu non dormientium, quo nomine dicebantur quod per choros divisi die ac noctu laudes Dei psallebant [2].

Simeon Stilytes—Aliud vitae genus egit s. Simeon Stylites, quem Theodoretus magnum orbis terrarum miraculum vocat. Is e vico Susan in finibus Cilicum oriundus, cum multis annis monasticam vitam fuisset professus, 30 annos in vertice columnae peregit; vitae austeritate, sacris concionibus et miraculis ubique notus, innumeros peccatores ad poenitentiam, haereticos ad Fidem, et infideles ad veri Dei cultum convertit [3].

81. *Semipelagiani* — Interim Pelagiana haeresi RR. Pontificum auctoritate, eruditorum virorum scriptis et imperatorum legibus repressa, disceptationes turbasque excitarunt Semipelagiani. Hi, quamvis pleraque Pelagianorum placita improbarent, errores tamen iis valde affines defenderunt. Contendebant enim, ad initium fidei et boni operis gratiam interiorem non esse necessariam, sed sufficere vires liberi arbitrii; finalem in bono perseverantiam non esse singulare Dei donum seu gratiam, sed esse in potestate cuiusvis perseverare, si velit; praedestinationem electorum fieri e praevisis meritis, solo arbitrio sine gratiae auxilio comparatis; Deum ita velle omnium hominum salutem, et Christum pro omnibus ita esse mortuum, ut omnes salvari possint, si velint, quam voluntatem non gratiae praevenienti, sed naturae viribus tribuebant [4].

Errorum illorum initia haec fuerunt. Nonnulli huius temporis viri, caeterum pii et e-

---

[1] S. Hieron. opera edidit Martianaeus, Paris. 1693, 5 tom. in-fol, accuratius vero Dom. Vallarsi, Veron. 1734, 11 vol. in-fol.; Venet. 1766, 11 vol. in-4; Migne, *Patrolog. latin.* t. XXII-XXX.

[2] Edita fuerunt s. Augustini opera a Benedictinis, Paris. 1676-1700, 11 tom. in-fol.; Migne, *loc. cit.* t. XXXIII-XLVII. — [3] Vid. p. 93.

[4] Bolland, *Acta SS.* 16 ian.

[5] Bolland, ad 27 febr.

---

[1] Gregor. Turon., *Hist.* l. X, c. 29; Bolland., *Acta SS.* t. V iul. p. 458.

[2] Bolland. ad 15 ian.

[3] Theodoret., *Hist. Relig.* c. 26; Bolland., *Acta SS.* ad 5 ian.

[4] S. Augustin. *Epist.* 225-26; D. Prosper., *Epist. ad Augustin.*, *Carmen de ingratis*, et *L. adv. Collator.*

ruditi, in s. Augustini operibus, in quibus de gratiae necessitate et gratuita praedestinatione absque ullo ad hominis voluntatem respectu, contra Pelagianos disputatur, reprehenderunt quasdam assertiones, quibus liberum hominis arbitrium everti et fatalem necessitatem induci putabant. Quapropter ad conciliandam gratiam cum libera hominis voluntate, contenderunt, naturam humanam Adami peccato non adeo esse depravatam, ut non possit homo propriis et nativis viribus velle ac petere salutem; proinde hominem posse per se sine gratia habere initium fidei et in hac accepta perseverantiam usque in finem. Ex hoc fundamentali errore caeteri profluebant.

In primis doctrinam s. Augustini reprehenderunt monachi Adrumetenses in Byzacena Africae provincia. Contra hos sanctus praesul in Libro *de gratia et libero arbitrio*, non minus hoc quam illam vindicavit; et in Libro *de correctione et gratia* ostendit, eam non tantum iustam, sed etiam efficacem esse ad animum hominis pro hac disponendum. Praecipue vero Massiliae in Gallia multi e clero et monachis semipelagianam doctrinam propugnabant. Inter eos celebriores erant Ioan. Cassianus, Vincent. Lirinensis, Faustus episc. Regiensis S. Augustinus eorum sententias a Prospero Aquitano doctus, illis opposuit libros 2 *de Praedestinatione SSrum* et *de Dono perseverantiae*. Post eius mortem Prosper Aquitanus Semipelagianorum sententias oppugnavit in Libro *de gratia* contra *Collatorem* (Cassianum) et in Responsionibus ad obiectiones Vincentianas atque capitula Gallorum [1]. Cum his nihil proficeret Prosper, Romam profectus, anno 431 a Caelestino Pp. litteras impetravit ad episcopos Galliae, quibus Pontifex oppugnatorum doctrinae s. Augustini audaciam et disceptationes coercuit, atque sancti praesulis iam defuncti memoriam vindicavit [2]. Verumtamen lis haud finita est. An. 494 Gelasius Pp. in Romana synodo libros Cassiani et Fausti Regiensis reiecit [3]. An. 520 Hormisdas Pp. in epistola *ad Possessorem* declaravit, doctrinam Fausti de gratia et libero arbitrio ab Ecclesia non recipi [4]. Demum an. 529 synodus Arausicana II, editis 25 canonibus, semipelagianos errores damnavit, quos canones cum Bonifacius Pp. II an. 531 apostolica auctoritate confirmasset, finis constitutus est controversiae inter Catholicos multis annis agitatae [1].

Cassianus, Vincentius Lirinensis, Faustus — Attamen Ioan. Cassianus et qui illi consentiebant, non sunt incusandi haereseos, quum semipelagiani errores nondum essent decretorio Ecclesiae iudicio damnati. Nec omnes etiam, qui in praesenti quaestione a D. Augustino dissentiebant, cunctos Semipelagianorum errores admisere, sed alii aliis gravius errarunt.

Ioan. Cassianus, eruditus pariter ac pius [2], reliquit libros 12 *de Institutis Coenobiorum*, 24 *Collationes Patrum* et libros 7 *de Incarnatione* contra Nestorium [3]. — Vincentius, monachus Lirinensis, edidit Commonitorium, maxime commendandum, adversus profanas haereticorum novitates [4]. — Faustus, episcopus Regiensis, scripsit libros 2 *de gratia*, unum *De libero arbitrio*, Epistolam ad Lucidum presbyterum, aliaque [5].

82. *Praedestinatiani* — E commemoratis pelagianis et semipelagianis litibus alia, Praedestinatianorum, haeresis orta est. Hi gratiam eiusque operationem ita extollebant, ut liberum hominis arbitrium supprimerent; hominum salutem et perditionem fatali necessitati subiicerent, adderentque, Christum non esse mortuum pro omnium hominum salute, Deum improbos non tantum ad aeternas poenas, sed etiam ad culpam et peccata praedestinasse, ac propterea hominum actiones bonas aeque ac malas non esse liberas, sed inevitabili necessitate ab aeterno divinitus determinatas. Cum hos errores in Gallia praeter alios doceret Lucidus presbyter, eos anno circiter 475 Arelatensis et Lugdunensis synodi proscripserunt, et, de mandato utriusque synodi, scripto confutavit Faustus Regiensis [6].

C. Iansenius Iprensis [7], G. Mauguin [8], I. Basnage [9] et nonnulli alii contenderunt, haeresim praedestinatianam numquam exsti-

---

[1] Opera D. Prosperi edidit Mangeant, Paris. 1711 in-fol.; Migne, *Patrolog. latin.* t. LI.
[2] Labbe, *Concil.* t. II, p. 1612.
[3] *Ibid.* t. IV, p. 1260.
[4] *Ibid.* p. 1530.

[1] Labbe, ibid. p. 1666 et 1687. — [2] Vid. p. 128.
[3] Edita sunt Duaci, 1616, 2 tom. in-8; Atrebat. 1628 in-fol.; Migne, *Patrolog. latin.* t. XLIX-L.
[4] Editum Parisiis, 1669 et 1684, Romae 1731, et Migne, *loc. cit.* t. L. Nonnulli sentiunt, Vincentium semipelagianum esse diversum ab auctore *Commonitorii*. Contra dicunt card. Noris, *Hist. Pelag.* l. II, c. 11, et Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. V, c. 3, a. 7.
[5] Exstant in *Biblioth. max. PP.* Lugdun. t. VIII; apud Migne, *loc. cit.* t. LVIII.
[6] *Epist. ad Lucid.*, et LL. *de gratia et libero arbitrio.*
[7] *Augustin.* L. VIII *de Haeresi Pelag.* c. 23.
[8] *Fabula praedestinatiana.*
[9] Annot. ad *Chron. Prosperi*, et Praefat. ad *Faust. Reg.*

tisse. At eos confutarunt, praeter alios, card. Noris [1], Sirmondus [2], Natalis Alexander [3].

83. *Nestorii haeresis* — In Oriente haeresim, quae catholicam de Divini Verbi incarnationis mysterio doctrinam funditus evertebat, induxit Nestorius, Germanicia Syriae oriundus, e monacho presbyter Antiochenus, et an. 428 episcopus Cpnus creatus. Brevi post explicans pravam doctrinam, quam a Theodoro Mopsuesteno, magistro suo, acceperat, contendit, ex duplici in Christo natura necessario sequi duplicem in Christo esse personam; naturam humanam non physice et hypostatice, sed moraliter esse divinae unitam; hominem, in utero B. M. V. formatum, esse distinctum a persona Verbi; incarnationem esse quandam copulationem Divini Verbi cum homine iam integre et perfecte formato in utero B.M.V., et propterea B. V. Mariam non Deiparam, Θεοτοκον, sed Christiparam, Χριστοτοκον, esse appellandam [4]. Blasphemias has praedicante Nestorio, clerus, monachi et populus Cp. exhorruerunt, eiusque communionem vitarunt. Ille vero non tantum Constantinopoli, sed etiam in Ægypto doctrinam suam propagare conatus est. Confestim s. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, catholicae doctrinae adversus Nestorium vindex destinatus, impias eius novitates confutavit in epistola ad monachos Ægypti; Nestorium, data ad eum epistola, ad meliorem mentem revocare conatus est, et pertinacem in prava doctrina ad Caelestinum Pp. detulit.

Caelestinus acceptis Cyrilli litteris, an. 430 Romae synodum coëgit, in qua, post maturam rei discussionem, impia Nestorii doctrina damnata est, et excommunicatio in eum lata, nisi intra 10 a denuntiatione dies errores suos retractaret, et de Christo Domino praedicaret quae Romana, Alexandrina et universalis Ecclesia docebat [5]. Pontifex sententiae executionem demandavit Cyrillo Alexandrino. Litteras quoque scripsit tum ad Nestorium, ut reprobata novitate, ad avitam doctrinam rediret, cum ad clerum populumque Cp., ut in ea perseverarent Fide, quam s. Ioan. Chrysostomus, Atticus et Sisinnius iis praedicarant [1].

Cyrillus Alexandrinus, coacta episcoporum Ægypti synodo, alteram epistolam ad Nestorium scripsit, qua ei Romanae synodi sententiam significavit, addiditque 12 *anathematismos*, quorum comprobatione et subscriptione Nestorius errores suos damnaret [2]. Verum Nestorius omnia sprevit; Cyrillum Alexandrinum haereseos Apollinaristarum accusavit; Ioannem patriarcham Antiochenum, Andream Samosatenum, Theodoretum Cyrensem aliosque aliquot episcopos sibi devicit, et imperatorem Theodosium II in patriarcham Alexandrinum commovit.

84. *Concilium Ephesinum generale III* (*an.* 431) — Quum autem disceptationes litesque augerentur, Theodosius de Caelestini Pp. assensu, episcopos Ephesum ad generale concilium vocavit. Convenerunt episcopi circiter 200. Pontifex eo legavit Arcadium et Proiectum episcopos, atque Philippum presbyterum, qui una cum Cyrillo Alexandrino, Apostolicae Sedis in praesenti negotio vicario, concilio praesiderent, iisque mandavit, ut in causa Nestorii secundum Romanae synodi sententiam ageretur. Quum iam congregati patres per dies 15 adventum Ioannis patriarchae Antiocheni expectassent, isque, Nestorii personae favens, nunc moras nectendo, nunc inducias rogando atque itineris difficultatem causando, adventum suum consulto retardaret, concilium coeptum est. In primis Nestorius ter invitatus, ad concilium venire detrectavit, nihilque praeter convicia reddidit. Deinde lecta sunt quae adversus Nestorium fuerant suggesta, ss. Scripturarum Patrumque testimonia de SS. Incarnationis mysterio recitata, Conciliorum praecedentium symbola prolata, s. Cyrilli anathematismi adversus Nestorium confirmati. Demum secundum Caelestini Pp. sententiam, quam patres Ephesini ut regulam secuti sunt, Nestorius damnatus atque Cpna sede depositus fuit, eius errores proscripti, et definitum, unam esse in Christo personam, nempe divinam, eoque nomine B. V. M. vere dici et esse Deiparam, Θεοτοκον. Quae omnia Concilium imperatori Theodosio, clero et populo Cpno, ipsique Nestorio significavit.

Cum iam dies 5, ex quo causa Nestorii fuerat iudicata, essent elapsi, Ephesum venit cum 30 episcopis Ioannes Antiochenus.

---

[1] *Histor. Pelagian.* l. II, c. 15.

[2] *Histor. praedestin.*

[3] *Hist. eccl.* saec. V, diss. 5.

[4] S. Prosper. *Chron.*; Socrat., *Hist. eccl.* l. VII, c. 32; I. Garnier, *Diss.* in *Part. II Commonit. Mar. Mercator.*; I. S. Assemani, *Biblioth. orient.* t. III, part. 2. Errant profecto qui dicunt, Nestorium in hoc tantum offendisse, quod vocem *Θεοτοκον* Deiparam reiecerit et communicationem idiomatum seu proprietatum duarum naturarum in Christo negaverit. Cf Petav. *Dogmata theol.* t. V, l. 6, *de Incarnat.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* diss. 5 *in saec. V.*

[5] Labbe, *Concil.* t.II, p. 1623 et 1688, t. III, p. 340-49.

[1] Ibid. t. III, p. 353 et 363.

[2] Ibid. t. II, p. 1688, t. III, p. 395.

Hic aegre ferens, Nestorium, cui studebat, esse damnatum suamque praesentiam haud diutius expectatam, ad concilium venire noluit: sed cum suis 30 episcopis et aliis 18 Nestorio addictis conciliabulum habuit, in quo s. Cyrillum Alexandrinum ac Memnonem Ephesinum deposuit, et universo Concilio contumeliam intulit.

Nihilo tamen secius Concilium legitimum 2m sessionem celebravit. In ea legati Pontificis, Arcadius, Proiectus et Philippus, qui 1ae sessioni sub Cyrillo praeside non interfuerant, petierunt ut sibi exhiberentur ea, quae in causa Nestorii fuerant decreta, ut viderent, utrum secundum Calaestini Pp. sententiam causa esset iudicata. In 3a sessione legati damnationi et depositioni Nestorii, aliisque a concilio actis adstipulati sunt. In sessione 4a et 5a Ioan. Antiochenus eiusque complices episcopi, ter ad concilium vocati et venire spernentes, Ecclesiae communione privati sunt, et irrita declarata quae in eorum conciliabulo contra Cyrillum et Memnonem fuerant statuta. In 6a sess. Fidei definitio, a symbolo Nicaeno incipiens, lecta est et Concilii actis inserta. In 7a et ultima sess. discussae et decisae sunt quaedam controversiae privatae, conditique canones 6 contra Nestorium, Pelagianos et Messalianos.

Verum cum haec agerentur, Theodosius imperator, Ioannis Antiocheni et Candidiani comitis, qui imperatoris vices in concilio gerebat, fraudibus circumventus, patribus Ephesinis ita iratus est, ut Cyrillum Alexandrinum atque Memnonem Ephesinum custodiae tradi iusserit. Sed brevi post detectis fraudibus, conciliabuli gesta reprobavit, Ephesini concilii acta suscepit, et Nestorium in monasterium Antiochenum relegavit, in cuius locum ad Cp. sedem evectus fuit Maximianus [1].

Concilii Ephesini decreta a Caelestino Pp. fuisse confirmata, constat ex eius ad patres Ephesinos, Theodosium imperatorem, clerum populumque Cp. litteris [2]; fuitque hoc concilium in utraque Ecclesia, graeca et latina, conciliis oecumenicis semper adnumeratum.

Cyrillum Alexandrinum inter et Ioannem Antiochenum, urgente Theodosio, an. 433 pax composita est. Ioannes synodum coëgit, in qua concordiam cum Alexandrino patriarcha iniit, nestorianae haeresi anathema dixit, et Nestorii depositioni ac Maximiani ordinationi assensit. Huic concordiae subscripserunt plerique episcopi Orientis; alii vero illam reiecerunt, partim quia Cyrilli fidem adhuc suspectam haberent, partim quod Nestorium orthodoxum ideoque iniuste damnatum, arbitrabantur. Brevi tamen post imperatoris legibus perterriti, paucis exceptis, cum Cyrillo Alexandrino et Ioanne Antiocheno consenserunt.

Quum Nestorius has divisiones foveret, iussu imperatoris relegatus est in Ægyptum, ubi an. 440, exesa vermibus lingua corporisque putredine extinctus est, ut scribunt Evagrius [1] et Theodorus Lector [2]. Cum eo tamen secta extincta non est, ut infra videbimus.

85. *S. Xystus III Pontifex* (*an.* 432) — S. Caelestino, quum annis 8 et mensibus 5 sedisset, defuncto, suffectus est s. Xystus III, Romanus, qui usque ad an. 440 pontificatum gessit. Illum adhuc presbyterum, Zosimo pontifice, omnium primum coram frequentissimo populo anathema dixisse Pelagianis, scribit s. Augustinus [3]. Pontifex factus, Iulianum, inter Pelagianos famosum, qui fallacem correctionis spem prae se ferens, in communionem Ecclesiae et sedem Eclanensem, quibus privatus erat, irrepere tentabat, compescuit atque reiecit [4]. Concilii Ephesini acta confirmavit, et ad ipsum Nestorium ac episcopos Orientis adversus eius haeresim sententias dedit [5].

86. *Persecutio Vandalorum*—In Africa Catholici dirissimam persecutionem subierunt post invasionem Vandalorum. Hi enim Genserico duce, an. 429, ex Hispania in Africam transierunt, eamque post cruentissimam civium caedem, urbium et agrorum vastationem subegerunt. Religione ariani catholicis infensissimos se exhibuerunt, eorum

[1] Socrat. *Hist. eccl.* l. VII, c. 34; Evagr. l. I, c. 2-3; Liberat. *Breviar.* c. 5-6; Labbe, *Concil.* t. III; Mansi, *Concil.* t. IV.

[2] Labbe et Mansi, ibid.; Baluz. *Concil.* Supplem. p. 383 —Natalis Alex. (*Diss.* IV *in saec. XV et XVI*), Auctor *Defens. Declarat. Cleri Gall.* (part. 3, l. 3), Card. Luzerne (*Sur la déclaration du clergé de France*), ex iis, quae concilium Ephesinum in causa Nestorii egit post Coelestini Pp. et Romanae synodi iudicium, inferre conantur, RR. Pontifices esse inferiores Concilio generali, eorumque iudicia in dirimendis Fidei negotiis non esse irrefragabilia et irreformabilia. Verum ex ipsis Concilii actis et tota huius rei historia oppositum confirmatur, uti fuse ostenderunt Card. Orsi, L. *de irreformabili R. P. iudicio*; A. Muzzarelli, *De auctorit. R. P.* t. II, c. 7; I. B. Palma, *Prael. Hist. eccl.* t. I, p. 2, c. 22.

[1] *Hist. eccl.* l. I, c. 7.

[2] *Hist. eccl.* l. II, c. 38.

[3] *Epist.* 194.

[4] S. Prosper. *Chron.* ad an. 439.

[5] Gennad., L. *de Scriptor. Eccl.* c. 54, et apud Labbe, *Concil.* t. III, p. 1260.

*

basilicas occuparunt, bona ecclesiarum compilarunt, et praecipue in ecclesiasticos et honoratiores viros multis modis saevierunt. An. 439 occupata Carthagine, tanto furore in Catholicos debacchati sunt, ut de eorum Religione in Africa conclamatum videretur. Possidius episcopus Calamensis, rerumque testis oculatus, de persecutionis saevitia loquens scribit: « Vandalorum gentem omni saevientem crudelitate et atrocitate, caedibus, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulatam esse; nulli sexui, nulli parcentem aetati, nec ipsis Dei sacerdotibus et ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis vel aedificiis: ecclesias sacerdotibus et ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos; et in his alios defecisse tormentis, alios gladio peremptos esse, alios in captivitate, perdita animi et corporis integritate et fidei, malo more et duro hostibus deservire: hymnos et laudes de ecclesiis deperiisse, et aedificia ecclesiarum quamplurimis in locis igne concremata esse[1] ». Addit Victor Vitensis, tantam fuisse Vandalorum impietatem, ut Catholicorum ecclesias ingressi, quo tempore sacramenta populo administrabantur, Corpus et Sanguinem Christi pavimentis spargerent, pedibus calcarent [2].

Grandem itaque tempestatem, magnaque pericula ecclesia Africana hisce temporibus subiit. Id tamen boni ex hac persecutione secutum est, quod multi sacerdotes Fidei causā in exilium eiecti et navibus impositi, in alias regiones dissitas pervenerint, ibique christianam religionem propagarint [3].

87. *Synodi Regiensis*, *Arausicana et Vasensis* — Post Vandalorum invasionem Africani episcopi consuetas synodos, in quibus tot sacras leges pro disciplina et ecclesiastico regimine condiderunt, intermittere coacti sunt. In Galliis an. 439 episcopi 13, praeside s. Hilario Arelatensi, convenerunt Regium in provincia Narbonensi pro causa Armentarii, qui contra canones episcopus Ebredunensis fuerat ordinatus. Editi sunt in hac synodo canones 8, quorum 1^s^ duos episcopos, qui Armentarium ordinarant, conciliis ordinariis interesse vetat; 2^s^ ordinationem Armentarii irritam declarat; 6^s^ et 7^s^ prohibent, ne quis clericorum ad ecclesiam modo vacantem accedat praeter episcopum vicinum, qui defuncti antistitis exequias curet, bonorum ecclesiae indicem conficiat, deinde ad ecclesiam suam revertatur, donec ad novi episcopi electionem metropolitani litteris evocetur [1].

Anno 441 idem Hilarius synodum celebravit Arausione, in qua editi sunt canones 30. In his inter alia statuitur, ne deinceps diaconissae ordinarentur [5]. In synodo Vasensi, quae anno sequenti coacta fuit, conditi sunt canones 10 [2].

88. *S. Leo I Pontifex* (*an.* 440) — Summum Ecclesiae pontificatum tunc gerebat s. Leo I, qui anno 440 Xysto III defuncto successit annisque 20 Ecclesiam sanctissime rexit. Hic pontifex Rusticum, episcopum Narbonensem, se episcopatu abdicare cogitantem, ad perseverandum in suscepto labore hortatus est, et ad eius consultationes de maiorum clericorum continentia et poenitentia, de votis et professione castitatis, de publica poenitentia aliisque respondit [3]. Pelagianam haeresim, in provincia Venetica repullulantem, exscidit [4]. Priscillianistarum audaciam in Hispania repressit [5]. An. 445 synodum Romae celebravit in causa s. Hilarii, episcopi Arelatensis, qui iuribus metropoliticis in Viennensi et Narbonensi provinciis, quondam a Zosimo Pp. Arelatensi episcopo concessis, sed postea revocatis, usus, Celidonium episcopum deposuerat, et in locum Proiecti, episcopi aegrotantis, alium ordinarat. Cum Celidonius manifesta testium depositione sese purgasset, et Hilarius, causa coram synodo pendente, clam Roma discessisset, Pontifex Celidonium absolvit, Proiectum in sede sua permanere iussit, et Hilarium ob usurpata iura increpavit [6]. S. Hilarius se tanta cum humilitate Romanae synodi sententiae submisit, et quidquid hac in re humanitus admiserat, ita correxit, ut s. Leo postea in litteris suis ad episcopos provinciae Arelatensis eum nominarit sanctae memoriae virum [7]. — Vetuit s. Leo christianos peccata sua palam confiteri [8]; decrevit-

---

[1] *Vita s. Augustini*, c. 28; Baron., ad an. 437; Ruinart, *Hist. persecut. Vandal.* l. I.

[2] *De persecut. Vandal.* l. I.

[3] *Martyrol. Rom.* 1 sept.

[4] Labbe, *Concil.* t. III, p. 1284.

[1] Labbe, ibid. p. 1446.

[2] Ibid. p. 1456.

[3] *Epist.* 2.

[4] *Epist.* 6 et 7.

[5] *Epist.* 15. — [6] Labbe, *Concil.* t. III, p. 1463.

[7] *Epist.* 96. — P. Quesnellus in iis, quae praemisit editioni *Operum* s. Leonis, in causa Celidonii Hilario omnia laudi, Leoni vero vituperio vertit. Contra quem videsis FF. Ballerinios in editione *Operum* s. Leonis; Mansi in *Animadversion. ad Natal. Alex. saec. V*, c. 5, a. 8.

[8] En verba s. Leonis excerpta ex Epistola 136, alias 80, c. 2: « Illam etiam contra Apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illi-

que, sicuti legitur in Libro Pontificali, *ut intra actionem Sacrificii diceretur* « sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam [1]».

89. *Manichaeorum dilapsio*—Idem Pontifex multos Manichaeos, qui ex Africa Romam confugerant, ad eiurandam haeresim perduxit Manichaeorum secta, faventibus Donatistarum et Arianorum turbis, priori saeculi IV parte latissime se per Romanum imperium propagaverat, adeo ut in Mesopotamia, Syria, Palaestina, Aegypto, Africa, Italia, Gallia et Hispania, durante hac epocha, Manichaeorum coetus existerent. Anno 372 Valentinianus I imperator Occidentis aliique deinceps imperatores adversus Manichaeorum sectam, cuius placita et flagitia reipublicae tam civili quam ecclesiasticae erant perniciosa, severas leges ediderunt. Multi praeterea scriptores ecclesiastici, Marius Victorinus, Titus episcopus Bostrensis, Didymus Alexandrinus, praesertim s. Augustinus aliique, Manichaeorum doctrinas confutarunt. Per haec omnia effectum est, ut sectariorum numerus passim minueretur. Vandalis Africam occupantibus, Manichaei inde aufugerunt: multi, Romae praesertim, haeresim abiurarunt; et cum reliqui in imperio secundum principum leges reprimerentur, secta ita diminuta est, ut circa finem saeculi VI dilapsa sit. Postea rursus, ut videbimus, cum placitis diversimode mutatis et sub novis nominibus, in lucem emersit [2].

90. *S. Cyrilli Alexandrini obitus* (*an.* 444) — S. Leone pontificatum gerente, an. 444 ad immortalem vitam transiit s. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, vir sanctus simul et eruditus, catholicae fidei defensor egregius, et haeresum, praecipue nestorianae, debellator acerrimus [3]. Plura reliquit opera homiletica, exegetica, dogmatica et polemica, inter quae praecipua sunt, Commentarii in s. Scripturam, Homiliae, tractatus de ss. Trinitate contra Arianos, tractatus de Incarnatione et Anathematismi contra Nestorium, atque libri 10 adversus Iulianum apostatam [1].

91. *S. Isidorus et alii*—Cum s. Cyrillo floruerunt s. Isidorus Pelusiota, monachus cuius supersunt libri 5 Epistolarum [2]; s. Petrus, propter eloquentiae praestantiam dictus Chrysologus, episcopus Ravennatensis, qui scripsit Sermones 176 et Epistolam ad haeresiarcham Eutychetem, qua hunc ad meliorem mentem revocare conatus est [3]; s. Eucherius, e monacho Lerinensi episcopus Lugdunensis, qui praeter libros de mundi contemptu, et eremi laude, quaedam scripta exegetica reliquit [4]; s. Hilarius, episcopus Arelatensis, qui praeter vitam s. Honorati scripsit Homilias varias, expositionem Symboli, Epistolas et Carmina [5]; s. Maximus, episcopus Taurinensis, plures elegantes Homilias composuit [6]; Paulus Orosius, presbyter Tarraconensis, praeter libros de Priscillianistarum et Origenistarum erroribus et de libero arbitrio contra Pelagianos, edidit Historiarum libros 7 a mundo condito usque ad annum post Christum natum 416 [7]; Marius Mercator, qui contra Caelestium et Iulianum pelagianos, et contra Nestorium scripto certavit [8]; Socrates, patria Cp., dictus Scholasticus, scripsit Historiae ecclesiasticae libros 7 ab an. 306 usque ad 439; Hermias Sozomenus, Gazensis, Historiam ecclesiasticam adornavit ab an. 323 usque ad 439; Theodoretus, episcopus Cyrensis, qui aliquandiu Nestorio patrocinatus, deinde ei

cita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta* ». Ex quo patet falsum profari eos, qui asserunt primis quatuor Ecclesiae saeculis consuevisse fideles confessione publica manifestari peccata mortalia etiam occulta; siquidem s. Leo huiusmodi confessionem non abrogasset, ut *praesumptionem* Apostolicae regulae contrariam, si primis rei Christianae saeculis in usu fuisset.

[1] Recte advertit Card. Bona, *Rer. Liturg.* l. II, c. 13, § 3, non totam orationem sed tantum postrema illa verba s. Leonem Canoni addidisse. Nam Auctor *Quaestionum utriusque Testamenti*, qui fuit s. Leone antiquior, ipsius orationis mentionem fecit. Quod si rescivisset Pamelius anceps haud fuisset *Liturgicorum* t. I, in definiendo utrum ea sola verba, an integram orationem Leo canoni addiderit.

[2] Tillemont, *Mémoires*, t. IV; L. Alticotti, *Diss. de antiq. et nov. Manich.* Romae 1763, in-4.

[3] Vid. p. 130 et 131.

[1] Bolland., *Acta SS.* 28 ian.; Tillemont, *Mémoires*, t. XIV. Opera s. Cyrilli graece et latine edidit I. Aubert, Paris. 1638, 6 t. in-fol.; card. Mai, *Scriptor. vet.* t. VII, IX, *Spicil. Roman.* t. IV, V, VI, *Class. auct.* t. X; Migne, *Patrolog. graec.* t. LXVII-LXXVII.

[2] Bolland., *Acta SS.* 4 febr.; Tillemont, *Mémoires*, t. XV. Epistolae eius prodierunt graece et latine, Paris. 1638; Migne, *loc. cit.* t. LXXVIII.

[3] Butler, *Vies de SS.* 4 déc.; Ceillier, *Biblioth.* t. XIV, p. 11. Opera s. Petri Chrysol. edita sunt Venet. 1750, et August. Vind. 1758, in-fol.; Migne, *Patrol. latin.*, t. LII.

[4] Butler, *ibid.* 16 nov.; Tillemont, ibid. Exstant Opera eius in *Bibl. Max. PP.* Lugdun. t. VI; Migne, *loc. cit.* t. L.

[5] Bolland., *Acta SS.* 5 mai. Opera eius edita sunt Romae 1731, in-8; Migne, *loc. cit.*

[6] Bolland., *ibid.* 25 iun. Opera eius edita sunt Rom. 1781, in-fol.; Migne, *loc. cit.* t. LVII.

[7] Lugd. Batav. 1738, et in *Bibl. Max. PP.* Lugdun. t. VI; Migne, *loc. cit.* t. XXXI.

[8] Opera eius edidit R. P. Garnier, Paris. 1673, in-fol.; Galland.. *Bibl. PP.* t. VIII; Migne, *loc. cit.* t. XLVIII.

anathema dixit, praeter plures commentarios in S. Scripturam, et scripta polemica, reliquit Historiam ecclesiasticam ab an. 324 usque ad 428, Historiam religiosam seu vitam triginta eremitarum et haereticarum fabularum libros 5 [1]; Philostorgius, patria Cappadox et religione arianus, contexuit Historiae ecclesiasticae libros 12 ab origine arianae haereseos usque ad ann. 425 [2].

92. *Nestorianorum status*—Nestorii fautores ecclesiasticam unitatem in Oriente graviter turbare pergebant. Concordiae inter Ioannem Antiochenum et Cyrillum Alexandrinum initae [3], praeter alios, restiterunt Theodoretus Cyrensis, qui ab initio scripserat contra 12 *anathematismos* s. Cyrilli, Eutherius Tyanensis et Helladius Tarsensis qui appellarunt Xystum III. At Pontifex eorum appellationem reiecit, et Ioanni ac Cyrillo de concordia gratulatus est. An. 434 Theodosius imperator mandavit, ut Theodoretus et caeteri refragantes ad communionem cum Ioanne Antiocheno redirent vel sedes suas desererent. Tum Theodoretus et plerique alii concordiae inter Antiochenum et Alexandrinum patriarchas initae atque decretis Ephesini concilii assenserunt. Meletius Mopsuestenus, Alexander Hierapolitanus et alii pauci contumaces e sedibus suis pulsi sunt. An. 435 Theodosius legem dedit, qua edixit, ut Nestorii libri undequaque conquisiti flammis traderentur, Nestoriani nusquam convenirent, et non Christiani sed Simoniani vocarentur. Tunc Nestoriani libros Theodori Mopsuesteni, quondam episcopi et Nestorii magistri, qui huius erroribus praeluserat, in varias linguas versos quaquaversum divulgarunt. His propagandae haereseos artibus restiterunt Theodorus Ancyranus, Acacius Melitinensis et Rabulas Edessenus; qui etiam ad episcopos Armeniae scripserunt, ne Theodori Mopsuesteni libros reciperent. Proclus, qui an. 434 Maximiano in sede Cp. successerat, ab Armenis de doctrina Theodori interrogatus, ad eos dedit epistolam, *Tomum* inscriptam, in qua pravas Nestorianorum artes refellit, rectamque de mysteriis ss. Trinitatis et Incarnationis doctrinam exposuit [4].

Nestoriani in imperio Romano repressi, transierunt in Persidem. Eorum dux et antesignanus fuit Barsumas, quem Nisibis episcopum ordinarunt. Inter Christianos Persidis haeresim suam propagarunt eo successu, ut versus finem huius saeculi ipsum archiepiscopatum Seleuciensem possiderent. Profuit iis Persarum in Graecos odium, quo Persae sibi magis devinctos fore putabant Christianos suae regionis, si hi religione etiam a Graecis dissentirent. Sequentibus saeculis pestifera haeresis e Perside in Indiam orientalem, Arabiam meridionalem et in provincias a Persis vel Mahometanis imperio Graeco ereptas, in ipsas Sinas delata est [1].

93. *Eutyches eiusque haeresis* — Vix condemnata erat haeresis Nestoriana, quum nova exorta est, nempe Eutychiana, quam protulit Eutyches, celeberrimi in urbe Constantinopoli monasterii archimandrita. Is, cum nestorianos errores nimio ardore oppugnaret, et nonnulla s. Cyrilli verba male intelligeret, ex unitate personae in Christo conclusit, unam tantum in eo esse naturam post Incarnationem. Interrogatus enim in synodo Cpno respondit: « Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem; post unitionem vero unam naturam confiteor ». — Unde consequebatur, vel unam Christi naturam e duabus compositam vel humanam post unionem a divina absorptam fuisse [2].

Eutyches a Flaviano episcopo Cp. an. 448 in synodo 32 episcoporum propter pertinaciam in errore sacerdotii munere et monasterii praefectura privatus [3], provocavit ad R. Pontificem. At s. Leo, acceptis Flaviani litteris, non solum non detulit Eutychetis appellationi, sed ad evertendam nascentem haeresim, celeberrimam ad Flavianum dedit epistolam [4], in qua catholicam doctrinam de incarnatione Christi Domini exposuit, et cui postea in generali concilio Chalcedonensi unanimi omnium voce acclamatum est: *Petrus per Leonem locutus est.*

Eutyches videns, rem sibi Romae male cessisse, opera Chrysaphii, potentissimi in

---

[1] Paris. 1642, 4 vol. in-fol. quibus 1684 additum 5 vol.; Migne, *Patrolog. graec.* t. LXXX-IV.

[2] Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Philostorgii Historias graece et latine edidit H. Valesius. Cf p. VII.

[3] Vid. p. 131.

[4] De vita et rebus gestis s. Procli Cp. patriarchae recens scripsit Ceillier, *Hist. des auteurs ecclés.* t. XIII, p. 472 sqq. Opera omnia s. Procli edid. Romae V. Riccardi an. 1630.

[1] Liberat. *Breviar.* c. 10; Baronius et Pagi, ad an. 433-35; Tillemont, *Mémoires*, t. XIV; Assemani *Biblioth. orient.* t. III, part. 2.

[2] S. Leo, *Serm.* 27; s. Prosper. *Chron.*

[3] Labbe, *Concil.* t. III, p. 1467.

[4] S. Gregorius (lib III *Epist.* 2). *Si quis*, scribit,... *contra s. m. Leonis Pp.* tomum *atque definitionem aliquid unquam loqui praesumit, anathema sit;* intelligens *tomi* nomine memoratam s. Leonis ad Flavianum epistolam. Eutychiani Leonem de hoc verbo irriserunt, sed s. Ephrem Patriarcha eos refellit, uti videri potest in *Bibliotheca* Photii, Cod. 229, p. 823.

Theodosii aula eunuchi, imperatorem fraudibus circumvenit. Hic an. 449 Ephesi synodum indixit, quae est famosum conciliabulum Ephesinum, vulgo *Latrocinium* vocatum, cum illic cuncta fraudibus et vi peracta sint. Convenerunt episcopi 130. Spretis legatorum Pontificis iuribus, praesedit perditissimus Dioscorus, episcopus Alexandrinus. Eutyches, oblata fidei confessione, falsitatis et ambiguitatis plena, in pristinum statum restitutus est. Flavianus Cp. et Eusebius Doryleensis aliique episcopi damnati sunt. Legati Pontificis et quotquot conciliabuli acti subscribere recusabant, pessime accepti sunt, adeo ut fuga salutem quaerere fuerint coacti; et Flavianus, quod R. Pontificem appellaverat, ita pugnis et calcibus sit caesus, ut triduo post vita excesserit [1]. S. Leo Pp., his auditis, eodem anno Romae synodum coëgit, in qua Ephesini conciliabuli gesta rescidit, Dioscorum damnavit, et Flaviani memoriam in honorem restituit. Deinde apud Theodosium II et Valentinianum III augustos egit, ut generale concilium celebraretur, in quo tanta mala solemniter reformarentur. At restitit Theodosius imperator [2].

Brevi post, an. 450 Theodosio sine haerede defuncto [3], imperii summa rediit ad Pulcheriam Theodosii sororem, quae Marcianum coniugem et imperii consortem assumpsit.

94. *Concilium Chalcedonense generale IV* (*an.* 451) — Tunc s. Leo, quod frustra a Theodosio postularat, consecutus est. Concilium generale indictum fuit Nicaeae, sed inde mox translatum est Chalcedonem. Convenerunt episcopi ex universo orbe christiano circiter 600. Praesederunt s. Leonis legati, Paschasius et Lucentius episcopi, Bonifacius et Basilius presbyteri; fuitque absolutum 16 sessionibus. In primis secundum s. Leonis ad Flavianum epistolam, quam Patres ut irreformabilem doctrinae regulam secuti sunt, eutychiana haeresis damnata est, et definitum, quod Christus unus et idem sit in duabus naturis *inconfuse, immutabiliter*, *indivise et inseparabiliter*. Eutyches et Dioscorus cum toto *latrocinio* Ephesino

[1] S. Leo, *Epist.* 93; Liberat., *Breviar.* c. 12; Nicephor., *Hist. eccl.* l. XIV, c. 47; Evagr. l. II, c. 2; Labbe, loc. cit. p. 1472.

[2] S. Leo, *Epist.* 24–30; Labbe, ibid. p. 1475.

[3] Theodosius II varias leges in favorem Ecclesiae tulit, rem litterariam fovit, RR. principum leges per clarissimos iurisconsultos in unum corpus quod *Codex Theodosianus* dictum est, collegit, alia plura bene gessit; sed sub exitum vitae in Eutychetis partes propensior fuit.

damnati sunt, et episcopi ab eutychianis partibus redeuntes, in pristinos gradus recepti. Post haec quaedam causae particulares compositae fuerunt. Sess. XV, absentibus legatis Pontificis, editi sunt canones 28, secundum codices graecos 30. 1^s antiquos canones confirmat; 2^s simoniacas ordinationes damnat; 3^s prohibet clericis negotiorum saecularium procurationem; 4^s monachos subiicit episcopo loci; 6^s vetat, ne quis ordinetur, quin alicuius Ecclesiae ministerio deputetur; 9^s, ne clerici inter se litigantes ad saecularia iudicia convolent; 13^s, ne clerici peregrini absque proprii episcopi litteris ad ministerium admittantur; 26^s, ne monachus aut virgo Deo consecrata, transeat ad nuptias; 27^s excommunicat raptores; 28^s confirmat episcopo Cp. primas honoris partes post R. Pontificem, eique ius patriarchicum seu ordinationes metropolitarum tribuit in Pontica, Asiatica et Thracica dioecesibus. Sess. XVI et ultima legati Pontificis contra praedictum canonem 28^{m} reclamarunt constantia flecti nescia [1]. His absolutis, quae in concilio acta fuerant significata fuerunt s. Leoni Papae. Pontifex ea, quae pro Fidei definitione contra eutychianam haeresim et pseudosynodum Ephesinam secundum legatorum instructiones decreta fuerant, confirmavit; sed quae canone 28° constituta erant, tanquam nova et concilii Nicaeni decretis et ecclesiarum Alexandrinae ac Antiochenae privilegiis contraria reiecit [2].

Imperator Marcianus quoque legem edidit, qua Concilii decreta ab omnibus servari mandavit. Verumtamen haeresis extincta non est. Illius sectatores, qui ab auctore Eutychiani et ab errore suo Monophysitae dicti sunt, quamvis paulo post inter se divisi, turbas gravissimas in Oriente excitarunt, et quaquaversum, praesertim Zenone et Anastasio imperantibus, prava dogmata propagare conati sunt, ut infra videbimus.

95. *Anglo-Saxones in Britannia*—Dum

[1] Labbe, *Concil.* t. IV.

[2] S. Leo, *Epist.* 54, 55, 61, 62; Labbe. ibid.; Cf p. 112-113. Concilium Chalcedonense, dum epistolam s. Leonis veluti de ore s. Petri prolatam celebravit et ut Fidei regulam secutum est, egregium dedit testimonium de infallibilitate RR. Pontificum in dirimendis Fidei morumque controversiis. Attamen Febronius (L. *de statu Eccl.* c. 6) et defensores *Declarationis cleri Gallicani* ex hoc ipso concilio adversus eamdem RR. Pontificum infallibilitatem argumenta deprompserunt. Contra quos videsis F. A. Zaccar., *Antifebron.* part. II, l. 4, c. 3; P. Ballerin., *De vi et ratione primatus*, c. 15, § 13; Card. Orsi, *De irreformabili R. P. iudicio*, l. I; Muzzarelli, *De auctoritate R. P.* t. II, c. 8; Palma, *Prael. Hist. Eccl.* t. I, p. II, c. 24.

sic in Oriente dissensiones, turbasque excitabant haeretici Nestoriani et Eutychiani, in Occidente ecclesiarum pax et prosperitas turbabantur barbarorum incursionibus, bellis ac direptionibus. Angli et Saxones invaserunt insulas Britannicas, et eiectis post plura certamina incolis, sedes illic fixerunt. Quum isti populi essent indole feroces et religione ethnici, cuncta ferro et igne vastarunt; Britannos, praesertim episcopos et sacerdotes, immaniter trucidarunt totamque pene religionem christianam illic deleverunt. Britanni e caedibus superstites, partim intra Walliae montes se receperunt, ubi suam contra Anglo-Saxones libertatem defenderunt, partim confugerunt in Galliam et consederunt intra fines Armoricae, quae inde Britannia minor dicta est.

Attila in Gallia et Italia — An. 451 Attila, Hunnorum rex, cognomento *Flagellum Dei*, cum exercitu irruit in Gallias, earumque urbes nobilissimas, Metas, Treviros, Tongros, Rhemos, vastavit. Verumtamen ab Aëtio Romanorum duce in campis Catalaunicis profligatus, iterum Rhenum traiicere coactus est. Anno sequente, viribus resumptis, Alpes perrupit, Aquileiam, Ticinum, Mediolanum vastavit, omnique Italiae terrorem iniecit. S. Leo Pp., Valentiniano III populoque efflagitante, Attilae ad confluentes Mincii et Padi occurrens, ita atrocem animum permulsit, tantumque auctoritate patuit, divinaque valuit eloquentia, ut ex Italia obedienter imperata faciens, exercitum trans Danubium reduxerit[1].

Gensericus Romam depraedatur (an. 455)—Vix Hunni Italia erant egressi, quum in eam irruerunt Vandali. Anno enim 455, interempto Valentiniano III, imperium Occidentis arripuit Petronius Maximus. Gensericus Vandalorum rex, ab Eudoxia, Valentiniani vidua, adversus Maximum ex Africa evocatus, in Italiam exercitum traiecit; victor Romam usque progressus, urbem cepit ac depraedatus est; attamen s. Leonis oratione lenitus, a caede et incendio abstinuit. Maximus a suis interfectus est eodem anno, et Gensericus in Africam remeavit[2].

Synodi Arelatensis et Andegavensis (an. 452-453) — Quum his barbarorum incursionibus ecclesiasticae rei et disciplinae clades non modicae essent illatae, episcopi, ut iis mederentur, quam primum licuit, synodos coëgerunt. Extant in hanc rem canones 56 synodi Arelatensis II, an. 452 celebratae, qui potissimum extracti sunt e conciliis Nicaeno et Arelatensi, et canones 12 Andegavensis synodi, quam an. 453 celebravit Leo Bituricensis[1].

96. *Conversio Hibernorum per s. Patricium* — Romanorum imperio in Occidente ad finem properante, novi populi regno Christi idest Ecclesiae adgregabantur. In Hibernia Evangelii praedicatio uberrimos fructus tulit. Insulam istam occupabant Scoti, homines admodum feri. Iam a longiori tempore aliqua christianae Religionis semina e vicina Britannia et Gallia inter eos sparsa fuerant. Anno 431 Caelestinus Pp. ad eos episcopum et Evangelii praeconem ablegavit s. Palladium, antea Romanae ecclesiae diaconum. Hic primo in Hibernia deinde Scotis qui ex ea in Britanniam septentrionalem, hodiernam Scotiam, transierant, Evangelium praedicavit[2]. Brevi post in Hiberniam venit s. Patricius. Hic in Britannia septentrionali haud procul a Glascua natus an. 377, adhuc iuvenis a piratis in Hiberniam abductus est. Post plures annos e captivitate liberatus, in Galliam et Italiam venit. Progressu temporis presbyter et tandem a Caelestino Pp., qui eum convertendis Hibernis prae caeteris aptum iudicabat, episcopus pro iisdem ordinatus est. Patricius demandatum sibi munus ardenti religionis zelo et pia in Deum fiducia aggressus est, et exhortatione indefessa, labore improbo et prodigiis, tandem gentis ferociam, magnatum resistentiam et sacrificulorum malignitatem devicit, et universam pene insulam ad christianam religionem perduxit. Quam ut firmaret, episcopatus erexit, inter quos Armacanum primarium ipse gessit, presbyteros aliosque clericos ordinavit, monasteria virorum et feminarum fundavit. Postquam annis circiter 30 inter continuos labores et itinera apostolica, inter maximas molestias et vitae pericula, pietatem plantasset moresque correxisset, laborum suorum praemia aeterna consecutus est, Hibernorum apostolus iure meritoque appellatus[3].

S. Severinus apostolus Noricorum—In antiquo Norico, quod hodiernam Austriam, Stiriam, Carinthiam et Bavariam comple-

---

[1] Prosp. *Chron.*; Gregor. Turon., *Hist. Franc.* l. II, c. 6 et 9; Iordan. *De rebus Geticis*, c. 34-42.

[2] Prosp. *Chron.*; Evagr., *Hist. eccl.* l. II, c. 7; Procop., *De bello Vandal.* l. I.

[1] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1010 et 1020.

[2] Usser. *Antiquit. eccl. Britann.*; Tillemont, *Mémoires*, t. XVI; Bolland. *Acta SS* 6 iul.

[3] Usser. et Tillemont, loc. cit.; Bolland. *Acta SS.* 17 mart.

ctebatur, s. Severinus tanto cum fructu Christum Dominum praedicavit, ut Noricorum apostolus vulgo cognominatus sit. Iam dudum ante haec tempora Evangelium illic fuerat praedicatum et ecclesiae institutae; sed Hunnorum, Herulorum, Turcelingorum et aliorum barbarorum invasionibus grandes tempestates subierant.

Ante medium huius saeculi s. Valentinus, a s. Leone Pp. I ordinatus episcopus, in Castris Batavis, circa Passaviam, in Rhetia et Tyroli Evangelium praedicavit tum infidelibus, tum arianis, et sacerdotes constituit[1]. Eius vestigia secutus est s. Severinus qui a Deo excitatus, ad barbaros Norici incolas profectus est, iis poenitentiam et christianam doctrinam praedicavit, totusque incubuit, ut efferatos incolarum mores emolliret, eorumque mentes verbo et exemplo ad coelestia appetenda erigeret. Splendor sanctitatis, qua praefulgebat, miraculorum rerumque gestarum celebritas tantam illi fiduciam ac venerationem conciliarunt, ut ipsi Herulorum et Rugiorum reges eum impense colerent[2]. Obiit s. Severinus anno 482.

97. *S. Leonis M. obitus* (*an.* 461)—Quum s. Leo 20 annis summum pontificatum gessisset, ad coelestem patriam migravit, vitae sanctitate, eloquentia, Fidei defensione, aliisque rebus gestis vere Magnus. Reliquit plures Epistolas, disciplinam et historiam ecclesiasticam huius aevi praeclare illustrantes, inter quas celeberrima est epistola ad Flavianum Cp.[3], Homilias seu Sermones multos[4].

S. Hilarius Pontifex—In locum s. Leonis subrogatus est s. Hilarius[5], sardus, R. E. diaconus, qui sedit usque ad an. 467. Hic memor quanti Pontificis esset successor, vestigiis eius inhaesit. Concilia Nicaenum, Ephesinum et Chalcedonense ac s. Leonis ad Flavianum Cp. epistolam auctoritate sua confirmavit, et in Nestorium ac Eutychetem, eorumque sectatores anathema renovavit[6]. Contra Anthemii, imperatoris Occidentis, studium, qui Macedonianos secum Romam adduxerat, eisque conveniendi potestatem in Urbe postulabat, invictus stetit, et a proposito eum deterruit[7]. An. 465 Romae 48 episcoporum synodum celebravit, in qua editi sunt canones 5: in his praecipitur ut canones Nicaeni et Apostolicae Sedis decreta serventur

[1] Bolland. ibid. 7 ian.; Butler, *Vies des SS.* 7 janv.
[2] Bolland. ibid. 8 ian.
[3] Edid. FF. Ballerin., Venet. 1753, 3 vol. in-fol.; Migne, *Patrol. latin.* t. LIV-VI.
[4] Vid. p. 134.—[5] Appellatur etiam *Ililarus* et *Hilarion*.
[6] Baron. ad an. 461.
[7] Gelas. I *Epist.* 13.

bigami, viduarum mariti, illiterati, mutili et poenitentes a suscipiendis Ordinibus sacris arceantur; prohibetur, ne quis episcopus sibi successorem designet[1].

98. *Claudianus Mamertus, aliique scriptores*—Inter scriptores ecclesiasticos hoc tempore floruerunt: Claudianus Mamertus, Viennensis ecclesiae presbyter, qui varii generis litteris, sacris et profanis, excultus, scripsit libros 3 de statu seu natura animae, et Carmen contra vanos poetas[2]; Victorius Aquitanus, qui rebus mathematicis perquam exercitatus, Canonem paschalem usque ad an. 532 composuit[3]; Salvianus presbyter Massiliensis, qui divinis humanisque litteris eruditus, scripsit libros 8 de Dei providentia et gubernatione, 4 contra avaritiam, et aliquot epistolas[4]; Gelasius Cyzicenus, Caesareae in Palaestina episcopus, qui edidit Historiam actorum Concilii Nicaeni[5].

99. *S. Simplicius Pontifex* (*an.* 467)—S. Hilarium post pontificatus annos fere 6 defunctum, excepit s. Simplicius, Tiburtinus, qui usque ad an. 483 Ecclesiam cum magna sanctitatis et prudentiae laude gubernavit. Eum sub pontificatus initia tentavit Leo, imperator Orientis, ut Cp. episcopo patriarchica iura in Pontica, Asiatica et Thracica dioecesibus confirmaret, sed Simplicius decessorum suorum, s. Leonis et s. Hilarii, exemplo insistens, imperatoris consiliis restitit[6]. Pari constantia Eutychianorum, praesertim Petri Moggi et Petri Fullonis, audaciae et pravis artibus eum restitisse videbimus. Gaudentium episcopum Aufiniensem, propter illicitas ab eo factas Ordinationes potestate ordinandi privavit, et solum quartam partem reddituum Ecclesiae et oblationum ei concessit, mandans, ut partes duae ecclesiasticis fabricis et peregrinorum atque pauperum sustentationi prodessent, tertia autem clericis secundum singulorum merita divideretur[7].

[1] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1060. — Fuit olim in more positum, ut Episcopi sibi successorem designarent. Eo iure recte ac sapienter usi sunt complures Antistites, *cum* (ut prodit Baronius ad an. 426, n. 13) *quos sanctissimos scirent, eos ad Episcopale munus deligerent.* Id, cum secus fieri coepisset, interdixit Nicaena I synodus. Non incongruum est memorare quod D. Augustinus de seipso accidisse narrat (*Epist.* 213, alias 110, § 4): *Adhuc in corpore posito beatae memoriae Patre et Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicaeno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat.*
[2] Libri de statu animae editi sunt Antw. 1617, et t. VI *Bibl. maxim. PP.*; Migne, *Patrol. latin.* t. LIII.
[3] Edit. ab Æg. Bucherio, Antw. 1633.
[4] Galland. *Biblioth. PP.* t. X; Migne, loc. cit.
[5] Harduin. *Concil.* t. I. Vide annot. 1 p. VII.
[6] Gelas. I *Epist.* 13.
[7] *Epist.* 3 *ad Florent.* apud Labbe, *Concil.* t. IV,

Initio Ecclesiae cura bonorum ac reddit uum ecclesiasticorum erat apud episcopos, qui eam oeconomo vel archidiacono committebant. Ex his bonis episcopi et clerici alebantur, egentibus et ecclesiarum impensis seu fabricis succurrebatur. Postea vero RR. Pontifices, Gelasius I, Gregorius M. aliique, et concilia constituerunt, ut ecclesiastica bona in quatuor partis dividerentur, quarum una episcopo, altera clericis ecclesiae addictis, tertia fabricae ecclesiae, quarta pauperibus attribueretur[1].—Ordinis sacramentum mense decembri conferri solitum, mense februario administravit[2].

100. *Eutychianorum turbae*—Postquam eutychiana haeresis in concilio Chalcedonensi solemniter esset damnata, illius sectatores omni via hoc concilium et defensores eius oppugnarunt, gravesque turbas in Oriente excitarunt. An. 452 in Palaestina Theodosius, nomine potius quam vita monachus, multos monachos concitavit contra Chalcedonense concilium, perinde ac si in eo Fides fuisset prodita. Hi excitata plebe Hierosolymam armis occuparunt, atque in locum Iuvenalis memoratum Theodosium Hierosolymorum episcopum ordinarunt. Aliis etiam Palaestinae episcopis, partim occisis partim fugatis, Eutychianos subrogarunt. In omnes, qui Chalcedonensi concilio et Leoni Pp. anathema dicere nolebant, immaniter saevierunt. An. 453 turbis militari manu finis impositus est. Iuvenalis sedi suae restitutus, non multo post in synodo fidem Chalcedonensis concilii explicavit, multosque rebelles monachos ad unionem cum Ecclesia reduxit.

Verum in Ægypto, quae principalis eorum sedes erat, Eutychiani longe diuturniores turbas excitarunt. Dioscorus Alexandrinus, ut et Eutyches, ab imperatore in exilium eiectus fuerat, in quo ambo obierunt. Eorum asseclae contra Proterium patriarcham Alexandrinum excitarunt seditionem caedibus plenam. Marcianus imperator seditiosos armis repressit. Nihilominus plures episcopi et monachi cum Proterio communicare nolebant. Factionis capita erant Timotheus Ælurus presbyter et Petrus Mongus diaconus. An. 457 defuncto Marciano imperatore, Timotheus Ælurus, multis monachis et plebeiis stipatus, ecclesiam Alexandrinam invasit, atque ab episcopis factionis suae patriarcha ordinatus fuit; Proterius vero intra baptisterium occisus est. Confestim pseudo-patriarcha conciliabulum coëgit, in quo Chalcedonensi concilio eiusque patronis, nominatim Leoni Pp. et Anatolio Cp. anathema dixit. Leo imperator, Marciani successor, a s. Leone Pp. et episcopis catholicis interpellatus, an. 460 Timotheum relegavit Chersonesum, et ad sedem Alexandrinam eligendum curavit Timotheum Solophaciolum. Ita turbae in Ægypto sopitae sunt usque ad an. 475.

In Syria propagandae haeresi operam navavit Barsumas abbas, qui in conciliabulo Ephesino saevissimus extiterat in Flavianum Cp. episcopum. Magis eam illic propagavit Petrus cognomine Gnaphaeus seu Fullo. Hic Acoemetarum monasterio, deinde ecclesia Chalcedonensi propter haeresim eiectus, venit Antiochiam, ubi favorem Zenonis patritii et copiarum orientalium ducis, consecutus est. Anno 471 excitata contra Martyrium patriarcham Antiochenum seditione, sedem eius invasit, furore magno contra Chalcedonense concilium invectus est, et quo magis eutychianam haeresim propagaret, stabiliretque, celebri trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, addi iussit has voces: *Qui crucifixus es pro nobis.* Quae formula cum significare videretur, omnes tres personas divinas in crucem actas, eius defensores dicti sunt *Theopaschitae.* Leo imperator contra Petrum Fullonem interpellatus, eum Oasim in Ægypto relegavit. Ad Antiochenam sedem evectus fuit Iulianus et tranquillitas restituta usque ad ann. 475[1].

101. *Occidentalis imperii finis* (*an.* 476) —In Occidente barbarorum invasionibus romanum imperium corruit. Post Valentiniani III interitum (455) imperatores successive dicti sunt Maximus, Avitus, Maioranus, Seve-

---

p. 1069, et apud Gratianum 12, quaest. 2, cap. *De redditibus Ecclesiae* 28. Cf Launoium, *De cura Ecclesiae pro miseris et pauperibus*, t. II, part. 2.

[1] Cf Thomassin., *Velus et nova Eccl. disciplina*, part. III, l. 2, c. 13-14.

[2] Amalarius, lib. II *de Eccl. Officiis*, c. 1, in *Biblioth. Patr.* t. XIV, scribit: « *Primi Apostolici semper in Decembrio mense*, in quo Nativitas D. N. I. C. celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in *Februario.* Ex Pontificibus, qui usque ad exitum saeculi IX Ordinis sacramentum administrarunt, unus Leo II, mense maio, vel ut aliis visum est, iunio, et semel mense septembri Gregorius M. administravit. Alii post Simplicium omnes vel decembri, vel hebdomada Quadragesimae prima, vel *mediana*, quae proxime sequitur Dominicam quartam Quadragesimae: nulli Sabbato ante Pascha ». Cf Mabillonium, *Comment. Ord. Rom.*, c. 16 et 19.

[1] Evagr. *Hist. eccl.* l. II-III; Liberat. *Breviar.* c. 4, 15-16; Assemani *Biblioth. orient.*, t. II.

rus, Anthemius, Anicius, Olibrius, Flavius Glycerius, Iulius Nepos, et an. 475 Romulus Augustulus. Qui omnes potius reges Italiae fuerunt quam imperatores Occidentis; nam Vandali, Africam, Visigothi et Suevi Hispaniam, Anglo-Saxones Britanniam, Burgundiones et Franci Gallias occuparunt. Anno 476 Odoacer, dux Herulorum et Turcelingorum qui in castris Romanorum stipendia merebant, rebellavit, Romulum Augustulum, imperio exutum, in Campaniam relegavit, et Italiam annis 17 gubernavit. Sic in Romulo Augustulo imperium romanum extinctum est.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA QVARTA

A FINE IMPERII OCCIDENTALIS VSQVE AD PSEVDO-PROPHETAM MAHOMET SEV AD ORTVM ISLAMISMI, AN. 622.

PROOEMIVM

Postquam religio christiana per universum imperium Romanum iam esset propagata, factum est, ut populi barbari e septentrione in Occidentalis imperii provincias irruerint, eas occuparint, et deleto Romanorum imperio, nova in iisdem regna instituerint. His barbarorum invasionibus bellisque inde secutis clades magnae ecclesiis illatae sunt, ut in praecedenti epocha notavimus. In praesenti vero epocha videbimus, quantum bonum inde elicuerit divina Providentia. Etenim iidem illi populi barbari, antea aut ethnici aut semichristiani seu ariani, inculti, feroces, Christo nomina dederunt, superstitionem et errores abiecerunt, veritatem amplexati sunt, et secundum religionis christianae praecepta incultam saevamque vivendi licentiam cum urbana humaniorique vita commutarunt. Unde effectum est, ut veteri imperio eiusque institutis abrogatis, sensim successerint civitates seu status christiani, quarum forma seu constitutio in ipsa religione, quam reges et subditi profitebantur, erat fundata. Hae novae civitates, quae media aetate in Occidente obtinuerunt, cum societate religiosa seu Ecclesia ita erant coniunctae, ut qui huic praeerant RR. Pontifices, illis pariter praesiderent, supremo arbitrio discordias principes inter et subditos componerent, horum obedientiam illorumque dominationem moderarentur.

Attamen quemadmodum religio christiana olim in sua per romanum imperium propagatione obstacula multigena experta est, ita etiam in convertendis novis his populis discrimina varia subiit; sed ut olim, ita nunc etiam divina sua efficacia hostes convertit in subditos. In primis Franci sub principe suo Clodoveo abiectis ritibus ethnicis, se ad veri Dei cultum converterunt, et superba colla religionis christianae iugo submiserunt. Eorum exemplum secuti sunt Angli et Saxones in Britannia. In Gallia itidem Burgundiones sub Sigismundo rege, et in Hispania Suevi sub Theodomiro ac Visigothi sub Reccaredo, eiurata haeresi ariana, catholicam doctrinam amplexi sunt.

Praeterea apud Erulos, Abasgos et Mauros Africanos christianae fidei professio aucta est; in Italia vero et Africa sub Gothis et Vandalis persecutionem subiit; in imperio Orientali graviter perturbata fuit Eutychianorum haereticorum tumultibus.

1. *Ecclesiae status in Occidente* — Destructo in Occidente Romano imperio, Ecclesia magno discrimini fuit obnoxia, e quo tamen victrix evasit.

In Gallia, cuius partem septentrionalem Franci ethnici, meridionalem Visigothi ariani, orientalem Burgundiones pariter ariani, occuparunt, religio catholica inter veteres incolas conservata fuit; sed cum isti populi essent vel ethnici vel semichristiani, barbari bellisque fere continuis inter se implicati,

sub eorum imperio ecclesiarum status fuit conturbatus.

In Hispania praeter Visigothos regnabant Suevi ariani. Inter veteres quidem incolas religio catholica, quemadmodum in Gallia, conservata fuit. Enricus vero rex Visigothorum, omni via Catholicos ad Arianismum adducere conatus est, grandem persecutionem contra eos excitavit, episcopos partim in exilium pelli partim interfici iussit [1]. Regnavit is ab anno 446 usque ad 484. Alaricus II, illius filius et in regno successor, persecutioni finem constituit, et episcopis eiectis potestatem redeundi ad ecclesias, etiam synodos celebrandi, dedit.

In Anglia seu antiqua Britannia, ab Anglis et Saxonibus occupata, religio christiana deperiit, ecclesiae destructae vel in deorum fana conversae sunt. Britanni vero, qui se in regiones Walliae receperunt, in catholica fide perseverarunt.

In Italia Odoacer, qui regnavit usque ad annum 493 a vexandis Catholicis abstinuit.

In Africa vero, in qua regnabant Vandali ariani, Catholici saevam persecutionem perpessi sunt sub Genserico rege, ut in praecedenti epocha vidimus [2]. Hunnericus, Genserici filius et anno 477 in regno successor, qui regnavit usque ad annum 484, Catholicos adhuc vehementius persecutus est, praecipue posterioribus regni sui annis. Tunc omnes ecclesiae Catholicis sunt ademptae, ii honoribus et muneribus publicis privati, clerici, praesertim episcopi, in Sardiniam et Corsicam relegati, multi utriusque sexus, omnis conditionis et aetatis, calamitatibus et cruciatibus affecti. Sed Guntabundus seu Guntamundus, qui regnavit ab anno 484 usque ad 496, persecutionem repressit, exules episcopos et clericos revocavit, Catholicis facultatem exercendi suam religionem concessit [3].

2. *Ecclesiae status in Oriente sub Zenone imper.* (*an.* 475-491) — In Oriente post mortem Leonis (474), sub quo, ut vidimus, Catholici praevaluerunt Eutychianis, imperium occupavit Zeno; sed anno sequenti deiectus fuit a Basilisco, qui, ut haereticorum gratiam sibi compararet, eorum coryphaeos, Timotheum Ælurum et Petrum Fullonem ab exilio revocavit, omnibusque episcopis et clericis sub poena depositionis, monachis et laicis sub poena exilii praescripsit, ut epistolae s. Leonis ad Flavianum et Concilio Chalcedonensi anathema dicerent. Episcopi magno numero, metu ducti, Basilisci edicto subscripserunt; sed Acacius episcopus Cpnus, cum clero et populo suo pravis illius conatibus constanter restitit. Basiliscus resistentia Cpnorum et adventu Zenonis, qui cum exercitu ad urbem appropinquabat, perterritus, haereticum suum edictum revocavit, et brevi post (477), a Zenone superatus, imperium amisit.

Zeno, recuperato imperio, secundum s. Simplicii Pp. mandata et Acacii Cpni consilia, Basilisci acta abrogavit, Petrum Fullonem e sede Antiochena, Petrum Mongum, ab Eutychianis in locum Timothei Æluri mortui intrusum, ex Alexandrina, alios intrusos ex aliis sedibus pepulit, et eas Catholicis reddidit. Tunc Alexandrinam sedem recepit Timotheus Solophaciolus, ad Antiochenam ordinatus fuit Stephanus, et qui supra Basilisci decreto assenserant, subscriptionem suam revocarunt.

Verum Acacius Cp., qui de catholicae fidei defensione et ecclesiasticae pacis restitutione bene meruerat, postea ambitionis aestu incalescens, graves turbas et schisma in Ecclesia excitavit. Quum enim post mortem Timothei Solophacioli patriarchae Alexandrini, anno 481 vel 482, ab episcopis, clericis et monachis catholicis electus fuisset Ioannes Talaia, Acacius tanta incaluit invidia, ut Zenonem imperatorem commoverit ad reiiciendum Ioannem Talaiam, quem plurium criminum accusabat, et ad restituendum Petrum Mongum, quem antea, ut haereticum, eiiciendum curaverat. Brevi post (482), non obstantibus Simplicii Pp. admonitionibus, praetextu uniendi Monophysitas seu Eutychianos cum Catholicis, Zenoni auctor fuit, ut fraudulentum de Fide edictum (*Henoticon*) promulgaret, quod discordias in ecclesia Orientali plurimum auxit, et tum Catholicos tum Monophysitas inter se divisit. Huic edicto, quod, quamvis haeresim non exprimeret, eam tamen non condemnabat, neque satis dogma catholicum tutabatur, subscripserunt Acacius, Petrus Mongus, qui, reiecto Talaia, sedem Alexandrinam recepit, aliique e Catholicis et Monophysitis. Qui vero inter Catholicos iusto Fidei studio erant animati, huic edicto subscribere recusarunt. Illud etiam reiecerunt fervidiores inter Monophysitas, quia in eo concilium Chalcedonense non expresse damnabatur, et hi se a communione Petri Mongi

[1] Sidonius, L. VII *Epist.* 6; Gregor. Turon. l. II, c. 25.

[2] Vide p. 131 sq.

[3] Victor Vitensis, *De persecut. Vandal.*; Procopius, *De bello Vandal.* l. I, c. 8.

separantes, dicti sunt Acephali, idest sine capite.

Acacius, quamvis a s. Simplicio Pp. eiusque successore Felice III admonitus, non tantum non resipuit, sed Felicis Pp. legatos, a Zenone carceri mancipatos, ad transgredienda Pontificis mandata, ad communicandum cum Petro Mongo eique confirmandam sedem Alexandrinam compulit. Quapropter Felix III an. 484 in Romana synodo Acacium et legatos suos praevaricatores communione Ecclesiae et episcopatus honore privavit. Acacius vero, imperatoris patrocinio fretus, nomen Pontificis e sacris diptychis rasit, episcopos ad suscipiendum *Henoticon* Zenonis et ad communicandum cum Petro Mongo compulit, plures, inter alios Calendionem Antiochenum, in cuius locum restitutus fuit Petrus Fullo, deponendos curavit, et schisma in Ecclesia introduxit, quod 35 fere annos perduravit. Quum enim multi episcopi Orientales, quamvis ab eutychiana haeresi alieni, sive metu imperatoris sive alia de causa cum Acacio communicarent, eiusque nomen in sacris diptychis conservarent, RR. Pontifices communionem cum illis suspenderunt, quae communionis suspensio duravit usque ad an. 519.

Anno 489 Acacio, in excommunicatione mortuo, subrogatus fuit Fravita seu Flavita, vir dubiæ saltem fidei, quem post tres episcopatus menses defunctum, excepit Euphemius. Hic communionem cum haeretico Petro Mongo abiecit, concilium Chalcedonense defendit, nomen Felicis Pp. III in sacra diptycha restituit, et litteras synodicas ad eum dedit. Pontifex Euphemio, ut viro orthodoxo, litteras reddidit, sed eum, quod nomen Acacii e diptychis non expunxerat, in communionem non admisit. Euphemius autem nomen Acacii e diptychis delere metuebat, uti scripsit ad Gelasium Pp., ne turbae et gravius schisma in ecclesia et urbe Cpna excitarentur.

Post mortem Petri Fullonis (488) sedem Antiochenam usque ad 498 occupavit Palladius haereticus; Alexandrinam post obitum Petri Mongi (490) usque ad 496 tenuit Anastasius haereticus. Zenonem vero imperatorem, anno 491 miserrime exstinctum, excepit Anastasius [1].

3. *Felix III Pontifex* (an. 483)—Interea S. Simplicius Pp. postridie kalend. martii an. 483 obiit. Comitiis pro eligendo novo Pontifice congregatis, Basilius praetorio praefectus et Odoacris regis vices gerens, duas constitutiones edidit; unam, ne sine consultatione regis Italiae electio Pontificis fieret; alteram, ne electus bona Ecclesiae alienaret. Utramque constitutionem postea (502) irritam dixit synodus Romana, quod prior sacris canonibus repugnaret, et posterior a principe laico sine ulla pontificis subscriptione esset profecta. In locum s. Simplicii electus fuit Felix III, Romanus. Supra vidimus quae hic Pontifex egerit in causa schismatis Acaciani. Interrogatus ab episcopis Africanis, quid statuendum esset de iis, qui tempore persecutionis Vandalicae ab hæreticis fuerant baptizati vel rebaptizati, et, restituta tranquillitate, veniam postulabant, anno 487 synodum Romae coëgit, et sex regulas de recipiendis lapsis in ea editas, ad Africanos dedit [1]. Obiit Felix III sexto kalendas martii an. 492.

4. *Gelasius I Pontifex* (*an.* 492)—Post Felicis obitum, Ecclesiae regimen postridie kalendas martii suscepit s. Gelasius I, Afer. Is ad decessoris sui exemplum Euphemio Cpno aliisque episcopis Orientalibus, qui nomen Acacii in sacris diptychis conservabant, communionis litteras negavit. Ad imperatorem Anastasium elegantissimam epistolam dedit, in qua præclare disseruit de utraque potestate, pontificia et regia, imperatorem cum reverentia ei debita, sed simul cum apostolica libertate ad Ecclesiæ obsequium et ad reddendam ecclesiis pacem excitavit [2].

Idem Pontifex Manichaeos in urbe detectos expulit, pelagianam haeresim, in Dalmatia et Piceno reviviscentem, damnavit et scriptis confutavit; ad restituendam collapsam disciplinam ad episcopos per Lucaniam, Brutios et Siciliam constitutos insignem decretalem epistolam scripsit [3]. An. 494, habita 70 episcoporum synodo, edidit celebre decretum, in quo utriusque Testamenti libri canonici definiti, et veterum Patrum libri, ab Ecclesia recepti quique inoffenso pede percurri poterant, ab apocryphis et caute legendis discreti sunt [4]. —Codicem de Missarum solemniis edidit [5]. Eundem fuisse auctorem

[1] Evagr. *Hist. eccl.* l. III; Liberat. *Breviar.* c. 16-25; Lequien, *Oriens christ.* t. I.

[1] Labbe, t. IV, p. 1149.

[2] Vide epistolas huius Pontif. apud Labbe, t. IV.

[3] *Epist.* 5-10, apud Labbe, loc. cit.

[4] Labbe, ibid. p. 1260. Cf de hoc Gelasii decreto Sandini, *Vitae RR. Pontif.* annot. 3 *in Gelas.*; Pagi, *Critica*, ad an. 493.

[5] Id eruimus ex Io. Diacono, qui in *Vita* s. Gregorii M. l. II, c. 17, id de ipso testatur: « Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero supradiicens pro exponendis

Praefationum et *Collectarum*, quibus utimur in sacrosancto Missae sacrificio, quidam tradunt ex testimonio *Libri Pontificalis*[1].— His aliisque praeclare gestis s. Gelasius vita excessit an. 496[2].

5. *Scriptores ecclesiastici* — Hac aetate floruerunt scriptores, qui sequuntur: Victor, episcopus Vitensis in provincia Byzacena, vitae sanctitate et Fidei confessione clarus, scripsit historiam persecutionis Vandalicae[3]; Gennadius, ecclesiae Massiliensis presbyter, eruditione haud vulgari praeditus, sed multorum iudicio erroribus Semipelagianorum infectus, composuit catalogum virorum illustrium ab eo tempore, quo desiit s. Hieronymus, usque ad an. 495, et librum de Fide seu dogmatis ecclesiasticis[1]; Arnobius, dictus Iunior, natione Gallus, edidit Commentarios in Psalmos[4]; Æneas Gazaeus, e disertissimo scholae platonicae philosopho christianus, composuit insignem dialogum, qui inscribitur *Theophrastus*, de animarum immortalitate et resurrectione corporum[5].

6. *Theodoricus rex Italiae* — Regnabat tunc temporis in Italia Theodoricus Gothus, qui cum Ostrogothis in Italiam irruerat eamque post triennale bellum, deiecto Odoacre, anno 493 sceptro suo subiecerat. Is quamvis religione arianus, religionis catholicae libertatem non turbavit; Symmacho Pp. contra schismaticos Laurentianos auxilium praestitit, ut infra videbimus; sed in fine regni sui saevus extitit in Ioannem Pp. I, et iniquum edictum, quo omnes ecclesiae Catholicis adimerentur paravit, at ante illius executionem an. 526 mortuus est.

7. *Clodoveus rex Francorum* —In Gallia regni Francorum limites quaquaversum, a Rheno usque trans Ligerim, protulit Clodoveus. Is an. 493 uxorem duxit Clotildem, regia Burgundionum prosapia natam, et in catholica fide institutam. A coniuge sua saepius incitatus ad abiiciendos ethnicos ritus et ad amplectendam Christi fidem, tandem an. 496 insigni victoria contra Alemannos apud Tolbiacum potitus, iuxta votum, quod antea fecerat, religionem christianam suscepit, et a s. Remigio, episcopo Rhemensi, baptizatus est. Eius exemplum plura Francorum millia secuta sunt.

Clodoveus non tantum in suscepta Religione constanter perseveravit, sed eidem inter suos propagandae opem tulit; caeteras quoque Francorum stirpes in hodierna Flandria, Artesia et Germania ab idolorum cultu ad fidem christianam perducere conatus est. S. Remigio aliisque episcopis et sacerdotibus hac in re auxilium praestitit; eorum consilio multa constituit Ecclesiae utilia, antiquos episcopatus restituit, novosque erexit, monasteria fundavit, ecclesiis ampliorem dotem contulit, leges ab episcopis ad tollendos abusus et emendandos mores latas, regia auctoritate sancivit[1].

8. *Anastasius II Pontifex* (*an.*496)— S. Gelasio Pp., an. 496 XI° kalend. decembris defuncto, IV° kalend. decembr. eiusdem anni suffectus fuit Anastasius II, Romanus. Is Clodoveo Francorum regi ob susceptam Christi fidem et baptismum litteris gratulatus est[2]; ad conciliandam concordiam inter Romanam et Orientales ecclesias legatos misit ad Anastasium imperatorem Orientis cum epistola, in qua enixe postulabat, ut nomen Acacii e diptychis deleretur, iubebatque, rata haberi sacramenta Baptismi et Ordinis ab eodem Acacio collata[3]. At legati re infecta Romam regressi sunt. Obiit hic Pontifex XVI° kalend. decembris anno Christi 498. Narratur de eo in *Libro Pontificali*, quod clerici et presbyteri se ab eius communione separarint, quia cum Photino, ecclesiae Thessalonicensis diacono et Acacii fautore, communicasset, et ipsum Acacium occulte revocare studuisset, ideoque divino nutu percussus fuisset. Verum haec a schismaticis Laurentianis esse conficta, observant Baronius et alii[4].

9. *Symmachus Pontifex* (*an.* 498) — Post Anastasii II obitum ad summum pontificatum electus fuit Symmachus, patria Sar-

---

Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit »; Cf Thomasii Praefat. ad *Codices Sacramentorum*.

[1] Card. Bona, *Rer. Liturgic.* lib. II, c. 10, concedit, quod plures *Praefationes* ediderit s. Gelasius; ostendit tamen in ipsis Ecclesiae primordiis iam usum *Praefationum* extitisse, earumque institutionem vel Apostolis, vel Apostolicis viris tribuendam.

[2] Supersunt s. Gelasii epistolae plures, liber contra Pelagianos, tractatus contra Lupercalia, liber de vinculo anathematis, *Sacramentarium*, liber de duabus in Christo naturis—hunc tamen quidam Gelasio Pp. abiudicant. Videsis Ceillier, *Hist. des auteurs ecclés.*, t. XV, p. 288; Migne, *Patrolog. latin.* t. LIX.

[3] Edidit Chifflet, Divione 1664, et T. Ruinart, Paris. 1694, in-8; Migne, *loc. cit.* t. LVIII.

[4] Ceillier, t. XV, p. 473; Migne, loc. cit.

[5] Colon. 1595, et in *Biblioth. max. PP.* t. VIII.

[6] Lipsiae 1658, et in *Biblioth. max. PP.* ibid.

[1] Gregor. Turon., *Hist. Francor.* l. II, c. 29-30; Flodoard. *Hist.* l. I, c. 13-14; Fredegar., *Epitome hist.* c. 21-22.

[2] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1282.

[3] Ibid. p. 1278.

[4] Baron. ad an. 497; Sandini, *Vitae RR. Pontif.* annot. 4 *ad Anastas. II.*

dus et Romanae ecclesiae diaconus. At Festus, senator romanus, qui anno praecedenti pro Theodorico rege legatione ad Anastasium imperatorem functus, huic promiserat, se effecturum, ut Zenonis *Henoticon* a Pontifice confirmaretur, diffidens, se id a Symmacho impetraturum, nonnullos e clero et populo pecunia corrupit, et eligendum curavit Laurentium archipresbyterum. Hinc, aliis in alia studia distractis, schisma, tumultus, rixae et caedes in Urbe. Maxima tamen cleri et populi pars Symmacho adhaesit. Res Ravennam ad Theodoricum, Italiae regem, delata fuit, quia Odoacer rex, sicuti diximus, constituerat, ut Pontificis electio non fieret sine regis Italiae consensu. Theodoricus autem pro Symmacho, utpote prius et a pluribus electo, sententiam dixit [1].

Laurentio amoto, Symmachus an. 499 Romae 72 episcoporum synodum coëgit, in qua ad praecludendam schismati et contentionibus viam, cuiusvis ordinis clericis severe prohibitum est, vivente adhuc Pontifice, suffragium alicui promittere aut de futuri Pontificis electione in privatis conventibus deliberare; secundo decretum est, ut post Pontificis obitum, ille ordinaretur, qui totius ecclesiastici ordinis suffragiis, aut, his divisis, plurimorum sententia fuisset electus [2].

Synodus Romana (*an.* 501)—Sed Laurentianum schisma, vix compressum, recruduit. Nonnulli e clero et senatu, Symmacho offensi, Laurentium, qui, ne Ecclesiam ultra turbaret, Nuceriae episcopus constitutus fuerat, clam Romam revocarunt; Symmachum Pp. apud Theodoricum regem falsorum criminum accusarunt, et temeritate hucusque non visa, visitatorem, qui de iis cognosceret, postularunt. Petrus episcopus Altinensis, Romam legatus, ad Laurentianos digressus est, remque magis turbavit. Quare ad componendas turbas, Theodoricus, petente Symmacho Pp., Romae episcoporum synodum, dictam *Palmarem*, indixit anno 501. Sed episcopi scientes, se non posse iudicare pontificem, synodum incipere noluerunt, priusquam certi essent, illam auctore Symmacho fuisse indictam, eumque auctoritatem de causa sua cognoscendi ad synodum detulisse. Sic de consensu Pontificis congregati, Symmachum ab affictis criminibus innocentem declararunt; clericis autem, qui ad schismaticas partes desciverant, postquam Pontifici satisfecissent, honorem pristinum cum venia reddiderunt [1]. Laurentius vero in exilium amandatus est.

[1] Baronius et Pagi, ad an. 498.
[2] Iidem, ad an. 499; et Labbe, t. IV, p. 1312.

Sedato tumultu, Symmachus anno sequenti 80 episcoporum synodum Romae celebravit, in qua supra dictae Odoacris regis constitutiones de Pontificis electione et de bonis ecclesiasticis abrogatae sunt [2]. Deinde constitutum est, ne Pontifex aut ullus titulorum urbis Romae presbyter rustica ecclesiarum praedia sub perpetua alienatione aut commutatione ad cuiuslibet iura transferret vel in usufructuario iure alicui daret, nisi clericis, captivis atque peregrinis; in aliis per provincias ecclesiis harum rectores morem receptum secundum conscientiae dictamen servarent [3].

Idem Pontifex in epistola ad Caesarium Arelatensem praecepit, ut ecclesiarum possessiones nullo titulo alienarentur; concessit tamen, ut clericis de Ecclesia bene meritis dari possent donec vixerint [4]. Unde Baronius [5] aliique beneficiorum ecclesiasticorum originem deducunt.

10. *Status ecclesiae Orientalis* — In Oriente Ecclesiae tristem in modum erant divisae, in aliis concilium Chalcedonense palam praedicabatur, in aliis damnabatur, in aliis neque praedicabatur neque damnabatur; harum autem antistites *Henotico* Zenonis inhaerebant, quamvis inter se de una aut duabus in Christo naturis dissentirent.

Zenone an. 491 exstincto, imperium consecutus est Anastasius, qui ante suam inaugurationem coram Euphemio patriarcha Cp. iureiurando spopondit, se fidem catholicam illibatam custoditurum, nec quicquam novi in Ecclesiam Dei invecturum. Verum promissis non stetit. Prioribus imperii sui annis decessoris sui *Henoticon* secutus est, et tum illos episcopos, qui Chalcedonense concilium praedicabant, tum eos, qui illud damnabant, exturbabat. Anno 494 Gelasius Pp. elegantissimam epistolam ad imperatorem scripsit, in qua eum excitabat, ut Sedi Apostolicae obtemperaret, Acacii nomen e diptychis deleri et ecclesiarum concordiam restitui curaret [6]. Verum Anastasius consilia et monita Pontificis sprevit; quinimo anno 495 Euphemium patriarcham, falsis

[1] Ennod., *Apolog. pro Symmacho*; Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1322.
[2] Vid. p. 141.
[3] Labbe, loc. cit. p. 1334.
[4] Ibid. p. 1298.
[5] Ad an. 502.
[6] Labbe, *loc. cit.*, p. 1181.

criminibus oppressum, ab episcopis Constantinopoli congregatis, deponi iussit et exilio damnavit. In locum Euphemii ordinatus fuit Macedonius, et ipse orthodoxae fidei sectator, a RR. tamen Pontificibus in communionem non admissus, quod nomen Acacii in diptychis conservabat. In sede Antiochena an. 498 Palladio successit Flavianus orthodoxus; in Alexandrina vero an. 496 Anastasium haereticum excepit Ioannes Mela haereticus.

Anno 497 Anastasius Pp. II novos legatos cum litteris Constantinopolim destinavit pro restituenda Ecclesiarum concordia, sed nihil effectum est. Imperator, factus petulantior, anno 503 contra Symmachum Pp. vulgavit libellum conviciis plenum, a quibus Pontifex se vindicavit apologetica ad imperatorem epistola. Is vero composito anno 505 cum Persis bello, ubique concilium Chalcedonense abrogare tentavit. Imperatori potentem opem praestabat Ioannes Niceotes, an. 505 factus patriarcha Alexandrinus; resistebat vero Macedonius patriarcha Cp., quem ideo imperator anno 511 in exilium misit, et in eius locum ordinari iussit Timotheum, infensum Chalcedonensis concilii hostem. Cum anno sequente imperator trisagio addi mandasset *Qui crucifixus es pro nobis*[1], Constantinopoli caedibus et incendiis causam praebuit. Eodem anno, relegato Flaviano, in sedem Antiochenam intrusit impium Severum propter haeresim suam monasterio eiectum, qui cruento modo Catholicos praesertim monachos insectatus est. Eliam quoque Hierosolymitanum, aliosque antistites, concilium Chalcedonense damnare nolentes, deiecit; unde gravissimae turbae et caedes in multis locis secutae sunt.

Quum anno 514 Vitalianus magister militum, ad vindicandos Catholicos rebellionem excitasset, Anastasius perterritus, iureiurando spopondit, se exules episcopos revocaturum et convocaturum concilium generale, in quo, praeside R. Pontifice, causa Fidei et concordia ecclesiarum restituerentur. Reipsa litteras ad Hormisdam Pp. scripsit, et aliquandiu cum Pontifice de concordia tractare visus est. At perfidus imperator moras traxit, amotisque periculis, pacis tractationem abiecit, cuncta, quae antea promiserat, sprevit, et ad mortem usque (518) catholicae fidei et Chalcedonensis concilii se hostem professus est[2].

[1] Vid. p. 138. — [2] Evagr. *Hist. eccl.* l. III; Theodor. l. II; Labbe, t. IV, p. 1421-26.

11. *Ecclesiae status in Africa* — In Africa pax, quam an. 484 Guntabundus, Vandalorum rex, Catholicis reddiderat[1], an. 496 rursus perturbata fuit. Trasamundus enim, Guntabundi successor, totus incubuit in abolendam fidem catholicam; promissis honoribus, aliisque artibus Catholicos ad arianas partes pertrahere tentavit; vetuit etiam, ne pro vacantibus Catholicorum ecclesiis novi antistites ordinarentur. Quum autem iniquam hanc legem episcopi catholici non servarent, rex s. Fulgentium Ruspensem et alios amplius 200 episcopos in Sardiniam, relegavit eorumque ecclesias claudi aut arianis dari iussit. Duravit haec persecutio usque ad annum 523[2].

12. *Religionis status in Gallia*—In Gallia ad Clodovei regis exemplum Franci passim, abiecto idolorum cultu, christiana sacra suscipiebant, et in unam cum antiquis incolis nationem coalescebant. Episcopi catholici, inter quos s. Avitus Viennensis et s. Stephanus Lugdunensis, convertendis etiam Burgundionibus arianis, qui partem Galliae orientalem occupabant, operam navarunt. In hunc finem a Gundebaldo eorum rege petierunt publicam de doctrina controversa disceptationem cum Burgundionum episcopis. Haec disceptatio anno 501 habita est in aula Gundebaldi. In ea s. Avitus tam praeclaris testimoniis dogma catholicum asseruit et arianorum obiectiones refellit, ut hi devicti et confusi, non haberent qui responderent. Gundebaldus rex de veritate convictus videbatur, sed e metu politico eam non est amplexus. Multi tamen Burgundiones, abiecta haeresi, catholicam fidem susceperunt. Ipsius Gundebaldi filius Sigismundus haeresim palam abiuravit et catholicam fidem professus est, patrisque sui anno 516 in regno successor, magnum subditorum numerum ab haeresi ad Ecclesiam perduxit. Post aliquot annos Burgundiones venerunt sub potestatem regum Francorum, et tum arianismus inter eos penitus extinctus est[3].

13. *Hormisdas Pontifex* (*an.* 514)—Interim XIV kal. sextilis an. 514 s. Symmachus Pp. ad coelestem vitam transiit. Successit ei Hormisdas diaconus, patria Campanus, qui sedit annis novem. Hic Pontifex, ut diximus supra, plurimum laboravit ad conciliandam

[1] Vid. p. 140.
[2] Paul. diacon. *Hist. miscell.*; Gregor. Turon. *Hist.* l. II, c. 3.
[3] Gregor. Turon. *Hist.* l. III, c. 5; Labbe, t. IV, p. 1318; Longueval, *Hist. de l'Eglise gall.* l. V.

Ecclesiarum concordiam: sed obstitit Anastasii imperatoris perfidia. Laetiora accepit ab episcopis Epiri, Dardaniae et Illyrici, qui omni cum haereticis et schismaticis communione abiecta, ad Pontificem scripserunt, ut quae vitanda quaeque servanda essent, docerentur. Hormisdas eorum religionem et erga Apostolicam Sedem observantiam laudavit, Fideique libellum, cui subscriberent, ad eos misit. Extant etiamnum episcoporum veteris Epiri litterae ad Hormisdam Pp. huiusque ad illos responsiones[1]. Alias litteras accepit Hormisdas a 200 et amplius archimandritis ac monachis Syriae subscriptas. Scribebant ii, se multa pro fide catholica passos ab Eutychianis; quumque ab imperatore non essent auditi, R. Pontificem tanquam patrem communem interpellare. Litterarum inscriptio haec erat: « Sanctissimo et beatissimo universae orbis terrae patriarchae Hormisdae, continenti Sedem principis Apostolorum Petri, deprecatio et supplicatio minimorum archimandritarum et caeterorum monachorum secundae Syriae provinciae ». Respondens Pontifex eos solatus est hortatusque, ut in fide catholica perseverarent[2].

Idem Pontifex ad redintegrandam et conservandam disciplinam ecclesiasticam in Hispania, Salustio episcopo Hispalensi pro Boëtica et Lusitania, et Ioanni Tarraconensi pro reliquis provinciis, vices suas gerendas commisit, servatis metropolitarum privilegiis. In epistola ad universos Hispaniae episcopos data, mandat, ut sacerdotes non e laicis, sed e clericis diuturna conversatione probatis, assumantur; ut Ordinationes sacrae non vendantur aut emantur, utque bis vel saltem semel in anno synodi provinciales cogantur[3].

14. *Ecclesiae orientalis status sub Iustino* — Demum in Oriente eutychianae in Catholicos persecutioni finem constituit mors Anastasii imperatoris, an. 518 e vivis sublati. Ei successit Iustinus, natione Thrax, quo imperante, catholica fides de hostibus triumphavit. Etenim Ioannes episcopus Cp., qui anno praecedenti haeretico Timotheo successerat, confestim post Anastasii interitum, postulante populo, concilium Chalcedonense ex ambone praedicavit, Severo Antiocheno, Monophysitarum coryphaeo, anathema dixit, praefatum concilium, et s. Leonis Pp. nomen sacris diptychis restituit. Deinde Constantinopoli 40 episcoporum synodum coëgit, in qua pariter s. Leonis nomen ac 4 concilia oecumenica, Nicaenum, Cpnum, Ephesinum et Chalcedonense, sacris diptychis inserta sunt, Severo Antiocheno anathema dictum, et depositi ab haereticis episcopi, sedibus suis restituti. Eadem hoc ipso anno 518 confirmata sunt in synodo Hierosolymitana sub Ioanne Hierosolymorum antistite, et in Tyriensi sub Epiphanio huius urbis episcopo. Plures alii episcopi litteris contestati sunt, se Chalcedonense concilium suscipere. Iustinus imperator non solum exules pro Fide episcopos ad ecclesias suas revocavit, sed etiam Chalcedonense concilium ubique sacris diptychis inscribi mandavit. Tunc haereticus Severus confugit in Ægyptum et ad patriarchatum Antiochenum evectus fuit Paulus catholicus, quem anno 521 excepit Euphrasius.

Sic ubique in imperio Catholici praevaluerunt Monophysitis, si Ægyptum excipias, ubi hi tanto erant numero, ut imperator eosdem tolerandos censuerit; unde factum est, ut utraque pars patriarcham Alexandriae haberet. Monophysitae anno 519 in locum Dioscori iunioris ordinarunt Timotheum; Catholicorum autem patriarcha anno 521 creatus fuit Asterius, quem anno 538 excepit Paulus. Multi tamen patriarchatum Asterii apocryphum iudicant, dicuntque, Monophysitas solos patriarchatum Alexandrinum occupasse usque ad annum 538[1].

Tunc etiam Acacianum schisma, quod sub Zenone imperatore ortum vidimus[2], exstinctum est. Hormisdas in hunc finem Germanum et Ioannem episcopos, Blandum presbyterum, Felicem et Dioscorum diaconos, Constantinopolim legavit, eisque Fidei libellum, cui episcopi subscriberent, dedit. In eo haereses et haeretici eorumque sectatores condemnabantur, Acacio anathema dicebatur, eius ac Zenonis et Anastasii imperatorum, atque ipsorum Euphemii et Macedonii episcoporum Cp., quia nomen Acacii in diptychis conservaverant, nomina ex his radi praecipiebatur. Ioannes Cpnus et quotquot in urbe regia erant episcopi, Fidei libello subscripserunt, magnisque gaudiis an. 519 concordia celebrata fuit[3].

15. *Lis de uno e Trinitate passo* — Con-

---

[1] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1438-44.
[2] Ibid. p. 1461.
[3] Ibid. p. 1465-68.

[1] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1586-1588, et t. V, p. 158-94; Baronius et Pagi, ad an. 518-21; Assemani, *Biblioth. oriental.* t. I, p. 382; Bolland. *Acta SS.* t. V iun., p. 56-59.
[2] Vide p. 140.
[3] Labbe, t. IV, p. 1496-1572; Baronius et Pagi, loc. cit.

ciliata concordia Orientalium ecclesiarum cum Romana, lis nova inter ipsos Catholicos orta est de hac propositione: *Unus e Trinitate passus est in carne.* Hanc propositionem acriter defendebant monachi in Scythia europaea, et ad sensum catholicum a nestoriana haeresi accurate distinguendum, ab omnibus adhibendam esse contendebant. An. 520 Constantinopolim ad Pontificis legatos properarunt iisque libellum obtulerunt, in quo se catholicam doctrinam de Incarnationis mysterio profiteri affirmabant; quatuor concilia oecumenica et epistolam s. Leonis recipiebant; haereticos, praesertim Nestorium et Eutychetem, eorumque errores damnabant, suamque propositionem de uno e Trinitate passo in carne approbandam proponebant [1]. Legati ad cognoscendam eiusmodi causam minime missi, et metuentes, ne ea novas lites et dissensiones crearet, Scytharum propositionem probare noluerunt, sed responderunt: *Extra synodos quatuor, extra epistolas Pp. Leonis nec dicimus nec admittimus; quidquid non continetur in praedictis synodis aut quod non est scriptum a Leone, non suscipimus.*

Hanc repulsam aegre ferentes Scythae, legatos miserunt Romam ad Pontificem. Hormisdas causae eorum cognitionem distulit usque ad legatorum suorum ex Oriente reditum. Verum monachi Scythae iamdiu Romae morati, et Legatorum Pontificis, quos sibi Constantinopoli adversos experti fuerant, adventum metuentes, clam Roma digressi sunt. Hac agendi ratione offensus Hormisdas Pp., eos ceu superbos, veterum auctoritatum contemptores, novarumque quaestionum studiosos, coarguit; eorum propositionem probare noluit, tum quia nova erat, tum ne ob quamdam cum haeresi Petri Fullonis affinitatem, a quibusdam in malam partem verti potuisset.

Verum post aliquot annos quum monachi Cp., dicti Acoemetae seu insomnes, istam propositionem impugnantes, proderent sensum nestorianum, contenderentque, Christum non posse dici unum e Trinitate, neque B. V. M. vocari posse Deiparam, Ioannes Pp. II, ab imperatore Iustiniano interpellatus, an. 534 memoratam supra propositionem approbavit, et monachos Acoemetas aliter sentientes damnavit.

Falsum vero est id, quod contendit Forbesius [1], nempe Hormisdae et Ioannis II sententias in causa monachorum Scytharum inter se pugnare. Hormisdas enim eorum popositionem non damnavit, sed approbare noluit, ne Eutychiani ea abuterentur, litesque augerentur. Postea vero, mutatis temporum adiunctis, Ioannes II illam propositionem secundum sensum catholicum approbavit, ne Nestoriani silentium Sedis Apostolicae male interpretarentur [2].

16. *S. Ennodius, Boëtius, s. Fulgentius* — Floruerunt his temporibus scriptores sequentes: S. Ennodius, Arelatensis, ecclesiae Ticinensis primo diaconus, deinde ab an. 490 episcopus, sanctitate et eruditione clarus; qui causam Symmachi Pp. contra fautores schismatis Laurentiani fortiter defendit; sub Hormisda Pp. legatione functus est ad Anastasium imperatorem ad componendam ecclesiarum orientalium cum Romana concordiam; obiitque an. 521 [3]. Praeter varia poëmata et epigrammata reliquit apologeticum librum pro Symmacho Pp., et epistolar. libros 9 [4]. Boëtius, illustri genere natus, pietatis ac eruditionis amantissimus, sub Theodorico Italiae rege primum consul, deinde magister palatii fuit: an. 525 coniurationis cum Iustino imperatore adversus Gothos ab adversariis accusatus, Theodorici iussu in carcerem coniectus et capite plexus est. Plura metro et soluta oratione scripsit, e quibus palmam sibi vindicant libri 5 *de Consolatione philosophiae*, liber de duabus naturis et una persona in Christo, et liber de Trinitate [5]. S. Fulgentius, episcopus Ruspensis, inter scriptores Africanos hac aetate celeberrimus, Arianorum, Pelagianorum et Semipelagianorum debellator; qui praeter libros, quibus adversus eorum errores catholicam veritatem defendit, reliquit epistolas plures, dogmaticas, morales et de aliis argumentis [6].

17. *Alamundari et Tzathi conversio* — Ut praecedenti, ita decurrente hoc quoque

---

[1] Monachos Scythas reipsa fuisse eutychiana haeresi infectos, existimavit Baronius, ad an. 519, n 99. Sed eos ab illa vindicarunt Card. Noris, *Apolog. monachor. Scyth.*, et *Hist. Pelag.* l. II, c. 18; Natalis Alex. *Hist. eccl.* saec. IV, diss. 2.

[1] *Instruct. hist. theol.*, l. III, c. 16.

[2] Baron. ad an. 533; Card. Noris, *Apol. monach. Scyth.*, et *Hist. Pelag.* t. II, c. 20.

[3] Bolland. *Acta SS.* t. IV iul. p. 271.

[4] *Biblioth. PP.* Lugd. t. XI; Migne, *Patrolog. latin.* t. LXIII.

[5] Gervaise, *Vie de Boéce avec l'analyse de ses ouvrages*; Migne, *loc. cit.* t. LXIII-IV; Card. Mai, *Class. auct.* t. III.

[6] Bolland. *Acta SS.* 1 ian. Opera eius ediderunt Sirmond., Paris. 1623, et Mangeant, ibid. 1684, in-4°; Migne, *loc. cit.*, t. LXV.

saeculo in Oriente plures populi gentiles ad christianam fidem perducti sunt, praesertim imperante Iustiniano, ut infra videbimus. Anno 513 Alamundarus princeps Saracenorum, qui regni Persici finibus continebantur, postquam subditam Graecis Arabiam et Palaestinam praedabundus pervasisset, multos monachos aliosque propter christianam fidem interfecisset [1], sanctorum solitariorum virtutibus et miraculis commotus, in Christum credidit, et reiectis Eutychianis, qui eum ad partes suas trahere tentarant, a Catholicis baptismum suscepit[2].

Anno 522 Tzathus rex Lazorum, qui in Colchide trans Phasim habitabant, venit Constantinopolim, et Iustino imperatori votum suscipiendi baptismum et ex eius potius quam e regis Persarum manu regiam coronam accipiendi significavit. Iustinus Tzathum baptizatum coronavit regem Lazorum. Regis exemplo multi subditorum baptismum susceperunt [3].

18. *Homeritarum persecutio* — Iam sub imperio Constantii Homeritas in Arabia felici a sacerdotibus arianis ad christiana sacra perductos vidimus [4]. Deinde christiana fides inter tribus Arabicas propagata fuit a piis monachis, in finibus Palaestinae commorantibus. Ita s. Euthymius presbyter et abbas saeculo V Ashbetum principem Saracenum ad Christum convertit baptizavitque sub nomine Petri, quem postea Iuvenalis patriarcha Hierosolymitanus consecravit episcopum Saracenorum, qui magno numero eius exemplo baptismum susceperunt. Ita etiam s. Simeon Stylites suis exhortationibus multos e Saracenis, quemadmodum e Persis, Armenis et Iberis, ad illum accurrentibus, ab idolorum cultu ad christianam fidem convertit [5]. Quum vero in Homeritarum gente numerosi essent Iudaei, nonnumquam horum aliquis regno potiebatur. Hi reges iudaei a persequendis Christianis non abstinebant. Sic speciatim Dunaan rex anno 523 saevam persecutionem excitavit, multos Christianos, praesertim sacerdotes, interfici, eorum ecclesias in synagogas converti, et capta urbe Nagara, cuius incolae omnes erant christiani, presbyteros, monachos et moniales in flammas coniici, Aretem, urbis praefectum multosque cives interfici iussit. Verum Elesbaan, Æthiopum Auxumitarum rex christianus, caeso Dunaan, Homeritis Abraamium regem christianum praefecit; et s. Gregentius, ab Asterio patriarcha Alexandrino episcopus Homeritarum ordinatus, rem christianam inter eos restituit et propagavit[1].

Inter Æthiopes in hodierna Abyssinia, quos saeculo IV a s. Frumentio ad Christum conversos vidimus [2], regnante supra dicto Elesbaan, res christiana plurimum aucta est. Hic rex tantae fuit pietatis, ut deposito missoque Hierosolymas diademate, vitam monasticam professus sit, eiusque memoria in Martyrologio Romano fiat VI° kalend. novembris. Illi in regno successit Hellesthaeus filius, egregius pariter Religionis christianae cultor, qui patris Iudaeos rursum in Homeritide rebelles compescuit [3].

19. *Ioannes I Pontifex* (*an.* 523)—Cum s. Hormisdas annis 9 Ecclesiam gubernasset, VIII° idus augusti 523 ad immortalem vitam transiit. Successit ei s. Ioannes, Hetruscus. Is, excepto Clemente in Chersonesum Tauricam relegato, primus Romanorum Pontificum exiit ab Urbe. Huic Pontifici Theodoricus, rex Italiae, legationem ad Iustinum imperatorem Constantinopolim imposuit, iubens petere haec tria: scilicet 1° ut Ariani catholicam communionem amplexi, ad sectam redire possent; 2° iisque ecclesiae ablatae in partibus Orientis restituerentur, et 3°, ne quis in posterum cogeretur eiurare sectam Arianorum. Quae si non concederet Iustinus, Theodoricus eadem, quae is contra Arianos in Oriente decreverat, se in Italia contra Catholicos effecturum minatus est. Ioannes perhonorifice a Iustino imperatore exceptus est. Quid vero cum imperatore egerit in causa Arianorum, haud certo constat; quidam scribunt, Iustinum, postulante Pontifice, ne Catholici Itali in discrimen vocarentur, Arianis ecclesias reddidisse; alii congruentius tradunt, Pontificem nihil pro Arianis egisse [4]. Id certum est, Ioannem Constantinopoli reducem, a Theodorico fuisse coniectum in cacerem, in quo aerumnis con-

[1] Eorum generalem commemorationem facit *Martyrologium Rom.* die 19 febr.
[2] Theodor. Lector, l. II; Baronius et Pagi, ad an. 509 et 513.
[3] Theophan. *Chronograph.*; Baron. et Pagi, ad an. 522.
[4] Vid. p. 91.
[5] Bolland., *Vita s. Euthymii, Acta SS.* 20 ian. et *Vita s. Simeonis, ibid.* 5 ian.

[1] Assemani, *Biblioth. orient.* t. I, p. 365; Baron. et Pagi ad an. 522-523.
[2] Vid. p. 91. — [3] Baron. et Pagi, loc. cit.
[4] Dum Constantinopoli degeret Ioannes Romano ritu est usus, atque in ipsis sacris Iustinum, a quo susceptus miro honore fuerat, magna coeremonia insignibus Augustalibus, novo atque in posterum memorando exemplo, decoravit. Nam antea ab episcopis Imperatores insignia Imperii acceperant.

fectus VI° kalendas iunii an. 526 beato fine quievit [1].

20. *Ecclesiae status in Africa, Hispania et Gallia* — In Africa et Hispania, quamvis earum reges essent ariani, res catholicorum satis bene se habebant. Hildericus an. 523 Transamundi in regno Africano successor, persecutioni ab eo excitatae finem constituit, exules episcopos revocavit, et Catholicis ecclesias liberumque religionis suae exercitium reddidit. An. 525 Bonifacius episcopus Carthaginensis, ex omnibus provinciis synodum coëgit. In ea, praemissa Nicaenae fidei professione, prisca conciliorum statuta de ecclesiastica politia confirmata sunt, secundum quae proconsularis provincia, cuius metropolis erat Carthago, primum locum obtinebat, Numidia secundum, Byzacena tertium et Mauritania quartum [2]. In Hispania anno 524 episcopi 9 convenerunt Ilerdam, canonesque ediderunt 16 [3]. Eodem anno episcopi sex synodum celebrarunt Valentiae, in qua 6 canones conditi sunt [4].

In Gallia Clodoveus rex, postquam regni sui fines latissime protendisset, an. 511 occubuit. Post eius mortem quatuor filii paternum regnum inter se partiti sunt: Theodoricus fuit rex Austrasiae seu Metensis, Clodomerus rex Aurelianensis, Childebertus rex Parisiensis, Clotarius rex Suessionum. Haec regni divisio multarum deinceps dissensionum et bellorum civilium, quibus Gallia per saeculum integrum quassata est, origo fuit. Istae principum dissensiones prosperitati rei ecclesiasticae in Galliis plurimum obstiterunt. Clodomerus, Childebertus et Clotarius bellum indixerunt Sigismundo Burgundionum regi. Sigismundus acie victus, Aureliani in carcerem coniectus est, et an. 524 Clodomeri iussu in puteum demersus periit. Sigismundus post obitum miraculis claruit et Ssrum numero adscriptus est: culpam vero, quam in nece Segorici filii, a noverca perduellionis accusati, admisit, poenitens expiavit [5]. Clodomerus brevi post sceleris sui poenas luit; nam in praelio contra Burgundiones sub Godomaro, Sigismundi fratre, interfectus est. Eius ditionem inter se partiti sunt Childebertus rex Parisiensis et Clotarius rex Suessionensis; qui pariter, fugato Godomaro, regnum Burgundicum inter se diviserunt an. 534.

21. *Felix IV Pontifex (an.* 526) — Post obitum s. Ioannis Pp. (526), Theodoricus rex Italiae, qui quamdiu Boëtii et Cassiodori consiliis usus fuerat, sapienter regnarat, deinde violentus extitit, sibi usurpare ausus est ius designandi R.Pontificem, designavitque Felicem, patria Samnitem. Huic usurpationi, quamvis Felix esset vir spectatissimus, clerus senatusque Romanus restiterunt; deinde schismatis vitandi causa, in Felicem consenserunt, eaque lege res fuit composita, ut deinceps more pristino clerus R. Pontificem eligeret, quem rex suo assensu confirmaret, certa pecuniae summa pro confirmatione impetrata [1]. Felix Pp. huius nominis IV, Ecclesiam rexit usque ad an. 530: excessit IV° idus octobris. A s. Caesario episcopo Arelatensi, adversus semipelagianos interpellatus, nonnulla capitula, e s. Augustini sententiis excerpta, ad Arelatensem praesulem misit; aedificandis et ornandis martyrum basilicis operam dedit [2], simplicitate, animi demissione et eximia in pauperes munificentia claruit [3].

22. *Iustinianus imperator Orientis* — In Oriente Iustinum imperatorem, an. 527 morbo et senio confectum, excepit Iustinianus. Hic equidem multum in Ecclesiae et imperii bonum contulit; sed quum, instigante Theodora augusta, femina imperiosissima et eutychianis partibus dedita, potestatis suae limites nonnunquam transiliret, et ecclesiasticis quaestionibus se immisceret, a recta via non semel deflexit.

23. *Theodorus, Epiphanius, Cassiodorus, Dionysius Exiguus* — Floruerunt interim scriptores sequentes: Theodorus, Cp. ecclesiae lector; Historias ecclesiasticas Socratis, Sozomeni et Theodoreti in compen-

---

[1] Baronius et Pagi, ad an. 526; Bolland. *Acta SS.* t. VI maii.

[2] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1628.

[3] Ibid. p. 1610.

[4] Ibid. p. 1617.

[5] Gregor. Turon., *Hist.* l. III, c. 5-6; Bolland., *Acta SS.* I maii.

[1] Baron. et Pagi, ad an. 526, § 24 et § 8. Haec eligendi Pontificis ratio tamdiu obtinuit, quamdiu stetit Gothorum regnum in Italia. Post Gothos ius confirmandi electionem Pontificis sibi arrogarunt Orientis Imperatores.

[2] Inter alias iuvat recolere quae ss. Martyribus Cosmae et Damiano Romae dicata est.—Cardinalis Bona (*Rer. Liturgic.* l. II, c. 12, § 3) inquit, *tria fuisse paria Sanctorum eiusdem nominis Cosmae et Damiani. Unum Martyrum in Arabia, alterum Confessorum in Asia, tertium Martyrum, qui Romae mortem subierunt*; omnes fuisse professione medicos, et *anargyros* dictos, quod sine praetio aegrotos curarent; Felicem IV Cosmae et Damiano Martyribus Romanis, non Arabibus, aedem aedificasse, eosque in Canone Missae memorari. Idem testatur Florentinius in adnotat. *Martyrolog. Hieronymian.* V° kalend. octobr. p. 879.

[3] Baron. et Pagi, ad an. 530.

dium redegit, librisque 2 Socratem prosecutus est usque ad initia Iustini imperatoris. Epiphanius Italus; Historias ecclesiasticas Socratis, Sozomeni et Theodoreti e graeco transtulit in latinum. Cassiodorus, post amplissima munia sub Theodorico aliisque Italiae regibus Ecclesiae atque reipublicae bono gesta, monasticae vitae sectator; Historias ecclesiasticas, a laudato Epiphanio latine redditas, in unum corpus redegit; praeterea scripsit Chronicon a mundi exordio usque ad an. Christi 519, historiae Gothorum libros 12, Epistolarum libros 12, Commentarios in aliquot s. Scripturae libros, alia [1]. Dionysius cognomento Exiguus, natione Scytha et professione monachus, auctor est Ærae christianae, Cycli paschalis 97 annorum, et collectionis Canonum atque Decretalium RR. Pontificum a Siricio usque ad Anastasium II [2].

24. *S. Benedictus monachorum Occidentis patriarcha* — His ipsis temporibus celeberrimus erat s. Benedictus, qui instituto monastico, iam dudum per Occidentem propagato, sed barbarorum incursionibus grande detrimentum perpesso, novam et plane egregiam formam indidit. Is anno 480 Nursiae in Umbria nobili Aniciorum familia natus, litterisque Romae institutus, clam secessit Sublacum, ubi in spelunca vitam asceticam et eremiticam triennio ignotus duxit. Sanctitatis eius fama increbrescente, multi spreto mundi commercio, ei se instituendos et regendos commiserunt. Quapropter in vicinia 12 monasteria seu magnas cellas extruxit, in quarum singulis 12 monachos cum praeposito collocavit, suprema inspectione et directione sibi reservatis. Verumtamen an. 528 quorumdam invidiam et vexationem expertus, illam regionem reliquit et cum paucis monachis se contulit Cassinum in territorio Neapolitano, ubi in monte extruxit monasterium, quod progressu temporis celeberrimum evasit.

Regula quam Benedictus praescripsit, quamvis sat severa, erat Europaeorum indoli, indigentiis et temperiei accommodata. Sine distinctione conditionis admittebat postulantes, parvulos etiam e parentum oblatione. Adulti, qui suscipi desiderabant, per annum probabantur; quo elapso, si in proposito perseverabant, in oratorio coram tota congregatione stabilitatem in suscepto vitae genere, quocum continentia et paupertas alioqui coniuncta erant, morum emendationem et obedientiam promittebant. Secundum eamdem regulam monachi contemplationi, manuum labori, sacrae lectioni partim publicae partim privatae, et recitationi divini officii, e psalmis, sacris lectionibus et precibus constantis, horis, ut vocantur, canonicis nocturnis et diurnis vacabant; ab esu carnium abstinebant; silentium magnopere observabant; nihil proprium habebant, nihilque sine abbatis permissione accipere, neque extra monasterii septa egredi poterant. Inobedientia erga praepositos et regulae transgressiones pro gravitate et frequentia puniebantur privata admonitione, publica correctione, exclusione ab oratione aut mensa communi, ieiuniis, verberibus, expulsione. Supremum monasterii regimen abbati erat commissum, qui ab omnibus vel a maiori parte erat eligendus, et ab episcopo vel aliis abbatibus ordinabatur. Is accuratae in primis regulae observationi invigilare, et in causis monasterii singulorum quidem consilia exquirere debebat, sed ea quae sibi meliora videbantur, ipse decernere poterat. Idem sibi in adiutorium constituebat praepositum et decanos, sic appellatos, quod 10 monachis praeerant.

Quum haec regula et a Romanis Pontificibus et ab episcopis probaretur, in multis monasteriis mox fuit acceptata. Vivente adhuc Benedicto, eamdem regulam in Siciliam introduxit Placidus et in Galliam Maurus. Deinde in alias Occidentis regiones eam introduxerunt alii; adeo ut sensim pleraque monasteria in Occidente per communem s. Benedicti regulam consociarentur [1].

25. *Bonifacius II Pontifex* (*an.* 530) — Felice IV an. 530 defuncto, in Petri cathedram legitime evectus fuit Bonifacius II, Romanus. Quaedam cleri factio in aede Constantiniana pontificem salutavit Dioscorum, sed eo paucis post diebus vita functo, schisma exstinctum est. Bonifacius auctoritate apostolica confirmavit decreta synodi Arausicanae II, an. 529 celebratae; quibus secundum capitula, supra a Felice IV, ut diximus, ad Caesarium Arelatensem transmissa, errores Semipelagianorum condemnabantur, et vera doctrina exponebatur [2]; et ad assequendam perfectiorem divinae gratiae intelligentiam, prae caeteris, s. Augustinum tamquam *magistrum optimum*

[1] Edidit Garet. Rothomag. 1679, et Venet. 1720, 2 vol. in fol.; Migne, *Patrolog. latin.* t. LXIX.
[2] Migne, *loc. cit.* t. XVII.

[1] Cf Dom Mège, *Vie de s. Benoît*; Mabillon, *Annal. Ord. s. Benedicti*, t. I.
[2] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1687. Cf p. 128-129.

proposuit laudavitque [1]. Romae synodum coëgit, in qua, ut Gothorum regum in RR. Pontificum electione licentiae occurreret, successorem sibi designavit Vigilium diaconum, clero assentiente et consensum praestitum iureiurando confirmante. At paulo post res ista, canonibus et comitiorum libertati opposita, clero et Bonifacio ita displicuit, ut altera coacta synodo, successionis decretum rescissum et flammis traditum fuerit[2]. An. 531 Bonifacius II 3m synodum Romae celebravit in causa Stephani, episcopi Larissensis et Thessaliae in Illyrico metropolitae. Hunc quorumdam invidia accusatum, Epiphanius episcopus Cp. deposuerat vi privilegiorum, quae concilium Chalcedonense tribuerat episcopo Cp., sed quae RR. Pontifices minime probaverant, Stephanus, tum ante tum post Epiphanii sententiam, Sedem Apostolicam appellaverat. In hac Romana synodo e pluribus monumentis probatum fuit, ecclesias Illyrici a priscis temporibus ad Romanum patriarchatum pertinuisse, proinde sententiam Epiphanii contra Stephanum non esse legitimam [3]. Obiit autem Bonifacius II postridie idus octobris an. 532.

26. *Ioannes II Pontifex* (*an.* 532)—Post eius obitum electus fuit Ioannes II, Romanus, qui sedit usque ad an. 535. Is omnem curam intendit arcendo ab episcoporum et pontificum electionibus simoniae vitio. Istud tantopere invaluerat, ut Pontifex adversus simoniacos auctoritatem Athalarici regis Italiae interpellarit, eo scilicet consilio, ut quos non compescerent sacri canones, terreret regia potestas, et qui nec Dei timore nec ecclesiastica censura corrigerentur, poenis saeculi comprimerentur. Athalaricus data ad Ioannem Pp. et ad patriarchas seu metropolitas epistola, servari iussit senatus consultum sedente Bonifacio II sancitum, ut nemo sive per se sive per alium, promissione episcopatum acciperet, promissio si facta fuerit, nullius esset valoris, et acceptum restitueretur. Addidit Athalaricus, ut pro executione chartarum officiales regii acciperent 3,000 solidos, si de R. Pontificis, et 2,000, si de metropolitarum consecratione fuisset contentio ad aulam delata, pro episcoporum autem consecratione 500 solidi distribuerentur tenui plebi [4]. Hae vero clausulae gravibus malis viam pandebant, quum ecclesias gravarent et officialibus perturbandarum sacrarum electionum animum praeberent.

[1] Card. Noris, *Hist. Pelag.* t. I, l. 2, c. 23.
[2] Labbe, loc. cit. p. 1689; Baron. et Pagi, ad an. 531.
[3] Labbe, ibid. p. 1690.
[4] Cassiodor. l. IX *Epist.* 15-16; Baron. ad an. 533.

27. *Ecclesiae status in Africa*—In Africa et Italia magna facta est rerum mutatio. Quum enim Hildericus rex invidiam Vandalorum subiisset, quia Catholicis pacem reddiderat, Gelimer, excitata in castris seditione, illum an. 530 deiecit regnumque usurpavit. Contra hunc usurpatorem Iustinianus, imperator Orientis, cum forti exercitu an. 533 destinavit Belisarium, qui Africanorum pluriumque Vandalorum auxilio adiutus, Gelimerem acie vicit, intra 3 menses Vandalicum regnum in Africa evertit, hancque ad imperium revocavit.

Cum Vandalica dominatione Arianismus quoque in Africa deperiit. Iustinianus imperator ecclesias earumque bona Catholicis restitui iussit; Arianis vero, Donatistis, aliisque sectariis prohibuit, ne ecclesiasticos coetus celebrarent, aut clericos vel episcopos ordinarent [1]. Unde factum est, ut plurimi, etiam episcopi, relicta haeresi, ad catholicam unionem redirent, fidesque Nicaena ubique reciperetur.

Episcopi Africani ab ariano iugo liberi, nihil prius habuerunt, quam ut mala ecclesiis illata repararent et disciplinam restituerent. Hac de causa an. 535 Reparatus, episcopus Carthaginensis, synodum 217 episcoporum ex omni Africa coëgit. Quaesitum in ea fuit, utrum episcopi et sacerdotes ab haeresi revertentes, in pristinos gradus, an vero ad laicam solum communionem essent admittendi; item an infantes baptizati ab Arianis, in clerum admitti possent. Synodus consultum duxit, de iis interrogare Sedem Apostolicam, legatosque Romam misit. Hos excepit Agapetus Pp., Ioannis II successor, qui respondit, sacerdotes ab ariana secta ad Ecclesiam redeuntes, esse suscipiendos, sed non in pristinis officiis et honoribus; ab Arianis baptizatos ad nullam in clero dignitatem esse admittendos. In eadem synodo Carthaginensi actum fuit de monasteriorum statu, et confirmatum est id, quod iam in Carthaginensi synodo sub Bonifacio fuerat constitutum, ut nempe episcopus nullum onus monachis imponeret; hi essent sub potestate abbatum; abbates eligerentur a monachis; hique de consilio abbatum ab episcopo acciperent sacram ordinationem [2].

In Italia regnum Gothorum post Theodorici mortem (526) declinavit. Iustinianus imperator Orientis, subacta Africa, illis bel-

[1] *Novell.* 37.
[2] Labbe, *Concil.* t. IV, p. 1755-1791.

lum intulit an. 535. Bellum sub Graecorum ducibus contra Gothos vario marte continuatum est usque ad an. 553, quo, exstincta dominatione Gothica, Italia subdita fuit imperatori Graeco. Tunc etiam in Italia, sicut in Africa, Arianismus corruit.

28. *Corrupticolarum, Incorrupticolarum, et Agnoëtarum sectae* — In Oriente iam a Iustini imperatoris initiis magisque sub Iustiniano, qui ei an. 527 successit, Catholici Monophysitis seu Eutychianis praevaluerunt [1]. Iustinianus, fervidus concilii Chalcedonensis defensor, plures vias reducendi Monophysitas ad unitatem catholicam tentavit. An. 532, ad constituendum finem dissidiis religiosis, Constantinopoli collationem Catholicos inter et Monophysitas indixit, convocatis ex utraque parte sex Episcopis. Collationis huius effectus fuit, ut plures clerici et monachi eutychiani, qui episcopos suos Constantinopolim comitati fuerant, veritati catholicae assenserint; ex episcopis vero solus Philoxenus Dulichiensis errorem abiecit [2].

Iustiniani ad deprimendam Monophysitarum sectam conatibus continuo contraibat Theodora augusta, haereticorum partibus clam addicta. Haec ipsa effecit, ut an. 535, post mortem Epiphanii, patriarchatum Cp. consecutus fuerit Anthimus, antea episcopus Trapezuntinus, sicut Theodora, eutychianae haeresi deditus. At an. 536 s. Agapetus Pp., qui iussu Theodati, regis Italiae legationem ad Iustinianum susceperat, Anthimum haereseos convictum, sacerdotio et communione fidelium privavit, et in eius locum ordinavit Mennam, fidei integritate et SS. Scripturarum peritia clarum; quae omnia confirmata fuerunt in synodo 55 episcoporum, eodem anno, Constantinopoli sub Menna patriarcha habita. Eadem confirmavit Iustinianus imperator, et Anthimum ex urbe relegavit. Verumtamen pravis Theodorae artibus effectum est, ut Monophysitae in Aegypto consisterent [3].

Interim more omnium sectarum, ab unitate catholicae veritatis aberrantium, Euthychiani in diversas sententias et factiones abierunt. Iam an. 519 inter eos quaesitum est, an Corpus Christi in his terris perinde ac nostrum fuerit obnoxium detrimentis seu indigentiis, siti, fami, doloribus: alii cum Severo, quondam pseudo-patriarcha Antiocheno, affirmativam sententiam defenderunt, hique «Phtartolatrarum» seu Corrupticolarum factionem constituerunt; appellati etiam sunt «Theodosiani» a Theodosio patriarcha suo: alii cum Iuliano, quondam episcopo Halicarnassensi, sententiam negativam propugnarunt, et appellati sunt «Aphtartodocetae» seu Incorrupticolae «Phantatastae» item «Gaianitae» a patriarcha suo Gaiano; nam quaeque factio an. 537, post mortem Timothei, proprium sibi patriarcham constituit. Paulo post Themistius diaconus novam inter Corrupticolas factionem introduxit, nempe Agnoëtarum, qui docebant, Christum in hac vita fuisse ignorantiae obnoxium. Post medium huius saeculi Ioannes Ascusnages et Ioannes Philoponus inter Monophysitas initium dederunt sectae Tritheitarum, qui docebant, sicut tres hypostases ita tres eiusdem speciei seu generis esse naturas in SS. Trinitate. Denique Stephanus Niobes permixtionem duarum Christi naturarum et transmutationem in tertiam quandam novam adstruxit, eiusque asseclae dicti sunt Niobitae [1].

29. *Conversio Maurorum, Herulorum, Abasgorum et aliorum* — Iisdem temporibus nonnulli populi barbari se ad Ecclesiam converterunt. An. 528 Gretes, rex Herulorum, qui Istrum transgressi, ab Anastasio imperatore oras Danubii incolendas acceperant, venit Constantinopolim, foedus iniit cum Iustiniano, huiusque suasu baptismum suscepit cum tota domo sua. Regis exemplum secuti sunt subditi. Eodem tempore Iustinianus imperator Zanes, gentem ferocem montis Tauri, per duces suos subegit, et ad christianam Religionem suscipiendam perduxit. Gordas etiam rex Hunnorum, qui habitabant in Chersoneso Taurica, Constantinopolim venit, et ibidem baptizatus, cum Iustiniano foedus iniit; sed cum ad suos redux, violentius forsan in cultum deorum inveheret, a rebellibus necatus est. Abasgi quoque, inter Pontum Euxinum et montem Caucasum habitantes, christianam Religionem amplexi sunt; apud quos Iustinianus ecclesiam in honorem B. V. M. aedificandam et sacerdotes constituendos curavit. Praeterea accolae Tanais a Iustiniano episcopum, qui eos doceret, postularunt, quorum precibus imperator lubens annuit. Postquam idem imperator Africam recepisset, procuravit etiam, ut Mauri ethnicos ritus relinquerent et Christianos susciperent [2].

---

[1] Vid. p. 145. — [2] Labbe, loc. cit. p. 1763.
[3] Liberatus, *Brev.* c. 21; Labbe, t. V, par. I, p. 47, 263.

[1] Liberat. *ibid.* c. 20; Nicephor. *Hist. eccl.* l. XVII, c. 20, l. XVIII, c. 50.
[2] Procop. *Orat.* 3 *de aedif. Iustin.* et *De Bello Goth.* Theophan. *Chron.*; Evagr. *Hist. eccl.* l. IV, c. 20-23.;

30. *S. Agapetus Pontifex* (*an.* 535) — Ioanni Pp. II, an. 535 defuncto, successit s. Agapetus, Romanus. Hunc ad Africanorum dubitationes respondisse vidimus [1]. Theodati regis Italiae iussu Constantinopolim ad Iustinianum imperatorem profectus est. Quum enim Belisarius, restituta in Africa Graecorum dominatione, exercitum duceret in Italiam contra Gothos, Theodatus caedem immanem minabatur Romanis, nisi Iustinianus copias ex Italia revocaret. Ubi s. Agapetus Constantinopolim venit, ea de re cum imperatore contulit; sed quod postulavit, a Iustiniano non impetravit. Hinc curas ad alia negotia convertit et, ut iam diximus[2], Anthimum patriarcham Cpnum deposuit, et in eius locum ordinavit Mennam. Paulo post nimirum xv° kalend. maii an. 536, S. Pontifex Constantinopoli obiit [3]. Eius corpus in loculo plumbeo Romam translatum, in Æde s. Petri tumulatum est [4].

31. *S. Silverius Pontifex* (*an.* 536) — Post obitum s. Agapeti summum ecclesiarum regimen demandatum est Silverio, Hormisdae quondam Pontificis filio [5]. Theodora augusta ad Silverium litteras dedit, ut Anthimum aliosque ab Agapeto depositos, in pristinum honorem restitueret et Chalcedonensis concilii decreta contra Eutychianos abrogaret. Quod cum denegaret Silverius, Theodorae indignationem incurrit. Haec Vigilio, Romanae ecclesiae diacono et Pontificis apud imperatorem legato, pontificatum pollicita est, si pontifex factus, ea ageret quae a Silverio impetrare ipsa non potuerat. Vigilius iniquis Theodorae consiliis assensit. Aderat occasio opportuna, quum Belisarius Graecorum dux, pulsis Gothis, urbem Romam magnamque Italiae partem occuparet. Vigilius cum Theodorae litteris ad Belisarium venit, quibus hic Silverium pontificatu deponere et Vigilium in eius locum subrogare iubebatur. Belisarius, ut specioso praetextu Silverium amoveret, eum accusavit proditionis, quasi de tradenda urbe Gothis egisset, et pontificatu spoliatum relegavit Pataram in Lycia, inque eius locum intrusit Vigilium. Silverius e Patara in insulam Palmariam deportatus, ibi xii° kal. iulii an. 538 secundum alios inedia, secundum alios gladio martyr occubuit [6].

[1] Cf p. 150. — [2] Vid. p. 151.

[3] Bolland. *Acta SS.* t. VI sept. p. 163.

[4] Sandini, *Vit. PP. RR.*, in *S. Agapet. I.*

[5] Natus e legitimo matrimonio, antequam Hormisdas sacris Ordinibus esset initiatus. Cf Baron., ad an. 536. Lege eumdem ibidem contra id, quod Anastasius scripsit de simoniaca Silverii electione.

[6] Bolland., *Acta SS.* 20 iun.

32. *Vigilius Pontifex* — Post mortem s. Silverii clerus romanus, schismatis vitandi causa et Belisarii potentia permotus, Vigilii electioni assensit, qui sic ex usurpatore factus est legitimus Pontifex. Tunc Vigilius, operante in eo Spiritus S. gratia, in alium virum immutatus, Theodorae et aliorum in deiiciendo Silverio consilia inania reddidit; cuncta quae antea contra concilium Chalcedonense Theodorae promiserat aut scripserat, solemni Fidei professione revocavit, delevitque; quatuor concilia oecumenica, s. Leonis et aliorum decessorum suorum epistolas se recipere et secundum eas credere, affirmavit; anathema in Eutychianos et Acephalos renovavit, pravisque Theodorae studiis fortiter restitit. « Fuit ista, inquit Baronius, plane mutatio dexterae Excelsi et insigne miraculum, quo perspicuum factum est, Dei providentia R. Ecclesiam sollicitius gubernari, ut in quovis periculo constituta, sit penitus liberanda [1] ». Quae vero Vigilius Pp. egerit in causa Trium Capitulorum infra videbimus.

33. *Origenistarum lites* —Sub haec tempora (an. 542) lites Origenisticae, sub saec. IV exitum auctoritate Anastasii Pp. repressae [2], in Oriente iterum efferbuerunt. In Palaestina nonnulli monachi utriusque Laurae, praesertim Nonnus et Leontius, non tantum Origenem sed quosdam etiam eius errores, speciatim de praeexistentia animarum, acriter defendebant, et per omnem Palaestinam contentiones turbasque excitabant. Iustinianus imperator, a sanioris partis monachis, a Pelagio Sedis Apostolicae apocrisiario [3], et a Menna Cp. interpellatus, an. 543 edictum tulit, quo Origenes pluresque errores, e libris eius excerpti, condemnabantur. Imperatoris edicto subscripserunt Mennas Cp. et quotquot in urbe erant episcopi, Zoilus patriarcha Alexandrinus, Ephrem Antiochenus et Petrus Hierosolymitanus; idemque probavit Vigilius Pp. Atque ita, Origenistarum

[1] Ad an. 540.

[2] Vid. p. 118 sq.

[3] In suo itinere Constantinopoli habito, s. Agapetus Pp. I constituit Pelagium *Apocrisiarium Ecclesiae suae* apud Iustinianum imperatorem « Apocrisiarii munus obtinuit praecipue post Iustiniani tempora » scribit P. de Marca, *De Concord. Sacerd. et Imper.* c. 16, § 1; et, ibid. § 5 subdit: «Quo munere non est illi exercendae iurisdictionis collata facultas, sed tantum monendi, interpellandi Principis, suggestionis, non actionis ». « Legatos huius generis *Apocrisiarios* et *Responsales* dictos esse ab illius saeculi Scriptoribus, quod responsa seu mandata eorum exsequerentur, a quibus missi erant. A'πόκρισις enim *responsio* est » ; ibid. § 2.

aliis ad sanam doctrinam redeuntibus, aliis eiectis, pax in monasteriis atque Ecclesiis Palaestinae restituta fuit [1].

34. *Lis de Tribus Capitulis* — Verum Theodorus, Caesareensis in Cappadocia episcopus, Origenistarum et Acephalorum fautor, studio vindictae in Pelagium apocrisiarium et in defensores Chalcedonensis concilii, novam litem, nimirum de Tribus Capitulis, excitavit. Is quippe Iustiniano imperatori suasit, pacem Eutychianos inter et Catholicos facile componi posse, modo condemnarentur haec tria: 1° Theodorus olim episcopus Mopsuestenus eiusque libri, in quibus nestorianae haeresi praeluserat; 2° epistola Ibae Edesseni ad Marim Persam, in qua Theodorus Mopsuestenus laudabatur, Cyrillus vero Alexandrinus perstringebatur; 3° scripta Theodoreti Cyrensis contra *anathematismos* Cyrilli Alexandrini. Tribus his capitulis condemnandis operam navabat vafer Theodorus Caesareensis, ut ita ipsum concilium Chalcedonense proscriptum videretur, in quo Ibas Edessenus et Theodoretus Cyrensis, postquam Nestorio eiusque haeresi anathema dixissent atque concilii Ephesini decreta et Fidei definitionem suscepissent, fuerant recepti et in sedes suas restituti. A veritate prorsus alienum est, quod Liberatus diaconus (Trium Capitulorum defensor, ideoque caute de iis legendus) scribit, Chalcedonense concilium Ibae epistolam et laudes de Theodoro Mopsuesteno probasse. Concilium enim de solis personis pronunciavit, scripta non discussit, neque approbavit aut condemnavit [2].

Imperator Theodori Caesareensis consiliis annuens, an. 544 edictum tulit in quo Tria Capitula proscribebantur. Patriarchae orientales, sive volentes sive inviti, imperatoris edicto subscripserunt. Stephanus vero, post Pelagium, Pontificis apud imperatorem apocrisiarius, palam huic edicto restitit. Restiterunt quoque Vigilius Pp. et Occidentales episcopi passim. Tria quidem Capitula iure damnari poterant; nam Theodorus Mopsuestenus in scriptis suis errores impios tradiderat, quos nunquam correxit; in scriptis Theodoreti s. Cyrillus ut haereticus perstringebatur, Nestorius vero magnopere laudabatur ac veluti orthodoxus commendabatur; pariter in epistola Ibae s. Cyrillus haereseos Apollinaristarum accusabatur, eiusque doctrina ut haeretica traducebatur; verum timebant Occidentales, ne condemnatione istorum Capitulorum auctoritas Chalcedonensis concilii detrimentum pateretur [1]. Iustinianus his perturbatus, ac plane sentiens, se absque Apostolicae Sedis auctoritate nihil quicquam in hoc negotio effecturum, Constantinopoli concilium indixit, ad quod in primis Vigilium Pp. et patriarchas vocavit, specie quidem reducendi Acephalos ad Ecclesiae unitatem, re vera, ut Trium Capitulorum condemnationem consequeretur.

Vigilius, quamvis invitus, se Constantinopolim contulit, ubi an. 547 honorifice exceptus est. Interpellatus a Theodora augusta de Acephalorum restitutione et a Iustiniano imperatore de condemnatione Trium Capitulorum, neutri paruit; sed Acephalos rursum damnavit, et Mennam Cp., quod plures episcopos ad subscribendum Iustiniani edicto contra Tria Capitula compulerat, mensibus 5 communione sua privavit. Theodora e vivis sublata, magis magisque Vigilium pressit imperator, ut ab eo *Trium Capitulorum* damnationem extorqueret, mirisque eum modis vexavit [2]. Quare an. 548 Vigilius consensit, ut causa de Tribus Capitulis in synodo 70 episcoporum, qui Constantinopolim convenerant, cognosceretur.

Quum vero ex episcopis alii alia sentirent, singulorum sententias ad se deferri voluit Pontifex; deinde, ratus famosa Capitula damnari posse absque Chalcedonensis concilii detrimento, decretum, vulgo *Iudicatum*, ad Mennam Cp. dedit, in quo Tria Capitula damnabat *salva in omnibus reverentia synodi Chalcedonensis* [3]. Credidit, se ita utrique parti satisfecisse: Graecis, quod damnasset *Tria Capitula*, Latinis, quod id fecisset salvo Chalcedonensi Concilio. Sed contra quam crediderat, evenit.

Nam Vigilii *Iudicatum* in Occidente gravibus turbis occasionem dedit; quia verebantur multi, Chalcedonensis concilii auctoritatem reapse esse depressam. Episcopi Illyrici illud recipere noluerunt. Facundus, episcopus Hermianensis in Africa, Pontificis communionem palam abiecit, eum proditionis accusavit, librosque 12 pro defensione Trium Capitulorum scripsit. Quin imo episcopi Africani eo audaciae devenerunt, ut in Vigilium ipsum anathema proferrent. Ru-

---

[1] Liberat., *Breviar.* c. 23; Labbe, *Conc.* t. V.
[2] Cf Card. Noris, *Diss. de synodo V*; Petav., *Theol. Dogm.* t. IV, l. 1.

[1] Facund. Herm. l. IV, c. 4; Labbe, loc. cit.
[2] Id eruitur ex Epistola Clericorum Italiae ad Legatos Francorum proficiscentes Constantinopolim, apud Labbe, *Concil.* t. V, p. 407.
[3] Mansi, *Concil.* t. IX, p. 194; Baron. et Pagi, ad an. 547; Card. Noris, loc. cit.

sticus quoque et Sebastianus, R. E. diaconi, se a Vigilii communione separarunt, scriptisque quaquaversum litteris Chalcedonense concilium a Vigilio proditum querebantur.

Vigilius ad componenda dissidia et ad amovendum Occidentalium metum et dubitationem, cum imperatore egit de convocando Constantinopoli generali concilio. Interim *Iudicatum* suum sibi a Menna reddi iussit, et sub anathematis poena omnem disceptationem de Tribus Capitulis, donec concilium haberetur, prohibuit[1].

Plures episcopi Graeci Constantinopolim convenerunt, pauci vero Latini. Cum autem praecipue in gratiam Occidentalium Pontifex concilium indixisset, illud cum solis Graecis inchoare noluit. Iustinianus morae impatiens et a Theodoro Caesareensi excitatus, anno 551 alterum contra Tria Capitula edictum promulgavit. Vigilius id aegre ferens, episcopis excommunicationem comminatus est, si imperatoris edicto assentirent; quapropter tantam imperatoris indignationem in se convertit, ut clam Chalcedonem in basilicam s. Euphemiae confugere fuerit coactus. Iustinianus Pontificis constantia victus, edictum suum sustulit, et integram causae cognitionem futuro concilio reliquit. Vigilius Constantinopolim regressus, concilii generalis celebrationi assensit ea lege, ut tot ei interessent episcopi Latini quot Graeci[2].

35. *Concilium Cp. II*, *generale V* (*an.* 553)—Iustinianus, licet pauci adessent episcopi Latini, IV° nonas maii an. 553 concilium inchoandum voluit. Interfuerunt circiter 165 episcopi, praeseditque Eutychius Cp., Mennae successor. Vigilius enim, ob non adimpletam de aequali Latinorum et Graecorum episcoporum numero conditionem, concilio interesse recusavit. Habitae sunt octo sessiones: 1ª et 2ª honorifica legatio ad Pontificem missa fuit, ut praesens esse concilio dignaretur; 3ª Fides ab Apostolis tradita et a quatuor conciliis definita, confirmata est, et haeretici ab iisdem conciliis damnati, novo anathemate percussi sunt; 4ª, 5ª et 6ª discussa sunt Tria Capitula, et probatum, mortuos quoque anathemate plecti posse; 7ª et 8ª lectis iis, quae Vigilius ipse contra Tria Capitula scripserat et egerat, concilium definitivam sententiam contra Tria Capitula tulit, et 14 Anathematismos edidit, in quibus Theodorus Mopsuestenus eiusque scripta, Theodoreti libri contra Cyrillum et Ibae epistola ad Marim, Arius, Eunomius, Macedonius, Apollinaris, Nestorius, Eutyches, Origenes, damnati sunt et anathematizati[1].

Interea Pontifex ad imperatorem dederat scriptum, *Constitutum* appellatum, in quo querebatur, conditionem concilii celebrationi appositam, non fuisse impletam; quae in Theodori Mopsuesteni scriptis, in Ibae epistola et Theodoreti libris, Evangelii, Apostolorum, conciliorum et Apostolicae Sedis doctrinis essent contraria, damnabat; Theodori tamen, quia diu mortui et in vita sua non condemnati, nomini parcendum, nihilque in causa Theodoreti et Ibae innovandum decernebat, quia Theodoretus et Ibas in magno concilio Chalcedonensi restituti, novae inquisitioni non erant subiiciendi[2]. Hoc Constitutum imperator ad concilium non detulit, utrum ex industria, ne Trium Capitulorum damnatio impediretur, an vero quia illud non nisi post concilium acceperit, res dubia est.

Quamvis autem Vigilius concilio interesse recusasset, cum tamen Tria Capitula merito et absque Chalcedonensis concilii iniuria in eo essent damnata, eodem anno concilium hoc confirmavit[3]. Illud quoque confirmarunt Pelagius, Gregorius M., aliique Pontifices, et tanquam oecumenicum ab universa Ecclesia receptum est[4].

36. *Schisma Istriense* —Episcopi plures in Occidente concilium V recipere metuerunt, ne quam iniuriam Chalcedonensi inferrent. Quum tamen illud non impugnarent procaciter, neque cum R. Pontifice aliisque concilium V suscipientibus, communionem rumperent, sed unitatis vinculum servarent, quum insuper in concilio V non de Fidei, sed de personarum causa actum esset, RR. Pontifices cum illis episcopis oeconomica seu prudentiali quadam agendi ratione usi sunt, donec errorem facti, in quo versabantur,

---

[1] Labbe, *Concil.* t. V.
[2] Labbe, ibid; Baron. et Pagi, ad an. 552-553.

[1] Labbe, *Concil.* t. V.
[2] Labbe, ibid.
[3] Anastasius, et post eum plures alii scripserunt, Vigilium initio noluisse confirmare Concilium V, ideoque in exilium amandatum a Iustiniano; demum exilii taedio et repetendae urbis studio ad illud probandum fuisse adductum. Sed Card. Noris (*Diss. de synodo V*, c. 8) ostendit, hanc de Vigilii exilio narrationem esse commentitiam.
[4] Concilium Cp. II, generale V, esse vere oecumenicum et ab Ecclesia ut tale receptum, Tria Capitula esse iuste et absque Chalcedonensis concilii iniuria damnata, et Vigilium Pp. in ea controversia neque erroris neque turpis inconstantiae accusari posse, inter alios ostenderunt Natalis Alex., *Hist. eccl.* Diss. 3 *in saec. VI*; Card. Noris, *Diss. de Synodo V*; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, par. I, c. 4-7.

inspicerent. Reipsa postea rem melius edocti, concilium V sicut reliqua concilia oecumenica susceperunt. Verum Venetiarum et Istriae episcopi in contumaci Trium Capitulorum defensione perseverarunt. Eos frustra monuit Pelagius I, Vigilii successor. Illi non tantum non receperunt, sed reiecerunt concilium V, ab Ecclesia schisma fecerunt, et an. 557, incitatore Paulino Aquileiensi, synodum coëgerunt, in qua definierunt, Tria Capitula damnari non posse citra Chalcedonensis concilii iniuriam. Idem definierunt in altera synodo, an. 579 sub Elia Gradensi habita. Pelagius Pp. II ad Eliam Gradensem et episcopos Istriae graves simul et eruditas litteras dedit, quibus eis ostendit, quam grave malum esset schisma, et quam iuste Tria Capitula sine Chalcedonensis concilii iniuria in synodo V fuissent damnata. Sedulam quoque operam extinguendo schismati navavit s. Gregorius M. Neque irriti fuerunt Gregorii conatus; nam eius prudentia Theodelinda, Longobardorum in Italia regina, quam schismatici in partes suas pertrahere conati erant, in communione catholica retenta fuit; Prudentius et Petrus episcopi Istriae atque Firminus Tergestinus, schismate abiecto, ad Ecclesiae unitatem redierunt. In fine autem saeculi VII hoc schisma penitus exstinctum fuit [1].

37. *Pelagius I Pontifex* (*an.* 555)—Vigilius Pp., confirmato concilio V, Constantinopoli Romam rediit, sed in Sicilia calculi morbo correptus decessit IV° idus ianuarii an. 555 [2]. Defuncto Vigilio, III° idus april. electus est Pelagius I, R. Ecclesiae diaconus et Vigilii apud imperatorem apocrisiarius, eiusque electionem confirmavit Iustinianus imperator. Ex quo enim tempore Iustinianus, debellato an. 553 Teia regum Gothorum ultimo, Italiam ad imperium suum reduxit. Ipse eiusque in imperio successores, quemadmodum antea reges Gothi, sibi vindicarunt ius confirmandi Pontificis electionem et exigendi pro ea certam pecuniae summam; unde factum est, ut post Pontificum obitum quandoque plures menses sedes pontificia vacaverit, quo tempore, Ecclesiae negotia committi solebant archipresbytero, archidiacono et primicerio notariorum [1].

Pelagius I gravem multorum invidiam subiit, quod iniuriarum, quas Vigilius Constantinopoli expertus erat, auctor dicebatur: sed pravam suspicionem dispulit, coram romano populo ex ambone iureiurando contestatus, se nihil quicquam in Vigilii Pp. aut Chalcedonensis concilii detrimentum molitum fuisse. Litteras dedit ad universam Ecclesiam, in quibus inter alia professus est, se inviolabiliter tenere ac venerari quatuor concilia oecumenica, canones Apostolicae Sedis et epistolas decessorum suorum, praesertim s. Leonis. In epistola ad Childebertum regem Francorum, post fidei suae professionem, anathema dixit iis, qui de Fide aliter sentirent quam in epistolis s. Leonis et in concilio Chalcedonensi fuerat definitum. Concilium oecumenicum V et Trium Capitulorum condemnationem confirmavit; tantaque prudentia simul et constantia usus est, ut episcopi Itali, Africani et Illyrici, paucis exceptis, Trium Capitulorum condemnationi assenserint [2].

38. *Scriptores ecclesiastici* —Floruerunt his temporibus scriptores sequentes: Primasius Adrumetinae ecclesiae in Byzacena provincia episcopus, Trium Capitulorum aliquandiu defensor, postea oppugnator; eius extant commentaria in Epistolas D. Pauli et in Apocalypsin [3]. Vigilius Tapsensis in Byzacena provincia episcopus; plures libros adversus haereticos sub veterum Patrum nominibus scripsit, et a nonnullis auctor creditur symboli, *Quicumque vult salvus esse*, quod sub D. Athanasii nomine extat [4]. Liberatus ecclesiae Carthaginensis diaconus, Trium Capitulorum defensor acerrimus; exaravit Breviarium seu historiam nestorianae et eutychianae haeresum [5]. Victor episcopus Tunonensis in Africa, pertinacissimus Trium Capitulorum propugnator; Chronicon edidit usque ad initia Iustini iunioris [6]. Ferrandus Carthaginensis ecclesiae diaconus, qui pariter Tria Capitula defendit; praeter vitam s. Fulgentii et aliquot epistolas, reliquit Bre-

[1] Pelag. I *Epist.* 2-6; Pelag. II *Epist.* 5, 6; Gregor. M. l. I *Epist.* 16, l. IV *Epist.* 30, l. XII *Epist.* 33. Cf Baron. et Pagi, ad an. 559 et 586; Card. Noris, *Diss. de synodo V*, c. 9; Rubens, *Hist. ecclesiae Aquil.* c. 23 sq; Bolland. *Acta SS.* t. VIII octobr. p. 904; Papebroch. *Propyleium Maii, Vita Vigilii Pp.*

[2] Baron. et Pagi, ad an. 556.

[1] Anast. in *Vita Agathonis*; Mabillon, *Commentar. in Ord. Rom.* c. 17.

[2] Apud Labbe, t. V; Baron. et Pagi, ad an. 556.

[3] Lugdun. 1543, et in *Bibl. PP.* Lugd. t. X; Migne, *Patrol. latin.* t. LXVIII.

[4] Divione 1664, in-4°.

[5] Cura I. Garnier, Paris. 1675, in 8°; Migne, loc. cit.

[6] Edit. ab H. Canisio, Ingolstadii 1600; I. Scaliger. in *Thesaur. temporum*, Lugd. Batavor. 1606; Migne, loc. cit.

viarium canonum, ex Africanis potissimum conciliis excerptorum [1].

39. *Ioannes III Pontifex* (*an.* 560)—Pelagius I, post pontificatus annos 4 et menses 10, vita excessit VI° nonas martii 560. In eius locum suffectus est Ioannes III, Romanus, qui sedit usque ad an. 573. Gesta eius pene ignota sunt, praeterquam quod episcoporum Salonii Ebredunensis et Sagittarii Vapincensis, qui in Lugdunensi synodo an. 567 damnati et depositi, ad Apostolicam Sedem provocarant, appellatione suscepta, eos, postquam correctionem promisissent, restituerit [2]. Strenuus fuit Synodi quintae defensor, eamque ratam fecit auctoritate sua. Exstat sub eius nomine epistola ad episcopos Germaniae et Galliae, sed eam Baronius omnesque eruditi supposititiam esse fatentur.

40. *Suevorum in Hispania conversio* — Sub Ioannis III initia Suevi, qui in Hispaniis Gallaeciam partemque Lusitaniae incolebant, ad Theodemiri regis sui exemplum abiecta ariana haeresi, ad catholicam veritatem transierunt. Egregiam operam eorum conversioni navavit s. Martinus, gente Pannonius, vitae sanctimonia et eruditione clarus; qui visitatis sacris Palaestinae locis, in Gallaeciam venit, et primum Dumiensis episcopus, deinde Bracarensis archiepiscopus creatus est [3]. Ad roborandam Suevorum conversionem et ordinandum ecclesiarum statum, anno 562 synodus coacta fuit in civitate Luco, in qua, praeter alia, sedes Lucensis aucta fuit dignitate metropolitica, quum sola Bracarensis metropolis non sufficeret, novaeque sedes episcopales creatae sunt. In altera synodo, anno 563 Bracarae habita, relectis et confirmatis litteris s. Leonis Pp. et decretis synodorum contra Priscillianistarum haeresim, pro componenda disciplinae et liturgiae unitate editi fuerunt 22 canones. Anno 572 s. Martinus, e Dumiensi ad Bracarensem sedem translatus, ex utraque provincia synodum habuit Bracarae, in qua pro constituenda disciplina conditi sunt 10 canones [4].

41. *Ecclesiae status in Gallia*—In Gallia Theodoricum regem Austrasiae anno 534 excepit Theodebertus eius filius, cui anno 548 successit Theodebaldus. Post huius mortem anno 555 regnum Austrasiae accepit Clotarius rex Suessionum, qui, defuncto anno 558 Childeberto rege Neustriae, tota monarchia Francica solus potitus est. Erant omnes isti principes religione catholici, sed non aeque moribus casti. Clotarius vitam ducebat tam luxuriosam, ut a s. Nicetio, episcopo Trevirensi, communione fidelium fuerit exclusus. Haec prava quorumdam regum exempla eorumque inter se ipsos et contra populos vicinos bella plurimum obstabant perficiendae in populo morum reformationi et componendae disciplinae ecclesiasticae.

Quanta autem fuerit hac in re episcoporum Gallorum sollicitudo, testantur synodi, quae per haec tempora in Galliis celebratae sunt, puta Arvernensis anno 535, Aurelianenses anno 538, 541 et 549, Parisiensis anno 553, Arelatensis anno 554, in quibus multa tum de disciplina tum de iuribus Ecclesiae fuerunt sancita [1]. Videre erat tunc temporis in Galliis episcopos multos, vitae sanctitate spectatissimos, inter quos s. Gallus Arvernensis, s. Nicetius Trevirensis, s. Domitianus Tungrensis apud Traiectum, s. Medardus Noviodunensis et Tornacensis, s. Agricola Cabilonensis, s. Firminus Ucetiensis, s. Eleutherius Antisiodorensis, s. Germanus Parisiensis [2].

Clotarius regnavit solus usque ad annum 561. Tunc rursum monarchia Francica inter quatuor Clotarii filios divisa fuit, et confestim dissensio bellumque civile secutum. Ex hoc tempore usque ad annum 614 bella civilia fuere pene continua, res civiles et ecclesiasticae, praesertim posterioribus saeculi VI annis, sub imperio Brunichildis et Fredegundae, tristem in statum coniectae, ecclesiarum iura despecta, disciplina collapsa, mores in clero et populo depravati. Plures quidem synodi coactae sunt tum ad conciliandam inter principes concordiam tum ad emendandos abusus et corrigendos cleri, monachorum ac populi mores, sed inter bellorum strepitus illarum statuta parum fuerunt observata [3].

42. *Iustiniani mors*—Iustinianus imperator, quem ecclesiasticis quaestionibus delectatum vidimus, sub vitae exitum in *Incorrupticolarum* errorem lapsus est, eumque edita lege omnibus ecclesiis obtrudere tentavit. Pravis eius consiliis invicta con-

[1] Edidit P. F. Chifflet, Divion. 1649, in-4°; card. Mai. *Script. vet.* t. III.
[2] Gregor. Turon., *Hist.* l. V, c. 20, Labbe, *Conc.* t. V, p. 817 et 850.
[3] Baron. et Pagi, ad an. 500; Butler, *Vies des SS.* 20 mars.
[4] Labbe, *Concil.* t. V.

[1] Labbe, *Concil.* t. IV-V.
[2] Gregor. Turon. *Hist.* l. III-VI; Longueval, *Hist. de l'Églis. gall.* l. V-VI.
[3] Gregor. Turon. *Hist.* t. IV-IX; Labbe, t. V, p. 956 sq.

stantia obstiterunt in primis Eutychius patriarcha Cp. et Anastasius Antiochenus, multisque cohortationibus ad revocandum ab errore imperatorem usi, ostenderunt, eiusmodi doctrinam Scripturarum, Apostolorum Patrumque testimoniis adversari. Iustinianus his offensus, Eutychium Cp. deposuit et relegavit. Cum vero eamdem sententiam contra Anastasium Antiochenum et alios dictaret, an. 565 morte sublatus est [1]. Eum priusquam moreretur, ab errore resipuisse, credit Baronius [2].

Iustinianus plurimum contulit iuris instaurationi. Opera enim selectorum decem iurisperitorum, quibus praeerat Tribonianus, Romanorum principum leges in unum corpus, *Codicem Iustinianeum*, collegit; iudicum, et magistratuum veterum responsa et decreta in libros 50 congessit, quae *Digesta* seu *Pandectae* nominantur; in usum studiosae iuventutis libros 4 *Institutionum* edidit, legesque a se editas, *Novellas* et *Authenticas*, in unum volumen redegit.

43. *Iustinus II imperator (an.* 565).— Iustiniano vita functo, imperium adeptus est Iustinus II, Vigilantiae Iustiniani sororis filius, qui usque ad annum 578 imperavit. Fuit is fide catholicus, sed moribus foedus; pacem ecclesiis conciliare conatus est; exules episcopos revocavit; ad universos imperii sui Christianos edictum dedit, quo fidem suam contra haereses professus, omnes hortatus est, ut ad Fidei et Ecclesiae unitatem convenirent. Imperio moderando ineptus et dementiae per intervalla obnoxius, an. 574 Tiberium imperii collegam adscivit. Bello gravissimo impetitus fuit a Chosroë rege Persarum, qui iam a Iustiniani temporibus bellum Graecis intulerat et civitates Syriae et Mesopotamiae depraedabatur. Saepius quidem inter reges Persarum et Iustinianum huiusque in imperio successores pax aut induciae initae sunt, sed Persae continuo fidem fregerunt, et Graecorum provincias, praesertim Syriacas, tristem in modum devastarunt.

44. *Monophysitarum status* —Haec quidem Persas inter et Graecos bella haereticis Monophysitis occasionem praebuerunt sectam suam, imperatorum Graecorum legibus depressam, in Syria et Mesopotamia instaurandi. In hunc finem Severus, quondam pseudo-patriarcha Antiochenus aliique Iacobum cognomine Baradaeum seu Zanzalum, monachum Syrum, anno 541 ordinarunt episcopum Edessenum et universalem Monophysitarum metropolitam. Is autem huc illuc dispersos Monophysitarum coetus visitavit collegitque, episcopos, presbyteros et diaconos, quibus iam carere coeperant, ubique ordinavit, diversa sentientes ad mutuam saltem pacem permovit, nexum arctiorem inter omnes induxit et meliorem ordinem ecclesiasticum nonnullis coetibus invexit. Quae cum praecipue in Syria et Mesopotamia praestitisset, Monophysitae in illis terris e grata erga eum memoria se Iacobitas dixerunt, iis, qui in Ægypto erant, Coptis appellatis.

Iisdem temporibus Armeni, qui a tempore s. Gregorii Illuminatoris in fide catholica constanter perseverarant [1] eutychianos errores susceperunt. Anno 536 Nierses, eorum patriarcha, conciliabulum 10 episcoporum coëgit in urbe Trevi, in quo decretum est, unam in Christo esse naturam. Haeresis eo magis inter Armenos propagata est, quod reges Persarum, sub quorum potestatem illi venerant, e causis politicis, ut nempe communionem inter Armenos et Graecos rumperent, haereticis faverent, Catholicos vero opprimerent.

In Ægypto Monophysitae, sub Coptorum nomine, non obstantibus imperatorum Graecorum reducendi eos ad Ecclesiam catholicam conatibus, se magis magisque ab ea alienarunt, sectam suam propagarunt, et ad eamdem Homeritas et Æthiopes in hodierna Nubia et Abyssinia perduxerunt [2].

45. *Longobardi in Italia* — In Italia deleta Gothorum dominatione [3], res publicas pro imperatore Graeco moderabatur Narses dux, sed aemulorum invidiam subiit, et an. 567 a Iustino II ex Italia evocatus fuit. Tunc Longobardi, natura saevi et religione ariani, multorum iudicio a Narsete e Pannonia arcessiti, an. 568 in Italiam irruerunt. Alboinus, eorum dux, Mediolanum ingressus, rex Italiae proclamatus est. Deinde celeri victoriarum cursu omnem fere Italiam, Roma, Ravenna et aliquot locis maritimis exceptis, subegit, regnique sedem Ticini collocavit. Sic rursus barbarum et arianum iugum subiit Italia. An. 574 exstincto Alboino successit Clephis, qui saevus exstitit in Italos, praesertim in nobiles et divites; suis etiam invisus post 18 menses necatus fuit.

---

[1] Evagr. *Hist. eccl.* l. IV, c. 39; Nicephor. l. XVII, c. 29.
[2] Baron. ad an. 565.

[1] Vid. p. 90.
[2] Assemani, *Biblioth. oriental.* t. I-II; Renaudot, *Histor. patriarch. Alexand.*
[3] Vid. p. 150.

Tunc decem annis res publicas in provinciis moderati sunt 36 duces, sub quorum principatu dura fuit Italorum conditio, urbes depraedatae, agri vastati, ecclesiae incensae, monasteria destructa, sacerdotes occisi sunt. Postea sedatis bellis, rerum ordo quodammodo compositus fuit. An. 585 a ducibus rex creatus est Autharis, qui uxorem duxit Theodelindam, catholicae religionis studio insignem. Sub eo melior effecta est Catholicorum conditio.

Interim Graeci solum conservarunt Romam, Ravennam, Pentapolim, Genuam, Liguriam in quibus imperatorum Graecorum vices gerebant exarchi, qui Ravennae ius dicebant [1].

46. *Benedictus Pontifex (an.* 574)—Defuncto an. 573 Ioanne III, Apostolica Sedes anno fere integro vacavit, Longobardis omnem Italiam perturbantibus. Demum III° nonas iunii an. 574 electus est Benedictus, Romanus, a Graecis dictus *Bonosus.*—Is, teste Paulo Diacono [2], cernens virtutum gradibus Gregorium, qui postea Pelagio II successit, ad alta conscendere, eum a monasterio ablatum Ecclesiastici Ordinis officio sublimavit, Levitamque septimum ad suum adiutorium adscivit [3]. Alia eius gesta ad posteros non pervenere. — Ecclesiam gubernavit usque ad an. 578, quo obiit ante diem tertium kalend. augusti. Eum, decessorum suorum exemplo, comprobasse concilium oecumenicum V, docet Card. Noris [4].

47. *S. Martinus Dumiensis, aliique Scriptores* — Floruerunt hac aetate scriptores sequentes: S. Martinus e Dumiensi episcopus Bracarensis; composuit Collectionem canonum, *Formulam* honestae vitae, librumque *de Moribus* [5]. Ferreolus episcopus Ucetiensis; reliquit Regulam monasticam [6]. Gildas Britannus, Ruyensis cenobii in Armorica abbas; libellos duos conscripsit de Excidio Britanniae et Castigatione cleri [7]. S. Gregorius Arvernus, e monacho episcopus Turonensis; ex eius scriptis supersunt Historiarum libri 10, 2 de Gloria martyrum, 4 de Miraculis s. Martini, 1 de Gloria Confessorum, liberque de vitis Patrum [1]. S. Leander, e monacho episcopus Hispalensis; praeter Regulam de Institutione virginum, alia scripsit contra haereticorum dogmata et Arianorum instituta [2]. S. Ioannes Climacus, monachorum montis Sinae abbas, edidit *Scalam paradisi*, seu librum de triginta gradibus religiosae perfectionis [3]. Venantius Fortunatus, episcopus Pictavorum, inter alia scripsit Poëmatum libros 11, de Vita s. Martini libros 4, et Expositionem orationis Dominicae ac symboli Apostolorum [4].

48. *Pelagius II Pontifex* (*an.* 578)—Post obitum Benedicti Pp. (578) ad D. Petri cathedram evectus est Pelagius II, Romanus, qui sedit annis 11 et mensibus 2. Eum, non postulato imperatoris consensu, fuisse ordinatum, quod, Longobardis Romam obsidentibus, aula adiri non posset, scribunt Anastasius bibliothecarius [5] et Paulus diaconus [6]. Caeterum consensus iste, quem post reges Gothos usurparunt imperatores Graeci, pro legitima Pontificis ordinatione profecto non requirebatur. Quapropter Romani Pontifices aliquando etiam sine consensu Imperatoris aut Exarchi sunt inaugurati [7].

Pelagius II plurimum laboravit in exstinguendo Istriae schismate. Eliae Aquileiensi, inter christianae rei hostes haud tuto agenti, concessit, ut metropoliticam sedem transferret Gradum, sperans, fore ut hoc indulto schismaticorum ducem ad unitatem revocaret, sed Elias in schismate perseveravit [8]. Siciliae subdiaconis legem continentiae iuxta R. Ecclesiae morem indixit, ut non solum uxores non ducerent, sed ab earum etiam, quas ante Ordinem duxerant, usu abstinerent [9]. Litteras scripsit ad Aunacharium, episcopum Antisiodorensem, ut Francorum reges a foedere cum Longobardis deterreret, eisque suaderet, ut Urbi et Italiae adversus hostes succurrerent. Idem mandavit Gregorio diacono, suo apud Tiberium Constantinum, Orientis imperatorem, apo-

---

[1] Paul. Diacon. seu Warnefrid. *Hist. Longobard.* l. 1-2.

[2] In *Vita S. Gregorii I,* c. 7, cf t. IV *Opp.* eiusdem s. Gregorii edit. Maurin.

[3] De septem Diaconis Ecclesiae Romanae scripsit s. Cornelius Pp. contra Novatum ap. Eusebium, lib. VI *Hist. Eccles.* c. 43. Vid. quoque p. 72.

[4] Diss. *de Synodo V*, c. 9.

[5] Cf de Operibus s. Martini Card. Aguirre, *Notit. Concil. Hispan.* p. 92; Migne, *Patrolog. latin.* t. LXXII.

[6] Apud Holsten. *Cod. regular.*

[7] Ap. Gal. *Scriptor. Britan.* t. III, et in *Bibl. PP.* t. V, part. 3, edit. Colon.; Migne, *loc. cit.* t. LXIX.

[1] Cf Butler, *Vies des SS.* 17 nov. Opera eius edidit T. Ruinart, Paris, 1669, in fol.; Migne, *loc. cit.* t. LXXI.

[2] S. Isidor. Hispal. L. *de Script. eccl.* c. 28; Ceillier, *Hist. des auteurs eccl.* t. XVII; Migne, *loc. cit.* t. LXXII; Butler, 27 févr.

[3] Butler, 30 mars. *Scalam* eius graece et latine edidit M. Rader, Paris. 1633, in-fol.

[4] Mogunt. 1603; Romae 1786, 2 vol. in-4; extantque in *Bibl. PP.* Lugd. t. X; Migne, *loc. cit.* t. LXXXVIII.

[5] In *Vita Pelagii II.*

[6] *Hist. Longobard.* l, III, c. 20.

[7] Sandini, *Vit. RR. PP.* in *Pelagio II.*

[8] Card. Noris, Diss. *de Synodo V*, c. 9.

[9] S. Gregor. M. l. I *Epist.* 44.

crisiario; sed imperator bello Persico, Francorum vero reges intestinis discordiis distracti, opem non tulerunt. Ioannem patriarcham Cp., cognomento Ieiunatorem, qui titulum *oecumenici* seu *universalis patriarchae* usurparat, corripuit, et hanc appellationem relinquere iussit. Omnium Pontificum primus tempora per *Indictiones* in epistolis notavit. Tanta fuit in pauperes praesertim senes liberalitate, ut eos domo sua in xenodochium conversa exciperet.

49. *Lis de nomine patriarchae oecumenici* — Nonnulli scriptores de controversia, quae sub Pelagio II et praecipue sub Gregorio M. pertractata fuit de *ecumenici patriarchae* appellatione, ita locuti sunt, ac si illa orta esset ex male intellecta vocis significatione, et res tanti momenti non esset, quantum RR. Pontificum, Pelagii et Gregorii, agendi ratio significare videtur. Verum rem se aliter habuisse, et Pontifices merito episcoporum Cp. arrogantiae restitisse, ex ipsa huius controversiae historia manifestum est. Nemo nescit, quanta esset Graecorum ambitio in vindicandis episcopo Cp., quasi novae Romae antistiti, iisdem privilegiis, quibus in Occidente gaudebat veteris Romae pontifex. Haec Graecorum ambitio saepius simultatum inter eos et Apostolicam Sedem ac demum teterrimi schismatis causa exstitit. Iam in Cpno et Chalcedonensi conciliis, reclamantibus RR. Pontificibus, episcopo Cp. honoris primatus post R. Pontificem et patriarchica iura fuerant asserta. Eadem ratione episcopi Cp. titulum *universalis* seu *oecumenici* sibi usurparunt, quod ea appellatione Pontifex R. in Chalcedonensi concilio fuisset honoratus. Neque merum honoris titulum episcopi Cp. hoc nomine sibi arrogabant, sed etiam potestatem in omnes Orientis ecclesias, Alexandrina quoque et Antiochena minime exceptis, existimantes, se per Orientales provincias ea omnia posse, quae Romanus Pontifex, seu veteris Romae episcopus, faceret in Occidentalibus. Id patet ex agendi ratione Ioannis Ieiunatoris, qui an. 588 in causa Gregorii patriarchae Antiocheni, falsi criminis accusati, Constantinopoli Orientalium synodum indixit, et in convocationis litteris *oecumenici patriarchae* titulum usurpavit. Tantae arrogantiae, qua episcopi Cp. universam ecclesiam Orientalem sibi subiicere velle videbantur, RR. Pontifices merito restiterunt.

Pelagius II, datis ad episcopos, qui Constantinopolim convenerant, litteris, plurimum questus est de synodi praedictae celebratione et usurpata a Ioanne appellatione; synodi acta, excepta Gregorii Antiocheni absolutione, irrita dixit, et Laurentio suo apud imperatorem apocrisiario prohibuit, quominus cum Ioanne missarum solemnia celebraret, priusquam is a novo et temerario nomine abstineret. Quum vero post Pelagii II obitum, Ioannes Cp. in proposito usurpandi oecumenici patriarchae nominis perseveraret, s. Gregorius M., Pelagii successor, ad Ioannem et ad Mauritium imperatorem litteras scripsit, in quibus ostendit, quam absonum esset, usurpare huiusmodi nomen, quod caeterorum patriarcharum dignitati adversabatur, quodque ipsi RR. Pontifices non adhibebant, quamvis primatus sui iure et Chalcedonensis concilii exemplo id facere possent. Mandavit Ioanni, ut ab usurpando hoc nomine abstineret, et Sabiniano apocrisiario suo prohibuit, quominus cum Ioanne, donec hic paruerit, in missarum solemniis communicaret. At nihil impetravit Gregorius. Cum Cyriacus, Ioannis in Cp. sede successor, pariter se patriarcham universalem scriberet, eum rursus monuit Gregorius, ut a superba appellatione abstineret; ut vero episcoporum Cp. arrogantiam retunderet, omnesque doceret, se hac in re non excitari amore in caeteros dominandi, *Universalis Papae* titulum, quem ei Eulogius Alexandrinus in litteris tribuerat, dedignatus est, atque ex animi demissione seipsum *Servum Servorum Dei* inscripsit.

Demum anno 606, petente Bonifacio Pp. III, Phocas imperator, anno 602 in locum Mauritii suffectus, lege vetuit, ne episcopi Cp. nomine *oecumenici* uterentur. Falsum autem est, quod scripserunt Magdeburgenses Centuriatores, Bonifacium III importunis precibus et contentionibus compulisse Phocam imperatorem, ut sanciret, Romanam ecclesiam omnium aliarum caput, eiusque Pontificem episcopum oecumenicum dici et haberi debere [1].

50. *Leovigildi persecutio in Hispania*— In Hispaniis Suevi, quorum conversionem supra vidimus[2], una cum antiquis incolis catholicam fidem profitebantur. Visigothi vero, qui magnam Hispaniae partem cum Septimania et provincia Narbonensi occupabant, arianae haeresi erant addicti; Catholici tamen suam religionem in eorum terris libere exercebant; quin etiam Leovigildus

---

[1] Cf Le Quien, *Oriens Christian.* t. I, c. 13; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, p. I, c. 8; Dande, *Hist. univers.* t. III, p. 593.

[2] Pag. 155.

rex uxorem duxit catholicam, nimirum Theodosiam, s. Leandri episcopi Hispalensis sororem. Verum post coniugis suae mortem, Leovigildus duxit Gosuintham arianam, et anno 580 grandem persecutionem contra Catholicos excitavit. Etenim, ut duobus suis e Theodosia filiis, Hermenigildo et Reccaredo, regnum assereret, utrumque creavit regni consortem, priori Hispalim, posteriori Reccopolim regiam designavit, ipse vero sedem suam constituit Toleti. Hermenigildus uxorem duxit catholicam, nempe Indegundam, Sigeberti regis Austrasiae filiam; uxoris suae et s. Leandri Hispalensis consiliis anno 580 arianam haeresim abiuravit fidemque catholicam professus est. Id Leovigildi regis, et praesertim Gosuinthae reginae, furorem et persecutionem in Catholicos excitavit; multi ex his relegati vel bonis spoliati, alii verberibus, carcere, suppliciis affecti sunt; multi aut minis aut promissis regiis victi, a fide defecerunt. Hermenigildus, pro iurium suorum et religionis defensione, patris sui armis arma opposuit. Leovigildus ubique victor, an. 584 Hispalim cepit, Hermenigildum, qui primo Cordubam, deinde Ossetum confugerat, contra datam fidem in carcerem coniecit, et in catholica fide perseverantem an. 585 securi percuti iussit [1].

Eodem anno Leovigildus occupata Gallaecia, Suevos etiam ad arianismum reducere tentavit, multique persecutoris minis cesserunt. Verum, dum sic religio catholica per omnem Hispaniam in maximum discrimen ducebatur, Leovigildus anno 586 mortuus est.

51. *Visigothorum conversio*—Leovigildus ante obitum suum necem filio suo illatam doluit, s. Leandrum Hispalensem, quem antea persecutus fuerat, ad se vocavit rogavitque, ut quod pro Hermenigildo is fecerat, id etiam pro Reccaredo faceret. Reipsa Reccaredus, qui patri suo in Visigothorum et Suevorum regno successit, s. Hermenigildi exemplum et s. Leandri consilia secutus, haeresim abiuravit, catholicam fidem professus est, omnemque Visigothorum gentem in Hispania et Septimania ad catholicam veritatem perduxit.

Ut autem sublata haeresi, catholica fides in universo regno stabiliretur, disciplina ecclesiarum componeretur et pravae consuetudines extirparentur, Reccaredus rex anno 589 generalem episcoporum et procerum conventum seu concilium coëgit Toleti, in quo, postquam rex et conversi ab haeresi episcopi, clerici et proceres, catholicae fidei professionem edidissent et erroribus arianis eorumque defensoribus, secundum praescriptam formulam, anathema dixissent, conditi sunt 23 canones, et inter alia praescriptum, ut conversi episcopi, sacerdotes et diaconi se continerent ab uxoribus antea ductis. Eodem anno episcopi Narbonensis provinciae convenientes Narbonam, condiderunt 15 canones de disciplina [1].

Ex hoc tempore veteres et novi incolae, Hispani, Suevi et Visigothi, in unam monarchiam, religionem et populum coaluerunt.

52. *S. Gregorius Magnus Pontifex* (*an.* 590) — Pelagio II, an. 590 defuncto, summo omnium gaudio pontifex creatus est s. Gregorius, sanctitate, doctrina, rerumque gestarum amplitudine vere Magnus. Patrem habuit Gordianum senatorii generis, an. 540 Romae natus, a Iustino II urbis praefectus constitutus est; sed hac dignitate deinde dimissa, monasticum institutum secundum alios sub regula s. Benedicti, iuxta alios sub regula s. Equitii in monasterio s. Andreae, quod in aedibus suis extruxerat, professus est [2]. A Pelagio II R. E. diaconus ordinatus, Constantinopolim apocri-

---

[1] Bolland. *Acta SS.* 13 april.

[1] Isidor. Hispal. *Chronicon*; Gregor. Turon. *Hist.* l. VI-IX et *Dialog.* l. III; Labbe, t. V, p. 997 et 127.

[2] De Monachatu s. Gregorii gravis quaestio est inter eruditos. Mabillonius, in Dissert. *De monastica vita Gregorii* et in Praefatione *ad saec. I Benedict.* § 8, illum Familiae suae Benedictinae adiudicat. At Baronius, ad an. 581, § 8, Henschenius et Papebrochius, in *Commentario* ad vitam s. Gregorii § 3, in *Actis Sanctorum* t. II mart., et Basnagius ipse, etsi Baronii adversarius, ad an. 581, § 8, tuentur s. Equitii regulae Gregorium fuisse professum. Thomassinus autem, *Vetus et nova Ecclesiae Disciplina*, part. I, l. III, c. 24, contendit nullius peculiaris Ordinis regulae Gregorium fuisse addictum, Sandinius, in sua Disput. Historica, *De Monastico Instituto s. Gregorii Magni*, asserit eum, antequam Pontifex fieret, monachum fuisse, cuius autem Instituti non definit, sed expositis utriusque sententiae argumentis aliorum iudicio definiendam rem relinquit. (De monasterio s. Gregorii, Romae degenti, sermo quoque habetur in Disquisit. *Delle Messe Gregoriane* etc. in ephem. neapol. *La Scienza e La Fede,* vol. CXI, p. 211, edita.)

De Pontificum Benedictinorum numero non parva est inter Historicos controversia. Quidam namque, qui rectius senserunt, iique potiores, teste Arnoldo Vion in argument. lib. 2 *Ligni vitae*, viginti quatuor aut viginti quinque, vel viginti sex fuisse, recte affirmarunt. Alii scriptores maiores numero eos fuisse senserunt. Angelus de Nuce, Dissert. *De Pontificibus Benedictinis*, ait eos fuisse complures, ostenditque 1° consuevisse olim Pontificem eligi ex Clero Romano usque ad saeculi noni finem, quo Formosus Episcopus Portuensis factus est summus Pontifex; 2° eundem Clerum magna ex parte fuisse Benedictinum. Ex quibus concludit, Pontificem ex Benedictinis eligi saepe consuevisse.

siarii munere ornatus missus est; ubi inter alia praeclare facta Eutychium patriarcham Cpnum a gravi circa carnis resurrectionis dogma errore revocarit: ipsique Pelagio in scribendis epistolis adiutor fuit, ut fuerat Hieronymus s. Damaso, Prosper s. Leoni[1].— Post Pelagii obitum communi cleri Romani suffragio, senatus populique acclamationibus, ut ut invitus, an. 590, III° nonas septembr. pontifex inauguratus est[2]. Quantus autem in pontificatu fuerit, vix dici potest; nihil enim fuit in gravissimo Pontificis munere, quod sanctissime ac sapientissime non impleverit.

In primis decessorum suorum more synodicam epistolam ad patriarchas misit, in qua fidei suae professionem edidit, et inter alia contestatus est, se quatuor concilia oecumenica, Nicaenum, Cpnum, Ephesinum et Chalcedonense, perinde ac 4 Evangelii libros suscipere, et V^m concilium, in quo Tria Capitula damnata sunt, pariter venerari. Omnem curam adhibuit, ut schismaticos Trium Capitulorum defensores ad unitatem revocaret. Contra Donatistas, in Africa adhuc cervices erigentes, Numidiae episcopos et exarcham Africae excitavit. Prohibuit, ne Iudaei vi compellerentur ad suscipiendam Religionem christianam. A s. Leandro Hispalensi de una trinave in baptismo immersione consultus, Hispanis unam permisit, quod Ariani trina ad dividendam ss. Trinitatem erant abusi. Decessoris sui ad Siciliae subdiaconos decretum de continentia ratum habuit cum hoc temperamento, ut qui iam essent matrimonio iuncti, uxores retinere possent, sed sacris Ordinibus non initiarentur, et deinceps nullus ordinaretur subdiaconus, nisi qui vitam coelibem agere vellet. Sardiniae presbyteris, quum episcopi deessent, Sacramenti Confirmationis administrationem indulsit. Quum in Sardinia adhuc esset magnus numerus rusticorum seu plebeiorum ethnicorum, qui *Barbaricini* dicebantur, illuc misit Felicem episcopum et Cyriacum abbatem, ut in procuranda illorum conversione episcoporum Sardiniae negligentiam supplerent. Missis in Angliam D. Augustino aliisque monachis, Fidem inter Anglos propagandam curavit. Theodelindam Longobardorum reginam in catholica communione retinuit, eiusque ope ipsum regem Agilulphum ad orthodoxam fidem perduxit. Pacem inter Longobardos et Graecos conciliavit. Disciplinae ecclesiasticae summo cum studio invigilavit, eamque non minus intrepide quam modeste, etiam contra summos imperantes, tuitus est. Sedulo curavit, ut ad episcopatus et beneficia eligerentur digniores. Ad extirpandam simoniam, quae praesertim in Galliis sacras electiones infamabat, litteras gravissimas ad episcopos regesque Francorum dedit. Ioannem Chalcedonensis ecclesiae presbyterum, qui a Ioanne Cp. tanquam haereticus iniuste damnatus, ad Apostolicam Sedem provocarat, a Ioannis sententia absolvit. Pios doctosque monachos impense coluit; disciplinam monasticam in coenobiis observandam curavit; monachos contra adversarios, qui eos a sacerdotali officio arcere volebant, defendit, eosque in Romana synodo an. 601 a gravaminibus quorumdam episcoporum levavit. Ioannem *Ieiunatorem* Episcopum Cp., quod *superstitiosum Universalis* vocabulum insolenter sibi usurparet, acriter reprehendit, eiusque audaciam ac temeritatem non solum scripto, sed etiam exemplo increpavit. Namque primus omnium se in principio Epistolarum suarum *Servus Servorum Dei* scribi satis humiliter definivit[1]. Mauritium imperatorem ad temperandam legem, qua publicis rationibus obnoxios ad clerum, militesque ad monasticam professionem admitti vetuerat, compulit. Viduarum, pupillorum, omniumque oppressorum et pauperum pater fuit et protector, suisque apocrisiariis et coepiscopis eorum patrocinium, quavis data occasione, commendavit. — Litaniis, supplicationibusque institutis depulit pestilentiam, qua Urbs vexabatur, ac testis placati Numinis in summa Hadriani mole gladium vagina condens conspectus est Angelus, qui celebre arci nomen ad posteros dedit[2]. Festum s. Pauli post

---

[1] *Vita* s. Gregorii l. I, c. 6, § 2, in t. IV, *Opp.* s. Gregorii edit. Maurin.

[2] Ioannes Diaconus, in *Vita* s. Gregorii, l. I, c. 39, 40, 41, narrat Gregorium, licet totis viribus renitentem, Clerum, Senatum, populumque Romanum unanimiter delegisse Pontificem, eumque conatum persuadere per litteras Mauritium Imperatorem, cuius filium ex sacro lavacro susceperat, ne suam electionem ratam haberet. At contra Imperator suum statim praebuit assensum; quare Gregorius latebras quaesivit. Sed indicio fulgidae columnae super ipsum a coelo pendentis manifestatus, et in Divi Petri templo Pontifex consecratus fuit. Divus Petrus Damianus, Opuscul. 4 ait: *Quod autem B. Gregorio legitur adhibuisse Mauritius Imperator assensum, et perpauci alii Principes aliis promovendis, hoc dictavit perturbatio temporum, et tempestas horrenda bellorum.*

[1] Ioan. Diacon. in *Vita* s. Greg. Pp. l. II, c. 1; vid. s. Gregor. *Epist.* 18 et 20, l. V.

[2] Micrologus, *De Ecclesiasticis Observationibus*, c. 57, in t. XVIII, *Biblioth. Patr.*, inquit: « Maior Litania (quae in Festo die s. Marci celebratur) a B. Grego-

festum s. Petri voluit celebrari [1]. Officiorum ecclesiasticorum ordinem, cantum, quem ab eo dicimus *Gregorianum*, ritusque in meliorem formam redegit, explicavitque. In Canone Missae apposuit: *diesque nostros in tua pace dispone, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari*; nec non catalogum Martyrum in eodem Canone ampliavit adiectis *Felicitate*, *Perpetua*, *Agatha*, *Lucia*. Remotis a suo cubiculo saecularibus, clericorum sibi prudentissimos, monachorum vero sanctissimos consiliarios familiaresque delegit.—Phocam, qui occiso cum filiis Mauritio, imperium adeptus erat, litteris observantiae plenis hortatus est, ut illud christiane et modeste gereret.

His aliisque praeclare gestis Gregorius non solum Magni cognomen, sed teste s. Ildephonso Toletano, Antonii sanctitatem, Cypriani eloquentiam, Augustini sapientiam assecutus est [2]. Pluribus etiam scriptis claruit, inter quae eminent Homiliae in s. Scripturam, *Moralium in Iob* libri 35, *Pastoralis, Dialogorum* libri 4, *Epistolarum* libri 12, *Antiphonarium* et *Sacramentarium* [3]. Hunc Pontificem eximiae pietatis, eruditionis et prudentiae laude claruisse, ipsi cordatiores protestantium scriptores fatentur. Nonnulli tamen Apostolicae Sedis obtrectatores tanti Pontificis memoriam per summam iniuriam dilacerarunt; iactantes, Gregorium M. Bibliothecam Palatinam incendisse, praeclara et vetera urbis signa, simulacra aliaque ornamenta destruxisse, mathematicos et humaniorum litterarum studiosos esse persecutum, fuisse imbecillem crudelis Phocae assentatorem [4], et recenter conversis Anglis permisisse, ut diebus festis immolarent Sanctis victimas, quas antea diis suis immolabant [5]. Huiusmodi accusationibus, quae nullis veterum testimoniis nituntur, contra cum iis manifeste pugnant, refellendis non immoramur, cum eas satis superque confutarint alii scriptores [6].

53. *S. Eulogius, s. Anastasius, s. Columbanus, Evagrius*—Summum pontificatum gerente Gregorio M., floruerunt scriptores, qui sequuntur: S. Eulogius, patriarcha Alexandrinus; qui adversus Novationos, Eutychianos, aliosque haereticos plura scripsit; sed opera eius, exceptis quibusdam fragmentis, perierunt [1]. S. Anastasius, monachus montis Sinae, praeter alia edidit librum inscriptum: *Dux viae adversus Acephalos*, libros 11 *Anagogicarum* contemplationum in Hexameron, et 5 Orationes dogmaticas [2]. Evagrius Scholasticus, Epiphania Syriae oriundus, Ecclesiae historiam ab an. 431 usque ad 594 libris 6 complexus est [3]. S. Columbanus, patria Hibernus, qui an. 585 cum aliis 12 monachis transfretavit in Galliam; ubi restituendae pietati, quae illic permagna ex parte erat collapsa, egregiam operam dedit, varia coenobia exstruxit, regulamque monasticam composuit [4].

54. *Anglorum conversio*—In Anglia D. Augustinus monachus eiusque socii, a s. Gregorio M. ad Anglorum conversionem missi, laeto cum successu Evangelium praedicabant. Religio christiana a primis Ecclesiae saeculis in Britanniam invecta, in ea floruit usque ad Anglorum et Saxonum invasionem. Hi, antiquis incolis eiectis, deorum cultum et paganos ritus in Britanniam, exinde dictam Angliam, intulerunt, et occupatas provincias in septem principatus seu regna diviserunt, ut in praecedenti epocha vidimus [5]. D. Augustinus cum 40 monachis sociis anno 597 pervenit in regnum Cantii, quod tunc temporis tenebat Ethelbertus, qui uxorem duxerat christianam, nempe Bertham, regio Francorum sanguine oriundam. Honorifice a rege excepti, in regni metropoli Doroverna, locisque finitimis Evangelium libere praedicarunt, regem ipsum, multosque proceres et subditos ad christianam fidem converterunt. Tanta erat horum aviditas suscipiendi baptismum, ut eodem an. 597 in festo Nativitatis Domini, D. Augustinus redux ex Gallia, ubi ex auctoritate

---

rio Pp. I, pro pestilentia ipsius temporis instituta est, qui et Ioanni Episcopo Ravennati scribens diem Litaniae tempus cineris et cilicii appellat ». Videsis Bona, *De divina Psalmodia*, c. 14, § 1, et Meratum in suis ad Gavantum *additionibus*, t. II, part. 2.

[1] Micrologus, *Op. cit.* c. 42.

[2] L. *de Scriptor. eccl.* c. 1. Cf Dionys. a s. Marth. *Vie de s. Grégoire*, Rouen 1697.

[3] Edidit Dionys. a s. Marth. Paris. 1705, 4 vol. in-fol. et I. Galliccioli, Venet. 1768, 17 tom. in-4°; Migne, *Patrol. latin.* t. LXXV-IX.

[4] Brucker, *Hist. crit. philosoph.* t. III.

[5] Mosheim, *Hist. eccl.* saec. VI, p. I, c. 1.

[6] I. H. Gradonici, *S. Gregorius M. P. R. a criminationibus Oudini vindicatus*, Romae 1753, in-8°; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, p. I, c. 8.

[1] Phot *Biblioth.* cod. 182; Bolland. *Acta SS.* 13 sept.

[2] Bolland., *Acta SS.* t. II april. p. 850; Ceillier, *Hist. des auteurs eccl.* t. XVII, p. 430. Opera eius extant in *Bibl. PP.* Lugd. t. IX; Card. Mai, *Script. vet.* t. VII, IX. Quam immerito haeretici Sacramentarii Anastasium in partes suas pertrahere tentarint, ostendunt Natalis Alex. *Hist. eccl.* saec. VI, c. 13; Arnald. *La perpétuité de la Foi.*

[3] Edidit graece et latine H. Valesius.

[4] Helyot, *Hist.* cit. t. V, p. 65; Ceillier, t. XVII, p. 462.

[5] Pag. 135-136.

R. Pontificis a Virgilio Arelatensi consecratus fuerat Anglorum episcopus, amplius quam 10,000 Anglorum baptizavit. Gregorius M. de felici Evangelii in Anglia propagatione certior factus, novos ex Ordine monastico praecones illuc destinavit, inter quos praecipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus et Rufinianus. Idem Pontifex litteras gratulatorias scripsit ad Augustinum, ad Ethelbertum regem Cantii et ad Bertham reginam; Augustino pallium dedit cum potestate constituendi 12 episcopos ei subiectos, monuitque, ut episcopum mitteret ad civitatem Eboracum, qui, si haec civitas cum finitimis locis Fidem suscepisset, metropolitani honore gauderet, et 12 etiam episcopos ordinandi facultatem haberet; hos autem ac reliquos omnes Britanniae episcopos Pontifex voluit subiectos esse D. Augustino, cui primatum etiam in antiquos Britannos concessit; praeterea ad propositas a D. Augustino difficultates responsa dedit [1].

S. Augustinus sedem suam constituit Dorovernae, quae postea Cantuaria dicta est; secundum Pontificis litteras, fana deorum, idolis destructis, veri Dei cultui consecravit, et ecclesias ethnicis ritibus pollutas christianis sacris restituit. Ethelbertus rex plures ecclesias aedificavit, et amplis redditibus instruxit. Brevi post s. Mellitus missus ab Augustino in regnum Estsaxiae seu Saxonum orientalium, Saberethum regem multosque subditos baptizavit, et episcopus Londinensis ordinatus fuit.

Augustinus, ex potestate sibi a Gregorio Pp. facta, adlaboravit quoque corrigendis abusibus, qui apud antiquos Britannos invaluerant. Hi quidem in catholica fide perseverarant, sed in celebratione Paschatis, in administratione baptismi et in quibusdam aliis disciplinae capitibus a Romano et communi Ecclesiae more desciverant. Augustinus habito cum eorum episcopis et doctoribus colloquio, eos hortatus est ad suscipiendam communem ecclesiarum disciplinam et ad opem conferendam Anglorum et Saxonum conversioni. Illi vero neutrum praestare voluerunt. Obiit D. Augustinus an. 604, eique in sede Cantuariensi successit s. Laurentius.

In utroque regno, Cantii et Estsaxiae, sub Ethelberto et Saberetho regibus christianae religionis professio aucta est et floruit, sed post mortem eorum grandem tempestatem subiit. Obiit Ethelbertus an. 616, et inter

[1] L. XI, *Epist.* 64, 65, 76.

Sanctos colitur. Eadebaldus, eius filius et in regno successor, religione ethnicus et moribus corruptus, multis subditis apostasiae occasionem praebuit. Postea vero s. Laurentii eloquentia victus, christianam fidem et baptismum suscepit, rebusque Ecclesiae, quantum potuit, consuluit. Anno 619 decessit s. Laurentius, eumque in sede Cantuariensi excepit s. Mellitus, antea episcopus Londinensis, sed ab ecclesia sua exul.

Eodem enim tempore quo s. Ethelbertus, mortuus est etiam Saberethus rex Estsaxiae, cui successerunt tres filii, qui idola palam colentes, subditos suos ad idololatriam et vitia revocarunt, et s. Mellitum episcopum eiusque socios regno expulerunt. Brevi post isti principes in bello cum Gevissis perierunt; verumtamen populus ad vitia excitatus, s. Mellitum recipere noluit. In sequenti epocha tum hi tum alii Saxones et Angli in veteri Britannia christianam fidem susceperunt, ut suis locis narrabimus [1].

55. *Sabinianus, Bonifacius III et IV, S. Deusdedit, Pontifices* (*an.* 604-618). — Interea s. Gregorius M. IV° idus martii an. 604 ad Deum migravit. Ei in summo pontificatu idibus septembris successit Sabinianus, Volaterranus, diaconus et s. Gregorii apud Mauritium imperatorem apocrisiarius, qui Ecclesiam rexit usque ad VIII^{m} kalend. martii an. 606 [2]. Hunc Pontificem laudat Anastasius Bibliothecarius propter auctum cleri numerum, propter divini cultus curam, et, ut meliora passim habent eiusdem Anastasii exemplaria, propter exercitam liberalitatem. Eum propter avaritiam a s. Gregorii spiritu fuisse in capite percussum fabula est [3].

Brevior fuit pontificatus Bonifacii III, qui in locum Sabiniani electus, et XI° kalend. mart. an. 607 ordinatus, obiit IV° idus novembris eiusdem anni. Is, ut supra notavimus, ab imperatore Phoca impetravit, ut

[1] Beda, *Hist. angl.* l. I-II; Bolland. *Acta SS.* 26 maii, 2 febr. et 24 april.; Lingard, *Hist. d'Anglet.* t. I.

[2] Sabinianum *campanarum* usum invenisse quidam affirmant. Vid. Polydorus Virgilius, *De rerum inventoribus*, l. VI, c. 12; Genebrardus, *Chronicon* ad an. 604; Panvinius, *Epitome Romanorum Pontificum.* Alii vero tenent, *campanas* a s. Paulino, Nolano Episcopo, qui initio saeculi V floruit Nolae, primum inventas ac usurpatas fuisse. Id tamen constat campanas ante saeculum VI in Ecclesia Occidentali adhibitas fuisse. Nam ex Vita s. Columbae Abatis, quae saeculo VI exarata fuit, et a Mabillonio in *Annalis Benedictinis* in lucem edita, deprehenditur campanas tunc temporis in usum fuisse. Cf Benedictum XIV *Institut.* 20; Card. Bona, *Rer. liturg.* l. I, c. 22.

[3] Cf Papebroch. *Conatus* ad Acta SS. t. VIII maii, pag. 92.

episcopus Cp. abstineret ab appellatione *Episcopi oecumenici*, seu *universalis*, uni et soli Pontifici Romano proprio [1].

Quum Sedes Apostolica vacasset ultra novem menses, VIII° kalend. septembris anni 608 in eam evectus fuit s. Bonifacius IV, e Valeria Marsorum civitate oriundus. Is, annuente Phoca imperatore, Pantheon, Romae in deorum omnium cultum a M. Agrippa, Augusti genero, aedificatum, ab exoletae idololatriae sordibus expurgavit, et vero Deo in honorem B. V. Mariae omniumque Christi Martyrum consecravit [2], ut ubi quondam non Deorum, seu Demonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum [3].

Anno 610 Romae synodum celebravit de quibusdam rebus ad ecclesiam in Anglia spectantibus, in qua etiam compescuit eos, qui monachos, licet sacerdotio initiatos, a sacramentorum administratione arcendos contendebant [4]. E vita decessit nonis maii an. 615.

Post eius obitum, XIV° kalend. novembris ad summum pontificatum evectus est s. Deusdedit, Romanus. Ab Auctore *Libri Pontificalis* laudatur eius in Clerum amor et beneficentia, diciturque *secundam Missam in Clero constituisse* [1]. Mortuus est V° idus novembris an. 618.

56. *Eccl. status in Italia, Gallia et Hispania* — Ecclesiasticae ac civilis rei prosperitati et tranquillitati in Italia maxime obstiterunt continua bella Longobardos inter et Graecos. An. 591 post Autharis regis Longobardorum mortem, Theodelinda regina vidua e procerum consensu in coniugem regem elegit Agilulphum, ducem Taurinensem, et quod a priori suo coniuge impetrare non potuit, nimirum ut, abiecta haeresi ariana, catholicam fidem susciperet, id ab Agilulpho impetravit, et ab hoc tempore opera praesertim reginae, quam s. Gregorius M. consiliis suis dirigebat, Longobardi se ad catholicam fidem convertere coeperunt. Eiusdem Pontificis industria bellis inter Longobardos et Graecos finis constitutus et pax confecta est. Anno 616 Agilulpho successit Adelwaldus, eius filius, sub quo, et sub eius successore Ariovaldo, qui regnavit ab anno 626 usque ad 638, pax inter Longobardos et Graecos conservata, illorumque ad catholicam fidem conversio continuata fuit.

In Galliis — In Galliis post diuturna inter principes dissidia et bella civilia, quibus res ecclesiasticae et civiles in tristem statum coniectae sunt, pacatior aurora illuxit anno 614, quo Clotarius II universo Francorum regno solus potitus est. Is anno 614 vel 615 ad componendum publicum rerum ordinem episcopos et proceres ex omni regno convocavit Parisios. Convenerunt 79 episcopi. Adfuit etiam rex. Episcopi condiderunt 15 canones, in quibus praeter alia constitutum est, ut secundum canonum statuta episcopus a metropolita cum provincialibus, clero et populo civitatis gratis eligeretur; nullus episcopus eligeret sibi successorem; clerici contra episcopos suos non quaererent patrocinia potentiorum; nullus iudex saecularis clericos sine episcopi consensu apprehenderet aut damnaret; lites inter episcopos non a iudice publico, sed a metropolita cognoscerentur; monachi et moniales vagi ab episcopo ad monasteria redire compellerentur et reluctantes excommunicarentur; viduae et puellae, quae reiecto religionis habitu contra votum nuptias iniissent, a communione segregarentur usque ad emendatio-

[1] Vide p. 159. Mentiuntur vero Magdeburgenses Centuriatores, dum dicunt, hunc Pontificem importunis precibus et contentionibus compulisse Phocam imperatorem, ut sanciret, R. Ecclesiam omnium ecclesiarum caput, eiusque Pontificem episcopum oecumenicum dici et haberi debere. Ex omni enim traditione constat, R. Ecclesiam in omnes semper obtinuisse primatum.

[2] Anastas. *Vitae Pontif.*, *Bonifac. IV*; P. Warnefried, *Hist. Longobard.* l. IV, c. 37.

[3] Anast. in *Vita Bonifacii IV*; Paul. Warnefried, *Hist. Longob.*, *loc. cit.* Ecclesia haec nunc quoque Romae visitur, et dicitur *Basilica s. Mariae ad Martyres*, vulgo *s. Maria Rotundae* ob formam edificii. Baronius, in *Martyrolog. Rom.* kal. novembr. inquit: « Ut omnium simul Martyrum una eademque die celebritas ageretur, ex Bonifacii Papae institutione Romae est sumptum exordium. Postmodum vero, quod Romae tantum peculiariter agebatur, Gregorius Pp. IV, caeteris Occidentalis Orbis Ecclesiis faciendum praecepit». Sic celebrari coepit in Ecclesia festum diem omnium Sanctorum. Quod et testatur Honorius Augustodunensis, qui ait: « Festivitatem omnium Sanctorum Gregorius Pp. iunior instituit, quam prius Bonifacius Pp. in honorem s. Mariae, et omnium Martyrum servandam censuit ». Meratus, in *additionibus* ad Gavantum t. II, part. I, affirmat, Commemorationis omnium fidelium defunctorum ritum tribui communiter Odiloni Abbati Cluniacensi, et auctoritate apostolica in totum orbem diffusum esse. M. Polonus aliique docent hunc ritum indictum fuisse multo ante Odilonis aetatem a Bonifacio IV, etsi quidam contrarium sentiant. Vid. Benedict. XIV, in eo opere quod inscribitur: *Trattato sopra gli atti di alcuni Santi, de' quali si fa l'Uffizio in Bologna*, c. 22.

[4] Labbe, t. V, p. 1618.

[1] Multo ante hunc Pontificem iterari consuevisse Missae sacrificium tradit Leo Magnus (*Epist.* 11, *alias* 81 ad *Dioscor. Alexandr.* c. 2) vid. in eius *Vita*. « Fortasse quod Leo necessitate urgente, id Deusdedit fieri permisit caussa pietatis in Deum » ; ita Sandini, in not. *ad s. Deusdedit.*

nem; idemque servaretur contra incesta coniugia. In eodem conventu Clotarius rex Constitutionem edidit, ut episcoporum canones ubique observarentur [1]. Cumque Clotarius II in omnibus uteretur consiliis s. Arnulphi episcopi Metensis et Pipini senioris maiorisdomus in Austrasia, una cum disciplina ecclesiastica publicus societatis ordo restitutus fuit. Regnavit Clotarius usque ad annum 628.

In Hispania—In Hispania regnante Reccaredo pacificus ac prosper fuit ecclesiarum et reipublicae status. Plures synodi celebratae sunt: Toletana an. 597, Oscensis an. 598, Barcinonensis an. 599, in quibus varii canones de sacrorum ministrorum continentia, de sacris Ordinationibus aliisque ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus editi sunt [2]. Anno 601 Reccaredum regem excepit Liuva filius, patri religione et moribus haud impar. Is intra biennium Witterici proditione periit. Tunc Wittericus parricida regnum occupavit, qui, cum arianam sectam restituere moliretur, pravisque moribus et vexationibus in Catholicos multorum odium incurrisset, an. 610 interfectus fuit. Post eum rex salutatus est Gundemarus, qui Graecorum copiis profligatis et Vasconum tumultibus compressis, obiit an. 612, et successorem habuit Sisebutum. Hic religionis studio insignis, domi ac militiae clarus regnavit usque ad an. 620. Primo regnantis Gundemari anno episcopi 15 provinciae Carthaginis novae convenerunt Toletum, et archiepiscopo Toletano metropoliticam dignitatem, a quibusdam impugnatam, secundum priscum morem asseruerunt. Eorum decretum Gundemarus regia constitutione confirmavit [3]. Anno 619 s. Isidorus Hispalensis cum nonnullis aliis episcopis, adstante clericorum coetu, in urbe sua synodum celebravit, in qua varia pro variis causis constituta fuerunt [4].

Hic s. Isidorus erat inter episcopos Hispanos spectatissimus, s. Leandri frater et in Hispalensi episcopatu successor, vitae sanctitate et eruditione clarus. Ex scriptis eius praecipue laudantur chronica Gothorum, Vandalorum et Suevorum, chronicon a mundi exordio usque ad annum aerae vulgaris 626, commentaria in s. Scripturam, Originum seu etymologiarum libri 20, *de officiis ecclesiasticis* libri 2, et 1 *de scriptoribus ecclesiasticis* [1].

[1] Labbe, *Concil.* t. V, p. 1649.
[2] Ibid. p. 1603-5.
[3] Ibid. p. 1620.
[4] Ibid. p. 1664.

57. *Ecctes. oriental. status*—In Oriente, ubi ecclesias dissidiis religiosis, praesertim progressibus Monophysitarum, perturbatas vidimus [2], ecclesiasticae ac civili rei detrimenta gravia illata sunt Persarum in imperium incursionibus et bellis. Tiberius Constantinus, qui post Iustinum II ab anno 578 usque ad 582 imperavit, Persarum copias duobus praeliis fudit. Mauritius eius successor adversus eosdem bellum feliciter gessit; contra Avares, qui plures imperii provincias devastabant, vario marte certavit, donec exercitus eius avaritiae et iracundiae impatiens, duce Phoca rebellavit. Phocas a rebelli exercitu imperator salutatus, anno 602 Mauritium eiusque coniugem et infantes occidi iussit, et imperio potitus, se tantae ignaviae et libidini dedit, ut Chosroes Persarum rex facile expugnaverit Chalcedonem, e regione Constantinopolis sitam. Heraclius a civibus Cpnis contra Phocam ex Africa vocatus, cum ingenti exercitu Constantinopolim venit, an. 610 Phocam deiecit, omniumque consensu imperator salutatus fuit.

Verum res imperii valde collapsae erant: Persae plures provincias invaserant; Avares Thraciam et Macedoniam devastabant. Heraclius saepius Persarum regem ad conficiendam pacem sollicitavit, sed Chosroes victoriis suis elatus, omnem pacis tractatum reiecit, nisi imperator cum suis, abiecta religione christiana, ethnicos Persarum ritus amplecteretur. Persae anno 611 Antiochiam occuparunt; anno 614 expugnaverunt Hierosolymas, et magna clericorum, monachorum, virginum et civium strage edita, sacro sepulcro et nobilissimis templis vastatis, Zachariam patriarcham aliosque multos fideles, cum s. Cruce e qua Salvator mundi pependerat, captivos abduxerunt, quorum multi Iudaeis venditi, ab his immaniter occisi sunt. Posthaec Persae Ægyptum et Lybiam diripuerunt.

Heraclius imperator, confecta cum Avaribus pace, et Deo bene confisus, anno 622 bellum contra Persas instauravit, eos pluribus praeliis vicit, provinciis eiecit, et tandem anno 627 ex omni imperio pulsos usque in Persidem insectatus est. Chosroes a proprio filio suo Siroe deturbatus tetroque carceri

[1] Madrit. 1778, 2 vol. in-fol., et Romae 1797-1803, 7 vol. in-4°; Migne, *Patrol. latin.* t. LXXXI-IV; Card. Mai, *Script. vet.* t. III et VI.
[2] Vide p. 157.

inclusus, spiculis confossus fuit anno 628. Siroes pacem iniit cum Heraclio; Zachariam patriarcham aliosque captivos et sacrosanctam Crucem restituit, quae anno 629 summa cum pompa in priori loco recondita fuit. Eodem anno Heraclius iussit, ut Iudaei omnes Hierosolymis discederent, nec auderent illuc ad tria milliaria accedere; praeterea imperavit, ut ecclesiae, quas Chosroes in Syria haereticis tradiderat, Catholicis redderentur [1].

Verum hoc ipso tempore Mahomet teterrimam sectam iustituit, quae magnam rerum subversionem et confusionem produxit.

[1] *Chronicon Alexandr.*, Theophan., *Chronograph.*; Baron. et Pagi, ad an. 614-29.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
EPOCHA QVINTA

A PSEVDOPROPHETA MAHOMET SEV ORTV ISLAMISMI VSQVE AD AETATEM CAROLI M. AN. 771.

PROOEMIVM

Quintam hanc epocham inchoamus ab exitiali bello, quod christianae Religioni intulit pseudo-propheta Mahomet, quodque eius successores tam feliciter prosecuti sunt, ut labentibus temporibus mahometicae religionis sectatores ea ipsa loca obtinuerint, in quibus Religio christiana antea maxime floruerat. Non solum Arabia, sed et Perside, Syria, Palaestina, Ægypto, Africa ipsisque Hispaniis Saraceni hac epocha potiti sunt, maximasque clades Ecclesiae ac reipublicae intulerunt.

Qui autem animum attenderit ad dissensiones, schismata et haereses, quibus in Oriente, faventibus plerumque imperatoribus, Ecclesia fuit vexata atque concussa, facile intelliget, magnam istam rerum mutationem ac subversionem a Mahometanis fuisse effectam, permittente supremo rerum omnium Moderatore, qui *mutat tempora, et aetates, transfert regna, atque constituit* [1].

Insuper durante hac epocha Ecclesiae luctandum fuit adversus Monothelitarum, Iconoclastarum, aliorumque obscurioris nominis haereticas sectas. Monothelitis favit Heraclius, magisque faverunt Constans atque Philippicus imperatores, orthodoxae fidei defensores acerrime insectando, omniaque moliendo, ut haeresim ubique stabilirent. Iconoclastarum impietatem sectatus est imperator Leo Isaurus, sacrarum imaginum eversor, ac persecutor eorum, qui illarum cultum defendebant. Eius vestigia presserunt Constantinus Copronymus et Leo IV, qui adversus orthodoxos immaniter saevierunt.

Verumtamen divina Providentia Ecclesiae opem tulit. Utraque haeresis, Monothelitarum et Iconoclastarum, a scriptoribus ecclesiasticis fuit confutata et in Conciliis, Cp. III ac Nicaeno II, solemniter damnata. Detrimenta vero quae sub mahometica tyrannide et imperatoribus haereticis catholicae fidei professio subiit, novis populorum conversionibus resarcita fuere.

Durante enim hac epocha christianam religionem amplexi sunt, praeter Anglos et Saxones, qui in insulis Britannicis sedes fixe-

[1] Daniel. II, 21.

runt, Croatae, Frisii, Bavari, Suevi aliique Germaniae populi, apud quos, simul cum christianae fidei professione, adolevit floruitque institutum monasticum.

In multis quidem provinciis pietatis et disciplinae vigor, litterarum ac scientiarum amor ac cultura ob adversa temporum adiuncta languerunt ac deperierunt; verumtamen videbimus plures in Ecclesia floruisse viros, sanctitate ac eruditione claros, RR. Pontifices et ecclesiarum antistites instaurandae disciplinae ac emendandis moribus sollicite adlaborasse, pluresque synodos ad id fuisse celebratas.

1. *Mahomet eiusque secta* (an. 622) — Mahomet seu Muhamedes an. 571 Meccae in Arabia patre gentili et matre iudaea natus est. Litterarum expers, sed ingenio fervido, phantasia exaltata, animo bellicoso et fallaci facundia praeditus erat. Vafer ingenio et facundus natura, quamvis litterarum rudis, gratiam iniit apud praedivitem viduam (nomine Rhadidjah) cuius dein nuptias divitiasque consecutus est. Post mercaturam aliquandiu exercitam, consilium iniit instaurandae inter suos populares religionis. Erat illo tempore res religiosa inter Arabes seu Saracenos admodum prostrata; alii ethnicos, alii iudaicos, alii christianos ritus sectabantur. Tempus inter labores et contemplationes, seu potius fanatica somnia dividere, et quotannis in locis montanis Meccae Mahomet delitescere solebat, donec anno 612, aetatis suae 40, se ad docendam homines veram religionem a Deo ipso prophetam excitatum venditavit, divinasque revelationes et apparitiones, praesertim Gabrielis archangeli, sibi obvenire finxit; multos Meccenses, praecipue rudes et ignaros, in partes suas traxit; maxima tamen pars ei adversabatur, adeo ut Mahomet haud tuto Meccae agens, an. 622 confugerit in urbem Yathrebam, postea Medinam appellatam; quam fugam Mahometani aerae suae, *Hegyrae* (annus primus), initium constituerunt. Yathrebenses, iam antea Meccensibus infensi, mox Mahometis partes susceperunt.

Ex hoc tempore Mahomet, a sequacibus suis tanquam propheta Dei et princeps novae legis religioso-politicae habitus, Meccensibus aliisque Arabibus sibi resistentibus bellum intulit; plures civitates et an. 630 Meccam ipsam occupavit; quo facto non tantum huius urbis incolae imperium eius et religionem dictam *Islam* admiserunt, sed etiam reliquae stirpes Arabiae, nondum subiugatae, ad idem faciendum vi armorum compulsae sunt; adeo ut, Mahomete an. 632 Medinae moriente, religio ab eo introducta et imperium huic superstructum, per universam Arabiam essent propagata.

Religio vero, quam Mahomet introduxit, e doctrinis ethnica, iudaica et christiana erat confecta. Eius capita haec sunt: Unicum esse Deum, qui angelos, homines et reliqua creavit: Diabolum esse angelum rebellem et auctorem lapsus protoparentum: Deum, ad restituendam veram religionem, diversis temporibus misisse legatos et prophetas, nimirum Noe, Abraham, Mosem, Iesum Christum, et recentius Mahometem: Iesum Christum fuisse verum Dei legatum, in Lege et prophetis promissum et e Maria virgine natum; sed non esse Deum: Omnia ineluctabilis fati legibus esse subiecta: Homines omnes resurrecturos et Dei iudicium subituros; electos subtilissimum pontem, super vastas inferni loca structum, festinanter traiecturos in paradisum, omni deliciarum genere repletum; malos vero et incredulos ex hoc ponte deiiciendos in infernum et suppliciis perpetuis addicendos fore. Quod pertinet ad agenda: Praecipitur oratio quotidie quinquies facienda, vultu ad Meccam converso et praemissa corporis lotione, ieiunium in mense Ramadan, eleemosynarum studium, una saltem in vita Meccam peregrinatio, circumcisio, bellum gerendum contra infideles, idest eos, qui a religione mahomedana dissiderent; prohibetur esus carnis porcinae, suffocati et sanguinis, usus vini, periurium, sortilegium, usura; sed permittitur divortium, polygamia, rapina, et quidquid armorum vis suadet. Haec aliaque a Mahomete tradita comprehendit liber *Alcoranus*, post illius mortem sub Abubecre califa editus [1].

Mahometani, secundum pseudo-prophetae sui exemplum et mandatum, Graecis, Persis, Africanis aliisque bellum intulerunt, et hoc ipso saeculo imperium suum et cum eo Islamismum per Syriam, Palaestinam, Ægyptum, Persidem et Africam romanam vi armorum propagarunt. Perperam vero christianae religionis hostes e celeri mahometicae superstitionis propagatione extenuare conati sunt summam gravitatem argumenti, quod ad evincendam christianae religionis di-

[1] Maracci, *Alcorani textus universus*, arabice et latine, Patav. 1698, 2 vol. in-fol; Gagnier, *Vita Mahometis*, arabice et latine, Oxon. 1723 in-4°; D'Herbelot, *Biblioth. oriental.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. VII, c. 2, a. 2. Adiutorem habuit Mahomet Sergium monachum nestorianum, vel arianum, ut alii putant, cuius ope doctrinam suam litteris tradidit, unde postea collectus est *Alcoranus*.

vinitatem a mirabili eius propagatione desumitur. Si enim considerentur religionis christianae natura, dogmata et praecepta, hominis corrupta natura, moralis mundi status Christi Domini et Apostolorum temporibus, media quibus Apostoli eorumque successores ad propagandum Evangelium usi sunt, persecutiones aliaque propagandae religionis christianae multiplicia obstacula, luculenter constat, mirabilem Evangelii propagationem divinae potestati esse adscribendam. Qui vero perpenderit, quantopere mahometica religio humanae naturae cupiditatibus faveat, et quanta fraus ac vis ad illam propagandam fuerint adhibitae, nihil singulare aut mirum in mahometanae sectae incrementis contineri perspiciet [1].

2. *Bonifacius V Pontifex*—Interea sanctus Deusdedit an. 618 v° idus novembr. defuncto, in summo pontificatu successit Bonifacius V, Neapolitanus, qui sedit ab an. 619 x° kal. ianuar. et mortuus est an. 625 ante diem xi^m kalend. novembris. Hic in *Templis*, Arisque asyla reis aperuit, *renovans antiquos canones atque decreta praedecessorum* [2]. Immerito ab aliquibus reprehensus, quod in epistola ad Eduinum, Northumbrorum regem, dixerit, Christum redemisse genus humanum a solo peccato originali; nam praeterquam quod vox *solo* in ipsa epistola non reperitur, verba Pontificis intelligenda sunt de peccato omnibus hominibus communi, uti haec verba Ioannis c. 1: *Ecce qui tollit peccatum mundi* [3].

3. *Religionis christianae incrementa in Anglia*—In Anglia christianae fidei professio nova incrementa cepit. S. Mellito, Cantuariensi archiepiscopo, an. 624 defuncto, successit s. Iustus, antea episcopus Roffensis, qui a Bonifacio V pallio cum potestate ordinandi episcopos accepto, Romanum constituit episcopum Roffensem, et an. 625 s. Paulinum ordinavit episcopum Northumbriae. Etenim Eduinus rex Northumbrorum uxorem duxerat piam Edilbergam, Eadebaldi regis Cantii sororem, cuius consiliis et s. Paulini instructionibus persuasus, christianam fidem suscepit, et an. 627 in festo Paschatis una cum regni proceribus et magno populi numero baptizatus est. Honorius Pp. s. Paulinum, cuius opera potissimum effecta fuit Northumbrorum conversio, archiepiscopum Eboracensem creavit et pallium ei concessit.

Eduinus rex non tantum praeclaram opem tulit s. Paulino in propaganda Fide, sed etiam Carpualdo Estangliae, seu Anglorum orientalium regi, christianae religionis veritatem persuasit. Verum Carpualdus brevi post susceptam Fidem occisus est. Post biennium (629) regnum Estangliae consecutus est Sigbertus Carpualdi frater. Hic aliquandiu in Gallia exul, ibidem a s. Felice baptizatus fuerat; ad solium Estangliae evectus, Religionem christianam per totum regnum suum propagandam curavit opera eiusdem s. Felicis, quem Honorius Cantuariensis archiepiscopus, s. Iusti successor, in Estangliam episcopum destinaverat.

An. 635 etiam occidentales Saxones christianam fidem susceperunt, praedicante illis verbum Dei s. Birino episcopo. Hic ab Honorio Pp. ad infedeles Angliae incolas destinatus, venit in regnum Westsaxiae, seu occidentalium Saxonum, Cynigilsum regem magnamque populi partem ad Fidem convertit; sedem episcopalem constituit Dorcinae seu Dorcestriae, et ecclesias multas fundavit.

In regno Northumbriae, an. 633, christiana religio in maximum discrimen adducta est. Cedwalla enim rex Britonum, nomine sed non vita christianus, cum Penda Merciorum rege pagano contra Eduinum regem Northumbrorum conspiravit. Conserto praelio Eduinus occisus est, in Menologio Flori et Calendariis anglicanis martyris titulo honoratus. Regnum eius inter se diviserunt Osricus et Eanfridus, qui se priscis idololatriae sordibus polluerunt. S. Paulinus archiepiscopus Eboracensis cum Edilberga regina vidua fugit in regnum Cantii, ubi ecclesiam Roffensem, obitu Romani vacantem, administrandam suscepit. An. 634 Osricus et Eanfridus a Cedwalla, rege Britonum, interfecti sunt. Eodem anno pius Oswaldus, Eduini nepos, cum exiguo exercitu, sed divinae opi confisus, Cedwallam eiusque copias delevit, et regno Northumbriae potitus est. Ad propagandam per omnem ditionem suam Religionem christianam, s. Aidanum episcopum e Scotia, in qua ipse olim

---

[1] Bergier, *Diction. théol.* art. *Mahométisme*; Maracci, *Prodrom. Alcoran.*

[2] Baron. ad an. 625, § 16.

[3] Videsis Bellarmin. *Controvers* l. IV *de Rom Pontif*, c. 10. « Vox illa etiam si extaret, subdito *in loc cit* laudatus scriptor, nego esse reprehendendam. Quod enim Bonifacius meminerit solius originalis peccati, *non aliorum peccatum, caussa fuit, quia peccatum originale est principale, et propter quod delendum principaliter Christus mortuus est.* Unde Ioan 1, 29, legimus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, grece τὴν ἁμαρτίαν τȣ κόσμȣ, idest *peccatum illud mundi*, hoc est peccatum originale, quod solum est commune toti mundo. Nam plurimi nullum aliud habent, ut omnes pueri ».

oxul baptismum susceperat, vocavit. Aidanus christianam fidem per totum regnum Northumbriae propagavit, sedem episcopalem constituit Lindisfarnae, et, rege opem ferente, ecclesias plures et monasteria fundavit.

In regno etiam Estangliae religio christiana tempestatem gravem subiit. Quum enim Sigbertus rex, an. 634, regno commendato fratri suo Egerico, monasticam disciplinam esset professus, saevissimus Penda, rex Merciorum, Estangliam invasit, Egericum et Sigbertum occidit, et religioni ingentem cladem intulit. Verumtamen sub Anna, Egerici successore, mala religioni illata restituta sunt [1].

4. *Croatarum conversio*—Per eadem tempora Croatae, seu Chrobati, incolentes partes Dalmatiae iuxta oram maritimam ad Istriae montana, falsorum numinum cultum abiecerunt, et christianam fidem amplexi sunt. De eorum conversione bene meruit Heraclius imperator, a quo rogatus Pontifex Romanus sacerdotes ad istum populum misit, qui eum doctrina christiana instituerunt et baptizarunt [2].

5. *Christiana religio in Sina* — In vastissimum etiam Sinarum imperium religio christiana illata est hoc saeculo. Nonnulli credunt, iamdudum ante haec tempora christianae religionis notionem in Sinam delatam fuisse e commercio, quod Sinenses, finibus suis usque ad mare Caspium extensis, cum Persis et Romanis orientalibus inverant. Sunt qui existimant, D. Thomam apostolum in Sina praedicasse Evangelium. Hoc vero saeculo Christianismum in Sina fuisse praedicatum et late propagatum, constat e celebri monumento, an. 1625 in Sina detecto, et a civitate, in qua repertum est, appellato Siganfou seu Si-ngan-fu. Huic monumento, quod erat tabula marmorea, confecto an. 781 vel sequenti, praeter figuram Crucis insculpta erat summa doctrinae christianae et in eodem legebatur, an. 636 in Sina venisse presbyterum nomine Olopuenum e regione ad Occidentem sita, et e consensu imperatoris Thai-tsoung christianam religionem praedicasse atque ecclesiam erexisse; confestim alios plures venisse presbyteros, quorum opera nova religio per plures provincias fuerat propagata; Olopuenum ordinatum fuisse pontificem, an. 699 sub imperio Tchoung-soung *bonzios* contra Christianos excitasse persecutionem, quam an. 713 inhibuit imperator Hiouan-tsoung, reddita Christianis libertate; novisque advenientibus presbyteris, religionem christianam magnas deincepse fecisse progressiones.

Ex eodem monumento habetur, Olopuenum aliosque presbyteros, in eo commemoratos, fuisse patria Syros et e secta Nestorianorum, quae secta reipsa per Syriam, Persidem, Indias et Asiam superiorem propagata fuit. Unde Christianismus, his temporibus in Sina propagatus, nestoriano errore erat infectus [1].

6. *Honorius I Pontifex* — Bonifacio V, an. 625, VI° kalend. novembr. suffectus est Honorius I, natione Campanus, qui sedit usque ad an. 638. Hic Pontifex Fortunatum patriarcham Gradensem, haereticum et reipublicae proditorem, deposuit et in eius locum subrogavit Primogenium Subdiaconum regionarium [2]. Ad Eduinum regem Northumbriae in Anglia, qui cum gente sua christianam fidem susceperat, gratulatorias litteras dedit, eumque ad perseverantiam hortatus est. De Anglorum orientalium et Saxonum occidentalium conversione etiam sollicitus fuit. Litteras quoque scripsit ad Scotos, ut eos ad celebrandum Pascha secundum Nicaeni concilii decretum reduceret. Alia laude digna fecit. Sed spectatissimo huic Pontifici haud feliciter cessit ratio, qua erga emergentem Monothelitarum haeresim usus est.

7. *Monothelitarum haeresis*—Monothelitica haeresis, qua una tantum in Christo naturalis voluntas et operatio admittebatur, erat eutychianae haereseos surculus. Quemadmodum enim e doctrina catholica de duabus in Christo naturis inconfusis, indivisis et inseparabilibus, sequitur, duas esse in Christo voluntates et operationes, ita ex eutychiano dogmate de una in Christo natura sequitur, unam tantum ei inesse voluntatem et operationem.

---

[1] Beda, *Hist. eccl. Angl.* l. II-III.
[2] Pagi *Critica*, ad an. 630.

[1] Cf Kircher, *Prodromus Coptus seu Ægyptiacus*, et *China illustrata*, p. 53; I. S. Assemani *Bibliotheca orientalis*, t. II-III; Renaudot, *Rélations anciennes des Indes et de la Chine*, p. 228-71, Paris 1718 in-8°; *Revue Catholique de Louvain*, 1846 Nov. et Décembre, 1859 Sept.

[2] Quemadmodum erant Notarii et Diaconi Regionarii *septem*, ita septem pariter erant Subdiaconi Regionarii. Qui autem Regionarii dignitate et nomine augebantur, eisdem patebat aditus, ut ad sacra simul cum Pontifice convenirent. Vid. Baron. ad an. 598, § 16. Ex epistola Honorii I ad Episcopos Venetiae et Istriae illud etiam patet, Venetam Rempublicam iam inde a temporibus illis *Christianissimae* titulo decoratam a Pontificibus Romanis.

Contendebant Monothelitae, humanam Christi naturam ita Verbo esse unitam, ut propria agendi vi et operatione careret, unde asserebant, unam tantum in Christo esse voluntatem et operationem, quam θεανδρικήν, Deivirilem, appellabant. Hanc doctrinam in primis adoptarunt Sergius patriarcha Cp. et Theodorus episcopus Pharanitanus in Arabia petraea. Etiam Heraclius imperator e colloquio an. 629 habito cum Athanasio Iacobitarum patriarcha, sed praecipue e consilio Sergii Cp. eamdem doctrinam suscepit, credens, eius ope Monophysitas facile uniendos cum Catholicis. Paulo post Sergius eamdem doctrinam persuasit Cyro episcopo Phasidis apud Lazos. Res tenuiter coepta, an. 633 magnas turbas excitavit, quum Cyrus, anno 630 ad patriarchatum Alexandrinum promotus, in synodo pro unione Monophysitarum habita, ope doctrinae de una Christi operatione Theandrica seu Deivirili, quam septimo inter novem anathematismos illic edictos, diserte tradidit, illos ad unionem cum Catholicis admisit. Huic Cyri agendi rationi et doctrinae publice restitit Sophronius monachus Palaestinus, tunc Alexandriae commorans, et cum abrogationem septimi anathematismi, quo Eutychianismum resuscitari iure metuebat, a Cyro frustra postulasset, querelas suas detulit ad Sergium patriarcham Cp. Verum Sergius anathematismos agendique rationem Cyri approbavit. Sophronius an. 634 ad sedem Hierosolymitanam evectus, pro more synodicam epistolam ad patriarchas scripsit, in qua, praeter alia, orthodoxam doctrinam de incarnationis mysterio docte exposuit. Sergius vero metuens, ne apud R. Pontificem a Sophronio praeveniretur, ad Honorium Pp. litteras dedit officii plenas, in quibus maligna interpretatione controversiam inter Cyrum Alexandrinum et Sophronium Hierosolymitanum agitatam, exposuit; multum questus est de Sophronio, quasi duas in Christo voluntates sibi contrarias, quales in nobis experimur, esse contenderet, suasitque Pontifici, abstinendum fore tum ab unius tum a duarum voluntatum et operationum vocibus, ne e litibus de his vocibus scandalum et schisma orirentur, unioque Monophysitarum praepediretur [1].

8. *Honorii I epistola ad Sergium* — Honorius I, consilium Sergii improvide secutus, ad eum rescripsit, I. Christum, mediatorem Dei et hominum, operatum divina et humana; a recens inductis vocibus unius aut geminae operationis, quod simplicibus scandalum generare possent, esse abstinendum, et fide orthodoxa atque unitate catholica praedicandum, «Dominum I. Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus». Quum autem brevi post Honorius de eadem re accepisset litteras Sophronii episcopi Hierosolymitani, alteram ad Sergium, Cyrum et Sophronium dedit epistolam, in qua rursus scripsit, a vocibus unius et geminae operationis esse abstinendum propter earum novitatem et scandalum simplicium; sed confiteri, oportere, « utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices, et divinam quidem quae Dei sunt, operantem, et humanam quae carnis sunt, exequentem, non divise neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes ».

Quamvis igitur Honorius I propter pericula scandali a vocabulis unius et geminae operationis abstinendum censuerit, ipsum tamen dogma de duabus Christi operationibus diserte explicavit. Quapropter immerito nonnulli fidem eius in dubium vocarunt. Quo autem sensu in priori epistola ad Sergium dixerit, *Unam voluntatem fatemur Domini Nostri*, ex ipsius epistolae contextu atque ex Ioannis Pp. IV et s. Maximi testimoniis novimus, nimirum de exclusione duarum voluntatum inter se pugnantium, spiritus et carnis quales in vitiata nostra natura experimur [1]. Verum est, Honorium Pp. in con-

---

[1] Petavius, *Dogmat. theolog.* t. V, *de Incarnatione*; *Concil. gen. VI*, act. 6, 8, 13.

[1] Multis modis, praesertim tempore Concilii Vaticani, defensa fuit causa Honorii I. Ex omnibus in comperto est huius Pontificis orthodoxia, uti in primis patet ex defensione quam de eo suscepit Ioannes IV, qui cum magna admiratione legisset in epistola Imperatoris Constantini Patriarcham Pyrrhum dicere Honorium scripsisse Sergio epistolam suae doctrinae consentientem, rescripsit: « Omnes Occidentis *partes scandalizatae* turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas, nova quaedam et praeter regulas fidei praedicante, et ad proprium sensum quasi *sanctae memoriae* Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod *a mente catholici Patris* erat penitus alienum ». Unde paulo post s. Martinus Pp. I martyr in litteris encyclicis ad universum orbem datis cum consensu Concilii Lateranensis scribere potuit: « *Antecessores* nostri non destituerunt admonentes (Patriarchas Cp.) et contestantes recedere a sua huiusmodi haeresi, et sanam doctrinam amplecti ». Et Pontifex Agatho tam in Epistola dogmatica ad Concilium Oecumenicum VI, in quo damnanda erat haeresis monothelitica, quam in litteris ad Imperatorem, dum expresse imponit damnationem

cilio generali VI cum Monothelitis fuisse damnatum, at id factum est, non quod eorum haeresi adhaeserit, sed quod Sergium caeterosque Monothelitas non represserit, ut decebat auctoritatem apostolicam, et quod sua conniventia haereticorum consilia iuvasse visus sit[1]. Obiit Honorius I IV° idus octobris an. 638.

9. *Ecthesis Heraclii* (*an.* 639) — Initio anni sequentis, Apostolica Sede adhuc vacante, imperator Heraclius auctore Sergio promulgavit famosum edictum, quod *Ecthesis* seu expositio appellatum est. In eo, praemissa doctrina de ss. Trinitate, de Verbi incarnatione, de Christi persona et duabus naturis, prohibebatur, ne quis unam aut duas in Christo operationes doceret, sed unum eumdemque Dominum I. C. divina et humana operari; doctrina vero de duabus Christi operationibus veluti nestoriana deterior traducebatur; ea vero, quae unam Christi Domini voluntatem confitebatur, sanctis Patribus propria dicebatur [1]. Sergius hoc edictum, quod catholicam doctrinam subdole opprimebat, monotheliticam vero favebat, coacto mox synodo, approbavit, et omnibus episcopis quidem, presbyteris, diaconis, caeterisque clericis sub poena suspensionis, monachis vero aliisque sub excommunicationis periculo prohibuit, quominus unam vel duas in Christo operationes dicerent. Sergii vestigia secutus est Pyrrhus, qui ei, hoc ipso an. 639 mortuo, in sede Cp. successit. Ecthesin etiam laetus suscepit Cyrus patriarcha Alexandrinus.

10. *Severinus, Ioannes IV, Pontifices* — Post Honorii obitum (638) electus fuit Severinus, sed nominatorum et aliorum Monothelitarum consilio electionem confirmare noluit imperator, nisi Pontifex *Ecthesi* subscribere spopondisset. Unde Sedes Apostolica vacavit ultra annum et menses septem. Demum, quum legati Romani, ea de causa Constantinopolim missi, respondissent se de hac re cum novo Pontifice acturos, Heraclius electioni eius assensit, et Severinus V° kal. iunii an. 640 consecratus fuit. Sed tantum abfuit, ut Severinus monotheliticam haeresim admisisset, ut contra illam anathemate confixerit, et Ecthesin approbare noluerit[2]. Quare, sive Heraclii impulsu, ut iniuriam sibi illatam ulcisceretur, sive ministrorum eius nequitia factum est, ut Lateranensis Ecclesiae thesaurus ad eam diem sanctissimus ab Isacio exarcho et Mauritio chartulario diriperetur. Exinde Severinus ab Heraclii ministris vexatus, vix altero pontificatus mense expleto,

quatuor Patriarcharum Cp., magnificam exhibet protestationem Infallibilitatis Romanae Sedis affirmans « *ex quo* novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Cp. Ecclesiae praesules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore *saltem tacendo* desisterent ». Quibus postremis verbis ad modum ab Honorio adhibitum ad sedandum errorem clare s. Pontifex alludit. Quae epistola lecta et acclamata fuit in V Sessione Concilii Oecumenici VI.

[1] Migne, *Patrol. latin.* t. LXXX; Garner., *Diss.* 2 *ad L. diurn. RR. Pontif.*; I. B. Tamagnin. *Hist. Monothelit.*; I. A. Orsi, *de R. Pontif. infallibilitate*, t. I, p. I, l. 1; Muzzarelli, *De auctoritate RR. Pontif.* t. II; I. B. Palma, *Pralect. Hist. eccl.* t. II, p. 1, c. 11.—Circa hanc damnationem Honorii in Conc. III, Cp. seu gen. VI, scriptores in diversas abeunt sententias. Quidam a Sess. XI in posterum Synodum retinent illegitimam, cum iuxta Anastasium Bibliothecarium undecim fuerint Sess. illius; quapropter nulla habenda esse anathemata in Honorium, qui post illam Sessionem damnatus fuerit. Quidam autem gravibus rationibus innixi retinent corrupta acta eiusdem Synodi a Theodoro Cp., uti inter alios, Baronius in *Vindic. Honor.* tenet; quam vero sententiam aliqui infirmant (cf Combefis, *Histor. Monothel.* Act. Synod. VII; C. Lupum, *De IV Synod.* ad Act. XVIII; Natal. Alex. Diss. 2 in saec. VII; Pagi, *Critic.*). Id profecto minime officit inenarrantiae pontificali, siculi obtrectatores S. Sedis contendunt; nam Concilii anathemata recipienda sunt quo modo fuerunt a R. P. approbata, et ea iuxta epistolas s. Leonis II admissa fuere, quatenus Honorius «flammam haeretici dogmatis *negligenter* confodisset». P. Colombier S. I. extraordinarium interventum adnotavit Ecclesiae Romanae in actis Concilii post XVI Sessionem. Archiepiscopus Thessalonicensis, ut eruitur ex definitione fidei et sermone finali ad Imperatorem, ex tunc assumpsit vices et legationem Apostolicae Sedis, quam simul habuit cum Episcopis Corinthi et Gortinae Cretensis. Quae mutatio fieri non potuit nisi ab Apostolica Sede. His adde quod Synodus per quatuor menses suspensa fuit; quod tempus tunc necessarium erat ad legationem Romam mittendam et inde responsum recipiendum. Si igitur iudicata fuit causa Honorii, ex permissione Sedis Apostolicae hoc praestitit Concilium, uti affirmavit Pp. Adrianus II, in sua Allocutione ad Concilium Oecumenicum VIII, quae permissio forsitan data fuit ad animos conciliandos Graecorum Episcoporum, cuius maxima pars paulo ante ab haeresi conversa erat. Ex qua animadversione confirmatur veritas historica affirmationis Adriani II, quae a pluribus impugnabatur, authentiam Epistolae Leonis II, in qua legitur missos a Sede Apostolica ad Concilium Cp. aliquos Archiepiscopos, dum certum est Pp. Agathonem misisse tres Episcopos, duos presbyteros et diaconum; et intelligitur etiam quomodo Patres Concilii ad damnatos ab Agathone adiunxissent Honorium et in Epistola Synodali eum, uti supra innuimus, adnumerassent inter damnatos ab Apostolica Sede. Vide *Etudes religieuses* etc., IV Ser., t. V, p. 392-96, Paris 1871. Denique tantum abest ut factum Honorii infallibilitatem R. Pontificis inficiet, ut ex Monothelitarum historia ineluctabilia argumenta eruantur ad eam evinciendam. Omnes episcopi cleri et populi tum Occidentis tum Orientis ab Apostolica Sede expostulabant supremum eius iudicium, uti ex innumeris documentis constat, ad comprimendum errorem quod certo innuit inerrantiam pontificalem. Videsis plura ex his documentis in Effem. *La Scienza e la Fede*, vol. LXXVIII, p. 392 sqq., Neapoli 1871, nec non *Civiltà Cattolica*, Ser. VII, vol. IX, pp. 550 sqq.

[1] Ap. Labbe, *Concil.* t. VI, p. 195.

[2] S. Martin. Pp. in Concil. Lateran. apud Labbe, ibid, p. 210; Pagi *Critica*, ad an. 640.

ex animi aegritudine obiit kalend. august. an. 640.

In eius locum electus et post menses 5, pridie diem Natalem Christi, consecratus est Ioannes IV, Dalmata, qui sedit anno 1 et mensibus fere 10. Is nondum Pontifex consecratus, ad epistolam, quam episcopi et presbyteri Scoti ad Severinum scripserant, respondens, quosdam in Scotia contra legitimum ritum Pascha celebrantes, redarguit, et reviviscentem illic Pelagianam haeresim diligenter cavendam esse monuit[1].

Idem Pontifex, aliam scripsit epistolam ad Isaac episcopum Syracusanum, qua litem clericos inter et monachos componens, decrevit, ut ecclesiae monachis ab episcopo traditae, a monachis seu sacerdotibus ab iis constitutis regerentur [2]. Decessoris sui vestigiis insistens, Romae synodum celebravit, in qua Monothelitarum errorem, eique faventem Heraclii *Ecthesin* proscripsit [3].

Heraclio an. 641 ex hydropis morbo extincto, successit Constantinus filius, princeps pius et catholicus. Ad ipsum litteras dedit Ioannes Pp., in quibus novum imperatorem hortatus est, ut patris *Ecthesin* aboleret. In iisdem litteris doctrinam Honorii Pp. I, cuius epistolis Monothelitae ad defendendam haeresim suam abutebantur, ab erroris suspicione purgavit [4].

Verum priusquam hae litterae Constantinopolim essent perlatae, extinctus erat Constantinus veneno, quod ipsi propinarat Martina noverca, ut Heracleonas filius suus regnaret. Heracleonas post menses 6 senatusconsulto deiectus, cum Martina matre relegatus est. Tunc imperium delatum fuit Constanti, Constantini filio, qui Monothelitarum errorem sectatus est, turbasque graves excitavit, ut infra dicemus.

11. *Status rerum in Italia* — Tunc temporis Longobardorum in Italia regno potiebatur Rotharis, qui ab an. 638 usque ad 652 regnavit. Is arianum dogma secutus est et episcopos arianos iterum restituit, sicque integrae Longobardorum ad catholicam fidem conversioni, quae exeunte saeculo praecedenti sub Theodelinda feliciter coepta erat, obstitit. Post obitum Rotharis vero Longobardi passim ad catholica sacra transierunt, et Arianismus in Italia deperiit [1].

In Gallia — In Gallia autem ecclesiasticas ac civiles res instauratas vidimus sub Clotario rege II [2]. Eum an. 628 defunctum excepit Dagobertus filius, iam rex Austrasiae, regnavitque usque ad an. 638. Hunc magno reipublicae bono consiliis iuvarunt s. Cunibertus Coloniensis et s. Arnulphus Metensis episcopi atque Pipinus maiordomus. Aliquandiu Dagobertus iustistiae et temperantiae leges, ad quas informatus fuerat, turpiter neglexit. Verumtamen resipuisse, piisque operibus culpam diluisse videtur.

Eorum principum, qui post Dagoberti mortem (638) proxime regnarunt, pietas et munificentia in extruendis monasteriis aliisque operibus commendantur. At post mortem Dagoberti auctoritas regia declinavit, et maioresdomus, sub specie administrationis palatii, ipsum regnum administrare coeperunt, unde haud levia detrimenta bono publico advenerunt.

Anno 650 episcopi 38 et aliorum legati 6 convenerunt Cabilonem, et ad corrigenda ea quae, aut negligentia aut ignorantia, contra ecclesiastica statuta irrepserant, ediderunt 20 canones [3]. Floruerunt hac aetate in Gallia episcopi plures, vitae sanctitate conspicui, inter quos commemorandi sunt Cunibertus Coloniensis, Arnulphus Metensis, Sulpicius Bituricensis, Modoaldus Trevirensis, Donatus Vesontiensis, Landericus Parisiensis, cui Marculfus monachus duos libros *Formularum antiquarum* nuncupavit, Nivardus Rhemensis, Amandus Traiectensis eiusque successor Remaclus, Eligius Noviomensis.

Celeberrimus erat s. Amandus, illustri loco in Aquitania natus, qui primo monasticum institutum professus, deinde an. 628 episcopus sine certa sede consecratus, in praedicandum infidelibus Evangelium totus incubuit. Æthnicis Gandavensis territorii in Flandria incolis multa perpessus est; at in labore constans tum sermone tum miraculis ingentem populi numerum ab idolorum cultu ad veram Fidem convertit, ecclesias plures construxit, duoque monasteria Gandavi extruxit. Post haec profectus in Ger-

[1] Nota, electo Pontifici nihil iuris fuisse ad res Ecclesiae gerendas, donec ordinaretur, nisi unus esset ex iis, quibus vacante Sede vel absente Pontifice cura R. Ecclesiae committi solebat. Hi erant archipresbyter, archidiaconus et primicerius Notariorum; inter quos electus locum suum servabat, donec esset consecratus. Unde etiam Ioannes in praedicta epistola secundo loco subscripsit inter archipresbyterum et primicerium. Cf Pagi *Critica*, ad an. 590; Garner., *Ad lib. diurn. RR. Pontif.* tit. 1; Mabillon. *in Ord. Roman.* c. 17.

[2] Labbe, *Concil.* t. V, p. 1772.

[3] Baron. et Pagi, ad an 640.

[4] Labbe, ibid. p. 1750.

[1] Paul. Diacon. seu Warnefried, *Hist. Longobard.* l. IV.

[2] Vide p. 164.

[3] Labbe, t. VI, p. 387.

mania, Sclavis circa Danubium Fidem praedicavit; sed cum hic populus Evangelii gratiam sperneret, Amandus in Galliam rediit, et an. 647 creatus est episcopus Traiectensis. Hanc ecclesiam per triennium rexit; deinde sede abdicata, rursum ad praedicandam infidelibus Fidem se contulit [1]. Ei in sede Traiectensi successit s. Remaclus, et ipse nobilis Aquitanus et monachus, qui praeter alia praeclare gesta fundavit celebria monasteria Malmundarium et Stabulaum [2].

Quae autem pro conversione Gandavensium feliciter inceperat s. Amandus, pari fervore prosecutus est s. Eligius, an. 640 creatus episcopus Noviomagensis. Is profectus ad incultos et barbaros incolas Antwerpiae, Gandavi, Cortraci et finitimorum locorum, quae tunc temporis ad dioecesim Noviomagensem pertinebant, labore improbo multisque cum periculis Fidem praedicavit, et plurimos ad idolorum cultu ad christianae religionis professionem convertit [3]. Eodem tempore s. Trudo presbyter, annuente s. Remaclo Traiectensi, Evangelium praedicabat in Hasbania, et paganismum ex ea penitus profligavit [4].

In Hispania—In Hispania an. 620 Sisebutum regem excepit Reccaredus filius, quo post paucos menses defuncto, electus est Suinthila. Hic Graecos cunctis Hispaniae finibus expulit; at quum contra Gothorum mores et regni iura Ricimerum filium sibi adscivisset collegam, ut familiae suae regni possessionem assereret, an. 631 solio deiectus fuit. Tunc regnum Hispaniae accepit Sisenandus, qui ut imperium sibi magis confirmaret, an. 633 Toleti nationalem synodum, inter Toletanas quartam, indixit. Interfuerunt episcopi 62 et aliorum 7 legati. Editi sunt canones 75, quorum 1^{s} continet fidei professionem de ss. Trinitatis et Incarnationis mysteriis, in qua Spiritus S. a Patre et Filio procedere expresse dicitur; in aliis canonibus annua synodorum celebratio, earumque forma commendantur, unus ordo in ministeriis et officiis sacris praescribitur, sacrarum Scripturarum et canonum peritia sacerdotibus inculcatur, potestas episcoporum in monasteriis explicatur, aliaque plura de disciplina et negotiis ecclesiasticis, de Iudaeis et Ecclesiae libertis decernuntur; canone ultimo pro regum et populi securitate sancitur, ut post regis obitum successor eius communi consilio a cleri et populi proceribus eligatur, omnes regi legitime constituto fidem servent; si quis vero e regibus contra legum reverentiam superba dominatione in flagitiis et facinore crudelissimam potestatem in populum excercuerit, anathematis sententia condemnetur [1].

An. 636 defuncto Sisenando rege, electus fuit Chintila, cuius regni an. 1° celebrata est synodus Toletana V. Convenerunt ad eam episcopi 24; adfuit etiam rex cum optimatibus et senioribus palatii sui. Editi sunt canones 9, qui potissimum spectant ad regis eiusque potestatis securitatem et stabilitatem [2]. An. 638 regnante eodem Chintila habita est synodus Toletana VI, ad quam ex universo regno convenerunt episcopi 47 et aliorum 5 legati. Conditi fuerunt canones 19, quibus praecedentium synodorum statuta confirmata sunt; regi gratulatum fuit, quod pertinaces Iudaeos e regno relegarit, et praeter alia e regis et procerum assensu decretum, ut deinceps rex legitimis suffragiis electus, priusquam solium conscenderet, inter reliquas conditiones sacramento promitteret, non passurum se catholicam fidem violari aut aliquem in regno degere qui non sit catholicus [3].

In Anglia — In Anglia christianos principes bellis multis impetivit saevissimus et impius Penda rex Merciorum. Eius armis, ut supra diximus [4], occubuerunt pii Eduinus et Oswaldus reges Northumbrorum, atque Sigbertus, Egericus et Anna reges Estangliae. Demum an. 655 crudelis christianae religionis hostis ab Oswio Northumbriae rege debellatus caesusque est, et cum eo ethnicismus in Anglia corruit, ut infra videbimus.

12. *Mahometanorum progressus*—In Oriente res christianae deplorando erant in statu. Occulto et iusto iudicio Dei, continuis Orientalium dissensionibus, schismatis et haeresibus offensi, factum est, ut omnia Saracenorum seu Mahometanorum armis cederent. Mahomete an. 632 Medinae defuncto, rerum summa potitus est Abubachar ut califa seu prophetae vices gerens. Is schedas seu chartas, pseudo-prophetae doctrinam continentes, in librum, *Alcoranum* dictum, collegit [5]. Obiit an. 634, eumque excepit Omar, qui usque ad an. 644 cali-

[1] Bolland., *Acta SS.* 6 febr.
[2] Ibid. 3 sept.
[3] Ghesquiere, *Acta SS. Belgii*, t. III, p. 194 sq.
[4] Ibid. t. V, p. 1-69.

[1] Labbe, *Concil.* t. V, p. 1700.
[2] Ibid p. 1725.
[3] Ibid. p. 1740.
[4] Vid. p. 169.
[5] Alcorani editionem et refutationem procuravit Lud. Maracci, Patavii 1698, 2 vol. in-fol.

fatu functus est. Imperante Omaro Saraceni omnem Syriam, Palaestinam, Ægyptum, magnamque partem Persidis occuparunt. Omaro successit Othmanus, qui usque ad an. 656 rerum potitus est. Sub eo Saraceni irruerunt an. 647 in Africam, eamque sibi vectigalem reddiderunt. Anno sequenti omnem insulam Cyprum occuparunt, et an. 651 deleto regno persico universam Persidem subegerunt [1]. Tam prosper armorum successus adscribendus est, partim perturbato et viribus exhausto imperii Graeci et regni Persici statui, partim religioso Mahometanorum enthusiasmo, excitato per pseudoprophetae exemplum, expressum Alcorani praeceptum, et promissam iis, qui in bello occubuissent, felicitatem magis vero magisque accenso per victorias, quas tanquam signa divinae approbationis considerabant. Profuerunt etiam illis religiosae Christianorum orientalium divisiones, eo vel magis quod Nestoriani et Monophysitae sperarent, futurum ut liberius sub Saracenorum quam sub imperatorum dominatione agerent.

Cum imperio etiam religio mahometica, seu Islamismus, longe lateque propagata est. Multi enim e subactis populis mahometicos ritus susceperunt; alii ut persecutionem evitarent aut gratiam consequerentur; alii ut naturae voluptatibus et liberioris vitae cupiditatibus, quibus pseudo-prophetae doctrina favebat, indulgerent. Christiana vero religio in terris a Saracenis occupatus declinavit, sub variis califis persecutioni fuit obnoxia, in quibusdam regionibus, in quibus sola antea florebat, ut in Africa romana, deperiit, in aliis valde coarctata fuit. Cum religione christiana in iisdem terris deperierunt litterarum, scientiarum, artiumque studia et cultura, morum integritas atque humanitas. Attamen sicuti in aliis sectis contigit, etiam in mahometica non tantum politica sed et religiosa unitas dissidiis gravibus rupta est. Posteriore medio saeculi VII rupta unitate politica, ortae sunt duae factiones maiores, Schiitarum nempe et Sonnitarum; hi Alcorano adiungebant legem ex ore Mahometis exceptam et traditione propagatam; illis solius Alcorani litterae inhaerebant. Praeter has duas factiones maiores, quae non modo opinionibus et institutis, sed etiam capitali odio ab invicem dissidentes, bellorum gravissimorum inter Mahometanos saepenumero causa fuerunt, plures aliae ortae sunt, quae de variis religionis capitibus inter se graviter certarunt [1].

[1] Ockley, *Conquête de la Syrie, de la Perse et de l'Égypte par les Sarrasins*, Paris 1748; D'Herbélot, *Bibliothéque orient.*, art. *Omar* et *Othman*.

13. *Theodorus Pontifex (an. 642)* — Ioannem Pp. IV v° idus octobr. an. 642 defunctum, excepit Theodorus, Hyerosolimitanus, qui contra Monothelitarum studia causam Fidei fortiter gessit, seditque usque ad annum 649.

14. *Monothelitarum status* — Constans imperator, qui ab an. 641 imperio graeco potitus est, Monothelitis deditus, potius ad stabiliendam haeresim et vexandos catholicos quam ad reprimendos Saracenorum progressus incubuit. Pyrrhus, qui in sede Cp. Sergio successerat, eiusque vestigia sequebatur, an. 641, quod cum Martina in necem Constantini imperatoris conspirasse vulgo diceretur, clam Constantinopoli aufugit in Africam. Hic pravum dogma propagare tentavit, sed obstiterunt ei praesules Africani. Eodem tempore s. Maximus se in Africam contulerat, qui e primo Heraclii imperatoris notario abbas Chrysopolitanus prope Chalcedonem, magna eruditione profana ac sacra et ingenii acumine praeditus, an. 645 coram Gregorio patricio Africae praefecto, adstantibus multis episcopis et nobilibus viris, palam cum Pyrrho disceptavit, et tam luculenter monotheliticam haeresim confutavit, ut Pyrrhus se victum fassus sit, et cum s. Maximo Romam profectus, coram Theodoro Pp. pravum dogma abiurarit. Pontifex eum in communionem recepit. At vaferrimus Pyrrhus, Roma relicta, ad pristinum errorem rediit. Quapropter Theodorus eum in Romana synodo deposuit et anathemate damnavit [1].

Quantum autem Africani praesules restiterint monotheliticae haeresi, quam illuc inferre tentarat Pyrrhus, sat liquet e synodis ea de causa in provincia Proconsulari, Byzacena, Numidia et Mauritania coactis, et ex epistolis inde ad Theodorum Pp. ad Paulum Cp. et ad Constantem imperatorem scripsit [2].

Interea Pyrrho profugo, ad patriarchatum Cp. evectus fuit Paulus, antea ecclesiae maioris oeconomus. Hic pariter monothelitica

[1] Theophan. *Chronograph.*; Labbe, *Concil.* t. V, p. 1784. — « Pp. Theodorus, scribit Theophan. in *Chronograph.* p. 219, universo Ecclesiae conventu convocato, ad Coriphaei Apostolorum sepulcrum astans, calice afferri iusso, ex vivifico Christi sanguine stillam excutiens, Phyrrhi ceterorumque qui cum eo communicarent, abrogationem et condemnationem propria manu exaravit ». In eodem Concilio Theodorus damnavit etiam Paulum Ep. Cp. pro *Typo*, eo instigante, a Constante promulgato.

[2] Labbe, ibid. p. 1835, et t. VI, p. 128, 133 et 137.

haeresi infectus, initio se catholicum simulavit in litteris ad Theodorum Pp. datis Pontifex Paulum et episcopos, qui eum ordinarunt, litteris hortatus est, monuitque, ut Heraclii *Ecthesin* et quae Pyrrhus contra orthodoxam doctrinam sustinuerat, abiicerent, eamque sectarentur Fidem, quam Apostoli praedicarant et Patres in 5 conciliis confirmarant. At Paulus Pontificis consilia et monita sprevit. Theodorus a Sergio metropolita insulae Cypri, a Stephano episcopo Dorensi atque ab episcopis Africanis contra prava Pauli Cp. studia interpellatus, tum per litteras tum per apocrisiarios suos illum compulit, ut fidei suae professionem Romam mitteret. Paulus scripta ad Pontificem epistola, haeresim, quam diu dissimularat, prodidit, ad exemplum Sergii unam Christi voluntatem diserte asserens, sub specie excludendae in Christo voluntatum contrarietatis. Theodorus, quum Paulum frustra ab errore revocare tentasset, eum deposuit et anathemate perculit. Paulus in furorem actus, Apostolicae Sedis apocrisiarios eorumque amicos persecutus est, alios exilio, alios verberibus aut carceribus affici iussit. Ei in omnibus obsequebatur Constans imperator.

Idem Paulus, ut simplicioribus imponeret et pacis amans videretur, Constanti imperatori suasit, ut abrogata *Ecthesi*, novum edictum de praesenti controversia sanciret. Imperator consilium Pauli secutus an. 648 edidit *Typum*, quo post expositum controversiae et dissensionis statum et abrogatam Heraclii *Ecthesin,* utrique parti sub gravibus poenis de una aut duabus Christi voluntatibus et operationibus silentium praescribebatur [1]. Hoc edictum merito a catholicis reprobatum fuit, quod imperatoris non esset de Fidei dogmatis decernere, quodque per istud edictum veritati vis inferretur et catholicum dogma eadem ac haereticum sorte involveretur.

15. *S. Martinus Pontifex* (*an.* 649) — Interim Theodorus Pp. an. 649, pontificatus sui VII, obiit. In eius locum suffectus est s. Martinus, e Tudertina civitate oriundus, qui consecratus videtur haud expectato Imperatoris consensu [2]. Hic post menses 4 in aede Lateranensi concilium 105 episcoporum habuit, in quo monothelitica haeresis, eiusque praecipui auctores et fautores, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, Cp. Patriarchae, una cum *Ecthesi* Heraclii et *Typo* Constantis damnati sunt [1]. Pontifex concilii decreta in utriusque orbis provinciis promulganda curavit, litterisque encyclicis omnes fideles monuit, ut sibi a damnata doctrina caverent [2].

Ubi haec cognovit Constans imperator, mandavit Calliopae Ravennatis exarcho, ut Martinum Constantinopolim perduceret. Is cum militari manu Constantinianam aedem ingressus, sanctum Pontificem inde abstraxit, navique impositum in insulam Naxum abduxit, ubi Martinus, continua aegritudine afflictus, anno solido detentus est. Constantinopolim perductus, in vincula coniectus fuit. Dein in ius raptus et laesae maiestatis falso accusatus, omni calamitatis et contumeliae genere affectus est. Denique ope Pauli Cp., quem utut monothelitam Pontificis miserebat, necis periculo ereptus, in Chersonesum Thraciae relegatus fuit, ubi Ecclesiae periclitantis dolose et aerumnis confectus an. 655 xvi° kalend. octobr. e vita exiit [3].

16. *S. Eugenius I Pontifex*—Clerus romanus ad eligendum alium pontificem in locum exulantis Martini a Calliopa compulsus, metuens ne ipsis invitis daretur monothelitae summum Ecclesiae regimen, quod, absente vel defuncto Pontifice, archipresbyter, archidiaconus et primicerius gerebant, delegavit Eugenio, inscio primum, sed mox consentiente Martino [4]. Dignus fuit qui s. Martini locum occuparet, s. Eugenius I, ab incunabulis romano Clero adscriptus [5]; sed anno secundo post D. Martini obitum nondum

---

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 231.

[2] Deinde accusatus, quod *irregulariter et sine lege Episcopatum surripuisset.* Vid. eius *Epist.* 15 ap. Labbe, *Concil.* t. VI, p. 65.

---

[1] Hoc interest inter *Ecthesin* Heraclii, ac *Typum* Constantis, quod *Ecthesis* tam unam, quam duas in Christo operationes dici vetat, voluntatem tamen unam profitetur: *Typus* vero nec voluntatem nec operationem unam aut duas in Christo nominari patitur. Vid. Petavius, tom. IV *Theolog. Dogmat.* lib. I *de Incarnatione*, c. 21.

[2] Labbe, t. VI, p. 6-382.

[3] Cf Butler, *Vies des SS.* 12 nov.

[4] Quod s. Martinus in initio Eugenii electionem ignorarit, patet ex eius Epistola XV. Sed ubi audivit quae Clerus romanus de necessitate egerat, Eugenii electioni assensit, ut constat ex eius Epistola XVII. Hinc nonnulli colligunt, Eugenium, etiam vivente Martino, ut pontificem Ecclesiae praefuisse; alii existimant, Eugenium s. Martino vivente, vicaria tantum potestate Ecclesiam rexisse, et post mortem s. Martini, novo cleri consensu accedente, pontificem factum esse. Cf Baron. ad an. 652 et 654; Sandini, *Vitae RR. Pontif.* in *s. Eugen.*

[5] Edmundus Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 8, a. 3, n. 2, inquit: « Minores Ordines infantibus ipsis conferri potuisse, testantur Siricii Pp. epistola I et Zosimi item Pp. epistola I. Revera autem collatos fuisse constat ex *Libro Pontificali,* in quo Eugenius Pp. I clericus a cunabulis legitur ».

expleto, vita excessit, mercedem aeternam pro egregiis virtutibus, quas coluerat, a Domino consecuturus [1].

17. *S. Maximus*—Multa quoque pro catholicae fidei defensione perpessus est s. Maximus abbas. Eius disceptationem cum Pyrrho supra retulimus [2]. Quum invicta constantia monothelitas oppugnaret, imperatoris iussu Constantinopolim perductus, primo in carcerem coniectus fuit; dein in iudicium raptus perduellionis ac proditionis accusatus est; sed afficta crimina egregie diluit. Constantis *Typo* subscribere nolens, relegatus fuit Bizyam Thraciae, ubi celebrem de dogmate catholico contra monothelitas disceptationem habuit cum Theodosio, Caesareae in Bithynia episcopo. Iterum Constantinopolim reductus, et in vera doctrina semper constans, post plurima opprobria, lingua et dextera praecisis, in Chersonesum relegatus est, ubi an. 662 spiritum Deo reddidit [3].

Plura scripta reliquit s. Maximus; praecipua sunt commentaria mystico-allegorica in s. Scripturam, Tractatus polemici contra monothelitas, et ascetica [4].

Post Paulum, anno 654 mortuum, sedem recepit Pyrrhus, quem anno sequenti excepit Petrus, eadem ac illi haeresi infectus; qui tamen, ut se cum Romana Ecclesia communione coniunctum fingeret, synodicam epistolam, sed admodum obscuram et ambagibus obvolutam, dedit ad Eugenium I Pp., s. Martini successorem; at Pontifex illam merito reiecit. Constans vero imperator ob suam haeresim et in defensiones catholicae fidei saevitiam Constantinopolitanis invisus, ac bellis Saracenorum lacessitus, petiit Italiam. Vitalianus qui tunc Petri cathedram occupabat, ut imperatorem Ecclesiae benevolum redderet, eum Romae honorifice excepit. Sed imperator se Italis tam exosum reddidit, ut anno 668 Syracusis in balneo fuerit necatus. Post eius mortem ecclesiarum concordia fuit restituta, ut suo loco referemus.

18. *Ecclesiae status in Gallia*—In Occidente pacatior erat Ecclesiarum status. Reges a fovendis controversiis religionis abstinebant, orthodoxam doctrinam sectabantur, et una cum praesulibus ecclesiarum adlaborabant informandis secundum sacrosanctam Evangelii disciplinam regni legibus et populi moribus.

An. 638 Dagoberto I defuncto, successit in Neustriae et Burgundiae regnis Clodoveus II, filius eius. In Austrasia regnavit Sigibertus, frater Clodovei. Utriusque principis pietas et munificentia in sublevandis egenis et extruendis monasteriis commendantur. Anno 656 post obitum Sigiberti etiam regnum Austrasiae accepit Clodoveus; sed et hic eodem anno obiit. Tunc universum regnum Francicum obtigit Clotario III, filio quinquenni Clodovei, in cuius minori aetate regni administratio fuit apud Bathildem matrem, pietate, prudentia, caritate aliisque virtutibus insignem. An. 660 Austrasiis petentibus regem, qui soli Austrasiae imperaret, Bathildes iis dedit Childericum II, alterum suum filium et fratrem Clotarii. Sub Childerico maioratumdomus accepit Wulfoaldus. In regno Clotarii eadem dignitate potitus est Ebroinus, propter crudelitatem suam et perfidiam notissimus. Anno 665 Bathildes rerum publicarum regimine abdicato, secessit in monasterium Kalense, in quo an. 680 obiit vitae sanctitate et miraculorum gloria illustris. Ex quo tempore s. Bathildes saeculo nuncium remisit. Ebroinus maiordomus tyrannidem liberius exercuit, omniaque sacra et civica perturbavit, ut infra dicemus.

19. *Synodi Toletanae VII-X*—In Hispania an. 640 post mortem Chintilae regnum accepit Tulga, eius filius, quo post annum regiminis vel defuncto vel, ut alii dicunt, deposito, regnum capessivit Chindasuintus. Hic ad reprimendam procerum potentiam et ambitionem severitate usus est. Eadem de causa an. 646 episcopos ex universo regno convocavit Toletum, de his, quae ad religionem et rempublicam pertinebant, maturo consilio deliberaturos. In hac synodo, quae est Toletana VII, editi sunt 6 canones, quibus subscripserunt 28 episcopi et 11 aliorum legati. 1° Canone conspirantes in regis aut patriae perniciem perpetuo anathemate damnantur; 2° praecipitur, ut sacerdote, dum Sacrum celebrat, infirmitate correpto, alter coeptum sacrificium compleat; 5° monachi vagi, ignavi aut pravis moribus corriguntur [1]. Anno 652 defuncto Chindasuinto successit Recesuintus filius, iam ante a patre consors regni factus, regnavitque usque ad an. 672. Hic princeps anno 653 convocavit synodum Toletanam VIII cui interfuerunt 52 episcopi, 10 abbates, rex et plures proceres. Etenim hae Toletanae

[1] Baron. et Pagi, ad an. 655 — [2] Pag. 174.
[3] Bolland., *Acta SS.* 13 aug.; Combefis, *Operum s. Maximi*, t. I.
[4] Edidit F. Combefis, Paris. 1675, 2 vol. in-fol.

[1] Labbe, *Concil.* t. V, p. 1836.

synodi erant veluti regni comitia, in quibus non tantum de Religione, sed etiam de republica omnium communi consensu deliberabatur. Postquam rex oblato scripto fidem esset professus, patres etiam fidei professionem ediderunt. Deinde sanciti sunt 11 canones, in quibus praeter alia statutum, ut rex non conspiratione paucorum aut seditioso plebis tumultu, sed ab episcopis et proceribus eligeretur in urbe regia vel ubi decessor obiit; ut electus iuraret, se catholicam fidem a Iudaeorum et haereticorum iniuria esse defensurum, novaque vectigalia aut exactiones subditis non impositurum; ut simonia a sacris Ordinationibus arceretur, huiusque criminis rei deponerentur; ut incontinentes clerici, a subdiaconis et supra, poenis canonicis subderentur; ut sacris Ordinibus non initiarentur nisi quos morum innocentia et scientia commendabant [1]. An. 655 habita est synodus Toletana IX. Interfuerunt 16 episcopi, qui ediderunt 17 canones. Pertinent hi potissimum ad bonorum ecclesiasticorum administrationem et clericorum continentiam [2]. Sequente anno 20 episcopi convenerunt Toletum et sancierunt 7 canones, quorum 2° clerici aut monachi, qui sacramentum pro salute regis aut patriae praestitum violarint, honore suo exuuntur, concessa regi potestate canonicam hanc poenam moderandi; 5° viduae et virgines, quae votum suum violaverint, excommunicatione et ardua poenitentia plectuntur; 6° statutum est, ut infantes a parentibus religiosae vitae per tonsuram aut vestem monasticam devoti, manerent obedientiae iugo addicti; sed parentes tantum haberent potestatem devovendi filios suos religiosae vitae usque ad decimum aetatis annum [3].

Tunc temporis in Hispania sanctitatis laude floruerunt Eugenius episcopus Toletanus; Braulius Caesaraugustanus; Fructuosus ex abbate Complutensi episcopus Dumiensis, dein Bracarensis, qui monasticum institutum plurimum promovit, geminamque regulam pro monachis composuit; Ildephonsus s. Eugenii in sede Toletana successor, qui praeter alia scripsit Tractatum de illibata s. Mariae virginitate et appendicem seu continuationem libri s. Isidori Hispalensis, *de Scriptoribus ecclesiasticis* seu viris illustribus; Irene virgo Lusitana, quae ab insano amatore Britaldo, cuius nuptias contempserat, interfecta, virginitatis gloriam martyrii palma cumulavit.

20. *Religionis progressus in Anglia* — In Anglia religio christiana, quae iam in Cantii, Northumbriae, Estangliae et Westsaxiae regnis dominabatur, nova incrementa cepit. An. 652 Penda iunior, rex Middeanglorum, ad suscipiendam christianam Religionem excitatus ab Oswio rege Northumbriae, a s. Finano episcopo Lindisfarnensi baptizatus est, et pro subditorum suorum conversione sacerdotes arcessivit. His praedicantibus passim proceres et plebeii deorum cultum abiecerunt, baptismum postularunt et christianam fidem professi sunt. Anno 655 Oswius rex Northumbriae, debellato Penda seniore, saevissimo Merciorum rege, eiusque regno potitus, in primis curavit, ut Mercii ad Religionem christianam converterentur. Optime de eorum conversione meruit Diuma, primus illorum episcopus. Eiusdem Oswii hortatu Sigebertus rex Saxonum orientalium, quorum metropolis erat Londinum, deorum cultum abiecit, subditos ad christianam fidem revocavit opera s. Ceaddae, quem Finanus Lindisfarnensis consecravit episcopum Londinensem. Iam sub praecedentis saeculi exitum Saxones orientales sub Saberetho rege Fidem susceperant, ut vidimus, sed sub impiis eius filiis ad vitia et idololatriam relapsi, s. Mellitum episcopum Londinensem eiecerant [1]. Sic christianae Religionis professio ubique in novis Angliae regnis obtinuit. Supererat adhuc Sudsaxiae seu Saxonum australium conversio, quam anno 681 operatus est s. Wilfridus [2].

21. *Longobardorum conversio* — In Italia post obitum Rotharis (652) Longobardorum regno potitus est Rodoaldus filius, quo post aliquot menses interfecto, regnum delatum fuit Ariberto, qui usque ad an. 662 regnavit. Hic princeps fuit catholicus et pius, eoque regnante, Longobardorum ad fidem catholicam conversio, ad exitum saeculi praecedentis sub Theodelinda coepta, sed sub Rothari ariano remissa, rapidos progressus fecit. Ariberto mortuo, regnarunt simul duo filii eius, Bertharidis Mediolani et Gundebertus Ticini. Brevi post Grimoaldus dux Beneventanus, usus bello civili inter reges fratres exorto, Gundeberto occiso et Bertharidi in exilium pulso, regnum occupavit, tenuitque usque ad an. 671. Sub Grimoaldo, primum ariano deinde catholico,

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 394.
[2] *Ibid.* p. 451.
[3] *Ibid.* p. 459.

[1] Vid. p. 162-163.
[2] Beda, *Hist.* l. III.

Longobardorum conversio completa fuit, et ariana haeresis ubique intercidit [1].

22. *S. Vitalianus Pontifex* (*an.* 657) — Summum pontificatum tunc gerebat s. Vitalianus, Signiae in Campania natus, qui an. 657 s. Eugenio suffectus, sedit usque ad an. 672. Hic Pontifex Constantinopolim ad Constantem imperatorem et Constantinum filium imperii collegam legatos cum litteris misit, quibus electionem suam significavit, et Constantem a fovenda Monothelitarum secta revocare conatus est. Imperator ut se catholicum et cum R. Ecclesia communione iunctum fingeret, per eosdem legatos dono misit D. Petro librum Evangeliorum auro gemmisque ornatum; sed Monothelitarum partes minime reliquit. Idem Pontifex singularem sollicitudinem extendit ad ecclesias Angliae, ut infra videbimus. Ioannem episcopum Lappensem in insula Creta, contra sententiam Pauli metropolitae Cretensis, qui eum in provinciali synodo deposuerat, ad Apostolicam Sedem appellantem suscepit; cumque reperisset, Ioannem non fuisse legitime depositum, eum sedi suae restituit, et Paulum metropolitam Cretensem increpuit, quod canones in causa Ioannis violasset, eique se Romam conferendi potestatem negasset [2].

23. *Paulicianorum secta*—In Oriente dissensiones religiosae magis et magis augebantur novisque Mahometanorum, Nestorianorum, Eutychianorum et Monothelitarum doctrinis avita atque catholica dogmata obscurabantur. Praeterea quidam Paulus anno circiter 653 in Armenia exsuscitavit haeresim Manichaeorum, et Paulicianorum sectae fundamenta iecit. Pauliciani [3] cum antiquis Gnosticis et Manichaeis duo rerum principia admittebant; corpus humanum a principio malo, animam vero a bono procreatam docebant; vetus Testamentum reiiciebant; realem Christi incarnationem et passionem inficiabantur; Eucharistiam, Baptismum, matrimonium respuebant; ad dissimulandas suas doctrinas mendacium licitum asserebant; redarguuntur etiam reiecti matrimonii ac promiscuae libidinis. Magni inter Paulicianos nominis fuit Constantinus Armenius, qui, imperante Constantino Pogonato, sectae novam formam novumque robur indidit.

[1] Paul. diacon. seu Warnefrid, *De gest. Longobard.* l. IV.

[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 441-48.

[3] De Paulianistis, Samosatenianis quoque dictis, saec. III. sectatoribus, videsis p. 68.

Imperatores graeci Constantinus Pogonatus et Iustinianus II contra nefariam sectam severas leges sancierunt; ad has evadendas sectarii alii ex Armenia se contulerunt in terras vicinas, Arabibus subiectas, alii in Phrygiam, et Pisidiam profecti sunt, et tum hic, tum illic numerum suum auxerunt. Saeculo IX in ipso imperio sub Nicephoro (802-11) secure egerunt; sed sub eius successoribus rursum repressi, magno numero fugerunt in Armeniam secundam, Saracenis subiectam, et modo soli modo Arabibus iuncti, tetra bella Graecis intulerunt [1].

24. *Monothelismi fautores* — Quamvis in imperio graeco lites monothelitas inter et catholicos essent sopitae, serpebat tamen haeresis [2] in tenebris, eique iugiter favebant et addicti erant imperator Constans et patriarchae Cpni. An. 654, Paulo mortuo, patriarchatum Cp. rursum accepit Pyrrhus condemnatione et relapsu suo celebris, qui sequenti anno morte sublatus est. Tunc patriarcha creatus est Petrus, eadem haeresi infectus. Is, ut se cum R. Ecclesia communione coniunctum fingeret, ad Eugenium Pp. I epistolam synodicam sed admodum obscuram et ambagibus involutam dedit, quam Pontifex cum clero Romano merito reiecit.

Ex his ipsis artibus, quibus imperator et patriarchae se catholicos esse et cum R. Ecclesia communicare finxerunt, et ex invidia in quam Constans propter persecutionem in s. Martinum, s. Maximum, aliosque catholicae doctrinae defensores, apud cives Cp. incurrit, patet, haeresim parum inter populum fuisse propagatam.

Constans imperator Saracenorum bellis lacessitus, et Constantinopolitanis tum ob haeresim tum ob necem fratris sui Theodosii, quem ex invidia diaconum prius ordinari iusserat, deinde interfecit, invisus, mutandi sedem consilium iniit. Fratris imagine, quae sibi perpetuo obversabatur, perterritus, anno 662 relicta Constantinopoli Syracusas Siciliae petiit; at sceleris conscientia ubique eum cruciabat. Anno sequente Romam venit. Vitalianus Pp., ut imperatorem Ecclesiae benevolum redderet, eum perhonorifice excepit. Constans vero munificum et rapacem simul se exhibuit, multa basilicis obtulit, sed etiam multa Urbis ornamenta rapuit. Post dies 12 Siciliam repetiit, et Syracusis sedem constituit. Hic idem fuit ac Constantinopoli. Cum Longobardis

[1] Photius, *Contra Manichaeos* l. I; Petrus Siculus, *De ortu, progressu et occasu Manichaeorum*; Cedrenus, *Compend. Hist.* — [2] Vid. p. 169, 174.

adversa fortuna certavit: populos Siciliae, Sardiniae, aliosque tam dure vexavit, ut omnibus exosus an. 668 Syracusis in balneo necatus fuerit. Post eius mortem Ecclesiae et Catholicis omnibus spes pacis et concordiae refulsit. Etenim Constantinus Pogonatus, Constantis filius et successor, se haereticis infensum et erga R. Ecclesiam benevolum praestitit.

25. *Ecclesiae status in Anglia* — In Anglia christianae Religionis professio nova semper incrementa novumque splendorem capiebat. Scoti seu Hiberni, Britones, Anglo-Saxones passim, exceptis Saxonibus australibus, eamdem fidem catholicam sectabantur. Disceptabatur inter eos de ritu celebrandi Paschatis. Scoti cum Britonibus romanum et communem ecclesiarum morem sequebantur in hoc, quod Pascha celebrarent die Dominica: dissentiebant vero in eo, quod, dum luna XIV incidebat in Dominicam diem, hac ipsa die Pascha celebrarent, non vero Dominica proxima. Haec diversitas apud ipsos recens conversos Anglos, praesertim apud Northumbros obtinuit, quod varii sacerdotes Scoti ad illos adventassent. Quum autem disceptatio magis magisque augeretur, an. 664 synodus seu collatio de ea re habita est in monasterio, quod *Streaneshalch* seu *sinus Phari* dictum est. Colmanus episcopus Northumbrorum, genere Scotus, permulta dixit pro ritu Scotorum. At s. Wilfridus abbas, qui a teneris in Lindisfarnensi monasterio pietate et litteris institutus, dein in ipsa urbe Roma ritus ecclesiasticos perfectius didicerat, romanam et communem ecclesiarum disciplinam tam praeclare propugnavit, ut omnes ei assenserint, excepto Colmano, qui sedem suam relinquere et in Scotiam redire maluit [1].

Posthaec Oswius Northumbriae et Ecbertus Cantii reges, de episcoporum consilio Vighardum presbyterum cum donis et litteris Romam ad Vitalianum Pp. miserunt; rogaruntque Pontificem, ut pro utiliori ecclesiae Anglicanae regimine Vighardum archiepiscopum Cantuariensem et totius Angliae primatem instituere dignaretur.

Vitalianus redditis ad Oswium litteris, ei pietatem et felicem Anglicanae ecclesiae statum gratulatus est. Cumque Vighardus Romae morbo correptus obiisset, Pontifex an. 668 ecclesiae Cantuariensis archiepiscopum et totius Angliae primatem constituit Theodorum, monachum graecum, moribus integrum, ac divinis et humanis litteris tum latine tum graece institutum.

In locum autem Colmani Northumbrorum episcopus creatus fuit Tuda; quo eodem anno (664) defuncto, electus fuit s. Wilfridus. Sed cum hic in Galliam profectus, ut sacram Ordinationem perciperet, prolixiorem illic moram traheret, Oswius rex s. Ceaddam presbyterum, Northumbrorum episcopum ordinandum curavit. Wilfridus vero in Angliam redux, ecclesiae administrationem Ceaddae ultro reliquit, et in pristinum suum monasterium secessit usque ad annum 669, quo s. Ceadda ad Lichtfildensem ecclesiam apud Mercios translato, in Eboracensem sedem evectus fuit [1].

Theodorus Cantuariensis archiepiscopus et totius Angliae primas a s. Vitaliano constitutus, ordinandae disciplinae rebusque ecclesiae Anglicanae componendis adlaboravit. Anno 673 totius Angliae synodum celebravit Herudfordiae, in qua 10 capitula sancita sunt: 1° mandatum est, ut Pascha ubique celebraretur semper dominica die post lunam XIV mensis primi; 2° cautum est, ne ullus episcopus alterius parochiam invaderet; 3° ne episcopus inferret gravamina monasteriis; 5° ne clerici vagarentur extra dioecesim sine episcopi licentia; 6° ne episcopi vel clerici peregrini exercerent sacerdotale officium absque consensu episcopi loci; 10° ne quis coniugem dimitteret nisi fornicationis causa, ea lege tamen, ut alteram non duceret, sed continens permaneret vel cum uxore sua reconciliaretur [2].

26. *Ecclesiae status in Hispania et Gallia* — In Hispania an. 675 episcopi 17, vicarii 2 et abbates 6 convenerunt Toletum; et praemissa fidei professione, pro ordinanda disciplina condiderunt canones 16. His inter alia mandatur, ut singulae ecclesiae, etiam monasteria in officiis publicis, ordinem ac ritum metropolitanae ecclesiae sequantur; prohibetur, ne sacerdotes ferant sententiam capitalem aut membrorum mutilationes faciant; ne moribundis, si eos poeniteat, reconciliatio differatur [3]. Eodem anno episcopi 8 convenerunt Bracaram, in Lusitania, et capitula 10 condiderunt, quibus post fidei professionem quosdam abusus ad synodum delatos, correxerunt, puta, ne ss. Eucharistia vino madida populo porrigeretur, ne lac aut

---

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 491; Mabillon, Praef. ad *Acta Benedict.*

[1] Beda, *Hist.* l. III; Labbe, *Concil.* t. VI, p. 449.
[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 449, 491, 537; Beda, *Hist.* cit. l. V; Mabillon, Praef. ad *Act. Bened.*
[3] Ibid. p. 539.

uvae non expressae in sacrifitio offerrentur, sed panis tantum et calix vino et aqua mixtus [1].

Regnabat tunc temporis in Hispania Wamba, princeps genere et bellicae rei laude insignis, qui adversus perduelles Vascon feliciter pugnavit, Saracenorum classem, Hispanis metum afferentem, destruxit, et optimas leges ad instaurandam disciplinam militarem tulit.

In Gallia rerum publicarum prosperitas deperibat. Etenim post Dagoberti I obitum (638) plerisque regibus in puerili aetate ad solium evectis, maioresdomus sub specie administrationis palatii regnum ipsum administrarunt, et nudo regio nomine pueris principibus relicto, summam rerum et potestatem regalem occuparunt [2]. Sic sub Clotario III Ebroinus maiordomus in Neustriae et Burgundiae regnis omnia pro arbitrio gessit, res sacras et civiles perturbavit, ecclesiarum et magnatum bona occupavit, plures episcopos, sacerdotes et proceres exilio aut morte affici iussit, dignitates ecclesiasticas vendidit. Idem ipse, Clotario an. 670 defuncto, iuniorem Theodoricum III, Clotarii fratrem, regem creavit; at Neustriae et Burgundiae proceres, armis collectis et implorato auxilio Wulfoaldi maiorisdomus in Austrasia sub rege Childerico II, Ebroinum et Theodoricum deiectos tonsosque in monasterium detruserunt, et Childericum II totius Franciae regem salutarunt.

Childericus II rempublicam prudenter gubernavit quamdiu consiliis s. Leodegarii Augustodunensis usus est; sed ubi aulicorum consilio depravatus, sanctum episcopum relegavit, omnium odium subiit, et an. 673 a coniuratis occisus est.

Tunc Neustriae et Burgundiae regnum recepit Theodoricus III. Regnum Austrasiae obtinuit Dagobertus II. Ebroinus quoque monasterio egressus est, et recuperato maioratudomus, saevam tyrannidem exercuit, proceres ac episcopos in exilium misit, alios occidit, ecclesiarum thesauros diripuit, monasteria vastavit ac monachos et moniales pepulit, iamque, interfecto an. 679 Dagoberto II, toti Franciae tyrannidem illaturus videbatur, sed anno 681 et ipse necatus fuit.

Ebroini tyrannidem praeter alios experti sunt s. Leodegarius Augustodunensis, qui praecisa lingua in monasterium coniectus, dein neci traditus fuit [3], et s. Lambertus Traiectensis, qui annis 7 in coenobio Stabulai exulavit, intruso in eius locum Pharamundo [1].

27. *Adeodatus, Donus, Agatho, Pontifices*—An. 672, VI° kal. febr., s. Vitaliano Pp. ad aeternam vitam evocato, summum sacerdotium demandatum fuit X° kal. maias Adeodato, patria Romano et professione monacho, cuius affabilitatem et beneficentiam erga peregrinos commendat Anastasius. Obiit VI° kal. iulii an. 676.

Kalendis novembr. an. 676 Pontificatum excepit Donus, etiam Romanus. Sub hoc Pontifice Reparatus archiepiscopus Ravennatensis, denuo erga Apostolicam Sedem professus est obedientiam, quam Maurus, proximus eius decessor, exarchorum potentia fretus, escusserat. Brevis fuit pontificatus Doni, post annum unum cum dimidio defuncti.

In eius locum V° kal. iulii an. 678 suffectus est s. Agatho, natione siculus et professione monachus, qui sedit usque ad an. 682. Is virtutibus et meritis claruit; contra monotheliticam haeresim multum egit, ut infra videbimus; eius precibus Constantinus imperator, cognomine Pogonatus, remisit pecuniae summam, a Pontificibus recens electis pendi solitam ad obtinendam electionis confirmationem [2].

28. *S. Wilfridus vexatur* (*an.* 678)— Sub huius pontificatus initia Romam advenit s. Wilfridus, episcopus Eboracensis [3]. Etenim s. Ediltrudes, quam Ecfridus, ab an. 670 rex Northumbriae, uxorem duxerat, servata in coniugio virginitate et post multas preces accepto regis consensu, in monasterio sanctimonialium velamen e manu s. Wilfridi susceperat. Paulo post Ecfridus in sanctum praesulem iratus, et consiliis Ilmimburgae, quam post secessum s. Ediltrudis duxerat, excitatus, illum sede Eboracensi deiicere constituerat. Qua de causa Theodoro, archiepiscopo Cantuariensi et Angliae primati, persuasit, ut dioecesim Eboracensem scinderet novosque in ea episcopatus institueret. Restitit huic innovationi s. Wilfridus. Nihilominus Theodorus Cantuariensis, speciosis regis rationibus captus, in locum Wilfridi ordinavit Bosam Hagulstaldi pro Deiorum, Eadhedum pro Lindisfarnorum et Eatam Eboraci pro Berniciorum provincia. Interim

[1] Labbe, ibid., p. 561. — [2] Vid. p. 176.
[3] Cf Butler, *Vies des SS.* 2 oct.; Ghesquiere, *Acta SS. Belgii selecta*, t. IV, p. 40-107.

[1] Cf Boll. *Acta SS.* t. V sept. p. 518; Butler, ibid. 17 sept.
[2] P. de Marca, lib. VIII, *de Concord. sacerd.* c. 9, § 10, haec habet: « Constantinus post Concilium VI indulsit petitionibus Ioannis Episc. Portuen. ut libera esset Ecclesia Romana a solutione quantitatis, quae solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani ».
[3] Vid. p. 177.

Wilfridus Apostolicam Sedem appellavit, Romamque profectus est.

Ex Anglia solvens venit in Frisiam, ubi a rege Algiso bene exceptus, hiemem exegit. Frisiis adhuc ethnicis tanto cum successu Evangelium praedicavit, ut plerosque viros principes et magnum vulgi numerum baptizarit. Quum pervenisset Romam, s. Agatho Pp. an. 679 synodum 50 episcoporum et presbyterorum coegit, in qua s. Wilfridi causa discussa, is in sedem suam restitutus, et alia nonnulla pro recta ecclesiarum in Anglia administratione constituta sunt[1]. Verumtamen s. Wilfridus in Angliam redux, sedem suam non recepit, quippe quod adversarii eius regi persuaserant, Romanae synodi iudicium fuisse pecunia extortum. Quapropter sanctus praesul divertit ad Saxones australes, adhuc paganis ritibus implicatos; ab eorum rege Edilvachio, qui paulo ante baptismum susceperat, optime exceptus, Evangelium libere annuntiavit, signisque sermonem confirmans, australium Saxonum gentem ad christianam religionem convertit.

Sic religio christiana hoc saeculo in tota Angliae heptarchia suscepta fuit floruitque.

Interim Ecfridus Northumbriae rex obiit, eique successit Alcfridus, sub quo an. 686 s. Wilfridus Eboracensi ecclesiae redditus fuit. Ipse Theodorus Cantuariensis litteras pro Wilfridi restitutione ad regem dederat, et eorum, quae in sanctum praesulem antea egerat, veniam deprecatus est[2].

29. *Constantinus Pogonatus imperator Orientis* — In Oriente, interfecto an. 668 Constante, imperium obtinuit Constantinus filius, cognomine Pogonatus. Hic religione moribusque a patre diversus, nihil magis cordi habebat, quam ut sublatis dissidiis, a Monothelitis excitatis, pacem Ecclesiae redderet; sed Saracenorum et Bulgarorum bellis praepeditus, differre coactus est quod maxime habebat in votis. Tandem Saraceni tum Graecorum tum Maronitarum, qui montem Libanum incolebant, armis lacessiti, pacem cum imperatore pepigerunt. Duriori lege Constantinus coactus fuit ad componendum bellum cum Bulgaris, qui torrentis instar ex Sarmatiae finibus in Thraciam irruebant, urbes et oppida diruentes; iis enim praeter annuum tributum concessit Mysiam in Asia, postea Bulgariam dictam.

30. *Concilium Cp. III, generale VI (an. 680)* — Tunc Constantinus imperator animum applicavit componendis rebus ecclesiasticis. In hunc finem an. 678 litteras scripsit ad Donum Pp., postulans, ut Pontifex aliquot viros eruditos et necessaria auctoritate munitos, Constantinopolim dirigeret, qui eum eiusque synodum repraesentantes, una cum episcopis Orientalibus dissidia, e litibus monotheliticis inter Apostolicam Sedem et ecclesias Orientales exorta, componerent. Priusquam illae litterae Romam essent adlatae, obierat Donus Pp. — Agatho eius successor, pia Constantini imperatoris vota cum Occidentalibus episcopis communicavit, eorumque sententias in hoc negotio postulavit. Confestim in Italia, Gallia et Anglia episcopi convenerunt, et de condemnanda haeresi monothelitica consentientes, suos legatos ad Romanam synodum miserunt. Agatho Pp. an. 679 Romae synodum coegit 125 episcoporum, in qua omnes consenserunt de condemnando errore monothelitico, de exponenda doctrina catholica et mittendis Constantinopolim legatis. Selecti fuerunt Theodorus et Georgius presbyteri cum Ioanne diacono, qui Agathonis Pp., et Ioannes episcopus Portuensis, Abundantius Paternensis et Ioannes Regiensis, qui Romanae synodi vicibus fungerentur. Datae fuerunt legatis duae epistolae ad Constantinum imperatorem eiusque fratres augustos, Heraclium et Tiberium; illarum prior nomine Agathonis Pp., altera eiusdem Pontificis et Romanae synodi nomine scripta erat. In utraque epistola doctrina de duabus Christi voluntatibus et operationibus exponebatur, et e S. Scripturae Patrumque testimoniis probabatur: error vero ei oppositus confutabatur; deinde imperator interpellabatur, ut eidem doctrinae, de qua omnes Occidentis ecclesiae consentiebant, in omnibus Orientis ecclesiis stabiliendae et extirpandis erroribus operam daret[1].

Legati Constantinopolim pervenerunt IV° idus sept. an. 680. Eadem die imperator mandavit Georgio patriarchae Cpno, ut subiectos sibi metropolitas et episcopos in urbe congregaret, idemque mandatum significaret Macario patriarchae Antiocheno, tunc Constantinopoli agenti. Concilium inchoatum est VII° idus novembris an. 680 et 18 actionibus absolutum XVI° kal. octobr. 681. Numerus episcoporum, qui ei interfuerunt, haud certus est, alii 289, alii 170 aut 150 numerant, subscriptiones vero 166 exhibent. Inter illos erant patriarchae Cp. et Antiochenus, Ale-

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 579.
[2] Beda, *Hist.* l. IV; Eddi Stephani, *Vita s. Wilfridi*, apud Mabillon, *Saec. IV Benedictin.*

[1] Labbe, t. VI, p. 576-677.

xandrini et Hierosolymitani legati. Praesederunt legati Agathonis Pp., ut ex universis concilii actis manifestum est. Causam Monothelitarum in primis gessit Macarius patriarcha Antiochenus, sed, cum doctrinam de una Christi voluntate e Patrum et praecedentium conciliorum testimoniis probandam suscepisset, eorum effata aut corrupisse aut iniuste applicasse a legatis Pontificis convictus fuit. Iidem legati exhibuerunt collectionem genuinorum locorum Patrum, quibus doctrina de duabus Christi voluntatibus et operationibus probabatur. Praelectae etiam sunt litterae Agathonis Pp. et synodi Romanae. Quibus omnibus permotus Georgius Cp., se doctrinam de duabus Christi voluntatibus et operationibus amplecti professus est. Eius exemplum caeteri episcopi imitati sunt. Macarius vero Antiochenus in errore pertinax, depositus fuit, et in locum eius suffectus Theophanes abbas. Deinde actum est de haereseos auctoribus et fautoribus eorumque scriptis, et tum haec tum illi damnati, nominatim Sergius, Pyrrhus, Paulus et Petrus, quondam episcopi Cpni, Cyrus Alexandrinus, Theodorus Pharanitanus, Macarius Antiochenus eiusque discipulus Stephanus, et cum illis Honorius Pp. [1]. Postremo, damnata haeresi, secundum Agathonis Pp. et Romanae synodi litteras definitum fuit, esse « duas naturales voluntates in eo [Christo] et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adaeque praedicandas; et duas naturales voluntates non contrarias, absit, iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem eius humanam voluntatem, et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati ». Ita Orientales episcopi cum Occidentalibus in eamdem Fidei definitionem consenserunt.

His absolutis Patres synodicam relationem ad Agathonem miserunt, quam pro obtinenda Concilii confirmatione his verbis concludunt: « Tibi, ut primae Sedis antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus... Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus; quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, Vestram oramus paternam Sanctitatem ». Imperator, postulantibus episcopis, edicto suo Concilii decreta ubique observanda iussit, poenasque in transgressores sancivit. Agatho Pp. concilium confirmare morte impeditus est; sed Leo II, eius successor, illud confirmavit et aliis quinque oecumenicis conciliis digne connumerari, tanquam una et aequali Dei gratia congregatum, decrevit, ut constat ex eius epistolis ad imperatorem Constantinum, ad regem Ervigium et episcopos Hispaniae [1].

Quis fuerit deinde Monothelitarum status, infra dicemus.

31. *S. Leo II Pontifex* (*an.* 682)—Defuncto IV° idus ianuar. an. 682 s. Agathone Pp., sedes vacavit 7 mensibus, post quos electus fuit Leo II, siculus, vir sanctitate vitae, eloquentia ac Divinarum Scripturarum peritia clarus, graece et latine doctus, sibi parcus et de aliorum sublevanda inopia sollicitus. Ab eo concilium generale VI confirmatum fuisse diximus. Ad coelum migravit V° nonas iulii an. 683.

32. *Synodi Toletanae XII, XIII et XIV* — In Hispania rex Wamba artibus Ervigii solio deiectus, reliquum vitae in monasterio traduxit. Ervigius regnum consecutus, anno 681 episcopos et proceres ex omni ditione Toletum convocavit. Illic praeter alia Ervigii electio confirmata est; iis qui in extremis tonsuram et religionis habitum acceperint, eumdem postea abiicere et ad saeculum redire prohibitum, et archiepiscopo Toletano ius concessum ordinandi ubique episcopos, quos rex nominarit [2].

Eiusdem regis evocatione, an. 683, Toletum convenerunt episcopi 38, episcoporum vicarii 26, pluresque abbates et proceres. In hac synodo vectigalia regia diminuta et fisco debita condonata sunt; reginis viduis secundae nuptiae prohibitae; quique clericos alienos et monachos fugitivos exceperint, excommunicationi vel annuae poenitentiae subditi [3].

Absoluta hac synodo ad regem et episcopos perlatae sunt litterae Leonis II cum Actis concilii VI. Ideo anno sequente altera coacta fuit synodus, in qua concilii VI decreta recepta sunt [4].

Praesedit his tribus synodis Iulianus archiepiscopus Toletanus, vir vitae sanctitate

[1] Qua autem de causa Honorius I in actis huius Concilii damnatus legatur, diximus p. 170-171.

[1] Labbe, t. VI, p. 587 sq. Ea vero, quae Natalis Alexander, *Hist. eccl.* Diss. IV in saec. XV-XVI, n. 25, et Bossuet, *Defens. declarat.* part. II, l. 12, c. 24, e Concilii VI actis opposuerunt R. Pontificis infallibilitati et supra concilium generale auctóritati, refutarunt Roncaglia, *Animadvers. in Natal. Alex. saec. VII*, Diss. 1, et Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, p. 202, sq.

[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1221.

[3] Ibid p. 1255.

[4] Ibid. p. 1279.

et eruditione celebris, qui, inter alia quae scripsit opera, librum de rebus gestis regis Wambae condidit [1].

33. *Benedictus II, Ioannes V, Conon, Sergius I, Pontifices* — S. Leoni II post 10 pontificatus menses defuncto, subrogatus fuit s. Benedictus II, Romanus, VI° kal. iul. 684. Hunc Pontificem tanti fecit Constantinus imperator, ut ei tanquam parenti filios suos Iustinianum et Heraclium commendarit, et, quemadmodum iam s. Agathoni condonarat pecuniam a Pontificibus modo electis pro electionis confirmatione pendi solitam, s. Benedicto gratia concessit [2], ut Pontificis electi consecratio sine mora perageretur, nec expectaretur imperatoris assensus [3]; —quod locum habuit in electione Ioannis.

Brevis fuit s. Benedicti pontificatus, qui post menses 10 ad meliorem vitam transiit [4]. Eius successor Ioannes V, X° kal. aug. 685, pontifex creatus fuit et sedit anno 1 et diebus 9 [5]. Fuit is natione Syrus, patria Antiochenus, et ab Agathone ad synodum Oecumenicam VI Legati munere missus fuerat. Commendantur eius pietas, eruditio et in rebus gerendis prudentia. Diutino morbo laborato, ineunte mense augusto an. 686, supremum diem obiit.

Post obitum Ioannis V vacavit Apostolica Sedes mensibus fere 3 ob contentionem de successore ortam. Clerus enim suffragabatur Petro archipresbytero, populus vero Theodoro presbytero. Demum pacis studio a clero electus fuit Conon, genere Trax, in Sicilia educatus, et R. Eccl. presbyter. Vir aetate, moribus et eruditione spectatissimus, cuius electioni post dies paucos etiam altera pars assensit [6]. Is mensibus tantum 11 Ecclesiae regimen gessit, et post eius obitum rursus in populo lis orta est, aliis summum sacerdotium Theodoro presbytero, aliis Paschali archidiacono deferendum petentibus. Ut autem schismati obviam iretur, cleri et procerum consensione electus fuit Sergius I, genere Antiochenus, sed Panormi in Sicilia educatus [1], qui an. 687, XVIII° kal. ian. Pontifex inauguratus est. Is Iustiniani minis restitit; Episcopor Hispan. explanationes a Benedicto II reclamatas comprobavit, et schismati Istriensi finem posuit, ut suis locis videbimus. Instituit pariter, tempore confractionis Dominici corporis, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, a clero et populo caneretur [2].

34. *Scriptores Ecclesiastici*—Eruditionis laude, praeter iam commendatos ss. Isidorum episcopum Hispalensem, Fructuosum Bracarensem, Ildephonsum Toletanum, Sophronium Hierosolymitanum [3], hoc saeculo floruerunt sequentes: S. Maximus, cuius gesta supra retulimus [4], reliquit plura opera, inter quae praecipua diximus esse Commentaria mystico allegorica in plures s. Scripturae li-

---

[1] Extat in *Bibl. PP.* Lugdun, t. XII.

[2] Vid. p. 180.

[3] Anast. in *Vit. s. Benedicti II*, et *Ioannis V*. Quum tamen postea Cononis electio missa fuerit ad exarchum Theodorum, observat Petrus de Marca (*De concord.* l. VIII, c. 9), vel Iustinianum II decretum patris neglexisse, vel electionem semper confirmandam fuisse ab exarchis, ita ut, libertati fuissent Romani ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxii fuissent exarchorum examini. Ast Baronius (ad an. 686, § 3) scribit: « *Tunc* enim *tantum coepta* vel *innovata ea est consuetudo*, ut non crearetur Pontifex absque exarchi consensu, dum scilicet per militares copias ipse faceret, ut non alius, quam qui sibi cordi esset, Romanus Pontifex crearetur ».

[4] Butler, *Vies des SS.* 26 iuin.

[5] « Is, inexpectata Cpni Imperatoris auctoritate, in Romanum Pontificem consecratus est » scribit Binius, ap. Labbé t. VI *Concil.*, p. 1286.

[6] Baron. et Pagi, ad an. 686. De Cononis electione haec commemorat Anastasius: eum nempe a sacerdotibus et Clero unanimiter apud Lateranum electum fuisse; mox omnes iudices una cum primatibus exercitus, ad eius salutationem venientes, in eius laudes acclamasse. Exercitum vero Cleri et populi unanimitate perspectas electioni factae consensisse, atque eius decreto cum iisdem subscripsisse: deinde una cum Clero et populo missos suos ad exarchum direxisse. Ex quo infert Mabillonius (*Comment. in Ord. Rom.* c. 18, t. 2, *Musaei Italici*), quod electio primo fiebat per Clerum, deinde salutatio et acclamatio per Iudices et Primates; sequebatur consensus exercitus: omnium denique subscriptio in Decreto, quod ad exarchum mittebatur. Quaenam fuerit novo Pontifici facta salutatio elucet ex Valentini electione in Palatio Lateranensi impleta. Electus condignis gloriae laudibus et honoris amplitudine ad Lateranense Patriarchium deductus fuit, et in Pontificali throno eius pedes omnis Romanorum Senatus osculatus est; quod etiam in Leone IV servatum iuxta morem antiquum.

[1] Baron. ad an. 687.

[2] Walfridus Strabo, *de rebus Eccl.* c.22, in *Biblioth. Patr.* t. XV inquit: « Agnus Dei in confractione Corporis Domini a Clero et populo decantari Sergius constituit, ut dum praeparatur ad dispensandum Corpus Dominicum rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus est innocens, faciat eos salubriter pignora salutis aeternae percipere ».—Bona, *Rer. liturgic.* l. II, c. 16, § 5, advertit: « Sergius quidem instituit ter dici *Miserere nobis*, sed multis postea ingruentibus Ecclesiae adversitatibus, ut ait Innocentius (l. VI *De Mysteriis Missae* c. 6), sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit, ut in tertio diceretur *Dona nobis pacem;* qui ritus ubique receptus est, excepta Basilica Lateranensi, in qua servari visa est antiqua forma dicendi ter *Miserere nobis.* In antiquis Missalibus ante annum millesimum scriptis haec oratio tertio reperitur cum clausula: *Miserere nobis;* ex quo apparet praedictam mutationem post eum annum contigisse ».

[3] Vide p. 165, 170, 177. Opera Sophronii ediderunt Card. Mai in *Script. veter. collect.* t. III, p. 202, et Migne, *Patrol. graec.* t. LXXVII.

[4] Vide p. 176.

bros, tractatus polemici contra Monothelitas et libri ascetici. Paterius discipulus s. Gregorii M., explanavit difficiliora s. Scripturae loca. S. Iulianus ep. Toletanus, iam laudatus, eruditione ac sanctitate celebris, scripsit commentarium in Nahum prophetam, libros 2 Pugnantium in specie utriusque Testamenti locorum, libros 3 de Demonstratione sextae aetatis contra Iudaeos, et Prognosticorum libros 3, sive de origine mortis humanae, de futuro saeculo et de futurae vitae contemplatione [1]. S. Theodorus, archiepiscopus Cantuariensis, cuius extat liber Poenitentialis, seu summa canonum graeco-latinorum de poenitentia, opus, sicuti modo est, secundum multorum peritorum iudicium interpolatum [2]. Cresconius, episcopus Africanus, concinnavit Breviarium et Concordiam seu librum canonum [3]. Marculfus, monachus Parisiensis, collegit 2 libros Formularum antiquarum, ad Francicas et Germanicas antiquitates illustrandas valde utiles [4].

35. *Pipinus Heristallus* — In Gallia, exstincto an. 681 Ebroino tyranno, res publicas meliorem in statum restituit Pipinus Heristallus. Neustriae atque Burgundiae rex tunc temporis erat Theodoricus III. Austrasii a morte Dagoberti II (679) rege carebant; eorum dux vel rex, si titulum demas, fuit Pipinus, qui an. 687 de Theodorico III seu potius de Berthari Neustriae et Burgundiae maioredomus relata insigni victoria, in universa ditione Francica maioratudomus potitus est. Theodorico an. 691 defuncto successit Clodoveus III filius. Hunc anno 695 excepit Childebertus III, eius frater, qui regnavit usque ad an. 711. Omnes isti principes solo regis titulo gaudebant, nam summa rerum administratio erat apud Pipinum, qui eas usque ad annum 714 moderatus est. Hic interiorem regni statum, Ebroini tyrannide perturbatum, restituit, episcopos ab eo expulsos ecclesiis reddidit, intrusosque eiecit, contra Germanos bellum fortiter gessit.

36. *S. Lambertus et alii Sancti* — Tunc praeter alios ad sedem suam rediit s. Lambertus Traiectensis, qui primo laxatam exilio suo disciplinam ecclesiasticam reformavit; dein ad Taxandros seu Campiniae incolas, Brabantos eisque finitimos populos digressus, eos continua praedicatione et admirabili patientia ad fidem Christi convertit. Anno autem 709 diu optatum martyrium Legiae seu Leodii passus est, a Dodone eiusque consortibus hasta transfixus, quod Pipinum ad abiiciendam Alpaidem, Dodonis sororem, et ad recipiendam Plectrudem, legitimam coniugem, compelleret [1].

Cum s. Lamberto vitae sanctitate floruerunt s. Ansbertus e monacho Fontanellensi archiepiscopus Rothomagensis, s. Amatus episcopus Senonensis, aliique.

37. *Synodi in Hispania et Anglia* — In Hispania defuncto an. 687 Ervigio, regnavit Egica usque ad an. 701. Eo imperante celebratae sunt synodi, quae sequuntur: Toletana XV an. 688, in qua explanatione quarumdam vocum, quibus Hispani episcopi in litteris ad Benedictum II, hunc Pontificem offenderant, Sergio I satisfecerunt [2]; Caesaraugustana III an. 691, in qua conditi sunt canones 5, praecipientes inter alia, ut ecclesiae consecrarentur diebus dominicis, et ut episcopi tempus celebrandi Paschatis a suo metropolitano inquirerent [3]; Toletana XVI an. 693, in qua praemissa Fidei professione, disciplina instaurata fuit canonibus [4]; Toletana XVII an. 694, in qua 8 canones editi sunt [5].

Ex harum synodorum, presertim Toletanae XVI, actis colligere est, quantopere sincera pietas et disciplina moralis in populo atque in magna parte procerum et cleri praesertim secundi ordinis deferbuissent.

In Anglia sanctitatis fama claruerunt episcopi, qui sequuntur: S. Theodorus Cantuariensis, qui reliquit *Poenitentiale*, ab eruditis habitum uti interpolatum; s. Cutbertus Lindisfarnensis; s. Wilfridus Eboracensis; s. Hedda Wintoniensis; s. Erconvaldus Londinensis. Inter reges etiam fuerunt nonnulli, sincera pietate conspicui, qui episcopis opem tulerunt ad promovendum Religionis splendorem. An. 692 Ina rex Saxonum occidentalium ex episcoporum, senatorum et sapientum regni sui consilio varias leges, reipublicae et Religioni utiles, sancivit [6]. An. 694 Berthwaldus, archiepiscopus Cantuarensis, cum Tobia episcopo Roffensi, pluribusque presbyteris, diaconis, abbatibus, et abbatissis convenit Becanceldum. Assederunt etiam Withredus rex Cantii, duces et satrapae. In hoc conventu

[1] *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XII; Migne, *Patrol. latin.* t. XCIX.
[2] Edidit I. Petit, Paris 1677, 2 vol. in-4°.
[3] Ediderunt Voellus et Iustellus, *Biblioth. Iur. can.* t. I; Migne, loc. cit. t. LXXXVIII.
[4] Apud Baluz. *Capitularia reg. Francor.* t. II; Migne, loc. cit. t. LXXXVII.

[1] Bolland., *Acta SS.* t. V sept. p. 518.
[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1291.
[3] Ibid. p. 1312.
[4] Ibid. p. 1327.
[5] Ibid. p. 1361. — [6] Labbe, loc. cit. p. 1324.

Withredus rex edictum sancivit pro ecclesiastica immunitate, in quo inter alia statuit, ut nemo umquam usurpare auderet res ecclesiae aut monasterio a regibus in perpetuum traditas; ut episcopus, abbas aut abbatissa non eligerentur absque consensu archiepiscopi; et ecclesiae liberae essent ab omni saeculari servitute, debito ac pensione regalium tributorum [1].

Similis conventus coactus fuit an. 697 Bergamstedae, in quo praeside eodem Berthwaldo, adstantibus Gubmundo episcopo Roffensi aliisque ecclesiastici ac civilis ordinis viris, plura statuta sunt pro ecclesiarum libertate regisque salute [2].

38. *Iustinianus II imperator Graecus*— In Oriente defuncto anno 685 Constantino imperatori successit Iustinianus II, eius filius, cognomine Rhinotmetus. Hic princeps imprudentissimus omnia, quae a patre de pace ac reliqua reipublicae ordinatione constituta fuerant, subvertit, totumque imperium in maximum discrimen adduxit. Pacem cum Saracenis composuit, imperio valde probrosam ac perniciosam, qua Maronitarum 12,000 e monte Libano detraxit, sicque aeneum murum, quo retinebantur Saraceni, destruxit. Concordiam cum Bulgaris a patre initam disrupit, primo certamine eos superavit, sed dein gravem ab eisdem cladem passus est. Slavorum auxilio fretus, anno 691 Saracenis bellum intulit, sed Slavi ad hostium partes transierunt, et imperatoris copiae turpiter fugatae sunt. Ex eo tempore Saraceni Armeniam occuparunt, finesque imperii impune vastarunt. Iustinianus avaritia sua et saevitia omnium odium in se excitavit, et anno 695 a Leontio deiectus nasoque mutilatus, unde Rhinotmetus appellatus est, in Chersonesum relegatus fuit. Eo amoto imperium arripuit Leontius, qui imperavit usque ad annum 698, adversus Saracenos, omnem Africam subiugantes, ingentem classem instruxit; sed Graecorum copiae, a Saracenis reiectae, a Leontio defecerunt, et Absimarum Tiberium imperatorem salutarunt. Leontius autem, etiam naso mutilatus, custodiae traditus fuit. Anno 705 Iustinianus, occiso Absimaro Tiberio, imperium recuperavit.

39. *Synodus Cp. Trullana seu Quinisexta* (*an.* 692) — Iustinianus imperator eadem, qua ante levitate turbas excitavit. Eo quippe auctore, an. 692, Constantinopoli episcopi Graeci synodum celebrarunt, quae turbis gravibus causam praebuit. Dicta est synodus *Trullana* a loco palatii *Trullo*, in quo habita fuit. Incertus est numerus episcoporum, qui huic synodo interfuerunt. Secundum Balsamonem et Zonaram 217 episcopi, in subscriptionibus vero numerantur 211. Praesedit Paulus patriarcha Cp. — Editi sunt 202 canones, inter quos plures reperiuntur laude digni et ad morum reformationem perutiles; sed habentur etiam nonnulli, qui ecclesiasticam disciplinam perturbant, catholicam doctrinam offendunt et Apostolicae Sedis sacra iura laedunt. Tales sunt canones qui sequuntur: 2^s, quo 85 canones, dicti Apostolorum, decernuntur observandi; 13^s, quo subdiaconis, diaconis et presbyteris permittitur usus uxorum, quas ante Ordines sacros duxerint, contra avitam ipsius ecclesiae Graecae disciplinam [1]; 16^s, quo primis 7 diaconis, de quibus in *Actis* fit sermo, non sacrorum, sed sola mensarum administratio tribuitur; 36^s, quo patriarchae Cp. confirmantur aequalia privilegia cum Romano; 55^s, quo usus Romanae Ecclesiae ieiunandi diebus sabbati in quadragesima reprobatur, iisque diebus, excepto sabbato sancto, ieiunium cunctis interdicitur, clericis sub depositionis, laicis sub excommunicationis poena; 67^s, quo severe praecipitur abstinentia a sanguine et suffocato veluti ex Divinae Scripturae mandato obligans; 82^s, quo prohibetur, ne Christus Salvator pingatur in imagine agni [2].

His canonibus subscripserunt primo loco Iustinianus imperator, post eum 4 patriarchae orientales, aliique episcopi, omnes Graeci. Teste Anastasio bibliothecario etiam legati Sedis Apost. interfuerunt huic synodo, et decepti subscripserunt [3]; verum eorum subscriptiones inter caeteras minime reperiuntur; solus Basilius Gortynensis subscripsisse legitur tamquam locum tenens totius synodi s. Ecclesiae Romanae. De eo itaque vel de apocrisiariis Sedis Apostolicae apud imperatorem intelligendum est, quod scripsit Anastasius. Inde tamen nihil quidquam roboris accepit ista synodus, quum neque Basilius, etsi Apostolicae Sedis in insula Creta vicarius, neque ipsi apocrisiarii ullo mandato aut delegatione a Sergio Pp. fuerint instructi, ut concilio adessent [4].

---

[1] Labbe, *loc. cit.* p. 1356.
[2] Ibid. p. 1377.

---

[1] Cf supra, p. 77.
[2] Labbe, loc. cit. p. 1124.
[3] *Vitae RR. PP.* in *Sergio I.*
[4] Baronius, ad an. 692; Binius, apud Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1124 et 1316; Petrus de Marca, *Concord. sacerd. et imper.* l. V, c. 18.

Venerabilis Beda concilium Trullanum appellat Erraticum [1], Balsamon vero [2] et alii Graeci illud appellant Quinisextum, seu appendicem et supplementum conciliorum V et VI, in quibus nulli canones de disciplina fuerant editi, eique attribuunt auctoritatem oecumenicam. Verumtamen concilium istud a solis Graecis fuit celebratum, Romanus Pontifex neque illud convocavit, neque ei per se vel per legatos suos praesedit, nec umquam ab Ecclesia susceptum est. Contra, quum Iustinianus synodi canones ad Sergium Pp. transmisisset ab eo confirmandos, Pontifex invicta constantia restitit, canones istos abiecit, et mori potius quam eos confirmare elegit [3]. Imperator ira percitus, Zachariam protospatarium Romam misit, ut Sergium Constantinopolim perduceret. Sed militia Ravennatis et ducatus Pentapolitani pro defensione Pontificis arma sumpsit, Romam accurrit, et Zachariam cum contumelia urbe pepulit [4].

Postea Constantinus et Hadrianus, RR. PP., eos solos e Trullanis canonibus pro ecclesia Graeca probarunt seu tolerarunt, qui ecclesiasticis regulis non adversabantur [5].

40. *Saraceni in Africa* — Mahometanorum armorum progressu, anno 698 Saraceni, uti diximus [6], iamdiu Carthaginem omnemque Africam usque ad Oceanum atlanticum occupabant. Quapropter religio christiana in Africa, in qua olim tantopere floruerat, deperire coepit. Cum ea etiam vidimus ibi deperiissent litterarum, scientiarum, bonarumque artium studia et cultura. Attamen ista Religionis detrimenta resarcivit divina providentia novorum populorum ad eam accessionibus in Germania.

41. *Fidei propagatio in Helvetia eiusque incrementa in Germania* — Hoc et sequenti saeculo religio christiana ingentia incrementa cepit in Germania opera piorum missionariorum, qui dilatandi in terris regnum Christi et promovendi salutem animarum studio ducti, labores improbos et adversa quaeque subire erant parati. Iam a II et III saeculo christiana fides perlata fuerat in regiones circa Danubium, in Helvetiam, in Noricum, in Rhetiam, in terras Rheno finitimas; sed barbarorum invasionibus ecclesiae ac civitates illic magna ex parte corruerant.

In Helvetia ab antiquo tempore episcopalis sedes erecta fuerat Vindonissae, quam anno 517 occupabat Bubulcus, ut constat e subscriptionibus synodi Epaonensis, eo anno habitae. Circa medium saeculi VI Maximus episcopus Vindonissensis, sedem suam transtulit Constantiam. S. Columbanus, Luxoviensis in Gallia coenobii fundator [1], an. 609 a Theodorico Burgundiae rege eiusque avia Brunichilde e monasterio suo pulsus, venit in Helvetiam, et annis 3 Evangelium praedicavit infidelibus apud lacum Tigurinum (*Zurich*) et Brigantinum (*Bregentz*), multosque convertit. S. Gallus D. Columbani discipulus et socius, post magistri sui in Italiam discessum, celebris monasterii, quod ab eius nomine appellatum est, fundamenta posuit ad lacum Acronium, in dioecesi Constantiensi, magnoque cum fervore incolis feris sed iam aliqua ex parte christianis Evangelium praedicavit. Mortuo Gaudentio, episcopo Constantiensi, oblatum sibi episcopatum ex humilitate recusavit, et ad eum promotus fuit Ioannes, eius discipulus, Obiit sanctus abbas Gallus an. 646 [2].

In Bavaria — In antiquo Norico, praesertim in regionibus Viennae et Passoviae finitimis, saeculo V, ut vidimus, Evangelium maximo cum successu praedicavit s. Severinus [3]. Deinde ecclesiae cum sedibus episcopalibus excitatae sunt Iuvaviae nunc Salisburgi, Regini nunc Ratisbonae, Quintanae nunc Passoviae, sed novis barbarorum invasionibus corruerunt [4]. Circa finem saeculi VI Garibaldus, dux Baioariae seu Bavariae, christianam fidem profitebatur [5]. Anno circiter 617 s. Eustasius, s. Columbani in regimine Luxoviensis monasterii successor, fidem christianam praedicavit inter Baioarios, magna parte ritibus ethnicis vel photiniana seu ariana haeresi infectos [6]. Quod is inceperat, maiori cum fructu prosecutus est s. Emmeranus, Pictaviensis vel alterius ecclesiae in Gallia episcopus, qui circa medium huius saeculi ad convertendos Avares Pannoniae profectus, in Bavaria, postulante Theodone duce, substitit, Ratisbonae aliisque in locis Fidem apostolico ardore praedicavit, ingentem numerum ad eam con-

[1] *De sex aetatibus mundi*, p. 116.
[2] *Commentar. Nomocanonis.*
[3] Anast. in *Vita Sergii I.*
[4] Anast., ibid.
[5] Baron. ad an. 692; C. Lupus, *Diss. de synodo Trull.* t. III; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, p. I, c. 14.
[6] Pag. 174.

[1] Vid. supra p. 162.
[2] Walfrid. Strabo, *Vita s. Galli*; Mabillon, *Acta Benedict.* t. II, p. 230.
[3] Vide p. 136.
[4] Hansiz, *Germania sacra.*
[5] Pagi, *Critica*, ad. an. 556.
[6] Bolland. *Acta SS.* 29 mart.

vertit, et post triennium, anno nempe 652, martyr occubuit [1]. Anno 696 Emmerani vestigia prosecutus est s. Rupertus episcopus Wormatiensis, qui a Theodone II duce evocatus, in Bavariam profectus est, ipsum ducem totamque eius familiam baptizavit, maximo cum fructu superstitionis ethnicae et haereseos reliquias debellavit, exstructis e veteris Iuvaviae ruderibus ecclesia atque monasterio virginum, episcopatus et civitatis Salisburgensis fundamenta posuit, obiitque secundum alios an. 718, secundum alios aliquot annis post [2]. Defuncto s. Ruperto, apostolica missione in Bavaria functus est s. Corbinianus, Carnotensis monachus, qui ad extirpandum e Bavaria ethnicismum et stabiliendam in ea fidem christianam plurimum contulit, uti mox dicemus.

In Franconia—In Franconia, seu Francia orientali, Fidem praedicavit s. Kilianus, natione Hibernus et professione monachus; qui propagandi Evangelii studio flagrans, cum Kolomanno presbytero et Totmanno diacono ex Hibernia venit in regionem Herbipolensem seu Wirceburgensem, ubi regnabat Gosbertus dux, qui una cum subdito sibi populo idola colebat. Kilianus cum sociis Romam profectus est, ubi a Conone Pp. praedicandi Evangelium inter Francos orientales potestate instructus, Herbipolim rediit, ipsum ducem Gosbertum et subditos magna ex parte ad veri Dei cultum convertit. Anno vero 689, quum ducem de solvendo coniugio cum Geilana, fratris sui vidua inito, monuisset, huius feminae insidiis, duce absente, s. Kilianus cum sociis suis clam interfectus est [3].

In Frisia—Illorum in propagando Evangelio studium aemulatus est s. Willibrordus, Frisiorum apostolus; qui patria Northumber et professione monachus ac presbyter, anno 690, cum 11 monachis sociis ex Hibernia transiit in Frisiam, ut quae antea s. Wilfridus pro Frisiorum conversione inceperat [4], perficeret. Frisii tunc universam Bataviam incolebant. Pipinus Heristallus, Francorum dux et maiordomus, qui paulo ante Rathbodo Frisiorum duci partem Frisiae citeriorem, positam Rhenum inter et Mosam, armis eripuerat, s. Willibrordum et socios eius optime excepit, et in subiecta sibi Frisia Evangelium praedicaturos in suam fidem recepit. Brevi tempore maximus ethnicorum numerus Ecclesiae Christi adscriptus est. Pro his s. Suitbertus, unus e duodecim illis Fidei praeconibus, episcopus ordinatus fuit; qui tamen propagandi ulterius Fidem desiderio incensus, se contulit ad Boructuarios, ripam orientalem Rheni inter Coloniam et Hassiam incolentes, multosque eorum convertit. At paulo post Boructuariis e sedibus suis a Saxonibus eiectis, s. Suitbertus se recepit in monasterium, quod in Caesarea (*Kaiserswerth*) Rheni insula condidit, ibique an. 713 beato fine quievit [1].

Interea Willibrordus cum reliquis sociis conversionem Frisiorum impigre et feliciter continuavit. Romam profectus an. 696 a Sergio Pp. archiepiscopus Frisiorum consecratus et pallio insignitus fuit. In Frisiam redux, sedem suam fixit Ultraiecti, unde per 50 circiter praedicationis suae annos fere omnes Frisiae incolas, Francis subiectos, ad fidem christianam perduxit [2], et ubi permansit usque ad obitum suum (738).

Rathbodus vero eiusque subditi, in quorum terras etiam transiit s. Willibrordus, praedicationi eius aures clauserunt. Similiter Ungendus rex Danorum, ad quos pariter se contulit sanctus praeco, veritatem evangelicam respuit. At s. Wulfrannus, episcopus Senonensis in Gallia, qui s. Willibrordi fama excitatus sedi suae renunciavit et in ditionem Rathbodi ducis Evangelium praedicaturus abiit, meliorem successum habuit; nam Rathbodi filium aliosque multos convertit et baptizavit: post annos vero quinque s. Wulfrannus in Galliam redux, in monasterio Fontanellensi obiit an. 720 [3]. Rathbodo duce, qui divini verbi praedicationi restitit, an. 719 exstincto, christiana fides per omnem Frisiam libere propagata fuit [4].

42. *Finis schismatis Istriensis* (*an.* 698)—Interea Sergii Pp. industria atque prudentia Istriense schisma exstinctum est [5], et ecclesia Aquileiensis, quae Trium Capitulorum et Concilii V causa ab annis fere 150 a Romana aliisque ecclesiis se dissociarat, ad pristinam cum iisdem communionem rediit [6].

43. *Scoti ritus romanos recipiunt* — Circa idem tempus Hiberni et Picti seu Scoti ritus romanos receperunt [7]. Illi quippe in celebrando Paschate, in aedificandis ecclesiis

[1] Bolland. *Act. SS.* 22 sept.
[2] Ibid. 27 martii.
[3] Ibid. 8 iul. — [4] Vid. p. 179.

[1] Bolland. *Acta SS.* 1 martii.
[2] Alcuin. *Vita s. Willibrordi*; Mabillon, *Acta. Benedict.* sess. III, part. I; et *Annales Benedict.* t. I, l. 18.
[3] Bolland., *Acta SS.* 20 mart.
[4] Alcuin. *Vita S. Willibrord.*; Mabillon, *Acta SS. O. S. B.* sect. III, part. I.
[5] Vid. p. 154-155.
[6] Noris, *Diss. de synodo V*, c. 9; Pagi, *Critica* ad an. 698. — [7] Vid. p. 179.

et in tonsura clericali morem ritumque sectabantur a Romanae aliarumque ecclesiarum ritu diversum, quem, licet saepius moniti, dimittere detrectarunt donec, praedicantibus potissimum Adamnono et Geolfrido abbatibus, romanos ritus susceperunt [1].

44. *Ioannes VI Pontifex* (*an.* 701) — S. Sergio Pp. I, post pontificatus annos 13 et menses fere 9, VII° idus sept. 701 vita functo, V° kal. nov. eiusdem anni suffectus fuit Ioannes VI, Graecus, qui sedit 3 annis et 3 fere mensibus.

Ubi autem Tiberius Absimarus, imperator graecus, Ioannis electionem cognovit, Theophylactum exarchum Romam misit, ut Pontifici negotium facesseret; quam vero ob causam, scriptores non tradiderunt. Verum exercitus Italiae, qui in simili casu sub Iustiniano defenderat Sergium I, pariter defendit Ioannem VI, ita ut necesse fuerit, Pontificis iussu milites excludi, ne quod facinus in exarchum committerent. Ita pravis ipsorum imperatorum studiis et machinationibus contigit, ut eorum et exarchorum auctoritas viresque in Italia magis magisque deperirent; RR. vero Pontificum auctoritas augeretur, ita ut milites mallent pro salute Pontificum in discrimen adduci, quam eos indefensos Graecorum manibus relinquere. At his favoribus Pontifices se non extulerunt, sed saepius milites perterruerunt, ne quid in imperatores aut exarchos molirentur[2].

Idem Pontifex apostolicam caritatem explicuit in redimendis captivis, quos Gisulphus dux Beneventanus, in Campaniam incursans, abduxerat. Idem s. Wilfridum, iterum Eboracensi sede eiectum, restituit.

45. *S. Wilfridus rursus vexatur* — S. Wilfridus an. 686 in Eboracensem sedem restitutus, post annos 5 rursum ea privatus est. Alcfridus, Northumbriae rex, ab adversariis sancti praesulis excitatus, constituerat, ut monasterium Ripense possessionibus et territoriis suis privaretur, et in episcopalem sedem transmutaretur, utque ea, quae supra, tempore dissidii inter Ecfridum et Wilfridum, a Theodoro Cantuariensi fuerant decreta, executioni mandarentur [3]. Quum his assentire nollet Wilfridus, anno 691 iterum e sede sua pulsus, secessit ad Ethelredum regem Merciorum, a quo honorifice exceptus fuit. An. 702 Alcfridus rex Berthwaldum archiepiscopum Cantuariensem aliosque episcopos convocavit Nesterfieldam. Rogatus etiam ad synodum fuit Wilfridus, eique promissum, causam eius secundum canones dirimendam fore. At secus factum est. Praesulis adversarii ei multa obiecerunt, quae is fortiter confutavit; cumque sententia contra eum postularetur, is Sedem Apostolicam appellavit, et conventus solutus est. Ubi s. Wilfridus eiusque adversariorum legati Romam venerunt, Ioannes Pp. VI synodum coëgit, in qua utraque parte audita, sententiam secundum Wilfridum dixit, eum ab omnibus, quorum incusabatur, absolvit, Eboracensi sedi restituit, litterisque commendatitiis ad Alcfridum Northumbrorum et Ethelredum Merciorum reges munivit. Apostolicae Sedis sententia an. 705 in synodo Niddana fuit executioni mandata et concordia firmata. Obiit s. Wilfridus an. 709 [1].

46. *Ioannes VII, Sisinnius, Constantinus, Pontifices* — Ioanne VI, V° idus ian. 705 defuncto, ad Ecclesiae pontificatum evectus est Ioannes VII, Graecus, qui kal. mart. huius anni Pontifex factus, Petri cathedram, occupavit 2 annis et 7 mensibus.

Ad hunc Pontificem Iustinianus imperator, an. 705 ope Tribelli Bulgarorum regis, in solium restitutus, duos metropolitanos legavit postulatum, ut coacta synodo canones Trullanos recognosceret, et iis, quos Ecclesiae doctrinae aut disciplinae adversos reperisset, reiectis, caeteros auctoritate sua confirmaret. At Ioannes VII rem infectam reliquit, canonesque istos neque approbatos neque improbatos, per eosdem legatos ad imperatorem remisit. Qua in re Pontifiex ab Anastasio bibliothecario infirmi seu timidi animi arguitur, quod canones istos non improbarit aut saltem illegitimos a legitimis non dispunxerit [2].

Sub eodem Pontifice Aripertus, rex Longobardorum, patrimonium Alpium Cottiarum, quibus Genua et tota eius ora maritima usque ad fines Galliae continebantur, et quae quondam ad ius Apostolicae Sedis pertinuerant, sed a Longobardis fuerant ablatae, ei restituit, hancque restitutionem aureis scriptam litteris, Romam direxit [3].

Huiusmodi patrimonia seu possessiones Romana ecclesia, non tantum in Italia, sed in omnibus fere christiani orbis partibus ha-

[1] Beda, *Hist.* l. V; Baron. ad an. 699.
[2] Anastas. *Vit. RR. PP.*, in *Ioan. VI*; Baron. ad an. 701.
[3] Cf p. 180.

[1] *Vita s. Wilfridi*, apud Mabillon, *Saec. IV Benedict.* part. I; Pagi, *Critica* ad an. 692, 702 et 705.
[2] C. Lupus, *Diss. de synodo Trull*; Baron. ad an. 705.
[3] Beda, *Chron.* ad. an. 708; Paul. Diacon. *Hist. Longobard.* l. VI, c. 28.

bebat. Iam tempore s. Gregorii M. Romana ecclesia talia possidebat in Italia, Dalmatia, Sicilia, Sardinia, Corsica, Hispania, Gallia, Africa, et in aliis regionibus, uti ex huius Pontificis litteris constat. Aliae etiam ecclesiae, praesertim patriarchicae, similia patrimonia seu bona immobilia, quorum redditus ad illas pertinebant, possidebant. Proveniebant ea tum e donationibus christianorum imperatorum et principum, a tempore Constantini M. et deinceps, tum e piis fidelium legatis et oblationibus. Ex istis patrimoniis seu proventibus non tantum ecclesiarum instaurationi et splendori atque sacrorum ministrorum sustentationi, sed pauperum etiam, viduarum, pupillorum, peregrinorum indigentiis consulebatur, uti confirmatur e tot ptochotrophiis, xenodochiis, nosocomiis et orphanotrophiis, a priscis temporibus pro varia egenorum necessitudini institutis [1].

Ad obitum Ioannis VII, qui decessit XVI° kal. nov. an. 707, Sedes Apostolica vacavit tribus mensibus, post quos XV° kal. febr. an. 708 Pontifex factus fuit Sisinnius, Syrus, cui post viginti dies, cum de Urbis moenibus ac templis reficiendis cogitaret, dira arthritide sublato, VIII° kal. aprilis, successit Constantinus, pariter Syrus, qui sedit usque ad an. 715.

« Incredibiles perspicias fuisse Graecorum artes, inquit Baronius, quibus (imperatores) nisi sunt sibi subiicere (si licuisset) Romanam ecclesiam... Agentes nimirum, ut in collegium S. R. E. cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam, opera exarchorum annitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas post Benedictum, Ioannem V Syrum, Cononem Thracem, Sergium Syrum, Ioannem VI et Ioannem VII Graecos, Sisinnium et Constantinum Syros.... Sed quid accidit? Utique tanquam miraculum a Deo, ut in collegium iidem cooptati S. R. E. cardinalium, et creati Pontifices Apostolicae Sedis, spiritum haereditarint apostolicum, steterintque adversus omnes conatus imperatorum et Orientalium episcoporum [2] ».

Iustinianus imperator, audita Constantini electione, eum rogavit ut Constantinopolim se conferret actum de negotiis ecclesiasticis. Pontifex quamvis de exitu itineris anxius, tamen Deo bene confisus, Constantinopolim profectus est. Illic a Tiberio Iustiniani filio, a Cyro patriarcha, a senatu populoque honorifice exceptus est. Iustinianus, qui Nicomediae agebat, pari veneratione eum excepit, et Constantino obviam procedens, capite diadema gestiens, pedes eius osculatus est. Pontifex rebus cum imperatore compositis, Romam reversus est [1]. Quid autem inter utrumque actum sit, haud certo scitur. Baronius cum Christiano Lupo aliisque existimat, actum fuisse de canonibus synodi Trullanae seu Quinisextae, et Constantinum probasse eos canones, qui rectae Fidei, Apostolicae Sedis iuribus et disciplinae non adversabantur [2].

47. *Interitus Iustiniani* (*an.* 711)—Brevi post Iustinianus II gladio rebellium periit. Graeci enim, maxime milites, Iustiniani saevitia pertaesi, iugum eius excusserunt, et Philippicum Bardanem imperatorem salutarunt, qui Constantinopoli sine pugna potitus, Iustinianum eiusque filium occidit.

Philippicus — Philippicus male parta dignitate pessime usus est: Monothelitas haereticos, concilio generali VI attritos, restituit; imaginem concilii VI in vestibulo palatii positam deiecit; coacto Constantinopoli pseudo-concilio, concilium oecumenicum VI abrogavit; Sergii Cp. aliorumque monothelitarum nomina sacris dyptychis inscribi iussit; Cyrum patriarcham Cp. deiecit, omnesque praesules, qui pseudo-concilio Cp. subscribere et concilium generale VI damnare recusabant, insectatus est. Haereticum animum minime celavit Constantinum Pp. in litteris, quas Romam misit; sed Pontifex imperatoris litteras ac haereticam fidei professionem cum execratione reiecit [3].

Anastasius — Philippicus haud diu catholicam fidem persecutus est. An. 713 viri patricii, tyrannidis eius pertaesi, eum dum sub meridiem somno indulgeret, apprehensum, erutis oculis in vincula coniecerunt. Altera die imperator salutatus est Arthemius Anastasius, princeps ingenio et religionis studio commendandus, qui Catholicis pacem reddidit, concilium VI, acclamantibus episcopis, clero et populo, restituit, et Monothelitas repressit [4].

48. *Maronitae* — Scripserunt nonnulli, monotheliticae haereseos fautores, ab imperatoribus profligatos, confugisse in montes Libani et Antilibani, horum incolas ad suum

---

[1] Thomassin, *Vet. et nova Eccl. discipl.* part. III, l. I, c. 27; Zaccaria, *Diss.* X in opere: *De rebus ad hist. et antiquit. Eccl. pertinentibus dissertationes,* Fulginiae 1781, 2 vol. in-4.°

[2] Baron. ad an. 705.

[1] Anast. *Vitae RR. Pontif.— Constantinus.*

[2] Baron., ad an. 710; Chr. Lup. *Diss. de synodo Trullana.*

[3] Baronius et Pagi, ad an. 711-712.

[4] Idem, ad. an. 713.

errorem perduxisse, atque cum iis monotheliticam ecclesiam seu sectam formasse. At hos scriptores testimoniis Eutychii Alexandrini, qui saeculo X, et Guilielmi Tyrii, qui XII vixit, fuisse deceptos ostenderunt Faustus Nairo [1], Mich. Le Quien [2], I. S. Assemani [3]. Maronitarum sane gens nomen suum accepit a s. Marone monacho, qui sub exitum saeculi IV et initia V floruit. Ex eo primo istud nomen susceperunt monachi celebris coenobii prope flumen Orontem inter Apameam et Emessam, ab ipso s. Marone aut eius discipulis fundati. Dein eodem Maronitarum nomine designati sunt quicumque in monte Libano et Antilibano cum praedictis monachis catholicam fidem profitebantur, et Nestorianorum, Iacobitarum aliorumque haereticorum sectas vitabant. Quum, Saracenis Syriam invadentibus, Christiani e diversis urbibus in territorium montis Libani confugerent, Maronitarum gens ad multa millia aucta est, et, selectis sibi fortissimis ducibus, non solum Saracenos e monte Libano eiecerunt, sed etiam ad componendam cum imperatore Constantino Pogonato pacem an. 678 adegerunt. Primus eorum patriarcha fuisse dicitur Ioannes Maro e monasterio s. Maronis, qui Iacobitas seu Eutychianos scriptis et concionibus confutavit, multosque ad Fidei unitatem reduxit. Maronitae tam addicti erant catholicae doctrinae, ut haereticos in territorio suo degere non sinerent. Eos autem a monothelitica secta semper abhorruisse, confirmatur vetustissimis eorum calendariis, in quibus concilii generalis VI et sanctorum virorum, qui Monothelitis vehementius restiterunt, Sophronii Hierosolymitani, Andreae Canonographi, Maximi, Martini, memoria celebratur, nullus vero Monothelitarum patronus recensetur [4].

49. *Mauri occupant Hispaniam* (*an.* 712) — In Hispania grandis rerum mutatio facta est. A pluribus iam annis sincera pietas et disciplina morum in populo et clero Hispaniae languebant. Malum auctum est regnante Vitiza. Hic an. 701 regnum adeptus, initio iustus et bonus, postea depravatus, omnibus luxuriae, et impietatis vitiis se dedit; concubinas multas loco legitimae uxoris habuit. Prava eius exempla multi e proceribus, e populo et clero secuti sunt, cumque seniores et digniores in clero huiusmodi licentiam reprehenderent, rex omnibus clericis, non tantum permisit, sed imperavit, ut, spretis Ecclesiae legibus, uxores et concubinas haberent; R. Pontificis auctoritatem et leges per omne regnum sub mortis poena abrogavit; Iudaeos in Hispaniam revocavit, iisque amplissima privilegia concessit; episcopos vel alios, qui turpitudinem et impietatem eius improbabant, insectatus est. Hinc ecclesiarum officia et sacramenta despecta sunt, ecclesiasticae ac divinae leges contemptae, et ingens morum depravatio secuta est. Hic rerum status perduravit sub Roderico, qui anno 710 Hispaniae regnum capessivit. At paulo post irruentibus in Hispaniam Mauris, Hispani divinam vindictam experti sunt. Etenim Iulianus comes, Ceutae praefectus, Roderico regi infensus, Musam, qui Saracenorum nomine Africam gubernabat, in Hispaniam evocavit. Is an. 711 plura Maurorum millia in Hispaniam misit. Eorum invasioni resistere tentavit Rodericus, sed eius exercitus fugatus, et ipse cum innumeris aliis interfectus est. Mauri arces ac munitissimas urbes ceperunt, ferro et igne agros, oppida, civesque vastarunt atque deleverunt, et destructo Gothico regno principem dominationis suae sedem collocarunt Cordubae in provincia Boëtica. Cum illis etiam mahometica religio per omnem Hispaniam, excepta Asturia, propagata est [1].

Multi Hispani in Asturiam se receperunt, Pelagium regio sanguine ortum, sibi regem crearunt, tantaque virtute Maurorum impetus repulerunt, ut non tantum Asturiam conservarint, sed etiam temporis decursu regni sui limites, novis de Mauris relatis victoriis, protulerint. Isti fideliter in christiana religione perseverarunt. Neque in aliis Hispaniae partibus, Maurico iugo subditis, religio christiana, licet saepius vexata ac oppressa, deperiit. Cumque hi Christiani cum Mauris degerent promiscue confusi, dicti sunt Mozarabes seu mixti Arabes, unde etiam liturgia, apud eos usitata, Mozarabica appellata fuit [2].

50. *S. Gregorius II Pontifex* (*an.* 715) — Postquam Constantinus Pp. septem annis Ecclesiam rexisset, vita excessit VI° idus april. an. 715. In eius locum XIV° kal. iun. ordinatus fuit Gregorius II, Romanus, R. E. Diaconus

[1] *Diss. de origine, nomine ac religione Maronitarum*, Rom. 1679.
[2] *Diss. de eccl. Maronit.*, in t. III *Orient. christ.*
[3] *Biblioth. oriental.* t. II, p. 293.
[4] Scriptores cit., et Pagi, ad an. 635 et 676.

[1] Baronius et Pagi, ad an. 701, 710-713.
[2] Rodericus, *Rer. Hispan.* l. II-III; Baron. et Pagi ad an. 710-713.

et Bibliothecarius, sanctitate, doctrina, constantia et propagandae Fidei studio spectatissimus, qui sedit usque ad an. 731. Pontificatus initio consilium cepit de moenibus Urbis restaurandis; sed impedimento operi fuere Longobardi, qui Cumanum oppidum occuparunt. Totam enim curam in eius recuperationem intendit, illudque Ducis ac populi Neapolitani auxilio recepit. Contra Longobardos sibi infestos opem imploravit Caroli Martelli Praefecti domus regiae Francorum. Interim Luitprandus Longobardorum rex, icto foedere cum Eutychio exarcho, iunctis copiis decrevit et Romam capere et ipsum de medio tollere. Utrique cum exercitu ad Urbem properanti obviam factus, ita Longobardum sua auctoritate flexit, ut ad pedes eius provolutus, arma et coronam auream, crucemque argenteam D. Petro consecraret. Inde factum est, ut Luitprandi rogatu Gregorius etiam cum exarcho pacem haberet. Ad res sacras quod attinet, praecepit, ut tempore Quadragesimae qualibet feria quinta ieiunium, hoc est Statio et Sacrificium fieret [1].

51. *Religionis christianae progressus in Germania* — Hic Pontifex in primis sollicitus de componendo ecclesiarum statu in Bavaria, ubi Evangelii praedicatio ingentes fructus tulerat, an. 716 illuc destinavit Martianum episcopum, Georgium presbyterum et Dorotheum subdiaconum. Iis capitulare dedit in quo certae regulae praescribebantur de probandis ac ordinandis ecclesiarum ministris, de erigendis episcopatibus, de administrandis et dividendis in quatuor partes fidelium oblationibus et ecclesiarum redditibus, deque aliis [2].

S. Corbinianus — S. Rupertus episcopus Salisburgensis, qui preclarissime de Fidei propagatione in Bavaria meruit [3], obiit an. 718. Post eum ad extirpandas illic idololatriae reliquias et firmandam fidem in Christum Dominum plurimum contulit, uti diximus, s. Corbinianus, Francus, primo monachus, deinde ab ipso Gregorio Pp. II episcopus regionarius ordinatus, pallioque et potestate praedicandi per universum mundum decoratus. Qui Roma revertens per Bavariam, postulante Grimoaldo provinciae huius duce, in ea permansit, credentes in Fide confirmavit, multos convertit, ecclesias et monasteria erexit, sedemque episcopalem constituit Frisingae, ubi an. 730 sancto fine quievit [1].

S. Bonifacius — Prae caeteris Germaniae apostolus vocari meruit s. Bonifacius, antea appellatus Winfridus, an. 680 in Anglia nobili genere natus, monachus et presbyter. Is postquam vitae sanctitate et scientiis theologicis maximam nominis famam in patria sibi comparasset, ad convertendos Germanos animum adiecit. Pro more aliorum e gente sua Fidei praeconum, an. 718 Romam profectus est, summi Pontificis benedictionem et approbationem petiturus. Gregorius II eum benigne excepit atque evangelicam missionem ad Germaniae populos ei credidit. Winfridus seu Bonifacius Roma digressus, primo Bavariam ac Thuringiam praedicando peragravit; dein profectus in Frisiam, una cum s. Willibrordo, archiepiscopo Ultraiectensi, erudiendis ad Fidem Frisiis triennium consumpsit. Post haec transiit in Hassiam, ubi ingentem numerum ad veri Dei cultum convertit, alios qui iam crediderant, a superstitiosis ritibus ad quos dilapsi fuerant, reduxit. An. 723 iterum Romam tetendit. Gregorius II, qui viri merita noverat, eum, indito Bonifacii nomine, episcopum consecravit et solemne sacramentum ab eo exegit de conservanda et praedicanda Fidei integritate, Ecclesiae unitate et perpetua Apostolicae Sedi obedientia. Bonifacius accepto a Pontifice selectorum canonum codice, munitusque commendatitiis litteris ad Carolum Martellum, Francorum ducem, ad episcopos, clericos et laicos, in Germaniam regressus est. Primo invisit Hassiam, deinde Thuringiam, ac in utraque regione idololatriae reliquias destruxit, christianae fidei professionem ac splendorem promovit, veram pietatem restituit, abusus correxit, ecclesias excitavit, ac monasteria, quae essent virtutum asyla et sacrorum ministrorum seminaria, instituit [2]. Alia eius gesta suo loco referemus.

---

[1] In Quadragesima caruit officio Missae feria quinta usque ad Gregorium II, de quo ait *Liber Pontificalis*: « Hic Quadragesimali tempore, ut in quinta feria ieiunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit ». Mabillonius, *Comment. in Ord. Rom.* c. 5, illam Anastasii vocem *ieiunii* sumit pro *statione*, ita ut Gregorius II stationes assignaverit etiam feriis quintis Quadragesimae. Micrologus, *de Ecclesiasticis Observationibus*, c. 50, haec habet: « Gregorius iunior statuit quintam feriam infra Quadragesimam esse solemnem officiis undequaque collectis, et maxime ex aestivalibus Dominicis; unde et Antiphonae ex Dominicalibus Evangeliis quintis Feriis adhuc adscriptae reperiuntur, ut ex Evangelio, *Homo quidam erat dives*, et *Ibat Iesus* ».

[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1452.

[3] Vid. p. 187.

[1] Mabillon, *Acta Benedict.* t. III, p. 500; Bolland. *Acta SS.* t. III sept. p. 281.

[2] Bolland., *Act. SS.* 5 iun.; Butler, *Vies des SS.* 5 juin.

52. *Synodus Romana* (*an.* 721)—Ex iis quae antea diximus, videre licet, quanta fuerit s. Gregorii Pp. II sollicitudo atque studium de Germanorum conversione. Alias tamen ministerii sui partes minime neglexit Pontifex. In primis anno 721 Romae 22 episcoporum synodum celebravit ad proscribendam turpem licentiam, qua Christianorum coniugia dehonestabantur. In hac synodo edita sunt capitula 17, in quibus anathemate feriuntur qui presbyteri vel diaconi viduam (idest quam illi ante Ordines sacros duxissent), monialem, commatrem spiritualem, fratris relictam, neptem, novercam, nurum, consobrinam, vel aliquam ex cognatis suis, aut affinem, uxorem duxerint; item qui viduam aut virginem rapuerint, et qui ariolos, aruspices aut incantatores consuluerint [1]. A s. Bonifacio Germaniae apostolo de variis capitibus consultus, an. 726 per epistolam, *Desiderabilem*, quam Gratianus falso tribuit Gregorio III, ad singula respondit [2].

53. *Leo Isaurus imperator graecus* — In Oriente Ecclesiae status multum declinabat, arrogantia praesertim imperatorum, qui negotiis religiosis continuo se immiscentes, turbas graves, schismata et haereses excitabant aut fovebant. Cum in imperio graeco milites ab Anastasio [3] rebellassent an. 715 et imperatorem salutassent Theodosium exactorem vectigalium, Anastasius monasticum habitum suscepit. Theodosius, uti Anastasius, catholicae fidei erat addictus, sed uno tantum anno imperavit. Quum enim audisset, Leonem, dictum Isaurum, ab exercitu fuisse imperatorem salutatum, sponte cessit imperio et monasticum institutum amplexus est. Exinde ab anno 717 usque ad an. 741 imperavit Leo III, humili loco in Isauria natus. Assiduis his contra imperatores coniurationibus factum est, ut imperii et reipublicae status in deterius prolaberetur, litterarum studia intercciderent, et Saraceni seu Arabes audacius provincias imperii invaderent. Hi quidem ingenti cum classe ad Constantinopolim usque venerunt, et an. 717 urbem regiam obsederunt; sed classe eorum igne et tempestatibus attrita, Leo imperator hostes ingenti cum clade fugavit. Hoc graviter ferens Omar seu Umar califa, vindictam sumpsit in christianos Syriae; eos ad deserendam Fidem adegit, apostatis gratias concessit, in resistentes saeviit, pluresque martyrio affecit [4].

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1455.
[2] Ibid p. 1448. — [3] Vid. p. 189.
[4] Theophan. *Chron.*; Pagi, *Critica* ad an. 716-718.

Leo Isaurus imperium a mahometica tyrannide conservavit; verum ubi ad exemplum plurium e suis decessoribus Religionis negotiis se immiscuit, haeresim iconoclasticam suscepit, gravesque turbas excitavit.

54. *Iconoclastarum initia* — Christianos a primis Ecclesiae saeculis, primo parcius, deinde explicitius et frequentius, sacris imaginibus usos easque convenienti cultu veneratos fuisse, supra vidimus [1]. Hactenus Christiani nullam vexationem propter earum cultum passi fuerant, quum repente Leo Isaurus imperator, cum Iudaeis et Mahometanis potius quam cum Christianis de ss. Imaginum cultu sentiens, illum quasi idololatricum abrogare statuit. An. 726 edictum promulgavit, quo ss. Imagines, in ecclesiis locisque publicis fidelium venerationi expositas, ubique deiici et deleri iussit. Edictum istud tantum in urbe Constantinopoli tumultum excitavit, ut imperator sibi metuens, sacrilegum consilium dissimularit, quasi solos abusus in colendis Imaginibus impedire intenderet. Interim bellum contra ipsas imagines prosequebatur.

Leonis impietati qua potuit constantia, obstitit s. Germanus, patriarcha Cp., omniaque tentavit, ut eum a male coeptis revocaret; ei Ecclesiae usum et traditionem de ss. Imaginum cultu obiecit, et in memoriam revocavit solemnia promissa, quae, dum imperator inauguratus fuerat, emiserat de non convellendis Ecclesiae ritibus. At nil promovit sanctus patriarcha [2]. Idem praesul ad diversos episcopos, praecipue ad Ioannem Synadensem et Thomam Claudiopolensem, quorum aliqui impio imperatori assentabantur, litteras scripsit, in quibus ss. Imaginum cultum docte defendit [3].

Gregorius Pp. II, a s. Germano de tota re certior factus, ad imperatorem epistolam dedit, ut a convellendis Ecclesiae dogmatibus abstineret [4]. Aliam epistolam dedit ad s. Germanum Cp. in qua ei de constantia in defendenda Ecclesiae doctrina gratulatus, doctrinam catholicam de ss. Imaginum cultu fuse docteque tradidit ac vindicavit [5].

Quam sincera et vivida esset christianorum fides de religioso sacrarum Imaginum cultu, vel e solis turbis, quas imperatoris edictum ubique excitavit, conspicitur. Incolae

[1] Pag. 76.
[2] Theophan., *Chronogr.*
[3] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 290-298. Librum s. Germani, ***De synodis et haeresibus*** graece et latine edidit card. Mai, *Spicileg. Roman.*, t. VII.
[4] Theophan. ibid.
[5] Labbe, ibid. p. 282-290.

Graeciae et insularum Cycladum imperatoris impietate irritati, ab eo rebellarunt, Cosmam imperatorem salutarunt, paratamque ingentem classem Constantinopolim destinarunt; sed commisso praelio, classis attrita, multi submersi ducesque occisi sunt an. 727. Ex quo impii Leonis sectariorumque eius malitia oppido crevit, inquit Theophanes [1], adeo ut susceptum adversus pietatem bellum latius promoverint. Itali quoque Graecis subiecti, imperatoris nequitia ad apertam seditionem concitati, consilium eligendi novum imperatorem inierunt; sed restitit huic consilio Gregorius Pp., mitiori via se principem correcturum confidens. Nihilominus impius imperator s. Pontificem, quod eius decreta reprobaret, interficere aut comprehendere per exarchos aliosque ministros saepius tentavit; at Romani, Longobardi et Itali passim Pontificem ab illorum dolis et insultibus defendendum susceperunt [2].

Anno 730 imperator persecutionem contra sacras imagines earumque defensores auxit. Arcessitum s. Germanum patriarcham, quem nulla via ad subscribendum impiis decretis perducere poterat, ad abdicandum patriarchatum Cp. coëgit, et in eius locum intrusit Anastasium syncellum, ss. Imaginum hostem. Imaginem Redemptoris vetusta religione celebrem, quae super magnam palatii caesarei portam collocata erat, destrui iussit; qua occasione grandis tumultus in urbe regia excitatus est, in quo multi, inter quos etiam nonnullae mulieres, occisi aut vulnerati, alii flagris caesi, alii bonis suis privati, alii relegati sunt. Et quod maiorem excitat horrorem, saevus imperator 12 imperialis collegii professores cum oecumenico magistro, qui eis praesidebat, viros pietate et eruditione conspicuos, quum in haeresim suam pertrahere eos non posset, immisso in collegium igne, vivos comburi iussit [3].

55. *Leo imperator excommunicatus* — Gregorius Pp. II, acceptis iis, quae ad evertendum Imaginum cultum a Leone imperatore fuerant perpetrata, epistolam ad eum dedit, in qua rursum ss. Imaginum cultum vindicavit, imperatorem propter bellum iis illatum redarguit, et audaciam eius in sacra dogmata perstrinxit dicens: « Scis, imperator, sanctae Ecclesiae dogmata non imperatorum esse, sed Pontificum, quae toto debent dogmatizari. Idcirco ecclesiis praepositi sunt Pontifices a reipublicae negotiis abstinentes; et imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant, et quae sibi commissa sunt, capessant ». Post haec imperatorem adhortatus est, ut ab oppugnandis Fide eiusque defensoribus abstineret, et Ecclesiae pacem redderet [1].

Paulo post alteram eiusdem fere argumenti epistolam ad imperatorem scripsit, in qua inter alia haec Leoni significavit: « Persequeris nos et tyrannice vexas militari carnalique manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos et carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturae sedentem in coelis, Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi daemonem, sicut ait Apostolus: *Tradere huiusmodi satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit* [2] ».

Ex his verbis et ex epistola Hadriani I ad Carolum M. [3], ex Libello synodico [4] et ex Zonara [5], indubium videtur, Leonem imperatorem in Romana synodo a Gregorio II fuisse Ecclesiae communione exclusum, et ss. Imaginum cultum, damnata haeresi, in eadem synodo confirmatum. At non aeque certum est, eumdem Pontificem Italos ab obedientia impii Leonis et pendendis ei vectigalibus absolvisse. Affirmat id Teophanes abbas, qui hoc ipso saeculo floruit [6]. Idem post eum affirmant e Graecis Cedrenus [7], Zonaras [8], Michaël Glycas [9]; e Latinis Sigebertus Gemblacensis [10], Otho Frisingensis [11], Platina [12], aliique; quorum testimoniis e recentioribus adhaerent Baronius [13], Bellarminus [14], Sigonius [15], Sfondratus [16], Sandini [17]. Oppositum defendunt A. Pagi [18], Natalis

---

[1] *Chronograph.*
[2] Anastas. *Vitae RR. Pontif., Gregorius II*; Zonar. *Annal.* l. XV.
[3] Theophan. *Chronogr.*; Zonar. *Annal.* l. XV; Cedren. *Compend. hist.*

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 7.
[2] Ibid. p. 23.
[3] Ibid. t. VI, p. 1460.
[4] Ibid. p. 1461.
[5] *Annal.* l. XV.
[6] *Chronograph.* p. 272.
[7] *Comp. hist.* p. 360.
[8] *Annal.* l. XV.
[9] *Annal.*
[10] *Chron.* ad an. 731.
[11] *Chron.* l. V, c. 18.
[12] *Vitae Pontif., Gregor. II.*
[13] *Annal.* ad an. 726 et 730. — Qui etiam ait, Gregorium sic dignum posteris reliquisse exemplum, ne in Ecclesia Christi regnare sinerentur haeretici principes, si saepe moniti in errore persistere obstinato animo invenirentur.
[14] *De R. Pontif.* l. V, c. 8; et *De potest. R. Pontif. in rebus tempor.* c. 4.
[15] *Hist. Ital.* ad an. 726.
[16] *Gall. vindicat.* Diss. 2, § 2.
[17] Diss. XVII. — [18] *Critica,* ad an. 730.

Alexander [1], et alii; maxime quod nil hac de re dicant Anastasius et Paulus diaconus, et Gregorius II Italos impedierit, uti diximus, ne Leonis imperium excuterent. Accedit, quod narratio Theophanis pugnare videatur cum utraque epistola, quam Gregorius II an. 730 aut sequenti ad Leonem scripsit, et cum agendi ratione, qua proximus Gregorii II successor erga eumdem imperatorem usus est [2]. Id certum est, ex hoc tempore Graecorum auctoritatem propter iniquas imperatorum in Ecclesiam et Pontifices machinationes in Italia magis magisque deperiisse, Romanos, Pentapolitanos atque Ravennatenses potius RR. Pontificum, quam exarchorum ducumque graecorum auctoritati paruisse, Pontifices negotiis publicis consuluisse, hostes ope christianorum principum propulsasse, foedera sancivisse, et iam re, quamvis necdum nomine, principatum temporalem gessisse [3].

56. *Gregorius III Pontifex* (*an.* 731) — S. Gregorio II anno 731, pontificatus decimo quinto, mense octavo, die quarto et vigesimo, III° idus februarii ad aeternam vitam vocato, summus pontificatus delatus est Gregorio III, XV° kal. april. 731. Is patria Syrus, vitae sanctitate et catholicae doctrinae studio decessore suo haud impari, a defensione ss. Imaginum Pontificatum ordiens, tum litteris tum legationibus Leonem imperatorem ab haeresi et impietate revocare studuit. Itali etiam unanimes supplicationum libellos pro restituendis imaginibus ad imperatorem direxerunt. Quum vero imperator in persequendis imaginibus earumque defensoribus pergeret, Gregorius III an. 732 synodum 93 episcoporum Romae coëgit, in qua antiquae PP. traditiones de cultu ss. Imaginum confirmatae sunt et communione Ecclesiae privati, qui ss. Imagines profanarint aut destruxerint [4]. — Nec satis

[1] *Diss.* I *in saec. VIII.*

[2] Cf etiam P. de Marca, *De Concord sacerd. et imper.* l. III, c. 2; Thomassin, *Vet. et nov. Eccles. discipl.* t. III, l. I, c. 27 et 29; Orsi, *Dell'origine del dominio de' RR. Pontefici*, c. 1; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*, t. I, c. 1.

[3] Cf L. Thomassin, *Vetus et nova Eccles. discipl.* t. III, l. I, c. 29; Sandini, *Vitae RR. Pontif.*, *Paschalis I*, annot. 3; Card. Orsi, *Dell'origine del dominio ec. de' RR. Pontef.* Baronius, ad an. 726, § 34, inquit: « Scias, *Basilium*, Ducum illorum, qui ab Imperatoribus Romam mitti solerent ad curandam Urbem, et ad eam spectantes civitates, fuisse novissimum, desiisseque penitus duces Urbis, curamque omnium in omnibus recidisse in summum Pontificem ».

[4] Anast. *Vitae RR. PP.*, *Gregor. III*; Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1485.

habuit scriptis atque decretis haeresim oppugnare, factis etiam delere conatus est. Imagines enim Salvatoris et Apostolorum in altera parte Basilicae s. Petri, Deiparae vero et ss. Virginum in altera collocavit. Eodem in templo aediculam construxit, in qua sacras reliquias undique conquisitas condidit ad cultum [1].

At Leo imperator his omnibus nihilo melior effectus, sed maiori ira percitus, Pontificios legatos pessime habuit; antiquissima Rom. Ecclesiae patrimonia in Sicilia et Calabria in publicum aerarium conferri iussit [2]; dioeceses Illyricianas a patriarchatu Romano tyrannice distraxit et patriarchae Cp. tribuit; ingentem classem adversus Romanum Pontificem ac Italos paravit, quae iusto Dei iudicio in mari Adriatico naufragium fecit.

Hic, et usque ad mortem suam, destructionem sacrarum imaginum et persecutionem contra earum cultores in subiectis sibi provinciis continuavit, multosque, praesertim clericos et monachos, exilio, carcere flagris et cruciatibus affecit [3]. Anno vero 741 exstinctus est.

S. Gregorius III Romanorum et Ravennatensium res adversus Longobardorum impetus defendit, ut suo loco videbimus; s. Bonifacium, Germaniae apostolum, archiepiscopali dignitate et pallio auctum, Apostolicae Sedis vicarium in Germania seu Francia orientali constituit; Ecclesiam gubernavit usque ad annum 741.

57. *S. Ioannes Damascenus* — In tantis Ecclesiae angustiis divina providentia egregium catholicae fidei defensorem excitavit, scilicet s. Ioannem a patria urbe Damascenum cognominatum. Is nobilibus ac christianis parentibus in Syria natus, pietate simul ac graecis disciplinis institutus, aliquandiu Saracenorum chalifae consiliarius et mi-

[1] Bona, *Rer. Liturgic.* l. II, c. 11, § 2.

[2] Theophan. in *Chronographia*, « Patrimonia vero, scribit, quae dicuntur Sanctorum et Coryphaeorum Apostolorum, qui in veteri Roma coluntur, tria nimirum cum medio auri talenta, eorum Ecclesiis ab antiquo assignata et pensa, in publicum aerarium conferri iussit ». Haec tria cum dimidio auri talenta, ad nostram rationem conficiunt summam triginta quinque millium aureorum in annos singulos, ut Nicolaus Alemannus (*de Lateran. pariet.* c. 15) notat. Petrus de Marca, *De Concordia sacerdotii et imperii*, l. III, c. 11, § 4, subiungit: « Sciunt omnes, patrimonia illa Calabriae et Siciliae latifundia fuisse, quae per Defensores eo missos summi Pontifices curabant, ut patet ex variis epistolis Gregorii Magni, vel, ut loquitur Nicolaus, disponendo per familiares suos regere studebant ».

[3] Anast. *Op. cit.*; Theophan. in *Chronogr.*; Cedren., *Compendium hist.*

nister et Damasci praefectus fuit. Deinde omnibus nuntium remittens, monasticum institutum in Laura s. Sabae professus et presbyteratu initiatus est. Ubi Iconoclastarum haeresis orta est, eam omni rationum, et argumentorum vi in sermonibus et scriptis oppugnavit; unde ab haereticis imperatoribus, Leone et Constantino, saepius in exilium relegatus et in vincula coniectus est. Monothelitarum etiam et caeterarum fere omnium haereticarum sectarum errores confutavit, pluraque scripta reliquit, e quibus compertum est, eum fuisse ingenio acutissimo ac copiosa eruditione praeditum, in disserendo perquam subtilem et in defendenda Fide maxime strenuum [1].

58. *Ecclesiae status in Gallia* — In Galliis defuncto an. 714 Pipino Heristallo, res ecclesiasticae ac civicae in grande discrimen perductae sunt. Bella civilia inter ipsos Francos, Austrasios et Neustrasios, exorta sunt. Alemanni, Bavari, Frisii et Saxones adversus Francos arma verterunt. Saraceni seu Mauri ingenti numero ex Hispania in Galliam irruerunt, et omni Occidenti terrorem iniecerunt. At omnia vicit bellicosus Carolus Martellus, Pipini Heristalli ex Alpaide filius; qui an. 715 ab Austrasiis maiordomus, seu dux constitutus, Neustrasios duobus praeliis (aa. 717 et 719) superavit, et ex hoc tempore usque ad annum 741 totius Franciae maiordomus seu potius supremus imperans extitit; nam Theodoricus IV, qui ab anno 720 usque ad 737 Francorum regno praefuit, solo regis titulo potitus est. Carolus Martellus pari virtute et felicitate contra Alemannos, Bavaros, Frisios et Saxones bella gessit. Maxima vero bellicosi sui animi argumenta praebuit in repellendis Mauris seu Saracenis.

Anno 721 Saraceni, duce Zama, ex Hispania in Narbonensem provinciam irruerant, et capta Narbona cives gladio peremerant. Deinde Tolosam obsederant, sed illic ab Eudone Aquitaniae duce profligati sunt. An. 725 rursum in Galliam irruentes, duce Ambiza, Carcassonam, Nemausum aliasque civitates ceperunt; at iterum ab Eudone victi sunt. Post annos paucos Abdel-Rhaman seu Abderam exercitum Saracenorum copiosissimum in Galliam duxit. Hac vice Saraceni ubique Eudonem et Aquitanos vicerunt, urbes plurimas ceperunt atque devastarunt, ecclesias et monasteria incenderunt, aliaque horrenda perpetrarunt. Carolus Martellus, coactis undique copiis, adversus Abderam progressus est. An. 732 acerrimum praelium commissum est ad Pictavos, in quo Abderam ipse cum plurimis Maurorum millibus periit. Carolus reliquis in fugam actis, omnes urbes, quas illi in Galliis occuparant, recepit. Alias adhuc irruptiones in Galliam tentarunt Saraceni, sed ab eodem Carolo reiecti fuerunt.

His tum internis tum externis belli factum est, ut disciplina ecclesiastica in Gallia et Germania Francis subdita deperiret, moresque corrumperentur. Nullae synodi cogebantur; episcopi multi, ex quo tempore comitatibus et principatibus aucti regum feudatarii evaserunt, bellicis expeditionibus magis quam ecclesiarum regimini erant intenti; dignitates ecclesiasticae ab indignis occupabantur; episcopatus et abbatiae seu eorum oblationes, decimae et alii redditus laicis conferebantur; in clero vitae integritas, in monasteriis, pietatis fervor desiderabantur [1].

59. *S. Bonifacius archiepiscopus* — Interea s. Bonifacius in Germania, praesertim in Hassia et Thuringia, extirpandis paganismi reliquiis, convertendis infidelibus, corrigendis fidelium moribus et restituendae cleri disciplinae praeclaram operam navabat. Propter tanta merita an. 732 a s. Gregorio Pp. III archiepiscopali dignitate, cum pallio et postestate instituendi, ubi id necesse foret, episcopos, decoratus fuit [2]. Bonifacius duabus ecclesiis cum totidem monasteriis Amoenoburgi et Fritzlariae in Hassia extructis, an. 734 profectus est in Bavariam, ubi perversos religionis ministros ac errorum doctores deiecit et disciplinam restituit. Anno 738 iterum Romam profectus est, ut cum Pontifice de componendis ecclesiarum in Germania rebus et reformanda disciplina conferret. Gregorius III eum optime excepit; eique redeunti in Germania varia dedit munera, sacras reliquias, tresque epistolas, unam ad episcopos, presbyteros et abbates provinciarum Germaniae, alteram ad optimates et populum, tertiam ad episcopos in Bavaria, et Alemannia constitutos; quos omnes Pontifex hortatur, ut Bonifacio Apostolicae Sedis vicario, obsequium et opem praestent [3].

---

[1] Cf Bolland., *Acta SS.* 6 mai. Opera eius edita sunt Paris. 1712, 2 vol. in-fol., et Venet. 1748.

[1] S. Bonifacius, *Epist. ad Zachar. PP.* apud Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1494; Hincmarus, Epist. IV; Pagi, *Critica* ad an. 719; Longueval, *Hist. de l'Eglise Gall.* t. IV, l. XI, edit. in-4.

[2] Labbe, l. c. p. 1468. — [3] Ibid. p. 1469-72.

Bonifacius anno 739 in Bavariam redux, eam, consentiente Odilone duce, in 4 dioeceses, nempe Salisburgensem, Frisingensem, Ratisbonensem et Passaviensem distribuit. Anno 740 aut sequente 3 alios episcopatus erexit, nimirum Wirceburgensem seu Herbipolensem in Franconia, Buraburgensem in Hassia et Erfordiensem in Thuringia, quos discipulis suis et laborum sociis contulit 1^m^ Burchardo, 2^m^ Wittae seu Albuino, 3^m^ Adelario [1].

Eodem fervore, quo s. Bonifacius in Germania seu Francia orientali propagandae Fidei et instaurandae disciplinae adlaboravit, eum brevi post in Francia occidentali seu Gallia reformandis moribus intentum videbimus.

60. *Regum Anglorum pietas*—In Anglia et episcoporum et regum, quorum multi virtutibus vere christianis claruerunt, opera et exemplis sincera pietas diu conservata est. Tanta erat Anglo-Saxonum erga Romanam ecclesiam religio, ut multi ex omni conditione et sexu, magnates, duces et reges pias peregrinationes in urbem Romam instituerent. Praeter alios Coënredus, rex Merciorum, quum annis 5 sapientissime regnasset, an. 709 solio abdicato Romam profectus est, ubi tonsura et monastico habitu susceptis, reliquum vitae ad limina Apostolorum in precibus ieiuniis aliisque piis operibus exegit. Cum eo Romam tetendit Offa, Sigheri regis Est-Saxiae filius, qui et ipse tonsuram et habitum monasticum suscepit [2]. Ina rex occidentalium Saxonum, West-Saxiae, tanta fuit erga Apostolicam Sedem pietate, ut regnum suum R. Pontifici vectigale reddiderit, imposito singulis domibus denario, B. Petro idest Apostolicae Sedi pendendo [3]. Deinde an. 726 deposito sceptro, ad Beatorum Apostolorum limina profectus est [4]. Quod idem et alii principes praestiterunt.

61. *Ecclesiae status in Italia*—In Italia Longobardicum regnum moderatus est Luitprandus ab anno 712 usque ad annum 744. Is non tantum catholicam fidem sectatus est, sed omnes paganismi reliquias sustulit, et interiorem regni tranquillitatem restituit. Verum augendae dominationis suae cupidus, an. 740 Ravennatensem exarchatum et ducatum Romanum armata manu invasit, Ecclesiae patrimonia depraedatus est, urbemque Romam obsedit, specie quidem compescendi duces Trasamundum Spoletanum et Godeschalcum Beneventanum, qui eius usurpationibus opem ferre nolentes, ad Pontificem confugerant, re vera ad subiiciendam sceptro suo omnem Italiam.

In his angustiis Gregorius Pp. III Francorum auxilium imploravit. Legatos et litteras misit ad Carolum Martellum Francorum ducem, eumque deprecatus est, ut Ecclesiae et populo Romano opem ferret. «Hortamur tuam bonitatem, inquit, coram Domino et eius terribili iudicio, christianissime fili, ut propter Deum et animae tuae salutem subvenias Ecclesiae s. Petri et eius peculiari populo... Coniuro te per Deum vivum et verum et per ipsas sacratissimas claves confessionis B. Petri, quas vobis ad regnum direximus, ut non praeponas amicitiam regum Longobardorum amori principis Apostolorum [1]». Addunt Fredegarii continuator et *Annalium* Metensium auctor, Pontificem, quo magis Carolum Martellum ad defensionem Ecclesiae et urbis excitaret, e Romanorum consensu ei patriciatum romanum obtulisse [2].

Carolus Martellus, Longobardis contra Saracenorum incursiones confederatus, a dirigendis adversus Liutprandum armis abstinuit, sed legatione rem inter Pontificem et regem componere conatus est; verum brevi post ipse et Pontifex decesserunt. Simultas

---

[1] Gregor. III *Epist.* VII *ad Bonif.*, apud Labbe, l. c. p. 1479; Bonif. *Epist. ad Zachar.*, ibid. p. 1494; Willibald., *Vita s. Bonifacii*; Bolland. *Acta SS.* 5 iun.

[2] Beda, *Hist.* l. V, c. 20 et 23.

[3] Polydor. Virgil., *Hist. Ang.* l. IV; Arnulph. Cestrensis, l. V, c. 24.

[4] Beda, ibid. c. 7.

[1] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1472-74. In hac Epistola, quae est etiam apud Baronium, ad an. 740, § 20, Gregorius Carolum Martellum appellat *Christianissimum.* Quem titulum ut *haereditarium* Regum Francorum agnoscit Pius II, *Epist.* 385 *ad Carolum VII*, licet eum in Epistolae inscriptione *illustrem* dicat veteri more. Itaque fallitur Mariana (l. XXVI, c. 12) et Raynaldus, scribens ad an. 1496, § 25: « *Christianissimi* nomen Ludovico XI cum Pragmaticam sanctionem convulsisset, a Pio II inditum ». Vid. quoque Mabillonius (*De re diplomatica,* l. II, c. 3, n. 5, et l. V, tab. 22); Papebrochius, in *Conatu* ad hunc Pontificem. — Panvinius, in *adnotat.* ad Platinam p. 83 inquit: «Gregorius III, Orientalibus destitutus auxiliis, primus ad Francorum opes longe lateque patentes confugit ».

[2] *Chron.* Fredegar. *Contin.* n. 110; *Annal. Metens.* an. 741; Pagi, *Critica* ad an. 740. Patriciatus romanus, quo reges Francorum a RR. Pontificibus investiti fuere, illis non conferebat dominium aut veram potestatem in urbem Romam aut alias ditionis Pontificiae civitates; sed solum erat honorarius, quatenus per id speciali modo R. Ecclesiae et urbis defensores atque protectores constituerentur, et peculiari prae caeteris principibus dignitate gauderent. Vid. Octav. Gentil., *De patriciorum genere*, l. 5; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, p. II, c. 7.

composita fuit sub Zacharia Gregorii III successore [1].

62. *S. Zacharias Pontifex* (*an.* 741) — Obiit s. Gregorius III IV° kal. decembris anno 741, quum 10 annos et 8 menses summo pontificatu functus esset. Successit ei Zacharias natione graecus, qui pridie kal. decembris eiusdem anni Pontifex inauguratus est [2], et usque ad an. 752 Petri cathedram occupavit. Fuit is vitae sanctitate et doctrina clarus.

Mox cum Luitprando Longobardorum rege de restituenda pace egit; suaque prudentia et eloquentia animum eius ita flexit, ut rex 4 civitates, quas in Romano ducatu occuparat, nempe Ameriam, Hortam, Polimartium et Bleram R. Pontifici reddiderit, Sabinense aliaque R. Ecclesiae patrimonia restituerit et cum ducatu Romano pacem in annos 20 confirmaverit [3]. Brevi post Luitprandus arma paravit ad occupandum exarchatum Ravennatensem. Eutychius exarchus, Ioannes archiepiscopus, civesque Ravennae, Pentapolis [4] et Æmiliae communibus precibus Zachariae Pp. auxilium implorarunt, ut afflictis rebus suppetias ferret. Pontifex rursus Luitprandum convenit, eumque precibus et rationibus ab occupando exarchatu deterruit [5]. Illustriorem adhuc victoriam retulit de Rachisio, qui an. 744 Longobardorum rex electus, pacem vicennalem, a Luitprando cum Romanis sancitam, infregit, Pentapolim praedabundus invasit et Perusiam obsidione cinxit. Eum adiit Zacharias Pp., et non tantum ad solvendam obsidionem et reddendas urbes, quas occuparat, perduxit, sed sacris adhortationibus tantum rerum terrenarum fastidium inspiravit, ut Rachisius anno 749 regno abdicato, cum uxore Thesia et filia Ratrude monasticum s. Benedicti institutum professus sit, ille in Casinensi monasterio, hae in virginum coenobio, quod non procul a Casino sumptibus suis extruxerunt [6]. Idem Pontifex libros *Dialogorum* S. Gregorii M. e latino in graecum convertit, scribit Ioann. Diaconus [1]. Indulsit quoque Casinense monasterium cum omnibus cellis sibi pertinentibus, ubicumque terrarum constructis, ab omnium Episcoporum ditione esse liberum; ita ut nullius iuri subiaceret, nisi solius Romani Pontificis [2].

Sanctus Pontifex de restituenda disciplina ecclesiastica sollicitus, an. 743 Romae synodum celebravit, cui interfuerunt 40 episcopi, multisque praesbyteris et diaconis. Edita in ea sunt 15 capitula, in quibus praeter alia instauratur canon Nicaenus de arcendis mulieribus subintroductis a clericorum contuberniis; episcopis, presbyteris et diaconis interdicitur habitus saecularis; graviter inhibetur, ne quis coniugem ducat presbyteram, diaconam, monacham, commatrem spiritualem, consobrinam, neptem, novercam, fratris viduam aut aliam e sua cognatione [3].

Alias huius Pontificis gesta suis locis indicabimus.

63. *Carolomannus et Pipinus duces Francorum*—In Galliis Carolo Martello an. 741 defuncto, duo eius filii, Carolomannus et Pipinus, Francorum res moderati sunt; hic in Neustria seu Francia occidua, ille in Austrasia seu Francia orientali. Ambo principes de republica Francorum bene meruerunt, opemque praeclaram contulerunt restituendae disciplinae ecclesiasticae, quae in Francorum regno erat collapsa.

64. *Synodi Germanica, Leptin., et Suession.* — In primis Carolomannus maiordomus Austrasiae, ad reformandam disciplinam ecclesiasticam arcessivit s. Bonifacium, archiepiscopum et Apostolicae Sedis in Germania vicarium. Bonifacius ante omnia de ea re consuluit s. Zachariam Pp., simulque certiorem reddidit de statu Religionis in Germania et de collapsa disciplina ecclesiastica in Francia [4]. Pontifex ad Bonifacium rescribens, ei de Religionis christianae in Germania incrementis gratulatus est, institutos ab eo episcopatus confirmavit, illius et Carolomanni consilium de cogenda synodo probavit, et ad propositas a Bonifacio quaestiones respondit [5]. An 742 in incerto Germaniae loco synodus episcoporum, pre-

---

[1] Sandini, *Vitae RR. Pontificum, Gregorius III.*

[2] Brevissimum hoc interregnum ostendit, nec petitam, nec expectatam ab exarcho Ravennate confirmationem Pontificiae electionis, et Romanam Ecclesiam demum vindicatam in libertatem. Cuius rei indicio sunt electiones quoque eorum, qui Pontifices fuerunt post Zachariam.

[3] Anast. *Vitae RR. Pontif., Zacharias.*

[4] Pentapolis Italicae Urbes dictae sunt Ariminum, Pisaurum, Fanum, Auximum, et Ancona.

[5] Anast. *Vit.* cit.

[6] Ibidem.

---

[1] In *Vita S. Gregorii* lib. IV, c. 75.

[2] Leo Ostiensis, *Chronicon Casinense,* l. I, c. 4, et 8; l. I, c. 96. Victor II Friderico Abbati Casinensi usum sandaliorum, ceterorumque insignium, iuxta quod sanctus Papa Leo dudum concesserat Abbati Richerio, eadem auctoritate concessit.

[3] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1546.

[4] Labbe, ibid. p. 1494.

[5] Labbe, ibid. p. 1497.

sbyterorum et optimatum celebrata fuit. Praesedit s. Bonifacius et interfuerunt Burchardus Wirceburgensis, Wintanus Buraburgensis, Willibaldus seu Witbaldus Eichstadiensis, Regenfridus Coloniensis, Eddanus Argentoratensis, Dadanus aliique cum suis presbyteris. Conditi sunt 7 canones, quibus praeter alia decretum fuit, ut annis singulis synodus congregaretur; res ecclesiis ablatae restituerentur; presbyteri falsi et diaconi clericique incontinentes, depositi poenitentiae subderentur; ministri sacri a venationibus et sylvaticis vagationibus cum canibus abstinerent, neque arma tractarent vel exercitum contra hostes comitarentur, iis tantum exceptis, qui ad divina ministranda essent necessarii; presbyter proprio suo episcopo subiectus esset; et quotannis in quadragesima ei ministerii sui rationem redderet; ignoti episcopi vel presbyteri ad sacrum ministerium non admitterentur ante probationem synodicam; clerici, monachi ac moniales, in carnis peccatum lapsi, ad poenitentiam cogerentur; sacerdotes vel diaconi non permitterent in domo sua habitare mulieres; monachi et moniales coenobia gubernarent et vivere studerent secundum regulam s. Benedicti [1]. Anno sequente alia, praeside s. Bonifacio, episcoporum, presbyterorum et procerum synodus coacta est apud Leptinas. In hac praedictae synodi decreta renovata sunt [2]. Zacharias Pp. a s. Bonifacio de iis, quae constituta erant, certior redditus, ad omnes episcopos, clericos, abbates, duces et comites Franciae epistolam gratulatoriam scripsit, omnes hortatus est, ut Bonifacii monitis obtemperarent [3].

Quemadmodum Carolomannus in Austrasia, ita Pipinus in Francia occidua seu Gallia restituendae disciplinae ecclesiasticae operam contulit. An. 744 Suessione 23 episcoporum synodum coëgit, cui praesedit idem s. Bonifacius, a Zacharia Pp., uti vidimus, per omnem Galliam Apostolicae Sedis vicarius constitutus. In hac synodo decreta superioris synodi Germanicae 10 canonibus renovata et confirmata sunt. Pipinus ex episcoporum et procerum assensu legitimos episcopos per civitates ordinari iussit, et 2 archiepiscopos, Abelem Rhemensem et Ardobertum Senonensem super eos constituit, qui de negotiis ecclesiasticis ius dicerent. In eadem synodo damnatus fuit Adalbertus haereticus [4].

[1] Labbe, ibid. p. 1533.
[2] Ibid. p. 1537.
[3] Ibid. p. 1545. — [4] Ibid. p. 1552

65. *Adalbertus et Clemens haeretici* — Hic Adalbertus, natione Gallus, asserebat, sibi ab angelo allatas fuisse sacras reliquias, quarum virtute quaecumque a Deo posceret, impetrare posset; magnum pravarum mulierculárum et rusticorum numerum seduxit, qui eum ut virum apostolicae sanctitatis et miraculorum patratorem venerabantur; ab indoctis episcopis, quos pecunia corruperat, episcopus ordinatus, plebem a communione legitimorum pastorum abstraxit, et in privatis oratoriis, sibi ipsi velut apostolo dedicatis, divina celebrabat; eos qui peccata sua confiteri cupiebant, non audita confessione, quod sibi omnia nota esse diceret, absolutos et securos dimittebat; epistolam a Iesu Christo scriptam et ab archangelo Michaële sibi communicatam, circumferebat; aliaque falsa sectariis suis obtrudebat [1].

Alter seductor, nempe Clemens, patria Scotus, eodem tempore in Gallia turbas excitabat, plebemque christianam seduxit. Is Ecclesiae canones, Patrumque scripta reiiciens, docebat, matrimonium cum vidua fratris defuncti esse licitum: seque, quamvis duo filii sibi ex adulterio nati essent, episcopum esse posse asserebat; Christum suo ad inferos descensu omnes, veri Dei et idolorum cultores, ex inferni carcere liberasse, alia multa horribilia de praedestinatione docebat [2].

Quum Adalbertus et Clemens, non tantum multos plebeios, sed etiam clericos seduxissent, Carolomannus an. 745 e consilio s. Bonifacii synodum coëgit in qua ambo impostores cum suis sectariis damnati sunt. In eadem synodo depositus fuit Gervilio, episcopus Moguntinus, quod contra canones venationi vacaret, et in bello contra Saxones hominem occidisset. Tunc sedes Moguntina a Francorum principibus e consensu R. Pontificis s. Bonifacio, qui hactenus sedem fixam non habebat, collata et ad dignitatem metropoliticam evecta fuit [3].

66. *Synodus Romana* — Zacharias Pp. litteris s. Bonifacii de Adalberto et Clemente haereticis certior factus, utrumque damnavit in synodo, an. 745 Romae habita [4]. Interrogatus etiam a s. Bonifacio de baptismo collato cum hac forma: *Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta,* respondit, valere baptismum, si id non ex ani-

[1] S. Bonif. *Epist.* 135 *ad Zachar. Pp.* apud Labbe, *loc. cit.* p. 1557.
[2] Ibidem.
[3] Ibid. p. 1527 et 1555.
[4] Ibid. p. 1556.

mo haeretico sed ex ignorantia linguae latinae evenerit [1]. Respondit postea ad alia dubia ab eodem Bonifacio proposita. De Virgilio autem presbytero, de quo s. Bonifacius querebatur, quod discordias excitaret, erroneasque doctrinas traderet de alio mundo, rescripsit, ut si Vigilius in synodo fuerit convictus docere, « esse sub terra alium mundum, alios homines, seu alium solem et lunam », sacerdotio privatus ab Ecclesia pelleretur [2].

Anno 747 Pipinus, totius Franciae maiordomus, cum hoc anno Carolomannus saeculo renunciasset, ut monasticam vitam profiteretur, ex episcoporum et procerum consilio Apostolicam Sedem consuluit de variis capitulis, praecipue circa disciplinam Ordinis sacerdotalis, circa poenitentiam homicidis imponendam et circa illicitas coniunctiones. Responsio Pontificis constat 27 articulis, qui generatim ex antiquis canonibus desumpti sunt [3].

67. *Christianorum status in Hispania*— In Hispania religio christiana tempestates graves subiit invasione Maurorum seu Arabum [4]. Christiani, qui confugerant in Asturiam, non tantum in vera Religione perseverarunt, sed suam libertatem sub rege Pelagio adversus Maurorum impetus egregie defenderunt. An. 737 Pelagium defunctum in regno Asturiae excepit Fafila; cui post biennium mortuo successit Alphonsus cognomento *Catholicus*, qui regnavit usque ad an. 757. Hic plures victorias de Arabibus, bello francico attritis, retulit, multas civitates ab eorum iugo liberavit, regni sui limites protulit, et mala ecclesiis a Mauris illata reparanda curavit. In reliquis Hispaniae partibus, in quibus dominabantur Mauri, durior erat christianorum conditio. Equidem Religionem suam profiteri poterant; episcopos, ecclesias et monasteria habebant; sed eorum libertas erat limitibus certis circumscripta, quam praeterea tributis gravibus redimere cogebantur [5].

68. *Synodus Cloveshoviensis* — In Anglia etiam his temporibus tepuerat pietatis spiritus, quia antea ecclesias huius regionis illustrarat. Questus est ea de re s. Bonifacius in epistola ad Cuthbertum, archiepiscopum Cantuariensem, praesertim de episcopis, sobrietatis leges turpiter calcantibus, de laicis monasteriorum regimen et bona usurpantibus, de oppressione monachorum, qui ad opera publica compellebantur [1]. Cuthbertus consilia s. Bonifacii secutus, cum Ethelbaldo rege de cogenda ex omni Anglia synodo egit. Haec synodus celebrata fuit Cloveshoviae an. 747. Interfuerunt praeter Cuthbertum Cantuariensem, episcopi 11, rex Ethelbaldus regnique proceres. In primis lectae sunt Zachariae Pp. litterae de reformatione morum, recitata etiam sunt Patrum decreta ad eamdem rem spectantia, deinde editi sunt canones 30, in quibus episcoporum, presbyterorum ac monachorum officia explicantur; episcopis commendatur, ut non saecularibus negotiis, sed pastorali ministerio incumbant, ut quotannis dioeceses suas lustrent, omnesque pie vivere doceant; mandatur, ut in ecclesiis cathedralibus et monasteriis scholae erigantur, in quibus iuniores clerici ac monachi instituantur; dierum festivorum ac ieiunii quatuor temporum observantia ordinatur inculcaturque [2].

69. *Pipinus rex Francorum* (*an.* 752) —In Galliis post Theodorici II mortem (an. 737) interregnum fuit annorum 6 circiter palatii praefectis, Carolo Martello, eiusque filiis Carolomanno et Pipino rempublicam moderantibus. An. 743 rex creatus est Childericus III, Merovingorum stirpis ultimus. An. 747 post Carolomanni in monasterium discessum, Pipinus, ob parvam staturam dictus *Brevis,* solus in omni Francorum ditione maiordomus fuit. Quum autem Childericus III princeps esset omnino stupidus, regnique impos, et iam abhinc annis multis summa rerum esset penes maioresdomus, adeo ut non nisi vacuum regis nomen vel titulum ei inesset, Francorum proceres consilium inierunt abdicandi Childericum et transferendi regni ad Pipinum, apud quem iam summa reipublicae rerum erat. Romam ad Pontificem utpote praecipuum, inquit Fénélon [3], in maioribus moralis disciplinae causis Ecclesiae directorem et doctorem, res delata est per legatos, s. Burchardum episcopum Wirceburgensem et Folradum presbyterum capellanum. Hi Francorum no-

[1] Labbe, l. c. p. 1505.
[2] Labbe, l. c, p. 1521. D'Alembert (*Diction. encycloped.*, art. *Antipodes*), et alii nonnulli Apostolicae Sedis hostes iniuria arguerunt Bonifacium et Zachariam, quasi sententiam de existentia antipodum dixissent haereticam. Quaerebatur enim de existentia alterius mundi seu hominum qui alio sole et luna illustrarentur, et proinde ab Adamo originem non haberent. Cf E. de Vitry, *Dissertation sur les antipodes,* in *Mémoires de Trévoux*, janv. 1708.
[3] Labbe, l. c. p. 1506.
[4] Vid. p. 190.
[5] Sandoval, *Hist.* p. 87.

[1] Labbe, loc. cit. p. 1565.
[2] Ibid.
[3] *Dissertatio de auctoritate Summi Pontificis.*

mine Pontificem interrogarunt, num abdicato ineptissimo principe Childerico, regem salutare liceret Pipinum, apud quem erat summa rerum administratio. Zacharias Pp. omnibus perpensis, optimeque sciens, quantum detrimentum et respublica et Religio ob Childerici eiusque decessorum inertiam subiissent, illorum precibus annuit. Hinc legatis in Gallias reducibus, Pipinus Francorum suffragiis et Zachariae Pp. auctoritate Francorum rex salutatus et a s. Bonifacio unctus est in civitate Suessionensi secundum priscum morem anno 752, fuitque Carolingorum stirpis rex primus. Childericus vero tonso capite in monasterium missus est [1].

Pipinus se Francorum regno dignum praebuit. Interiorem regni statum composuit, pacemque firmavit; Mauros seu Saracenos omnibus Galliae finibus eiecit, toti Franciae qua longe lateque patebat, Neustriae, Septimaniae, Vasconiae, Aquitaniae, Provinciae, Burgundiae, Austrasiae, Bavariae imperavit; episcopis ad corrigendos abusus et componendam disciplinam ecclesiasticam auxilium praestitit, uti videbimus. R. Pontifici, Stephano II, contra Longobardos opem tulit.

70. *Synodi Gallicae* — Anno 753 episcopi multi convenerunt Vermerias in dioecesi Suessionensi, canonesque ediderunt 21, in quibus pro diverso consanguineitatis gradu impedimenta impedientia et dirimentia matrimonium explicarunt [2]. Eadem fere acta sunt ann. 756 in synodo Compendiensi eiusdem dioecesis, cuius extant canones 18 [3]. An. 755 ex universa Gallia episcopi convocati sunt in palatium Verum, ut quae temporum iniuria de canonicis institutis collapsa erant, restituerent. Editi sunt in hac synodo canones 25, in quibus episcopis commendantur obedientia erga metropolitas ac sollicitudo de recta clericorum et regularium vita, in dioecesi; decernitur, ut bis in anno synodus cogatur; prohibetur, ne abbatissa duobus monasteriis praesit, neque extra monasterium vagetur sine episcopi licentia; mandatur, ut nuptiae publice celebrentur; ne defuncto episcopo, ecclesia ultra menses 3 sine pastore relinquatur; praecipitur demum, ut ecclesiarum immunitates observentur [1].

71. *Viri sancti et Scriptores ecclesiastici*—Interim praeter ss. Lambertum episcopum Traiectensem, Willibrordum archiep. Ultraiectensem, Germanum patriarcham Cp. aliosque, quos suis locis laudavimus, et plures alios, quos necessarii huius operis limites commemorare non sinunt, hoc saeculo sanctitatis fama claruerunt qui sequuntur: S. Hubertus, genere Aquitanus, s. Lamberti discipulus et in episcopatu Traiectensi successor, tum apud barbaros Arduennae incolas tum apud Taxandros et Brabantos Fidem praedicavit, et corpus decessoris sui Traiecto transtulit Leodium, ubi is martyrium passus erat; in eamdem urbem transtulisse traditur sedem episcopalem, quae post vastationem Tungrorum fuerat Traiecti ad Mosam; obiit an. 727 [2]. S. Ioannes Damascenus, egregius sacrarum imaginum defensor, sub imperatoribus iconomachis, Leone et Constantino, carceres, exilium aliaque perpessus est [3]. S. Virgilius, patria Hibernus, sub maioratudomus Pipini in Franciam venit, et propter praeclara merita creatus episcopus Salisburgensis, non solum veram pietatem in sua dioecesi stabilivit, sed apud Carinthios etiam et Styrios, tum per se tum per missionarios christianam fidem propagavit; obiit an. 780 [4]. S. Rumoldus, et ipse Hibernus, in Brabantia, praesertim Mechliniae, tanto cum successu Evangelium praedicavit, ut merito Mechliniensium apostolus dicatur; martyr decessit an. 775 [5]. S. Chrodegangus, ab an. 742 episcopus Metensis, insignis canonicae vitae promotor fuit, ut mox videbimus [6].

Quantum ad scriptores ecclesiasticos huius saeculi spectat, eorum paucitatem nemo mirabitur, qui consideret, quantis tempestatibus christianus orbis fuerit quassatus. In Oriente tres patriarchatus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, a Saracenis, omnia sus deque vertentibus, erant occupati. In imperio Graeco litterarum studium elanguit. In Africa sub Saracenorum imperio ipsa religio christiana de-

---

[1] Eginhard. *Vita Caroli M.; Annal.* ad an. 749-50, et veteres Annalistae, passim Cf Sfondrat., *Gallia vindicata*, Diss. II, et Sandini, Diss. XVII *de translatione regni Franc.* — Bellarminus (*de Rom. Pontifice*, l. II, c. 17) ait: « Quod Zacharias iuste ac legitime deposuerit Childericum regem, et creari iusserit Pipinum affirmant omnes quotquot hanc historiam scribunt tam Graeci, quam Latini, exceptis Magdeburgensibus et Calvino ». Vid. quoque Serrar. *Rer. Moguntin.* l. V; Bossuet, *Defensio declarat.* l. II, c. 34; Fénélon, *Dissert. de auctorit. Summi Pontific.*; Chateaubriand, *Études hist.* t. III; De St-Victor, *Tableau hist. et pitt. de Paris*, t. I.

[2] Labbe, *Concil.* t VI, p. 1656. — [3] Ibid. p. 1694.

[1] Labbe, t. cit., p. 1664.

[2] Foullon, *Hist. Leod.* p. 124; Paquot, *Mémoires*, t. V, p. 355.

[3] Bolland. *Acta SS.* 6 maii.—Videsis, p. 194.

[4] Butler, *Vies des SS.*, 27 novemb.

[5] Bolland. *Acta SS.* 1 iul. — [6] Ibid. 6 mart.

peribat. Hispania iisdem Saracenis erat subiecta. In Italia Longobardorum bella, et in Gallia internae turbae litterarum prosperitati obfuerunt. Inter scriptores Graecos commendantur, supra laudati, s. Ioannes Damascenus et s. Germanus patriarcha Cp.; s. Ioannes, praeter alia plura, scripsit libros IV *de Orthodoxa fide*, in quibus omnium primus theologiam universam dialectica methodo exposuit, *Orationes* III pro sacris imaginibus, libros *de haeresibus* et *de duabus Christi naturis* [1], Hymnos sex, *Commentarium* historicum de s. Artemio, et Testimonium *de processione Spiritus S.* [2]. S. Germanus reliquit tres epistolas de cultu sacrarum Imaginum, aliquot Orationes, et secundum multos tractatum de sex synodis oecumenicis [3]. Accedunt Georgius, abbas et circa finem huius saeculi syncellus Tharasii, patriarchae Cp., qui eruditione clarus, *Chronicon* exaravit ab Adamo usque ad Diocletianum imperatorem [4]; et Theophanes, illustri genere Constantinopoli natus, monachus et abbas, sacrarum Imaginum defensor, qui dedit *Chronographiam* ab initiis Diocletiani imperatoris usque ad an. 813 [5]. Inter scriptores Latinos numerantur sequentes: Adhelmus ex abbate Malmesburiensi episcopus Schireburnensis in Anglia, vir undequaque doctus, e cuius scriptis commemorari merentur liber *de Paschate* contra errorem Britonum, liber *de laudibus virginitatis*, liber *de octo vitiis*, Ænigmata et plures Epistolae [6]. Beda cognomento Venerabilis, Anglus et Ordinis s. Benedicti socius, vitae sanctimonia et omnigena eruditione conspicuus, multa reliquit scripta grammatico-philologico-philosophica, mathematica, historica et theologica [7]; maxime laudantur Historia ecclesiastica gentis Anglorum et Chronicon *de sex mundi aetatibus*. Fredegarius, professione Scholasticus, adornavit excerpta Chronica seu epitomen Historiae Francorum, a Gregorio Turonensi editae, et Chronicon a mundi primordiis usque ad annum aerae vulgaris 641, ab aliis usque ad an. 768 continuatum. Alcuinus Anglus, Ecclesiae Eboracensis diaconus, an. 781 a Carolo Magno in Galliam accitus, vir linguarum et scientiarum sacro profanarum peritissimus, Carolo Magno in instaurandis in Gallia litteris et scientiis potentissimam opem tulit, scripsitque expositiones et commentaria in s. Scripturam, libros de ss. Trinitate, alios contra Felicem et Elipandum, de quorum erroribus in sequenti epocha loquemur, et Epistolas plurimas [1]. S. Paulinus, episcopus Aquileiensis, scripsit de ss. Trinitate contra eosdem Felicem et Elipandum [2]. Paulus Warnefridus, ecclesiae Aquileiensis diaconus, praeter alia in lucem dedit Historiam Longobardorum [3].

Prodierunt etiam hoc ipso saeculo auctoribus incertis liber Diurnus RR. Pontificum, ad historiam ecclesiasticam illustrandam valde utilis, et *Ordo Romanus* de divinis officiis et mysteriis.

72. *Canonicor. Institut.*—Diximus in praecedenti numero, s. Chrodegangum insigniter promovisse canonicae vitae institutum. Antiquitus, saltem in Ecclesia graeca, omnes clerici sunt canonici, quod eorum nomina in ecclesiarum canonem seu matriculam erant relata. Quia vero κανον regulam etiam denotabat, in Ecclesia occidentali nomen canonicorum inditum est iis clericis, qui stabilem communemque vivendi regulam sequebantur, a monachis tamen differebant. Huiusmodi vivendi rationem, seu vitae clericalis cum monastica coniunctionem, iam saeculo IV s. Eusebius episcopus Vercellensis inter clericos suos introduxisse perhibetur [4]. Idem effecisse legitur s. Augustinus episcopus Hipponensis [5]. Prae aliis autem institutum hoc promovit s. Chrodegangus, an. 742 episcopus Metensis. Hic enim clericos ecclesiae suae cathedralis in domo episcopali collegit et ad vitam communem secundum regulam, a se compositam, perduxit. Fundamentalia huius regulae praescripta erant, commune habitaculum, communis mensa, commune dormitorium et preces horis canonicis una persolvendae; manuum labor, tempore a precibus, lectionibus et functionibus sacris residuo, peragendus; poenae pro delictis statutae, erant correptiones privatae et publicae, ieiunia, verbera, carceres, a communitate exclusio [6].

---

[1] Paris. 1712 et Venet. 1718, 2 vol. in-fol.; Migne, *Patrol. graec.* t. XCIV-VI.
[2] Edidit card. Mai in *Spicileg. Roman.* t. IX, p. 713.
[3] Vid. not. 3, p. 192, col. 2.
[4] Paris. 1652 in-fol. — [5] Paris. 1655 in-fol.
[6] Londini 1663.
[7] Colon. 1688, 4 vol. in-fol.; Migne, *Patrol. latin.* t. XC-V.

[1] Ratisbon. 1777, 2 vol. in-fol.; *Commentar. in Apocal.* l. V, edidit card. Mai in *Scriptor. vet.* collectione, t. IX, p. 257; Migne, loc. cit. t. CI.
[2] Venet. 1737, in-fol.; Migne, *loc. cit.*, t. XCIX.
[3] Ap. Muratori, *Scriptor. rer. Ital.* t. I; Migne, *loc. cit.* t. XCV.
[4] S. Ambros. *Epist.* 82 *ad Eccl. Vercell.*
[5] Possidius, *Vita s. Augustini*, c. 25.
[6] Exstat haec regula apud Labbe, t. VII, p. 1444; Migne, *Patrol. latin.* t. LXXXIX.

Quum huiusmodi vitae ratio formandae et conservandae in clero pietati morumque honestati esset utilissima, permulti episcopi, tum extra tum intra Galliam, institutum s. Chrodegangi apud clerum suum cathedralem introduxerunt; summi etiam imperantes, Carolus Magnus et Ludovicus Pius, illud peculiari favore prosecuti sunt; synodi idem commendarunt, quo effectum est, ut huiusmodi collegia clericorum, quia regula, quam observabant, canonici appellabantur, per Ecclesiam latinam latissime propagarentur [1].

73. *Stephanus II Pontifex* — S. Zacharia Pp. an. 752 pridie idus martias ad coelestem gloriam vocato, electus est Stephanus presbyter, qui cum tertio post die nondum consecratus obierit, in Pontificum catalogo non recensetur. Tunc ad summum pontificatum VII° kal. april. an. 752 evectus fuit Stephanus II, Romanus, R. Ecclesiae Diaconus, qui sedit usque ad annum 757.

74. *Donatio Pipini* (*an.* 755) — Sub Stephani II pontificatu Romana Ecclesia plenum ac prorsus independens dominium Romae et exarchatus consecuta est; et Pontifex, divino iure universae Ecclesiae princeps et caput, civilis principatus iura firma rataque habuit, quo tutius atque liberius supremi sacerdotii muneribus fungeretur. Iam supra vidimus, quomodo imperatorum graecorum, praesertim Leonis Isauri, contra orthodoxae fidei defensores et adversus RR. Pontifices persecutionibus et iniquis conatibus factum sit, ut eorum auctoritas in Italia deperiret. Vidimus, quomodo Romani et Ravennatenses contra Longobardorum invasiones implorarint auxilium RR. Pontificum, Gregorii II et III et Zachariae, quorum opera ducatus Romanus et exarchatus Ravennatensis a dominatione Longobardica conservati sunt [2]. Verum Aistulphus, qui fratri suo Rachisio an. 749 in Longobardorum regno successit, pacem a decessoribus suis cum Zacharia initam infregit [3], Ravennatensem exarchatum et Pentapolim armata manu invasit. Eutychius, exarchorum ultimus, illi resistere non valens, confugit Neapolim. Aistulphus, subacto exarchatu, arma sua convertit ad occupandum ducatum Romanum, Romanos sicuti Pentapolitanos et Ravennatenses imperio suo subdituros. Stephanus Pp. II eum ad componendam pacem frustra hortatus est. Frustra etiam litteras scripsit ad Constantinum Copronymum, qui anno 741 patri suo Leoni in imperio graeco et in iconoclastica impietate successerat, ut provincias Italicas ab occupatione Longobardorum defenderet [1]. Imperator ss. Imaginibus earumque defensoribus, quam Longobardis bellum indicere maluit. Quapropter Pontifex Francorum opem imploravit datis ad Pipinum regem litteris. Brevi post (an. 753), ut refert Liber Pontificalis, *Christo praevio* [2], ipse in Galliam iter suscepit, ut cum Pipino eadem de re ageret [3]. Pipinus honorifice Pontificem excepit, seque in conventu Carisiaci, habito ad Iseram prope Noviodunum in monasterio Britaniaco, ad defendendam B. Petri et Romani populi causam contra Longobardorum arma iureiurando obstrinxit. Stephanus vicissim Pipinum eiusque filios, Carolum et Carolomannum, reges inunxit, et Pipinum eiusque successores, collata iis patriciatus romani dignitate, R. Ecclesiae et urbis defensores instituit [4]. Praeterea ad diversa disciplinae ecclesiasticae capita, de matrimonio, baptismo et clero sibi proposita, respondit [5].

Anno 754 Pipinus, cum Aistulphum per legatos frustra interpellasset, ut quaecumque in exarchatu atque Pentapoli occupas-

---

[1] Thomassin., *Vet. et nov. eccl. discipl.* par. I, l. 3.

[2] Vid. p. 193.

[3] Vid. p. 197.

[1] « Dilucidum hic est plane, scribit Thomassinus, penes Papam fuisse summam administrationem Romae et Exarchatus, ipsum pacis foedera sanxisse, bellis obviasse, urbes defendisse ac recuperasse, hostes propulsasse, auctoritate apud Imperatores ac Reges circumiacentes plurimum valuisse. Ita iam re, necdum nomine Principatus penes illum erat, moderante his omnibus Numinis providentia inter tantas bellorum tempestates » ; *Vet. et nova Eccles. Discipl.*, t. III, l. I, c. 29, § 6.

[2] Baronius, ad an. 753, § 9, inquit: « Quod audisti ab Anastasio dictum, *previo Christo*, profectum Stephanum Papam, allusisse eum putamus ad ritum illum Romanae Ecclesiae, quo soleret peregrinantes Romanos Pontifices praecedere sacratissima Eucharistia».

[3] « Antequam in Gallias pergeret Pontifex, Legatis Imperatoris et Regis Pipini cinctus ad regem Longobardorum Papiam profectus est, ab eoque repetiit Ravennatium civitatem, et exarchatum, et reliqua Reipublicae loca, quae ipse vel eius praedecessores Longobardorum reges invaserant...Petiit ut Dominicas, quas abstulerat, redderet oves, et propria propriis restitueret, ut ait Anastasius *in Stephano II* (p. 202, n. 239-240, t. I). Has urbes repetebat Pontifex et provincias, ut ad Romanum iam Pontificem pertinentes, qui patrem illis se et Patronum spiritalem, temporalemque exhibebat iamdiu, qui iamdiu regebat et tuebatur, qui earum saluti thesauros suos toties impenderat, vitam impendere toties praesto fuerat, qui Longobardorum tyrannicae dominationi toties subduxerat, qui unus gubernacula tractaverat, ex quo Imperatores his se Italiae curis penitus exuissent »; Thomassinus, *loc. cit.*, § 7.

[4] Anast. *Vitae RR. Pontif.*, *Stephanus II*; et *Annales Metenses*.

[5] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1650.

set, redderet, cum exercitu in Italiam movit, Aistulphi copias profligavit, eumque Ticini obsedit. Tunc Aistulphus pacem petiit accepitque ea lege, ut Ravennam aliasque civitates et Pentapolim, quorum administratio iam ante ad RR. Pontifices devoluta erat, restitueret R. Ecclesiae, cui has provincias cum summo in easdem iure Pipinus donavit. Quibus peractis, Pipinus Pontificem cum honorifico comitatu multisque muneribus Romam remisit; ipse vero in Galliam rediit [1].

Verum Aistulphus, spreto iuramento suo, nihil restituit, quin etiam Romanis bellum intulit, agrum Romanum vastavit, ne ecclesiis quidem parcens, urbemque Romam obsedit. Pipinus literis Stephani Pp. evocatus, an. 755 secundo exercitum in Italiam duxit. Quum prope Ticinum ageret, ad eum venerunt legati imperatoris Graeci, postulantes, ut exarchatum Ravennatensem et Pentapolim redderet imperatori; respondit vero sub iureiurando Pipinus, se pro solo amore B. Petri certamen suscepisse, nullaque ratione passurum, ut praedictae civitates, quas B. Petro obtulerat, a iure Romanae ecclesiae vel Pontificis Sedis Apostolicae auferrentur. Interim Aistulphus iterum victus et Ticini in arcta obsidione constitutus, se Pipino dedidit, et per scriptam paginam, « quae usque hactenus, inquit Anastasius, in archivo S. Ecclesiae recondita tenetur » omnes civitates, quas occupaverat, B. Petro et Romanae ecclesiae seu eius Pontificibus in perpetuum possidendas donavit [2]. Pipinus in Galliam rediens, in Italia reliquit Folradum abbatem s. Dionysii, qui contentas in pacto civitates ab Aistulpho reciperet receptasque mox in potestatem R. Pontificis transferret [1].

Sic Pipinus principatum temporalem, quem RR. PP. iam antea super civitates exarchatus et ducatus Romani e libera incolarum, a prioribus suis dominis desertorum, electione exercebant, Apostolicae Sedi asseruit. Ab hoc tempore RR. PP. plenam et independentem in rebus civilibus administrationem tam Romae quam in exarchatu possederunt. Consulatus vero seu patriciatus Romanus, quo reges Francorum hac aetate decorati fuerunt, iis dominium seu veram potestatem in Urbem aut provincias Romanae ecclesiae non contulit, sed tantum iurisdictionis usum ex consensu Pontificis, a quo isti principes peculiari ratione Romanae ecclesiae et Urbis defensores erant constituti. Manifestum etiam est ex omnibus monumentis, ad magnam hanc rerum in Italia mutationem pertinentibus, principatum temporalem, quo Sedes Apostolica tam Romae quam in reliqua Romanae ecclesiae ditione potitur, iustissimae possessionis titulis inniti. Peculiarem divinae providentiae dispositionem in hoc quisque perspiciet, qui attenderit, quanti ad liberam Ecclesiae administrationem referat, ut eius Pontifex nullius inter tot diversos orbis principes dominationi sit obnoxius [2].

75. *S. Paulus I Pontifex* (*an.* 757)—Anno 757, VIII° kal. maii, Stephanus II obiit, cum Pontificem se gessisset annos 5, et dies 29. In eius locum IV° kal. iunii consecratus fuit Paulus I, illius frater, qui sedit usque ad an. 767.

Is inito pontificatu, epistolam dedit ad Pipinum Francorum regem, qua ei suam electionem significavit, petiitque, ut in defendenda Ecclesia perseveraret, spoponditque,

---

[1] Anast. *Vit. RR. PP.* loc. cit.

[2] Anast. *Ibid.* « Pipinus, scribit, novo sollemnique tractatu Ravennatensem exarchatum et Pentapolim, quibus 22 civitates inter Comacium et Senogaliam continebantur, R. Ecclesiae in perpetuum donavit ». Vid. quoque Paul. Warnefr., *De gest. Longobard.* De plena in rebus civilibus administratione a Pontificibus tam Romae, quam in exarchatu Ravennatensi ab hoc tempore exercita, adde, quod quando Stephanus II in suis litteris de Aistulpho Longobardorum rege, et de vexatione Urbis Romae sermonem habet, nusquam meminit Imperatoris, Romanosque populum suum appellat, ut videre est in eius *Epistolis* 3, 4 et 6 ad Pipinum regem. Eodem modo loquitur Paulus, Stephani successor, et Hadrianus I, ille in Epistolis 2 et 7 *ad Pipinum*, hic Epistola 4 *ad Carolum Magnum*, scripta an. 775. Frustra vero et sine causa laborat Caietanus Cenni (Praefat. in tom. IV Anastasii Bibliothecarii, § 21 et 22, ut ostendat contra Pagium), amplificatum a Pipino, non institutum Romanae Ecclesiae Principatum. Est enim Pagius in eadem ipsa sententia ad an. 755, § 6, quem locum Cennius ipse memorat. Ibi enim, ait, ab hoc tempore plenam *non novam et insolitam*, in rebus civilibus administrationem Pontifices tam Romae, quam in exarchatu Ravennatensi exercuisse. Antea igitur aliquam exercebant. Pagius itaque facit Pipinum amplificatorem non institutorem Civilis Principatus Pontificum; praesertim cum restitutiones ante donationem Pipinianam Ecclesiae factas, quas tantopere adversus Pagium Cennius urget, Pagius ipse agnoscat et narret ad an. 740, § 2, ad an. 741, § 10, et ad an. 755, § 5.

[1] Anast. et Warnefrid. *loc. cit.*

[2] Cf Cenni, *Monum. dominat. Pontif.* Rom. 1761, 2 vol. in-4°; Orsi, *Della Origine del dominio e della sovranità dei RR. PP.* Rom. 1789; Pagi, *Critica* ad an. 754-55 et 796; De Maistre, *Du Pape*, l. II; Muzzarelli, Dissert. *Sul governo temporale de' Rom. Pontefici*; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen age*, p. 1, c. 1-2. Dupanloup, *La souveraineté du Pape*; Pavy, *Esquisse d'un Traité sur la souveraineté temporelle du Pape*; Brunengo, *Le Origini della Sovranità temporale de'Papi*; De la Tour, *Del potere temporale de' Papi.*

secum populo suo permansurum in ea concordia, quam decessor cum Pipino inierat [1]. Pipinus Pontifici gratulatorias litteras reddidit, promisitque, se numquam R. Ecclesiae patrocinio defuturum, ut brevi post patuit.

Etenim cum Desiderius, qui Aistulpho an. 756 mortuo successerat, civitates secundum sui praedecessoris cum Pipino pactum non restitueret, quin imo, immemor se Pontifici regnum debere, provinciam Pentapoleos armata manu vastaret, Spoletanum et Beneventanum duces deiecerit, pactumque iniisset cum Graecis; Pipinus rex Francorum Pontificis litteris interpellatus, an. 760 fratrem suum Remigium, archiepiscopum Rothomagensem, et Autcharium ducem ad Desiderium legavit, ut eum ad implenda pacta compellerent. Desiderius his perterritus, urbes et patrimonia ex parte restituit, alteramque partem se intra breve tempus redditurum spopondit [2].

Idem Pontifex tum legationibus tum litteris Constantinum Copronymum, Graecorum imperatorem, ab Iconoclastarum impietate et persecutione in Catholicos revocare conatus est, sed frustra. Quum autem multi monachi, ut persecutionem declinarent, e Graecia in Italiam confugerent, Paulus I, eos Romae paterno affectu collegit, monasterium pro iis extruxit dotavitque, in quo illi idem institutum ac in Oriente profiterentur, proprioque ritu sacris operarentur [3]. — Multa Sanctorum corpora e coemeteriis, quae Longobardorum incursionibus exposita multas fecerant ruinas, transtulit in Urbem, et in locis decentioribus collocavit. In his etiam corpus s. Petronillae filiae B. Petri [4].

76. *Ecclesiae orientalis status sub Constantino Copronymo* — In Oriente Leone Isauro ss. Imaginum earumque defensorem persecutore, an. 741 extincto, imperium consecutus est Constantinus filius, cognomine Copronymus. Hic non minor ac pater ss. Imaginum hostis, praeterea crudelis et impudicus, multorum odium subiit. Hi adhaeserunt Artabasdo Constantini, sororis marito, illius in Asia belligerantis absentia usi, qui Constantinopoli a plerisque imperator proclamatus fuit et cum laetitia exceptus. Artabasdus mox imagines Constantinopoli restituit. Sed an. 744 Constantinus competitorem suum deiecit, eique oculos erui iussit. Deinde dissidiis bellisque internis inter Saracenos seu Arabes exortis usus, contra illos in Syria prospere dimicavit, pluresque civitates recuperavit. Firmato sic solio suo, omnem operam impendit exturbandis sacris imaginibus et picturis. Ne vero rem ex arbitrio agere videretur, an. 754 Constantinopoli concilium, seu potius conciliabulum, 338 episcoporum sibi addictorum congregavit. Nullus adfuit patriarcha; nam Cpnus obierat, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et subiecti eis episcopi, conciliabulo minime interfuerunt, ideo praesedit Theodosius metropolita Ephesinus. Congregati episcopi, non secundum Ecclesiae traditionem, sed secundum mentem imperatoris agentes, in primis quidem sacrarum Imaginum cultui opposuerunt, illum esse idololatricum, et favere Arii, Nestorii et Eutychetis blasphemiis, Mosen omnium rerum, coelestium et terrestrium, delineationem prohibuisse, Christum beatos praedicare non videntes et tamen credentes, Patres etiam imaginibus adversari. Deinde ex huiusmodi absurdis rationibus decreverunt, omnes cuiuscumque materiae aut coloris imagines esse abiiciendas; eos qui in posterum imaginem confecerint, in ecclesia vel domo privata posuerint, coluerint aut occultarint, si clerici essent, esse deponendos, si monachi vel laici, excommunicandos, et insuper poenis ab imperatore statutis afficiendos. Denique in sedem Cp. evectus fuit Constantinus, monachus et episcopus Sylaei in Pamphilia, vir nequissimus et apertus Imaginum hostis [1]. Hoc ipsum conciliabulum, a solo imperatore, non consulto R. Pontifice, convocatum, et a solis episcopis iconomachis imperii, neque Pontifice neque eius legatis praesidentibus, celebratum, et praeterea ab Apostolica Sede reprobatum, ab Iconoclastis oecumenicum concilium VII appellatum est.

Imperator conciliabuli decreta per totum imperium executioni mandanda ac proinde imagines ubique deiiciendas praecepit; ab omnibus subditis iusiurandum de non colendis imaginibus, et ab episcopis atque monachis, ut praefatis decretis subscriberent, exegit. Quum vero his impiis mandatis Catholici, praesertim monachi, non obtemperarent, imperator contra eos horrendam persecutionem, potissimum ab an. 762 excitavit; alii

[1] Epistola illa apud Labbe, *Concil.* t. VI, prima dicitur, in *Codice* autem *Carolino* est tertia decima.

[2] *Epist.* Pauli I, apud Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1675-79 et in *Codice Carolin.*

[3] Anast. *Vitae RR. Pontif.*, *Paulus I.*

[4] Vid Sandini, *Historia Apostolica*, ubi de Apostolis in universum, adnot. 18

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 395, 434-62.

oculis orbati, aliis membra abscissa, alii flagris usque ad necem caesi, alii innumeri gladiis aliisque tormentis necati sunt; monasteria multa succensa atque diruta, status monasticus proscriptus. Constantini Copronymi fregit Stefanus Pontifex, qui huiusmodi conciliabulum damnavit, ipsumque imperatorem ab scelere revocare studuit. Verum iste in haeresi perstitit, et cum adversus Catholicos persecutionem continuaverit usque ad mortem suam (an. 775), imagines maxima parte in imperio deletae sunt; animorum tamen in haec pietatis adminicula propensio deleri non potuit [1].

77. *Epistola synodica Patriarcharum orientalium* — Quae autem esset ecclesiarum Syriae, Palaestinae et Ægypti traditio ac doctrina de ss. Reliquiarum et Imaginum cultu, manifeste novimus ex epistola synodica, quam hoc tempore Theodorus Hierosolymitanus, Cosmas Alexandrinus et Theodorus Antiochenus patriarchae, subscribentibus pluribus metropolitanis, Romam ad Paulum I pontificem miserunt. In ea post fidei professionem de mysteriis ss. Trinitatis et Incarnationis ac de 6 prioribus conciliis oecumenicis, de ss. Imaginibus ita scribebant: « Apostolicas autem Ecclesiae traditiones, per quas honorare et colere Sanctos et salutare docemur, suscipimus et amplectimur, venerantes eos ut famulos et amicos atque filios Dei. Honor enim, qui a conservis idem sentientibus invicem exhibetur, indicium est benevolentiae erga Dominum... Salvator noster Christus fontes salutares Ssrum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes... Ut, inquit magnus Athanasius, Martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, caecis visum impertiunt, lepras emundant, tentationes et moerores solvunt: atque id per Christum, qui in ipsis habitat. Cum his sacras imagines reveremur... Adoramus quidem Christi imaginem, quemadmodum eius persona visa est, non tamen a Deitate separata, sed ei unita ab ipsa prima conceptione... Veneramur etiam et adoramus imagines sanctae Dei Genitricis et ss. Apostolorum, etiam et Martyrum, Ssrumque et Beatorum imagines colimus, non materiae vel coloribus cultum deferentes, sed per haec ad principalem adducti, honorem illi debitum impendimus, cum sciamus, iuxta Basilii sententiam, quod imaginis honor ad principalem transeat [2] ».

[1] Theophan. *Chronogr.*; Cedrenus, *Compend. hist.*

[2] Apud Labbe *Concil.* t. VII, p. 175.—Nota: Graeci per vocem *adoramus* vel *adoratio* non semper cultum absolutum seu *latriae*, sed etiam relativum, seu *hiperduliae* et *duliae*, intelligunt, uti ex Actis concilii Nicaeni II, et ex huius epistolae contextu satis patet.

78. *Christianorum status sub Arabibus* —Porro in Syria, Palaestina, Ægypto, aliisque terris, mahumetico iugo subiectis, christianis suam Religionem exercere quidem licebat, sed sub dura servitute. Diversus fuit eorum status sub diversis chalifis, e quibus nonnulli christianos cruento modo insectati sunt [1]. Praeterea, rupta iam a praecedente saeculo inter Mahumetanos seu Arabes religiosa ac politica unitate, continua fuit inter eos de chalifatu concertatio, chalifae plerique aut deiecti aut necati sunt; factiones ortae sunt sibi invicem infensissimae, quae sibi bella exitialia intulerunt. Quum talis esset per hoc aevum Arabum status, concludere licet inquietam tristemque fuisse christianorum sub eorum dominatu conditionem.

79. *Synodus Gentiliaca* — Iconoclastae graeci relationibus inter Constantinum imperatorem et Pipinum regem Francorum uti tentarunt ad inferendam suam impietatem in ecclesias Galliae. Praeterea Romanos accusabant, quod Spiritum S. a Patre et Filio procedere dicerent. Pipinus metuens, ne ecclesiastica pax in regno suo his disceptationibus turbaretur, an. 767 episcopos et optimates convocavit in villa Gentiliaco prope Parisios; simulque Paulum Pp. I certiorem reddidit de convocata synodo eiusque causa. Rescripsit Pontifex, se confidere, fore ut nihil a synodo ageretur, nisi quod ad s. Ecclesiae et orthodoxae fidei exaltationem conduceret. Actum fuit in hac synodo de sacris imaginibus et de processione Spiritus S.; sed quis fuerit illius exitus, non referunt scriptores [2]. Attamen observat Natalis Alexander, e fide ecclesiarum Galliae, aliis horum temporum monumentis probata, et ex iis, quae ab episcopis Galliae in aliis postea synodis acta sunt, inferri satis posse, Iconoclastarum haeresim fuisse damnatam, fidemque de processione Spiritus S. a Patre et Filio confirmatam.

80. *Stephanus III Pontifex* (*an.* 768)— An. 767 IV° kal. iulii ad meliorem vitam evocatus est s. Paulus Pp. I. Eo adhuc animam agente, Toto, dux Nepesinus, armata manu urbem ingressus, populum ad eligendum Constantinum fratrem suum adhuc laicum, et Georgium episcopum Praenestinum

[1] Theophan., *Cronograph.*

[2] Labbe, *Concil.* t. VI, p. 1703.

ad eumdem ordinandum compulit[1]. Constantinus, ut usurpatam sedem conservaret, Pipini regis Francorum gratiam sibi conciliare tentavit, datis ad eum litteris, quibus se, quamvis invitum ad summum pontificatum evectum fuisse, mentiebatur. Armis fratris sui protectus summum sacerdotium usurpavit tredecim mensibus, post quos Longobardis, a Christophoro primicerio eiusque filio Sergio ad liberandam Ecclesiam in urbem evocatis, Toto dux devictus et Constantinus deiectus est. Brevi post alter antipapa, nempe Philippus monachus, a Waldiperti presbyteri factione pontifex proclamatus est. At accitis in urbem Longobardis, decimotertio ab obitu Pauli I mense uterque antipapa deiectus fuit, omniumque suffragio secundum sacrorum canonum praescripta nonis augusti an. 768 electus et ordinatus est Sthephanus III, siculus[2].

Is quam primum Ecclesiae gubernacula suscepit, episcopos ex Italia Romam ad synodum convocavit. Litteras etiam scripsit ad Pipinum, Francorum regem eiusque filios, Carolum et Carolomannum, rogans ut aliquot episcopos, ss. Scripturis et canonibus eruditos, Romam ad synodum mitterent. Obierat Pipinus priusquam hae litterae in Galliam adlatae essent, sed eius filii et successores, Carolus et Carolomannus, episcopos 12 Romam miserunt. Cum his et episcopis Italis Stephanus III an. 769 in basilica Salvatoris synodum celebravit, in qua Constantinus antipapa Ecclesia eiectus et ad perpetuam poenitentiam condemnatus fuit; de iis, qui ab eo ordinati fuerant, statutum est, ut suscepto ordine non fungerentur, nisi post pontificiae reconciliationis beneficium; sub anathematis poena vetitum est, ne quis ad pontificatus honorem promoveretur nisi ex ordine Cardinalium presbyterorum aut diaconorum; neque ullus e militari aliove ordine se pontificiae electioni immisceret; sed ea a sacerdotibus, Clero et proceribus Ecclesiae perageret; priusquam Pontifex electus fuerit in patriarchium deductus, optimates militiae, cives honesti et populus urbis properarent ad eum salutandum, tuncque more solito decretum electionis conficeretur et ab omnibus subscriberetur. Idem et in aliis ecclesiis sub divini iudicii obtestatione et anathematis interdictione synodus decrevit observandum. Eadem synodus contra Iconomachos edixit: « Si ad Ssrum consortium venire optamus, profecto haec omnia in honore Ssrum, sive reliquias, non solum corporum sed et vestimentorum, sive basilicas nominibus eorum memoratas, sed etiam imagines et vultus illorum, in quolibet loco depictas, celeberrimo honore venerari debemus... Crucem pro crucifixo in ea Christo adoramus. Si quis sacras imagines Domini N. I. Christi, et eius Genitricis atque omnium Ssrum, secundum ss. Patrum statuta venerari noluerint, anathema sit[1] ».

Idem Pontifex minaces litteras dedit ad Ravennatenses contra Michaëlem scrinarium, qui post Sergii episcopi obitum, potentia Mauritii ducis Ariminensis et assensu Desiderii regis Longobardorum, invaserat ecclesiam Ravennatensem. Leone archidiacono, qui ad eam legitime electus fuerat, in custodiam coniecto. Ravennatenses litteris Pontificis permoti, Leonem restituerunt et intrusum Michaëlem Romam duxerunt[2].

. Scribit Anastasius, eumdem Pontificem constituisse, ut omni die dominica missarum sollemnia super altare B. Petri celebrarentur, et *Gloria in excelsis Deo* diceretur[3], a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris serviebant[4]. Episcopi cardinales dicebantur ii, qui proximos urbi episcopatus habentes et R. Ecclesiae cardini innixi, Pontifici celebranti assistebant; qui sic numerantur a Ioanne diacono: Ostiensis, s. Ruffinae, Portuensis, Albanensis, Tusculanensis, Sabinensis et Praenestinus[5].

Quum Desiderius rex Longobardorum, quamvis saepius a Stephano III monitus, civitates Romanae Ecclesiae, quas adhuc detinebat, non restitueret, Pontifex litteras scripsit ad Carolum et Carolomannum, eosque ortavit, ut Longobardos ad restituendas istas civitates compellerent, et hortatus est, ne alteruter eorum filiam Desiderii uxo-

---

[1] Sandini, *Vita RR. Pontificum*: videsis S. Gregor *Epist.* 46, adnot. p. 608, t. II.

[2] Baron., ad an. 768.

---

[1] Labbe *Concil.* t. VI, p. 1722.

[2] Anast. *Vitae RR. Pontif.*, *Stephan. III.*

[3] Bona, *Rer. Liturgicar.* l. II, c. 4, § 5, inquit: « Ratio huius edicti est, quia olim a solo Episcopo *Gloria in excelsis* dici poterat; a Presbyteris vero in solo die Paschatis dicebatur, ut initio libri *Sacramentorum* s. Gregorii legimus; non quia ad Episcopos maxime pertineat Missam celebrare, ut explicat Suarez (t. III, in III part. disput. 83, sect. 1); sed quia re vera sic ferebat mos priscus Ecclesiae, ut soli Episcopi hunc hymnum dicerent, sicut soli in prima populi salutatione dicunt *Pax vobis* iis diebus, quibus *Gloria in excelsis* dici solet ».

[4] Anast. loc. cit.; Sandini, *Vitae RR. Pontificum*, *Stephanus III.*

[5] *De Ecclesia Lateran* c. 8

rem duceret, neve sororem suam Gisilam filio Desiderii in matrimonium traderent[1]. Sed amicitia, quae inter Desiderium et reges Francorum tunc existebat, obstabat, quominus hi Pontificis praecibus facerent satis. Contra Carolus, non obstantibus monitis Pontificis, an. 770 Himiltrudem, legitimam coniugem, repudiavit, et filiam Desiderii in uxorem accepit, sed anno sequente hanc abegit, et illam in palatium revocavit. Obiit Stephanus III kalendis februarii an. 772.

81. *Obitus Pipini regis* — Pipinus rex Francorum, uti diximus[1], obiit an. 768. Morti proximus e procerum et episcoporum consensu regnum inter duos filios suos ita divisit, ut Carolus Austrasiam, Neustriam, Thuringiam, Bavariam et partem Aquitaniae, Carolomannus reliquas provincias acciperet. Quum Carolomannus an. 771 obiisset, regni eius proceres ecclesiastici et laici sibi elegerunt Carolum, iam Austrasiae, regem, qui sic universa Francorum ditione solus potitus est. Ab eius aetate, utpote rebus maximis illustri, novam epocham auspicamur.

[1] Labbe, *loc. cit.* p. 1716.

[1] Vid. p. 206.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
EPOCHA SEXTA

A CAROLO M. VSQVE AD PONTIFICATVM S. GREGORII VII. AN. 1073.

PROOEMIVM

In praecedenti epocha vidimus, quomodo diversi populi, qui in Occidente romani imperii provincias occuparunt, ad Ecclesiae gremium sint adducti, in locum veteris imperii christiana regna efformarint, et cum antiquis incolis in unam societatem seu civitatem coaluerint. Alios in praesenti epocha nominatim Saxones, Bulgaros, Bohemos, Moravos, Ruthenos, Polonos, Hungaros, Avares, Danos, Suevos, Normannos, ad religionem christianam aggregatos videbimus. Quum autem nova haec Occidentis regna unam quasi societatem christianam constituerent, anno 800 Leo Pp. III Carolo M., tanquam Religionis defensori et pacis publicae protectori in illa summam dignitatem contulit, eumque imperatorem constituit et unxit. Inde imperii germanico-christiani initia, cui ut supremi arbitri praesidebant RR. Pontifices, et in quo ius publicum, iam antehac in regnis christianis receptum, magis evolutum fuit.

Verum haec sacerdotium inter et imperium concordia et ordinatus rerum publicarum status non perdurarunt; sed, ut humanis rebus accidit, labente tempore turbata et pene subversa fuerunt. Bella civilia inter Caroli M. successores, frequentes magnatum factiones, principum in res sacras audacia, Normannorum incursiones Ecclesiae ac civitatis paci et prosperitati obfuerunt malaque ingentia attulerunt. Inde quippe secutae sunt sacerdotium inter et imperium discordiae, sacrorum iurium contemptus, litterarum et scientiarum iactura, disciplinae detrimentum, ignorantia inter viros etiam ecclesiasticos, morum depravatio.

Divina vero providentia, quae olim Ecclesiae contra principum furorem, philosophorum invidiam et haereticorum perfidiam tulerat opem, illam etiam protexit contra domesticorum flagitia; excitavit viros sincera pietate, fide et fervore plenos, qui ecclesiastica iura et libertatem vindicarunt, restituendae disciplinae et corrigendis moribus operam navarunt, et avitam Fidem non tantum ab erroribus illibatam defenderunt, sed etiam inter populos hactenus non credentes propagarunt.

In Oriente post Iconoclastarum turbas teterrimi schismatis, quo postea ecclesia Graeca a Romano-catholica avulsa fuit, initia posuit ambitiosus superbusque Photius. At quo magis Graeci a R. Ecclesiae obsequio

declinabant, eo infestiora sibi experti sunt arma Turcarum, qui, chalifarum Saracenorum potentia civilibus bellis attrita, iis praevaluerunt, Perside, Armenia, aliisque regionibus potiti sunt, graecumque imperium ad summas angustias redegerunt.

1. *Carolus M. rex Francorum* (*an.* 771) — Carolus M. an. 771 universum Francorum regno solus potitus [1], regni sui limites magnopere protulit: Longobardos in Italia, Mauros in Hispania, Avares in Hungaria, Slavos in Bohemia, ferocesque Saxones et Danos acie vicit, Ecclesiam protexit, Apostolicae Sedi contra rebelles et hostes opem tulit, eiusque ditionem plurimum auxit, propagandae christianae Religioni inter subactos populos operam praestitit, ad restituendam in populo, clero et in monasteriis disciplinam episcopis auxilium praebuit, instaurandae litterarum et scientiarum culturae animum applicuit. Quibus aliisque rebus gestis, ut videbimus, Magni cognomentum meruit.

2. *Hadrianus I Pontifex* (*an.* 772) — Post Stephanum III, qui obiit an. 772, ad summum pontificatum v° idus februarii evectus fuit Hadrianus I, Romanus, cardinalis diaconus, pietate ac eruditione commendandus, qui Ecclesiam gubernavit 23 annis et 11 fere mensibus, nempe usque ad an. 795. Is contra Desiderium regem Longobardorum, R. Ecclesiae ditioni infestum, Caroli M. opem imploravit, obtinuitque. Eum tunc in Romana synodo Caroli M. concessisse ius eligendi R. Pontificem et investiendi archiepiscopos et episcopos per singulas provincias, commentum est Sigeberti [2]. An. 781 ambos Caroli M. filios, Pipinum Italiae et Ludovicum Aquitaniae reges a patre creatos, Romae oleo sacro unxit. Irenes augustae eiusque filii Constantini imperatoris et Tharasii patriarchae Cp. votis de convocando generali concilio ad condemnandam Iconoclastarum haeresim et restituendum dogma catholicum assensit, legatosque, qui suo nomine ei praesiderent, misit, ut infra videbimus.

3. *Finis regni Longobardorum* (*an.*774) — Quum Desiderius rex Longobardorum, spretis omnibus pactis et iuribus, rursus exarchatum Ravennatensem invasisset, varias R. Ecclesiae urbes et castella occupasset, ipsisque Romanis timorem iniiceret; cum Hadrianus Pp. rem cum eo componere frustra tentasset, Pontifex pro urbis et populi sui defensione imploravit auxilium Caroli M. regis Francorum et Patricii Romanorum. Carolus primo legatos misit ad Desiderium, ut eum in ordinem redigeret. Cum vero nihil proficeret, Carolus an. 773 Alpes cum exercitu superavit, Longobardorum copiis ubique profligatis, Ticinum, quo Desiderius confugerat, obsidione cinxit. Tunc Spoletani, Reatini, Firmani, Auximani, Anconitani et Fulginatenses, a Desiderii metu liberi, Romam confugerunt, Hadrianum papam deprecantes, ut eos in servitium B. Petri et s. Romanae Ecclesiae susciperet, praestitoque iuramento promiserunt, se in fide Hadriani eiusque successorum fideliter permansuros; quos omnes Pontifex magna cum laetitia suscepit [1]. Tum Romam ad celebrandum Pascha et honoranda Apostolorum limina progressus est: ab Hadriano Pp. honorifice exceptus, donationes a Pipino patre suo R. Ecclesiae factas, non solum confirmavit, sed novo diplomate a se et episcopis, abbatibus, ducibus et comitibus, qui erant in suo comitatu, subscripto, Romanae Ecclesiae donavit totum exarchatum Ravennatensem, insulam Corsicam, provincias Venetiarum et Istriae, ducatus Spoletanum et Beneventanum, cum Parma et Mantua [2]. Hadrianus vero Carolo dono dedit codicem seu collectionem canonum, Carolus deinde bellum contra Longobardos prosecutus, eos superavit, Desiderium interceptum monasterio Corbeiensi inclusit, et an. 774 ditionem Longobardicam sceptro suo subiecit [3].

Carolus vix in Galliam regressus erat, quum Rotgandus, quem ducatui Foroiuliensi praefecerat, rebellionem molitus est, omnemque Italiam ad defectionem sollicitabat. Carolus litteris Hadriani Pp. de ea re certior redditus, an. 776 exercitum in Italiam duxit et debellato Rotgando, rebelles ad obsequium reduxit, et R. Ecclesiae ditionem auxit territorio Sabinensi. An. 787 Carolus rursum in Italiam movit ad compescendam audaciam Arigisii, ducis Beneventani, qui Longobardos ad excutiendum iugum Francicum excitabat. Arigisius adventu Caroli perterritus, se dedidit, fidem ei iuravit et

[1] Vid. p. 207.

[2] *Chron.* ad an. 773, apud Pistor. *Scriptor. rer. German.* t. I, p. 780. Cf Baron. ad an. 774 et 964; P. de Marca, *De concord. sacerd. et imper.* l. VIII, c. 12; Thomassin, *Disciplin. eccl.* p. II, l. II, c. 10 et 25; Sandini, *Dissert.* XIX.

[1] Anast. *Vitae RR. Pontif., Hadrian. I.*

[2] Anast., Ibid.

[3] Longobardi in Italia ingressi sunt anno 568, ideoque, regnum Longobardicum duravit tantum an. 206; videsis p. 157, 164, 172, 177, 196. Pagi ad an. 774, § 7.

obsides tradidit. Carolus eum in fidem recepit, novisque urbibus et castellis in Tuscia et Campania Apostolicam Sedem donavit. An. 781 filium suum Pipinum constituit regem Italiae seu Longobardiae, quem, ut et Ludovicum, alterum Caroli filium et a patre creatum regem Aquitaniae, Hadrianus Pp. Romae sacro oleo unxit[1].

4. *Bellum Saxonicum* — Eodem tempore Carolus M. bellum gerebat contra Saxones, quos tandem subegit et ab idolorum cultu ad Christianam religionem perduxit. Erant Saxones indole feroci et bellicosa; divisi in Ostphalos, Westphalos et Angarios seu medios, occupabant terras inter Albim et Amasium. Idolorum cultui addictissimi, etiam victimas humanas iis offerebant. Exeunte saeculo VII duo fratres Edwaldi, missionarii ex Anglia, eorum conversionem tentaverant; sed ambo interfecti fuerant. S. Bonifacius etiam priori medio saeculi VIII in eorum finibus Fidem praedicavit et nonnullos convertit. Post illos s. Lebwinus presbyter ex Anglia, ad Iselam in Frisia Saxonum et Francorum terminum, haud paucos baptizavit, et in ipsa eorum terra ecclesiam extruxit, quae tamen brevi post ab idololatris fuit destructa. Iidem Saxones iam a saeculo VI provincias Francorum praedabundi invadebant, et quamvis a regibus Francis saepius victi et ad pendendum tributum coacti, quavis data occasione, eorum iugum excutiebant, et provincias finitimas infestabant. Anno 772 Carolus M. copiosum exercitum contra Saxones duxit, eos post atrox utrinque praelium vicit, castrum Eresburgum cepit, et famosum idolum Irminsul destruxit, et Saxones usque ad Visurgim subegit.

Saxonum conversio — Saxones victi pacem postularunt et obsides dederunt. Carolus pacem cum eis composuit ea lege, ut missionarii, quos secum duxerat et inter quos erant ss. Lebuinus et Willebardus presbyteri, et Sturmius abbas Fuldensis, inter illos christianam fidem libere praedicarent. Verum an. 774, Carolo M. agente in Italia, Saxones missionarios eiecerunt, contiguas Francorum terras invaserunt, easque ferro et igne vastarunt. Anno sequenti Carolus ex Italia redux, rebelles rursum vicit; qui denuo fidem suam ei obligarunt, obsides dederunt, nulloque modo se Evangelii praedicationem impedituros spoponderunt. Carolus vix inde discesserat, quum Saxones iuratam fidem fregerunt; at inopinato eius adventu perterriti, ei ad Lippam an. 776 occurrerunt, se eius imperio subiecerunt, iuratam antea fidem confirmarunt, et multi cum uxoribus suis et liberis baptismum susceperunt.

Quum anno sequente (777) Carolus regni comitia celebraret Paderbornae, principes Saxonum ad ea etiam convenerunt, Carolo obsequium praestituri. Multi eorum baptismum postularunt, promittentes, nisi in fide Caroli eiusque filiorum perseverarent, se et sua omnia in arbitrio regis fore. Verumtamen an. 778 rebelles excitati a Witikindo, missionarios rursus eiecerunt, et ad Rhenum usque progressi omnia horrendum in modum depopulati sunt. Carolus rebelles repressit, et an. 780 magnus Saxonum numerus baptismum suscepit. Rex optime sciens, gentem barbaram religione magis quam armis esse domandam, priusquam in Galliam regrederetur, illis episcopos et presbyteros dedit, indicato singulis ad erudiendum populum certo regionis spatio. Ex quo tempore christiana fides celerius inter Saxones propagata est.

Quamvis semper victi et nonnunquam severe castigati, novas adhuc rebelliones tentarunt. Anno autem 785 rebellionum duces Witikindus et Albio Attiniacum ad Carolum venerunt, se ei submiserunt et baptizati sunt. Carolus christianae Religioni potius quam suo imperio Saxones subditos cupiens, illam ubique inter eos propagandam curavit. Witikindi et Albionis exemplo Saxones passim, proceres et plebeii, deorum cultum abiecerunt et baptismum postularunt; ecclesiae multae cum monasteriis extructae sunt, et ab an. 780 et deinceps instituti episcopatus Osnabrugensis, Mindensis, Verdensis et Bremensis, quibus an. 795 Paderbornensis, et an. 801 Monasteriensis additi sunt.

An. 793 Saxones ultra Albim consedentes et adhuc ethnici, alios infra Albim ad rebellionem excitare coeperunt; sed Carolus M. mox non tantum inter hos ordinem restituit, verum an. 796 Albim transgressus, omnes etiam illic Saxones subegit. Posthac adhuc sepius rebelles, sed confestim repressi, demum an. 803 sinceriorem fidem Carolo iurarunt. Tunc bello finis constitutus est, et Saxones in christiana Religione perseverarunt[1].

---

[1] Anast. *Vitae RR. Pontif.*, *Hadrianus I.* Eginhard. *Vita Caroli M.*; Regino, *Chronicon*; *Annales Fuldenses, Metenses, Bertiniani.*

[1] Eginhard. *Vita Caroli M.*, et *Annal.*; item, *Annales Fuldenses, Bertiniani, Laurissenses* et *Laurishamenses.*

5. *Avarum conversio* — Victor etiam exstitit Carolus M. de Avaribus, alias Hunnis, incolentibus antiquam Pannoniam in hodierna Hungaria et Austria infra Ànasum, quo a Bavaris separabantur. Cum illi etiam Francorum fines infestarent, Carolus M. ab anno 791 contra eosdem bellum gessit eo successu, ut intra 6 annos eorum terras usque ad Arabonam et Dravum sibi subiecerit. Sollicitus de novis subditis ad christianam Religionem adducendis, presbyteros ad eos destinari curavit, qui eosdem erudirent. Avares passim Fidem et baptismum susceperunt. Optime de eorum conversione meruit Arno, episcopus Salisburgensis, cui Avarum regio in spiritualibus subiecta fuit, cuiusque sedes ideo metropolitica iura accepit. Arno non tantum Avarum, Francis subditorum, sed etiam Slavorum Carinthiorum, quibus iam sub decessore suo, s. Virgilio, Evangelium fuerat annuntiatum, terras peragravit, ubique Fidem praedicans, ecclesias erigens, et presbyteros constituens. Atque ita christiana Religio illic longe lateque fuit propagata, et inde etiam ad alios populos Slavos conterminos delata [1].

6. *Ecclesiae status in Oriente* — Interim in Syria, Palestina, Aegypto, aliisque terris, Saracenorum dominationi subiectis, Christiani suam Religionem quidem exercere permittebantur, sed sub dura erant servitute. Varius fuit eorum status secundum diversam califarum, quibus parebant, indolem; alii ex his eos gravius, alii minus vexarunt: nonnulli eosdem cruento modo insectati sunt [2]. Praeterea rupta iam inde a saeculo VII inter Mahometanos religiosa et politica unitate, continua fuit apud eos de califatu concertatio, et factiones exortae sunt sibi invicem infensissimae, unde frequentissima et exitialia bella; quae omnia Christianorum in illorum terris conditionem admodum inquietam tristemque reddebant.

In imperio Graeco Constantinus Copronymus persecutionem contra sacrarum Imaginum cultum continuavit, ut diximus, usque ad annum 775, quo extinctus est. Ei in imperio successit Leo IV, eius filius, qui patris et avi sui bellum contra sacras Imagines prosecutus est, leniori tamen ratione, sed an. 779, quum imagines in occulto coli rescivisset, in id facientes severe animadvertit, ipsamque uxorem suam Irenem sub cuius cervicali imagines deprehenderat, repudiavit. Verum brevi post, anno scilicet 780, Leone IV mortuo, imperium accepit Constantinus VI, filius eius decennis, sub tùtela matris suae Irenis, quae pacem Ecclesiae restituendam curavit.

7. *Concilium Nicaenum II, generale VII* (*an.* 786-87) — Irenes augusta, rebus imperii aliquantum compositis, cum filio suo Tharasio, anno 784 ad sedem Cp. evecto, contulit de aptiori via extirpandae haereseos Iconoclasticae et restituendi dogmatis catholici. Placuit via Concilii generalis. Unde litteras supplices dederunt ad Adrianum Pp. I, ut convocationem generalis concilii adprobaret, illudque praesentia sua cohonestaret. Pontifex concilii celebrationi assensit datis ad eos litteris, in quibus laudata eorumdem erga Apostolicam Sedem obedientia, ss. Imaginum cultum egregie vindicavit. Praeterea Petrum presbyterum et Petrum abbatem Constantinopolim legavit, ut vice sui concilio praesiderent [1].

Concilium inchoatum est Constantinopoli an. 786; sed suborta praetorianorum militum, haeresi infectorum, seditione, illius celebratio dilata est in annum sequentem. Turbis autem compositis, an. 787 concilium resumptum fuit Nicaeae in Bithynia. Interfuerunt 350 episcopi, multi abbates et proceres. Politianus patriarcha Alexandrinus, Theodorus Antiochenus et Elias Hierosolymitanus, tyrannide Saracenorum praepediti, legatos miserunt, qui de traditione suarum ecclesiarum circa ss. Imaginum cultum testarentùr. Praesederunt duo Apostolicae Sedis legati, ut ex actis Concilii patet [2]. Habitae sunt Nicaeae 7 actiones seu sessiones; octava vero et ultima Constantinopoli. Actione 1ª, post elegantem Tharasii Cp. orationem, recitatae sunt litterae Constantini imperatoris et Irenis augustae, quibus inter alia mandabatur, ut secundum consuetudinem synodicam litterae Hadriani Pp. publice legerentur. Deinde plures episcopi, ciurata haeresi et poenitentia exhibita, in sacrum consessum admissi sunt. Act. 2ª lectae sunt Hadriani Pp. litterae; quibus ss. Imaginum causa explicabatur, et legatis postulantibus, num sancta Synodus eas reciperet, respondit synodus:

[1] *Annales Francorum* et *Laurissenses*; item, *Vita s. Rudberti*, apud Canisium, *Lection. antiquit.* t. III, p. 11.

[2] Theophan. *Chronograph.*

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 32 et 99.

[2] Cf Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. VIII, diss. 3. Errat profecto Photius, dum l. VII *De synodis* scribit, Tharasium huic concilio praesedisse; is solum, quia exercitatissimus et peritissimus linguae graecae, de legatorum assensu concilium oratione inchoavit et interlocutionibus direxit.

Sequimur, recipimus et probamus. Act. 3ª lectae sunt litterae Tharasii patriarchae ad caeteros Orientis patriarchas, horumque responsiones, et episcopi plures, qui lapsi fuerant, in sedes suas restituti sunt. Act. 4ª testimonia bene multa e ss. Scripturis et Patribus prolata sunt ad probandum legitimum ss. Imaginum cultum; anathemata dicta in haereticos Iconoclastas, et edita Fidei professio, cui singuli episcopi post Apostolicae Sedis legatos subscripserunt. Act. 5ª probatum est, Iconoclastas haeresim hausisse a Iudaeis, Manichaeis, Saracenis aliisque. Act. 6ª acta pseudo-synodi Cp. sub Constantino Copronymo habitae proscripta sunt. Act. 7ª sex praecedentia concilia oecumenica, confirmata sunt, et definitum, ss. Imaginibus honorariam adorationem, non tamen veram latriam esse exhibendam. « His ita se habentibus, inquit synodus, regiaque incedentes via, et sequentes divinitus inspiratum ss.PP. nostrorum magisterium ac catholicae traditionem Ecclesiae, definimus in omni certitudine et diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificæ Crucis,ita venerabiles ac ss.Imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia... Maxime Imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, dein intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis, venerandorum Angelorum et omnium Ssrum virorum. Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam et desiderium veniant illisque salutationem et honorariam adorationem exhibeant, non tamen quae secundum fidem est, veram latriam, quae solum divinae naturae competit; ita ut istis, sicut figurae pretiosae et vivificae Crucis et ss. Evangeliis et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad honorem harum efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit... ».

Praeterea concilium edidit 22 canones, spectantes potissimum ad rem hierarchicam, liturgicam et disciplinarem [1]. Quibus absolutis, episcopi ab augustis vocati sunt Constantinopolim, ubi solemni ritu inter effusas acclamationes concilii decreta recitata fuerunt. Tharasius Cp. patriarcha litteras scripsit ad Hadrianum Pp. ut eum de concilii gestis et consensione in dogma,a Pontifice praedicatum, certiorem redderet. Pontifex post legatorum suorum reditum, concilii acta suscepit et e graeco in latinum verti iussit [1].

Sic regnantibus Constantino et Irene, ss. Imaginum cultus in Oriente restitutus fuit; sed in Occidente, nempe in Galliis, occasione huius concilii graves disceptationes excitatae sunt.

8. *Libri Carolini et synodus Francofordiensis*—Quum primum concilii Nicaeni acta ad Gallos adlata sunt, multi offensi fuerunt, ac si in illo non relativus sed absolutus et latriae cultus, soli Deo debitus ss. Imaginibus fuisset assertus. Provenit hic Francorum error tum e mala actorum concilii Nicaeni, cui nullus eorum interfuerat, versione latina, pluriumque factorum ignorantia, tum ex ambiguo vocabulo *adorationis* in concilio Nicaeno a Graecis usurpato, quo hi non veram latriam, sed salutationem et adorationem honorariam intelligebant, uti expresse distinxerunt in suo decreto seu definitione dogmatica.

Brevi post (790) auctore anonymo prodierunt libri 4, dicti *Carolini*, quod Caroli M. nomine et forsan hortatu fuerint editi [2]. In iis concilii Nicaeni acta ad immoderatam crisim censuramque exigebantur et plus aequo perstringebantur, quasi absolutus ss. Imaginum cultus in iisdem foret praescriptus. Disputabant autem Franci de concilio Nicaeno non tanquam de oecumenica sed nationali Graecorum synodo, quod vix ulli episcopi Latini ei interfuissent, et Hadrianus Pp. illud necdum sollemni ritu, missis ad universam Ecclesiam litteris, confirmasset, aut ut oecumenicum concilium proposuisset.

Carolus M. ad sedandas controversias, occasione concilii Nicaeni et haereseos Adoptianorum, de qua mox dicemus, exortas, an. 794 numerosam episcoporum synodum ex universo regno suo congregavit Francofordiae ad Moenum. Editi in ea sunt 56 canones; quorum 1° damnata fuit haeresis Adoptianorum; 2° reprobata fuit doctrina eorum, qui ss. Imaginibus, eamque ac Deificae Trinitati, adorationem impendendam dicebant; quam doctrinam Patres Franco-

---

[1] Labbe, *Concil.* t. VII.

[1] Cf A. Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 11; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, part. II, c. 2-3.

[2] Disputant eruditi, quis fuerit auctor *librorum Carolinorum.* Videsis Natal. Alex. *Hist. eccl*, saec. VIII, diss. 6; Gretser. *Historia s. Crucis*, part. II; Le Coint, *Annales* ad an. 794. Libros illos primo typis edidit an. 1549 Ioannes Tilius. Cf H. J. Floss, *De suspecta Librorum Carolinorum a Ioanne Tilio editorum fide commentatio*, Bonnae 1860.

*

fordienses in concilio Nicaeno definitam fuisse, falso putabant. « Allata est in medium, inquiunt, quaestio de nova Graecorum synodo (*ita Franci tunc appellabant concilium Nicaenum II*), quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Ssrum, ita ut Deificae Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. Qui supra ss. Patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt ». Caeteri canones ad disciplinam spectant [1].

Hadrianus Pp. prolixam scripsit epistolam ad Carolum M., in qua ad singula capita *librorum Carolinorum* respondit et antiquam doctrinam de ss. Imaginum cultu explicavit, cui cum consentanea esset concilii Nicaeni definitio, se illud suscepisse significavit [2]. Cum autem Franci ab errore Iconomachorum essent alieni, et communionem cum iis, qui Nicaenam synodum suscipiebant, non rumperent, neque moderatum, sed absolutum, superstitiosum et periculosum imaginum cultum improbarent, Hadrianus, oeconomia usus, censuit, ad tempus abstinendum ab obligandis Francis ad recipiendum concilium Nicaenum tanquam oecumenicum, donec ii, rebus melius perspectis, errorem facti, in quo versabantur, deponerent. Hinc factum est, ut nonnisi post plures annos Franco-Galli, rem melius edocti, concilium VII susceperint [3].

9. *Adoptianorum haeresis* — In Hispania errorem gravissimum propagarunt Felix episcopus Urgellitanus et Elipandus archiepisc. Toletanus. Felix an. 783 ab Elipando consultus, an Christus secundum humanam naturam, seu quatenus homo est, proprius an solum adoptivus Dei Filius credendus atque dicendus sit, respondit, dicendum esse *adoptivum*. Felici facile assensit Elipandus. Ambo hanc doctrinam ore et scripto propugnarunt, et haereseos Adoptianorum auctores fuerunt. Erat haec doctrina nestorianae haereseos instauratio; quum enim adoptionis et filiationis terminus afficiat personam, si Christus, qua homo, esset solum adoptivus Dei Filius, consequeretur, non tantum naturam sed etiam personam humanam in Christo ad divinae consortium fuisse assumptam, duosque in eo esse distinguendos Dei Filios, proprium et adoptivum [1].

Brevi tempore multi in Hispania et in Gallia meridionali tum episcopi, presbyteri et monachi, tum laici, Felicis et Elipandi doctrinam amplexi sunt. Haeresis confestim a viris doctis confutata et ab episcopis in synodis atque a Romano Pontifice damnata fuit. In primis Etherius Episcopus Uxamensis et Beatus presbyter libros duos contra Elipandum scripserunt. Eodem tempore Hadrianus Pp. epistolam scripsit ad episcopos Hispaniae, eos admonens, ut sibi ab Elipandi errore caventes, constanter perseverarent in avita doctrina, quae confitetur, Christum esse proprium et unigenitum Dei Filium, ita ut idem sit Filius Dei qui Filius hominis [2]. Paulo post eundem errorem doctissimis libris confutarunt et catholicum dogma vindicarunt Alcuinus et s. Paulinus patriarcha Aquileiensis. Quum autem sedes Urgellitana sita esset in ea Hispaniae parte, quae Francis subiecta erat, et error etiam in Galliam penetrasset, Carolus M. an. 792 synodum coëgit Ratisbonae, in qua Felix, iussu regis accersitus, erroris convictus fuit. A rege missus Romam, coram Hadriano Pp. haeresim abiuravit. Verum Urgellam redux, errorem resumpsit et in terras Maurorum confugiens, una cum Elipando aliisque adoptianis Hispaniae episcopis propagare conatus est. Carolus M. acceptis ab Elipando aliisque Adoptianis litteris, quibus illi novam causae discussionem postulabant, an. 794 coëgit supra laudatam synodum Francofordiensem, in qua Felicis et Elipandi doctrina tamquam impia et nefanda haeresis damnata fuit [3]. Tunc Carolus M. Leidradum episcopum Lugdunensem et duos alios sacerdotes in subiectam sibi Hispaniae partem misit, ut adoptianos ad catholicam veritatem reducerent, quod ii optimo cum successu fecerunt. Felix vero et Elipandus in errore pertinaces exstiterunt. Quapropter Leo Pp. III, Hadriani successor, an. 799 in Romana synodo haeresim adoptianam ite-

---

1 Labbe, t. VII, p. 1013.

2 Ibid. p. 915.

3 Ea, quae Dallaeus et alii e libris Carolinis, et e synodo Francofordiensi opponere conati sunt contra catholicam doctrinam de sacrarum Imaginum cultu, confutata reperies apud Natal. Alex *Hist. eccl.* saec VIII, diss. VI, § 7-8; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, part. II, c. 4, etc.

1 Errant profecto Walchius (*Hist. Adoptianor.*), et Basnagius (apud Canisium, *Lect. antiquit.* t. II, p. 284) dicentes, hanc controversiam in mera logomachia et diversa verborum acceptione atque explicatione fuisse positam. Videsis Natal. Alex. loc. cit. diss. VII; I. F. Madris. *Dissert. de haeresi Feliciana et Elipandiana*, apud Zachar. *Thesaur. theol* t. IX, p. 353.

2 Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1014.

3 Labbe, ibid. p. 1013 sqq.

rum damnavit, et Felicem, nisi eam abiiceret, anathematizatum et ab Ecclesia separatum declaravit [1]. Tunc Felixad meliorem mentem conversus, Aquisgranum profectus est, ubi an. 799 ab Alcuino in synodo plenissime confutatus et erroris convictus, haeresim abiuravit. Quoniam vero de eius sinceritate vel constantia dubitaretur, sedi suae non fuit restitutus, sed Lugduni sub inspectione episcopi vivere iussus est, ubi an. 818 supremum diem obiit. Neque inanis erat ista de constantia Felicis dubitatio, siquidem post eius mortem novum scriptum, ad confutandum pristinum errorem ab eo compositum, repertum est, quod Agobardus episcopus Lugdunensis refutavit. Maius dubium est, num Elipandus, qui sub Maurorum dominio secure agebat, et initio saeculi IX obiit, ad meliorem mentem redierit. Adoptianorum factio cum suis auctoribus disparuit [2].

10. *Rerum status in Hispania* — Alphonso, cognomento catholico, qui in Hispania christianum Asturiae regnum magnopere auxit, an. 757 defuncto, successerat Froila. Hunc an. 768 excepit Aurelius, cui an. 775 successit Sila, qui regnavit usque ad an. 783. Erant tunc temporis inter emiras Maurorum in Hispania discordiae magnae et concertationes de summo imperio, quibus bene usi sunt nominati principes ad proferendos regni sui limites. An. 777 Solimanus, emira Caesaraugustae, Caroli M. opem imploravit contra Abd-el-Raham, qui summum Maurorum principatum in Hispania arripuerat. Carolus christianorum in Hispania conditioni consultum cupiens, expeditionem in illam suscepit; et superatis Pyreneis, omnes provincias usque ad Iberum occupavit. Emirae se Carolo dederunt, quos is in fidem recepit. Verum Carolo propter Saxonum rebellionem ex Hispania evocato, Abd-el-Raham omnem fere terram usque ad montes Pyreneos sub potestatem suam redegit. Hunc califam an. 788 excepit Hoscham, qui regnavit usque ad an. 796, et contra Francos et Asturices prosperum bellum gessit. In Asturia post Silam, an. 783 defunctum, regnavit Maugaretus, qui scelestissimam pactionem cum Mauris iniit. Eum an. 789 excepit Veremundus diaconus, qui biennio post regnum cessit Alphonso II, cognomine Casto. Hic contra Mauros prospere certavit, labentem regni sui statum restituit, tum religionis et liberalitatis, tum bellicae artis laude suis carus et exteris formidabilis, regnavit usque ad annum 844. Bellum vero inter califam Cordubensem et Carolum M. semel et iterum resumptum est, donec an. 812 inter eos de pace triennali et de Ibero ceu termino inter utriusque regnum convenit.

Iis porro bellis, quae annis multis gesta sunt, ecclesiarum status in Hispania multum perturbatus fuit.

11. *Scriptores ecclesiastici* — Inter scriptores, numero non multos, de quibus in fine praecedentis epochae loquuti sumus [1], hi quoque enumerati sunt, qui sub exitum huius saeculi floruerunt: Georgius, monachus et Tharasii Cp. syncellus, qui *Chronicon* scripsit ab exordio mundi usque ad initia Diocletiani imperatoris [2]; s. Theophanes abbas, pro ss. Imaginum cultu an. 818 in exilio defunctus, qui reliquit *Cronographiam* ab initiis Diocletiani imperatoris usque ad an. 813 [3]; Paulus Warnefridus, gente Longobardus, ecclesiae Aquileiensis diaconus, Desiderio Longobardorum regi a secretis, deinde monachus Casinensis, qui praeter alia edidit *Historiae Longobardorum* libros sex et continuationem historiae *Miscellae* Eutropii [4]; s. Paulinus, episcopus Aquileiensis, qui scripsit libellum sacrosyllabum *de SS. Trinitate* adversus Elipandum Toletanum, libros 3 contra Felicem Urgellitanum, et alia [5]; Alcuinus, gente Anglus, ecclesiae Eboracensis diaconus, litterarum atque scientiarum tum sacrarum tum profanarum peritus, qui a Carolo M. in Galliam invitatus, ei potentissimam opem tulit in restaurandis litteris et scientiis, multos discipulos informavit, eruditionis fama celebres, reliquitque epistolas plurimas, expositiones et commentaria in s. Scripturam, libros *de SS. Trinitate, de processione Spiritus S. a Patre et Filio*, aliosque contra Felicem et Elipandum [6].

12. *Leo III Pontifex* (*an.* 795) — Hadrianus VIII° cal. ianuarii 795 decessit, cum annos tres et viginti, menses decem, et dies

[1] Labbe, ibid. p. 1119.
[2] *Annal. Francorum, Metens.* et *Loisel.*; Paulinus et Alcuinus, *LL. contra Felicem et Elipandum.*

[1] Videsis, p. 200-201.
[2] Edidit I. Goar, Paris. 1652, in-fol.
[3] Prodiit cum notis Goar et Combefis, Paris. 1655, in-fol.
[4] Extant in *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XIII, et apud Muratori, *Scriptor. rer. Ital.* t. I.
[5] Edidit Madrisius, Venet. 1737, in-fol.
[6] Edidit Forben, Ratisbon. 1777, 2 vol. in-fol.— Liber *Diurnus RR. Pontificum,* incerti auctoris saeculi ipsius, ad veterem historiam Ecclesiae illustrandam utilissimus, an. 1680 editus fuit a Garnierio, in-4°, cum notis et dissertationibus.

septemdecim in Pontificatu confecisset, ita Carolo M. carus, ut audita eius morte non temperaverit a lacrymis[1]. Postridie obitus Hadriani eo ipso die, quo sepulturae mandatus est, unanimi cleri populique consensu suffectus est Leo III, Romanus, presbyter cardinalis, eruditione morumque integritate clarissimus, qui sedit usque ad an. 816. Is mox electionem suam significavit Carolo M. Francorum Regi, eum hortatus est, ut Romanam Ecclesiam tueri pergeret, eidem patriciatus romani honorem et ius seu defensionem R. Ecclesiae et Urbis confirmavit; ideoque ad eumdem misit vexillum Urbis cum clavibus Confessionis s. Petri seu e sepulcro Petri acceptis. Quorum insignium duorum altero quidem civilis, altero vero Ecclesiasticae rei defendendae facultas Carolo deferebatur[2]. Anno vero 799 Paschalis primicerius et Campulus sacellarius R. Ecclesiae, inique ferentes, Leonem III in pontificatu sibi fuisse praelatum, nefarios homines excitarunt, qui Pontificem, ad litanias maiores seu supplicationem pergentem, in via aggressi sunt, multisque vulneribus affectum,

[1] Eginhardus, in *Vita Caroli M.* c. 19.—Anastasius, (t. I, in *Vita Hadriani I*) refert eum fecisse pharum maiorem in Ecclesia s. Petri in typum Crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas et septuaginta; et constituisse, ut quatuor vicibus in anno accendatur, idest in Nativitate Domini, in Paschate, in natali Apostolorum, et in natali Pontificis.

[2] Nicolaus Alemannus, *De Lateranensibus Parietinis*, c. 14 (in *Thesauro Antiquitatum et Historiarum Italiae*, t. VIII, part. 4), haec habet: « Nec audiendi sunt novatores, qui Carolum per Claves Confessionis s. Petri in possessionem Romanae Ecclesiae immissum volunt»; vid. Cointius ad an. 796, § 24. Ad rem advertit Andreas Victorellus (in *Addition.* ad Ciaconium in *Vita Leonis III*) «Claves Confessionis s. Petri a Leone missas ad Carolum non fuisse *thecas Reliquiis refertas*, ut visum est Bellarmino (*De Translatione Imperii*, l. I, c. 13), et Baronio (ad an. 796, § 16), sed veras claves, quae Vaticanae Basilicae fores claudebant et reserabant, vel monumenti Principis Apostolorum penetralia servabant. Id enim fecit Gregorius III, cum Carolo Martello Urbanam obtulit praefecturam, petiitque ab eo, ut Romanae Ecclesiae susciperet defensionem: indicabat autem ea re Gregorius se Carolo Martello defendendae Ecclesiae negotium tribuere; et nihil tam sanctum Romae reperiri, quod sub eius tutela et praesidio esse, non exoptaret ». Abrahamus Bzovius (*De Rom. Pont.* apud Rocabertum t. I *Bibliothecae Pontificiae*) subiungit: *Falsi Novatores, qui ex eo quod Leo III Carolo M. claves aureas ex Sepulcro s. Petri de more acceptas, et vexillum Romanae Urbis miserit, per claves Carolum in possessionem Romanae Ecclesiae, et per vexillum Romanae Urbis immissum affirmant, ignorantes miseri, vexillum tamquam Defensori Ecclesiae, Claves autem velut religioso reliquiarum cultori missas ritu prisco esse; cum ea non tantum Imperatoribus, verum et aliis Principibus Christianis, quibus nihil iuris in Ecclesiam Romanam est, temporibus Gregorii causa devotionis mitterentur.* Eadem ante Bzovium scripserat Baronius, ad an. 796, § 16. Eodem modo loquitur Pagius, ad an. eundem n. 4.

in custodiam detruserunt. Leo Pp. paulo post amicorum ope e custodia eductus, in Galliam ad Carolum M. confugit. Carolus Pontificem Romam reduxit et gratulantibus Romanis in locum suum restituit. Praeterea in causa Leonis, ab adversariis falso accusati, archiepiscoporum, episcoporum et abbatum, Italorum et Gallorum, synodum coëgit. Illi vero omnes contestati sunt, se non posse iudices esse Pontificis. «Nos, inquiunt, Sedem Apostolicam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus; nam ab ipsa nos omnes et vicario suo iudicamur; ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; sed sicut ipse Summus Pontifex censuerit, canonice obediemus». Quapropter Leo III s. Evangelia amplexus, ambonem conscendit, et coram omnibus ordinibus se ab affictis sibi criminibus iuramento purgavit[1].

Post paucos annos idem Pontifex rogatu Caroli se contulit Mantuam, inquisiturus, an reipsa illic, ut fama erat, reperiretur spongia, a Longino, qui latus Christi Domini transfixerat, sanguine Salvatoris imbuta. Inde Leo Pp. transiit in Galliam, ut ad Carolum de eadem re referret[2]. A rege honorifice exceptus, Natalem Domini cum eo celebravit apud Carisiacum. Inde per Bavariam regressus est in Italiam.

Pontificem, cum in Germania consisteret, petente Carolo, B. Suitbertum sollemni ritu in Ss. album retulisse, hancque esse primam sollemnem canonizationem, aliqui scripserunt, permoti epistola s. Ludgeri, episcopi Monasteriensis, quam recitat Baronius[3]. At istam narrationem esse falsam et epistolam Lugderi supposititiam, iamdudum eruditi ostenderunt[4].

13. *Carolus M. imperator* (*an.* 800) — Leo Pp. III a Carolo M. in locum suum, ut supra diximus, restitutus; ut hunc principem de Ecclesia optime meritum, novo beneficio ad illius defensionem excitaret, an. 800 festo die natalis Domini in basilica s. Petri eum Romanorum imperatorem salutavit, et acclamantibus Romanis oleo sacro inaugu-

[1] Anastas. *Vitae RR. Pontif.*, *Leo III.*

[2] Baronius et Pagi, ad an. 804. De guttulis sanguinis Christi Domini, quae Mantuae vel in aliis nonnullis ecclesiis conservantur, videsis s. Thomam, *Summa*, part. III, q. 54, a. 2, ad 3; Card. de Lugo, *Disput.* 11 *de Incarnat.* sect. 6, n. 41; Benedict. XIV, *De Beatif. et canonizat.* l. IV, part. 2, c. 7; Honorat. a s. Maria, *Animadvers. in usum et regul. crit.* — Nuperrime de Mantuana Sanguinis Christi insigni lipsana sermo quoque fuit in ephem. *La Scienza e la Fede*; cf. vol. 102, pp. 372 sqq. et 514. Napoli 1876.

[3] *Annal.* ad an. 804.

[4] Cf. Benedict. XIV, loc. cit. l. I, c. 7 et 8.

ravit atque pretiosissima corona decoravit[1]. Quare ipse omisso Patricii nomine Imperator et Augustus appellatus est[2].

Tali modo Leo III imperium romanum, iam abhinc 300 et amplius annis in Occidente extinctum, instauravit, — atque ita Romanum Imperium ob destitutum a Graeco Imperatore Ecclesiae patrocinium, pervenit ad Francos [3]. Complectebatur istud imperium in primis haec duo: officium tuendae Ecclesiae contra infideles, haereticos et seditiosos, atque summam dignitatem seu honoris primatum supra occidentis principes; adeo ut Carolus M. eiusque successores, a RR. Pontificibus uncti et inaugurati, praeter augustum nomen et imperialia insignia in republica seu societate christiana acciperent maiestatem, et Ecclesiae universae, praesertim Romanae tutores et societatis christianae protectores constituerentur[1]. — Summa tamen dominatio in ducatu Romano et exarchatu remansit apud solum R. Pontificem[2]. Cum Carolus Imperator Roma digressus Spoleti degeret, terra ingenti concussa motu tectum Basilicae s. Pauli Romae excussit, quarumdam urbium Italiae partes diruit, montes etiam prostravit. Ob id institutum est a Leone, ut praecedentibus tribus Ascensionem diebus supplicationes ad diversa templa haberentur; quam rem Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia in Ecclesiam suam primus intulerat, seque pariter ingentis quondam terraemotus periculo liberaverat[2].

---

[1] Anast. *Vitae RR. Pontif.*, *Leo III*; Eginhard. *Vita Caroli M.*, *Annales Laurissenses*, *Bertiniani*, etc.

[2] *Annal. Laureshamens.* etc. Carolus M. primus inter Imperatores Occidentis a Leone III e sollemni ritu inauguratus est. Eius exemplo Ludovicus Pius a Stephano IV, Lotharius eius filius a Paschali I an. 823, Ludovicus II Lothario genitus, an. 850 a Leone IV, et deinde alii. Non enim Francorum reges se Imperatoris nomine appellarunt, antequam Romae a summo Pontifice sacro oleo inungerentur. Ludovicus II (in *Epist.* ad Basilium Macedonem, Graecorum Imperatorem) inquit: *Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam atque sublimandam suscepimus, ex qua et regnandi prius, et postmodum imperandi auctoritatem prosapiae nostrae seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti sunt, ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt*; apud Baronium, ad an. 871, § 59. Germani postea Imperatores semel, iterum, ac tertio inaugurari consueverunt. Siquidem Aquisgrani primum imponebatur ipsis corona argentea, tamquam Germaniae regibus; deinde Mediolani ferrea, ut Regibus Longobardorum; postremo aurea Romae, ut Imperatoribus. Ritus et coeremonias describit Ludovicus Antonius Muratorius in *Comment. De Corona ferrea*, c. 16; vide etiam Edmundum Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. II, c. 9. Albertus Krantzius (l. I *Metropolis* c. 14) animadvertit, quod *olim Imperatores non passi vivere Pontifices ad supplicia devocabant, et Graeculi, postquam apud eos extincta stirpe* Constantini, *et deinde* Magni Theodosii, *non habuere Romanum Pontificem, nisi quem ipsi confirmassent. Mutatae sunt rerum vices, ut non habeatur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmarit et consecrarit.* Quod media praesertim aetate adamussim observatum scimus.

[3] Nicolaus Alemannus (*Op. cit.* c. 15) haec habet: *Transferendi causas Imperii tres potissimum habuit* Leo, *habuerunt eius praedecessores iam inde* a Gregorio II. *Quod Orientis Imperatores pessum Religionem dedissent; quod Pontificum Maximorum neglecta defensione hostes evasissent; quod iura Ecclesiae Romanae per scelus occupassent.* Ludovicus Augustus Basilio Macedoni sic exprobravit religionis crimen: *Sicut nos Christiani per fidem Christi Abrahae semen existimus, et Iudaei per perfidiam Abrahae filii esse desierunt; ita quoque nos propter orthodoxiam, idest bonam opinionem, regimen Imperii Romani suscepimus: Graeci vero propter cacodoxiam, videlicet malam opinionem, Romanorum Imperatores existere cessaverunt* (in *Epist.* apud Baronium, ad anno 871, § 61). De instauratione Imperii Occidentalis facta a Leone III fuse disseruit Cardinalis Sfondratus in *Gallia vindicata*, Dissert. 2, § 2, n. 7; Bellarminus, *De translatione Imperii a Graecis ad Francos*, et Cardinalis Petra, *Comment. ad Constitut. Apostolicas*. t. III. n. 7. Vid quoque Sandini, in adnot. 4 ad *s. Simplicium Pp.*

---

[1] Bellarmin., *De translatione imperii*; Sfondrat. *Gallia vindicat.*, diss. 2; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. IX, diss. I, cum animadversionibus Roncagliae et Mansi, Cenni, *Monumenta dominationis pontif.*; Orsi, *Della origine del dominio e della sovranità dei Rom. Pontefici.*

[2] Sigonius, *De regno Italiae*, l. IV, ad an. 801. Ordericus Vitalis, *Hist. eccl.* l. II, scribit: *Post haec Indictione IX, II cal. maii, terraemotus magnus factus est, et totam Ecclesiam s. Pauli Apostoli diruit, quam Leo Papa optime reparavit. Litanias quoque idem Praesul tribus diebus ante Ascensionem Domini iussit celebrari. Nullus praedecessorum eius in Ecclesiis Sanctorum et ornamentis vel aliis necessariis rebus plusquam ille operatus est.* Has vero Litanias sancti Patres non equitando, non vestibus praetiosis utendo, sed in cinere et cilicio, sicut et Maiorem Litaniam, observari statuerunt. Vide Micrologum, *Op. cit.* c. 57, t. XVIII *Bibliothecae Patrum*; vid. quoque Hugonem Menardum in *Observat. ad librum Sacramentorum* s. Gregorii, p. 393; Bonam, *De Divina Psalmodia*, c. 14, § 4; Mabillonium, *De Liturgia Gallicana*, p. 152 et Edmundum Martene, *De Divinis Officiis*, c. 27. Antiquissimum esse Litaniarum, seu supplicationum publicarum usum, probat s. Ambrosius, *Epist.* 40, § 16, t. II; sed recte observat Iac. Sirmondus, in *Observat* in Sidonium Apollinarem (l. V *Epist.* 14), quod frustra laborant, qui propterea quod Litanias supplicationesque ante Mamertum in Ecclesia extitisse legunt; ideo illum Rogationum non primum auctorem, sed restauratorem dici volunt. Neque enim quaestio est, an primus Litaniarum usum in Ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse; sed an eas Mamertus instituerit, quae ante Ascensionem Domini celebrantur, Rogationesque propria iam voce nuncupantur. In quo omnes consentiunt, et Sidonii verba dubitari non sinunt. quae huiusmodi sunt: *quarum Rogationum nobis sollemnitatem primus Mamertus Pater et Pontifex reverentissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit.* Heic non abs re est adiungere ex Benedicto XIV (*De Servor. Dei Beatif. et Canoniz.* l. IV, part. 2, c. 10, n. 1), quod Litaniae nomen quandoque significat processionem, aliquando quodcumque genus precum; demum quamdam seriem Sanctorum, qui in quibusdam precibus coluntur et invocantur.

Amplissimum porro erat Caroli M. imperium; in sua quippe potestate tenebat universam Galliam, in Hispania quidquid occurrit a Pyreneis usque ad Iberum, in Italia priscam ditionem Longobardicam cum Istria, Liburnia et insula Corsica; per Germaniam, Frisiam, Saxoniam, aliasque regiones imperii sui fines protulit usque ad Eideram, mare Balticum, Albim, Arabonam et Adriam. Tanta erat nominis eius fama, ut Saracenorum califa Aaron-al-Raschid eum legationibus muneribusque honorarit, missisque s. Sepulcri clavibus et vexillo dominium s. Sepulcri constituerit[1].

Carolus potestate sua ad Religionis et reipublicae prosperitatem usus est. Nihil neglexit eorum, quae erant principis christiani, ut subacti populi barbari ab idolorum cultu et saeva vivendi ratione ad religionem christianam et vitam humaniorem perducerentur. Ecclesias et monasteria muneribus et privilegiis decoravit. Quanta sollicitudine interiorem imperii statum composuerit, constat ex eius Capitulariis. Condita sunt haec Capitularia in comitiis tum ecclesiasticorum, episcoporum et abatum, tum laicorum, procerum; ideo et ecclesiasticas et civiles leges complectuntur. Eae autem leges, quae ad ecclesiasticas personas et res spectant, pleraeque excerptae sunt e Conciliorum canonibus et Pontificum decretis[2]. Ut autem leges sacrae et civiles ubique custodirentur, per provincias constituti sunt *Missi dominici*, electi ex utrisque ecclesiasticorum et laicorum procerum ordinibus. Hi de legum observantia in provinciis, de episcopis, abbatibus, monachis, magistratibus et aliis, de eorum inter se concordia et dissidiis, de criminibus inquirebant, querelas excipiebant, et quotannis legationis suae rationem in comitiis reddebant[3]. Litterarum, scientiarum et artium studium atque culturam Carolus insigniter promovit; in urbibus et pagis scholas excitandas curavit; cum episcopis et abbatibus egit ut erigerentur ss. Litterarum et scientiarum scholae in ecclesiis cathedralibus et monasteriis; bibliothecas existentes auxit, novasque creavit; viros eruditos nominatim celebrem Alcuinum in regnum suum evocavit, magistros constituit, praemio et honore affecit[1]. Quanta autem emolumenta inde in litterarum et scientiarum culturam et prosperitatem redundarint, quisque facile colligit; et sat comprobant viri docti, in his scholis instituti, inter quos Theganus episcopus Trevirensis, Nithardus abbas, Walafridus Strabo, Paschasius Radbertus, Rabanus Maurus, aliique.

14. *Synodi Gallici* — An. 802 Carolus M. pro communi omnium imperii ordinum reformatione conventum generalem indixit Aquisgrani. In eo, post praestitum imperatori fidei sacramentum, lecta sunt Conciliorum et Pontificum decreta, regula s. Benedicti et regni leges. Sancitum est, ut quisque pro loco et ordine suo ea diligenter servaret et quae contra irrepserant, in clero secundum sacros canones, in monachis secundum regulam s. Benedicti, in comitibus et populo secundum regni leges corrigerentur. Episcopi ad instructionem sacerdotum ediderunt *Capitulare* constans 22 articulis. Imperator etiam nonnulla Capitularia promulgavit, in quibus inter alia de consilio Leonis Pp. constitutum est, ut chorepiscopi nihil agere praesumerent eorum, quae erant ministerii episcopalis, et deinceps chorepiscopi non constituerentur, ut episcopi et sacerdotes immunes essent ab expeditionibus bellicis, et in exercitu non forent nisi duo episcopi cum aliquot sacerdotibus, qui sacra ministrarent[2].

Episcopi etiam imperatoris mandato per provincias synodos celebrarunt ad reformandos in clero et in populo mores. Ad id anno 813 synodos 5 in Gallia coactas legimus, nimirum Arelatensem, Moguntiacam, Rhemensem, Turonensem et Cabilonensem, in quibus multa restituendae disciplinae utilia decreta sunt[3].

15. *Controversia de processione Spiritus S.*—Anno autem 809 synodus numerosa coacta fuit Aquisgrani, in qua tractata est quaestio de processione Spiritus Sancti. Spiritum S. procedere ex Patre et ex Filio, una cum latinis tradidere Patres graeci, atque in hac ipsa doctrina usque ad schisma Photianum Ecclesia orientalis consensit cum occidentali. Saeculo IV, quum ab hac doctrina aberrarent Ariani et Macedoniani, Spiritum S. a Filio procreatum seu factum dicentes, Concilium Cpnum I simbolo Nicaeno de Spiritu S. addidit haec verba: *Qui ex Patre*

[1] Eginhard. *Vita Caroli M.*, *Monach. Engolis.*

[2] *Capitularia* Caroli M. collegerunt et ediderunt Ansegisus abbas et Benedictus diaconus saec. IX; eadem ac *Capitularia* aliorum regum Francorum postea edidit Baluzius, Paris. 1677, 2 vol. in-fol.

[3] *Capitular.* l. IV, c. 67.

[1] *Histoire littèraire de France*, t. IV.

[2] *Annal. Lambec.* ad an. 802; Baluz. *Capitular. reg. Franc.* t. I.

[3] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1231-59.

procedit, non ad processionem a Filio, sed errorem praefatorum haereticorum excludendum. Cum deinde Visigothi arianos errores intulissent in Hispaniam, negarentque, Spiritum S. procedere a Filio, episcopi Hispani iam inde a saeculo VI in fidei confessionibus, quas, occasione conversionis Visigothorum et Suevorum ad catholicam fidem, in synodis ediderunt, diserte expresserunt doctrinam de processione Spiritus S. ex Patre et ex Filio. Anno vero 767 de hac doctrina orta est disputatio in Gallia inter legatos, quos Paulus Pp. I, et Constantinus Copronymus imperator Graecorum, ad Pipinum regem deputaverant. Graeci enim accusati, quod sacras imagines persequerentur, Romanos accusarunt, quod Spiritum S. ex Filio sicut ex Patre procedere docerent, et Symbolum Cpnum corrumperent. Pipinus rex de utraque quaestione synodum habendam curavit in villa Gentiliaco prope Parisios. Quamvis acta huius synodi ad nos non pervenerint, non est tamen dubium, quin vera doctrina in ea fuerit vindicata. Anno 796 synodus Foroiuliensis, celebrata a s. Paulino patriarcha Aquileiensi, processionem Spiritus S. ex Patre et Filio e pluribus S. Scripturae locis probavit, vocabulum *Filioque*, quo vera doctrina contra haereticorum errores exprimeretur, symbolo Cpno bene additum iudicavit, idemque symbolum cum ea additione legit.

Quo autem tempore et auctore vocabulum *Filioque* symbolo Cpno fuerit additum, hocque symbolum cum ea additione in ecclesiis cani coeperit, incertum est. Verisimiliter id primo in ecclesiis Hispaniae a tempore conversionis Visigothorum et Suevorum ad catholicam fidem introductum fuit, deinde a vicinis Galliae et postea a caeteris Occidentis ecclesiis susceptum. Morem canendi symbolum cum vocabulo *Filioque* iam initio saeculi IX in ecclesiis Galliae obtinuisse, constat ex actis legationis, quam anno 809 synodus Aquisgranensis destinavit ad Leonem Pp. III.

Quum enim Ioannes monachus Palaestinus contra monachos Francos, in monte Olivarum prope Hierosolymam degentes, quaestionem movisset de processione Spiritus S., Carolus Magnus de ea re litteris illorum monachorum certior redditus, Theodulpho episcopo Aurelianensi mandavit, ut de praefata quaestione PP. testimonia colligeret, et an. 809 eandem quaestionem tractandam curavit in numerosa synodo Aquisgranensi. Theodulphus Patrum tum graecorum tum latinorum sententias, quibus processio Spiritus S. ex Filio aeque ac ex Patre comprobaretur, conscripsit eiusque liber procul dubio contulit, ut vera doctrina in Aquisgranensi synodo confirmaretur. Ut autem quaestio ipsius Pontificis auctoritate definiretur, synodus Romam legavit Bernarium episcopum Wormatiensem et Adalardum abbatem Corbeiensem. Leo III doctrinam de processione Spiritus S. ex Patre et ex Filio plane probavit, et contrarium sentire vel docere sub poena excommunicationis prohibuit; sed, ne Graecis occasionem praeberet criminandi Latinos, ac si symbolum Cp. contemnerent, approbare noluit additionem *Filioque*, quam Franci symbolo fecerant, horumque legatis respondit, ut mos ita symbolum cantandi in ecclesiis Galliae prudenti ratione tolleretur.

Verumtamen non tantum in Hispaniae et Galliae, sed sensim etiam in Germaniae, Italiae aliisque ecclesiis latinis atque in ipsa Romana usus obtinuit, ut symbolum cum additione *Filioque* legeretur et cantaretur. Quodnam id factum sit in ecclesia Romana, haud certum est, alii illud ad Nicolai I, qui Ecclesiam rexit ab an. 858 usque ad an. 867, alii ad Benedicti VIII, qui sedit ab anno 1012 usque ad 1024, tempora referunt[1].

Postea et ipsum dogma de processione Spiritus S., et declarationem seu expositionem dogmatis, additam symbolo Cp. per vocabulum *Filioque*, a Graecis schismaticis impugnata videbimus.

16. *S. Ludgerus Saxonum apostolus* — Interea religio christiana inter Saxones magna incrementa capiebat. Inter Saxoniae apostolos celebris est s. Ludgerus, qui cum annis aliquot Evangelium praedicasset in Frisia, eodem ministerio functus est in Saxonia. An. 801 ab Hildibaldo antistite Coloniensi ordinatus est episcopus Mimigardefordensis in Westphalia, qui locus postea a monasterio, quod in eo excitavit, appellatus est Monasterium. Vix dici potest, quantam operam navarit extirpandis idololatriae reliquiis et excitandis ecclesiis atque monasteriis. Obiit anno 809 vitae sanctitate et miraculorum dono insignis[2].

17. *Ecclesiae status in Anglia* — In Anglia reges et populi in religionis christianae professione perseverabant. Verumtamen ecclesiarum libertas atque prosperitas in multis provinciis praepediebantur sive ambitione et avaritia magnatum sive civilibus dis-

---

[1] Pelav. *Dogmata theol.* t. II, *de ss. Trinitat.* l. 7; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* Diss. 37, a. 3, *in sæc. IV*, et Diss. 18 *in sæc. IX et X*.

[2] Bolland. *Acta SS.* 26 martii.

sidiis et rebellionibus. Anglorum orientalium seu Estangliae regnum annis multis magna cum prudentia et pietate moderatus est Ethelbertus, qui an. 793 per summam proditionem iussu Offae regis Merciorum occisus sancti et martyris titulum accepit[1]. Offam mox commissi criminis poenituit, illudque pia in urbem Romam peregrinatione et aliis religiosis operibus expiavit. Post necem s. Ethelberti regnum Estangliae diu regulorum et tyrannorum violentiis obnoxium fuit.

Northumbriae regnum ab obitu Alfridi regis (705) usque ad initia huius saeculi continua fere dissidiorum et bellorum civilium serie perturbatum fuit. Accesserunt invasiones Danorum; qui Northumbrorum dissidiis usi, classibus suis ab an. 793 eorum terras invaserunt, omnia vastantes, ecclesias et monasteria praedantes, multos praesertim sacerdotes et monachos interficientes, alios vinctos abducentes, aliisve opprobriis vexantes[2]. Anno autem 798 aut sequenti Ehanbaldus, archiepiscopus Eboracensis, synodum coëgit apud Finchal, cui praeter episcopos aliosque viros ecclesiasticos interfuerunt optimates. Actum in ea est de rebus Ecclesiae et gentis Northumbrorum, et disciplina de celebrando Paschate secundum veteres canones instaurata fuit[3].

In regno Merciorum an. 796 Offam excepit Kenulfus, qui pietate, fortitudine aliisque virtutibus praeditus, regnavit usque ad an. 821. Huius principis anno II Athelardus, archiepiscopus Cantuariensis, magnam synodum celebravit apud Bacanceld, cui praeter 18 episcopos et plures abbates interfuerunt Kenulfus rex et optimates. In ea ex auctoritate Leonis Pp. III sub poena excommunicationis prohibitum est laicis, ne dominium in res ecclesiasticas usurparent[4]. An. 803 idem archiepiscopus alteram episcoporum, abbatum et optimatum synodum habuit Cloveshoviae, cuius causa haec fuit: Offa Merciorum rex ab Hadriano Pp. consecutus fuerat, ut primatus dignitas et metropolitica iura inter Cantuariensem et Lichfeldensem praesules dividerentur. Leo III a Kenulfo rege et Athelardo archiepiscopo rogatus, ecclesiae Cantuariensi pristinam dignitatem et antiqua iura cum primatus honore, ei a D. Gregorio M. eiusque successoribus concessa restituit. Quod Pontificis decretum in synodo Cloveshoviensi promulgatum est. Provisum etiam fuit monasteriorum libertati, et auctoritate Sedis Apostolicae, cuius vice fungebatur, Athelardus, sub poena anathematis, cautum est ne laici et saeculares domini praeficerentur monasteriis[1].

18. *Ecclesiae orientalis status* — In Oriente postremis saeculi praecedentis annis discordia inter Constantinum imperatorem et Irenem matrem suam magnum paci et prosperitati publicae detrimentum intulit. Anno 790 Constantinus matrem imperio privavit, sed post annum, rogantibus proceribus, restituit; quae exinde cum proceribus et militibus consilium iniit deiiciendi vicissim filium suum. Constantinus depravatus, an. 795 Mariam legitimam coniugem suam repudiavit et monialem fieri iussit, ut Theodotam cubiculariam sibi adscisceret. His fortiter restitit Tharasius patriarcha Cp.; sed iuvenis imperator eius monita minasque sprevit, et coram Iosepho presbytero et ecclesiae Cp. oeconomo illegitimas nuptias cum Theodota contraxit. Tantum facinus, quod in publicum evadebat scandalum, ita commovit ss. Platonem et Theodorum abbates, ut non tantum imperatoris nuptias palam reprehenderent, eumque ceu excommunicatum vitarent, sed etiam recederent a communione Tharasii, quod adulterum imperatorem et Iosephum presbyterum, qui eum iunxerat, non excommunicaret. Imperator sanctos abbates pluresque eorum monachos verberibus, carcere et exilio insectatus est. Anno 797 deiecto et excaecato Constantino, Irene sola imperavit usque ad annum 802[2].

Internis his dissensionibus accesserunt bella externa. Saraceni usque ad Constantinopolim praedabundi excurrerunt, Bulgari etiam gravem cladem imperio graeco intulerunt anno 791.

Anno 802 deiecta Irene augusta, Nicephorus ab exercitu imperator salutatus est et regnavit usque ad an. 811. Princeps saevus et avarus, subditos tyrannicis exactionibus oppressit, et ecclesiasticis negotiis se immiscens, turbas graves excitavit. An. 806 Nicephorum patriarcham Cp., s. Tharasii successorem, viminisque compulit, ut Iosephum presbyterum et oeconomum, a Tharasio depositum, quod adulterinis Constantini nuptiis interfuisset, in pristinum gradum restitueret. Anno 809 Constantinopoli episcoporum et abbatum concilium coëgit, in quo ii ex imperatoris sententia declararunt, coniugium Constantini cum Theodota e dispensa-

[1] Bolland. *Acta SS.* 20 maii.
[2] Pagi, *Critica*, ad an. 793.
[3] Labbe, *Conc.* t. VII, p. 1110 et 1190. — [4] Ib. p. 1147.

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1189.
[2] Theophan. et Cedren.

tione fuisse legitimum, episcopos dispensare posse in omnibus canonibus, et imperatores non esse obnoxios legibus divinis; omnes vero, qui his decretis assentiri nollent, anathematis sententia perstrinxerunt [1]. Quum autem his omnibus merito resisterent s. Theodorus, Studitarum monachorum abbas, s. Plato abbas, Iosephus archiepiscopus Thessalonicensis, aliique; imperator in eos opprobriis, carcere et exilio saeviit. Leo Pp. III de iis certior factus, conciliabuli Cp. acta tamquam divino et ecclesiastico iuri adversa reprehendit. Imperator non tantum non resipuit, sed etiam Paulicianis haereticis seu novis Manichaeis potestatem degendi in imperio concessit. Anno vero 811 in bello contra Bulgaros cum innumera militum suorum multitudine occisus est [2].

Michaël Curopalates, Nicephori in imperio successor, tyrannica eius acta abrogavit, res ecclesiis et monasteriis ablatas restitui curavit, Theodorum Studitam aliosque exules revocavit, Nicephorum patriarcham Cp. Leoni Pp. reconciliavit; in Paulicianos haereticos poenam capitis tulit, a cuius tamen executione aliorum consilio deterritus fuit; at cum in Iconoclastas animadverteret invidiam exercitus, in quo multi ea haeresi infecti erant, subiit; unde factum est, ut an. 813 commissa cum Bulgaris adversa pugna, milites ab eo defecerint et imperatorem salutârint Leonem Armenum. Michaël imperii insignia sponte deposuit, et cum Procopia coniuge liberisque monasticum habitum induit [3].

Leo Armenus varia reipublicae bono gessit: contra Bulgaros et Saracenos prospero marte certavit; at haeresim Iconoclasticam et bellum contra ss. Imagines earumque defensores instauravit. Nicephorum patriarcham, Nicetam e patricio monachum, Æmilianum Cyzici et Michaëlem Synadorum episcopos, Theophanem abbatem et Theodorum Studitam, quod haereticis eius studiis resisterent, in exilium misit, et Theodotum iconoclastam in sedem Cp. intrusit. Hic pseudo-patriarcha an. 815 conciliabulum Constantinopoli coëgit, in quo concilium Nicaenum II, generale VII, reiectum fuit, pseudo-synodus Constantini Copronymi confirmata, omnisque ss. Imaginum cultus proscriptus [4].

Ex hoc tempore in ss. Imagines earumque defensores ita saevitum est, « ut vidisses, scribit Ignatius diaconus [1], velut in captivitate hostili sacrarum aedium conculcari donaria, et quae vulgo intacta fuerant, profanis trahi manibus ac promiscue plebis exponi spectaculo, ab ecclesiis expelli pastores et lupos gregibus praefici; fugari qui rectam doctrinam profitebantur, quibus vero execrationi illa erat, eos in domesticos et necessarios recipi; clericos ludibria atque verbera expertos, firmissimis undequaque ergastulis detineri; nazaraeos nostros verberibus, fame, siti, diuturnis carceribus ac laboribus maceratos, ad extrema usque pericula inter cruciatus perseverare, et horum quidem alios gladio vitam amittere, alios culeis inclusos, vinctosque saxorum more alto pelago demergi; feminas vero, viris spectantibus, denudari, ac velut reas equuleo distendi ac coedi, omnia virili sensu Christi causa perferentes ».

Hanc impietatem Leo Armenus prosecutus est usque ad an. 820, quo, propter saevitiam omnibus invisus, in aede sacra palatina a coniuratis trucidatus est.

19. *Martyres Bulgari* — Bulgari autem an. 813 devictis Graecis, usque ad Constantinopolim pervenerunt; sed novi imperatoris, Leonis Armeni, metu removentes, omnem regionem vastarunt. Hadrianopoli archiepiscopum Manuelem magnumque civium numerum in Bulgariam abduxerunt. Bulgari ethnicos ritus sectabantur, sed multi archiepiscopi Manuelis et aliorum christianorum captivorum exemplis et sermonibus permoti, relicto ethnicismo, christiana sacra susceperunt. Cutragon, qui an. 814 Crumno in regno Bulgarorum successit, metuens, ne tota gens ad Religionem christianam transiret, Manuelem archiepiscopum aliosque captivos insigniores ad deserendam Fidem tentavit; cumque nihil efficere posset, archiepiscopum cum tribus aliis episcopis necari iussit. Cum iis martyrium perpessi sunt alii plusquam 300, quorum memoriam ecclesia Graeca celebrat XI° calendas februarias [2].

20. *Christianismi status inter Saracenos* — In terris Arabum seu Saracenorum imperio subiectis, post mortem califae Aaron-al-Raschid, qui califatum Bagdadensem firmavit, Nicephorum imperatorem graecum ad augendum tributum, quod Graeci Saracenis pendebant, coëgit, insulam Cyprum, omnemque Asiam minorem vastavit, obiitque an. 809; dissidia et bella civilia inter

---

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1191.
[2] Theophan., Cedren., Zonaras.
[3] Theophan., Cedren., Zonaras.
[4] Labbe, loc. cit. p. 1229.

[1] *Vita Nicephori patriarch. Cp.*
[2] Theophan. *Chronograph.*

Saracenos de califatu longo tempore continuata sunt, quibus califarum imperium multum deperiit. Aglabitarum dynastia primo Africam deinde Ægyptum independentem reddidit. In Syria et Palaestina diversae factiones tum in se invicem tum in Christianos caedibus, rapinis, aliisque flagitiis saevierunt. In Palaestina urbes multae direptae, ecclesiae profanatae, monasteria vastata, multique Christiani, praesertim monachi, necati sunt. Erant per omnes Saracenorum terras terror, confusio, caedes et desolatio maxima [1].

21. *Caroli M. obitus* (*an.* 814) — In Occidente Carolus M. iam an. 806 confecto testamento regnum suum inter tres ex Hildegarde filios, Ludovicum, Pipinum et Carolum, diviserat; cui testamento postquam assensissent imperii proceres, etiam subscripserat Leo Pp. [2]. Cum vero Pipinus et Carolus filii obiissent ante patrem suum, Carolus M. an. 813 coactis Aquisgrani comitiis, Ludovicum successorem suum dixit, regnum vero Italiae Bernardo filio Pipini adscripsit, et anno sequente febri correptus ibidem decubuit. Ei sacros honores dedicavit an. 1165 Paschalis antipapa III, quod cum legitimi Pontifices nec confirmarint nec reprobarint, cultus Caroli M. in nonnullis ecclesiis receptus fuit [3].

22. *Ludovicus Pius imperator* — Ludovicus cognomine Pius, iam diu ante a patre suo rex Aquitaniae creatus, et an. 781 Romae ab Hadriano Pp. oleo sacro unctus, post obitum Caroli M. amplissimum imperium nactus est. An. 814 comitia celebravit Aquisgrani, in quibus omnium feudatariorum seu vassallorum fidem accepit, et imperii statum composuit; regnum Italiae, secundum ultimam patris sui voluntatem confirmavit Bernardo, Pipini fratris sui filio; Lothario, filio suo natu maximo, Bavariam, et Pipino, secundo natu, Aquitaniam concessit; in omnes provincias missos legavit, qui unicuique iustitiam redderent, et quae inique acta fuissent, corrigerent. Anno 816 Rhemis a Stephano Pp. IV sollemni ritu coronatus est. Pietatem aliasque virtutes coluit, plura capitularia imperii atque ecclesiarum bono promulgavit, ecclesias variis privilegiis et opibus auxit; sed nonnunquam imprudenti consilio usus, dissidiis turbisque in magnum imperii detrimentum occasionem praebuit [4].

[1] Theophan. *Chronogr.* et Bolland. *Acta SS.* 20 martii.
[2] *Annales Francor.* ad an. 806.
[3] Bolland. *Acta SS.* 27 ian.
[4] Astronomus et Theganus, *Vita Ludovici Pii*; item *Annales Francorum*.

23. *Reformatio ecclesiarum in Galliis* — Ludovicus Pius imperator, quum de ecclesiarum statu et disciplinae reformatione cum Stephano Pp. contulisset, an. 816 copiosam synodum indixit Aquisgrani. Actum in ea fuit de reformatione canonicorum et canonicarum sanctimonialium. Tum hae tum illi a primaeva institutione et regula s. Chrodegangi deflexerant. Quapropter duplex condita est regula, e conciliorum canonibus et ss. Patrum scriptis collecta; una erat pro canonicis, continens 145 capita, altera pro sanctimonialibus canonicis, constans 28 articulis. Ambas regulas imperator misit ad metropolitas, ut una cum provinciarum suarum episcopis eas ab omnibus canonicorum et canonicarum collegiis suscipiendas curarent [1]. Praeterea ex episcoporum consilio promulgavit Capitulare, continens 29 articulos, qui ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant [2].

In iisdem comitiis Ludovicus Lotharium, filium suum, ad imperii consortium assumpsit, Pipino Aquitaniae regnum confirmavit, et Ludovico Bavariam dedit.

Anno sequente (817) imperator generalem abbatum et monachorum conventum indixit Aquisgrani pro reformatione monachorum, qui etiam inter continuas bellorum tempestates, quibus Occidentis provinciae fuerant agitatae, haud parum a regulae suae observantia recesserant. In hoc conventu primo convenit de uniformi vivendi ratione in cunctis monasteriis secundum regulam s. Benedicti. Deinde regula s. Benedicti relecta fuit, abusus, qui irrepserant, sublati sunt, utiles consuetudines conservatae, et 80 capitula edita, quae essent veluti appendix et explicatio regulae s. Benedicti. Praeterea monasteria in tres classes distributa fuerunt, quae secundum vires suas ad bonum publicum conferrent sive dona et militiam sive orationes. Quibus communi consilio absolutis, imperator aliquot sanctae vitae monachos, inter quos praecipuus erat s. Benedictus Anianus, constituit, qui supra statuta in omnibus monasteriis suscipienda et observanda curarent [3]. Hinc facta est generalis monasteriorum reformatio, non tamen sine magno labore; in nonnullis quippe monasteriis depravati monachi graves turbas excitarunt, et monasteria deserere quam reformationem suscipere maluerunt.

24. *Stephanus IV, Paschalis I, Ponti-*

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1307.
[2] Ibid. p. 1479.
[3] Ibid. p. 1505.

fices (*an.* 816-17) — Leoni Pp. III, an. 816, VIII° idus iunii defuncto [1], X° calendas iulii eiusdem anni successit Stephanus IV, Romanus. Hic, quum primum inauguratus in Galliam ad Ludovicum Pium pro ecclesiarum utilitatibus iter suscepit. Summo honore a Ludovico exceptus, eum eiusque coniugem Irmingardam Rhemis sollemni ritu augustos coronavit. Romam redux IX° cal. febr. anni insequenti 817 vita excessit, cum sedisset 7 mensibus [2].

Postridie mortem Stephani electus fuit Paschalis I, Romanus, vir sacrarum litterarum et virtutum laude clarus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 824. Pontificatu inito legatos misit ad Ludovicum imperatorem ad renovandam amicitiam et pactionem ab avo eius et patre cum RR. Pontificibus initam. Imperator ad Pontificem transmisit celebrem constitutionem *Ego Ludovicus*, qua Paschali Pp. eiusque successoribus in perpetuum confirmavit civitatem Romanam cum ducatu suo, omnesque civitates, castella, oppida etc., quae in exarchatu, Pentapoli, Corsica, Sardinia, Sicilia, aliisque terris, a Pipino et Carolo M. Romanae Ecclesiae fuerant donata vel restituta. In eadem constitutione imperator statuit, ut quando R. Pontifex e vita migrasset, nemo aliquid mali in terris Romanae ecclesiae facere praesumeret; ut is qui divina inspiratione a Romanis ad Pontificatum concorditer fuisset electus, confestim more canonico consecraretur, deinde ad imperatorem legati dirigerentur ad renovandam amicitiam et pacem, sicut a temporibus Caroli, Pipini, et Caroli M. mox obtinuerat [3]. An. 823 Romae Lotharium, a Ludovico patre in imperii consortium adscitum, corona et augusti nomine decoravit, eique potestatem dedit, ut factiones et turbas, si quae in urbe excitarentur, reprimeret et Ecclesiam ab hostium iniuriis tutaretur [4]. Monachis graecis, qui persecutionis causa sub imperatoribus iconomachis Romam confugerant, liberaliter subvenit et monasterium dedit opulento censu dotatum.

25. *Dissidiorum initia in Gallia* — Verumtamen supra memorata imperii partitio, a Ludovico Pio inter filios suos facta, gravium dissidiorum turbarumque occasio extitit, ut infra videbimus. Bernardus rex Italiae, electione Lotharii iure ad imperium, de quo contendebat, delapsus, ab imperatore patruo suo rebellavit; sed properantibus in Italiam Ludovici Pii copiis perterritus, se ei dedidit. Imperator Bernardum, a concilio regio capitis damnatum, mutata sententia excaecari iussit, unde is paulo post prae dolore mortuus est; tres episcopos, Anselmum Mediolanensem, Wulfondum Cremonensem et Theodulphum Aurelianensem, rebellionis conscios, vel participes, in synodo deponi et monasteriis includi mandavit; tres posteriores patris sui filios, Theodoricum, Dragonem et Hugonem, ne Bernardi exemplo res novas molirentur, tondi et monasteriis mancipari iussit. Postea vero ratus, se in castiganda Bernardi rebellione iustitiae limites transgressum, eos, quos exilio aut carcere affecerat, restituit, et anno 822 in generali apud Attiniacum conventu publicam poenitentiam egit [1].

26. *Ecclesiae status in Oriente* — In Oriente imperator Leo Armenus persecutionem contra ss. Imagines earumque cultores continuavit usque ad mortem suam, ut supra diximus [2]. Eo an. 820 extincto, imperium graecum adeptus est Michaël cognomine Balbus, regnavitque usque ad an. 829. Is, quemadmodum Constantinus Copronymus fecerat, bello civili, a Thoma duce contra eum commoto, perterritus, initio se benevolum erga Catholicos simulavit; sed deinde, ab isto metu liberatus, eos, praesertim monachos, qui constantius sacrarum imaginum cultum defendebant, insectatus est, bonorum spoliatione, exilio, capitis etiam poena in illos animadvertens [3].

Sub impio hoc imperatore, an. 823 Mauri ex Hispania cum ingenti classe invaserunt et occuparunt insulam Cretam, Graecorum imperio subditam. Saraceni ex Africa traiecerunt in Siciliam, eamque an. 827 occuparunt. Eodem tempore Dalmatae iugum imperatorum Graecorum excusserunt et sui iuris facti sunt.

---

[1] Walafridus Strabo (*De rebus ecclesiasticis*, c. 21) tradit, *Leonem una die septies vel novies Missarum solemnia saepius celebrasse, fidelium relatione virorum.* Card. Bona, vero (*Rer. Liturgic.* l. 1, c. 18, § 5), multa recenset Sanctorum virorum exempla, qui pluries uno die Sacrificium peragebant, nulla etiam urgente necessitate, ex sola pietate in Deum; quia nimirum ea erat illorum temporum consuetudo, quam postea abrogavit Alexander II, Vid. Bened. XIV, *De Sacrificio Missae*, sect. II, n. 33 et 36.

[2] Baron. ad an. 816-17.

[3] Ibid. et Baluz. *Capitular.* t. I, p. 791; Labbe, t. VII, p. 1515.

[4] Baron. et Pagi, ad an. 823.

[1] Astron. et Thegan. *Vita Ludovici Pii.*

[2] Vid. p. 219.

[3] *Vitae s. Theodori Studitae et s. Methodii.*

Anno 829 extincto Michaëli Balbo successit Theophilus, filius eius, patri in impietate et odio contra ss. Imagines haud impar. Is post mortem pseudo-patriarchae Antonii in sedem Cp. intrusit Ioannem praestigiatorem, qui coacto in Blachernis conciliabulo, ss. Imaginum cultores novo anathemati subiecit et graviter vexavit. Theophilus omnes, praesertim monachos, qui imagines aut colerent aut retinerent, vel pingerent, insectatus est; anno vero 842 magnam cladem a Saracenis perpessus, moerore confectus obiit. Tunc catholicis in Oriente quietior aurora illuxit.

27. *Scriptores ecclesiastici*— Scriptoribus autem ecclesiasticis, qui hac aetate floruerunt, adnumerandi sunt e Graecis: s. Nicephorus, patriarcha Cp., sub imperatore Leone Armeno pro Fide exilio mulctatus, qui praeter alia scripsit *Breviarium* historicum a caede Mauritii usque ad Constantinum Copronymum, Chronologiam tripartitam, et opuscula contra Iconomachos; s. Theodorus, monachorum Studitarum abbas, eadem de causa exilii et carceris calamitates perpessus, qui reliquit *Catechesim* duplicem, librum *de cultu ss. Imaginum,* epistolas multas, et alia.—Inter Latinos floruerunt hi, qui sequuntur: S. Benedictus Anianus, insignis monastici Instituti reformator, composuit *Codicem* et *Concordiam regularum* [1]. Eginhardus, primo Carolo M. a secretis, deinde e consensu uxoris suae monachus, et abbas, scripsit *Vitam* Caroli M., Epistolas plures, et secundum varios etiam *Annales Francorum,* quos plerique alii ei abiudicant[2]. Theodulphus, episcopus Aurelianensis, edidit capitula 46 ad presbyteros parochiae suae, librum *de Spiritu S.* et alium de baptismo, librosque 4 Carminum [3]. Smaragdus, abbas coenobii s. Michaëlis in dioecesi Virdunensi, scripsit Commentarium in Evangelia et Epistolas anni, *Diadema monachorum* et Commentarium in regulam s. Benedicti. Ansegisus, abbas Fontanellensis, collegit *Capitularia* Caroli M. et Ludovici Pii in 4 libros [4].

28. *Eugenius II Pontifex* (*an.* 824) — Quum Paschalis Pp. I an. 824 obiisset, orta est dissensio quaedam in designando successore eius; sed praevaluit legitima electio Eugenii II, Romani et s. Sabinae archipresbyteri, qui vitae sanctitate, doctrina et effusa in pauperes liberalitate clarus sedit usque ad annum 827.

Ludovicus imperator quum electionem Eugenii turbasque ea occasione excitatas audisset, Romam direxit Lotharium, filium suum et imperii consortem, ut cum novo Pontifice populoque Romano constitueret, quae rerum necessitas exigere videretur. Lotharius ab Eugenio Pp. honorifice exceptus, ad emendandas iniustitias, quae factae erant, ad corrigendos abusus, ad tutandam liberam et canonicam R. Pontificis electionem, una cum Pontifice praescripsit formulam iuramenti, secundum quam clerus populusque Romanus Ludovico et Lothario imperatoribus, tamquam Romanae Ecclesiae et urbis protectoribus, fidem promitterent, salva fide Pontifici promissa, sponderentque, se non consensuros, ut electio Pontificis alia quam canonica et iusta ratione fieret, aut electus consecraretur, priusquam in praesentia legati imperatoris et populi iuramentum iusti regiminis praestitisset, quale Eugenius sponte praestiterat[1]. Pontificis electio fieret ab iis solis, quibus id iuris antiqua patrum constitutione concessum erat; praedationes, quae fieri solebant, nullo deinceps modo fierent, sive vivente sive defuncto Pontifice; res ecclesiarum iniuste detentae, restituerentur, et omnes, qui Dei et imperatoris gratiam habere desiderabant, R. Pontifici in omnibus obedientiam atque reverentiam praestarent [2].

Eugenius II ad restituendam disciplinam an. 826 Romae synodum celebravit, in qua 38 canones editi sunt. In iis episcoporum dotes e Pastorali D. Gregorii exponuntur; praecipitur, ut iuxta ecclesias constituantur claustra, in quibus clerici ecclesiasticis disciplinis vacent[3]; ut sacerdotes non ordinentur nisi certis ecclesiis aut monasteriis deputati; ut monasteriis praeficiantur abbates docti et sacerdotes regularis disciplinae studiosi; ut in episcopiis aliisque locis, ubi necesse sit, constituantur sacrorum dogmatum, litterarum et artium Scholae [4].

29. *Disputatio de SS. Imaginibus in Galliis*—Interim Michaël Balbus, imperator Graecorum, quaestionem de sacris imaginibus quas in Oriente persequebatur, etiam in Gallia excitare, et Ludovicum imperatorem

[1] Apud Mabillon, *Acta SS. Benedict.* t. V, p. 191; Migne, *Patrol. Lat.* t. CIII.
[2] Migne, *Patrol. lat.* t. CXV.
[3] Edidit I. Sirmondus, Paris. 1646; Migne, *Pat. Lat.* t. CV.
[4] Migne, *Patr. lat.* t. CV.

[1] Continuat. Paul. Diaconi, *Hist. Longobard.*
[2] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1650; apud Pagi, *Critica* ad an. 824.
[3] Apparet in his verbis specimen quoddam Seminarii clericorum instituendi.
[4] Labbe, loc. cit. p. 1557, et t. VIII, p. 103.

Romanorum, ipsumque Eugenium Pp. in partes suas pertrahere conatus fuerat. Anno quippe 824 eius legati in Galliam venerunt, munera litterasque ferentes ad Ludovicum imperatorem et ad R. Pontificem. In his litteris Michaël magna cum calliditate significabat vota sua instaurandi cum Ludovico et cum R. Pontifice concordiam; perfide querebatur de ecclesiarum circa imagines discordia, deque superstitiosis ritibus, quos ab imaginum cultoribus, id est Graecis orthodoxis, exserceri, falso asserebat; proinde Ludovicum deprecabatur, ut legatos suos securos Romam deduceret, ed apud R. Pontificem in demandato eis negotio adiuvaret, quo discordiae finis constitueretur.

Ludovicus Pius fucatis imperatoris Graeci expostulationibus et callidis argumentis aures facilius praebens, cum Graecorum legatis Romam direxit Freculfum, episcopum Lexoviensem et Adegarium, petiitque ab Eugenio Pp. potestatem congregandi doctiores inter episcopos, qui veterum Patrum testimonia de imaginibus Sanctorum colligerent, et pro componenda ecclesiarum discordia Romam transmitterent. Annuit Pontifex et Ludovicus anno 825 aliquot episcopos et viros doctos Parisiis congregavit. Hi praesules ducti veteri errore de concilio Nicaeno, ac si in eo imaginibus Sanctorum idem ac Deificae Trinitati cultus fuisset attributus, fidemque habentes litteris Michaëlis Balbi de abusibus in imaginum cultum invectis, non tantum errorem Iconomachorum, qui imagines despiciebant et confringebant, et superstitionem illas illicito ritu colentium, reprobarunt, sed etiam concilium Nicaenum et Hadriani Pp. litteras, ac si in iis indebitus imaginum cultus fuisset approbatus, reprehenderunt, statueruntque « quod imagines Sanctorum stulta praesum« ptione non sunt confringendae, et ad iniu« riam Sanctorum abolendae et penitus de« spiciendae, nec assertione superstitiosa co« lendae aut adorandae; sed potius huiusmo« di superstitione remota, iuxta veram re« ligionem, memoriae et amoris causa, ob « recordationem eorum, quorum sunt ima« gines, habendae, sicut a B. Gregorio sa« tis catholicae perspicueque dictum decla« ratur ». Plura Patrum testimonia collegerunt, tum contra eos, qui imagines Sanctorum confringendas et abolendas esse dicerent, tum contra eos, qui illas adorarent aut superstitiose vel indiscrete colerent. Quam collectionem cum epistola ad Ludovicum imperatorem direxerunt. Addiderunt praeterea exemplum epistolae, a Ludovico ad Pontificem scribendae, cum exemplo alterius epistolae, quam a Pontifice ad Graecorum imperatorem scribi cupiebant, in qua hanc restituendae in ecclesiis Orientis pacis viam proposuerunt « ut qui volunt, pro pia « memoria vel sana doctrina in locis compe« tentibus, absque illo illicito cultu, pictas « vel fictas habeant imagines; qui autem no« lunt, absque ullo illicito contemptu, taliter « habentes vel habitas imagines nullatenus « spernant ».

Ludovicus imperator acta conventus Parisiensis per Ieremiam Senonensem et Ionam Aurelianensem episcopos Romam direxit, Eugenii Pp. iudicio submittenda. Quid inde secutum sit, nescitur. Id certum est, Eugenium Pp. in decessorum suorum et concilii Nicaeni II doctrina de sacris imaginibus perstitisse; Michaelem Balbum in Oriente vexas suas contra eas prosecutum esse, et Francos, RR. Pontificibus ad exemplum Hadriani decessoris sui [1], certa cum iis oeconomia utentibus, in sua de concilio Nicaeno et imaginibus sententia permansisse usque ad finem huius saeculi, quo fere tempore, quaestione magis explicata rebusque melius perspectis, errorem facti de concilio Nicaeno deponere, et cum Graecis atque Romana ecclesia illud suscipere et in ratione colendi imagines consentire coeperunt [2].

Attamen, eo tempore Agobardus, archiepiscopus Lugdunensis, propugnavit moderatas opiniones in libro contra superstitiones eorum, qui picturis et imaginibus Ssrum adorationis obsequium deferendum putabant; atque impugnans tum excessus eorum, qui ss. Imaginibus cultum effusiorem, superstitiosum et latreuticum deferebant, tum impietatem Iconomachorum, ss. Imagines destruentium, docebat eas esse retinendas et exponendas ad conservandam divinorum beneficiorum memoriam et eorum, quorum effigiem gerunt, recordationem atque amorem.

Quamvis autem Franci hac aetate a Graecis dissentirent in ratione colendi imagines, e certissimis tamen monumentis constat, illos nunquam improbasse moderatum imaginum cultum, et ab errore iconoclastico semper fuisse alienos. Certo certius erravit Claudius episcopus Taurinensis, qui auctoritate, qua apud Ludovicum augustum pollebat, elatus, imagines et cruces ex eccle-

[1] Vide p. 212.

[2] Mabillon, *Præfat. in part. I sæc. IV Benedict.*; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* Diss. 6 *in sæc. VIII*; Baronius et Pagi, ad an. 825.

siis sui episcopatus abegit confregitque; propter hoc factum, quo omnem populum suum in se commovit, a Theodemiro abbate, amico suo, per epistolam reprehensus, eius admonitionibus superbe respondit per libellum apologeticum, in quo sacrarum imaginum ipsiusque Crucis cultum impie oppugnavit; etiam sacrarum reliquiarum venerationem, Sanctorum invocationem, piasque peregrinationes reprehendit. Hic libellus ad imperatorem delatus, iusto virorum doctorum, qui in aula agebant, et episcoporum congregatorum iudicio damnatus est. Eiusdem Claudii errores scriptis confutarunt Dungalus monachus s. Dionysii prope Parisios [1], et Ionas episcopus Aurelianensis [2]. De eadem re hoc tempore disputavit, praedictus, Agobardus archiepiscopus Lugdunensis [3], nec non Eginhardus [4], et Walafridus Strabo, abbas Augiaedivitis [5]. Quibus disputationibus quaestio de sacris imaginibus in Gallia non parum eliquata fuit [6].

30. *Valentinus, Gregorius IV, Pontifices (an.* 827) — An. 827 mense augusto obiit Eugenius Pp. II. Ei suffectus fuit Valentinus, Romanus et Romanae ecclesiae archidiaconus, omnibus propter egregias animi dotes acceptissimus; sed eodem anno quadragesima ab inauguratione sua die decessit [7].

Tunc quamvis reluctans, cleri, et populi votis ad pontificatum evectus fuit Gregorius IV, Romanus, qui sedit usque ad an. 844. His Ostiam urbem novis moeniis cinxit contra incursiones Saracenorum, qui Sicilia potiti, universas Italiae oras piraticis sceleribus infestabant. Ut Ludovici Pii filios cum patre suo conciliaret, in Galliam contendit, ut infra dicemus. — Ipse Ludovicus Gregorii monitu Festum omnium Sanctorum quod usque a Bonifacio IV calend. novembris Romae celebrabatur, etiam in Gallia atque Germania celebrari voluit. Exinde novembris dies primus ab Ecclesia universa haberi coeptus est festus et Sanctis omnibus sacer.

31. *Fides praedicatur in Dania et Suecia* — Iam saeculo praecedente Danorum seu Normannorum conversionem tentaverat s. Willibrordus, sed eorum principem tam obduratum et idololatriae addictum invenit, ut in terras Francorum regredi fuerit coactus, secum ducens 30 pueros Danos, qui fuerunt conversionis huius gentis primitiae. Haud feliciori cum successu ad eamdem gentem sacra missione functus est sub Carolo M. Heridagus presbyter. An. 823 maiori cum fructu Fidem Danis praedicavit Ebbo, archiepiscopus Rhemensis; qui e Ludovici Pii et episcoporum Gallorum consensu atque ex auctoritate Paschalis Pp. I, qui eum Apostolicae Sedis legatum pro gentibus Aquilonis constituit, comite Halidgario ad Danos profectus est, et brevi tempore multos ad Fidem convertit baptizavitque. At in suscepto opere non perseverans, anno sequente ad Rhemensem ecclesiam reversus est. Haud diutius in Dania permansit Halidgarius, qui redux in Gallias, creatus fuit episcopus Cameracensis [1].

Quod hactenus in Danorum conversione actum fuerat, magis perfecit s. Anscharius, monachus Corbeiensis, qui fere 38 annos in convertendis populis septentrionalibus expendit. Etenim Aerioldus rex Danorum, in Francia exul, ibidem an. 826 cum uxore multisque exilii comitibus baptizatus est. In Daniam rediturus, ab imperatore Ludovico Evangelii praecones pro Danis petiit, impetravitque s. Anscharium et Autbertum, monachos Corbeienses. Ii, quum ad Danorum confinia pervenissent, Fidem praedicarunt, multos converterunt baptizaruntque. Autbertus infirmitate correptus, an. 828 ad monasterium suum regressus est. Anscharius vero coeptum opus continuavit.

An. 829 ad Ludovicum Pium venerunt legati Suecorum, qui inter alia imperatori significarunt propensionem gentis suae ad suscipienda christiana sacra, quae per captivos christianos noverant. Ludovicus hanc missionem commendavit s. Anschario, qui vices suas apud Danos gerendas relinquens Gislemaro monacho, an. 830 cum Witmaro mo-

---

1 *Responsiones de cultu sacrarum imaginum, reliquiarum et sanctorum invocatione*, in *Biblioth. PP.* Lugdun. tom. XIV.

2 *Libri III contra Claudium pro defensione sacrarum imaginum et cultus s. Crucis*, ibid.

3 *Contra superstitiones eorum, qui picturis et imaginibus Sanctorum adorationis obsequium deferendum putant*, ibid.

4 *De adoranda Cruce*; sed hic liber interiit.

5 *De officiis divinis*, in *Biblioth. PP.* tom. XV.

6 Quae Dallaeus e conventu Parisiensi et e scriptoribus Francis huius aetatis obiecit contra sacrarum imaginum cultum, fuse refellit Natal. Alexand. *Hist eccl.* diss. 6 *in saec. VIII.*

7 Ex iis, quae de huius Pontificis consecratione refert *Liber Pontificalis*, ad hunc modum concludit Mabillonius (*Comment. in Ordinem Romanum* c. 18): *Tunc ergo hi erant consecrationis ritus, nempe ipsa novi Pontificis consecratio ad s. Petrum, impositio eiusdem in sedem s. Petri, oblatio Sacrificii per novum Pontificem, convivium, munera in Senatum, et populum erogata, quae* Presbyteria *vulgari nomine appellabant.*

1 Baron. et Pagi, ad an. 823.

nacho transiit ad Suecos. A rege Suecorum bene excepti, Evangelium libere praedicarunt, multosque converterunt et baptizarunt.

Quum Ludovicus audivisset hanc gentium septentrionalium ad suscipiendam christianam Religionem propensionem, an. 830 ex episcoporum et procerum consilio Hamburgi erexit sedem archiepiscopalem, ad quam omnium consensu electus et ordinatus fuit s. Anscharius. Ea omnia probavit Gregorius Pp. IV, et s. Anschario pallium dedit cum iuribus Legati apostolici pro cunctis Septentrionis regionibus. Eodem tempore Anscharii adiutor et episcopus Suecorum ordinatus fuit Gautbertus alias Simon, qui in Suecia numerum Christianorum plurimum auxit. S. Anscharius tum per se tum per missionarios suos propagandae ubique Fidei adlaboravit usque ad annum 865, quo sancte obiit[1].

32. *Ecclesiae status in Gallia* — In Gallia res civiles atque ecclesiasticae dissidiis et bellis internis plurimum perturbatae erant. Cum enim Ludovicus imperator, defuncta Irmingarda, uxorem duxisset Iuditham, Welphonis comitis filiam, et suscepto ex ea Carolo Calvo partem regni tribuere nimiumque favere videretur, Pipinus rex Aquitaniae, Ludovicus rex Bavariae et Lotharius imperii consors, Ludovici Pii e priori coniuge filii, adversus patrem suum bella moverunt; eumque comprehensum an. 830 regia auctoritate spoliarunt. Brevi post Ludovicus in conventu Noviomagensi quidem restitutus fuit, sed an. 833 rebelles filii rursus arma contra patrem contulerunt. Gregorius Pp. IV, filios patri reconciliaturus pacemque compositurus in Galliam profectus est, sed re infecta, Romam repetiit; iam filii adversus patrem copias paraverant, et Franci passim a Ludovico Pio deficiebant. Hic itaque a suis desertus, manus dedit, et Compendium perductus, ibidem an. 833 in comitiis gladium deponere, se rerum male administrati imperii fateri, illudque filio suo Lothario cedere coactus fuit. Iuditha, uxor eius, in Italiam relegata est, et iuvenis Carolus Calvus monasterio Prumiensi prope Treviros mancipatus. Verum Gregorius Pp. IV quaecumque in conventu Compendiensi contra Ludovicum acta fuerant, rescidit[2]; multi etiam proceres illa aegre tulerunt; ipsos Ludovicum Bavariae et Pipinum Aquitaniae reges admissi in patrem facinoris poenituit. Lotharius vero, adhuc rebellis, ad postulandam pacem armis compulsus est. Quapropter anno sequente in conventu apud s. Dionysium Ludovicus cum Iudita coniuge imperio restitutus fuit; et in comitiis generalibus, ad villam Theodonis an. 835 habitis, omnes actus conventus Compendiensis abrogati sunt. Posthaec Ludovicus bellum intulit Normannis, Frisiam vastantibus, quos magna clade affectos regredi iussit. Is, Pipino rege Aquitaniae an. 838 defuncto, in conventu Wormatiensi an. 839 regnum ita divisit, ut Lotharius Italiam et australem partem Galliae ad Mosam haberet, Ludovicus Bavariam, Carolus Calvus occiduam Galliae partem. Anno 840, Ludovico padre defuncto, bella civilia recruduerunt. Lotharius ditiones fratrum suorum invasit. Ludovicus et Carolus Calvus, viribus contra communem hostem coniunctis, invasorem vicerunt. Tandem anno 843 in conventu Virodunensi pax ita composita fuit, ut Lotharius augustus Italiam et omnia iuxta Rhodanum, Rhenum et Mosam, idest Austrasiam et Burgundiam, Ludovicus partem orientalem seu Germaniam, Carolus Calvus partem occiduam seu Galliam haberet.

Quanta ex his dissidiis bellisque detrimenta ecclesiasticae ac civili rei illata fuerint, quisque per se colligit. Episcopi ad reformandos mores multas synodos coëgerunt. An. 829 quatuor synodi celebratae sunt, nempe Moguntiae, Lugduni, Tolosae et Parisiis, in quibus multa, componendae disciplinae utilia, constituta fuerunt. An. 836 in synodo Aquisgranensi plura quoque sancita sunt de vita et officiis episcoporum, clericorum, principum et ministrorum. Praeterea novum commonitorium missum fuit ad Pipinum, regem Aquitaniae, contra raptores rerum ecclesiasticarum. Pipinus aliique, episcoporum monitis parentes, quae bellorum tempore ecclesiis rapuerant, restituerunt. Aliae deinceps synodi coactae sunt, nimirum an. 843 in villa Colonia prope Cenomannos et apud Lauriacum in agro Andegavensi, an. 844 in villa Theodonis et in palatio Verno, an. 845 Bellovaci et Meldis; in quibus multa constituta fuerunt de conservandis ecclesiarum bonis, privilegiis et iuribus, de regum erga subditos iustitia horumque erga illos fide, contra iniustos rerum ecclesiasticarum detentores, de corrigendis in clero, monachis et populo abusibus[1]. Verum synodorum statuta, propter frequentia dissidia Normannorumque invasiones, parum executioni mandata fuere.

[1] S. Rembert., *Vita s. Anscharii*, apud Bolland. *Acta SS.* 3 febr.; Mabillon, *Acta SS. Benedict.* t. IV, p. 401.

[2] Paul Æmilius, *De rebus gestis Francor.* t. III, p. 51.

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, passim, pp. 1590-1813.

33. *Ecclesiae orientalis status* — In Oriente post diuturnas sub imperatoribus iconomachis vexationes orthodoxi tranquillitatem receperunt. Theophilo imperatori, an. 842 defuncto, successit Michaël III, filius eius adhuc puer, cum matre Theodora imperii regente, Theoctisto et Manuele tutoribus; quorum opera ecclesiarum paci et orthodoxae fidei consultum fuit. Hoc ipso anno 842 synodus Constantinopoli coacta est, in qua concilium Nicaenum II receptum et cultus ss. Imaginibus restitutus fuit. Ioanne haeretico eiecto, in sedem Cp. evectus est s. Methodius monachus, pro defensione ss. Imaginum sub imperatoribus iconomachis multa perpessus; episcopi et monachi ex exilio revocati, Imagines in ecclesiis restitutae, in locum episcoporum iconomachorum orthodoxi suffecti sunt. In memoriam huius restitutionis festum quotannis celebrandum, quod *Orthodoxiam* appellarunt, institutum est [1].

34. *Sergius II Pontifex* (*an.* 844) — Post Gregorium Pp. IV, VIII° calend. februar. an. 844 defunctum, IV° idus eiusdem mensis februar. in Petri cathedram evectus fuit Sergius II, Romanus, s. Silvestri archipresbyter. Fabulantur nonnulli, quod antea vocatus Os porci, nomen Sergii assumpserit; nam non is, sed Sergius IV nomen novum suscepit propter reverentiam erga Apostolorum principem, quia ante pontificatum appellabatur Petrus. Sergius II Ludovicum II, Lotharii imperatoris filium, a patre Italiae seu Longobardiae regem creatum, sacro oleo unxit, et regali ense cinxit. Sacra limina seu gradus, quos Salvator mundi in praetorio Pilati gressu suo et sanguine consacraverat, cura s. Helenae, ut vetus traditio erat, e Pilati praetorio in basilicam Lateranensem translata et a Constantino M. in porticu palatii posita, collocavit in formam scalae, vulgo Pilati dictae, ante fores ecclesiae Lateranensis; ea postea Caelestinus III posuit ante sacrum patriarchium iuxta porticum Lateranensem, et denique Xystus V nobile illud, quod adhuc extat, aedificium construxit, et sanctarum Scalarum gradus disposuit ante capellam toto terrarum orbe coleberrimam, quae vocatur Sancta Sanctorum [2]. Sedit Sergius II annis 3 obiitque VI° calend. febr. an. 847.

35. *S. Leo IV Pontifex* (*an.* 847) — Sergium II in summo pontificatu excepit s. Leo IV, Romanus, prudentiae ac sanctitatis laude spectatissimus, qui Ecclesiam rexit usque ad an. 855. — Ipso Pontificatus initio eius sanctitas enituit. Nam flagrantissimum Urbis incendium signo Crucis extinxit, et serpentem teterrimum, cuius veneno atque afflatu multi moriebantur, fusis ad Deum precibus exterminavit. Cuius beneficii, ope B. Mariae Virginis, recurrente eius in coelum Assumptionis festo die, impetrati ut perenne esset ad posteros monumentum, decrevit Festum illud per dies octo celebrandum [1]. — Contra Saracenorum incursiones Vaticanum collem munitionibus cinxit, et antiquae urbi addidit novam, suo nomine dictam Leoninam. — Civitas haec Leonina ab Urbano VIII amplioribus munitionibus circumsepta est [2]. — Corsos patriis finibus a Saracenis expulsos, in urbem Portuensem suscepit; Ludovicum II, a patre suo Lothario in consortium imperii adlectum, an. 850 Romae consecravit; anno sequente synodum 60 episcoporum celebravit, in qua ad instaurandam disciplinam editi sunt 42 canones, quorum 38 excerpti sunt e synodo Romana sub Eugenio II, habita an. 826; in reliquis vetatur, ne plures in ecclesiis ordinentur sacerdotes quam sustentari possunt, ne presbyteri ad synodum dioecesanam secundum iussionem episcopi venire detrectent, ne patroni laici ecclesiis suis praeficiant sacerdotes extraneos sine consensu episcopi, neque abbates neque alii praepositi, sed episcopi constituant sacerdotes, qui in locis piis sacra ministrent. In eadem synodo Anastasius, Cardinalis presbyter s. Marcelli, gradu amotus est, quod 5 annis a paroecia sua abfuisset et ad synodum vocatus venire recusasset [3]. — Anschario autem Hamburgensi Episcopo privilegium concessit, in quo ipsi eiusque successoribus, praeter usum Pallii, tribuit ornari caput eius mitra, et portari ante ipsum Crucem; quod argumento est, id non cuivis Episcopo citra privilegium licuisse [4]. In eodem concilio can. 34 praecepit, ut vel in ipsis vicorum scholis Pro-

[1] Constant. Porphyrogeneta, l. III-IV; Pagi, *Critic.* ad an. 842.

[2] Cf Bened. XIV, *De beatif.* l. IV, part. 2, c. 25.

[1] Baronius ad an. 855, § 9.

[2] Vid. Angel. de Nuce, in *Chron. Casin.* Leonis Ostien. l. I, c. 27, adnot. 10. — Leoni IV tribuitur *Oratio* « Deus, cuius dextera Beatum Petrum etc. », qui eam praescripsisse dicitur Neapolitanis pro defensione Ecclesiae dimicantibus navali praelio cum Saracenis. Idem Pontifex composuisse dicitur et illam, quae incipit « Deus, qui Beato Petro collatis clavibus » cum, condita civitate Leonina, ad eius portis seras apponeret. Nunc quibusdam demptis a nobis utraque recitatur; at integras eas refert Labbeus, t. VIII *Concil.* pp. 13 et 19. Verum eas Leone antiquiores esse constat ex *Sacramentario* s. Gregorii M., quod utramque continet.

[3] Labbe, *Concil* t. VIII, p. 101.

[4] Mabillonius, *Praefat. in Saec. IV Benedictin.* part. 2, n. 182.

fessores essent, qui Scripturas interpretarentur, et Officia Divina exponerent[1].

36. *Saraceni et Normanni in Italia et Gallia* — Dissidiis autem bellisque, quae supra inter reges Francorum extitisse vidimus, factum est, ut Saraceni seu Mauri atque Normanni in Italiae et Galliae provincias audacius irruerent. In primis Lothario, augusto et rege Italiae, in Gallia bellum gerente, in Italia de ducatu Beneventano concertarunt Radelgisus et Siconulfus; hicque ex Hispania, ille ex Africa Saracenos seu Mauros in auxilium advocavit. Hac occasione Saraceni multas ducatus Beneventani civitates occuparunt, multosque captivos abduxerunt; an. 846 Romam usque venerunt, cumque urbem capere non possent, basilicam s. Petri extra muros depraedati sunt; inde regressi, ubique barbariei suae vestigia reliquerunt.

Iisdem temporibus Mauri Hispani plures Galliae civitates vastarunt, ingentemque praedam ex ea exportarunt. Maiora mala Galliis intulerunt Normanni, qui e Dania finitimisque regionibus egressi, hoc saeculo piraticis incursionibus Angliae et Galliae provincias populati sunt. Iam an. 800 littora oceani Gallici infestarunt, sed a Carolo M. repressi fuerant. Frisiam frequentibus incursionibus vastarunt. An. 841 cum copiosa classe venerunt usque Rothomagum, agros, urbes, ecclesias, monasteria vastantes, praedantes, incendentes. An. 843 urbem Nannetensem ingressi, Gohardum episcopum cum clero et civibus multis in ecclesia trucidarunt, urbemque depraedati sunt. Anno sequente Parisios usque penetrarunt, urbem, ecclesias et monasteria spoliantes. Carolus Calvus repellendis hostibus impar, dura pactione iis reditum suasit. At illi incursiones suas frequenter repetiverunt in magnum rei civilis atque ecclesiasticae detrimentum.

37. *Controversia de Eucharistia* — Cum litterarum et scientiarum studia a Caroli Magni temporibus in Occidente revixissent, et scholae theologicae in ecclesiis cathedralibus et monasteriis florerent, non solum virorum eruditorum numerus auctus est, sed et eorum ingenia, quamvis in fidei dogmate concordia, in varias de eo quaestiones variasque illius explicandi rationes distrahi coeperunt. Huc pertinet controversia, quae his temporibus inter catholicos Galliae scriptores agitata fuit de SS. Eucharistia. Omnes quidem consentiebant in ipso dogmate, nimirum, substantiam panis et vini in Eucharistia non superesse, et in ea realiter praesens esse corpus et sanguinem Christi; sed disputabant potissimum de his tribus: 1°, an in Eucharistia idem omnino esset Christi corpus, quod e Maria virgine natum, in cruce mortuum et e sepulcro resuscitatum est; 2°, an in Eucharistia esset aliquod mysterium, signum aut figura, qua corpus Christi obtegeretur, an vero ipsae species externae essent corpus Christi, quod idcirco diceretur tangi, dentibus atteri, manducari; 3°, an corpus Christi eucharisticum, caeterorum alimentorum more, esset corruptioni et secessui obnoxium.

Paschasius Ratbertus, monachus Corbeiensis, in libro, quem anno 831 de Sacramento corporis et sanguinis D. N. I. C. scripsit, asserebat, in Eucharistia esse non aliud plane Christi corpus, quam quod e Maria natum est, in cruce mortuum, et e sepulcro resurrexit. Contra Rabanus Maurus, e monacho Fuldensi archiepiscopus Moguntinus, in epistola ad Egilum abbatem, et Ratramnus monachus Corbeiensis, in libro *De corpore et sanguine Domini,* docebant, corpus Christi eucharisticum esse aliud, quam quod e Maria natum est, mortuum et resuscitatum.

Omnes, si Ioannem Erigenam excipias, secundum catholicam Ecclesiae doctrinam asserebant, in hoc Sacramento panem et vinum realiter converti in verum Christi corpus et sanguinem; sed quum corpori Christi in ss. Eucharistia quaedam conveniant, quae ei non competebant in statu suo naturali, v. g. quod manducetur, per se non moveatur, careatque mole et extensione, aliqui dicebant, corpus Christi in Eucharistia non esse omnino idem ac corpus e Virgine natum, in cruce mortuum et e sepulcro resuscitatum, sicuti asserebat Paschasius Ratbertus. Disputabatur itaque inter illos non de ipsa re, seu reali praesentia, sed de nomine seu ratione loquendi; etenim corpus Christi in Eucharistia idem omnino est cum corpore e Virgine nato quantum ad substantiam et naturam, non item quantum ad modum existendi, molem, quantitatem, circumscriptionem spectat[1].

Idem Ratramnus in praefato libro impugnavit eos, qui dicebant aut dicere ei videbantur, in Eucharistia corpus et sanguinem

---

[1] Pagi, *Critica*, ad an. 826, § 2. En Canonis verba: *Etsi liberalium artium praeceptores in plebibus, ut assolet, raro inveniuntur; tamen Divinae Scripturae magistri, et institutores Ecclesiastici Officii nullatenus desint*; ap. Labbe, *Concil.* t. VIII, p. 117.

[1] Vid. Opus quod inscribitur *La perpetuité de la Foi,* l. VIII, c. 12.

Domini nulla figura seu velamine obtegi. Illud Haymo, episcopus Halberstadiensis, docere quibusdam videbatur; at is in Tractatu suo de corpore et sanguine Domini solum negavit, corpus Christi et sanguinem dicenda esse sui ipsius signa seu figuram, quum nulla res sui ipsius dicatur signum.

Quod spectat ad errorem eorum, qui corpus Christi eucharisticum, aliorum alimentorum more, corruptioni et secessui obnoxium dicebant, ideoque ignominioso Stercoranistarum nomine notati sunt; illius erroris ipse Rabanus Maurus et Amalarius etiam diaconus Metensis insimulati fuerunt; sed utrumque ab hoc errore vindicant eruditi.

Caeterum omnes praefati aliique, qui hac aetate de SS. Eucharistia scripserunt, in perpetua et catholica Ecclesiae doctrina de conversione substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini et de reali Christi praesentia consentiebant, ut ex illorum scriptis luculenter probatur. Si autem quandoque loquantur de pane et vino tanquam figura, et de corpore Christi spirituali in Eucharistia, ex aliis dissertissimis eorum locis manifestum est, eos sub istis vocibus nihil aliud intellexisse, quam quod nos, fixis iam terminis, species panis et vini atque substantiam corporis et sanguinis Christi nominamus.—Hinc patet ignorantia, aut mala fides novatorum saec. XVI, dum, communi et perpetua Ecclesiae traditione posthabita, dixerunt, primum assertorem dogmatis de reali corporis Christi praesentia in Eucharistia esse Paschasium Ratbertum, eiusque doctrinam a Rabano Mauro aliisque fuisse merito confutatam. Solus Ioannes Erigena seu Scotus, vir levioris ingenii et in rebus theologicis parum versatus, qui a multis scriptoribus reprehenditur, referente Hincmaro Rhemensi [1], hac aetate docuit sacramentum Eucharistiae esse tantum memoriale corporis et sanguinis Christi. At is nullibi fidem invenit, nullos sectatores habuit, eiusque liber, quum saeculo XI Berengarius eum plurimum laudaret, in pluribus synodis damnatus est [2].

38. *Controversia de Praedestinatione*—Alteri controversiae causam dedit Gothescalcus, monachus Orbacensis et presbyter. Cum is in Italia agens, anno 848 in domo Eberardi comitis Foroiuliensis coram Nottingo episcopo Veronensi collationem habuisset de duplici praedestinatione, sive electorum ad vitam, sive reproborum ad mortem sempiternam; Rabanus Maurus, archiepiscopus Moguntinus, epistolas duas, unam ad Eberardum comitem, alteram ad Nottingum episcopum, scripsit, in quibus Gothescalcum reprehendit, quod doceret, Deum electos ita praedestinasse ad vitam, ut non possent non salvari, et reprobos ita praedestinasse ad mortem aeternam, ut necessario perirent, quasi Deus praedestinatione sua eos cogeret interire. Gothescalcus vocatus ad synodum Moguntinam, duplicem praedestinationem, electorum scilicet ad vitam per gratuitam Dei gratiam, et reproborum ad mortem propter mala eorum merita, professus est, et Rabanum Maurum aliosque sibi adversantes accusavit Semipelagianismi. Synodus Gothescalcum eiusque doctrinam damnavit, et illum remisit ad Hincmarum Rhemensem metropolitam.

Anno 849 Gothescalcus in synodo Carisiaca condemnatus, sacerdotali honore privatus, virgis caesus, et custodiae in monasterio Altivillariensi mancipatus fuit.

Cum autem Gothescalcus contestaretur, se, de praedestinatione et voluntate Dei circa salutem hominum, sequi doctrinam s. Augustini, eius sententiis uteretur, et in duabus confessionibus, quas in custodia edidit, errores praedestinatianos, quorum ab adversariis suis accusabatur, non exprimeret; cumque adversarios suos in errores Semipelagianorum impingere contenderet, non defuerunt ea aetate viri docti, qui Gothescalcum ab erroribus praedestinatianis immunem, et ab adversariis eius doctrinam s. Augustini impeti opinati sunt. Horum sententiam auxit Ioannes Erigena seu Scotus, qui in libro, suasu Hincmari Rhemensis contra Gothescalcum edito, errores pelagianos aliosque multos tradebat.

Ab hoc tempore in Ecclesia Francogallica lites de praedestinatione et de pertinentibus ad eam quaestionibus auctae sunt. Quaestiones disceptatae hae erant: 1°, an Deus sicut electos per gratiam ad vitam, ita reprobos propter praescita eorum mala merita praedestinasset ad mortem aeternam; 2°, an Deus vellet omnes homines salvos fieri; 3°, an Christus pro omnibus hominibus mortuus esset; 4°, an per Adae peccatum homines liberum arbitrium amisissent.

Praecipui qui de his quaestionibus disceptarunt, fuere ex una parte Rabanus Maurus, Hincmarus Rhemensis, Amolo Lugdu-

---

[1] *De praedestinatione*, c. 31.

[2] Ap. Migne, *Patrol. Latin.* t. CXXII; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* diss. 11-13 in saec. IX-X; Mabillon, *Praefat. in saec. IV Benedict.* part. 2; Tournely, *Praelect. theol. de Eucharist.* q. 2, a. 7.

nensis; ex altera s. Prudentius Trecensis, Lupus Servatus, Ratramnus, s. Remigius Lugdunensis.

Ex his Prudentius, episcopus Trecensis, in litteris ad Hincmarum Rhemensem et Pardulum Laudunensem propugnavit duplicem praedestinationem, nempe bonorum ad vitam et malorum ad poenam aeternam; dixitque, Deum non velle omnium hominum salutem, neque Christum pro omnibus esse mortuum [1]. Lupus Servatus, abbas Ferrariens., in libro *De tribus quaestionibus* defendit, homines in statu naturae lapsae non esse liberos ad bonum, nisi fuerint per Dei gratiam liberati; Deum reprobos praedestinare ad poenam propter peccata, quae ab eis libere perpetranda praevidit; Christum esse mortuum pro omnibus, qui salvantur, et probabiliter dici posse mortuum pro omnibus fidelibus. Ratramnus, monachus Corbeiensis, in 2 libris *De praedestinatione* admisit etiam geminam praedestinationem, unam gratuitam ad vitam, alteram ad mortem propter praevisa peccata. Contra ea Hincmarus Rhemensis an. 853 synodum coëgit apud Carisiacum, in qua 4 capitula statuta sunt: 1^m, Deus neminem praedestinavit ad poenam; 2^m, Deus vult omnes homines salvos fieri; 3^m, Christus pro omnibus hominibus mortuus est; 4^m, liberum arbitrium per Adamum deperditum, per Christum restitutum est [2]. Prudentius vero Trecensis defendit 4 articulos, qui sequuntur: 1^s, alii gratuita Dei misericordia ad vitam, alii inscrutabili eius iustitia ad mortem praedestinati sunt; 2^s, Deus omnes, quos vult, salvat, eos, qui non salvantur, non vult salvare; 3^s, Christus mortuus est pro iis tantum, qui in eum credunt; 4^s, liberum arbitrium ita per Christum recepimus, ut nihilominus ad bonum cogitandum, volendum, inchoandum et perficiendum semper divino auxilio indigeamus. Imo an. 855 synodus Valentiae capitula Carisiaca, perperam intellecta, tanquam falsa et noxia reiecit; definivitque, Deum ab aeterno bonos gratuito praedestinasse ad vitam, malos vero propter praevisa peccata ad mortem; neminem a Deo ita ad malum praedestinatum esse, ut aliud esse nequeat; Christum sanguinem fudisse, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam [3]. Has ipsas sententias, excepta censura capitulorum Carisiacorum, an. 859 suscepit etiam synodus Lingonensis [1]. Hincmarus vero magnum volumen de iis quaestionibus scripsit, in quo Gothescalci assertiones confutare et capitula Carisiaca contra sententias Valentinenses defendere sibi proposuit.

Quamvis eorum de praefatis quaestionibus scripta, et synodorum sententiae, puta capitula quatuor Carisiaca, capitula quatuor s. Prudentii, sententia ecclesiae Lugdunensis, canones sex Valentinenses, sibi invicem repugnare videantur, dissensio tamen non tam in ipsa re, quam in modo loquendi versabatur. Proveniebat illa dissensio e confusione terminorum, qui postea magis definiti sunt, dum scholae distinxerunt praedestinationem et reprobationem, voluntatem Dei antecedentem et consequentem, satisfactionem Christi sufficientem et efficacem, opera bona naturalia et supernaturalia. Quapropter ubi primum, sedatis bellis, episcopi e variis Germaniae et Galliae provinciis anno 860 Tullum convenerunt, finem controversiae constituerunt. Gothescalcus, qui ei causam dedit, in monasterio Altovillariensi, an. 868 obiit.

Praefata controversia nihil quidquam prodest Calvinianae vel Iansenianae haereseos fautoribus; nam qui saeculo IX in Gallia de superius dictis quaestionibus disceptarunt, etiam ii qui Gothescalco favebant, errores praedestinatianos detestabantur.

De Gothescalco eiusque doctrina scriptores minime consentiunt: Natalis Alexander [2], et alii multi censent, Gothescalcum revera docuisse ac tradidisse errores quos *Praedestinationis* appellant. Illi scriptores praecipue nituntur testimoniis scriptisque Rabani Mauri Moguntini, Hincmari Rhemensis, Amolonis Lugdunensis, Parduli Laudunensis, atque actis synodorum Moguntinae et Carisiacarum. Contra Gilbertus Mauginus (*Vindiciae praedestinationis et gratiae*) aliique existimant, Gothescalcum fuisse immunem ab erroribus Praedestinatianis, quorum ab adversariis accusatus est; et qui ita sentiunt, nituntur testimoniis seu scriptis Prudentii Trecensis, Remigii Lugdunensis, Lupi Servati abbatis Ferrariensis, atque actis synodorum Valentiae et Lingonensis, necnon duabus fidei confessionibus quas Gothescalcus obtulit Hincmaro [3].

---

[1] Natal. Alexand. (*Hist. eccl.* saec. IX, c. 3, § 16) Prudentii sententias interpretatur de voluntate Dei absoluta et de redemptionis per Christum efficacia.
[2] Labbe, loc. cit. p. 55 et 98.
[3] Labbe, loc. cit. p. 133.

[1] Labbe, loc. cit. p. 673.
[2] *Hist. eccl.* diss. V in saec. IX.
[3] Cf Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. IX, diss. 5; Longueval, *Histoire de l'église gall.* t. VI, l. 16; Cel-

39. *Scriptores Ecclesiastici* — Eruditionis fama claruerunt his temporibus scriptores, qui sequuntur: S. Paschasius Ratbertus, monachus Corbeiensis, praeter librum de Sacramento corporis et sanguinis Christi [1], et duos libros de partu Virginis, reliquit Commentarios in *Threnos* Ieremiae et in Evangelium s. Matthaei, et in Psalmum XLIV aliaque. Rabanus Maurus, archiepisc. Moguntinus, carmine et soluta oratione clarus, qui s. Scripturam e Patribus interpretatus est, et praeter alia plura reliquit libros tres de institutione clericorum et caeremoniis ecclesiasticis, tractatum de sacris Ordinibus, Sacramentis et vestimentis sacerdotalibus, libros tres de disciplina ecclesiastica et Martyrologium [2]. Ratramnus seu Bertramnus, monachus Corbeiensis, qui, uti diximus, scripsit librum de corpore et sanguine Domini, duos de praedestinatione, quatuor contra obiectiones Graecorum et unum de partu Virginis [3]. S. Prudentius, episcopus Trecensis, qui quaestiones de praedestinatione tractavit [4]. Dungalus monachus s. Dionysii prope Parisios et Ionas episcopus Aurelianensis, qui scripserunt de sacris Imaginibus contra errores Claudii Taurinensis [5]. Amalarius, diaconus Metensis, praeter epistolas de praescientia et praedestinatione contra Gothescalcum, reliquit libros 4 de officiis ecclesiasticis [6]. Agobardus, archiepiscopus Lugdunensis; cuius varia supersunt scripta contra haeresim Adoptianorum, contra pervicaciam et superstitiones Iudaeorum, et alia [7]. Florus, diaconus Lugdunensis, edidit sermonem de libero arbitrio et praedestinatione, librum de electione episcoporum, opusculum de actione Missarum [8] et Martyrologium seu auctarium martyrologii Bedae [9]. Haymo, Alcuini discipulus, episcopus Halberstadiensis, reliquit Commentaria in multos libros s. Scripturae, et libros 10 de christianarum rerum memoria, et tractatum de corpore et sanguine Domini [1]. Freculfus, e monacho Fuldensi episcopus Lexoviensis, adornavit Chronicon ab exordio mundi usque ad an. 600 post Christum natum [2].

40. *Collectio Isidori Mercatoris* — Circa dimidium etiam huius saeculi, sub nomine Isidori Mercatoris seu Peccatoris, in lucem prodiit collectio canonum Conciliorum et epistolarum decretalium veterum Pontificum a Clemente usque ad Gregorium M [3]. Quis autem fuerit is Isidorus Mercator, incertum est. Consentiunt eruditi, epistolas decretales, quae in ista collectione adscribuntur RR. Pontificibus, Siricio anterioribus, esse apocryphas, nonnullis exceptis, quas suis locis indicavimus. Quae autem ab aetate Siricii Pp. in eadem collectione reperiuntur documenta, partim genuina partim apocrypha sunt. Quum tamen illae decretales epistolae, ut plurimum e sententiis veterum canonum, legum et ss. Patrum concinnatae, et proinde receptae disciplinae essent conformes, pedetentim in Germania, Gallia, Hispania, deinde etiam Romae et alibi usum atque auctoritatem habuit pro decisione causarum ecclesiasticarum; quod credulitati huius aetatis, arte critices parum exercitae, tribuendum videtur.

Mosheimius, vero, Febronius, Tamburinius, aliique in Apostolicam Sedem male animati, falso asserunt, Isidorianae collectionis opera RR. Pontificum auctoritatem novis iuribus et privilegiis fuisse adauctam, metropolitarum et synodorum provincialium iura perturbata, disciplinae ecclesiasticae nervos confractos, novum ius in Ecclesiam introductum, totumque Ecclesiae statum immutatum. Addunt, illud ipsum fuisse auctoris istius collectionis studium, ipsosque RR. Pontifices ad eumdem finem adornandae huic collectioni consilium et operam contulisse. Verum quae iura et privilegia illi ex ea collectione RR. Pontificibus, cum maximo veteris de ecclesiastica potestate disciplinae detrimento, concessa queruntur, ea neque nova sunt, neque Isidorianae collectioni innituntur, sed a RR. Pontificibus a primis Ecclesiae temporibus fuerunt exercita, iisque tamquam Ecclesiae capitibus et s. Petri successoribus propria sunt, ut e constanti Ecclesiae traditione et perspicuis

lot, *Historia Gothescalci*, Paris. 1655 in-fol.; Tournely, *Theolog., de Gratia*; Mauguin, *Veteres scriptores, qui saeculo IX de gratia scripsere.*

[1] Migne, *Patrol. Latin.* t. CXX. — [2] Ibid. t. CVII-XII.

[3] *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XV; D'Achery, *Spicileg.* t. II.; Migne, *Patrol. Lat.* t. CXXI. Librum de corpore et sanguine I. Christi, qui sub nomine Ratramni venit, eidemque abiudicant, tribuunt Ioanni Erigenae De Marca et Pagi propter errores, in illo contentos. Eum vero Ratramno vindicant, illiusque obscuras locutiones in sensu catholico interpretantur Nat. Alexand. et Mabillon.

[4] Card. Mai, *Script. vet.* t. IX; Mign. *Patr. Lat.* t. CXV.

[5] Migne, *Patrol. Latin.* t. CV-VI.

[6] D'Achery, *Spicileg.* t. VI; *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XIV; Migne *Patrol. Latin.* t. CV.

[7] Edidit Baluzius, Paris. 1666, 2 vol. in-8°; Migne, *Patrol. Latin.* t. CIV. — [8] *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XV.

[9] Bolland. *Acta SS.* t. II martii; Card. Mai, *Script. vet.* t. III; Migne, *Patrol. Lat.* t. CXXII.

[1] Migne, *Patrol. Latin.* t. CVI-VIII.

[2] Colon. 1539, et in *Biblioth. PP.* t. XIV.

[3] Migne, t. CXXX.

historiae ecclesiasticae monumentis evincitur. Ex auctoris praefatione et ex universo collectionis argumento manifestum est, scopum collectoris fuisse, ut episcoporum tranquillitati consuleretur, iique ab importunis et iniustis accusationibus liberarentur. Praeterea Petrus de Marca [1], Launoius [2], Natalis Alexander [3], aliique consentiunt, nec diffitetur ipse Blondellus, caeterum Isidoro Mercatori infensus [4], spurias istas decretales plerasque e sententiis et verbis legum, canonum et Patrum praesertim IV et V saeculi esse consarcinatas; ac proinde eas non constituere ius novum. Quis ignorat, omnem innovationem contra usus receptos et veteres consuetudines esse odiosam? Qui igitur fieri potuisset, ut tantae innovationes, ut illi contendunt, in Ecclesiam quiete et universaliter introducerentur? Demum si quae hoc et sequentibus saeculis mutationes in disciplina factae fuerint, iis non Isidoriana collectio, sed temporum circumstantiae causam dederunt [5].

41. *Benedictus III Pontifex* (*an.* 855)— S. Leone Pp. IV, xvi° calendas sextilis, anno 855, mortuo, ad summum sacerdotium electus fuit Benedictus III, Romanus, s. Callisti tituli presbyter. Sed legati, a Lothario et Ludovico augustis Romam missi, ut pro more Pontificis consecrationi interessent, Arsenio Episcopo Eugubino instigante, ab aliquot factiosis eligendum sustulerunt Anastasium, supra a Leone IV depositum. Sed brevi post episcoporum, cleri et populi romani testimoniis et constantia superati illas factiones deseruerunt. Anastasio ab omnibus etiam ab iis, qui ei adhaeserant, abiecto, Benedictus III die iii° calend. octobr. solemni ritu ordinatus fuit, et pontificatum gessit usque ad annum 858 [6].

Fuerunt, qui inter Leonem IV et Benedictum III, 2 annis et 5 mensibus, in Petri cathedra locarunt feminam Ioannam papissam, producentes testimonia Mariani Scoti et Martini Poloni. Verum papatum Ioannae esse fabulam, ipsi inter heterodoxos sapientiores, Blondellus, Leibnitius, Boxhornius, Caveus, aliique consentiunt; Marianus Scotus solum xi° et Martinus Polonus xiii° saeculo floruit; ante eos nullus scriptor istius rei meminit; illa fabula in antiquioribus codicibus Chronicorum Mariani et Martini desideratur, et chronologia inter Leonem et Benedictum nullum locum relinquit Ioannae. Undenam ista fabula emerserit, incertum est [1]; alii auctores aliae illius causae adferunt.

42. *Ecclesiae status in Hispania* — In Hispania Alphonsus Castus, rex Asturiae, obiit an. 844. Is plures victorias de Mauris retulit, eisque ultra Durium reiectis, regni sui limites protulit et sedem eius posuit Oveti; plures elegantissimas ecclesias excitavit; eoque regnante, ut traditur, corpus s. Iacobi Maioris apostoli in Gallaecia repertum, et Compostellam translatum est [2]. Ramirus, successor Alphonsi, insignem etiam victoriam de Mauris tulit; Normannos quoque, oram Gallaeciae infestantes, reiecit. Eum an. 851 excepit Ordonius, qui multis annis cum Mahomete Maurorum califa vario marte certavit. Versus Pirenaeos etiam Christiani se contra Maurorum aggressiones tutati sunt duce Inigo Arista, comite Bigerrensi; qui ab illis rex creatus, an. circiter 830 regni Navarrae fundamenta iecit. Ei an. 835 successit Chimenes, huicque Inigo II. Hi principes eorumque successores, Maurorum dissidis et bellis usi, Navarrici regni limites magis magisque protulerunt. Catalauniae autem et Ruscinonensi comitatui imperabant reges Franci. In reliquis Hispaniae provinciis regnabant Mauri. Hi an. 850 gravem persecutionem in christianos excitarunt, qua durante multi ex his constantia plane heroica gravissima supplicia subierunt et palmam martyrii meruerunt; quorum memoriale cum exhortatione ad martyrium scripsit s. Eulogius, presbyter Cordubensis, qui et ipse martyrium passus est an. 859 [3].

43. *Ecclesiae status in Anglia* — In Anglia ecclesiarum status graviter concussus fuit dissensionibus bellisque, per initia huius saeculi fere continuis. An. 816 Wulfredus archiepiscopus Cantuariensis, ad componendum ecclesiarum statum et prospiciendum monasteriorum quieti commodisque, nationalem synodum coegit in loco Celchyt. Convenerunt praeter episcopos et abbates,

---

1 *Concordia sacerdot. et imper.* l. III, c. 5, n. 1.

2 *Anti-Bellarm.* addit. I.

3 *Hist. eccl.* saec. I, diss. 21.

4 *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes.*

5 Cf Baron. ad an. 865; FF. Ballerin. *De antiquis collection. et collector. canon.* p. III, c. 6, in Append. *Oper.* s. Leonis; I. Marchetti, *Comment. crit. in Hist. eccl. C. Fleury*, italice; Blasci, *De collectione Isidori Mercatoris*; F. A. Zaccaria, *Anti-Febronius* etc. diss. III, c. 3.

6 Anastas., *Vitae RR. Pontif.*; Pagi, *Critica* ad an. 855.

---

1 Cf Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. IX, diss. 3; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, part. 2, c. 9; Sandini, *Vitae RR. Pontificum, Leo IV.*

2 Flores, *Espana sagrada*, t. III, p. 50 et 56; Bolland., *Acta SS.* t. VI iul.

3 Bolland., *Acta SS.* 9 martii. Scripta s. Eulogii extant in *Hispania illustr.* t. IV, et *Biblioth. PP.* t. IX.

Kenulphus rex Merciorum et multi proceres. Editi sunt 11 canones de conservandis orthodoxa fide et canonicis praeceptis, de ritu consecrandi ecclesias, de electione abbatum et abbatissarum, de aliis. Anno 827 rerum status non nihil immutatus est, quum Egbertus, rex Westsaxiae, Britannis, Anglis et Saxonibus subactis, reiectisque Danis seu Normannis, solus universa Anglia potitus est, et monarchiae Anglicanae fundamenta posuit. Ab anno 838 usque ad annum 857 regnavit Ethelwulphus Egberti filius, princeps magnae pietatis. Is Danos seu Normannos, Angliam infestantes, debellavit; piam peregrinationem ad urbem Romam instituit, ubi a Leone Pp.IV honorifice exceptus, Anglorum scholam et xenodochium instauravit, denarium a singulis domibus secundum leges Inae et Offae regum R. ecclesiae quotannis pendendum, toti regno suo imperavit; an. 853 coacto apud Wintoniam episcoporum, abbatum et magnatum conventu, ecclesiis et monasteriis concessit decimam regni seu haereditatis suae portionem, ab omni servitute liberam; episcopi autem constituerunt, ut singula feria quarta in ecclesiis et monasteriis pro rege et optimatibus, tum vivis tum defunctis, canerentur 50 psalmi, et a quolibet sacerdote missae sacrificium offerretur [1].

44. *Ludovicus II imperator* — Anno 855 Lotharius augustus, abdicata rerum humanarum summa, et dispertito inter tres filios suos regno, in coenobio Prumiensi monasticum habitum induit, ubi post 6 dies obiit. Ei in imperio et regno Italiae successit Ludovicus II, iam an. 850 a Leone Pp. IV coronatus, in Austrasia Lotharius, a quo illa Lotharingiae nomen accepit, et in Provincia Carolus. In Italia Ludovicus II variorum ducum pro sua independentia certantium molimina cohibuit, bellumque fere continuum gessit contra Saracenos seu Mauros, qui ex Africa et Hispania in provincias Italicas eruperant, multasque urbes et castra occupaverant.

45. *Ecclesiae status in Gallia* — In Germaniae, Frisiae et Galliae provinciis mala ingentia ecclesiasticae ac civili rei illata sunt piraticis Normannorum incursionibus. Accesserunt ipsorum regum Francorum inter se discordiae et bella civilia inde secuta; quibus durantibus ecclesiarum pax perturbata, immunitates et iura contempta, leges violatae, bona ecclesiastica a laicis occupata, disciplina collapsa, mores depravati sunt. Benedictus Pp. III episcopos, in regno Caroli Calvi constitutos, litteris increpuit, quod iniustis bonorum ecclesiasticorum occupationibus, aliisque abusibus se pro viribus non opponerent. Episcopi an. 856 in comitiis apud Bonoilum prope Parisios litteras Pontificis regi exhibuerunt, eumque hortati sunt, ut ecclesiarum et monasteriorum depraedationes cohiberet, ablata restituenda curaret, et secundum capitula, supra in synodis communi consensu edita, ordines regni componeret. Verum coniurationes et bella, brevi post contra Carolum Calvum excitata, obsteterunt, quominus id efficeretur. An. 858 Ludovicus rex Germaniae, a coniuratis contra Carolum in Neustriam advocatus, fratri suo bellum intulit. In his angustiis episcopi Carolo regi opem tulerunt, auctoritate sua armisque spiritualibus subditos in obsequio eius continentes. Tandem an. 860 apud Confluentiam ad Rhenum inter Ludovicum Germaniae, Carolum Calvum Galliae, Lotharium Lotharingiae et Carolum Provinciae reges pax composita fuit [1].

Pace inter principes conciliata, episcopi reparandis Ecclesiae malis operam navarûnt. An. 860 antistites e 14 provinciis convenerunt Tullum in Lotharingia ubi constituerunt, ut pervasores rerum ecclesiasticarum anathemate plecterentur, nisi poenitentiam agentes usurpata restituerent; ut virgines et viduaé, Deo consecratae et incontinenter viventes, in ergastulis ad agendam poenitentiam recluderentur; ut periuri, raptores, incendiarii, homicidae excommunicarentur, utque clerici et monachi vagi ad episcopos et abbates remitterentur [2].

46. *S. Nicolaus I Pontifex* (*an.* 858) — Benedicto Pp. III an. 858 defuncto, summa omnium voluntate supremo Ecclesiae regimine et corona pontificia insignitus fuit [3] s. Nicolaus I, Romanus, antea diaconus, qui sedit usque ad an. 867. Is magno gaudio affectus fuit e conversione Chazarorum, Bulgarorum et Moravorum; sed magnum negotium ei facesserunt Photius in Oriente et

[1] Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1484, et t. VIII, p. 243.

[1] *Annales Bertin., Fuldens., Normann.; Concil. Gall.* t. III, p. 117 et 131.

[2] *Concil. Gall.* ibid. p. 707.

[3] «Haec est prima, ni valde fallor (ait Franciscus Pagius in *Vita* huius Pontificis, § 2), de coronatione summorum Pontificum mentio. Non enim memini me legisse, aliquem ex Romanis Pontificibus antea coronatum fuisse. Haec coronatio facta est in Ecclesia Lateranensi, licet postea, ut in Paschali II, in Cælestino III, et alibi videbimus, Pontifex semper coronatus sit in Ecclesia Vaticana, e qua redibat coronatus in Lateranum. Unde suspicor in Anastasio, ubi legitur: *Lateranum perductus coronatur*, legendum esse *Lateranum perductus coronatus*».

Lotharius rex in Gallia, ut videbimus. Quid in causa Hincmari Clerique Rhemensis hic Pontifex perfecerit, alibi disseremus.

47. *Chazarorum, Bulgarorum, et Moravorum conversio* — Hoc tempore ex ecclesia Graeca prodierunt 2 viri, spiritu apostolico pleni, qui populis Hunnicae et Slavicae originis auctores christianae fidei extiterunt, Constantinus nempe, alias Cyrillus, eiusque frater Methodius, ambo monachi et presbyteri, Thessalonicae nati. In primis quum Chazari, in Chersoneso Taurica et vicinis regionibus ad Pontum Euxinum habitantes, ab imperatore Michaële III eiusque pia matre Theodora sacerdotes christianos postulassent, Cyrillus, ad eos missus, tanto cum fructu iisdem Evangelium praedicavit, ut brevi tempore et principem nomine Sphetopelek, et subditos converterit atque baptizarit[1].

Supra vidimus, Bulgarorum multos per christianos captivos ad Christi cultum fuisse perductos[2]. Anno vero 861 Bogoris, illorum rex, primo a Cuphara monacho captivo, deinde a sorore sua, quae Constantinopoli christianam fidem susceperat, et praesertim a s. Methodio, quem cum aliis ad se arcessiverat, excitatus, baptismum suscepit. Eius exemplo et adhortationibus multi crediderunt et baptizati sunt. Quum vero Bulgari, parum dediti essent sacerdotibus Graecis; qui Constantinopoli ad eos convertendos missi fuerant an. 866 rex legatos misit Romam, qui Pontifici munera ferrent, certas quaestiones proponerent et episcopos atque presbyteros ab eo postularent. Nicolaus Pp. I, legatos Bulgarorum benigne excepit, ad eorum quaestiones 106 responsa dedit, et cum eis in Bulgariam ablegavit duos episcopos, Formosum Portuensem et Paulum Populoniensem, et aliquot presbyteros, a quibus maxima pars populi in doctrina Christi instituta, eiusque Ecclesiae per baptismum adscripta fuit[3].

S. Cyrillus vero cum fratre suo s. Methodio an. 863 profectus est in Moraviam, quae tunc temporis praeter hodiernum marchionatum comprehendebat magnam partem Silesiae, Hungariae et Austriae. Iam sub saeculi VIII exitum, curante Arnone episcopo Salisburgensi, Evangelium incolis Moraviae annuntiatum fuerat[1]. Sub initia huius saeculi in Moraviae finibus fidem praedicavit Urolchus, episcopus Lauracensis, multosque cum ipso rege Moymiro baptizavit. Quum deinde Ratislaus, Moymiri successor, abiecto supremo Ludovici regis Germaniae dominio foedus iniisset cum imperatore Graecorum et rege Bulgarorum, ss. Cyrillum et Methodium in terras suas vocavit. Eorum opera Ratislaus rex, magnates et subditi passim deorum cultum abiecerunt, christianam religionem amplexi sunt et vero Deo ecclesias extruxerunt. Iidem missionarii, propriis litterarum slavicarum characteribus inventis, s. Scripturam et libros liturgicos in slavicam linguam verterunt. Post 4 annos ambo missionarii a Pontifice Romam vocati sunt, ubi Cyrillus monasterium ingressus est, Methodius vero ab Hadriano II episcopus ordinatus et metropolitica potestate per totam Moraviam instructus, in hanc rediit et Evangelii propagationem summo cum successu prosecutus est[2].

48. *Photii schismatis initia*—Eodem tempore in Oriente initia posita sunt tetri schismatis, quod postea consummatum, usque hodie maximam ecclesiae Graecae partem a Romano-catholica avulsit. Michael III imperium Graecum bene administravit, quamdiu Theodorae matris suae, feminae religiosae, consiliis usus est; sed ea amota, se totum ad nutum Bardae avunculi sui convertit. Quum autem s. Ignatius patriarcha Cp., Bardae propter incestuosum eius cum nuru commercium sacram communionem negasset, is anno 857 effecit, ut sanctus praesul, criminis maiestatis falso accusatus, in insulam Terebintum relegaretur, et in eius locum eligeretur Photius, qui intra sex dies e laico ordinatus fuit patriarcha a Gregorio episcopo Syracusano, iam ab anno 854 in synodo Cp. excommunicato et deposito. Confestim in omnes Ignatii familiares saevitum est, et sanctus praesul, omni iniuriarum genere affectus, quia patriarchatum abdicare nolebat, Mitylenen deportatus fuit. Verum episcopi Cpnae provinciae istis saevitiis commoti, in Ecclesia s. Irenes convenientes, Photio patriarchatum abiudicarunt, et anathema in eum eiusque fautores dixerunt. Contra Photius patrocinio Bardae et imperatoris munitus, episcopos sibi deditos congregavit in ecclesia ss. Apostolorum, et in Ignatium depositionis atque anathematis sententiam protulit; episcopi, qui iniquae

[1] Bolland., *Acta SS.* 9 mart.
[2] Cf. p. 219.
[3] Bolland., loc. cit. Responsa s. Nicolai I ad quaestiones Bulgarorum extant apud Labbe, *Concil.* t. VIII, p. 516. In iis plura explicantur de baptismo, de nuptiis, de ieiunio, de communione Corporis et Sanguinis Domini, de colenda die Dominica, de causis clericorum, de electione et ordinatione Episcoporum, etc.

[1] Vid. p. 210.
[2] Bolland. *Acta SS.*

huic sententiae assentiri nolebant, primo in carcerem, deinde in exilium eiecti sunt, et Constantinopolitana vicinaeque ecclesiae in duas partes scissae.

Photius sat intelligens, sua interesse, ut a R. Pontifice confirmaretur, tum suo tum imperatoris nomine litteras ad Nicolaum Pp. direxit, quibus Ignatium propter senium dimisisse patriarchatum, seque, quamvis invitum, omnium votis in eius locum esse electum, mentiebatur. Pontifex de imperatoris et Photii litteris merito diffidens, Constantinopolim legavit Rodoaldum Portuensem et Zachariam Anagninum episcopos, ut causam Ignatii et Photii cognoscerent, et de ea ad Apostolicam Sedem referrent. Verum legati muneribus, iniuriis minisque fracti, ministerium suum turpiter dehonestarunt, et in frequenti episcoporum Photio deditorum conciliabulo, anno 861 Constantinopoli coacto, Ignatii, quamvis Apostolicam Sedem appellantis, depositioni subscripserunt.

Quum haec cognovisset Nicolaus Pp., coram clero Romano ea, quae a legatis suis fuerant peracta, reprobavit, contestatus, se eos non ad dirimendam, sed tantum ad cognoscendam Ignatii et Photii causam Constantinopolim misisse. Id ipsum Pontifex significavit in litteris ad Michaelem imperatorem, ad Photium et ad omnes fideles directis. Brevi post ad Nicolaum Pp. delatus est appellationis libellus, a s. Ignatio scriptus et a 10 metropolitis, 15 episcopis multisque clericis subscriptus. Quapropter Pontifex anno 863 Romae episcoporum synodum coegit, in qua Zacharias legatus ex propria confessione excommunicatus et depositus fuit; causa Rodoaldi absentis ad proximam synodum remissa; Photius omni honore sacerdotali et officio clericali privatus sub poena anathematis, Ignatius vero restitutus; episcoporum et clericorum, propter fidem Ignatio praestitam eiectorum, restitutio imperata sub periculo anathematis, et omnibus, clericis sub depositionis, laicis sub excommunicationis poena prohibitum, quominus ullas vexas Ignatio inferrent. Quae omnia Nicolaus Pp. imperatori Graecorum, episcopis, clero et populo provinciae Cp. significavit.

Verum Photius ope Bardae et Michaelis imperatoris patriarchatum minime dimisit, contra in eos omnes, qui communionem eius vitabant, dirissime saeviit, omnique arte partes suas firmare et augere conatus est. Quin imo, ut tum Occidentis tum Orientis ecclesias a communione Nicolai Pp. avelleret, confinxit synodum oecumenicam, cui praeter imperatorem et senatum, cum episcopis patriarchatus Constantinopolitani interfuissent vicarii patriarcharum Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani, et in qua Nicolaus Pp. variorum criminum accusatus, excommunicatus et depositus legebatur. Cum vero confictae synodi actis tantum 21 episcopi subscribere voluissent, Photius eorum subscriptionibus alias 980 ementitas addidit; et ea ipsa acta cum litteris adulatoriis direxit ad Ludovicum II imperatorem Occidentis. Ad patriarchas autem Orientis litteras encyclicas dedit, quibus Ecclesiam latinam variorum errorum accusans, illos ad synodum vocabat, ut istorum errorum, quibus iam Bulgaros imbutos querebatur, propagatio impediretur. Improperabat Photius Ecclesiae latinae, quod sabbatis ieiunaret, primam quadragesimalis ieiunii septimanam a reliquo ieiunio discerperet, casei lactisque usum in ea permitteret, sacerdotes continentiae ab uxoribus antea ductis abstringeret, chrismate per sacerdotes inunctos denuo inungere non dubitasset, et symbolum Cp. corrupisset, contendens Spiritum S. non e solo Patre, sed e Filio etiam procedere [1].

Interim res schismatici Photii mutatae sunt. Anno quippe 866 Barda et anno sequenti Michaële III trucidatis, imperator salutatus fuit Basilius, qui mox Nicolai Pp. sententiam executus, Photium e sede Cp. eiecit et in monasterium relegavit; Ignatium vero cum summo omnium ordinum applausu restituit. Quae omnia Basilius imperator et Ignatius patriarcha R. Pontifici significarunt, simulque postulaverunt, quid in causa eorum qui schismati adhaeserant, esset agendum [2]. Obierat tunc Nicolaus I; quae autem Hadrianus II, eius successor, in hac re egerit, infra dicemus.

49. *Lotharii divortium*—Aliud negotium s. Nicolao Pp. facessivit Lotharius rex Lotharingiae, qui, ut Teutbergam legitimam suam uxorem repudiaret, duceretque Waldradam pellicem, crimen in reginam con-

---

[1] Ea, quae Photius Ecclesiae latinae improperavit, hoc ipso tempore, rogante Nicolao Pp., confutarunt Hincmarus Rhemensis, Odo Bellovacensis, Æneas Parisiensis, Ratramnus Corbeiensis. Eadem confutata reperies apud Baron. ad an. 869; L. Allatium, *De consens. Eccl. orient. et occident.*; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. IX-X, diss. 4, § 7-8, et diss. 18.

[2] Nicetas, *Vita s. Ignatii*; Baronius, ad an. 857-68; Natal. Alexand. loc. cit.; Iager, *Histoire de Photius*, Louvain, 1845, in-8.°

finxit, ac si ea ante suum matrimonium a proprio fratre fuisset polluta. Regina crimen negavit, cumque illud nullo testimonio probari posset, procerum iudicio et episcoporum consilio regisque assensu procuratorem misit ad iudicium aquae ferventis, ut suam innocentiam Deo probandam et vindicandam permitteret. Procurator ex aqua ferventi illaesus exivit, et Teutbergae innocentia conclamata est. Nihilominus impudicus rex in concilio repudiandi Teutbergam et ducendi Waldradam perseveravit, et, proh dolor! regni sui episcopos habuit assentatores. Hi anno 860 Aquisgrani congregati, regi renunciarunt, eum non posse retinere uxorem tam nefario crimine foedatam; deinde Teutbergam publicae poenitentiae addixerunt; tandem anno 862 regi postulanti, ut novum matrimonium inire posset, turpiter annuerunt, et rex palam Waldradam duxit.

Teutberga R. Pontificem appellavit. Lotharius quoque ad Pontificem litteras dedit. Nicolaus Pp. synodum indixit Metis, ad quam legavit Rodoaldum Portuensem et Ioannem Ficolensem episcopos, eisque commonitorium dedit, secundum quod causam cognoscerent, et sententiam synodi Romam referrent, Apostolicae Sedis iudicio submittendam. Scripsit etiam Pontifex ad episcopos Galliae et Germaniae, ut se ad Metensem synodum conferrent. Synodus habita est anno 863 a solis episcopis e regno Lotharii. Legati Pontificis, muneribus corrupti, nihil eorum, quae sibi demandata erant, fecerunt, regis repudium cum Teutberga et coniugium cum Waldrada approbarunt, eorumque consilio Guntharius Coloniensis et Theutgaudus Trevirensis archiepiscopi Romam profecti sunt, iniquae sententiae confirmationem postulaturi. Verum Nicolaus Pp. utrumque in Romana synodo eodem anno deposuit. Illi adeuntes Ludovicum imperatorem, Beneventi agentem, eum ita in Pontificem commoverunt, ut cum exercitu Romam profectus. Nicolaum ad reparandam iniuriam, quam fratris sui legatis illatam dicebat, compellere constituerit; sed sermone Pontificis rem melius edoctus, Roma discessit, et Guntharium atque Theutgaudum in Gallias redire iussit.

Episcopi Lotharingiae directis Romam poenitentiae libellis, veniam a Pontifice postularunt et consecuti sunt. Lotharius quoque submissionis litteras ad Nicolaum misit; et anno 865 Arsenii episcopi Hortensis, quem Pontifex in Lotharingiam legaverat, monitis perterritus, Waldradam dimisit, et Teutbergam in coniugem et reginam recepit. Verum post legati pontificii discessum, Teutbergam neque ut coniugem neque ut reginam habuit; quapropter Nicolaus ei licentiam Romam veniendi quam ad se purgandum petierat, negavit. Hac licentia ab Hadriano II, Nicolai successore, impetrata, Lotharius anno 869 Romam venit, horribili periurio, sacra etiam usus synaxi, affirmavit, se mandata Nicolai Pp. fideliter custodivisse, et deinceps ad Waldradae consuetudinem nunquam accessurum. At periurii poenas luit; nam Roma digressus, hoc ipso anno Placentiae inopina morte decessit [1].

50. *Causa clericorum Rhemensium* — Altera controversia per annos multos agitata fuit, nimirum de Wulfado aliisque clericis, ab Ebbone archiepiscopo Rhemensi post abdicationem suam et depositionem ordinatis. Etenim Ebbo rebellionis Lotharii in Ludovicum patrem auctor, restituto Ludovico, anno 835 episcopis, in villa Theodonis congregatis, obtulerat abdicationis libellum, et secundum propriam confessionem ministerio episcopali amotus fuerat. Post Ludovici obitum (840) Ebbo decreto Lotharii, a 20 episcopis subscripto, in sedem Rhemensem restitutus est; sed post biennium dimissa rursus ecclesia Rhemensi, transiit ad Lotharium. An. 845 in eius locum ordinatus Hincmarus, Wulfadum aliosque clericos, ab Ebbone post suam restitutionem ordinatos, ordinum exercitatione interdixit, quod an. 853 in synodo Suessionensi confirmatum est [2]. Wulfadus vero cum sociis suis appellavit Sedem Apostolicam. Leo Pp. IV mandavit, ut Hincmarus cum iis legatum Romam mitteret et audiretur Apostolicae Sedis iudicium [3]. Benedictus III, Leonis successor, Suessionensis synodi acta confirmavit cum hac clausula: « Si ita est, nostro ut scriptis praesulatui intimasti ».

Quum autem Carolus rex Provinciae pluresque magnates Wulfadi et sociorum eius restitutionem postularent, Nicolaus Pp. I an. 866 causam retractari iussit in synodo Suessionensi. At Carolus rex morae impatiens, Wulfadum ordinari iussit episcopum Bituricensem. Id aegre tulit Nicolaus Pp. novamque synodum de eadem causa haberi iussit Trecis. Priusquam huius synodi litte-

---

[1] Baronius et Pagi, ad an. 862-69; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* diss. 9 in saec. IX-X; Hincm., *De divortio Lotharii*; Labbe, *Concil.* t. VIII, p. 695, 736, 764-67.
[2] Labbe, loc. cit. p. 79.
[3] Nicolaus I, *Epist.* 9.

rae Romam essent adlatae, obierat Nicolaus I. Eius successor, Hadrianus II, secundum Trecensis synodi preces restitutionem clericorum Rhemensium et ordinationem Wulfadi confirmavit, eique pallium concessit [1].

51. *Hadrianus II Pontifex* (*an.* 867)— Cum s. Nicolaus I, cui quoque in Pontificibus cognomen *Magno* ex rebus gestis datum fuit, idibus novembr. an. 867 ad coelestem patriam migrasset, mense sequenti (XIX° calend. ianuarius) summus pontificatus ingenti totius Urbis gaudio delatus fuit Hadriano II, Romano, tituli s. Marci presbytero, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 872 [2]. Is, quum Basilii imperatoris et Ignatii patriarchae Cp. legatos litterasque de eiecto Photio et restituto Ignatio excepisset, an. 868 Romae synodum habuit, in qua Michaëlis imperatoris et Photii conciliabula, acta et scripta contra Apostolicam Sedem et Ignatium damnata sunt; Photius iterum anathemate percussus est, ita tamen, ut ei communio laica promitteretur, si Nicolai et Hadriani pontificum decretis obedientiam spopondisset; iis, qui conficti a Photio conciliabuli actis assenserant, si ea flammis tradidissent, et ad communionem Ignatii rediissent, in communionem Apostolicae Sedis recepti sunt; demum omnibus prohibitum, clericis sub depositionis et laicis sub anathematis poena, quominus Photiani conciliabuli acta conservarent [3]. Pontifex, absoluta synodo, legatos Constantinopolim misit, qui concilio VIII praesiderent, ut mox videbimus.[4]

52. *Concilium Cp. IV, generale VIII* (*an.* 869) — Hadrianus Pp. mox cum Basilio Macedone, Imperatore Graecorum, egit de convocando Constantinopoli generali concilio, componendis rebus Ecclesiae Orientalis. Legavit illuc Donatum Ostiensem et Stephanum Nepesinum episcopos cum Marino R. Ecclesiae diacono, qui vice sui concilio praesiderent. Iis dedit litteras ad Basilium imperatorem et ad Ignatium patriarcham Cp., atque concordiae libellum, cui omnes episcopi, sacerdotes, aliique, priusquam ad consessum admitterentur, subscriberent. In hoc libello subscribens profitebatur, se sequi constitutiones RR. Pontificum, anathematizare Photium, eius contra s. Ignatium et Apostolicam Sedem conciliabula, eorumque defensores, amplecti vero synodos Nicolai I et Hadriani II in causa Photii et Ignatii habitas. Episcopi secundum iussionem Pontificis ad concilium convocati sunt.

Concilium inchoatum est III° nonas octobr. an. 869, et absolutum pridie calendas mart. anno sequente. Incertus est numerus episcoporum, qui interfuerunt. Praesederunt 3 Pontificis legati. Habitae sunt 10 actiones seu sessiones. I^a Actione lectus est Hadriani II libellus, cui omnes subscriberent. II^a, Episcopi, sacerdotes et alii, qui Photii partibus adhaeserant, veniam postulantes et Pontificis libello subscribentes, ad communionem et pristinam dignitatem admissi sunt. III^a, Aliquot episcopi, Pontificis libello subscribere nolentes, a concilio reiecti sunt; deinde praelectae fuerunt litterae Basilii imperatoris et Ignatii patriarchae ad Hadrianum Pp. huiusque responsoriae. IV^a, Zacharias et Theophilus episcopi e factione Photii, mendacii convicti et libello Pontificis snbscribere recusantes, foras eiecti fuerunt. V^a, Concilii Patres interrogaverunt Photium, et respondere nolentem, ad agendam poenitentiam dimiserunt. VI^a, Legerunt sententiam Nicolai I in Photium; vicarii patriarcharum Orientalium testati sunt, in nullis apud se ecclesiis Ignatii abdicationem aut Photii ordinationem fuisse receptam; concilium Photianis dies 9 pro resipiscentia adsignavit. VII^a, In Photium, Gregorium Syracusanum, aliosque in schismate pertinaces, anathema dictum est. VIII^a, Omnia Photii scripta contra Nicolaum Pp. in ignem coniecta, et anathematismi in Iconomachos et Photium innovati sunt. IX^a, Ii qui antea, suadente Photio et compellente Michaële imperatore, falsa testimonia contra Ignatium tulerant, crimen confessi veniam impetrarunt. X^a, Conditi fuerunt 27 canones, ad disciplinam ecclesiasticam et causam Photianam spectantes. Concilii decretis subscripserunt primo legati Pontificis, deinde episcopi. Quo facto, synodicam epistolam scripserunt ad Hadrianum II, in qua suam cum Pontificis decretis consensionem significabant, rogabantque, ut supremo suo magisterio faceret, ut eadem decreta ab universis Eccle-

[1] Labbe, loc. cit. p. 808, 889.

[2] Muratorius (*Prolegom. in Vitas Romanorum Pontificum* Libro Pontificali additas, t. III *Rer. Italicar. Scriptor.* p. 274) ait: « Veterum Romanorum Pontificum vitae a variis scriptoribus litteris consignatae, quae sub Anastasii Bibliothecarii nomine circumferuntur, in Hadrianum II et Stephanum IV, seu ut rectius dicendum est V, desinunt, quarum postremae Gulielmo Bibliothecario tribuuntur ».

[3] Anast. *Vitae Pontif., Hadrian. II*; Labbe, t. VIII, p. 1342.

[4] Quomodo se egerit Pp. Hadrianus II in causa Hincmari Rhemensis, qui Hincmarum Laudanensem deposuerat, legere iuvat insequentem § 55 (p. 237, vol. huius).

siis susciperentur. Concilii decreta confirmavit Hadrianus Pp., ut constat ex eius ad Basilium imperatorem epistola. Unde hoc concilium inter oecumenica octavum locum accepit [1].

53. *Bulgari ritum graecum suscipiunt* — Concilio absoluto, alia suborta est quaestio, nempe de iuribus patriarchicis in ecclesias Bulgariae. Certum est, universum Illyricum a priscis temporibus pertinuisse ad patriarchatum Romanum seu Occidentalem. Anno vero 730 imperator Leo Isaurus per vim et iniuriam dioeceses Illyrici transtulerat ad patriarchatum Cp. [2]. Quum postea Bulgari, qui magnam partem Illyrici occuparunt, eique nomen Bulgariae indiderunt, Fidem suscepissent et a Nicolao I episcopos atque sacerdotes accepissent [3], ritum latinum sectabantur et R. Pontifici veluti suo patriarchae obediebant. Verum Photius, in sedem Cp. intrusus, eos litteris mendacibus ad obedientiam suam pertrahere tentavit. Bulgarorum rex pravis Photii artibus deceptus, ad Cp. concilium legatos misit postulatum, ad quem patriarchatum dioeceses Bulgariae pertinerent.

Dum isti legati Constantinopolim advenerunt, iam absolutum erat concilium; sed adhuc ibi degebant legati Pontificis et vicarii patriarcharum Orientalium. Basilius imperator legatos sedis Apostolicae et vicarios patriarcharum Orientalium cum Ignatio patriarcha Cpno congregavit, ut audirent legatos regis Bulgarorum. Querebant hi, cui ecclesiae patriarchicae, Romanae an Cpnae, essent subiecti. Responderunt legati Pontificis, Bulgaros subditos esse ecclesiae Romanae, quod provinciae, ab iis occupatae ab antiquissimis temporibus, ad patriarchatum Romanum pertinuissent, quodque ipsi Bulgari se Romanae Ecclesiae subdidissent, episcopos et sacerdotes ab ea postulassent et accepissent. Vicarii vero Orientalium patriarcharum responderunt, Bulgaros pertinere ad patriarchatum Cpnum, quod eorum provinciae antea pertinuissent ad imperium Orientale, et in iisdem, cum occuparentur a Bulgaris, ecclesiastico ministerio fungerentur sacerdotes Graeci. Contra hanc sententiam reclamarunt, eiusque rationes mox confutarunt legati apostolici, et Ignatium patriarcham obtestati sunt, ne quae iura in Bulgaria sibi usurparet. Respondit Ignatius, se nihil contra Apostolicae Sedis decorem suscepturum. Posthaec colloquium absolutum est.

Verum Graeci, praesertim Basilius imperator, qui ex invidia in ecclesiam Romanam, his aliisque artibus Bulgaros ab illius obedientia avellere conati sunt, Bulgarorum legatis scriptum dedit, in quo legebatur, quaestionem istam canonice agitatam fuisse et sic definitam, ut ecclesiae in Bulgaria subessent patriarchae Cp., et Ignatius, secundum Orientalium sententiam, sacerdotes graecos atque Teophylactum archiepiscopum in Bulgariam misit, quos Bulgari, dimissis latinis, susceperunt. Hadrianus II contra ea omnia reclamavit, litterasque comminatorias scripsit ad Basilium imperatorem [1]. Eius vestigiis insistens Ioannes VIII, qui Hadriano successit, legatos Constantinopolim misit cum litteris gravissimis ad regem Bulgariae, eumque monuit, ut ad obedientiam Apostolicae Sedis rediret; sacerdotibus graecis praecepit, ut e Bulgaria discederent, et Ignatio graves minas intentavit, nisi ea, quae in ecclesiis Bulgariae egerat, corrigeret. Sed priusquam hae litterae Constantinopolim adlatae essent, obierat s. Ignatius. Post eius mortem Ioannes VIII inter alias conditiones, Photii restitutioni appositas, hanc exegit, ut is ab administratione ecclesiarum in Bulgaria abstineret [2]. Verum Photius et hanc et alias Pontificis leges sprevit, atque Bulgariam in obedientia episcopi Cpni retinuit [3].

54. *Ioannes VIII Pontifex* (*an.* 872) — Hadrianum II an. 872 [4] defunctum in summo pontificatu (XIX° calend. ianuar.) excepit Ioannes VIII, antea R. Ecclesiae archidiaconus, seditque usque ad an. 882. Praecipua eius gesta infra narrabimus.

55. *Hincmarus Rhemensis* — In Gallia celebris erat Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis, vir doctus, qui plura et diversi argumenti scripta in lucem dedit [5]; sed imperiosus et sententiae suae plus iusto tenax, RR. Pontificum offensionem in se concitavit. Vidimus supra gesta eius contra Wulfadum eiusque socios [6]. Cum deinde Rothadus, episcopus Suessionensis, quemdam presbyterum, stupri reum, in synodo deposuis-

[1] Labbe, *Concil.* t. VIII. — De auctoritate oecumenica huius Concilii videsis Natal. Alex. *Hist. eccl.* diss. 4 in saec. IX-X; Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 12; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. I, p. 2, c. 9.

[2] Carolus a s. Paulo, *Geographia sacra*; Baronius et Pagi, ad an. 730. — [3] Vid. p. 233.

[1] Hadrian. *Epist. ad Basil. imp.*; Anastas., *Vitae Pontif.*, *Hadrianus II*, et Praefat. ad *Concil. VIII.*

[2] *Epist.* 75, 77, 79, 85 et 201.

[3] Le Quien, *Oriens christ.* t. I, Praefat. ad *Patriarch. Cp.* c. 14; Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.* t. II, c. 17.

[4] Nullus ex antiquis diem emortualem Hadriani II notavit.

[5] Edidit Sirmondus, Paris. 1645, 2 vol. in fol.; an. 1688 vol. 3 addidit Cellot. — [6] Vid. p. 235.

set, hicque Hincmarum metropolitam suum appellasset, Hincmarus eum sine Rothadi consensu restituit, et Rothadum contradicentem communione episcopali exclusit, donec acquiesceret. Ille Apostolicam Sedem appellavit, sed Hincmarus ope regis Caroli Calvi impedivit, ne Rothadus Romam iret, et coacta an. 863 in suburbio Suessionum synodo, eum deponendum, aliumque in locum eius ordinandum curavit. Nicolaus Pp. I iis auditis, Hincmarum graviter reprehendit, quod, spretis Apostolicae Sedis iuribus, et privilegiis, episcopum Romam appellantem iudicare et a prosequenda appellatione impedire ausus esset, acta synodi Suessionensis rescidit, et Hincmaro aliisque istius synodi episcopis sub poena suspensionis mandavit, ut Rothadum intra 30 dies sedi suae restituerent vel cum eo Romam ad dicendam causam venirent. Hincmarus primo tergiversatus, dein constantia Pontificis victus, cum Rothado legatos Romam misit. Nicolaus Pp. an. 865 in Romana synodo Rothadum restituit, qui eodem anno in Galliam redux, sedem Suessionensem recepit [1].

Imperiosius processit idem Hincmarus contra nepotem suum, Hincmarum episcopum Laudunensem. Hic quum quibusdam actibus imprudentibus regem Carolum Calvum graviter offendisset, et an. 869 ad synodum Vermeriensem citatus, Apostolicam Sedem appellasset, neque a rege neque ab episcopis potestatem eundi Romam accepit. Paulo post iussu regis custodiae mancipatus, omnem dioecesim suam sacris interdixit, donec libertati redditus Apostolicam sedem adire posset. Hincmarus Rhemensis interdictum rescidit. Laudunensis multa scripsit contra avunculum suum et metropolitam, Hincmarum Rhemensem, ad quae hic respondit. Anno 870 Hincmarus Laudunensis in synodo Attiniacensi, e 10 provinciis convocata, regi fidem et metropolitae suo obedientiam spopondit; sed brevi post de vi sibi facta questus, appellationem ad Apostolicam Sedem instauravit. Anno sequente in synodo Duziacensi rursus a rege et ab Hincmaro Rhemensi multorum criminum accusatus, nihilque respondens, nisi quod Apostolicam Sedem appellaret, depositus fuit cum hac clausula : « salvo per omnia Apostolicae Sedis iudicio ». Synodus de omnibus certiorem reddidit Hadrianum Pp. II, cumque rogavit, ut sententiam confirmaret; si vero iudicaret, causam esse retractandam, eam retractari iuberet in provincia secundum morem in Gallia receptum. Pontifex vero in litteris ad istos episcopos graviter questus est, quod episcopum appellantem deposuissent, mandavitque, ut Hincmarum Laudunensem cum accusatoribus Romam mitterent. Obstitit Carolus rex et acerrimas litteras, dictante Hincmaro Rhemensi, ad Pontificem scripsit. Ioannes VIII, qui an. 872 Hadriano II successit, Hincmari Laudunensis depositionem confirmavit; Carolus vero rex eumdem excaecari et in exilium pelli iussit; sed anno 878 Ioannes VIII oblato sibi in synodo Trecensi ab Hincmaro Laudunensi libello permotus, ei potestatem celebrandae missae, partemque proventuum Ecclesiae Laudunensis concessit [1].

Quamvis Hincmarus iunior ab omni culpa vindicari non possit, nec Carolus rex a saevitia nec Hincmarus senior a nimia animositate excusari nequeunt.

56. *Scriptores ecclesiastici* — Floruerunt posteriori huius saeculi dimidio scriptores sequentes: Remigius, monachus Antissiodorensis, conscripsit commentarios in Psalmos, in Prophetas minores, et in epistolas s. Pauli[2]. Christianus Drutmarus, monachus Corbeiensis, scripsit commentarium in Evangelium s. Matthaei, multorum iudicio a novatoribus interpolatum in iis quae spectant ad ss. Eucharistiae institutionem[3]. Theodorus Abucara, metropolita Cariae in Asia minori, eruditas scripsit disputationes contra Iudaeos, Mahometanos et haereticos[4]; disseruit etiam de unione incarnatione Verbi [5]. Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis, vir doctus, sed, uti diximus, imperiosus, scripsit plura de praedestinatione contra Gothescalcum, de institutione regis, et de aliis argumentis, pluresque epistolas[6]. Remigius, archiepiscopus Lugdunensis, cuius extant aliquot opuscula de praedestinatione, quae tamen plures eruditi ei abiudicant [7]. Lupus Servatus abbas Ferrariensis, in doctrina et disciplina Ecclesiae versatissimus, disseruit de praedestinatione, aliisque quaestionibus, sua aetate in Gallia motis [8]. Ado, e monacho Benedictino episcopus Viennensis in Gallia, edidit martyrologium et breviarium chroni-

[1] Longueval, *Hist. de l'Église Gall.* t. VI, edit. in-4.°

[1] Longueval, ibid.

[2] *Biblioth. PP.* t. XV; Card. Mai, *Scriptor. vet.* t. VI.

[3] Ibid. Cf Du Perron, *De Eucharist.* t. II; Migne, *Patrol. Latin* t. CVI.

[4] Graece et latine, Ingolstad. 1606.

[5] Paris. 1685.

[6] Paris. 1645, 2 v. in-fol.; Migne, loc. cit. t. CXXV-VI.

[7] Migne, ibid. t. CXXI.

[8] Paris. 1664 et Antverp. 1710; Migne, ibid. t. CIX.

eorum de sex mundi aetatibus [1]. Usuardus monachus Benedictinus, reliquit martyrologium [2]. Anastasius, abbas Benedictinus et Romanae Ecclesiae Bibliothecarius, acta conciliorum generalium VII et VIII e graeco in latinum vertit; historiam ecclesiasticam e chronographiis Georgii syncelli, Theophanis et Nicephori latine exposuit [3]; collectanea rerum, ad historiam Monotheliticam spectantium edidit [4], librumque Pontificalem seu vitas RR. Pontificum collegit et auxit [5]. Petrus Siculus, litteris tradidit historiam Manichaeorum [6].

57. *Carolus Calvus imperator* (*an.* 875) — Cum Ludovicus imperator II et rex Italiae seu Longobardiae, an. 875 sine prole mascula obiisset, de iure ad eius regnum et de imperio contenderunt Carolus Calvus rex Galliae, et Ludovicus rex Germaniae. Praevaluit Carolus, quem Ioannes Pp. VIII eodem anno Romam vocatum, in basilica s. Petri Imperatorem coronavit. Carolus profectus Ticinum, ibidem anno sequente episcoporum, abbatum et procerum Longobardiae fidem accepit, et 15 capitula promulgavit de honore R. Ecclesiae ut omnium caeterarum capiti, habendo, de obedientia Ioanni Pp. VIII praestanda, de non impedienda episcoporum iurisdictione, de solvendis decimis. Eadem capitula confirmavit in synodo, eodem anno coacta apud Pontigonem in Gallia, in qua etiam Ansegisus, vicarius apostolicus a Ioanne VIII pro Gallia et Germania constitutus, qua talis susceptus est [7].

An. 877 Carolus imperator a Ioanne VIII in Italiam contra Saracenorum invasiones advocatus, prope Alpes veneno, sibi a Sedecia medico contra febrim, qua laborabat, propinato, extinctus est. Ei in regno Galliae successit Ludovicus, filius eius cognomine Balbus. Longobardiam vero occupavit Carolomannus rex Bavariae, filius Ludovici Germanici. Imperium vacavit usque ad annum 880.

58. *Rerum status in Italia et Gallia* — In Italia, post mortem Ludovici imperatoris II (875), Saraceni provincias tristem in modum vastabant, et urbi Romae continuo minitabantur. Varii principes Itali, magis propriae independentiae stabiliendae et augendis ditionibus, quam gerendo bello contra Saracenos intenti, cum his foedera inibant, et R. Pontifici, de reprimendis hostibus sollicito, moeroris potius quam solatii causas suscitabant. Quin imo Lambertus dux Spoletanus et Adelbertus marchio Tusciae armata manu agrum romanum praedati sunt, urbemque ingressi an. 878, Pontifici iniuriam intulerunt. Ioannes VIII Lambertum et Adelbertum, urbe egressos, eorumque complices excommunicavit, et eodem anno ad implorandum regum Francorum auxilium, in Galliam profectus est. Trecis cum 3 Italis et 27 Francis episcopis synodum habuit, in qua excommunicatio Lamberti ducis Spoletani eiusque complicum instaurata fuit; transmigrationes ambitiosae episcoporum a minori ecclesia ad maiorem prohibitae, et 19 canones, anno 877 in synodo Ravennatensi sub eodem Pontifice conditi, confirmati sunt [1].

Trecas etiam advenit Ludovicus Balbus, rex Galliae, quem Ioannes VIII, non imperatorem, sed regem coronavit, et ad defensionem urbis et ecclesiae Romanae hortatus est. Verum Ludovicus iam morbo correptus, anno sequente vita excessit. Pontifex vero Romam reductus est a Bosone duce Provinciae, quem in filium et defensorem suum adoptavit [2].

An. 880 post obitum Carolomanni, Italiae seu Longobardiae regnum accepit Carolus cognomine Crassus, eius frater, et regno Germaniae potitus est Ludovicus iunior, alter Carolomanni frater. Ioannes Pp. VIII, ut Carolum Crassum ad urbis et ecclesiae Romanae defensionem excitaret, eum anno 880 vel 881 Romae imperatorem coronavit. At Carolus accepto diademate, regressus est in Germaniam, ubi an. 882 fratris sui Ludovici defuncti regnum imperio suo adiunxit, Italiam vero Saracenorum direptioni et magnatum factionibus expositam reliquit.

In Gallia an. 879 regnum Ludovici Balbi inter se partiti sunt duo filii eius, Ludovicus III et Carolomannus. Eodem anno Boso e duce factus est rex Provinciae seu Burgundiae Cisiuranae, regnique sui sedem constituit Arelate. Ludovicus et Carolomannus fortiter dimicarunt contra Normannos; sed prior an. 882, posterior an. 884 obiit.

---

[1] Edidit Rosweide Antv. 1673 in-fol.; et G. Rodigini, Rom. 1745; Migne, *Patrol. Latin.*, t. CXXIII.
[2] Edidit Molanus, Lovan. 1568, in-8°, et Sollier, Ant. verp. 1714, in-fol.
[3] Paris. 1649, in-4°.
[4] Ibid. 1620, in 8°.
[5] Migne, t. CXXVII-IX; Card. Mai, *Scriptor. vet.* t. VII. Librum pontif. doctissimis observationibus illustratum edidit F. Bianchini, Rom. 1718, 4 vol. in-fol.
[6] Graece et latine edidit M. Raderus, Ingolstad. 1604.
[7] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 281.

---

[1] Labbe, loc. cit. p. 299.
[2] Baron., ad an 878.

Normanni vero provincias, praesertim Austrasiae et Belgii, continuo infestabant, civitates, ecclesias et monasteria diripientes atque incendentes. Proceres Galli, praetermisso Carolo Simplici, Ludovici et Carolomanni fratre, quod annis tantum septem natus, impar esset ad tuendum contra hostes regnum, illud obtulerunt Carolo Crasso imperatori, qui sic regnum Galliae cum Italiae atque Germaniae regnis coniunxit.

Carolus Crassus tanta potestate uti non novit; an. 882, quamvis copioso exercitu praeditus, cum Godefrido et Sigefrido, ducibus Normannorum pacem iniit, huic ingentem pecuniae summam, illi Frisiam in feudum et Gislam, Lotharii II regis filiam, in uxorem concessit. Godefridus christianam fidem professus, e sacro fonte ab imperatore susceptus est. Postea Carolus sibi a potente Godefrido metuens, eum an. 885 necari iussit, quo Normannorum furorem auxit. Hi cum 700 navium classe per Sequanam venerunt Parisios usque; an. 886 urbem obsederunt, quam fortiter tuiti sunt Odo dux et Goslinus episcopus. Advenit Carolus Crassus cum ingenti exercitu, sed non commisso praelio, indignum sua maiestate foedus cum barbaris iniit. Illi quidem obsidionem solverunt, sed ingentes clades intulerunt provinciis Neustriae. Carolus in Germaniam redux, an. 887 a proceribus in comitiis Triburiensibus depositus est, et in eius locum rex Germaniae constitutus Arnulphus, nothus Carolomanni quondam Bavariae et Italiae regis. Anno sequente Carolus Crassus vita excessit.

59. *Photius restituitur* — Interea Photius, cum sectatoribus suis in concilio generali VIII condemnatus et ab imperatore in exilium eiectus[1], tantis fraudibus circumvenit Basilium, ut ab eo in gratiam receptus et defuncto an. 877 s. Ignatio, in patriarchicam sedem Cp. restitutus fuerit. Photius restitutus, confestim omnes episcopos, a se ordinatos sed a concilio generali depositos, restituit; alios qua fraude qua vi in partes suas pertrahere conatus est. Quum vero constantiores obiicerent, eius restitutionem sine R. Pontificis consensu esse peractam, imperator e consilio Photii honorificam legationem cum litteris Romam misit, quibus Ioannem Pp. VIII rogabat, ut restitutionem Photii, iam emendati et omnibus episcopis, etiam Ignatio deditis, accepti, confirmaret, addens, ita pacem Ecclesiae restituendam et Bulgaricam dioecesim ad obedientiam Apostolicae Sedis revocandam fore. Ioannes VIII eorum assertionibus credens, Constantinopolim misit legatos cum litteris, in quibus Photium in communionem recipiebat, eiusque restitutionem confirmabat ea lege, ut ea, quae a Nicolao I, Hadriano II et Concilio VIII fuerant constituta, integra servarentur, Photius in synodo coram legatis Pontificis veniam peteret, deinde reconcialiaretur, nullamque iurisdictionem in Bulgaricam dioecesim exerceret.

Verum versipellis Photius primo legatos Pontificis corrupit; deinde e Ioannis VIII litteris conditiones, suae restitutioni appositas, rasit, aliaque iis inseruit, quibus Pontifex decessorum suorum et Concilii VIII acta in causa Photii reprobare videbatur. Posthaec (879) synodum 380, ut ferunt, episcoporum sibi deditorum, Constantinopoli coegit, in qua, tacentibus legatis Ioannis VIII, huius litterae secundum corruptam Photii versionem graecam lectae sunt, Photius nomine Pontificis in sedem Cp. restitutus, Nicolai I et Hadriani II acta improbata, et Concilium generale VIII abrogatum.

Quum Ioannes Pp. ex epistola Photii dubium concepisset, num mandata sua fuissent servata, novum legatum, Marinum nempe, Constantinopolim misit, eique mandavit, ut rescinderet quaecumque a prioribus suis legatis in causa Photii, non servatis Apostolicae Sedis mandatis, acta fuissent. Eidem legato litteras dedit ad imperatorem et ad Photium, in quibus graviter questus est de iis, quae contra mentem suam gesta fuerant. Marinus singulari fortitudine demandatum sibi munus implevit. Pontifex deinde ab eo omnem rem doctus, in priores suos legatos secundum canones animadvertit, Photium novo anathemate perculit, omnemque cum eo communionem abrupit. Eamdem sententiam in Photium confirmarunt Ioannis VIII successores, Marinus, Hadrianus III, Stephanus V et Formosus, quos Basilius imperator frustra ad communicandum cum Photio sollicitavit. — Stephanus V hac occasione eruditam epistolam ad imperatorem scripsit, in qua perstrictis contumeliosis eius litteris, decessorum suorum agendi rationem in causa Photii defendit, et utramque potestatem, Pontificis et imperatoris, exposuit.

Photius patrocinio Basilii imperatoris fretus, acerbissime invectus est in RR. Pontifices, patriarchatum Cpnum retinuit. Romanae ecclesiae doctrinam de processione Spiritus S. e Patre et e Filio ceu haereti-

[1] Vid. pp. 233-234 et 236.

eam impugnavit, omnesque Ecclesias ab illius communione avellere conatus est. Anno vero 886 defuncto Basilio successit Leo VI, filius eius, dictus Sapiens seu philosophus. Hic litteris, supra a Stephano V ad Basilium datis, permotus, Photium deiectum monasterio mancipavit, et ad sedem Cp. evexit Stephanum fratrem suum, qui eadem se dignum praebuit. Tunc concordia inter utramque Ecclesiam, latinam, et graecam, redintegrata est, et schisma Photianum sopitum usque ad saec. XI, quod illud instauratum videbimus a Michaële Cerulario [1].

Photius an. 891 in exilio mortuus est multa scripta reliquit, partim edita partim in Mss. bibliothecarum codicibus latentia.

60. *Ecclesiae status in Servia, Dalmatia et Moravia* —An. 879 Ioannes Pp. VIII legationem excepit e Servia et Dalmatia. Branimirus enim Slavorum in Servia et Dalmatia princeps, Romam legavit Ioannem presbyterum postulatum, ut una cum populo suo in R. Ecclesiae obedientiam, a qua creditur Graecorum artibus fuisse distractus, reciperetur. Pontifex per eumdem legatum ad Branimirum, ad sacerdotes et populum eius rescripsit, se summo cum gaudio eos in obedientiam Apostolicae Sedis suscepisse, eosque hortatus est, ut in eadem constanter perseverarent [2].

Idem Ioannes presbyter ferebat litteras Tuentari, comitis Moravorum, qui Pontificem consulebat de dubio suo in Fide. Respondit ad eum Ioannes VIII, eam Fidem esse tenendam, quam R. Ecclesia ab ipso principe Apostolorum acceperat, semper tenuerat, et usque ad finem saeculi esset conservatura, quamque eorum parentes ab initio didicerant a sacerdotibus, ab Apostolica Sede ad eos destinatis. Addit Pontifex, se audivisse, Methodium, ab Hadriano II pro tota Moravia archiepiscopum constitutum [3], aliter docere quam coram Apostolica Sede fuerat professus, ideoque se eum Romam vocasse [4]. Methodius a quibusdam invidis propter linguae slavicae in liturgia sacra usum, imo pravae doctrinae accusatus, an. 880 doctrinae suae puritatem Ioanni VIII ita probavit, ut hic ei iura metropolitica pro tota Moravia confirmarit, usum linguae slavicae in liturgia indulserit, et Wichingum presbyterum, qui Methodium Romam comitatus fuerat, episcopum Nitriensem et Methodii suffraganeum ordinaverit. De quibus omnibus Pontifex certiorem reddidit Suentoplucum, Moravorum regem [1]. S. Methodius in Moraviam redux, evangelicum ministerium constanti labore usque ad obitum suum prosecutus est [2].

61. *Bohemorum conversio* — Exemplum Moravorum, Religionem christianam profitentium, secuti sunt Bohemi. Iam an. 845, quatuordecim principes Bohemi, qui Ludovici, regis Germaniae, castra fuerant secuti et ditiones suas in confiniis Bavariae habebant, Ratisbonae baptismum susceperant [3]. Anno circiter 890 Borziwoius, Bohemorum dux, cum 30 comitibus suis in aula Suatopluci, Moravorum regis, a s. Methodio archiepiscopo baptizatus est; inde in Bohemiam rediens, secum duxit presbyterum, et Reginaehradecii primam ecclesiam aedificavit; brevi post aliam ecclesiam, B. V. M. dedicatam, extruxit Pragae, et praeter Ludmillam eius uxorem multi e proceribus et plebeiis fidem christianam susceperunt. Spitihneus et Uratislaus, Borziwoii filii atque successores, patris sui exemplum secuti, christianam Religiomen professi atque tuiti sunt. Sub posteriori Methodius ipse Bohemiam peragravit, multosque sacerdotes in ea constituit, qui quaquaversum Fidem propagarunt [4].

62. *Fides praedicatur in Russia* — Iam quoque christiana fides perlata erat etiam in Russiam seu ad istos Slavos, qui Ruthenorum nomèn acceperunt. Erat haec gens a Dei sensu et pietate remotissima, inquit Porphyrogeneta, et praedae avidissima; saepius infesta arma Graecis intulit. Basilius, imperator Graecorum, eos muneribus sibi devincere et ad christiana sacra adlicere conatus est, effecitque, ut missos ab Ignatio patriarcha Cp. Evangelii praecones susceperint, quorum opera multi in Christum crediderunt et baptizati sunt [5]. Verumtamen Russorum natio in idolorum cultu perseveravit usque ad postremos annos saeculi sequentis.

Primam Russorum conversionem ad christianam fidem non schismatico Photio, ut recentiores rerum Russicarum scriptores

[1] Baron., ad an. 879-91; Leo Allat., *De synodo Photiana VIII*; Iager, *Histoire de Photius*, Louvain 1845, in-8⁰. Opera eius edidit Migne, *Patrol. Graec.* t. CI-IV; Card. Mai, *Scriptor. vet.* t. I e IX; *Spicileg. Romanum* t. VII, IX, X.

[2] *Epist.* 184 et 185, apud Labbe, t. IX, p. 119.

[3] Vid. p. 233.

[4] *Epist.* 194, apud Labbe, tom. cit. p. 126.

[1] *Epist.* 247, apud Labbe, ibid. p. 175.

[2] Bolland. *Acta SS.* 9 mart.

[3] *Annales Fuldenses.*

[4] Cf Vitas ss. Cyrilli et Methodii apud Bolland., *Acta SS.* 9 mart.

[5] Porphyrogeneta *in Basilio;* Zonaras, Cedrenus, Curopalates, apud Pagi, *Critica* ad an. 876.

contendunt, sed s. Ignatio esse adscribendam, e monumentis historicis certissime evincitur [1].

63. *Marinus Pontifex* (*an.* 882) — Ioanne Pp. VIII, an. 882, XVIII° cal. ianuar. defuncto, sub exitum decembris ad summum pontificatum evectus fuit Marinus, Etruscus, a sequioris aevi scriptoribus dictus Martinus, antea R. Ecclesiae archidiaconus, sub Nicolao I, Hadriano II et Ioanne VIII legationibus Constantinopolim contra Photium invicta constantia functus. Eius electionem vitio factam fuisse, contendit Basilius, imperator Graecorum, in epistola ad Hadrianum III, Marini successorem, quod antea alterius ecclesiae episcopus, ad Romanam non potuisset transferri; sed Stephanus V, Hadriani successor, cui epistola ista data fuit, imperatori graeco respondit, primo falsum esse, Marinum antea fuisse alterius ecclesiae episcopum; deinde, maiorum auctoritate et exemplis ostendit, quod, etiamsi ita fuisset, nihil exinde contra legitimam Marini electionem deduci poterat [2]. Mirum non est, Basilium, Photio addictum, arguisse Marini electionem, quum hic Pontifex novo anathemate perculerit Photium. Brevis fuit pontificatus Marini an. 884 defuncti [3].

Hadrianus III — Successit ei Hadrianus III, Romanus, exitu mensis maii eiusdem an. 884. Hunc frustra tentavit imperator graecus, ut Photium in Ecclesiae communionem reciperet; firmus stetit Hadrianus. Idem Pontifex abrogasse dicitur decretum Eugenii II de legatorum imperialium praesentia in consecratione R. Pontificis [4]. Verum dum propter pietatem suam et rei ecclesiasticae studium omnibus magnarum rerum spem faceret, altero pontificatus sui anno 885 mense septembri morte praereptus est.

Stephanus V — Eum, sub finem dicti mensis, summo Ecclesiae regimine excepit Stephanus V, Romanus, presbyter IV Coronatorum, illudque gessit usque ad an. 891. Is Pontifex, inconsultu Caroli Crassi consecratus [1], ad petulandas litteras, quas Basilius imperator Graecorum ad Hadrianum III scripserat, egregiam epistolam reddidit, in qua exposuit, imperatori, rerum temporalium et civilium curae praefecto nullum esse ius disponendi res spirituales sacrasque, Pontificum curis commissas; monuit imperatorem, ne aures praeberet perversis Photii consiliis; praeterea confutavit ea, quae Basilius contra Pontificatum Marini obiecerat, ut supra diximus. Pontificis epistolam, Basilio calendis martii 886 mortuo, accepit filius eius et successor Leo VI, cognomine Sapiens seu philosophus, qui, deiecto Photio, ad sedem patriarchicam evehendum curavit Stephanum, fratrem suum. Cum vero huic ordinationi obstaret, quod Stephanus ordinem diaconatus accepisset a Photio, imperator et episcopi, datis ad Stephanum Pp. litteris, rogarunt, ut infractorum in ordinatione Stephani canonum veniam concederet. Pontifex, ne sibi obreperetur, petitam dispensationem distulit, rogavitque illos, ut legatos Romam mitterent, qui rei veritatem aperirent. Hi legati Romam venerunt, pontificatum gerente Formoso, ut infra videbimus.

64. *Rerum status in Occidente* — Interim rerum status in multis Occidentis regionibus valde perturbatus erat. Saraceni Italiam, Normanni Gallias, Dani Angliam infestabant. Post Carolum Crassum, an. 888 mortuum, in Germania regnavit Arnulphus. In Italia de regno Longobardico certarunt Berengarius marchio Foroiuliensis et Wido dux Spoletanus. Posterior praevaluit, devictoque Berengario (891), hortante universa Italia, Romae a Stephano Pp. V imperator coronatus est, et in grati animi signum donationes, a Pipino aliisque principibus R. Ecclesiae factas, confirmavit [2].

Francorum rex electus et a Waltero, archiepiscopo Senonensi, sacratus fuit Odo, comes Parisiensis, qui an. 888 insignem victoriam retulit de Normannis ad montem Falconem prope Lutetiam, profligatis eorum 19,000. Biennio post Alanus, dux Britonum, tanta clade affecit Normannos, ut e 15,000 vix 400 fuerint superstites. Anno autem 893 multi proceres ad regnum advocarunt Carolum Simplicem, Ludovici Balbi filium posthumum, qui cum matre sua transierat in Angliam, eumque regem coronavit Fulco, archiepiscopus Rhemensis. Inde bellum civile inter Odonem et Carolum. Demum an-

[1] I. S. Assemani, *Origin. eccl. Slavon.* part. II, c. 1, in *Calendariis Eccl. univ.*, p. 227; Bolland. *De conversione et fide Russorum* Dissertatio, in *Act. SS.* t. II sept.; I. Vicardelli, *Dissertatio de origine christianae Religionis in Russia*, Romae 1826, in 8°.

[2] Apud Labbe, *Concil.* t. IX, p. 366.

[3] Nonnulli coniecturas secuti, Marinum mense maio vita functum, per annum et menses quinque Pontificem fuisse existimant.

[4] Platina, Ciacon., *Vitae RR. Pontif.*, *Hadrianus III*; Pagi, *Critica* ad an. 885. Cf p. 222. Sigonius (*De Regno Italiae* l. V, ad an. 884, p. 224) subdit: « Alterum decretum pro dignitate Italiae fecit Hadrianus, ut moriente Rege Crasso sine filiis, Regnum Italicis Principibus una cum titulo Imperii traderetur ».

[1] Vid. supra.

[2] Sigonius, *De regno Italiae*, l. VI, ad an. 891; Pagi, *Critica* ad an. 892.

no 898 mortuo Odone, Carolus Simplex solo regno potitus est.

Hisce hostium irruptionibus et regnorum perturbationibus ecclesiarum status graviter passus est, leges infractae sunt, abusus introducti. Ad corrigenda haec mala episcopi in Germania et Gallia saepius convenerunt. Anno 887 Wilbertus, episcopus Coloniensis, synodum habuit in urbe Agrippinensi, in qua editi sunt 6 canones contra rerum ecclesiasticarum raptores, pauperum oppressores et incesta connubia. Anno sequenti praesules et abbates plurimi e tribus provinciis, Moguntiaca, Trevirensi et Coloniensi, convenerunt Moguntiam, et ad reformandam disciplinam condiderunt 26 canones. In eorum praefatione, deiectum Normannorum incursione ecclesiarum statum deplorantes dicunt: « Videte, quam praeclara et nobilia servorum Dei aedificia destructa et incensa sunt; altaria defossa et penitus conculcata; ornamenta ecclesiarum Dei valde pretiosa, direpta et igni exusta; episcopi et sacerdotes et caeteri ordinis Ecclesiae viri gladio truncati et diversis poenarum generibus morti addicti; omnis aetas utriusque sexus gladio et igne, diverso mortium genere consumpti... Illius subversionis periculum incolae monasteriorum utriusque sexus metuentes, huc illucque vagantur incerti cum periculo suae professionis ». Eodem anno (888) Rothadus Trevirensis synodum habuit in suburbio Metarum, in qua 13 canones editi sunt. An. 892 presules regni Arelatensis in synodo, habita Viennae, condiderunt 4 canones. Triennio post 22 episcopi e regno Arnulphi se congregarunt Triburiae prope Moguntiam, et pro componendis cleri ac populi moribus ediderunt 58 canones [1].

In Anglia Alfredus rex annis prope 9 adversus Danos belligeravit, donec an. 878 ab iis superatus, in Æthelingiam fugere coactus fuerit. Illic a s. Gutberto, episcopo Lindisfarnensi, ad fiduciam erectus, an. 879 novo certamine hostes aggressus est, eosque tanta strage affecit, ut qui superstites erant, secum rege suo Guthro dederint, et christianam fidem ac baptismum susceperint. Alfredus eis gratiam dedit et in desertis terris Est-angliae degere concessit sub sua suorumque successorum tutela. Alfredus qui, pacis ac belli laude clarus, Religionis, regni, et litterarum prosperitati consuluit, optimas leges promulgavit, reditus suos inter aulae ministros, pauperes, ecclesias, monasteria et academiam Oxoniensem dividebat, regnavit usque ad an. 900, Magni cognomen promeritus [1]. Tunc etiam episcoporum fervor excitatus est, quorum negligentia nefandi ethnicorum ritus fuerant introducti, ecclesiae pastoribus orbatae, grex Dei dispersus et dissipatus, religio violata, ut ait Formosus Pp. in epistola sua ad episcopos Angliae [2].

65. *Formosus Pontifex* (*an.* 891)—Post obitum Stephani V, quod accidit exeunte mense septembri an. 891, sexto ex quo regnare coeperat, ad summum pontificatum electus fuit Formosus, patria Ostiensis, episcopus Portuensis, primus qui ex episcopo creatus est Pontifex, exactoque admodum mense septembri coronatus [3]. Luitprandus et post eum aliquot alii scripserunt, electionem Formosi fuisse tumultuariam, insurgente contra eum Sergio diacono, sed per errorem. Sergius enim ab aliquibus oppositus est non Formoso, sed Ioanni IX [4]. De Formosi tamen ad pontificatum promotione, et consequenter de sacris eius ordinationibus disputatum est, quia, cum esset episcopus Portuensis, a Ioanne VIII depositus fuerat, et quia a minori ecclesia (Portuensi) ad maiorem (Romanam) fuerat translatus. Ioannes VIII Formosum an. 876 in Romana et an. 878 in Trecensi synodo damnaverat, et in Galliam exulatum miserat, devinctum prius iureiurando, se neque Romam neque ad Portuensem ecclesiam rediturum. Causam huius rei diversam a diversis tradi, dicit Baronius [5]. Triplicem adfert Mabillon ex ipsius Ioannis VIII epistola [6]: 1°, quod Formosus, a Nicolao I in Bulgariam missus, Bulgarorum regem sacramento obstrinxisset, ne, eo superstite, alium episcopum a Sede Apostolica susciperet; 2°, quod contra canones ab ecclesia Portuensi ad Romanam per ambitum prosilire conatus fuisset; 3°, quod contra reipublicae et imperii salutem conspirasse

---

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 396-438.

[1] Asserus, *Gesta Alfredi*, apud Galle, *Histor. Britann. scriptor.*

[2] Labbe, t. IX, p. 430.

[3] Non *consecratus*. Nam, ut scribit Iacobus Caietanus Cardinalis, in *Ordine Romano* XIV ap. Mabillon, t. II *Musei Italici*, p. 254: « Episcopus, qui in Papam electus est, non consecratur denuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo et coronatur ». Ea benedictio, quod fieret loco consecrationis, a veteribus consecratio aliquando appellatur. Formosus Pp. omnium RR PP. ex alienae dioeceseos Episcopo Romanus Pontifex est factus, cum ante ipsum non nisi ex Presbytero vel Diacono Cardinalibus factus fuisset Romae Papa.

[4] Sandini, *Vitae RR. Pontif.*, *Formosus*, annot. 2.

[5] Ad an. 883.

[6] *Epist.* 319, apud Labbe, loc. cit. p. 232.

*

diceretur [1]. At Marinus Pp., Ioannis VIII successor, Formosum a depositione et iureiurando absolutum, in Portuensem episcopatum restituerat [2]; canones autem translationis episcoporum a minori ad maiorem ecclesiam, necessitatis aut utilitatis causa, minime prohibebant. Porro Formosum fuisse virum religione, doctrina et virtutibus illustrem, proinde pontificatu dignum testantur Luitprandus [3], Flodoardus [4], et citatus Auxilius in 2 libris pro eodem scriptis, eumque necessitatis causa ad Apostolicam sedem provectum esse, asseruit Romana synodus an. 898 sub Ioanne IX habita.

Formosus initio pontificatus sui excepit legatos imperatoris et episcoporum Orientalium, quos Stephanus V ad se dirigi postulaverat; et postquam illos audivisset, Constantinopolim legavit Landulphum et Romanum episcopos, qui cum Styliano Neocaesareae et Theophylacto Ancyrae metropolitis statum ecclesiarum, Photiano schismate turbatum, componerent [5]. Ad episcopos Angliae epistolam dedit, qua praeteritam eorum negligentiam in corrigendis cleri moribus et impediendis incestis coniugiis carpit; deinde eos laudat, quod nunc emendandis abusibus manum admoverint [6]. Falsum vero est, quod scripsit Willelmus Malmesburiensis, Formosum universam Angliam sacris interdixisse. Idem Pontifex post mortem Widonis imperatoris an. 894, rebus Italiae ipsiusque urbis Romae per factiones Berengarii et Lamberti filii Widonis, iam an. 892 ad imperii consortium evecti, admodum perturbatis, ad vindicandam Romae libertatem advocavit Arnulphum, regem Germaniae, eumque an. 896 imperatorem coronavit si Reginoni et Hermanno Contracto fides haberi velit [7]. Verum id potius dissensiones auxit. Arnulphus paulo post in Germaniam regressus, an. 898 obiit. Post eius ex Italia discessum Berengarius et Lambertus pacem inierunt, simulque regnarunt, et posterior imperatoris honorem conservavit. Formosus vero vita excessit pridie nonas aprilis an. 896.

66. *Bonifacius VI Pontifex* (*an.* 896)— Post obitum Formosi cathedram Petri occupavit Bonifacius VI, Romanus; sed post 15 dies podagra sublatus est. De eo legitur in Romana synodo, an. 898 sub Ioanne IX habita, quod primo subdiaconatu, postmodum sacerdotio depositus, populari manu ad altiora fuerit provectus [1]. Quapropter nonnulli Bonifacium VI summis Pontificibus adnumerandum esse negant. Plerique tamen in numero Pontificum habent [2].

Stephanus VI—Tunc Alberti marchionis Tusciae potentia summum pontificatum accepit Stephanus VI, Romanus, vir, ut ait Flodoardus, saevus in vivos, truciorque in defunctos, qui inauditum hactenus facinus admisit, quod tamen non fuit error in Fide sed violenta tyrannis in facto [3]. Etenim corpus Formosi Pp. exhumari et indumentis sacerdotalibus indutum, in synodum adferri iussit, et postquam ei exprobrasset, quod cum esset Portuensis episcopus, ambitionis spiritu Romanam Sedem usurpasset, indumentis sacerdotalibus exui, abscissisque tribus digitis, in Tiberim proiici iussit. Praeterea factas ab eo ordinationes, irrita dixit [4]. Verum Stephanus VI propterea tantum odium subiit, ut post unum annum et mensem pontificatus ab adversariis in carcerem coniectus et strangulatus sit an. 897.

Erravit profecto Luitprandus, dum acta Stephani VI attribuit Sergio III. Idem scri-

---

[1] *Praefat.* ad *sec. V Benedict.* § 1; Labbe, tom. cit. p. 232 et 311.

[2] Auxilius, *De ordinat. Formosi*, l. II, c. 20.

[3] *Hist.* l. I, c. 8

[4] *Carmen de RR. Pontif.*

[5] Labbe, t. IX, p. 429.

[6] Ibid. p. 430; Pagi, *Critica*, ad an. 894.

[7] *Chron.* ad an. 896.

---

[1] Apud Labbe, *Concil.* t. IX, p. 502.

[2] Vid. Sandini, *Vitae RR. Pontificum, Bonifacius VI.*

[3] Baronius, ad an. 897, § 4, haec habet: *En illa infelicissima Ecclesiae Romanae tempora, atque omnium luctuosissima, quibus ipsam contigit domestico bello exagitari, atque persecutione vexari; quae nunc coepta multo tempore maximo damno eandem Ecclesiam affecerunt; illata ipsa per Adelbertos Marchiones potentissimos Tusciae Principes audacissimos.* Et revera, Adelbertus tantae erat potentiae, ut quemadmodum animadvertit Luitprandus (*Histor.* 1. I, c. 10), inter omnes Italiae principes solus ipse cognomento appellaretur Dives. *Caeterum*, subdit Baronius, *etsi interdum deforme valde turpeque contigerit apponi Ecclesiae caput; tolerandum tamen fuit ipsi, quod non penitus amens sit inventum, sed fide catholica sibi constans, Dei vero permissione supra cetera corporis membra provectum, non sine caussa vel ratione, sed magno sui iudicii libramento: etenim* pondus et statera iudicia Domini sunt: *quae etsi inscrutabilia praedicentur, per transennam tamen mortalibus intuentibus fiant aliqua saltem ex parte perspicua. Ut enim Deus significaret, eandem suam Ecclesiam nequaquam humanum esse figmentum, sed plane divinum inventum: oportuit ostendisse, eam nequaquam pravorum Antistitum opera prodi posse, et ad nihilum penitus redigi, sicut de aliis diversarum gentium regnis, et bene statutis rebuspublicis factum constat: quae tamdiu constitisse leguntur, quamdiu fuere per viros prudentes et virtute praeditos administratae; periisse vero penitus, ubi viris scelestis tradita sunt earum gubernacula moderanda.*

[4] Labbe, loc. cit.; Auxilius, *De ordinationibus Formosi*; Flodoardus, *De RR. Pontif.*

psit, Sergium (Stephanum VI) cunctos, quos ordinaverat Formosus Pp., gradu deposuisse et rursus ordinasse [1]; hoc vero diserte negat Sigebertus [2]; de eo etiam nihil legitur in Actis synodi Romanae sub Ioanne IX, quae alia Stephani gesta narrat et improbat; contra in iis legimus, in suos gradus esse restitutos, qui a Formoso ordinati et a Stephano temere deiecti fuerant [3]. Perperam vero sententia Stephani de ordinationibus Formosi Pp. opponeretur RR. Pontificum inerrantiae in dirimendis Fidei morumque controversiis; manifestum enim est, Stephanum hac in re non ex cathedra aliquid credendum proposuisse, sed ex privata ira processisse; praeterea episcopi, presbyteri et clerici, qui eius synodo interfuerant, an. 898 in synodo sub Ioanne IX contestati sunt, se in illa non liberos sed coactos fuisse; et quaestio de ordinationibus Formosi versabatur circa haec duo: an Formosi ad pontificatum promotio fuisset canonica, et an episcopus depositus Ordines valide conferret; utrumque per haec tempora non erat ita eliquatum, ut omnes unanimiter de eo sentirent, uti constat e libris Auxilii, huius temporis scriptoris. Immo Magister Sententiarum [4] *hanc quaestionem* de validitate huiusmodi ordinationum *perplexam* ac *pene insolubilem* declaravit. Nunc vero universae Ecclesiae sensus est, Ordinationes istiusmodi validas omnino esse habendas.

Perperam etiam Ecclesiae Romanae adversarii laborant in conquirendis quorumdam Pontificum vitiis, hisque contra ipsius Ecclesiae veritatem obiiciendis; tantum enim abest, ut iis obscuretur Ecclesiae Romano-catholicae veritas, ut potius confirmetur, et lucescat, dum Ecclesiae conservatio et stabilitas non prudentiae et sapientiae eorum, qui illam gubernarunt, sed divinae Providentiae adscribenda conspicitur. « Quisquis ab hac unitate, inquit s. Augustinus, vento superbiae tamquam sola palea separatur, areae dominicae propter commixtam paleam quid calumniatur? [5] » Et ut verbis Tertulliani utar: « Quid ergo, si episcopus, si diaconus... lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? [6] » Et Bellarminus: « Ne forte putaremus, ob vitam incorruptam et mores integerrimos summorum Pontificum tam diu stetisse hanc Sedem, permisit Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc Sedem tenerent regerentque... Hinc enim intelligimus, non humano consilio, prudentia, viribus Romanum Pontificatum tam diu consistere, sed quia haec Petra ita a Domino roborata, divinitus fundata, angelorum custodiis septa, singulari Dei providentia et protectione munita est, ut adversus eam portae inferorum nullo modo praevalere possint, sive illis portis persecutio tyrannorum, sive rabies haereticorum, sive schismaticorum furor, sive scelera et flagitia designentur [1] ».

67. *Romanus*, *Pontifex* (*an.* 897) — Sublato e vivis Stephano VI, eodem anno 897, ante quintum decimum diem octobris pontifex creatus fuit Romanus, Gallesinus, qui, Platina, Panvinio, aliisque tradentibus, acta decessoris sui contra Formosum rescidit. Post menses fere 4, ineunte mense februarii anni 898, *aethere susceptus est, meritos sortitus honores*, scribit Flodoardus [2].

Theodorus II — Ei successit Theodorus II, Romanus, quem ut clero dilectum, pacis amicum, sobrium, castum et pauperum patrem celebrat idem Flodoardus [3]. Is causam Formosi etiam amplexus, corpus eius cum exultatione in apostolicam tumbam reduxit, et ordinatos ab eodem, atque a Stephano VI deiectos, in pristinos gradus restituit [4]. Obiit post 20 dies sui pontificatus.

Ioannes IX — Tunc alii in pontificem elegerunt Sergium diaconum, patria Romanum, alii Ioannem diaconum, Tiburtinum. Hi praevaluerunt. Sergius, priusquam initiaretur, Roma pulsus exulavit 7 annis, Ioannes vero, huius nominis IX, canonice renunciatus, et sollemni ritu consecratus, Ecclesiae praefuit ab an. 898 usque ad 900 [5]. Is tres synodos celebravit, sed duarum tantum acta supersunt, Romanae et Ravennatensis. In Romana Stephani VI acta et sy-

---

1 *Histor.* 1. I, c. 8.
2 *Chronicon.*
3 Labbe, loc. cit.
4 Lib. IV, D. 25.
5 L. *de unico Baptismo*, c. 16.
6 *De praescript.* c. 3.

1 *De controversiis Christ. fidei*, praef. in ll. *de Romano Pontif.*
2 *De RR. Pontif.* inter *Scriptor. Rer. Ital.* t. III, par. 2, p. 319.
3 Ibid.
4 Auxil. *Op.* cit. l. II, c. 4; Sigebertus, in *Chron.* ad an. 903 (inter *Scriptor. Rer. German. Pistorii*, t. I, p. 805) haec habet: « Hic *Theodorus II* contra Stephanum Pp. sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim Romae intus, et non foris exordinaverat, nec tamen praesumserat eos iterum consecrare ».
5 Flodoard. loc. cit.

nodus contra Formosum Pp. rescissa et reprobata sunt; iis, qui Stephani synodo coacte interfuerant, venia concessa; constitutum, ut, quamvis Formosus necessitatis causa pro vitae merito a Portuensi ecclesia ad Romanam fuerat translatus, id tamen in exemplum non assumeretur; ordinati a Formoso in pristinos gradus restituti; violatoribus eius sepulcri anathema inflictum, nisi resipiscerent; ecclesiastica censura lata contra pravam consuetudinem, Pontifice et episcopis morientibus, *patriarchium* et episcopia expilandi; et ad praevertendas turbas statutum est, ut Pontifex consecraretur praesentibus imperatoris legatis. Quae omnia in Ravennatensi synodo confirmata fuerunt[1]. Obiit Ioannes anno 900, sextili mense ineunte, cum annos 2 et dies 15 Pontifex fuisset.

68. *Italiae et Romae status* — Quod autem hoc et sequenti saeculo quorumdam Pontificum electiones partium studiis aut factionum potentia turbatas peractasque legamus, nemo mirabitur, qui noverit, quam perturbatus esset his temporibus Italiae et urbis Romae status. Mirabitur potius singularem Dei erga Romanam ecclesiam providentiam, qua effectum est, ut Petri cathedra, quamvis factionum violentiis atque machinationibus iactata, non submersa aut eversa, sed salva et sarta tecta conservata fuerit, et plerique Pontifices in eam evecti, munere suo digne functi sint. Inter politicas factiones alia Italorum, alia Germanorum erat, quae ambae de imperio certabant. Praeterea inter Italos tot fere erant factiones minores, quot essent comites, marchiones et duces, qui vel capessendo imperio vel augendis iuribus suis inhiabant. Quum autem RR. Pontifices tanquam supremi arbitri iuris publici haberentur, eorumque esset imperatores coronare, quaevis factio Pontifices optabat sibi addictos, ac proinde in eorum electiones petulanter manus iniiciebat.

An. 894 Widoni in regno Longobardico successit Lambertus, filius eius; post cuius obitum an. 898 Berengarius, qui iam partem Longobardiae regebat, ea solus potitus est. Ludovicus, rex Arelatensis seu Burgundiae cisiuranae, ab adversariis Berengarii evocatus, primum adverso, deinde prospero marte cum eo certavit, et an. 900 a Benedicto Pp. IV imperator coronatus est; at post biennium a Berengario Veronae inopinato apprehensus, oculis orbatus et Italia eiectus fuit. Ex quo tempore Berengarius regnum Longobardicum recuperavit.

69. *Benedictus IV Pontifex* (*an.* 900) — Post Ioannem IX summum sacerdotium demandatum fuit Benedicto IV, Romano, quo die non costat. Illud traditur certum, pridie calendas septembris Ecclesiam iam administrasse: extant enim epistolae eius datae eo die. Huius benignitatem et erga viduas pauperesque liberalitatem celebrat Flodoardus[1]. Is Ludovicum III coronavit imperatorem, ut diximus; Ecclesiam gubernavit 3 annis et 2 mensibus, benevolentia in egenos maxime commendatus.

70. *Saeculi X conditio* — Cum Benedicti IV pontificatu inchoamus X^m^ Ecclesiae saeculum, cuius conditionem multi ita delinearunt, ac si illud nihil boni, sed summam rerum ignorantiam morumque corruptionem tulerit. Unde Ecclesiae Romano-catholicae adversarii concluserunt, eam in tanta morum depravatione et rerum inscitia, de veteri sanctitate et Fidei puritate excidisse, novaque dogmata assumpsisse.

Verum, quamvis infelix fuerit huius saeculi et proximorum temporum conditio, non fuit tamen talis in eo morum corruptio aut rerum inscitia, qualem protrusere adversarii. Ex iis, quae doctissimi viri, Pagi[2], Muratori[3], Tiraboschi[4], aliique de hoc saeculo ex antiquis monumentis adnotarunt, constat, in eo non parvo numero episcopos, clericos, monachos, moniales, laicos utriusque sexus et omnis conditionis, magna virtutum laude ac vitae sanctimonia claruisse; scriptores etiam plures floruisse, quamvis pauciores quam aliis saeculis; in ipsa Italia, quamvis prae aliis regionibus illorum temporum perturbatione et vicissitudinibus iactata, viros plures bonas artes et humaniores et theologicas disciplinas coluisse et in scholis docuisse; monachos praesertim singulari industria curasse, ut libri et opera, a maioribus accepta, non tantum sacra, sed et profana historicorum, oratorum, poetarum, conservarentur. Lugubrem certe huius saeculi descriptionem fecit Baronius illud appellans sui asperitate et boni sterilitate ferreum, mali exundantis deformitate plumbeum, scriptorum inopia obscurum[5]. Bellarminus etiam dixit, nullum saeculo X indoctius[6].

---

1 Labbe, *Concil.* t. IX, p. 496 et 507. Utraque synodus a Labbe male refertur ad an. 901.

1 *De Roman. Pontif.*
2 *Critica in Annales Baronii.*
3 *Annali d'Italia*, t. VII-IX, Milan. 1819.
4 *Stor. della letteratura ital.* t. III.
5 *Annal.* ad an. 900.
6 *Controvers. De R. Pontif.* l. IV, c. 12.

Verum haec non absolute, sed relate ad caetera saecula sunt intelligenda, ut optime observavit doctissimus Pagi. « Paucos quidem scriptores, inquit, hoc saeculum habuit, sed subsequentibus doctrina non cessit, cum litterae etiam ab imperatoribus et regibus cultae fuerint. Neque saeculum inscitiae et ignorantiae vocari potest, nisi ob scriptorum paucitatem, si eius cum praecedentibus aut subsequentibus comparatio fiat; complures enim in eo floruisse, longe hodie notius quam Bellarmini aetate, ut catalogos scriptorum ecclesiasticorum percurrentibus planum fit. Claruere etiam insigni sanctitate multi episcopi et abbates, monachi et sanctimoniales, ac viri et mulieres cuiuscumque generis ac conditionis, ut ex iis, quae passim referemus, perspicuum erit [1] ».

Certo e monumentis, quae recentioribus temporibus, praesertim opera Muratorii, in lucem edita sunt, comprobatur, non adeo corruptum et ignarum fuisse hoc saeculum, ut generatim opinatum est. Ecclesia neque sanctitatem in membris suis deperdidit, neque mutationem in dogmatibus subiit; eadem hoc ac precedentibus saeculis fuerunt fidei eius dogmata, idem symbolum, eadem confessio [2]. Quin imo illud mirandum est, quod, utut infelicia essent temporum adiuncta, hoc saeculo nulla haeresis sit exorta, et christiana fides ad plures populos, Normannos, Slavos, Suevos, Bohemos, Polonos, Hungaros, Moscovitas, fuerit perlata et propagata.

71. *Leo V et Christophorus*, *Pontifices* (*an.* 903) — Post Benedictum Pp. IV, qui mense octobri 903 vita excessit, summus pontificatus delatus fuit Leoni V, Ardeatino, qui intra duos menses e vita migravit. Post hunc Apostolicam Sedem exitu novembris occupavit paulo amplius dimidio anni Cristophorus, Romanus.

De Christophoro scripserunt Vincentius Bellovacensis saec. XIII, Platina saec. XV et deinceps historici passim, quod cum esset presbyter et familiaris Leonis V, hunc in carcerem coniecerit, in quo eo mortuo, sedem pontificiam occupaverit, et quod ipse etiam post menses 6 a Sergio deiectus, monasticum habitum induere coactus fuerit. Verum de his nihil quidquam invenire est apud scriptores aequales aut suppares. Luitprandus, scriptor huius saeculi X et alias immoderatus RR. Pontificum censor, neque Leonis V neque Christophori meminit. Flodoardus, qui hac ipsa aetate floruit, de Leone V atque Christophoro simpliciter scribit, quod prior post Benedictum ad pontificatus honorem evectus, intra duos menses e vita migraverit, et quod posterior moderamina Sedis Apostolicae mox sortitus, paulo ultra dimidium anni gubernarit [1].

72. *Sergius III Pontifex* (*an.* 904)—Post Cristophorum an. 904 ecclesiarum regimen demandatum fuit Sergio III, iam post Theodori II obitum a multis ad illud designato, sed praevalentibus Ioannis IX partibus, ab urbe relegato, ut supra diximus [2].

Hunc Pontificem tetris coloribus depinxit Luitprandus, perinde ac si post obitum Stephani V contra electionem Formosi insurrexisset; deinde Apostolicam Sedem invasisset armis Adelberti, marchionis Tusciae; et pontifex factus, in cadaver Formosi saeviisset, eiusque acta et ordinationes rescidisset; cum Marozia, nobili scorto, turpem consuetudinem habuisset, et ex ea genuisset Ioannem, postea huius nominis Pontificem XI [3]. Verum omnes hae Luitprandi accusationes pugnant cum vetustis et sinceris monumentis. Sergius enim non cum Formoso, sed cum Ioanne IX electus fuit [4]; non armis Adelberti, sed precibus Romanorum in urbem revocatus et in Sedem Apostolicam evectus est [5]; non ipse sed Stephanus VI saevus extitit in Formosum, ut supra vidimus [6]; denique Ioannes XI non Sergii, sed Alberici Spoletani filius fuit [7]. Certe Flodoardus et Ioannes diaconus, qui hac aetate floruerunt, auctor epitaphii, quod Sergio III in basilica Vaticana positum et a Petro Mallio saec. XII vulgatum est, auctor anonymus Salernitanus qui hoc saeculo, et Leo Marsicanus seu Ostiensis, qui sequente floruit, nihil memorarunt eorum, quorum Luitprandus accusavit Sergium; quin imo Pontificis huius pietatem laudarunt praefati Flodoardus, Ioannes diaconus et auctor epitaphii [8].

Scripsit supra dictus Luitprandus posteriori huius saeculi X dimidio libros 9 rerum gestarum sui temporis, et diu a scriptoribus subsequentibus, ab ipso Baronio, et aliis, ceu

---

[1] *Critica*, ad an. 900.
[2] Vid. opus inscriptum, *La perpétuité de la foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie*, 5 tom. in-4⁰.

[1] *De Rom. Pontif.*
[2] Vid. p. 245.
[3] *Hist.* l. I.
[4] Flodoard, *De Rom. Pontif.*; *Epitaph. Sergii III.*
[5] Ibid., et Ioan. Diacon., *De eccl. Lateran.*
[6] Pag. 244.
[7] Salernitan., *Paralipom.* part. II, *Rer. ital. Scriptor.* t. II; Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. I, c. 61.
[8] Loc. cit. Cf Pagi, *Critic.* ad an. 901-910.

fons historicus habitus est. At modo consentiunt periti critici, Luitprandum sibi haud cavisse a partium studio, alios quidem, praesertim factionem Germanorum, plus aequo laudasse, Italis vero, maxime Tusciae marchionibus et Spoleti ducibus, detraxisse, multa sine iudicio et discretione secundum diversos factionum, sibi mutuo infensarum, rumores litteris mandasse. Unde multae querelae de variis Pontificibus huius saeculi a Luitprando collectae, et ex eo a multis scriptoribus assumptae, e Flodoardi aliorumque veterum scriptorum monumentis, recentioribus temporibus in lucem editis, correctae sunt. Tanto magis Flodoardus in iis, quae spectant ad historiam RR. Pontificum huius aetatis, praeferendus est Luitprando, quod nulli parti fuerit addictus, quod fuerit eruditus et discretus, et hoc ipso tempore, priori nempe huius saeculi dimidio, floruerit [1].

Sergius III gubernavit Ecclesiam 7 annis et 3 mensibus; basilicam Lateranensem, terrae motu labefactatam, restauravit, aureisque et argenteis ornamentis decoravit; ecclesiam Bremensem, quam Formosus Pp. subdiderat iurisdictioni archiepiscopi Coloniensis, Hamburgensi archiepiscopo restituit, et utrique archiepiscopo, Rogerio Hamburgensi et Sergio Coloniensi, pallium concessit [2].

Audito, scribit Herivaeus Rhemensis archiepiscopus [3], *in partibus Orientis adhuc errores, blasphemiasque vigere Photii in Spiritum Sanctum, curavit de divinae Scripturae pharetris acutas proferri sagittas potentis ad confodiendam belluam monstri nascentis.* Diem obiit Sergius III anno 911, extremo mense sextili.

73. *Ecclesiae graecae status* — In ecclesia Graeca turbas graves excitavit Leo imperator VI; qui, cum iam tres uxores duxisset, eaeque una post aliam obiissent, quartas nuptias contraxit cum Zoe. Quartae vero nuptiae canonibus ecclesiae Graecae erant prohibitae et habebantur tanquam polygamia. Nicolaus patriarcha Cp., qui an. 895 successerat s. Antonio, primum omni via imperatorem a nuptiis cum Zoe deterruerat; deinde cum is ad eas prosiliisset, aditu ecclesiae interdixit, et presbyterum, qui nuptiis istis benedixerat, deposuit. Imperator ira percitus, an. 906 patriarcham in exilium relegavit. Eamdem sortem experti sunt alii episcopi, qui cum Nicolao nuptias Leonis improbabant. Interea Constantinopolim advenerunt legati Sergii III et patriarcharum Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani, ad quos imperator de nuptiis suis retulerat. Tunc coacta Constantinopoli synodo, nuptiae Leonis cum Zoe ex dispensatione ratae habitae sunt, et in locum Nicolai in sede Cp. subrogatus Euthymius; unde grandis divisio inter metropolitas, episcopos et clericos patriarchatus Cp., aliis cum Nicolao, aliis cum Euthymio sentientibus. Extincto an. 911 Leone VI, sub Constantino Porphyrogeneto, eius filio et successore, Nicolaus restitutus, Euthymius vero deiectus fuit, sed divisio perduravit usque ad an. 920. Hoc anno Constantinopoli synodus habita est, in qua communi consensione edictum fuit, ut quartae nuptiae penitus reiicerentur, tertiae etiam non permitterentur nisi in certis casibus nec sine indicta parti incontinenti poenitentia [1].

Constantinus Porphyrogenetus septem tantum annis natus cum patri succederet, imperavit usque ad an. 959. Cum litterarum magis quam regiminis amans esset, res imperii gesserunt primo Alexander, patruus eius, deinde Zoe mater, postremo Romanus Lecapenus. Romanus rebelles in imperatorem repressit; Arabes saepius superavit, pluresque urbes iis eripuit; quibus rebus elatus, consortium imperii petiit, tresque filios suos creavit caesares; anno vero 944 a propriis filiis imperio exutus et in insulam Protam relegatus fuit. Paulo post ipsi eius filii, propter initam coniurationem, a Constantino relegati sunt.

Constantinus Porphyrogenetus, praeter alia ingenii sui monumenta, reliquit tractatum de rebus imperii et orationem de imagine Edessena seu linteo, cui effigies Christi erat impressa. Haec imago, antiqua reverentia celebris, an. 944 ab Edessenis ad redimendam pacem Graecis tradita et cum sollemni etiam miraculis exaltata pompa Constantinopolim translata fuit [2].

74. *Hungarorum excursiones* — Iam commemoravimus mala, quae longo annorum spatio Normanni multis Germaniae et Galliae provinciis intulerunt. Non minores clades multis regionibus importarunt Hungari. Hi e Scythiae finibus egressi, sub exitum saeculi praecedentis occuparunt omnem Pannoniam finitimasque regiones, quibus no-

[1] Cf Muratori, *Annali d'Italia*, sec. X.

[2] Pagi. *Critica* ad an. 858, 895 et 915.

[3] Ap. Papebroch. in *Conatu Chronico Histor.* p. 259, n. 13.

[1] Baron. et Pagi, ad an. 901, 906, 920-21; Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1263; Mansi, *Concil. Supplement.*

[2] Pagi, ad an. 944.

men Hungariae indiderunt. Erant ii natura feroces et idolorum cultui addicti. Postquam in praedictis regionibus imperium suum constituissent, veteresque incolas, Avares, Bulgaros, Slavos, partim exterminassent, partim in servitutem redegissent, an. 900 piraticas excursiones in Moraviam, Macedoniam, Thraciam, Bavariam, Germaniam, Helvetiam, Italiam, Galliam inchoarunt, easque per annos circiter 72 repetiverunt, urbes et pagos vastantes, ecclesias et monasteria depraedantes, aliaque ingentia mala committentes.

75. *Anastasius III Pontifex* (*an.* 911)— Post unum aut alterum diem a morte Sergii III, Pontifex factus est Anastasius III, Romanus, morum integritate dignus, qui diu Ecclesiam regeret [1]; sed post duos annos totidemque fere menses e vivis discessit an. 913, dimidio mensis octobris [2]. Sigonius dicit, eum, postulante Berengario Italiae Rege, Ticinensi Episcopo ius indulsisse adhibendae umbellae, equo albo vehendi, Crucis praeferendae, et in Concilio a laeva Pontificis assidendi [3].

Landus Pontifex — In locum Anastasii subrogatus est Landus, seu Lando, filius Tráni, Sabinus [4], cuius pontificatus brevis fuit; obiit enim mense aprili an. 914. De eo ex Luitprando dicitur, quod, annuente Theodora, femina senatoria et in urbe potentissima, Ioannem presbyterum, cuius amore illa deperibat, primo Bononiensem, deinde Ravennatensem antistitem creaverit. Verum e monumentis idoneis constat, Ioannem istum iam ab an. 905 fuisse archiepiscopum Ravennae [5]. Flodoardus vero de Lando simpliciter scribit, quod post Anastasium summam ordine tenuerit sedem, eam 6 mensibus et 10 diebus coluerit, et emeritus patrum priorum fata secutus sit [6].

76. *Ioannes X Pontifex* (*an.* 914) —Defuncto Lando, eodem an. 914, a sede Ravennatensi ad Romanam translatus fuit Ioannes X, Romanus. De hoc Pontifice Luitprandus [7], et ex eo multi recentiores scripserunt, ipsum potentia Theodorae, quae, ut diximus, eius amore flagrabat, in Petri cathedram fuisse intrusum [1]. Verum iam vidimus, Luitprandum multa leviori calamo scripsisse: praeterea fatetur ipse, se ea, quae de Ioanne X narrat, deprompsisse e libro de vita Theodorae, quem doctissimus Muratori appellat *un infame romanzo* [2]. Flodoardus certe, scriptor aequalis, testatur, Ioannem X, postquam Ravennatensem ecclesiam prudenter rexisset, ad moderandam ecclesiam Romanam fuisse postulatum, eam munificis ornatibus decorasse, et post 14 pacifici regiminis annos aetherea scandisse sedilia [3]. Alter scriptor eiusdem temporis, auctor nempe Carminis panegyrici de laudibus Berengarii augusti, laudat Ioannem X tanquam pontificem officio clarum et sapientia repletum [4].

Ioannes X in primis sollicitus de reprimendis Saracenis, qui urbi Romae totique Italiae terrorem continuum iniiciebant, an. 916 in festo Paschatis Berengarium, regem Italiae seu Longobardiae, imperator coronavit. In eumdem finem inter Constantinum imperatorem Graecorum, Berengarium, principes Capuanum, Salernitanum, Beneventanum et Spoletanum, foedus conciliavit. Concordi horum principum ope fortissimam arcem Garilianam, quam Saraceni ad Liris ostium et Latii fines iam 40 annis magno totius Italiae detrimento occupabant, oppugnavit, Saracenos, ex ea cum ingenti eorum clade fugavit, urbem et territorium Romanum ac finitimos principatus a barbarorum infestationibus liberavit [5].

Idem Pontifex Theophylactum et Carolum episcopos legavit Costantinopolim ad componendam divisionem, in ecclesia Graeca ortam e quartis nuptiis Leonis VI [6]; Hilduinum et Richarium, de episcopatu Leodiensi contendentes, Romam vocavit, et Richario, a clero Leodiensi electo et a rege Carolo Simplici nominato, sedem addixit [7]; ab episcopis provinciae Narbonensis interpellatus in causa Gerardi et Agii, de episcopatu Narbonensi certantium, divisionem com-

---

[1] De ipso, ait Platina, quod « modeste et integre vixit, nec in se quidquam habuit, quo reprehendi posset ». Vid. quoque Baron. et Pagi ad an. 910, § 1.

[2] Flodoard. *De Rom. Pontif.*; Platina, *Vitae Pontif.*; Pagi *Critica*, ad an. 912.

[3] *De Regno Italiae*, l. 6, ad an. 911, p. 247.

[4] Lando circa diem XVI octobris an. 913, seu quod haud cuiquam in dubio sit, ante mensem februarium anni insequentis Pontifex factus est. Baron. ad an. 912, § 1, 7.

[5] Rubeus, *Hist. Ravenn.* l. V.

[6] *Op. cit.*

[7] *Hist.* l. II, c. 13.

[1] Baronius, ad an. 915, § 3, scribit: « Quod ad Ioannem Pp. nuncupatum spectat, potuit contigisse, ut qui invasor ingressus erat, accedente Cleri consensu, haberi coeperit legitimus Romanus Pontifex; cuius quidem rei argumento sunt legationes ex diversis orbis partibus ad eum missae; magis vero cultus fuit, cum eius opera Saraceni sunt extincti.

[2] *Annali d'Italia*, ad an. 914.

[3] Libr. cit.

[4] Apud Pagi, *Critica*, ad an. 915.

[5] Pagi, ibid.—[6] Vid. p. 248.

[7] *Concil. Gall.* t. III, p. 575.

posuit, Agii electionem confirmavit, eique pallium misit [1]; pius in s. Iacobum apostolum ad recolendam eius memoriam et implorandam opem legatum misit Compostellam, et legationem cum muneribus recepit a Sesinando episcopo Compostellae et ab Ordonio rege Legionis [2]; postulantibus episcopis Germaniae an. 916 episcopum Ortensem legavit ad synodum, quam illi coëgerant apud Altheim [3]; reprehenditur autem, quod archiepiscopatum Rhemensem confirmarit Hugoni, puero quinquenni [4], illius administratione, donec hic idoneus esset, delegata Abboni episcopo Suessionensi.

Etenim Heribertus, comes Veromanduorum, qui precipuas partes habuerat in deiectionem Caroli regis, eumque primum castro Theodorici inclusum, deinde Perronam transtulerat, an. 925 post obitum Seulphonis, archiepiscopi Rhemensis, Abbonem Suessionum et Bononem Catalaunensem episcopos, clerum populumque Rhemensem inclinavit, ut filium suum Hugonem in archiepiscopum eligerent. Quod ubi factum et a Rodulpho rege confirmatum est, Heribertus legatos Romam misit assensum Pontificis postulatum. Assensit Ioannes X, sed simul mandavit Heriberto sub poena excommunicationis, ut Carolum regem in solium restituendum curaret [5]. Anno 928, Pontificatus sui XIV iam exacto, Ioannes, instinctu Maroziae, quae Romae dominabatur, sub custodia detinetur, ibique, «ut quidam, vi, ut plures astruunt, actus angore defungitur [6].»

77. *Ecclesiae status in Gallia*—In Gallia tum Normannorum incursionibus tum publicis commotionibus mala ingentia ecclesiis fuerant illata, mores depravati, abusus multi introducti. Ea amare deploravit Herivaeus archiepiscopus Rhemensis, in synodo an. 900 apud Trosleium habita, in qua

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 576.

[2] A. Morales, *Chron. Hisp.* l. XV, c. 47.

[3] Pagi, *Critica* ad an. 916.

[4] Baronius (ad an. 925, n. 9). subdit: *Illud plane tunc primum contigit in Ecclesia Dei videri monstrum, nunquam hactenus in orbe christiano visum nec auditum immo nec puto mente conceptum.* Et s. Bernardus (Epist. 42 seu *De Officio Episcoporum*, c. 7, p. 477), *Scholares*, scribit, *pueri, et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, et de ferula transferuntur ad principandum Presbyteris: laetiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum; nec tam illis blanditur adeptum, quam ademtum magisterium.*

[5] Flodoard. *Hist. Rhemens.* l. IV, e. 19-21, et *Chron.* ad an. 925 et 928.

[6] Flodoardus in *Chronico* apud Duchesnium, t. II, p. 598.

plura ad corrigenda ista mala constituta fuerunt [1].

Quum Carolus Simplex, rex Galliae, Haganonem, mediae sortis virum ad summam dignitatem elevasset, et ad secretiora consilia regnique administrationem adhiberet, proceres, id aegre ferents, anno 920 apud Suessiones communi consilio a Carolo defecerunt; an. 922 regem crearunt Robertum ducem Franciae, eoque anno sequente in praelio occiso, elegerunt Rodulphum ducem Burgundiae, qui regnavit usque ad an. 936. Carolus Simplex, custodiae mancipatus, obiit an. 929. Post obitum Rodulphi an. 936 paternum solium recuperavit Ludovicus IV, filius Caroli Simplicis, dictus Transmarinus, quod deiecto patre suo cum matre in Angliam confugisset. Ei fere continuum bellum fuit cum regni proceribus, praesertim cum Hugone, comite Parisiensi et duce Franciae, qui demum an. 950 ab Agapeto Pp. II et episcopis excommunicatus, se regi subiecit. Regnavit Ludovicus IV usque ad an. 954.

78. *Normannorum in Gallia conversio*—Provincias Galliae annis multis, ut diximus, tristem in modum depopulati sunt Normanni. Carolus Simplex, rex Galliae, distractus internis divisionibus, ad Rollonem eorum ducem legavit Franconem archiepiscopum Rothomagensem, ut cum illo pacem tractaret. Anno 911 pax composita fuit his conditionibus, ut Carolus partem Galliae ab Epta fluvio usque ad Britanniae limites cederet Normannis, filiamque suam Gislam in uxorem daret Rolloni duci, ut Rollo baptismum et christianam Religionem susciperet, et Normanni a bello contra Francos abstinerent. Pacta utrinque servata sunt. Rollo a Francone Rothomagensi christiana fide institutus et an. 912 baptizatus est. Eius exemplo excitati comites, equites et subditi, passim baptismum et christianam Religionem susceperunt. Rollo e baptismo vocatus Robertus, in omni ducatu suo, qui inde Normanniae nomen accepit, ordinem composuit, terras inter vassallos suos distribuit, leges utiles dedit, collapsas ecclesias instauravit, novas extruxit, eisque praedia assignavit. Ita iidem Normanni, qui antea tot mala Religioni intulerant, eamdem venerari et profiteri coeperunt [2].

79. *Ecclesiae status in Germania* — In Germaniae regno an. 899 Arnulpho successit Ludovicus IV, filius eius sexennis, sub

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 520.

[2] Guilielmus Gemmeticensis, *Gesta Normannorum*, t. II.

tutela Hattonis archiepiscopi Moguntini et Ottonis ducis Saxoniae. Sub eo bella inter proceres, ecclesiasticos et laicos, fuerunt frequentia, quibus usi Hungari Germaniam pervaserunt, eamque ad pendendum tributum coëgerunt. An. 911 defuncto Ludovico, rex Germaniae electus fuit Conradus, qui regnavit usque ad an. 918. Sub eo Hungari rursus Germaniam invaserunt; Lotharingi ad Carolum Simplicem, regem Francorum, defecerunt; Henricus etiam, dux Saxoniae et Thuringiae, atque Buchardus dux Sueviae, supremum regis dominium excusserunt. Ex his causis perturbatum fuisse ecclesiasticarum rerum statum, sat colligitur. An 916 episcopi sub legato Ioannis Pp. X convenerunt Altheimium in Rhaetia, et praeteritam suam negligentiam confessi, plura capitula de disciplina et re ecclesiastica condiderunt [1].

Anno vero 918 post Conradi obitum proceres regni insignia detulerunt Henrico, duci Saxoniae, cognomine Aucupi, qui ea tenuit usque ad an. 936. Is duces rebelles in ordinem redegit, Lotharingiam recepit, Danos et Slavos domuit, Hungaros reiecit et Germanos a pendendo iis tributo liberavit, Religionis propagationi inter barbaros opem tulit, ut infra videbimus. Sub eo an. 922 Hermannus Coloniensis et Herigerus Moguntinus cum aliis 6 episcopis convenerunt Confluentiam in dioecesi Trevirensi, canonesque 8 ediderunt. An. 932 Hildebertus archiepiscopus Moguntinus, Unnius Hamburgensis, Rudgerus Trevirensis et alii 10 episcopi convenerunt Erpfordiam, et ad componendam disciplinam sanxerunt canones 5 [2].

In Italia—In Italia ecclesiarum paci et prosperitati obstabant principum inter se dissensiones, contrariarum sibi invicem factionum molimina et Saracenorum incursiones. Vidimus supra, curis Ioannis Pp. X concordiam inter principes conciliatam, Saracenos autem eiectos fuisse. Postea vero multi proceres bellum civile excitarunt contra Berengarium, regem Italiae et an. 916 a Ioanne X imperatorem coronatum [3]. Berengarius a suis desertus, confugit Veronam, ubi an. 924 insidiis Flamberti necatus est. Regnum Italiae tenuit Rodulphus, qui cernens, se imparem esse ad conservandam Longobardiam, an. 926 rediit in Burgundiam; et regnum Italiae delatum fuit Hugoni comiti Provinciae. Cum hoc Ioannes X colloquia habuit, verisimiliter de reprimenda dominatione Vidonis et Moraziae.

In urbe Roma potenti factioni per plures annos praefuerunt duae impudentes feminae, nempe Theodora, eiusque filia Marozia. Theodora, senatoria orta progenie, ingenio versatissima, consuetudine Adelberti marchionis Tusciae, qui inexpugnabilem s.-Angeli arcem tenens in urbe potentissimus erat, procacissima, ex quo etiam genuit filias Maroziam et Theodoram, hac arte dominium urbis usurpavit. Marozia primo nupsit Alberico duci Spoletano, deinde Widoni marchioni Tusciae, et post matrem suam Theodoram imperium in urbe arripuit. Ioannes Pp. X a Widonis Maroziae militibus interceptus, et in carcerem, uti diximus, coniectus, paulo post vi oppressus an. 928 obiit [1].

80. *Leo VI Pontifex* (*an.* 928)—Eodem anno 928 in locum Ioannis X subrogatus fuit Leo VI, Christophori Primicerii filius, et sub exitum mensis iunii consecratus. Is qui cum 7 mensibus et 5 diebus in Petri cathedra sedisset, e vivis excessit circa diem 3 februar. an. 929 [2]. Multi scribunt, hunc Pontificem a factiosis fuisse detrusum in carcerem; sed id minime apud veteres reperitur, quin imo Ptolomeus Lucensis de eo narrat, quod cum modicum sedisset, in pace quieverit [3]. Tranquillandis Romanis rebus, quas turbaverant decessores eius, curam intendisse fertur.

Stephanus VII—Leoni VI successit Stephanus VII, Romanus, qui 2 annis, 1 mense et 12 diebus pontificali munere functus est [4]. Eius religionem et mansuetudinem laudat Platina [5]. Finem vivendi fecit circa diem 15 mens. martii an. 931.

Utrumque Pontificem, Leonem VI et Stephanum VII, praetermisit Luitprandus, post Ioannem X numerans Ioannem XI [6]. Utrumque tamen inter RR. Pontifices numerant scriptores veteres et recentiores [7].

---

[1] Pagi, *Critica* ad an. 916.

[2] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 579 et 591.

[3] Berengarius factus Imperator confirmavit Romanae Ecclesiae ea omnia, quae prius eidem data fuerant a Pipino, Carolo Magno, aliisque. Ita Anonymus in Carmine *de laudibus Berengarii* etc. inter *Scriptor. Rer. Italicar.* t. II, p. 405, 406.

---

[1] Flodoard., *de Rom. Pontif.*, et in *Chron.*— Luitprandus, l. 3, c. 12, ait: Ioannem *Pp. comprehendentes custodiae manciparunt, in qua non multo post defunctus. Aiunt enim quod cervical super os eius posuerint; sicque eum pessime suffocarunt.*

[2] Flodoard. *De Rom. Pontif.* et in *Chron.*

[3] *Hist. eccles.* l. XVII, c. 4.

[4] Flodoard. loc. cit.

[5] *Vitae RR. Pontif.*

[6] *Hist.* l. II, c. 13; l. III, c. 12.

[7] Flodoard. loc. cit.; Herman. Contractus, Marian. Scotus, Sigebertus in *Chronicis*; Ciaconius, Baronius, Pagi, aliique.

81. *Ioannes XI Pontifex* (*an.* 931) — Post mortem Stephani VII cathedram Petri tenuit Ioannes XI annis 4 et mensibus 10. Multiplicem rursus, quantum ad hunc Pontificem spectat, errorem admisit Luitprandus, quem plures rerum ecclesiasticarum scriptores nimia cum fiducia secuti sunt. Narrat is, Ioannem XI natum esse e commercio Maroziae cum Sergio III [1], successisse Ioanni X, et ad pontificatum evectum potentia Maroziae eiusque coniugis Widonis, marchionis Tusciae. Vidimus contra, Ioannem XI fuisse filium Alberici Spoletani, cui Marozia primo nupserat [2]; inter utrumque Ioannem X et XI sedisse Leonem VI et Stephanum VII; Wido autem, marchio Tusciae, ante ordinationem Ioannis XI, an. 929 vel saltem sequente, obierat. Praeterea Ratherius, episcopus Veronensis, qui hoc ipso saeculo floruit, Ioannem XI appellat pontificem *gloriosae indolis* [3]. Addit Flodoardus illum, vi et splendore vacuum, sacro ministerio vacasse, quod Albericus patricius, eius ex Alberico Spoletano et Marozia frater, dominium urbis occupasset [4].

Etenim Marozia, ut potentiam suam in urbe conservaret, post mortem mariti sui Widonis nuptias iniit cum Hugone rege Longobardiae, Widonis fratre uterino, eique dotem incestus dedit castrum s.-Angeli. Verum Albericus patricius, filius Maroziae et Alberici Spoletani atque frater Ioannis XI, ad ulciscendam iniuriam sibi ab Hugone vitrico suo illatam, concitata Romanorum manu castrum s.-Angeli oppugnavit, Hugonem ex eo eiecit, et urbis moderamen arripuit. Pacis inter utrumque, Hugonem nempe regem Italiae et Albericum principem urbis Romae, mediator fuit s. Odo, abbas Cluniacensis, Hugoni regi admodum acceptus.

82. *Cluniacensium monachorum reformatio*—Hic Odo optime meruit de reformatione Instituti monastici. Vidimus, quomodo sub initia saec. IX coenobia generatim secundum regulam s. Benedicti fuerint reformata, eaque in re praeclare meruerit s. Benedictus Anianus [1]. At publicis rerum commotionibus, quae deinde in imperio frequenter excitatae sunt, bellis civilibus, ac Normannorum et Hungarorum incursionibus multa coenobia fuerunt destructa, monachi et moniales dispersi, abbatiae praepositis regularibus orbatae et viris laicis commendatae, regulae observantia inter monachos neglecta [2]. Novam reformationem suscepit s. Berno, primus abbas monasterii Cluniacensis, an. 910 in Burgundia a Guilielmo, comite Arvernorum et duce Aquitaniae, fundati. S. Berno regulae s. Benedicti, in multis ceenobiis neglectae, observantiam instauravit, suosque monachos secundum eius rigorem instituit; eorum exemplo excitati plures alii se s. Bernonis regimini submiserunt, adeo ut is, an. 927 moriens, septem monasteriis praeesset. Hac reformatione id etiam affectum est, ut monasteria, antea a se invicem independentia, in unam congregationem coalescere coeperint. Ei anno 927 successit s. Odo, qui incoeptum a s. Bernone negotium perfecit; non tantum in suis sed etiam in aliis coenobiis monachos ad fervorem et arctiorem regulae s. Benedicti, quae in multis negligebatur, observantiam pro viribus excitavit; regulae plura particularia statuta addidit, v. g. silentium per certa anni spatia servandum, continuum fere officium divinum publicum, aliaque, in se quidem minuta, sed quae ad regulae custodiam et vitiorum exclusionem tendebant. Cum autem haec statuta finem suum reipsa consequerentur, et praeterea Odo eiusque successores, praecipue Maiolus, Odilo et Hugo, prudentia, vitae sanctitate et miraculorum fama magnam apud Pontifices, imperatores et reges auctoritatem acciperent, quam plurima monasteria in Gallia, Italia, Germania, Hispania, Anglia, aliisque regionibus instituta Cluniacensia susceperunt, ita ut saec. XII duo circiter millia monasteriorum ea profiterentur. Quae cum propriis suis institutis a caeteris Benedictinis distinguerentur, propriam congregationem seu Ordinem Cluniacensem efformarunt; quamquam monachi ad eam pertinentes, reipsa nonnisi Benedictini reformati essent [3]. Eisdem temporibus de instauratione disciplinae monasticae in Gallia bene meruerunt Einoldus et

[1] Ex monumentis quae non multis abhinc annis Romae inventa fuere cl. I. B. de Rossi optime et erudite hac de re disseruit, et famam tanti Pontificis a calumniis adversariorum vindicavit. Quare praestat ad rem legere *Bollettino di Archeologia cristiana* del *Com. Giovanni Battista de Rossi*, Serie I, Anno II, Settembre 1864, N. 9, pag. 65-69. Caput ita enunciatur: *Epitaffio dei tempi di Giovanni XII ricordante Marozia senatrice ed altri illustri personaggi.*

[2] Vid. p. 217.

[3] *Epist. ad Ioan.* apud D'Achery, *Spicilegium*, t. I.

[4] *De RR. Pontif.* Cf Muratori, *Annali d'Italia*, an. 931; Von Kerz Continuat. comitis de Stolberg, t. XVIII.

[1] Vid. p. 220.

[2] Synodus Troslei, c. III, apud Labbe, t. IX, p. 527.

[3] Mabillon, *Acta Benedictin.* saec. V; Marrier, *Biblioth. Cluniacensis.*

s. Ioannes monachi Gorzienses [1]; item s. Cadroes, s. Maccalan et s. Forannanus, patria Hiberni [2]. In Belgio de eadem re praeclarissime meruit s. Gerardus abbas Broniensis[3].

83. *Leo VII Pontifex* (*an.* 936) — Quum Ioannes Pp. XI initio ianuarii anni 936 supremum diem egisset, ad summum sacerdotium electus fuit Leo VII, Romanus, qui, teste Flodoardo, non nisi diu reluctans pontificatum suscepit, assiduis precibus et rerum coelestium meditationi deditus, sapiens et affatu laetus extitit[4]. Ante diem 9 ianuarii consecratus est. Quantum autem dolorem hic Pontifex conceperit e tristi Ecclesiae statu, et quam strenue pro collata sibi potestate existentibus malis mederi conatus sit, testantur epistolae, quas scripsit ad Hugonem principem Francorum, ad abbatem s. Martini Turonensis, ad Gerardum archiepiscopum Laureacensem et ad episcopos, abbates, reges, duces et comites Galliae atque Germaniae[5]. Praeterea s. Odonem, abbatem Cluniacensem, qui magnam apud Hugonem regem gratiam obtinebat, Romam vocavit, tum ad reformandam disciplinam in coenobiis tum ad conciliandam pacem inter eundem Hugonem regem Longobardiae — qui Urbem ad recuperandam in ea dominationem obsidebat —, et Albericum qui consulari potestate ipsam administrabat. Sanctus abbas utrumque negotium effecit. Sedit Leo VII 3 annis, 6 mensibus, et diebus 10: e vita cessit 18 iulii an. 939.

84. *Otto M. rex Germaniae* — Eodem anno, quo Ioannes XI, in Germania obiit Henricus rex I, 3 filiis e s. Mathilde coniuge relictis; quorum natu maximus Otto ei in regno successit, Henricus accepit feuda in Saxonia, Bruno clericali militiae nomen dedit et postea creatus fuit archiepiscopus Coloniensis. Otto bella civilia, a rebellibus ducibus excitata, contrivit et publicum ordinem confirmavit; Danos, Slavos, Hungaros et Bohemos acie vicit, auctoritati suae subiecit, et Religionis christianae propagationi inter eos consuluit; pacem quoque restituit in Gallia et Italia; an. 962 a Ioanne Pp. XII imperator coronatus est, regnavitque usque ad an. 973, propter res praeclare gestas, quas suis locis indicabimus, Magni cognomen adeptus.

85. *Ecclesiae status in Hispania* — In Hispania ecclesiarum prosperitati obfuerunt frequentia bella inter christianos et mahometanos principes. Quum tamen christiani reges Asturiae, devictis saepius Mauris, regnum suum plurimum amplificassent, religionis christianae professio refloruit in omnibus civitatibus antea Maurico iugo subiectis; ecclesiae instauratae sunt sedesque episcopales; quae corruerant, restitutae. Ramirus II, qui regnum Asturiae seu Legionis moderatus est ab an. 930 usque ad 950, religione et victoriis de Mauris relatis claruit, et praeter alia, coenobia plura extruxit dotavitque.

Libera quoque erat religio christiana a servitute mahometica in regno Navarrae, quod et ipsum sub Sanctio I (905-25) amplificatum est; item in comitatu Barcinonis, qui a Caroli Magni temporibus comiti Francico subditus, a posteriori saeculi IX dimidio a comite subi proprio administratus fuit. In coeteris vero Hispaniae provinciis, Maurico imperio subditis, Christiani a cruentis quidem vexis erant liberi, dura tamen erat eorum conditio.

Ecclesiae status in Anglia — In Angliae regno Alfredum M. anno 900 excepit Eduardus eius filius, qui patris exemplum imitatus, multa in Religionis et reipublicae bonum constituit; secundum R. Pontificis litteras pro vacantibus ecclesiis episcopos ordinandos, novasque sedes episcopales erigendas curavit; opem magnam contulit, extirpandis incestae luxuriae fomentis, obiitque an. 924. Athelstanus, filius eius et successor, regnavit usque ad an. 940; pius pariter ac strennus, auctoritatem regiam firmavit, et leges optimas e consilio episcoporum et procerum in conventu Grateleano sancivit [1]. Post mortem Athelstani ab an. 940 usque ad 946 regnavit Edmundus, frater eius. Hic princeps fratris et patris sui pietatem et bellicam virtutem aemulatus est; Danorum incursioni fortiter restitit; Religionis maiestati et regni tranquillitati atque prosperitati consuluit; e consilio episcoporum et procerum, quos congregavit, plura sancivit contra clericos incontinentes, contra homicidas, periuros etc. [2]. Eum an. 946 excepit Edredus, frater eius, princeps magnanimus, pius et iustus, qui regnavít usque ad an. 955.

86. *S. Odo Cantuariensis* — In Anglia celeberrimus erat s. Odo, qui ab Athelstano

---

[1] Bolland. *Acta SS.* 27 febr.; Mabillon, loc. cit
[2] Bolland. 6 maii, 21 ian., 30 april.
[3] Bolland. 3 octobr.
[4] Apud Labbe, *Concil.* t. IX, p. 534; Harduin. t. VI.
[5] *De RR. Pontif.*

[1] Labbe, t. IX, p. 583.
[2] *Ibid.* p. 612.

rege ad Scireburnensem et ab Edmundo ad Cantuariensem sedem evectus, vitae sanctitate, eruditione et zelo pastorali claruit. Extant adhuc Epistola eius synodica ad omnes suffraganeos de munere pastorali, et Constitutiones 10, in quibus agit de officiis regum, magistratuum et clericorum, de ieiuniis, incestis connubiis, aliisque [1].

Legitur in vita huius Sancti praesulis, quod, sciens aliquos e clero suo haesitare in fide de reali corporis et sanguinis Christi praesentia in ss. Eucharistia, quum in conspectu populi missarum sollemnia celebraret, divinam omnipotentiam deprecatus sit, ut haesitantes in fide confirmare dignaretur; cumque ad fractionem panis eucharistici pervenisset, Sanguis Christi e sacris fragmentis guttatim defluere visus est. Quo miraculo perterriti qui antea in fide fuerant infirmi, simul cum omnibus adstantibus sollemnes laudes Deo reddiderunt [2].

87. *Stephanus VIII Pontifex* (*an.* 939) — Post obitum Leonis VII summum sacerdotium demandatum fuit Stephano VIII, qui eo functus est 3 annis, 4 mens. et diebus 5. Hunc Pontificem fuisse Germanum, opera Ottonis M. per suffragium populi, non admissis cardinalibus, electum, et ideo a fautoribus Alberici inflictis in faciem vulneribus ita deformatum, ut in publicum prodire erubesceret, Baronius et alii nonnulli narrant. At Stephanum VIII fuisse Romanum, omnes pene RR. Pontificum catalogi testantur; eum opera Ottonis electum et ideo tam foede vulneratum, a nullo scriptore ante Martinum Polonum, qui saec. XIII vixit, commemoratur; praeterea Otto M. rex Germaniae, nil hac in re iuris in Italia habebat, neque se huïc electioni immiscere potuit, quia tunc bellis domesticis distractus et longius absens erat [3].

Stephanus VIII tractandis negotiis ecclesiasticis, quantum infelicia temporum adiuncta permittebant, animum adiecit; secundum decessoris sui exemplum, ad conciliandam concordiam inter Hugonem regem Longobardiae et Albericum principem Romae, inter quos rursus bellum exortum erat, advocavit s. Odonem, abbatem Cluniacensem, qui iterum dissidia inter utrumque principem composuit. Ad componendas discordias et bellum civile in Gallia inter proceres et regem Ludovicum IV, cognomine *Transmarinum*, legavit Damasum episcopum, eique litteras dedit ad proceres rebelles, ut ante Natale Domini se ad obedientiam regis converterent, secus se excommunicatione plectendos scirent. Concordia quidem restituta fuit, sed parum perduravit. Verisimiliter eiusdem concordiae constituendae intuitu Stephanus VIII pallium misit ad Hugonem, archiepiscopum Rhemensem, filium potentissimi comitis Heriberti. Hugo iste tantum quinquennis, ut supra diximus, ad hanc dignitatem electus fuerat [1]; sed Rodulphus rex, ab episcopis provinciae interpellatus, quod sub puero Hugone Ecclesia Rhemensis pastore careret, et interea Heribertus pater bona eius dissiparet, an. 931 ad sedem Rhemensem eligendum et ordinandum curavit Arthaldum monachum, cui Ioannes Pp. XI pallium concessit. Anno vero 940 Heribertus comes, in Ludovicum IV rebellis, Rhemos occupavit, Arthaldum ad abdicandum coëgit, filiumque suum Hugonem decreto synodi Suessionensis ad sedem Rhemensem ordinandum curavit. Hugo post ordinationem suam oratores Romam misit, et a Stephano Pp. pallium impetravit [2].

88. *Marinus II Pontifex* (*an.* 943) — Ineunte mense decembri an. 942 defuncto Stephano VIII, ante diem quartum februarii an. 943 in summum pontificem electus fuit Marinus II, Romanus, quem aliqui appellant Martinum III. Laudatur hic Pontifex tum propter sacrarum Litterarum et canonum peritiam, tum propter egregiam operam in restituenda Ecclesiae disciplina, instaurandis templis, sublevandis pauperum miseriis et componendis inter christianos principes dissidiis navatam [3]. Praefuit Ecclesiae 3 annis et 6 mensibus. Obiit mense iunio an. 946 [4].

89. *Agapetus II Pontifex* (*an.* 946) — Post Marinum II, eodem mense iunio an. 946 ad Petri cathedram exaltatus fuit Agapetus II, Romanus, cuius pietas et studium in conciliandis principibus et protegendis contra iniquos pervasores coenobiis commendantur. Is denuo pacem constituit inter Hugo-

---

[1] Bolland., *Acta SS.* t. II iul. p. 63; Labbe, *Concil.* t. IX, p. 609.

[2] Eadmer, *Vita s. Odonis*; Guil. Malmesbur. *Chron. eccl. Cantuar.*; Parker, *Antiquit. Britan.*

[3] Muratori, *Annal. d' Ital.* ad an 939; Papebroch. *Conatus chronol.* apud Bolland. *Acta SS.* t. VIII maii, p. 159.

---

[1] Vid. p. 250.

[2] Flodoard., *Chron.* ad an. 941, et *Hist.* l. IV, c. 28-29.

[3] Baronius et Pagi, ad an. 943-46.

[4] Referente Leone Ostiensi (l. I *Chron. Casinen.* c. 57) hic Pontifex litteras dedit Siconi Episcopo Capuano, *quibus illum et de Canonum ignorantia, ex de inscientia litterarum et de familiaritate saecularium stricte redarguit.*

nem regem Longobardiae et Albericum principem Romae; s. Brunoni archiepiscopo Coloniensi pallium misit, singulare concedens ius utendi eo *quoties vellet* [1]. Adaldago archiepiscopo Hamburgensi et Bremensi prisca privilegia confirmavit, vicesque suas ordinandi episcopos tum in Dania tum in aliis septentrionalibus regionibus commisit; acta synodi Ingelheimensis rata habuit. Etenim Ludovicus IV rex Galliae, ope Ottonis regis Germaniae an. 946 restitutus,et rebellibus in ordinem redactis, reiecto Hugone archiepiscopatum Rhemensem reddit Arthaldo [2]; quod an. 947 in Virdunensi et anno sequente in Mosemensi synodo confirmatum est. Interim Agapetus Pp. tum ad cognoscendam hanc causam tum ad confirmandam in Gallia pacem publicam, illuc legavit Marinum episcopum Polymartiensem. Hic an.948 cum multis archiepiscopis et episcopis Germaniae et Franciae synodum habuit apud Ingelheim, cui etiam interfuerunt Otto rex Germaniae, et Ludovicus rex Galliae. In hac synodo Hugo, dux Franciae, propter rebellionem excommunicatus est, donec regi faceret satis, sedes Rhemensis Arthaldo restituta, et inter alia decretum, ut laici sine episcopi licentia ecclesias presbyteris neque darent neque auferrent, et causae decimarum non apud iudices saeculares, sed in synodis cognoscerentur. Quae omnia Agapetus Pp. anno sequente in Romana synodo confirmavit [3]. Idem arcessivit Pontifex laudatum Ottonem Germaniae regem, ut Italia exigeret Berengarium vexantem sacros Ecclesiae ministros, et ab eis extorquentem vi pecunias. *Mirae sanctitatis laude celebratus*, scribit Rotgesus [4], Agapetus vitam deseruit post diem 20 augusti anno 956, ideoque Pontifex fuit *annos* 10 et *menses* amplius 2.

90. *Religionis status apud populos septentrionales*—Sub haec tempora Religionis christianae professio plurimum aucta est apud populos Slavos et septentrionales. Vidimus quantopere ea in magna Moravia propagata fuerit sub s. Methodio archiepiscopo [5]. Eo post an. 900 Romae mortuo, Pontifex Ioannes IX, postulante Mogemiro rege, in Moraviam misit novum archiepiscopum cum 2 episcopis.Verum ann. 908 invadentibus Hungaris, regnum Moravicum destructum est, et aliam eius partem sibi subiecerunt Hungari, aliam Bohemi, aliam Poloni. Hac rerum conversione Religio christiana in Moravia magnum detrimentum subiit. Post annos 30 Gerardus, episcopus Passaviensis, in ea Moraviae parte, quam occuparant Bohemi, quaeque hodiernam Moraviam constituit, ex auctoritate sibi ab Agapeto Pp. II collata rem christianam restituit, et pro ea an. 946 episcopum ordinavit Silvestrum, sub quo residui ethnici ad christianam fidem perducti sunt, ecclesiae instauratae et monasteria pro viris et feminis instituta [1'].

In Bohemia Fides late propagata fuit sub Borziwoio, Spitihneo et Uratislao ducibus [2']. At post mortem Uratislai (926) Drahomira vidua eius principatum et tutelam duorum filiorum, Wenceslai et Boleslai arripuit; idololatriae studiosissima, saevam persecutionem in Christianos excitavit; anno 927 s. Ludmillam, Wenceslai et Boleslai aviam, cuius piis consiliis Wenceslaus dux in omnibus utebatur, suffocari iussit; deinde Bohemos contra Wenceslaum, qui rem christianam plurimum promovebat, excitavit,et Boleslao suasit, ut fratrem suum Wenceslaum occideret, totumque principatum usurparet. Is anno 936 saeva matris suae consilia executioni mandavit. Tunc grandis persecutio contra Christianos secuta est,multi praesertim nobiles et divites occisi, sacerdotes Bohemia eiecti. Paulo post Boleslaus, supremo Ottonis regis Germaniae dominio excusso, huius arma in se concitavit; post bellum 12 annorum an. 950 ad deditionem compulsus, inter alias pacis conditiones promisit, se res christianas restiturum. Boleslaus mente in melius mutata, promissis stetit, et confestim Religio christiana in Bohemia refloruit [3'].

Anno 950 Hungaris etiam Evangelium annuntiatum fuit. Hi saeculo praecedente occuparant Pannoniam vicinasque terras, quae inde Hungariae nomen acceperunt. Iam a vetustioribus temporibus religio christiana in Pannoniam illata fuerat; sed Hungari omnia pene illius signa deleverunt. Iidem, ut iam diximus, suis excursionibus clades ingentes intulerunt provinciis Italiae, Galliae, et Germaniae. Circa medium vero saeculi X duo principes Hungari, Bolosudes et Gylas, Constantinopoli baptizati, secum in

---

[1] Bona, *Rer. Liturgicar.* c. 24, § 16.
[2] Vid. sub num. 85.
[3] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 622, 623, 634.
[4] In *Vita* s. Brunonis, Archiep. Colon., c. 23, ap. Surium, die 11 octobris.
[5] Vid. pp. 226 et 233.

[1'] I. G. Stradowsky, *Sacra Moraviae historia.*
[2'] Vid. p. 241.
[3'] Bolland., *Acta SS.* ad diem 28 sept.; Æn. Sylvius, *Hist. Bohem.* l. II, c. 14-15; Witikind. *Annal.* l. II.

Hungariam duxerunt Hierotheum e monacho episcopum, qui ibidem multos ad christianam fidem convertit [1]. In fine autem saeculi X tota Hungarorum gens baptismum suscepit.

In Dania, ubi saeculo praecedente Evangelium propagaverat s. Anscharius [2], Christiani saevam persecutionem experti sunt sub Gormio, qui ab an. 885 usque ad 935 regnavit. Is plurimos Christianos tormentis enecavit, et presbyteros e Dania pepulit. An. 934 Henricus I, rex Germaniae, Gormium, qui Saxoniam invaserat, ad postulandam pacem et cessionem regionis Schlesvicensis compulit. Henricus in hanc regionem transtulit coloniam Saxonum, eis marchionem praefecit, et Religioni christianae ibidem providit. An. 935 mortuo Gormio successit Haraldus, filius eius, quem Unnius archiepiscopus Hamburgensis seu Bremensis ad concedendam subditis libertatem profitendi christianam fidem perduxit. Idem archiepiscopus insulas Daniae praedicando Evangelium peragravit, multos ad Christum convertit, et presbyteros in singulis ecclesiis constituit. Postea Haraldus supremo Germanorum regum dominio se subtrahere conatus est; sed ab Ottone M. victus et ad obedientiam adactus, circa an. 948 una cum uxore sua et parvulo filio baptismum suscepit. Tunc Otto M. ad firmandam et propagandam in Dania christianam Religionem fundavit episcopatus Schlesvicensem, Ripensem et Arhusianum, eosque subdidit archiepiscopo Hamburgensi Adaldago, cui Agapetus Pp. II vices suas pro Dania, et caeteris regionibus septentrionalibus demandaverat. Ex quo tempore Religio christiana firmiores in Dania radices egit [3].

Idem supra dictus s. Anscharius saeculo praecedente Evangelium praedicavit in Suecia, tum per seipsum tum per sacerdotes, quos illuc destinarat [4]. At quum his sacerdotibus defunctis non fuissent novi suffecti, Religio christiana in Suecia defecit, ita ut Unnio archiepiscopo Hamburgensi, an. 936 Bircae Evangelium annuntianti, incolae vix aures praeberent. Initio saec. XI Evangelii praedicatio in Suecia maiores fructus protulit [5].

In Norwegia quoque fides christiana annuntiata fuit sub Hakone rege, qui in Anglia baptizatus et an. 933 regnum Norwegiae adeptus, sacerdotes ex Anglia accersivit, quorum opera multi ad christiana sacra perducti sunt [1]. Saeculo sequente religio christiana, sublata idololatria, in tota Norwegia stabilita fuit.

91. *Religionis status in Asia*—In remotissimis Asiae regionibus Evangelium late propagatum fuit a Nestorianis. Horum catholicon seu patriarcha Timotheus (778-820), qui residebat Bagdadi, Subchaljesum monachum ad populos, in antiqua Hyrcania, Bactriana, Margiana et Sogdiana habitantes, praedicandi Evangelii causa misit, qui ibidem plures Christianorum sed Nestorianorum haeresi infectorum coetus formavit, et usque ad Turcas orientales, in Chatajam Sinasque penetravit. Postea idem Timotheus in easdem regiones destinavit duos episcopos, qui usque in Indiam progressi sunt [2]. Iam saec. VII et deinceps in Sinis Christianorum nestorianorum coetus formatos vidimus [3]. Post dimidium saec. IX per grandem rerum publicarum conversionem ingens clades christianis in Sinis illata est. Nihilominus Nestoriani praedicationes suas ibidem continuarunt, eorumque catholicon Timotheus circa an. 800 pro Sinis metropolitam ordinavit David. Anno 889 Ioannes metropolita cum duobus episcopis illuc destinatus legitur a catholico Bagdadensi. Et non obstantibus rerum et dynastiarum mutationibus, adhuc saec. XIII Nestorianorum coetus in Sinensi imperio reperiebantur [4].

92. *Viri illustres* — Priori huius saeculi dimidio praeter alios vitae sanctitate floruerunt et sacros honores consecuti sunt hi qui sequuntur: inter episcopos Adalbertus Augustanus, Hogerus Bremensis, Bruno Coloniensis, Radbodus Ultraiectensis, Odo Cantuariensis, Brinstanus Wintoniensis, Tuto Ratisbonensis, Hildebertus Moguntinus, Benno Metensis: inter monachos Notkerus monachus s. Galli, Cadroes, Maccaban, Forannanus, Berno et Odo abbates Cluniacenses, Ioannes monachus Gorziensis, Geraldus abbas Broniensis, Guibertus fundator monasterii Gemblacensis; praeterea s. Gerardus comes Aureliacensis, s. Wenceslaus dux Bo-

---

[1] Curopalat. *Hist. imper. graec.*; *Vita S. Stephani*, apud Bolland. 2 septembr.

[2] Vid. p. 224.

[3] Adam. Hremens., *Hist. eecl.* l. I, *e.* 49 sq.; Witikind., *Annal.* l. V; Ditmarus, *Chron.* l. II; Baron et Pagi, ad an. 949.

[4] Vid. p. 224-225.

[5] Adam. Bremens. *Hist. eccl.* loc. cit.

[1] Adam. Bremens. loc. cit.

[2] Assemani *Biblioth. orient.* t III, part. II.

[3] Vid. p. 169.

[4] Le Quien, *Oriens christianus*, t. II; Renaudot, *Anciennes relations des Indes et de la Chine*; I. A. Assemani, *Biblioth. Orient.* t. II-III.

hemiae, eiusque avia s. Ludmilla, s. Mathildes regina Germaniae [1].

Eruditionis laude claruerunt supra laudatus s. Odo Cluniacensis, qui praeter alia scripsit Vitam s. Gerardi Aureliacensis, libros 3 Collationum, 35 libros Moralium in Iob et commentariolum in libros Regum [2]; Simeon, dictus Metaphrastes, praestanti ingenio et politiori litteratura ornatus, summosque in aula imperatorum Graecorum honores consecutus, qui sacr. antiquitatum studium coluit, Vitas SSrum collegit, pluresque orationes, poëmata et alia composuit; Eutychius patriarcha Alexandrinus, qui arabice scripsit Annales a mundi creatione usque ad an. 940 post Christum natum [3]; Regino, abbas Prumiensis, qui edidit libros 2 de disciplinis ecclesiasticis et religione christiana, totidemque libros Chronicorum ab adventu Christi usque ad an. 908 [4]; Flodoardus, primum presbyter ecclesiae Rhemensis, deinde monachus et abbas s. Remigii, vitae ex omni parte integerrimus et in scribendo diligens, qui exaravit libros 4 historiae ecclesiae Rhemensis, Chronicon de rebus Francorum ab anno 919 usque ad 966, Carmina de vitis Ssrum et RR. Pontificum [5].

93. *Ioannes XII Pontifex* (*an.* 956) — Anno 956 in locum defuncti Agapeti Pp. II subrogatus est Ioannes XII. Hic antea appellatus Octavianus, filius Alberici patricii Romanorum, an. 954 patri suo, quamvis clericus, in patricia dignitate et principatu urbis Romae successerat; et post mortem Agapeti, tantum 19 prope annis natus, factus pontifex, Urbis principatum Apostolicae Sedi restituit. Eum *suggerentibus sibi Romanis* papam effectum esse dicit Flodoardus, huius temporis scriptor [6]. Quod Baronius et alii sic explicant, ac si malorum consilio summum pontificatum is usurparit, addunt tamen, Ioannem XII accedente cleri Romani et totius Ecclesiae consensu, ut schisma evitaretur, legitimum pontificem esse effectum [7]. An. 956 post diem XIII cal. septembr. consecratur.

Hic Pontifex multa indigna passus est a Berengario rege II eiusque filio Adelberto. Etenim Hugo, rex Italiae, sua tyrannide tantum in se concitaverat procerum odium, ut an. 946 regnum cedere coactus fuerit filio suo Lothario. Post huius mortem (950) regnum Longobardicum capessivit Berengarius II, marchio Ivoreiae, et reginam Adelaidem, Lotharii viduam, quod filio suo Adelberto, regni consorti, nubere recusaret, in carcerem coniecit. Otto M., rex Germaniae, ab Adelaide et proceribus Italis advocatus, cum exercitu in Italiam tetendit; Adelaidem in uxorem duxit; Berengario II, qui se sponte dediderat, an. 952 Longobardiam in feudum concessit. Verum Berengarius II eiusque filius Adelbertus dura tyrannide populum oppresserunt. Ioannem Pp. XII iniuriis quamplurimis affecerunt. Quapropter Pontifex missis in Germaniam legatis, Ottonem M. arcessivit, ut Ecclesiam atque Italiam a Berengarii et Adelberti tyrannide liberaret. Otto iureiurando coram Pontificis legatis spopondit, se Ecclesiae opem laturum; quidquid de terra s. Petri in suam potestatem pervenerit, Pontifici redditurum; et cuicumque regnum Italiae commiserit, eum iureiurando obstricturum, ut Pontifici opem ferret ad defendendam terram s. Petri [1]. Otto brevi post etiam a proceribus Italis vocatus, an. 961 exercitum in Italiam duxit; fugatis sine praelio Berengario et Adelberto, Mediolani rex Italiae coronatus est; mense ianuario 962 Romam progressus, a Ioanne Pp. XII honorifice exceptus est, eodemque anno, cum imperium romanum ab obitu Berengarii I (924) vacaret, sollemni ritu imperator coronatus fuit. Otto cunctas Apostolicae Sedis possessiones, iura temporalia, atque donationes Pipini et Caroli M. confirmavit, quaecumque a tyrannis R. Ecclesiae fuerant ablata, restituit, et eius dominio addidit Reatum, Amiternum et alias 5 civitates; edixit praeterea, ut, quemadmodum an. 824 sub Eugenio II, a Lothario imperatore fuerat constitutum, RR. Pontificum electio *canonice et iuste fieret*, nemo eos, ad quos eligendi ius spectabat, impedire aut corrumpere auderet, et electus, praesentibus imperatoris legatis consecraretur, facto prius iuramento, se omnium iura conservaturum [2]. Verum concordiam inter Ioannem Pp. et Ottonem M. non diu durasse, infra videbimus.

94. *Ecclesiae status in Oriente* — In Oriente an. 925 post obitum Nicolai Mystici patriarchatum Cp. accepit Stephanus, metropolita Amaseae; quo post triennium defun-

[1] Bolland. *Acta SS.*; Butler, *Vies des Saints.*
[2] *Biblioth. PP.* t. XVII; Migne, *Patr. Latin*, t. CXXXIII.
[3] Edidit cum versione latina Pocock, Oxon. 1659, 2 vol. in-4°.
[4] Paris. 1671; *Collect. veter. German. scriptor.*; Migne, *Patr. latin.* t. CXXXII.
[5] Duaci 1617, in-8°, *Collect. scriptor. rer. Gall.*; Mabillon, *Acta O. S. B.* saec. III, part. II; Muratori, *Scriptor. rer. Ital.* t. III; Migne, loc. cit. t. CXXXV.
[6] *In Chron.* ad an. 954.
[7] Baron. ad an. 955.

[1] Luitprand. *Hist.* l. VI, c, 6; Baron. ad an. 960.
[2] Baron. ad an. 962; Labbe, t. XI, p. 643.

cto, Romanus Lecapenus, apud quem tunc summa rerum erat, ad sedem Cp. ordinandum curavit Tryphonem monachum eximiae pietatis, sed ea lege ut patriarchatum cederet iuniori Teophylacto Romani filio, quando hic ad legitimam aetatem pervenisset. Sed Tryphon, postea Romani Lecapeni odium subiit, et an. 931 eius fraude deiectus, in monasterium suum regressus est. Tunc sedes Cp., propter iuniorem aetatem Theophylacti, vacavit usque ad an. 933, quo is, quamvis tantum 16 annis natus, patriarcha ordinatus est. Theophylactus, mollitiei deditus, sedem Cp. infamibus moribus dehonestavit usque ad an. 956, quo decessit. In eius locum suffectus est Polyeuctus monachus, qui a teneris sanctioris vitae institutum sectatus, in sede Cp. sanae doctrinae ac virtutum laude claruit usque ad annum 970 [1].

Post mortem Constantini Porphyrogeniti (959) imperium graecum usque ad an. 963 tenuit Romanus II, eius filius, princeps iuvenilibus cupiditatibus deditus. Post eius mortem, Theophanonis augustae viduae nuptias et imperium consecutus est Nicephorus Phocas. Is Saracenos vicit eosque insulis Creta et Cypro ac tota Syria usque ad Euphratem eiecit; sed populum duris exactionibus gravavit, annuos redditus, a piis imperatoribus ecclesiis et monasteriis legatos, sustulit, bona immobilia ecclesiis legari vetuit, omnem auctoritatem designandi episcopos sibi vindicavit, eos vero qui his decretis subscribere nolebant, insectatus est. An. 969 interfecto Nicephoro Phoca, ut fertur, insidiis coniugis suae Theophanonis et Tziniscis, imperium accepit Tzinisces, qui cum ad ecclesiam, ut in ea coronaretur, properaret, illius ingressu a s. Polyeucto patriarcha Cp. interdictus est, donec Nicephori caedem poenitentia expiasset. Tzimisces constitutam sibi poenitentiam dimisso animo suscepit, deinde coronatus est; Theophanonem et illos qui, ea instigante, Nicephorum interemerant exilio damnavit; edictum Nicephori, quo is vetuerat, nequis episcopus sine suo nutu eligeretur, palam dilaceravit; interiores rebelliones compescuit. Saracenos ab Antiochia repulit, Bulgaros et Russos superavit; cum Ottone M., Imperatore Romano, foedus sancivit, eiusque filio Ottoni II Theophanonem, Romani II filiam, coniugem dedit; Paulicianos seu novos Manichaeos [2], qui, quamvis imperatorum legibus eiecti, adhuc in imperio degebant, Philippopolim in Thracia transire iussit, unde prava secta postea, non tantum in Graeciam, sed etiam saeculo sequente in Italiam aliasque Occidentis regiones penetravit, suasque doctrinas diversimode mutatas disseminavit. Imperavit Tzinisces usque ad annum 976.

Sub eius imperii initia (970) s. Polyeuctus, patriarcha Cp., Theodorum magnae virtutis monachum ordinavit patriarcham Antiochenum. Polyeucto eodem anno defuncto, in sede Cp. suffectus fuit Basilius, eximiae quoque virtutis monachus [1].

Extra imperium Graecum in terris Saracenorum seu Arabum universim dura erat Christianorum, catholicorum, nestorianorum et monophysitarum conditio. Catholici patriarchas suos habebant Alexandriae, Antiochiae, et Hierosolymis. Nestoriani frequentes coetus habebant in terris Asiaticis septentrionalibus et orientalibus, in Aegypto etiam iam a saeculo VIII ecclesias formaverant; eorum patriarcha morabatur Bagdadi. Monophysitarum praecipua sedes erat Aegyptus, et patriarcham habebant Alexandriae. In Syria etiam, Palaestina, Armenia, Mesopotamia et quibusdam provinciis Asiae minoris frequentes erant Monophysitarum ecclesiae. Ut iam diximus, qui ex Monophysitis in Aegypto morabantur Copti, caeteri Iacobitae appellati sunt.—Maronitarum autem nàtio, quae montem Libanum incolebat, in catholica fide constanter perseverabat [2].

95. *Dissidium inter imperium et sacerdotium* — Concordia supra inter Ioannem Pp. XII et Ottonem M. imperatorum inita[3], paulo post tristem in modum rupta fuit. Discordiae originem atque sequelas narrat Luitprandus, vel anonymus eius continuator [4], ea ratione, quae in omnibus imperatori eiusque agendi rationi faveat, Pontificis vero causae adversetur. Secundum hunc scriptorem, Ioannes XII, cum Otto imperator Roma esset digressus, contra iuratam ei fidem Adelbertum, Berengarii II filium, Romam vocavit foedusque cum eo iniit. Imperator hac re audita, acceptisque querelis Romanorum de pravis Pontificis moribus, Ioannem monuit, ut ea quae admiserat, corrige-

[1] Baron., *Annal. eccl.*; Pagi, *Critica.*
[2] Vid. p. 178.

[1] Pagi, *Critica* ad ann. 970.
[2] Assemani, *Biblioth. oriental.* t. II et III; Renaudot, *Histor. Patriarch. Alexandr.*; F. Nairo, *Dissert. de origine ac religione Maronitar.*
[3] Vid. p. 257.
[4] Plures existimant sex posteriora capita libri VI *Historiae* Luitprandi, quibus haec discordia refertur, esse auctoris anonymi.

ret. Hic vero imperatorem accusavit, quod suum iusiurandum infringeret. Otto confestim Romam properavit, e qua Pontifex et Adelbertus fugerunt. Imperator an. 963 urbem ingressus, omnes urbis ordines iurare coegit, se nullum nisi ex eius et filii eius auctoritate pontificem electuros, deinde in causa Ioannis XII synodum indixit.

Leo VIII antipapa (*an.* 963) — Haec synodus post triduum habita est in basilica s. Petri. Adfuerunt circiter 40 episcopi, partim Germani partim Itali, nonnulli cardinales presbyteri et diaconi aliique clerici R. Ecclesiae. Sedit cum eis imperator. Quoniam in ea Ioannes XII plurium criminum fuisset accusatus, extra quam haeresis, imperator litteras scripsit ad Pontificem, ut ad synodum veniret se purgaturus. Ioannes XII pro responso misit libellum excommunicationis, si alium pontificem in eius locum eligerent. Tunc imperator synodi sententiam postulavit, quae respondit, Ioannem e Petri cathedra esse pellendum, aliumque in ea constituendum. Synodi consilium probavit imperator. Quapropter Ioannes depositus, et in eius locum ordinatus est Leo VIII, protoscriniarius[1], nondum in clericorum numerum relatus[2].

Omnia vero, quae ab hac synodo contra Ioannem Pp. XII tentata fuerunt, esse irrita, manifestum est. « Unum loco omnium (inquit Baronius, erudite de hac re disputans) hoc satis habeto, numquam me legisse orthodoxorum conventum synodalem, in quo magis ecclesiasticum ius sit offensum, magis canones violati, vulnerata traditio, conculcata, oppressa atque maiori dedecore prostrata iustitia[3] ». Hoc ipsum evincit agendi ratio, qua olim usi sunt episcopi tum in Symmachi Pp. tum in Leonis III causa, contestati, sibi fas non esse, Pontificis causam cognoscere aut de eo iudicium instituere[4]. Talis etiam erat sententia Romanorum, qui, simul ac imperator discesserat, reiecto Leone VIII, Ioannem XII in Urbem revocarunt.

Ioannes Pp. Romam redux, v° calend. mart. 964 synodum habuit, in qua conciliabuli Ottonis acta damnata, Leo VIII, qui ex Urbe fugerat, illegitimus pontifex declaratus, Sico, episcopus Ostiensis, qui eum consecraverat, depositus, et ii qui ab antipapa fuerant ordinati aut munera ecclesiastica acceperant, gradibus suis deiecti sunt[1]. Synodo vixdum celebrata Ioannes pridie nonas maias (an. 964) moritur, anno Pontificatus sui septimo, mense ferme nono. Verumtamen schisma nondum finitum est.

96. *Benedictus V Pontifex* (*an.* 964) — Post Ioannis Pp. XII obitum Romani, clerus et proceres, Leonem ut illegitimum papam, et iuramentum, Ottoni praestitum de non eligendo Pontifice sine imperatoris eiusque filii consensu, tanquam iniustum et sine libertate factum habentes, circa diem 15 mensis maii in locum defuncti elegerunt ordinaruntque Benedictum V, cognomento *Grammaticum*, Romanae Ecclesiae diaconum. Imperator iratus, id sine suo consensu esse peractum, cum exercitu Romam perrexit, et Romanos ad deditionem et ad suscipiendum antipapam coëgit. Leo VIII mox conciliabulum tenuit, in quo Benedictum Pp. deposuit tradiditque imperatori, qui eum in Germaniam abductum, commendavit custodiae Adaldagi archiepiscopi Hamburgenis. — Illic magno in honore ab archiepiscopo habitus, Benedictus mansit ad mortem usque. Ibi quoque, referente Ditmaro[2], se moriturum praedixerat, addens omnem illam regionem *gentili gladio* desolandam, ferisque inhabitandam, nec ante pace firma usuram, quam corpus suum Romam transferretur, quod exitus plane confirmavit. — Quum antipapa mense martio vel aprili an. 965, Pontificatu bis usurpato, e vivis discessiset[3], Romani legatos miserunt ad Ottonem, quatenus Benedictum Pp. restitueret. Imperator tum praeclaris Benedicti V virtutibus, tum Romanorum precibus flexus, id fecisset, nisi Pontifex eodem anno III° nonas iulii obiisset[4].

97. *Ioannes XIII Pontifex* (*an.* 965) — Benedicto Pp. V defuncto imperator legatos Romanorum cum Otgero Spirensi et Luit-

[1] Luitprand. *Hist.* l. VI, c. 6 sq.; Labbe, t. IX, p. 648-652.

[2] Ad haec Baronius, ad an. 963, § 30, scribit: « Addit Sigebertus, Leonem laicum adhuc fuisse, cum electus est Pontifex, contra decreta Nicolai, Hadriani, et Stephani *non* recitata ».

[3] *Annal.* ad an. 963.

[4] Vid. p. 143 et 214. Quum I. C. Neller, in Universitate Trevirensi iuris eccl. prof., an. 1766 Romanam Ottonis synodum defendendam suscepisset, egregie confutatus fuit a P. M. Bender, S. I., in eadem Universitate s. Theol. prof. Cf Marchetti, *Comment. crit. in Hist. eccl. Fleury*. a. II, c. 3, n. 99.

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 653.

[2] *Chronic.* l. IV.

[3] Extant sub nomine Leonis VIII duae Constitutiones, quibus Ottoni potestas eligendi Pontificis et investiturae episcoporum conceduntur, et omnia redduntur, quae a Pipino et Carolo M. R. Ecclesiae fuerant donata. Sed praeterquam quod Leo VIII non fuerit legitimus Pontifex, istas constitutiones esse commentitias, ostendunt Baronius et Pagi, ad an. 964-965.

[4] Reginonis Continuator, l. II; Baron. et Pagi, l. c.

*

prando Cremonensi episcopis Romam remisit. Post eorum in Urbem adventum, communi consilio an. 965 ad summum pontificatum evectus fuit Ioannes XIII, Romanus, episcopus Narniensis, et calend. octobr., Ottone assentiente, inauguratus. Hic initio pontificatus sui procerum Romanorum odium incurrit, quod elatiori animo eos regeret et, factione facta a Rotfredo Urbis praefecto, in Campaniam relegatus fuit, ubi a Pandulpho Capuano principe liberaliter habitus est. Ab ipso rogatus, tunc primum in eadem civitate archiepiscopatum constituit, consecrato ibi Ioanne, fratre eiusdem principis, archiepiscopo [1]. Interea Otto M. mox in Italiam ad restituendum Pontificem dignitati pristinae profectus est. Romani eius adventu perterriti, Ioannem XIII in Urbem revocarunt. Verumtamen imperator, ut Romanis, ne talia deinceps auderent, documentum daret, praecipuos seditionis auctores capite damnavit. An. 966 imperator cum Pontifice Pascha celebravit Ravennae, ubi plurium episcoporum ex Italia et Germania coacta synodo, varia constituta sunt pro utilitate Ecclesiae; imperator Pontifici urbem et terram Ravennatium aliaque, Romanae ecclesiae ab hostibus ablata, restituit, seu potius restitutionem iam antea factam, confirmavit. Eodem anno in Natali Domini Pontifex iuniorem Ottonem, imperatoris filium et regem Germaniae, solemni ritu coronavit imperii consortem [2].—Quidam referunt, Ioannem omnium primum Lateranensis Ecclesiae campanam sacris ceremoniis consecrasse, indeque morem eum posteros accepisse. Non infimi tamen subsellii scriptores edocent, campanas ante Ioannem consecrari coeptas [3].—Idem Pontifex sollicitus fuit de

[1] Leo Ostiensis, *Chron. Casin.* l. II, c. 19; Sigonius, *Histor. Italiae*, l. II.

[2] Baron. et Pagi, ad an. 965-67.

[3] Bona, *Rer. Liturgic.* l. I, c. 22, § 7; Rocca, *De campanis*, c. 6; Edmundus Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. II, c. 21; Benedictus XIV, *Institution.* 47, § 4. Ritus vero consecrandi campanas *baptismus* vulgo dicitur, non quod re vera campanae baptizentur eo baptismo, qui confertur in remissionem peccatorum, ut garriunt heterodoxi, sed quod in iis consecrandis adhibeantur ceremoniae praecipuae, in administratione Sacramenti Baptismi adhiberi solitae, ablutio nimirum, unctio, nominis impositio. *In ipsa vero consecratione*, scribit Bona, *nomine alicuius Sancti campana insignitur, sive ut a ceteris proprio nomine distinguatur, sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi huius ritus institutores, si voce alicuius Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur.* Quod colligitur ex c. 14 *Concil. Coloniensis* 1536, apud Labbe, *Concil.* t. XIV. Cf Baron. ad an. 968, § 93; Bellarmin. *De Rom. Pontif.*, l. IV, c, 12.

Fidei propagatione inter populos Slavos, ut mox videbimus. Praefuit Ecclesiae usque ad annum 972: obiit VIII° idus septembris [1].

98. *Religionis christianae progressus apud Slavos* — Ad haec, religio christiana incrementa magna cepit inter populos Slavos Germaniae septentrionalis. Iam aetate Caroli M. apud Sorbos, inter Salas et Albim sedentes, quos ille divicerat, coetus christiani formati fuerant per loca munita, colonis Germanis tradita; sed inter indigenas seu tribus Slavas, iugum Germanorum continuo excutere tentantes, fides christiana parum profecerat. Henricus I, rex Germaniae, eos penitus subegit.

Otto M. an. 936 Henrici successor, Sorbos universos ad christianam religionem adducere conatus est, et in hunc finem apud eos tres fundavit episcopatus, nempe Misniensem, Merseburgensem et Zizinianum. Pariter apud Slavos, inter Albim et Viadrum habitantes, quos recenter subiugaverat, erexit episcopatus Havelbergensem, Brandeburgensem et Altenburgensem. Praeterea an. 968 e consilio Ioannis Pp. XIII Magdeburgi fundavit sedem archiepiscopalem, cui 5 priores supra nominatae sedes episcopales subordinatae sunt; Altenburgensis vero subiacebat archiepiscopo Hamburgensi. Primus archiepiscopus Magdeburgensis fuit s. Adalbertus, quem Ioannes XIII pallio honoravit et gentis Slavorum metropolitam constituit [2]. Quum tamen isti populi cum iugo Germanico ipsam religionem christianam abiicere non semel tentaverint, non nisi post longum annorum spatium idololatria inter eos penitus extirpata fuit.

In Bohemia — In Bohemia sub Boleslao II, qui an. 967 Boleslao patri suo in ducatu successit, religio christiana tantopere aucta est, ut idolatrum cultus fuerit extirpatus. Boleslaus II a Ioanne Pp. III consecutus est, ut Bohemia, hactenus in spiritualibus subdita episcopo Ratisbonensi, proprium episcopum

[1] Franciscus Pagius (in Vita huius Pontificis, t. II, § 16) scribit ante Ioannem XIII non invenisse, Pontificalia ornamenta Abbatibus fuisse concessa. Sed Mabillonius, (Praefat. part. I in *saec. VI Benedict.* § 5) observat an. 970 Theodoricum Metensem antistitem a Ioanne XIII obtinuisse, ut Abbas s. Vincentii Metensis dalmatica et sandaliis uteretur...Pontifice Leone IX Richarius Abbas Casinensis Romam profectus, ab eo (teste *Chron. Casinensi* l. II, c. 81), privilegium obtinuit, iuxta morem praedecessorum suorum, quo idem Pontifex usum sandaliorum atque dalmaticae, nec non et chirothecarum in praecipuis festis ad Missarum solemnia tam illi, quam successoribus indulsit. Vid. Bernardum Van-Espen, *Iuris Ecclesiastici universi* part. I, tit. 31, c. 6.

[2] Baron. et Pagi, ad an. 967.

haberet Pragae sedentem, ita tamen, ut ecclesiae Bohemiae non alio nisi latino ritu uterentur. Primus episcopus Pragensis fuit Ditmarus, monachus Saxo, vir doctus et eloquens, qui plures adhuc gentiles baptizavit, multasque ecclesias, in diversis locis a fidelibus extructas, consecravit. Ei in omnibus opem ferebat Boleslaus dux, princeps vere catholicus ac pius, clericorum defensor, pauperum pater, qui ecclesias plures atque monasterium pro Mada seu Maria sorore sua fundavit [1].

In Polonia — Poloni vero raro miroque ardore christianam fidem susceperunt. Iam ante haec tempora in istis locis, quae ad Moravos pertinuerant, seu in hodierna Silesia superiori, et probabiliter etiam in vicinis proprie dictae Poloniae regionibus, in quas, Hungaris Moraviam invadentibus, multi ex hac confugerant, coetus christiani existebant. Totius vero gentis conversioni initium dedit Dambrowka, Boleslai ducis Bohemiae filia, quae Miecislao duci Poloniae nupsit, eumque precibus suis adduxit, ut an. 965 christianam fidem et baptismum susciperet. Miecislaus subditos suos ad eamdem Religionem conversos cupiens, legatos misit Romam a Pontifice sacerdotes postulatum. Ioannes XIII in Poloniam legavit Ægidium, cardinalem episcopum Tusculanum, cum multis presbyteris, qui Polonos christiana doctrina instituerent. Anno 967 Miecislaus edictum tulit, ut in tota ditione sua, nonis martii, idola confringerentur et in aquas proiicerentur. Id tanta alacritate effectum est, ut pueri Poloni et Silesii longa annorum serie quotannis dominica *Laetare* huius rei memoriam celebrarint mergendo simulacra straminea in aquas. An. 992 Miecislao successit Boleslaus filius eius, qui patris sui pietatem imitatus, Religionis propagationi ac splendori praeclaram operam tulit. Ad firmandam autem augendamque in Polonia christianam religionem fundati sunt episcopatus Posnaniensis, Cracoviensis, Uratislaviensis, Colbergensis, et an. 1000 archiepiscopatus Gnesnensis, cui 3 posteriores episcopatus subordinati fuerunt, Posnaniensis vero Magdeburgensi [2].

99. *Ecclesiae status in Anglia* — In regno Angliae pio ac iusto Edredo anno 955 successit Eduinus, filius Edmundi, princeps petulantiae et libidini deditus. Eum a pravis viis reducere tentavit Dunstanus abbas, tum vitae sanctitate tum sapientissimis consiliis, quibus Eduini decessores in administranda republica adiuverat, celeberrimus. Verum Eduinus, a concubinis suis excitatus, sanctum abbatem exilio mulctavit. Attamen ante mortem suam, quae contigit an. 959, poenitentiam egit. Post eum usque ad an. 975 regnavit Edgarus, frater eius, qui de republica ecclesiastica ac civili bene meruit. Restituendae disciplinae praesertim continentiae clericorum et monasteriorum reformationi egregiam operam navarunt sancti praesules Dunstanus Cantuariensis, Oswaldus Wigorniensis deinde Eboracensis, et Ethelwoldus Wintoniensis. S. Dunstanus an. 960 ex episcopo Wigorniensi et Londinensi archiepiscopus Cantuarriensis et primas Angliae, a Ioanne Pp. XII pallio decoratus et Sedis Apostolicae legatus in Anglia constitutus, miro itidem cum ardore ac successu restituendae pietati, instaurandae disciplinae et corrigendis abusibus adlaboravit. An. 969 ex auctoritate Ioannis Pp. XIII generalem synodum pro cleri reformatione ex omni regno convocavit. Adfuit etiam Edgarus rex, qui in oratione ad episcopos habita, multum questus est de dissoluta et incontinenti clericorum vita, eosque hortatus est, ut eiusmodi clericos ex ecclesiis pellerent, et alios bonae vitae in eorum locum constituerent. Synodus decrevit, ut omnes canonici, presbyteri, diaconi et subdiaconi aut continenter viverent aut ecclesias suas dimitterent. Decreti huius executio demandata fuit s. Oswaldo Wigorniensi et s. Ethelwoldo Wintoniensi episcopis, qui, opem ferente Edgaro rege, incontinentes clericos ecclesiis pepulerunt et in eorum locum constituerunt pios monachos. In eadem synodo incestuosus comes, qui a s. Dunstano excommunicatus, per fraudem a curia Romana mandatum impetrarat, ut in communionem Ecclesiae reciperetur, constantia s. Dunstani, mandatum fraude impetratum reiicientis, victus est et poenitentiam egit. Idem praesul ipsum regem Edgarum, qui virgini stuprum intulerat, septenni poenitentiae subiecit, quam is humiliter explevit [1].

Praeter hanc plures aliae synodi, cooperante Edgaro rege, in Anglia celebratae sunt, in quibus multi canones conditi fuerunt, qui sunt monumenta luculentissima veteris ecclesiarum Angliae disciplinae, de missae sacrificio doctrinae, de ss. Euchari-

---

[1] *Chron. Magdeburg. et Bohem.* apud Pagi, *Critica*, ad an. 967; Mabillon, *Acta O. S. B.* saec. V, p. 833.
[2] Ditmarus, *Chron.* l. V; Chromer., *Hist. Polon.* l. III; I. Dugloss. *Hist. Polon.*

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 698.

stiae confectione et administratione infirmis, de Confessione sacramentali et necessitate satisfactionis, de extrema Unctione, de coelibatu clericorum, aliisque [1].

Idem s. Dunstanus incubuit in reformandam disciplinam monasticam et constituendam in cunctis utriusque sexus O. S. B. coenobiis uniformem vitae rationem. Hoc mentis consilio composuit *Concordiam Regularum*, in 12 capita distributam. Eius quoque consilio Edgarus rex plura monasteria aedificavit dotavitque [2].

Regi Edgaro, an. 975 defuncto, successit s. Eduardus, filius eius. Tunc incontinentes clerici, quos supra sub Edgaro ecclesiis eiectos vidimus, quorumdam procerum favore ecclesias recuperare et in iis sacra facere tentarunt. Coacta est de hac causa synodus Wintoniensis, in qua cum utrimque altercaretur, oratores incontinentium clericorum voce, ut fertur, imaginis Christi illic pendentis, perterriti fuerunt. Quum paulo post turbae augerentur, altera synodus coacta est in villa Calna, in qua cum vehementius disceptaretur, et s. Dunstanus, celebris disciplinae ecclesiasticae instaurator, conviciis impeteretur, solarium cum axibus et trabibus concidens, fautores incontinentiae oppressit; quo factum est, ut omnes in rectam sententiam consenserint [3].

Porro Eduardo regi invidebat Elfrida, eius noverca, quae Ethelredum filium suum in locum Eduardi subrogare meditabatur. Anno 978 contigit, ut Eduardus, quum e venatione lassus ad villam Elfridae divertisset, ibi eius fraude a satellite transfossus et sine honore sepultus est. Sed *adfuit divinae serenitatis assensus*, inquit Guilielmus Malmesburiensis, *ut innocenter caesus miraculorum gloria sublimaretur* [4]. Elfrida admissum crimen postea doluit et poenitentia expiavit. Ethelredus, qui post s. Eduardum annis 38 regnavit, mala plurima e Danorum incursionibus expertus est.

100. *Benedictus VI Pontifex* (*an.* 972) — Anno 972, defuncto Ioanne XIII, summum Ecclesiae regimen demandatum fuit Benedicto VI, Hildebrandi filio, Romano, uti e Sigeberto [5], Martino Polono [6], Ptolomaeo Lucensi [7] et antiquissimis RR. Pontificum catalogis constat. Male autem Panvinius, Baronius aliique Ioanni XIII subrogarunt Donum II. Post diem 28 novembr. Ioannes Pontifex consecratus est. Exstat Benedicti VI epistola ad Fridericum episcopum Salisburgensem, cui in ea vices apostolicae conceduntur pro tota Norica, et Pannonia, quaemadmodum eius antecessores ab aliis Pontificibus eas acceperant. Benedictus VI tristem habuit exitum; nam sceleratissima factio a Crescentio patricio et Francone cardinali diacono excitata, Pontificem in vincula coniectum, an. 974 iugulavit. Idem Franco pontificatum invasit, imposito sibi nomine Bonifacii VII. Sed exacto vix mense, metuens sibi a comitibus Tusculanis, expilata Vaticana basilica, aufugit Constantinopolim [1].

Donus II — Eodem adhuc anno 974 ad summum pontificatum evectus fuit Donus II, Romanus; qui, nulla re ad posteritatis memoriam insignis, anno insequenti vita excessit.

101. *Benedictus VII Pontifex* (*an.* 975) — In eius locum (ante diem 25 mens. mart.) subrogatus est Benedictus VII, Romanus, antea episcopus Sutrinus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 984. Is pontificatus sui initio Romae synodum coëgit, in qua pseudo-pontificem Bonifacium VII condemnavit et excommunicavit [2]; alteram synodum celebravit contra ordinationes simoniacas, in qua edita constitutione ad omnes praesules, principes et fideles totius orbis christiani, secundum Patrum regulas severe prohibuit, ne ullum pretium pro sacris Ordinibus, ab Ostiario usque ad Sacerdotium, acciperetur; mandavitque, ut si quis presbyter aut diaconus, ad episcopatum delectus, a suo archiepiscopo sive metropolita sacram ordinationem gratis accipere non posset, Romam veniret, ibique sine simoniae periculo consecraretur; concessit tamen admitti posse, si post acceptas ordinationis chartas aliquid sponte et solius gratiae causa offerretur [3].

Idem Pontifex Sergium, metropolitam Damascenum, a Saracenis eiectum, humanissime excepit, eique concessit Romae ecclesiam s. Alexii, in qua cum monachis sacra faceret; litteras accepit a Piligrino episcopo Laureacensi, qui Pontificem certiorem reddebat, Hungarorum gentem ad suscipiendam christianam fidem esse bene dispositam, huicque negotio valde profuturum, si pro iis episcopi constituerentur; addebat Piligrinus,

[1] Labbe, loc. cit. p. 682.
[2] Bolland., *Acta SS.* 19 maii.
[3] Labbe, loc. cit. p. 721 et 724; Baron., ad an. 979.
[4] Bolland., *Acta SS.* 17 mart.; Baronius et Pagi, ad an. 978.
[5] *Chronicon.*
[6] *Chronicon.* — [7] *Hist. eccles.*

[1] Baronius et Pagi, ad an. 974.
[2] Iidem, ad an. 975.
[3] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1243.

olim in Pannonia aliisque locis, quae Hungari occuparant, quum ea essent sub Romanorum imperio, septem exititisse episcopatus, Laureacensis antistitis suffraganeos, rogabatque Pontificem, ut Laureacensis ecclesiae privilegia restituere dignaretur. Benedictus VII ecclesiam Laureacensem ab obedientia Salisburgensis exemit, in metropolim erexit, eique in rebus sacris subiecit ecclesias Pannoniae inferioris et Moesiae; Salisburgensi vero archiepiscopo subditos voluit antistites Pannoniae superioris: de qua re epistolam dedit ad episcopos Germaniae, ad Ottonem imperatorem II, et ad Henricum ducem Bavariae [1]. Benedictus VII die functus est an. 984, VI° idus iulii, cum regnasset annos amplius novem.

102. *Otto II et III imperatores Occidentis* — Anno 973 imperator Otto M. Magdeburgi vita excessit. Tunc imperavit Otto II, eius filius, a Ioanne Pp. XIII, ut vidimus, solemni ritu Romae coronatus. Is Theophanonem, Romani II imperatoris Graecorum filiam uxorem duxerat; Henricum ducem Bavariae, qui cum Slavis et Danis rebellaverat, subegit et rebelles ad obsequium reduxit. An. 981 a Benedicto Pp. VII evocatus contra Cencium seu Crescentium patricium, qui Romae principatum usurpabat, illum in ordinem redegit; tunc bellum suscepit adversus Graecos in Apulia; sed magna clade affectus, Romam regressus est, ubi an. 983 obiit. Ei successit Otto III, filius eius, rex Germaniae atque Italiae coronatus a Willegiso Moguntino et Ioanne Ravennatensi archiepiscopis. Propter iuniorem Ottonis aetatem regni administratio Willegiso archiepiscopo Moguntino, regis vero institutio Theophanoni matri, Adelaidi aviae et Gerberto monacho doctissimo demandata fuit. An. 996 Otto III Romae a Gregorio Pp. V solemni ritu imperator inauguratus est, et unctus fuit; imperavit usque ad annum 1002. Praefati imperatores, si simultatem Ottonis I cum Ioanne XII, supra relatam, excipias, Ecclesiam pro officio suo defenderunt, episcopis ad instaurandam disciplinam et corrigendos cleri et populi mores opem tulerunt, operam quoque praestiterunt religionis christianae propagationi inter populos Slavos.

103. *Rerum status in Gallia* — In Gallia Ludovico regi IV, an. 954 defuncto, successit Lotharius, filius eius, qui regnavit usque ad an. 986. Quum autem is careret virtute necessaria ad conterendas interiores regni divisiones et vindicandam regiam auctoritatem a magnatum ambitione atque arbitrio, tum reipublicae cum religionis status sub eius principatu detrimenta subiit.

Postea regnum excepit Ludovicus V e Carolovingica dynastia rex ultimus, qui anno sequente mortuus est. An. 987 post mortem Ludovici V, proceres, ecclesiastici et laici, praetermisso Carolo duce Lotharingiae et Ludovici V patruo, regem elegerunt Hugonem Capetum, ducem Franciae et comitem Parisiensem, qui rebus fortiter gestis sui admirationem et spem magnam apud omnes exciverat. Ab eo tertia Francorum regum dynastia, Capetingorum dicta, incepit. Carolus dux Lotharingiae, iura sua armis vindicare tentavit; sed ab Hugone superatus et custodiae traditus, an. 991 obiit. Hugo autem usque ad an. 996 regnavit.

Hugo de republica bene meruit, auctoritatem regiam instauravit, ecclesiis et monasteriis, praeter ius eligendi suos abbates, redditus quoque a postremis Carolovingicae prosapiae regibus publicarum necessitatum specie usurpatos, restituit, et, quantum fieri poterat, a proceribus restitui curavit; sed graves turbas excitavit in causa Arnulphi archiepiscopi Rhemensis, quas explicabimus, de pontificatu Ioannis XV agentes.

104. *Viri illustres* — Post dimidium autem huius saeculi praeter alios vitae sanctitate claruerunt et Ssrum honores consecuti sunt hi qui sequuntur: inter episcopos, Udalricus Augustanus, Conradus et Gebhardus Constantiensis [1], Wolfangus Ratisbonensis — qui canonicorum, monachorum, monialium et populi christiani moribus et disciplinis instaurandis atque promovendo litterarum studio praeclaram operam navavit [2] —, Adalbertus Pragensis [3], Gerardus Tullensis [4], Dunstanus Cantuariensis [5], Ethelwoldus Wintoniensis [6], et Oswaldus Eboracensis [7]; Eduardus rex Angliae et martyr [8]; inter monachos, Maiolus abbas Cluniacensis, qui in multis coenobiis disciplinam restituit [9]; Ramuoldus abbas Ratisbonensis [10]; Abbo abbas Floriacensis [11]; Nilus fundator monasterii Cryptae Ferratae [12]; Hatto,

[1] Labbe, loc. cit., p. 716.

[1] Butler, *Vies des SS.* 26 nov.
[2] Mabillon, *Acta Ord. S. B.* saec. V, p. 812.
[3] Bolland., *Acta SS.* t. III, april. p. 174.
[4] Bolland., ibid. 23 april.
[5] Ibid. t. IV maii, p. 344. — [6] Ibid. 1 aug.
[7] Ibid. 29 febr.
[8] Ibid. 18 mart. — [9] Mabillon, loc. cit. t. VII.
[10] Bolland., *Op. cit.* t. III iun. p. 114.
[11] Ibid. 13 oct.
[12] Ibid. t. VII sept. p. 279.

Bruno, et Bernoldus monachi in Suevia; Nicon monachus Armenus, qui in Armenia, in insula Creta, in Peloponeso aliisque Graeciae partibus, evangelistae munere functus, innumeros ab errore ad catholicam veritatem convertit; demum Edita, Edgari regis Angliae filia, et Wulfilda abbatissae in Anglia [1].

Inter scriptores huius aetatis numerantur Gerbertus, patria Arvernus, monachus et magister scholae episcopalis Rhemensis, archiepiscopus primo Rhemensis, deinde Ravennatensis, postremo papa sub nomine Silvestri II, ut suis locis videbimus; qui ingenio acerrimus, artibus liberalibus, in primis litteris mathematicis aliisque valde eruditus, praeter alia scripsit epistolas varias, tractatus de geometria, de rhetorica et mathesi, item tractatum de corpore et sanguine Domini. Ælfricus, cognomento Grammaticus, ex abbate Malmesburiensi archiepiscopus Cantuariensis, reliquit grammaticam saxonicam, lexicon anglo-saxonicum, versionem saxonicam V. et N. Testamenti, homiliam de corpore et sanguine Domini. Œcumenius, scriptor graecus, qui e Patribus, praecipue e s. Ioanne Chrysostomo, collegit *Catenam* seu expositionem in *Acta* Apostolorum, in *Epistolas* D. Pauli et in Catholicas [2]. Luitprandus, e diacono Ticinensi episcopus Cremonensis, qui praeter legationem suam ad Nicephorum Phocam, imperatorem Graecorum, scripsit historiam rerum gestarum a temporibus Arnulphi regis et deinceps [3]; de eius auctoritate iam diximus [4]. Ratherius, e monacho Lobiensi episcopus Veronensis, vir peritus sed nonnunquam ferventior quam prudentior, praeter alia edidit epistolam synodicam ad presbyteros suos et volumen *Perpendiculorum* seu de contemptu canonum [5]. Atto episcopus Vercellensis, bonarum artium fautor insignis, qui reliquit *Capitulare*, *Commentarios*, *Epistolas* et *Sermones* [6]. Abbo abbas Floriacensis, qui praeter epistolas et opuscula aliquot, edidit collectionem canonum, epitomen de Vitis RR. Pontificum, et vitam s. Edmundi regis Angliae [7]. Aimon monachus Floriacensis, qui scripsit historiam Francorum, carmen de fundatione coenobii Floriacensis et vitam s. Abbonis [1]. Witikindus monachus Corbeiensis in Saxonia, qui praeter alia dedit annales Henrici Aucupis et Ottonis M. [2]. Burchardus, e monacho Lobiensi episcopus Wormatiensis, qui reliquit volumen magnum canonum, in quo tum Conciliorum decreta et Patrum sententias, tum RR. Pontificum Decretales et principum Constitutiones collegit [3].

105. *Ioannes XIV Pontifex* (*an.* 984) — Post obitum Benedicti Pp. VII anno 984 in Petri cathedram translatus fuit Petrus episcopus Ticinensis, qui ex reverentia in principem Apostolorum, mutato suo nomine, assumpsit nomen Ioannis XIV [4]. Verum antipapa Bonifacius VII, seu Franco cardinalis, Constantinopoli Romam redux, seditionem excitavit et Ioannem XIV arci Hadrianae seu castro s. Angeli inclusit, in quo Pontifex post menses circiter octo a sua electione aut fame aut veneno extinctus est. Franco vero, iam duorum Pontificum nece infamis, iterum Apostolicam Sedem invasit, sed paulo post repentina morte sublatus fuit [5].

106. *Ioannes XV Pontifex* (*an.* 985) — Post mortem Ioannis XIV (935) regimen Ecclesiae demandatum fuit, mense decembri, Ioanni XV, Romano. Inter utrumque collocant nonnulli alium Ioannem, filium Roberti, post menses 4 mortuum, qui, quia nondum consecratus obiisset, ut censet Papebrochius [6], vel quia non fuit legitime electus, ut putat Pagi [7], in RR. Pontificum serie praetermittitur.

Ioannem XV vix inauguratum vexare coepit Crescentius Nomentanus, qui titulo Consulatus castrum s. Angeli occupaverat atque in urbe tyrannidem arriperat [8]. Pontifex confugit in Hetruriam, missisque in Germaniam legatis auxilium Ottonis III imploravit. Quod ubi audiverunt Romani, potentiam Ottonis veriti, Pontificem in urbem

[1] Bolland. *Acta SS.*; Butler, *Vies des SS.* — *Vita* S. Niconis extat apud Martene, *Collect. ampl. Script.* t. VI, p, 838.

[2] Prodierunt graece et latine Paris. 1631, 2 vol. in-fol.

[3] Antverp. 1640, in fol.; Migne, *Patr. lat.* t. CXXXVI.

[4] Pag. 247 et 249.

[5] Veron. 1765, in fol.; Migne, loc. cit.

[6] Vercell. 1768, 2 vol. in-fol; Migne, *ibid.* t. CXXXIV.

[7] Mabillon, *Acta Ord. S. B.* t. VIII; Migne, *ibid.* t. CXXXIX.

[1] Duchesne, *Hist. Franc.* t. III.

[2] Meibom., *Scriptor. rer. German.* t. I.

[3] Colon. 1548, Paris. 1549; Migne, loc. cit. t. CXL.

[4] Reverentia erga Apost. Principem causa fuit mutandi nominis Rom. Pont., minime vero ea quae Octaviano et Franconi (p. 257 et 262) paulo ante praegressis. Cf Papebrochium in *Conatu Chronico-Historico* ad *Ioan. XIV*, p. 274, n. 3.

[5] Baronius et Pagi, ad an. 984-985.

[6] *Conat. Chronol. Hist.* — [7] *Critica* ad an. 986.

[8] « Novus tyrannus, inquit Baronius ad an. 985, § 1, exurgit in Urbe, quae hactenus fuerat Albericorum violentia conculcata atque depressa. Fuit hic Crescentius Nomentanus, qui titulo Consulatus munitionem s. Angeli possidere aggressus est: quam adeptus, inde infestare nonnihil coepit ipsum Ioannem Pontificem ».

revocarunt et honorifice exceperunt [1]. Ioannes XV tranquillitatem adeptus, ecclesiarum regimini se dedit: ast cum Hugone Capeto, rege Galliae, simultatem habuit in causa ecclesiae Rhemensis, qui, quod civitatem Rhemensem Carolo duci Lotharingiae prodidisse diceretur, a rege ad synodale iudicium vocatus, respondit, se solius Papae iudicio obnoxium esse. Quapropter causa Romam missa fuit. Verum rex morae impatiens, an. 991 synodum episcoporum 13 Rhemis coëgit, in qua ab Arnulpho confessionis et abdicationis libellus fuit extortus et depositionis sententia in eum lata. Posthac in locum eius ordinatus fuit Gerbertus monachus, primum Ottonis III, deinde Roberti filii Hugonis praeceptor, Arnulphus vero custodiae traditus. Quum in hac causa canonum praescripta manifeste fuissent spreta, Ioannes Pp. XV omnes episcopos, qui Arnulphum deposuerant, et Gerbertum ordinaverant, sacris interdixit. Rex eos defendere conatus est in epistola ad Pontificem data. Gerbertus episcopos excitavit, ut interdictum spernerent, neque legatum, si quem Pontifex mitteret, susciperent; praeterea ad defendendam causam suam multa petulanter et Apostolicae Sedi iniuriosa scripsit. Ioannes XV in Gallias legavit Leonem abbatem, qui an. 995 in synodo Mosomensi Gerbertum a sacris suspendit usque ad synodum Rhemensem, calendis iulii habendam. In hac synodo Gerbertus fuit depositus, Arnulphus restitutus et interdictum solutum. Verumtamen Arnulphus non nisi post mortem Hugonis regis sedem Rhemensem recepit. Gerbertus autem consiliis Leonis legati ad saniorem mentem reversus est, relictisque Rhemis transiit ad Ottonem III, poenitentiam egit, et quae male scripserat, emendavit. Postea a Gregorio Pp. V creatus fuit archiepiscopus Ravennatensis, et post eius mortem summum pontificatum accepit, ut infra videbimus [2].

An. 993 Ioannes synodum Romae habuit, in qua Luitolphus, episcopus Augustanus, libellum legit de vita et miraculis ven. Udalrici, quondam ecclesiae Agustanae antistitis, et Pontifex, vitae sanctimonia et miraculis Udalrici perspectis, eum in Ssrum numero habendum esse decrevit [3]. Anno sequenti alteram synodum Romae coëgit in causa s. Adalberti, episcopi Pragensis. Hic an. 983 Ditmaro in ecclesia Pragensi successerat, sed cum cleri et populi moribus

[1] Baronius et Pagi, ad an. 985.
[2] Aimo, *Vita s. Abbonis*; Labbe, *Concil.* t. IX, p. 738 *sq.*
[3] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 741; Baron., od an. 993.

corrigendis diligenter adlaboraret, eorum animos sibi contrarios expertus est; quapropter Romam profectus, e Pontificis consensu episcopatum dimisit et monasticum institutum professus est [1]. Post 5 annos Pragenses, emendationem polliciti, episcopum suum repetiverunt, eaque de causa duos legatos ad Apostolicam Sedem miserunt. Ioannes XV in Romana synodo re diligenter discussa, s. Adalbertum Pragam remisit ea lege, ut si Pragenses vitam suam non corrigerent, eos secure desereret. Paruit Adalbertus, sed cum populus in delictis suis pergeret, an. 995 rursus Bohemiam reliquit et Romam regressus est. — De hoc Pontifice etiam dicitur civitatem Ferrariam concessisse Thedaldo proavo Comitissae Mathildis, quicum multa erat dilectione coniunctus [2]. E vita migravit an. 996 cum annum Pontificatus undecimum attigisset. *Hic fuit in armis eruditissimus*, scribit Martinus Polonus, *et multos libros composuit* [3].

106. *Sanctorum canonizatio* — Observant periti, decretum canonizationis s. Udalrici, in supra dicta Romana synodo a Papa Ioanne XV editum, esse primum indubitatae fidei monumentum de sollemni per Romanum Pontificem Canonizatione [4]. Novatores qui Ssrum cultum impugnaverunt, etiam ritum canonizandi Servos Dei oppugnarunt. Dallaeus [5], Walchius [6], Mosheim [7] illum traduxerunt veluti recens Catholicorum commentum antiquis Christianis ignotum. Hospinianus [8], Fabricius [9], Middleton [10], contenderunt, istum ritum esse superstitiosum et ex ethnicorum apotheosi ortum. Eorum assertiones et dicteria inter alios doctissime confutavit Card. Lambertinius, postea Benedictus Pp. XIV, in eximio suo opere *De servorum Dei beatificatione et canonizatione.* Reipsa ritus canonizandi Sanctos non in ethnicorum apotheosi, sed in doctrina ca-

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 732; Pagi, *Critica* ad an. 989 et 994; Bolland., *Acta SS.* t. III april. p. 174.
[2] Auctor Anonymus in *Vita Comitissae Mathildis*, c. 4, apud Leibnitium (t. I *Script. Rer. Brunsvicensium*, p. 692) et apud Muratorium (t. 5 *Rer. Italic.* p. 391).
[3] *In Chron.* p. 344.
[4] Pagi ad an. 993, § 2; Marcus Velserus, p. 587; Bolland. die 4 iulii; Fontaninus, in *Codice Canonizationum*, p. 1.
[5] L. III, c. 21.
[6] *Historia canonizat. Caroli M.* p. 16.
[7] *Institut. hist. eccl.* saec. IX, part. II, c. 3 n. 4.
[8] *De origine, progres, caeremon., et ritibus festorum*, c. 6.
[9] *Bibliographia antiquaria*, c. 8.
[10] *Conformités des cérémonies modernes avec les anciennes*, c. 7; et in Praefat. ad Librum *Lettre écrite de Rome.*

tholica de Ssrum cultu, invocatione et intercessione fundatur, neque est novum Catholicorum commentum, sed oritur ex antiquissima Ecclesiae disciplina colendi et invocandi Sanctos, qui, non privatorum sed Ecclesiae iudicio fuerint probati.

A primis quippe Ecclesiae saeculis Christiani martyres eorumque reliquias cultu publico honorarunt, uti vetustissima monumenta testantur. Postea pari veneratione coluerunt eos, qui post heroicarum virtutum exercitium in pace obierant, miraculisque claruerant. Ne vero hic honor seu cultus tribueretur iis, qui eum non meruissent, necesse erat, ut praecederet Ecclesiae iudicium. Hinc nemo a Christianis in Sanctorum numero colebatur, priusquam eius sanctitas ecclesiastico iudicio esset probata. Ideo Mensurius, episcopus Carthaginensis, prohibuit Christianis, ne ut martyres colerent eos, qui sponte coram ethnicis professi, se Scripturas habere, nolle tamen tradere, fuerant occisi [1]. Ideo Caecilianus, archidiaconus Mensurii, Ludmillam reprehendit; quod ante communionem oscularetur ossa cuiusdam vel non martyris vel non ut talis probati [2]. Ideo s. Anselmus [3] aliique episcopi aliquando sustulerunt cultum, errore populi nonnullis tamquam beatis tributum [4].

Omni igitur tempore extitit certus canonizandi ritus, qui antiquitus simplicior, postea pluribus solemnitatibus auctus est. In primis Ssrum vita, virtutes, miracula inquirebantur et discutiebantur, et audiebatur iudicium ecclesiasticum, quo illis publicus cultus, cuius initium in elevatione eorum corporum consistebat, decernebatur. Hunc cultum publicum episcopi decernebant in suis dioecesibus, eratque species canonizationis particularis seu potius beatificationis; quae, dum aliorum episcoporum approbatio Romanique Pontificis expressus vel tacitus consensus accedebat, fiebat universalis et rationem canonizationis accipiebat. RR. quippe Pontifices tum ante tum post Ioannem XV in decernendo martyribus, et confessoribus cultu summum habuere ius. Postea Alexander III aliique deinceps Pontifices gravibus iustisque de causis ius beatificandi et canonizandi servos Dei Apostolicae Sedi reservarunt. Notum autem est, quanta severitate Ecclesia iudicium instituat de praeclaris seu heroicis virtutibus et miraculis eorum, de quorum canonizatione quaeritur, et nemini Ssrum honores decernat, de cuius sanctitate post diligentissimam inquisitionem non constet [1].

107. *Ecclesiae status in Hispania* — In Hispania post Ramirum II ab. an. 950 usque ad 955 regnavit Ordinius III, filius eius. Huic successit Sanctius I, frater eius. Verum inter christianos Hispaniae principes, qui antea collatis viribus pro patriae et Religionis libertate et defensione contra Mauros certaverant, iam enasci coeperunt dissensiones. Ferdinandus, comes Castellae, Sanctium regem deturbavit et in eius locum constituit Ordonium, Alphonsi IV filium, qui Urracam, Ferdinandi sororem, duxerat uxorem. Sanctius confugit ad Abderam, califam Cordubensem, eiusque ope regnum recuperavit. An. 967 Sanctio I successit Ramirus III, filius eius quinquennis, Theresia matre et Elvira amita eius, magnae prudentiae feminis, regnum administrantibus. In Navarra vero ab an. 925 usque ad 970 reguavit Garsias I, quem an. 970 excepit Sanctius II.—At comites Castellae, Gallaeciae et Legionis a Ramiro rege III defecerunt, et Veremundum II, Ordonii III filium, regem crearunt, unde bellum civile enatum est. Bello civili, anno 982 morte Ramiri extincto, accessit bellum Mauricum. Al Manzor, Maurorum princeps, christianorum principum dissensionibus usus in eorum regiones irrupit, Legionem aliasque munitissimas urbes cepit et vastavit, Christianos multos caedit, alios in montes Asturiae et Gallaeciae fugavit; posthaec exercitum duxit in Navarram, Sanctinm regem superavit et in fugam egit; deinde invasit Gallaeciam, eiusque urbes Conimbriam, Compostellam et alias devastavit; occupavit etiam Castellam. Demum Veremundus rex, Garsias comes Castellae et Sanctius rex Navarrae, inito foedere et coniunctis viribus, Mauros aggressi sunt, et post acre certamen eos anno 998 vicerunt. Verumtamen his bellis mala ingentia ecclesiis illata sunt, et christiani principes non nisi post plures annos pluraque certamina res suas restituerunt.

108. *Gregorius V Pontifex* (*an.* 996)— Postquam Ioannes Pp. XV e vita migravit, proceres Romani, quum eo tempore Otto III in Italiam advenisset, sententiam eius de e-

[1] S. Augustin., *Brevicul.* collat. III, c. 13, n. 25.
[2] D. Optat. Milevitan., *Contra Parmen.* l. 1, c. 16.
[3] *Epist.* 51, l. 3.
[4] C. Lupus, *Annot. ad IV Concil. Roman.*, s. *Leonis IX.*

[1] Cf Benedict. XIV, *De servorum Dei beatificatione et canonizatione*; Mabillon, *Praef. saec. V Bened.* n. 99; Papebroch. *De solemnium canonizationum initiis atque progressibus*, Diss. XX in *Conatu chron. hist.*

ligendo Pontifice exquisierunt: et pontifex electus est Gregorius V, antea appellatus *Bruno*. Germanus, regia Ottonis affinitate clarus, eiusque capellanus, litteris eruditus et ab adolescentia clero adscriptus [1]. Is quo die, subdit Sandini, Pontificem creatus fuerit, non comperio. Ante diem tamen postremum maii iniisse honorem summum, pro certo affirmaverim. Ea enim die, quae solemnis erat Pentecostes Ottonem III, cuius favore auctus fuerat dignitate tanta, imperatorem coronavit, et *Advocatum Ecclesiae s. Petri effecit* [2]. In synodo coram eo Romae habita, collegium Septemvirum Imperatori creando, salva R. Pontificis confirmatione, instituit; sed huic de institutione septem electorum sententiae alii contradicunt [3].

Imperator, habito cum Romanis placito, Crescentium patricium, qui Ioannem XV multis iniuriis affecerat, exilio multare constituit, sed propter preces Gregorii V eidem pepercit. At cum Otto III in Germaniam esset regressus, Crescentius, qui ex arce Hadriana urbi tyrannice imperabat, Gregorium Pp. V eiecit, et in eius locum intrusit Ioannem episcopum Placentinum. Gregorius se contulit Ticinum, ibique coacta anno 997 synodo Crescentium anathemate perculit. Otto III, audita Pontificis eiectione, in Italiam rediit, Gregorium V Ticino Romam reduxit, et Crescentium, expugnata arce Hadriana, capite mulctavit. Ioannes vero antipapa, qui ex urbe fugerat, a militibus interceptus, auribus naribusque praecisis et oculis erutis, custodiae traditus fuit [4].

Gregorius V in sedem suam restitutus, an. 998 Romae 27 episcoporum synodum celebravit. In eo potissimum actum est de matrimonio Roberti regis Galliae, qui an. 996 patri suo Hugoni Capeto successerat, et Bertam Odonis comitis Aquitaniae viduam, quamvis suam consanguineam, uxorem duxerat. Pontifex coniugium Roberti cum Berta declaravit nullum, hanc et illum poenitentiae 7 annorum subdidit, eisque anathema comminatus est, nisi se ab invicem separarent; episcopos vero, qui incestis nuptiis interfuerant, a communione suspendit, donec ad Apostolicam Sedem venirent satisfacturi; mandavit etiam Roberto regi, ut Arnulphum, sub Hugone patre eius archiepiscopatu Rhemensi privatum [1], restitueret. Robertus, caeterum valde pius, Pontificis monitis paruit, Arnulphum restituit, et dimissa Berta uxorem duxit Constantiam, filiam Willelmi comitis Tolosani [2].

In eadem synodo Stephanus episcopus Vallavensis depositus fuit, quod a Widone decessore suo, adhuc vivente, sine cleri et populi voluntate fuisset electus et a duobus tantum episcopis alterius provinciae ordinatus; hi duo episcopi a communione suspensi sunt, donec Sedi Apostolicae fecissent satis, et ad clerum populumque Vallavensem rescriptum, ut novum episcopum eligerent, qui a R. Pontifice consecraretur. Praeterea sedes Merseburgensis, quam Otto II consiliis Gisilarii, qui ab ecclesia Merseburgensi transierat ad metropolim Magdeburgensem, suppresserat, restituta fuit, et de Gisilario statutum, ut in sede Magdeburgensi permaneret, si cleri populique electione ad eam fuisset translatus; si sine eorum suffragiis, non tamen ambitionis causa, ad Merseburgensem sedem rediret; si vero ambitionis et avaritiae causa, utraque sede foret privatus [3]. Gregorius V vitam amisit an. 999, XII° cal. mart. annis duobus, et mensibus amplius octo, quam Pontifex creatus erat.

109. *Russorum conversio* — Posterioribus huius saeculi annis ab idolorum cultu ad religionem christianam perducta fuit Russorum seu Ruthenorum natio. Iam saeculo praecedente multi a missionariis, quos s. Ignatius patriarcha Cp. in Russiam direxerat, ad christianam fidem et baptismum fuerant perducti [4]. Anno 955 Olga, quae defuncto marito suo Igore, loco impuberis filii sui Suetoslai, Russorum res moderabatur, Constantinopoli baptismum et nomen Helenae suscepit; sed frustra ad baptismum hortata est filium suum regni successorem, et nihil aliud ab eo accepit, quam ut neminem subditorum suorum ab amplectenda christiana religione arceret. Eodem tempore s. Adalbertus sacram missionem ad Russorum gentem obivit; sed ex eorum finibus discedere coactus est. Tandem Wolodimirus, ab an. 980 summus Russorum princeps, expugnata Chersone in Tauria, cum Basilio II imperatore Graecorum pacem iniit; Annam sororem eius in coniugem et occupatum territorium in dotem accepit ea lege,

---

1 Baronius et Pagi, ad an. 996.
2 Ditmarus, lib. IV, inter *Scriptor. Brunsvicens.* I. I.
3 Cf Sandini, *Vitae RR. Pontif.* annot. 3 ad *Gregor. V*; ubi varias sententias de origine septem electorum imperii recitat; concluditque, tum post tum ante institutum electorum collegium, summum ius confirmandi electionem fuisse apud R. Pontificem.
4 Baronius et Pagi, ad an. 996-98.

1 Vid. p. 265.
2 Labbe, *Concil.* t. IX, p. 772; Pagi, ad an. 998.
3 Labbe, loc. cit.
4 Vid. p. 241.

ut fidem christianam amplecteretur. Wolodimirus promissis stetit, et an. 988 baptizatus est, cuncta idola in regno suo destrui iussit, suosque subditos ad suscipienda christiana sacra adducere conatus est. Episcopi et sacerdotes, qui cum Anna in Russiam profecti sunt, eam peragrantes populum instruxerunt et baptizaverunt; qui cum essent Graeci, ubique ritus ecclesiae suae introduxerunt. Tunc Religio christiana per omnem Russiam propagata fuit, ecclesiae multae exstructae, episcopatus instituti, inter quos Kioviensis metropolitica dignitate insignitus fuit [1].

110. *Hungarorum conversio* — Eodem tempore religionem christianam susceperunt Hungari. Hi saeculo praecedente occuparant Pannoniam et terras vicinas in quibus christiana sacra pene deleverunt. Vidimus etiam quantas clades intulerint provinciis Germaniae. Circa dimidium huius saeculi Evangelium inter eos annuntiatum est, et haud pauci baptismum susceperunt [2]. Ab Ottone M. ingenti clade affecti, pacem postularunt, quae an. 972 aut sequenti inter Brunonem episcopum Verdensem, Ottonis legatum, et Geisam ducem Hungariae composita est, cuius inter alios fructus fuit, ut Geisa dux baptismum susceperit et religio christiana in Hungaria libere annuntiari potuerit. Tunc Piligrinus, episcopus Laureacensis, monachos et presbyteros in Hungariam misit, qui brevi tempore quinque circiter Hungarorum millia ad Fidem converterunt, uti idem episcopus scripsit in supra laudata epistola ad Benedictum Pp. VII [3]. Confestim plures Evangelii praecones e Germania et Italia in Hungariam profecti sunt, quorum opera credentium et ecclesiarum numerus auctus est. Anno 997 Geisae in ducato successit Stephanus, filius eius, sub quo tota gens ad christiana sacra conversa fuit. Is summo ardore propagandae Fidei in Hungaria et etiam in Transylvania, quam an. 1003 ducatui suo adiecit, adlaboravit; Evangelii praecones undique advocavit; plures episcopatus, quorum metropolis esset Strigonium, erexit et amplis redditibus dotavit; ecclesias et monasteria pro utroque sexu extruxit; de quibus omnibus ad R. Pontificem retulit. Silvester II, qui tum Apostolicam Sedem conscenderat, cuncta quae Stephanus pro Religionis propagatione et splendore constituerat, confirmavit; ei regis titulum, honorem et coronam a se benedictam, atque ius prae se ferendi crucem tanquam apostolatus insigne concessit [1]. Regnavit Stephanus usque ad an. 1038, vitae sanctitate insignis; postea a Benedicto Pp. IX in Ssrum numerum relatus est.

111. *Religionis status in Dania*—In Dania regnante Haraldo religionis christianae professionem plurimum auctam ac firmatam fuisse supra diximus [2]. Verum Sueno, Haraldi filius, qui simul cum patre suo baptismum susceperat, sed deinde christianam fidem abiecerat, regnandi praeter modum cupidus, cum iis Danis, qui ethnicos ritus adhuc sectabantur, rebellionem excitavit, et patre suo caeso in bello, an. 985 regnum capessivit. Tunc christiana religio in Dania in summum discrimen devenit. Sueno enim, quemadmodum ethnicis promiserat, deorum cultum restituit et Christianos persecutus est; at brevi post implicitus bello cum Erico rege Suecorum, victus et e regno pulsus, 14 annis exulavit in Scotia: anno 994 post mortem Erici in Daniam regressus, iterum ab Olavo, Erici filio et successore, eiectus fuit. Has calamitates sibi propter desertam religionem christianam divinitus immissas reputans, ad illam se ex animo convertit, et deinceps eidem constanter inhaesit; cum Olavo rege Suecorum foedus iniit, regnum Daniae recuperavit, et a vexandis Christianis abstinuit [3].

112. *Silvester II Pontifex* (*an.* 999) — Anno 999 in locum Gregorii Pp. V defuncti, Ottone III favente, postridie calend. aprilis subrogatus fuit Silvester II, antea appellatus Gerbertus, primo monachus et Ottonis III atque Roberti regis Galliae praeceptor, deinde Rhemensis et postea Ravennatensis archiepiscopus [4]. Eum praestigiis deditum de artibus magicis pontificatum fuisse consecutum, calumniatus est schismaticus Benno,

---

[1] *Chronicon Mildensheim* ad an. 959; Pagi, *Crit.* ad an. 941, 959 et 987; Bolland., *Dissertatio de conversione Russor. in Actis SS.* t. II sept.; I. Viccardelli, *Dissert. de origine christ. relig. in Russia.*

[2] Vid. p. 255.

[3] Vid. p. 262-263.

[1] Bolland. *Acta SS.* 2 sept.—I. Schwart in opusculo, *Initia Religionis christianae inter Hungaros ecclesiae orientali asserta*, falso contendit, Hungaros Religionem christianam a Graecis, et Stephanum titulum et coronam regiam ab imperatore Graecorum accepisse. Eius commenta confutarunt I. Stiltingius, Bollandista, in commentario erudito ad vitam s. Stephani, et A. F. Kollar, *Historia diplomatica apostolicorum Hungariae regum*, l. I, c. 2.

[2] Vid. p. 256.

[3] Adam. Bremens. *Hist. eccl.*; Saxo Grammatic., *Histor. Danor.*; Pontoppidan., *Annales Eccl. Danicae diplomat.*

[4] Vid. p. 265.

pseudo-cardinalis tempore Gregorii Pp. VII. De Bennone bene indicavit Baronius inquiens[1], *cum historici huius plura sint mendacia, quam verba, quod affirmari possit, nihil penitus est.* Eamdem calumniam, cui forsan occasionem praebuit singularis huius Pontificis in matheseos et philosophiae arcanis peritia, postea nonnulli litteris mandarunt. Praeterea eiusmodi accusatio destruitur tum elogio, quod Sergius Pp. IV in basilica Lateranensi ad tumulum Silvestri II posuit, tum egregiis laudibus, quibus Ditmarus episcopus Merseburgensis[2], Hilgaldus monachus Floriacensis[3], aliique scriptores aequales hunc Pontificem celebrarunt. Commentitia pariter et falsitatum plena est constitutio, in qua Silvester II legitur Pontifex creatus ab Ottone augusto[4].

Silvester II Stephanum ducem Hungariae, propter praeclara merita de fidei christianae propagatione regis honore et nomine auxit, ut diximus, eique et successoribus ius prae se ferendae crucis tribuit[5]; in Polonia civitatem Gnesnensem archiepiscopali sede donavit, cui 3 sedes episcopales, Cracoviensis, Uratislaviensis et Colbergensis, subditae sunt: vita excessit v° idus maii an. 1003. Inter alia ingenii sui monumenta reliquit librum de geometria, librum de numeris, sermonem de informatione episcoporum, pluresque epistolas, quas antequam esset pontifex, scripsit[6].

113. *Ioannes XVII et XVIII Pontifices* (*an.* 1003) — Silvestro II in summo Pontificatu III° idus iunias suffectus est Ioannes XVII, Romanus, *Sicco* cognomine; qui quamvis inter legitimos huius nominis Pontifices esset XVI, cum Ioannes dictus XVI in locum Gregorii V intrusus, fuerit antipapa, se tamen Ioannem XVII nuncupavit, idque tum hic tum alii Pontifices in simili casu optima ratione fecerunt, ne epistolae et bullae, sub pseudo-Pontificum nomine sparsae, cum actis legitimorum Pontificum confunderentur[1]. Ioannes XVII post menses fere 6 VII° idus decembr. 1003 e vita migravit.

Post 19 dies in eius locum positus fuit Ioannes XVIII, Romanus, cognomento *Fasanus*, qui annis 5 et totidem mensibus pontificatum gessit. Is legatum misit in Germaniam ad consecrandum novum archiepiscopum Magdeburgensem, qui Romam venire non poterat, ut secundum Ecclesiae suae privilegium a Pontifice ipso consecraretur[2]; s. Henrico regi Germaniae potestatem fecit eligendi episcopalem sedem Bambergae. — Huius tempore reconciliata fuit concordia inter Ecclesiam Romanam et Constantinopolitanam, nomenque ipsius Ioannis a Sergio Patriarcha relatum in *Diptycha*. Mortuus est an. 1009 prope exitum mensis maii.

114. *Ecclesiae status in Germania et Anglia* — S. Henricus, antea dux Bavariae, anno 1002 defuncto Ottone III, ad regnum Germaniae electus, et a Willigiso archiepiscopo Moguntino coronatus fuit; an. 1004 fugato Arduino, qui regnum Italiae arripuerat, Ticini coronatus est rex Longobardiae, et post annos 10 Romae a Benedicto Pp. VIII solemni ritu imperator inauguratus est; obiit an. 1024. Religionis atque reipublicae paci, prosperitati ac splendori adlaboravit; tantae fuit castimoniae, ut cum sancta Cunegunde coniuge continentiam coluerit, tantaeque pietatis, ut Ssrum honores meruerit[3].

Quum disciplina ecclesiastica in clero ac in populo esset corrigenda, Henricus rex anno 1005 episcopos Germaniae convocavit Tremoniam in Westphalia; multumque coram eis questus de abusibus et vitiis, quae invaluerant, eosdem instanter hortatus est ad illa auferenda ed ad veram pietatem restituendam. Episcopi plura constituerunt, quibus leges ecclesiasticae in pristinum statum revocarentur atque abusus pravique mores corrigerentur[4]. An. 1007 rex alteram synodum coëgit Francofordiae, in qua ex consensu et secundum diploma Ioannis Pp. XVIII sedes episcopalis erecta est Bambergae, sub speciali protectione Sedis Apostolicae subdita metropolitae Moguntino[5]; alias

---

1 Ad an. 1048, n. 1.
2 *Chron.* l. VI. — 3 *Vita Roberti regis.*
4 Pagi, *Critica* ad an. 999.
5 Vid p. 268. — Baronius, ad an. 1003, § 6, recitat huius Pontificis epistolam nomine Ecclesiae Hierosolymorum scriptam ad universam catholici orbis Ecclesiam causa petendi subsidii, ex eaque concludit, eumdem Pontificem *primum inveniri, qui sacrae militiae classicum occinuerit commodiori tempore promovendae.* — Heic iuvat etiam subnectere quod Mabillonius, ex *Ordine Benedictino* (Praef. *in prior. part. saec. VI* § 2), observat, nimirum *Undecimo saeculo tot summos Pontifices tulit Benedictinus Ordo, ut tum Romana Sedes quasi haereditaria successione ad nostros transisse videretur. Testes eius rei adsunt Silvester II, Leo IX, Victor II, Stephanus IX, Gregorius VII, Victor III, et Urbanus II, quorum postremi sex a medio saeculo undecimo XI ad finem usque parum interrupta serie Sedem illam tenuerunt.* Legesis not. 2, p. 160, voluminis huius.
6 Apud Duchesne, *Scriptor. Franc.* t. II. Vid. quoque p. 264.

1 Papebroch. *Conatus chron. hist*; Pagi, *Crit.* ad an. 998.
2 Ditmar., *Chron.* l. V.
3 Bolland., *Acta SS.* 15 iul.
4 Labbe, *Concil.* t. IX, p. 783. — 5 Ibid.

deinceps ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam, in Germania syhodos celebrandas curavit. Supersunt adhuc 20 canones synodi Salegunstadiensis, quam an. 1022 Aribo archiepiscopus Moguntinas habuit cum 5 episcopis suffraganeis. In istis canonibus, praeter alia, quatuor temporum et aliorum dierum ieiunia ordinantur; nuptiarum celebratio prohibetur ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae et a Septuagesima usque ad octavam Paschatis; vetatur, ne patroni laici ecclesias presbyteris commendent inconsulto episcopo; obviam itur fraudibus impoenitentium, qui ut statutas poenitentiae leges declinarent, Romam ibant ad impetrandam per obreptionem a Papa indulgentiam [1].

In *Anglia* sub ignavo Ethelredo, qui ab anno 978 regnum tenuit, Dani piraticis suis incursionibus mala grandia reipublicae intulerunt. Cum vero an. 1002 rex ferali consilio omnes Danos, in regno degentes, viros, mulieres et infantes, una eademque die D. Britio sacra necari iussisset, Sueno, Danorum rex, validissimam classem in Angliam traiecit, provincias et urbes diripuit usque ad an. 1007, quo Ethelredus ingenti pecuniae vi ab eo pacem redemit. Ad reparanda sane mala, ecclesiasticae atque civili rei per Danorum incursiones illata, rex e consilio s. Elphegi archiepiscopi Cantuariensis et Wulstani Eboracensis an. 1009 generalem procerum ecclesiasticorum et laicorum synodum indixit Aenhami. Sanciti in ea fuerunt 32 canones, in quibus multa constituuntur pro reformatione morum in clero, in monasteriis et in populo; clericis maxime inculcatur continentia; populus excitatur ad sinceram pietatem et poenitentiam; incestuosa coniugia proscribuntur; incantatores, magi, venefici, meretrices e regno pelli iubentur [2]. Anno 1013, Sueno, Danorum rex, rursus in Angliam irrupit, eamque pene totam subegit; sed anno sequente repentina morte sublatus est. Tunc bellum continuatum est inter Ethelredum eiusque filium Edmundum et Canutum Suenonis filium atque successorem. Anno 1016 Ethelredo et Edmundo defunctis, Canutus totius Angliae rex appellatus fuit. Hic christianam religionem sincero animo professus est suoque exemplo caeteros Danos in Anglia ad id ipsum praestandum adduxit; publicum rerum statum, suis patrisque sui expeditionibus perturbatum, composuit; Anglis aeque ac Danis in concilio suo et publicis muneribus ius concessit; ecclesias et monasteria bello vastata, instauravit, legesque rei ecclesiasticae ac civili utiles tulit. Anno 1018 factus etiam rex Daniae, Canutus non tantum piraticis Danorum excursionibus fidem constituit, sed et omnem ethnicismum in Dania abolevit et christianam religionem in ea stabilivit. Anno 1027 voti causa Romam peregrinatus, ibi multu pietatis, et liberalitatis suae specimina dedit; regnavit usque ad an. 1035, propter res praeclare gestas Magni cognomentum adeptus [1].

Elphegus, archiepiscopus Cantuariensis, vir fuit et vitae sanctitate et ardore vere apostolico clarus; clerum et populum ad meliorem vitam revocare non destitit; multos a Danis captivos redemit; Danis Evangelium praedicavit, pluresque convertit; martyrium perpessus est an. 1012 [2].

115. *Robertus rex Galliae, Alphonsus V rex Hispaniae*—In Gallia ab an. 997 usque ad 1031 regnavit Robertus, filius Hugonis Capeti. Princeps fuit magna pietate in Deum et liberalitate in pauperes; multas aedes sacras et monasteria extruxit. De eius cum Berta coniugio supra diximus [3].

In Hispania an. 999 Veremundo regi successit Alphonsus V, eius filius, qui usque ad annum 1027 regnavit; urbem Legionem a Mauris direptam instauravit; an. 1012 generalem procerum ecclesiasticorum et laicorum conventum indixit Legione, in quo praeter alia statutum est, ut in synodis seu comitiis primum res ecclesiasticae, deinde negotia regum et populi tractarentur; ut abbates et monachi permanerent sub iurisdictione suorum episcoporum [4].

116. *Sergius IV Pontifex* (*an.* 1009) — Ioanne Pp. XVIII vita functo, summo pontificatu auctus fuit Sergius IV, Romanus, episcopus Albanensis, qui propter reverentiam principis Apostolorum dimisso nomine Petri, quo antea appellabatur, assumpsit nomen Sergii, ut colligitur e sepulcrali eius inscriptione, quae extat in basilica Lateranensi et refertur a Baronio [5]. Obiit hic Pontifex xv° calendas septembris 1012, liberalitate in pauperes caeterisque virtutibus conspicuus, nec immerito in *Menologio* Benedictino recensitus.

117. *Christianorum persecutio in Oriente*—In Ægypto vero et in Palaestina chri-

[1] Labbe. *Concil.* t. IX, p. 844.
[2] Ibid., p. 789.

[1] Adam. Bremens. *Hist. eccl.*; Alford., *Annal. Britan.*
[2] Bolland *Acta SS* 19 april. — [3] Vid p. 267.
[4] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 818. — [5] Ad an. 1012.

stiani gravem persecutionem perpessi sunt sub Hakem, Saracenorum Ægypti califa ab anno 996 usque ad 1020. Postquam is iam ab an. 1003 christianos in Ægypto vexare coepisset, an. 1010 generalem contra eos persecutionem excitavit, quum secundum priscum morem magno numero in Terram sanctam devote peregrinantes, a Iudaeis falso accusarentur, quod Palaestinam occupare intenderent. Christiani ad suscipiendos ritus mahomethicos bonorum confiscatione aliisque poenis compulsi sunt, multi poenarum metu ad Islamismum defecerunt, multi interfecti aut graviter vexati sunt, basilica s. Sepulcri aliaeque ecclesiae dirutae.

Post paucos vero annos Hakem partim perterritus prodigiis, quibus ecclesia Bethlehemitica et monasterium montis Sinai a devastatorum manu fuerant conservata, partim permotus precibus Mariae matris suae, quae religione erat christiana, priora sua edicta revocavit, Christianis religionis libertatem et potestatem instaurandi suas concessit, et iis qui persecutionis tempore mahomethicos ritus susceperant, redeundi ad christiana sacra optionem dedit. Tunc rursum ex orbe christiano magnus peregrinorum numerus Hierosolymas perrexit et instaurandae basilicae munera detulit. Contra, quum supra dictae Iudaeorum in Christianos calumniae per Occidentem fuissent vulgatae, Iudaei e multis Galliae atque Germaniae urbibus eiecti sunt[1].

118. *Benedictus VIII Pontifex (an.* 1012) — Post obitum Sergii IV an. 1012 summus pontificatus demandatus fuit Ioanni episcopo Portuensi, Gregorii comitis Tusculani filio, qui nomen Benedicti VIII assumpsit. Quum ei a nonnullis oppositus esset quidam Gregorius, s. Henricus, rex Germaniae et Italiae, secundum aliquos a Benedicto, secundum alios a Gregorio evocatus cum exercitu in Italiam profectus est, ut pacem in Ecclesia romana restitueret. Eius adventu factum est ut Gregorius ab omnibus reiiceretur, Benedictus vero susciperetur. Anno 1014 Benedictus VIII s. Henricum eiusque coniugem s. Cunegundem, postquam spopondit, se Ecclesiam defensurum et Pontifici in omnibus fidem servaturum, Romae sollemni ritu augustos coronavit. Imperator novo diplomate a se et a duodecim episcopis, tribus abbatibus pluribusque magnatibus subscripto, confirmavit omnes possessiones et iura temporalia Sedis Apostolicae et cuncta quae ei a Pipino, Carolo M. aliisque principibus fuerant donata[1]. Pontifex ad preces imperatoris mandavit, ut Symbolum quod hactenus ab Ecclesia Romana legebatur, in sacris missarum sollemniis caneretur[2]. Deinde anno incerto Pontifex synodum habuit Ticini, in qua e Patrum sententiis graviter disseruit de necessitate continentiae in clero, deque malis, quae ex incontinenti clericorum vita in Religionis detrimentum sequuntur; deinde 9 decreta edidit, quibus feminae ab episcoporum contubernio arceantur sub poena depositionis; clerici qui uxorem aut concubinam admiserint, deponuntur; filii clericorum, e quacumque muliere geniti, perpetuae servituti mancipantur. Quibus decretis Henricus imperator, rogante Pontifice, vim legis publicae per omnes suas ditiones addidit[3].

Quum an. 1016 Saraceni navigio in Italiam venientes, Lunam seu Lucam Tusciae civitatem occupassent, episcopum ex ea pepulissent, et omnem circum regionem devastarent; Benedictus Pp. Ecclesiae praesules et defensores congregavit excitavitque, ut secum arma ad repellendos hostes conferrent. Bellum institutum est, et post acerrimum 3 dierum certamen Saraceni victi et, paucis exceptis, internecione deleti sunt[4].

Eodem tempore Graeci imperium, quod in aliquibus Italiae inferioris partibus conservarant, extendere tentarunt, et R. Pontifici aliisque Italiae principibus minitabantur. Benedictus Pp. adversus eos destinavit exercitum sub ducatu Meli seu Rodulphi Normanni qui e Normannia confugerat Romam.

---

[1] Ademar. *Chronicon*; Glaber Rodulph., *Hist.* l. III; Baronius et Pagi, ad an. 1009.

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1014; Labbe, *Concil.* t. IX, p. 813. Henricus liberum arbitrium eligendi Pontificis Clero populoque Romano esse voluit hac modo, ut iuxta decretum Eugenii II et Leonis IV pontifex consecraretur coram Legatis Imperatoris.

[2] Leo Pp. III, in colloquio cum legatis Concilii Aquisgranensis, aiebat: « Quod vero asseritis, vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, et legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quidquam eidem Symbolo inserendo praesumimus » (ap. Baron. ad an. 809, n. 6; et Labbe, *Concil.* t. VII, p. 1197). Quare dicendum, quod si ante Benedictum VIII Symbolum non canebatur, certe legebatur in Missa. Idque tuetur etiam Benedictus XIV, qui (*De sacrificio Missae*, sect. I, § 154) affirmat, Le Brun (in t. II *Explicat. Miss.* etc.) ea afferre documenta, quibus ostenditur, *iam a IX usque saeculo in Ecclesia Romana morem fuisse in Missa Symbolum recitandi.* — Multa huc spectantia edisserit Edmundus Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 4, a. 5, § 11.

[3] Labbe, ibid. p. 819.

[4] Ditmar. *Chron.* l. VII.

Rodulphus rem fortiter gessit pluresque victorias de Graecis in Apulia retulit, quarum fama cum in Normanniam esset perlata; magnus Normannorum numerus in Apuliam transiit. Verum Graeci saepius a Rodulpho victi, deinde eum superarunt, suaque arma usque ad Romanos fines protulerunt. In his angustiis Pontifex an. 1020 iter suscepit in Germaniam, et Bambergae cum s. Henrico imperatore de repellendis Saracenis et Graecis contulit. Imperator Pontifici auxilium promisit, et in devoti animi sui significationem R. Ecclesiae donavit civitatem Bambergam cum omnibus eius iuribus. Anno sequente Henricus copiosum exercitum in Italiam duxit; Graecis praelio victis, Beneventum, Capuam, Salernum, Neapolim, Troiam, aliaque loca ab illis occupata, recepit. Posthaec exercitum, dysenteria correptum, in Germaniam reduxit [1].

Benedictus VIII morte absumtus est anno 1024, pontificatus sui undecimo iam exacto.

119. *Fidei propagatio inter populos septentrionales et Slavos* — Inter populos septentrionales propagandae et stabiliendae religioni christianae ardore improbo adlaboravit Libentius, archiepiscopus Hamburgensis et Bremensis, qui, an. 988 in locum Adaldagi subrogatus, obiit an. 1013[2]. Ei successit Unwanus. Sed sub haec tempora ecclesiis, in Saxonia transalbina constitutis, grandis tempestas illata est a Slavis, inter Albim et Viadrum degentibus et Saxonum tributariis. Hos enim Bernardus, dux Saxoniae, iniquis pecuniarum exactionibus aliisque molestiis ita gravavit, ut et religionem christianam, quam iam susceperant, et Saxonum dominium excusserint, arma pro recuperanda libertate capessiverint. An. 1013 Saxoniam transalbinam invadentes, eam omni crudelitatis genere devastabant, ecclesias, urbes, agros ferro et igne destruendo, sacros ministros interficiendo, cives partim morte partim servitute afficiebant. Unwanus archiepiscopus in primis Bernardum ducem ad humaniorem mentem reduxit, deinde eum reconciliavit cum Henrico imperatore, quocum bello implicitus erat; post haec una cum duce rebelles Slavos ad pristinum obsequium et tributum pendendum suaviter revocavit, Christianos huc illuc dispersos collegit[3], Slavos ad christianam religionem iterum convertit, et omnium gratiam usque ad obitum suum (1028) meruit.

In Norwegia sub Hakone rege (938-63) multos quidem christianam fidem suscepisse diximus [1]; verumtamen natio idolorum cultui mansit addicta. Sub Olavo I, qui regnavit ab an. 996 usque ad 1000, Religio maiora incrementa in Norwegia cepit. Is in Anglia baptizatus, opera sacerdotum Anglorum magnam subditorum partem ad christiana sacra adduxit, atque ethnicos ritus e regno sustulisset, si diutius vixisset; sed anno 1000 a Suenone Daniae et Olavo II Sueciae regibus devictus, se in mare proiecit. Anno 1017, Olavus II, regia stirpe oriundus, Norwegiam a Danorum et Suecorum dominio vindicavit, regnavitque usque ad an. 1033. Is christianae Religionis cultor eximius, novos Fidei praecones, episcopos et sacerdotes, ex Anglia et Germania in regnum suum vocavit, idola confregit, et sublatis ethnicae religionis reliquiis, christianam in omni sua ditione stabilivit; tantae fuit pietatis ut post obitum suum dignus habitus est qui Ssrum catalogo adscriberetur [2].

In Suecia religio christiana post aetatem s. Anscharii deperierat[3]. Initio vero huius saeculi Olavus rex II s. Sigfridum episcopum, qui cum aliis sacerdotibus Anglis in regiones septentrionales venerat, in regnum suum ad praedicandum Evangelium admisit, et brevi post cum multis aliis baptizatus fuit. Regis exemplum imitati sunt Sueci occidentales seu Gothi, in quorum civitate Scaren Sigfridus ex auctoritate Unwani, archiepiscopi Hamburgensis et Legati apostolici, sedem episcopalem instituit. Sueci quidem septentrionales tardius Fidem susceperunt. Anno 1024 Olavo II successit Iacobus Anundus, filius eius, qui regnavit usque ad annum 1052, et patris sui pietatem imitatus, egregiam operam tulit propagandae religioni christianae. Hanc demum saec. XII omnes Sueci professi sunt [4].

In Dania religio christiana de ethnica victoriam integram retulit sub Canuto rege, qui an. 1016 rex Angliae salutatus [5], paulo post et regnum Daniae consecutus est; christianam fidem per universam Daniam opera episcoporum et sacerdotum, quos ex Anglia in eam destinavit, propagandam et stabiliendam curavit; 3 episcopatus, Lundensem in

[1] Ditmar. ibid.; Leo Ostiensis, *Chron. Casin.* l. II.
[2] Adam. Bremens. *Hist. eccl.* l. II; Bolland. *Acta SS.* 4 ianuar.
[3] Baron. et Pagi, ad an. 1012 sqq.

[1] Vid. p. 256.
[2] Adam. Bremens. *Hist. eccl.* l. I; Bolland. *Acta SS.* 29 iul. — [3] Vid. p. 256.
[4] Adam. Brem., loc. cit.; Bolland. *Acta SS.* 4 febr.
[5] Vid. p. 270.

Scania, Ottiniensem in Fionia et Hafniensem in Seelandia, erexit, omnemque idololatriam e Dania abstulit [1].

In Russia christianae fidei professionem plurimum auctam fuisse vidimus sub Wolodimiro [2]. Post eius obitum (an. 1015) dissidia de principatu et bella civilia inter eiusdem filios exorta sunt, quibus status publicus graviter quassatus fuit. Praevaluit tandem Iaroslaus, qui sublatis fratribus, principatu potitus, religionis christianae propagationem, splendorem et stabilitatem promovit [3].

Iam ultimis saeculi praecedentis annis s. Adalbertus, episcopus Pragensis, Evangelium praedicare tentaverat Borussis, sed an. 997 ab iisdem interfectus est. Initio huius saeculi s. Bruno, alias Bonifacius, illustri loco in Saxonia natus et a Tagmone archiepiscopo Magdeburgensi ex auctoritate Ioannis Pp. XVIII archiepiscopus pro conversione infidelium consecratus, an. 1008 sacram ad Borussos missionem suscepit, sed eos obstinatos reperiens, Evangelium praedicavit in confiniis Russiae, ubi anno sequente cum octodecim Christianis ab ethnicis interfectus fuit [4].

120. *Ioannes XIX Pontifex* (*an.* 1024)— Benedicto Pp. VIII defuncto, summum sacerdotium an. 1024, post diem 6 iunii, demandatum fuit Romano, eius fratri, qui nomen Ioannis XIX assumpsit, seditque usque ad an. 1033. Is primo anno pontificatus sui excepit legatos imperatoris Graecorum et patriarchae Cp., qui postulabant, ut Ecclesia Cp. in suo orbe, quemadmodum Romana in toto orbe christiano, *Æcumenicae* seu universalis titulum honoremque haberet. Verum Pontifex tantae Graecorum arrogantiae restitit [5]. Anno 1027 Conradum II magna cum pompa imperatorem coronavit. Post annum Pontificatus nonum obiit anno 1033.

121. *Conradus II imperator Romanus*— Conradus II cognomine Salicus, a Ioanne XIX coronatus, antea dux Franconiae, an. 1024, post obitum s. Henrici imperatoris, rex Germaniae inauguratus fuit. Tranquillitate ubique constituta, profectus est in Italiam, et an. 1026 ab Heriberto archiepiscopo Mediolanensi rex Italiae coronatus, atque anno sequente Romae diademate augusti auctus, transiit in Italiam meridionalem, ubi a ducibus Longobardis Capuae et Beneventi atque a duce Graeco Neapolis fidem accepit, et Raynulfum Normannum comitatu Avernensi investivit, ut contra Saracenos, qui Siciliam, et contra Graecos, qui Apuliam et Brutiorum ora occupabant, bellum continuaret. In Germaniam redux, Leuticos, gentem paganam et barbaram, qui e paludibus circa mare Balticum egressi, Saxoniae provincias crudeliter devastabant, armis repressit; an. 1036 cursus Alpes superavit, ut dissidia litesque inter feudatarios seu vassallos et dominos eorum componeret; in generali conventu, anno sequente Ticini habito, secundum feudatarios contra eorum dominos sententiam dixit, et Heribertum archiepiscopum Mediolanensem atque episcopos Placentinum, Cremonensem et Vercellensem custodiae tradidit. Verum populis episcoporum causam defendentibus, dissensiones et turbae ita auctae sunt, ut imperator eas componere non valens, in Germaniam regressus sit; obiit autem an. 1039.

122. *Camaldulensium et Vallumbrosanorum Ordines*— Interea ss. Romualdus et Ioannes Gualbertus de instauratione monastici instituti in Italia praeclare meruerunt. Romualdus anno circiter 956 Ravennae illustri genere natus, anno aetatis suae vigesimo in coenobium Classense secessit; postea, propter ardens perfectionis studium et regularis vitae fervorem sociis suis invisus, Classense coenobium deseruit, et post varias tum in Italia, tum in Gallia locorum mutationes, an. 1018 cum aliquot sociis secessit in montes Apenninos, ubi in loco, qui Campus-Malduli dicebatur, vitam eremiticam admodum austeram instituit; magna quidem ex parte regulam s. Benedicti conservavit; sed plura ei addidit statuta austera, vitae eremiticae propria; eius socii, pro nigra Benedictinorum veste, habitum album gerebant; in cellis separatim vivebant edebantque; horis canonicis ad preces communes conveniebant in oratorium; ieiunium fere continuum et silentium per magnam anni partem observabant; modo precibus et divinarum rerum meditationibus, modo manuum labori aliisque exercitiis vacabant. His ita institutis s. Romualdus in aliis Italiae mediae regionibus vitam eremiticam valde austeram continuavit, ubique plures ad sui imitationem permovit, et eremitarum consociationes in diversis locis instituit. Tandem an. 1027 in monaste-

[1] Adam. Bremens., loc. cit.; Saxo Grammatic., *Hist. Danor.*; Pontoppidan., *Annal. eccl. Danicae.*
[2] Vid. p. 267.
[3] Bolland., *Diss. de conversione et fide Russ.* praemissa t. II *Act. SS.* mensis septembr.
[4] Bolland., *Acta SS.* t. III iun. p. 907.
[5] Pagi, *Critica* ad an. 1024.

rio Valle de Castro, quod in ditione Camerinensi extruxerat, animam Creatori suo reddidit [1]. Interim numerus eremitarum et cellarum in Campo Malduli successive augebatur, et quamvis ii proprie essent Camaldulenses, etiam aliae eremitarum consociationes, quae s. Romualdi statuta observabant et Camaldulensium abbati subiectae erant, eodem nomine appellabantur. Iam plures eiusmodi societates sub communi abbate constitutae, novum Camaldulensium Ordinem efformarunt, quem postea Alexander Pp. II an. 1072 publice approbavit. Rodulphus, quartus huius Ordinis abbas, qui eum ab an. 1082 regebat, novemque consociationes sub sua directione habebat, severa s. Romualdi statuta, quae victum et ieiunium spectabant, aliquantulum mitigavit, feminas etiam ad observanda instituta Camaldulensia admisit, et in monasterio Boni Fontis, in valle monti adiacente constructo, vitam coenobiticam, institutis Camaldulensibus conformatam, introduxit. Quod exemplum, cum alibi quoque observaretur, Ordo ab hoc tempore in eremitas et coenobitas, sed sub eiusdem abbatis regimine constitutos, divisus est [2].

Paulo post s. Romualdum floruit s. Ioannes Gualbertus, qui nobili Florentiae familia natus et a laxiori vivendi ratione revocatus, monasticum institutum s. Benedicti professus est. Anno circiter 1038 se cessit in montes Apenninos, et in valle haud procul a Florentia sita, a densis montium adiacentium arboribus obumbrata, indeque *vallis-umbrosa* dicta, monasterium extruxit, in quo cum discipulis suis vitam, primo eremiticam deinde coenobiticam, regulae s. Benedicti secundum omnem rigorem observandae conformatam, professus est. Brevi post alia monasteria aedificavit. Nonnulla etiam antiqua coenobia reformationem eius susceperunt; quae omnia sub s. Ioanne Gualberto ut supremo abbate coadunata, efformarunt novum Ordinem Vallumbrosanorum, an. 1070 ab Alexandro Pp. II approbatum. Ioannes illius Ordinis fundator, obiit an. 1073, postea a Caelestino Pp. III an. 1193 in Ssrum numerum relatus [3].

123. *Manichaei Aurelianenses* — In Gallia vero sub initia huius saec. XI mulier quaedam Itala, Aureliae degens, cum duobus clericis ecclesiae Aurelianensis, quos primo pietatis specie deinde voluptatis illecebris corruperat, infamem sectam instituit. Ii instauratis veterum Gnosticorum et Manichaeorum erroribus, reiiciebant V. et N. Testamentum; mundum non a Deo creatum, sed semper exstitisse dicebant; Christum e Maria virgine natum, passum et a mortuis resurrexisse negabant; Sacramenta Baptismi et Eucharistiae, invocationem Ssrum, utilitatem et praemium bonorum operum reiiciebant; praeterea in nocturnis conventibus se promiscuae libidini aliisque nefandis actibus dabant. Iam plures e clero et populo Aurelianensi infami et occultae sectae adhaerebant, quum ea an. 1022, Arefasti nobilis Normanni artibus detecta et Roberto Francorum regi denuntiata, dissipata fuit. Rex Aureliam profectus, episcoporum synodum coëgit, ad quam sectarii numero quindecim perducti, errores suos primo dissimularunt, deinde confessi sunt. Episcopi omni modo, rationibus et comminationibus, eos convertere conati sunt, sed vix unus et alter errores suos eiurarunt; reliqui tredecim in haeresi obstinati, iussu regis extra muros vivi combusti fuerunt [1].

124. *Benedictus IX Pontifex* (an. 1033) — Cum Ioannes Pp. XIX e vivis discessisset, Theophylactus, Alberici comitis Tusculani filius et Benedicti VIII atque Ioannis XIX nepos, patris potentia et pecuniae largitione summum pontificatum adeptus est, nomenque Benedicti IX assumpsit [2]. Quamvis Benedictus IX illegitima via cathedram Petri conscenderit, tantaque dignitate propter iuniorem suam aetatem et pravam indolem esset indignus, Ecclesia tamen vitandi schismatis causa eum tanquam pontificem suscepit coluitque. « Tanta, observat Baronius [3], vigebat observantia toto catholico orbe erga

---

[1] Bolland., *Acta SS.* 7 febr.

[2] A. Florentin., *Hist. Camaldul.* libri 3, Florent. 1575, in 4; I. B. Mittarelli et A. Costadoni, *Annales Camaldul.*, Venet. 4 vol. in-fol.

[3] Bolland. *Acta SS.* t. III iul., p. 311. Mabillon, *Acta SS. Ord. s. Benedicti*, saec. VI, part. II.

[1] Glaber Rodulphus, *Hist.* l. III, c. 8; ap. L. Dacher. *Spicilegium* t. II, p. 670; Labbe, *Concil.* t. IX, p. 836.

[2] Glaber Rodulph. *Hist.* l. IV, c. 5. Baronius et alii nonnulli suspicantur, mendum esse apud Glabrum Rodulphum, ubi legitur, Benedictum IX fuisse puerum ferme decennem, quum eligebatur; quia de re tam extraordinaria silent Hermannus Contractus, *Chron.* ad an. 1033; Leo Ostiensis, *Chron. Casin.* l. II; Victor Pp. III, *Dialogor.* l. III, de Benedicto IX agentes. En verba Baronii (ad an. 1033, § 6): « Hermannus Contractus, qui hoc ipso scribebat tempore, dum hoc anno agit de obitu Ioannis et Benedicti subrogatione, de eius aetate nihil dicit; quod non tacuisset, si adeo impar tanto oneri subeundo fuisset; sed haec tantum habet: « Defuncto Ioanne, Benedictus, qui et Theophylactus, ordinatus, licet « indignus tanto ordine moribus et factis, sedit annis « plus duodecim ».

[3] Ad an 1033.

Romanam Ecclesiam, ut quemcumque audirent throno insidere Petri, colere eum et venerari non detrectarent, cum non ipsum sedentem, sed eum, cuius vice sederet, in primis attenderent ».

Benedictus iuvenili ardore abreptus, Sedem, quam tot Pontifices vitae suae sanctitate decoraverant, turpiter dehonestavit, non praedicatione, sed conversatione, idest, non falsa doctrina sed turpibus moribus. Pravis eius exemplis effectum est, ut in variis provinciis dignitates ecclesiasticae pecunia emerentur, sacerdotes et nonnulli etiam episcopi legem continentiae spernerent, suosque filios beneficiorum ecclesiasticorum haeredes scriberent [1]. Anno 1044 Romani pravorum Benedicti morum pertaesi, eum e sede et urbe deturbarunt, inque eius locum constituerunt Ioannem episcopum Sabinensem, qui sibi nomen Silvestri III dedit. Verum Benedictus ope comitum Tusculanorum post 3 menses in urbem regressus, pontificatum recepit. Quum tamen in morum pravitate perseverans, cerneret se a clero et populo despici, eodem anno 1044 Ioanni Gratiano religioso presbytero ad dimittendum pontificatum pacta pecunia perductus fuit, ut infra videbimus[2].

Ecclesiae romano-catholicae hostes Benedicti IX et aliorum quorundam Pontificum pravis exemplis abutuntur ad impugnandam incorruptam Ecclesiae veritatem et unitatem, sed frustra; nam, sicuti alibi observavimus[3], qualescumque etiam fuerint isti Pontifices, de quibus illi tam foeda et tam varia iactant, nihil id officit veritati Ecclesiae.

125. *Trewga Dei* — In multis autem Occidentis provinciis, maxime in Gallia, paci et prosperitati rei tum civilis tum ecclesiasticae obstabant frequentia bella civilia et privata. Horum origo a saeculo superiori repetenda est. Iam tunc proceres, duces et comites provincias atque civitates, quas antea sub regum potestate et ad eorum nutum administrabant, a regum dominio liberas reddere, sibi proprias vindicare et tanquam patrimonia ad haeredes suos transmittere caeperunt. Illorum exemplo etiam ii, qui minora feuda seu beneficia a regibus habebant, ea tamquam patrimonia defendere non verebantur. Inde regia potestas imminuta, regiminis unitas dissoluta, odia, dissidia, bella frequentia enata sunt. Accessit alia consuetudo prava, quae fere in legem abierat, nempe ut si quis occidisset quempiam, huius propinquis liceret caedem ulcisci et quemvis ex propinquis interfectoris occidere. Unde effectum est, ut quisque privatus suam suorumque iniuriam non in iure coram iudice, sed ferro manuque persequeretur, et, ingravescente in dies hac consuetudine, provinciae Galliae caedibus, depraedationibus, incendiis devastarentur.

Ad corrigenda haec mala et ad medendum morum corruptelae praesules Galli an. 1034 in Aquitania, deinde in aliis provinciis synodos habuerunt, unaque cum magnatibus seu proceribus laicis de restituenda pace et securitate publica contulerunt, et leges ad exstinguenda bella privata, caedes et depraedationes, condiderunt. Plenam quamvis pacem et perfectam bellorum privatorum exstinctionem episcopi optassent, sed cum id efficere non possent, inducias saltem stabilire conati sunt. Igitur an. 1041 in partibus Aquitanicis, deinde per totum Galliarum territorium ab episcopis simul et optimatibus sancitum fuit sub terrificis corporalium et spiritualium poenarum comminationibus, ut singulis septimanis a vespere feriae IV usque ad crepusculum feriae II a praeliis privatis, ultionibus, rapinis, caedibus omnisque generis violentiis abstineretur in honorem I. Christi, qui istos dies praecipuis salutis humanae mysteriis consecrarat. Hae induciae nomen *Trewgae Dei* acceperunt. Eas mox Henricus I, rex Galliae, sanctione regia munivit. Easdem postea etiam confirmarunt imperator aliique principes. Robur iis addiderunt plures synodi et RR. Pontifices, qui omnibus sub poena excommunicationis Trewgam Dei observandam proposuerunt. Cumque non semel audaces illius violatores divinos terrores fuissent experti, ea ipsa Trewga plurimum ad societatis bonum contulit [1].

126. *Religionis status in Polonia et Hungaria* — In *Polonia* post mortem Miecislai II (1034) respublica et Religio in magnum discrimen devenerunt. Per sex aut septem annos Polonia bellis civilibus caedibusque fuit quassata, neque sacris ministris neque ecclesiis parcitum, adeo ut haec regio in pristinam barbariem relapsura videretur. Tanta erat rerum perturbatio, ut Casimirus, Miecislai filius, clam aufugisset, et Cluniaci monasticum institutum esset professus. Ad

[1] Victor Pp. III, *Dialogor.* l. III.
[2] Baronius et Pagi ad an. 1034-44.
[3] Vid. p. 245.

[1] Glaber Rodulph., *Histor.* l. IV, c. 5, l. V, c. 1; Petrus de Marca, *Concordia sacerd. et imper.* l. IV, c. 14; Pagi, *Critica* ad an. 1034 et 1041.

domestica Polonorum dissidia accesserunt hostiles incursiones Iaroslai Russiae et Praedislai Bohemiae ducis. Anno demum 1041 Poloni his malis lacessiti, sibi mutuo iniurias condonarunt, et in comitiis Gnesnensibus consenserunt, ut Casimirus ad ducatum revocaretur. Oratores Cluniacum missi sunt Casimirum rogaturi, ut afflictae et pene eversae patriae misertus, illius regimen susciperet. Respondit is, se utpote monachum professum et diaconum ordinatum, id facere non posse. Tunc oratores e consilio abbatis Cluniacensis Romam profecti sunt, et a Benedicto Pp. IX, vel, ut aliis placet, a Clemente II impetrarunt, ut Casimirus ad principatum maiorum suorum redire et uxorem ducere posset. Casimirus in Poloniam redux, restituendis rebus et reparandis malis egregiam operam navavit, monachos Cluniacenses in Poloniam vocavit; Mariam, Iaroslai Russiae principis sororem, uxorem duxit, et an, 1058 moriens, regnum undique pacatum reliquit filio suo Boleslao[1].

In *Hungaria* etiam post mortem s. Stephani (1038) Religioni tempestas grandis illata est. Stephanus regnum reliquerat Petro, nepoti suo, sed an. 1041 Hungari, reiecto Petro, regnum detulerunt Ovoni. Petri partes fortiter defendit s. Gerardus episcopus Morissenus, et Ovoni post tres annos et regni et vitae iacturam praedixit. Reipsa an. 1044 Ovo in bello contra Henricum III regem Germaniae occisus, et Petrus restitutus est. Verum post biennium Hungari rursum deiecto Petro oculisque ei erutis, regnum obtulerunt Andreae ea lege, ut ethnicam religionem restitueret. Tunc cruenta persecutio contra Christianos excitata est, ecclesiae destructae, plurimi laici, clerici et episcopi, inter quos s. Gerardus Morissenus, interfecti. Verumtamen paulo post Andreas, regnum adeptus, persecutioni finem constituit, ethnicismum per totam Hungariam proscripsit, et christianae Religionis professionem ubique restituit[1].

127. *Henricus III imperator Romanus* —In Germania an. 1039 Conrado II successit Henricus III, filius eius, qui pacem in Germania stabilivit: an. 1043 in comitiis, Constantiae ad Rhenum habitis, concordiam inter principes et magnates conciliavit, et Trewgam Dei, in Galliis institutam, introduxit; an. 1046 profectus in Italiam, Ticini rex Longobardiae coronatus est; tunc Romam perrexit, rebusque in urbe compositis, ut infra videbimus, a Clemente Pp. II imperator coronatus fuit, imperavitque usque ad annum 1056.

128. *S. Eduardus rex Angliae*—In Anglia Eduardus, sub regibus Danis Canuto, Haraldo et Hardecanuto, exul, an. 1042 ad paternum solium revocatus est, regnavitque usque ad an. 1066. Princeps pietatis et castimoniae studio spectatissimus, singulari mansuetudine regnum moderatus est, magna apud suos reverentia, apud exteros metu fuit, leges optimas tulit, Religionis ac reipublicae prosperitati studuit. Eius pietati aliquando obrepsit Goduinus comes, Emmam regis matrem accusando criminis cum Roberto archiepiscopo Cantuariensi; sed calumniam diluit regina castissima, nudis pedibus calcans novem ignitos vomeres. Eduardus virtutibus atque miraculis clarus, ab Alexandro Pp. III Ssrum albo inscriptus fuit[2].

129. *Gregorius VI Pontifex* (*an.* 1044) — Romana vero ecclesia tristem in statum erat coniecta, Benedicto IX et Silvestro III simul pontificatus iura sibi vindicantibus, Ioannes Gratianus, presbyter religiosus, an. 1044 utrumque competitorem ad cedendum pontificia sede pecuniae largitione perdu-

[1] Duglossus seu Longinus, *Hist. Polon.* l. III; M. Cromerus, *De origine et rebus gestis Polon.* l. IV. Historiam de Casimiro votis exsoluto tamquam veram propugnavit Azorius (Part. I *Inst. Moral.* lib. 12, c. 7), *fabulosam esse, vel saltem dubiam* asserit I. Bapt. Gonet (t. V *Clypei Theolog. Thomist.* disputat. 9, *De impedim. dirim.*, a. 2, § 4), Thommasinus (*Vet. et nova Eccl. discipl.* p. I, l. 2, c. 42, § 9, et p. III, l. 3, c. 24, § 12) et Capisuccus (*Controversia* 11, § 3). Maldonatus vero (in Tract. *de Sacramentis, De impedimento voti* qu. 3), dato quod haec et aliae huius generis historiae verae sint, respondet posse caussas aliquas incidere, in quibus Ecclesia non quidem dispenset in voto solemni, sed per interpretationem aequi et boni declaret, eum, qui fecerit votum, non teneri voto. Nam cum sit regula generalis, collecta ex iure divino et naturali, ut votum minoris boni relaxetur per votum maioris boni; et cum non debeat esse iudicium privatum uniuscuiusque, an aliquod bonum, quod fortasse occurrit, sit maius, quam servare castitatem perpetuam, ad quam se constrinxit voto solemni; sed debeat id relinqui iudicio totius Ecclesiae: et cum possit aliquando occurrere huiusmodi bonum multo maius, quam est servare castitatem; non dubium est, quin tunc Ecclesia, aut nomine totius Ecclesiae Pontifex possit declarare, illum in eo casu non teneri ad observationem voti. Quod credendum est fecisse illum Papam cum Ramiro rege Aragonum, et illum alterum cum rege Poloniae, quia iudicarunt, bonum publicum totius Regni esse praestantius, quam bonum privatum unius monachi. Sed hoc non est proprie dispensare; nam dispensatio vocatur, cum manente voto integro, aliquis liberatur ab illius observatione.

[1] Hermann. Contract. *Chronicon*; Bolland. *Acta SS.* 24 sept.

[2] Willelm. Malmesbur. *De rebus Angl.* l. II; Bolland. *Acta SS.* 13 octobr.

xit; quapropter Romani eundem Ioannem, tamquam Ecclesiae liberatorem, inquit Otto Frisingensis, in summum Pontificem elegerunt et Gregorium VI vocarunt [1]. Gregorius VI, quem Glaber Rodulphus, hac ipsa aetate florens, appellat virum religiosissimum et sanctitate perspicuum [2], male ecclesiae Romanae illata reparare conatus est, contra sicarios et praedones, contra factiosos et possessionum ecclesiasticarum usurpatores ac detentores exhortationes, excommunicationes et arma usus est; nec tamen turbas componere valuit.

130. *Clemens II Pontifex* (*an.* 1046) — Henricus III rex Germaniae, cognito tristi urbis Romae et Italiae statu, circa finem anni 1046 cum coniuge sua Agnete, pluribus episcopis et exercitu in Italiam profectus est. Ticini rex Italiae coronatus, ad urbem Romam properavit; cumque venisset Sutrium, plurimorum episcoporum, abbatum, clericorum et monachorum synodum indixit, pro componendis negotiis ecclesiasticis, maxime Romanae ecclesiae, quae 3 simul pontifices, Benedictum IX, Silvestrum III et Gregorium VI, habere videbatur. Addit Leo Ostiensis, qui hoc ipso tempore floruit, Gregorium VI ab imperatore fuisse invitatum, ut synodo praesideret; atque aequo animo ferret, ut eius causa ageretur, quum ipse tamen summus iudex esset [3]. In hac synodo Silvester III reiectus fuit, aeque ac Benedictus IX, qui iam antea pontificatu cesserat, uti vidimus. Gregorius VI agnoscens, se non secundum canones fuisse constitutum, et electionem suam a multis veluti simoniacam improbari, contestatus tamen, se bona intentione pecuniam dedisse Benedicto, sponte insignia pontificatus deposuit. His factis, omnes Romam progressi sunt, et congregatis in ecclesia s. Petri clero, populo et episcopis, qui synodo Sutrinae interfuerant, communi consensione in Petri Cathedram evectus est Suidgerus, Saxo, episcopus Bambergensis, qui in Natali Domini inauguratus nomen Clementis II assumpsit, eademque die Henricum III et Agnetem coniugem eius augustos coronavit [4].

[1] *Chron.* l. VI, c. 23. Pagi (ad an. 1044), et alii nonnulli, quamvis Gregorium VI inter Pontifices numerent, contendunt, eum per simoniam summum sacerdotium accepisse; at Baronius (ad an. 1044), Thomassin. (*Vetus et nova Eccl. discipl.* p. III, l. 1, c. 61). Papebroch. (*Conat. chronol. crit.*), aliique hunc pontificem a simonia vindicant. — [2] *Hist.* l. V, c. 5.

[3] *Chron.. Casin.* l. II, c. 79; Bellarmin., *De Rom. Pontif.* l. II, c. 29.

[4] Leo Ostiens., loc. cit., Victor Pp. III *Dialogor.* l. III; Baronius et Pagi, ad an. 1046.

Imperator Gregorium VI, ne eo Romae praesente aliquid innovaretur, deduxit in Germaniam, ubi is e vita migrasse dicitur. Vir religiosissimus, ac sanctitate conspicuus, cuius videlicet bona fama, quidquid prior foedaverat, in melius reformavit [1]. — Clemens II initio anni 1047 Romae synodum celebravit, in qua damnata simonia, qua sacrae ordinationes in multis provinciis contaminabantur, constitutum est, ut qui sacros ordines ab episcopo simoniaco scienter accepissent, non nisi post 40 dierum poenitentiam accepti Ordinis ministerio fungerentur. In eadem synodo controversia inter Ravennatensem, Mediolanensem et Aquileiensem antistites, quis eorum in conciliis, absente imperatore, dexteram Pontificis teneret, secundum Ravennatensem composita est [2].

Obiit Clemens II Romae, vel in partibus Romanis, VII° idus octobris 1047, cum sedisset 9 mensibus et diebus 15. Cuius mortui corpus Bambergam perlatum est, ibique tumulatum.

131. *Damasus II Pontifex* (*an.* 1048) — Post obitum Clementis Benedictus IX, quem supra pontificatu cessisse diximus, rursus in Petri cathedram irrupit. Romani vero legatos miserunt in Germaniam ad imperatorem, qui ei Pontificis obitum significarent rogarentque, ut ad summum Ecclesiae regimen eligeretur Halinardus archiepiscopus Lugdunensis. Chronographus s. Benigni, hanc legationem ad imperatorem destinatam fuisse scribit, quod Henricus III data pecunia a Romanis accepisset, ut sine eius assensu Papa non eligeretur [3]. Quum autem Halinardus Lugdunensis honorem pontificatus declinaret, imperator auditis episcoporum sententiis, Popponem episcopum Brixinensem in lo-

[1] Haec *eius plane temporis scriptor*, ut ait Baronius ad an. 1044, n. 6, et Glaber Rodulphus, l. V *Historiar.* c. 5. Otto Frisingensis, qui vixit medio circiter duodecimo saeculo (l. VI, c. 32), ait quidem circa idem tempus pudendam confusionem Ecclesiae Dei in Urbe Roma fuisse, tribus ibi invasoribus: at horum numero eximit religiosum presbyterum Gratianum nomine, quem Romani cives eo rerum statu, tamquam Ecclesiae Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, et mutato nomine Gregorium VI vocaverunt. Frisingensem sequuntur Panvin. (in *Epitom. PP. RR.* p. 55), Baron. (ad an. 1044 cit.), Ciacon., aliique. — Christianus Lupus (t. III *Concil.* antiq. edit., novae autem t. IV) tenet, Gregorium VI auctorem fuisse militiae Papalis, cum Italia latronibus plena esset, laici omnes s. Petri possessiones invasissent, Papalis excommunicatio sperneretur, et Henricus III Imperator, Germanicis bellis occupatus, auxilium negaret.

[2] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 946.

[3] Apud Pagi, *Critica* ad an. 1049.

cum Clementis II designavit eligendum. Poppo magno cum honore a Romanis exceptus, XVI° calendas sextil. 1048 inauguratus fuit sub nomine Damasi II. Eadem die Benedictus IX, qui modo usurpato, modo deposito pontificatu annos ferme duodecim exegit, ad meliorem mentem reversus, relicto pontificatu secessit in monasterium Cryptae Ferratae poenitentiam acturus, ibique reliquam vitae partem sancte peractam pia morte clausit [1]. Damasus autem post 23 dies Praeneste *quo se*, ut ait Ciaconius, *animi reficiendi causa et ad fugiendos urbanos aestus* contulerat, obiit (VI° idus augusti an. 1048.

132. *S. Leo IX Pontifex* (*an.* 1049) — Defuncto Damaso II Sedes Apostolica vacavit 6 mensibus. Henricus imperator per Romanorum legatos de morte Pontificis certior factus, Wormatiae magnum episcoporum et optimatum conventum tenuit, in quo unanimi omnium acclamatione summo sacerdotio dignus renunciatus est Bruno episcopus Tullensis, nobilissima Daspurgensi familia in Alsatia oriundus. Diu restitit Bruno, deinde urgente omnium voluntate victus assensit ea lege, « si audiret totius cleri ac populi Romani communem esse sine dissidio consensum », inquit Wibertus, eius archidiaconus [2]. Bruno cum Everardo, Trevirensi et Halinardo Lugdunensi archiepiscopis, atque Hildebrando monacho Cluniacensi, Romam tetendit; urbem nudis pedibus ingressus, a Romanis cum maxima exultatione exceptus, et pridie idus februarii an. 1049 summo omnium, cleri ac populi, consensu in Petri cathedram inauguratus fuit sub nomine Leonis IX [3].

Fuit Leo IX per omnia vir apostolicus, inquit Victor Pp. III, sapientia praeditus, religione conspicuus omnique doctrina ecclesiastica apprime eruditus [4]. Sedit annis 5 et mensibus 2. Negotia gravissima habuit explenda: disciplina enim ecclesiastica erat collapsa, simoniaca labes sacras electiones et ordinationes inficiebat, in nonnullis locis clerici laicorum more cum mulieribus vivebant. Normanni terras Apostolicae Sedis divexabant; Berengarius in Gallia sacrosanctam doctrinam catholicam impugnabat; Michaël Caerularius, patriarcha Cp., instaurato schismate Photiano, ecclesiam Graecam a Romanae obsequio avellebat; in quibus omnibus sanctus Pontifex magna fortitudine et singulari prudentia se gessit.

[1] Greg Placentini, *De sepulcro Benedict. IX*, Romae 1747. — [2] *Vita s. Leonis IX*, l. II.
[3] Idem, ibid. — [4] *Dialogor.* l. III.

Anno primo pontificatus sui ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam Romae cum episcopis Italis et Gallis synodum habuit, in qua Conciliorum generalium et RR. Pontificum decretis, praesertim contra simoniam et clericorum incontinentiam, confirmatis, iterum simoniam damnavit et quosdam episcopos, huius criminis convictos, deposuit; ne vero ecclesiae necessariis ministris destituerentur, si in omnes simoniace ordinatos secundum canonum rigorem animadvertisset, pro iis probavit supra relatum decretum Clementis II [1]. In eadem synodo proscripsit incestas inter consanguineos nuptias pluresque nobiles, eiusmodi coniunctionibus devinctos, separavit [2].

Posthaec iter suscepit transmontanum, ut ecclesiarum statum praesens cognosceret; an. 1049 synodum celebravit Ticini, cuius acta deperdita sunt; inde imperatorem adivit in Saxonia agentem, qui Pontificem perduxit Coloniam. Pontifex visitata ecclesia Tullensi, transiit Rhemos, ubi V° nonas octobris 1049 cum 20 episcopis, 50 pene abbatibus, aliisque ecclesiastici ordinis viris plurimis synodum celebravit. In ea episcoporum aliquot et abbatum simoniacorum causa cognita et iudicata fuit; nonnulli episcopi et abbates, qui ad declinandam synodum profecti erant ad regiam expeditionem, excommunicati sunt; eadem poena affecti fuerunt quidam magnates propter incesta adulteria aut tyrannidem exercitam, canonesque editi 12 contra simoniacas ordinationes et sacramentorum administrationes, contra clericos arma gerentes, contra usurarios, contra clericos et monachos apostatas, contra incestas et adulterinas nuptias [3]. Absoluta synodo Leo IX profectus est Moguntiam, ubi aliam 40 episcoporum synodum habuit, maxime ad simoniam et nefanda sacerdotum coniugia proscribenda [4]. In Italiam redux, transiit in Apuliam tum ad componenda illic ecclesiastica negotia tum ad conciliandam inter incolas et Normannos concordiam; an. 1050 Siponti synodum coëgit, in qua 2 archiepiscopos, qui pretio sacrum ministerium acceperant, ab officio deposuit [5]. Eodem anno Romae 55 episcoporum et 45 abbatum synodum habuit, in qua Dolensem et alios 7 Britanniae minoris episcopos excommunicavit tum propter simoniacam labem tum propter

[1] Vid. p. 277.
[2] Wibert, *Vita s. Leonis IX*.
[3] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1028.
[4] Ibid. p. 1046.
[5] Wibert, *Vita s. Leonis IX*, l. II, c. 4.

contumacem eorum audaciam, qua ad Turonensis metropolitae obedientiam redire nolebant; in eadem synodo Gerardum, olim episcopum Tullensem, Ssrum numero adscripsit[1]. Alteram anno sequente synodum Romae coëgit, in qua Gregorius episcopus Vercellensis, adulterii et periurii accusatus, sacro ministerio interdictus fuit, donec faceret satis; qui non multo post Romam veniens et satisfactionem promittens, priori officio restitutus fuit[2].

Anno 1052 sanctus Pontifex novum iter in Germaniam suscepit, ubi inter Henricum imperatorem et Andream regem Hungariae pacem conciliavit, Wolfangum et Erhardum, olim episcopos Ratisbonenses, in Ssrum album intulit, Bambergam aliasque R. Ecclesiae in Germania possessiones cum Henrico imperatore commutavit cum Benevento in Italia, copiasque militares ab eo accepit ad reducendos in ordinem Normannos[3]. Quae autem fecerit in causa Normannorum, Berengarii et Michaëlis Caerularii, infra dicemus.

133. *Viri illustres* — Per priorem huius saeculi XI partem praeter commemoratos iam Bonifacium Russiae apostolum, Elphegum archiepiscopum Cantuariensem, Libentium archiepiscopum Hamburgensem, Henricum imperatorem, Eduardum regem Angliae aliosque, sanctitatis laude floruerunt Heribertus archiepiscopus Coloniensis[4]; Fulbertus episcopus Carnotensis, qui etiam eruditione clarus reliquit sermones, hymnos, prosas, epistolas, canonem poenitentialem et tractatum de vaticinio Iacobeo adversus Iudaeos[5]; Godardus ex abbate Altahensi in Bavaria episcopus Hildesheimensis, qui tum de disciplinae monasticae et clericalis tum de litterarum instauratione bene meruit, scripsitque epistolas tenerrimae pietatis plenas[6]; Bruno filius Conradi ducis Carinthiae et episcopus Herbipolensis, qui Psalmos, Cantica et Fidei symbola commentariis illustravit[7]; Odilo abbas Cluniacensis, qui multa monasteria in Galliis fundavit et reformavit, scripsitque sermones, hymnos et epistolas[8].

Ingenii laude claruerunt praeter praefatos

[1] Labbe, loc. cit. p. 1052.—[2] Ibid. p. 1066.
[3] Pagi, *Critica* ad an. 1052-53.
[4] Bolland., *Acta SS.* 16 mart.
[5] Ibid. 10 april. Opera eius edidit C. Villiers, Paris. 1608, in-8; Migne. *Patrol. Lat.* t. CXLI.
[6] Ibid. 4 mai. Epist. eius edidit D. Pez in *Cod. dipl. hist.* p. 133.
[7] Ibid. t. IV mai. Opera eius exstant in *Biblioth. PP.* apud Migne, *ibid.* t. CXLII.
[8] Ibid. 1 ian. Opera eius edidit Marrier in *Biblioth. Cluniacens.* Migne, ibid.

Fulbertum, Godardum, Brunonem et Odilonem, Ditmarus e monacho Benedictino episcopus Merseburgensis, qui pius ac eruditus reliquit Chronicorum 7 libros[1]; Berno abbas Augiaedivitis, qui divina ac humana scientia clarus scripsit libellum de officio Missae et vitam s. Udalrici episcopi Augustani[2]; Ademarus monachus coenobii Lemovicensis, qui dedit Chronicon ab an. 829 usque ad 1029[3]; Hermannus cognomine Contractus, monachus Augiaedivitis, qui praeter alia reliquit Chronicon a Christi nativitate usque ad suam aetatem[4]; Glaber Rodulphus, monachus Cluniacensis, qui scripsit vitas ss. Guilielmi et Benigni Divionensis, atque Historiarum libros 5 ab an. 990 usque ad 1046[5].

134. *Normanni in Italia*—Interea Normanni, qui supra a Conrado II imperatore comitatum Avernensem in feudum acceperant[6], novorum Normannorum e Gallia adventu aucti, bellum contra Graecos in Apulia prosecuti sunt, eos ex omni Apulia eiecerunt, et an. 1043 Guilielmum, unum e ducibus suis, Apuliae comitem constituerunt. Verum posthaec Italos opprimere, civitates et ecclesias depraedari coeperunt. S. Leo Pp. an. 1050 frustra tentavit eos a male coeptis cohibere. Ii arma sua proferentes, civitatem Beneventum, quae ad R. Ecclesiam pertinebat, oppugnarunt. Pontifex exercitum contra hostes destinavit[7]; verum post acre certamen an. 1053 exercitus Pontificis prope Dragonaram victus et s. Leo ipse in urbe Civitel-

[1] Dresdae 1790.
[2] In *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XVIII; Migne, ibid.
[3] Apud Rivet, *Histoire litt. de la France.*
[4] Apud H. Canis. *Lect. antiq.* t. I.; Migne, *loc. cit.* t. CXLIII.
[5] Apud Rivet, loc. cit.; Migne, *loc. cit.* t. CXLII.
[6] Vid. p. 273.
[7] «Expeditionem adversus Normannos suscipiendam censui (scribit Leo IX in *Epist.* 7 *ad Constant. Monom. Imp.*), non ut cuiusquam Normannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore respiscerent, qui divina iudicia minime formidant»; ap. Labbe, *Concil.* t. IX, p. 982.—Leonem IX *militaribus copiis se miscentem* perstringit s. Petrus Damiani (*Epist.* IX, l. IV *ad Firmanum Episcopum*), sed Pontificem defendit Baronius (ad an. 1053, § 10), ac recitatis Epistolae verbis, addit § 14: *Huc usque de his Petrus Damiani, cui catholica dogmata penitus adversantur, quibus haeresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana, Cathedra Petri e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt.* Baronio consentiens est Bellarminus, *De Script. Eccl.* ad an. 1060 in *Petr. Damiani.* Vid. etiam Ioan. de Carthagena, *Propugnaculum Catholicum de iure belli Rom. Pontificis* etc. Romae 1609, et Benedictum XIV, *De Serv. Dei Beat. et BB. Canoniz.* l. III, c. 36, n. 16.

la a Normannis interceptus est. Hi Pontificis praesentia et religiosa exhortatione permoti, magna cum reverentia eius consilia et monita susceperunt; Hunfridus comes Apuliae, Richardus comes Aversae, Rogerius Guiscardus et alii eorum proceres vassallorum more fidem suam Pontifici obligarunt, eumque honorifice Beneventum perduxerunt. Ex hoc tempore Normanni extiterunt fideles Apostolicae Sedis defensores, et Apulia, Sicilia aliaeque Italiae inferioris provinciae, quas ii pedetentim, pulsis Graecis et Saracenis, occuparunt, venerunt sub summum dominium Apostolicae Sedis, a qua Normannorum duces illarum provinciarum *investituram* acceperunt [1].

135. *Africanae Ecclesiae status* — Eodem anno 1053 Leo Pp. epistolam scripsit ad Thomam archiepiscopum Carthaginensem in Africa, in qua iura metropolitica, quae episcopus Gummitanus usurpare ausus erat, vindicavit asseruitque archiepiscopo Carthaginensi, qui eis a priscis temporibus potitus fuerat. Eadem tractavit Pontifex in epistola ad Petrum et Ioannem episcopos in Africa, in qua epistola deplorat tristem ecclesiarum in Africa statum, ubi olim 200 et amplius, nunc vero dumtaxat 5, episcopi numerabantur; et ubi quondam innumerabilis grex, nunc autem pauculae oves inveniebantur [2].

136. *Berengarii haeresis* — In Galliis vero sacratissimum hucusque in utraque Ecclesia, graeca et latina, dogma de reali Corporis et Sanguinis Christi praesentia in ss. Eucharistia inficiatus est Berengarius, Ecclesiae Andegavensis archidiaconus; vir audaci et versatili ingenio, novaque dicendi spiritu excitatus, substantialem conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, horumque realem praesentiam in ss. Eucharistia reiiciens, contendit, Eucharistiam esse solum signum seu figuram Corporis et Sanguinis Christi. Nonnulli arbitrantur, eum non negasse realem Corporis et Sanguinis praesentiam, sed solam substantialem panis et vini conversionem, sicque docuisse errorem, qui appellatur *impanationis*; at illud difficulter conciliatur cum scriptis eorum, qui Berengarii doctrinam ab initio confutarunt, cum actis synodorum, in quibus eius errores condemnati sunt, et cum ipsius Berengarii litteris. Forte id provenit a versatili novatoris ingenio, nunc hoc nunc illud adstruentis.

Quum primum Berengarii doctrina innotuit, Christianorum omnium aures offendit, a viris eruditis confutata et a RR. Pontificibus et episcopis in synodis damnata fuit. In primis Adelmannus, scholasticus Leodiensis, postea episcopus Brixiensis, quondam Berengarii sub Fulberto magistro socius, et Hugo episcopus Lingonensis, datis ad Berengarium ipsum epistolis, errores eius confutarunt, catholicam doctrinam defenderunt, eumque ad saniorem mentem hortati sunt [1]. Lanfrancus monachus Beccensis, postea archiepiscopus Cantuariensis, tum disputatione tum scripto Berengarii haeresim refutavit [2]. Theoduinus episcopus Leodiensis, catholicum dogma de reali praesentia e Patrum sententiis docte stabilivit in epistola ad Henricum regem Francorum [3]. Witmundus seu Guitmundus, e monacho s. Leufredi Cardinalis episcopus Aversanus, idem dogma contra Berengarii errores defendit in tractatu de corpore et sanguine Domini [4]. Post hos adversus eumdem Berengarium Algerus, canonicus et scholasticus Leodiensis, scripsit libros 3 de Sacramentis Corporis et Sanguinis Domini [5]. An. 1050 Leo Pp. IX in Romana et Vercellensi synodis doctrinam Berengarii damnavit, eum anathemate perculit, et librum Ioan. Erigenae, quo ille gloriabatur, igni tradidit. Eodem anno in conventu Brienensi Berengarius tam luculenter confutatus est, ut quasi elinguis Ioannem Erigenam eiusque errores damnarit. In magna autem synodo episcoporum, doctorum et procerum, eodem anno Parisiis habita, non tantum Berengarius eique adhaerentes damnati sunt, sed etiam statutum, ut armata manu, si necesse foret, haeresis extirparetur [6].

Ex hoc tempore Berengarius minori quidem audacia sed maiori astutia errores suos tuitus est. Quapropter Victor Pp. II, Leo-

---

[1] Wibert. *Vita s. Leonis IX*; Baronius et Pagi ad an. 1052-53.

[2] Apud Labbe, *Concil.* t. IX, p. 972-975.

---

[1] Adelmanni epistola extat in *Biblioth. PP.* tom. XVIII, p. 438; Epistola seu Tractatus Hugonis in appendice ad Opera Lanfranci; Migne, *loc. cit.* t. CXLII et CXLIII.

[2] *Libellus de corpore et sanguine Domini in Eucharistia.*

[3] Apud Mabillon, *Analect.* t. IV, p. 396.

[4] In *Biblioth. PP.* t. XVIII; Migne, *Patrol. Latin.* t. CXLIX.

[5] Emendatius edidit, adiectis notis et praefatione I. B. Malou, in Univers. cath. Lovan. prof., postea Ep. Brugensis, Lovanii 1847; Migne *loc. cit.* t. CLXXX.

[6] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1052-60.

nis IX successor, an. 1055 in synodo Florentina decessoris sui decreta confirmavit. Eodem anno in synodo Turonensi sub Hildebrando, Apostolicae Sedis legato, Berengarius, a Lanfranco haereseos convictus, eam eiuravit et catholicam doctrinam professus est [1]; verum paulo post eiuratam haeresim resumpsit; quapropter Nicolaus Pp. II an. 1059 Romae 113 episcoporum synodum coëgit, in qua Berengarius perversa sua scripta cum libro Ioannis Erigenae in ignem coniecit, et secundum praescriptam sibi formulam errores suos eiuravit, catholicamque doctrinam professus est [2]; at brevi post pristinos errores rursus tradidit. Alexander Pp. II eum frustra ad meliorem frugem reducere conatus est. An. 1079 in Romana synodo sub s. Gregorio Pp. VII Berengarius rursus eiurata haeresi, fidei formulae subscripsit [3], sed in patriam redux fidei subscriptionem quasi metu extortam revocavit, et ipsius Pontificis fidem calumniando suspectam reddere conatus est. Demum anno 1080 in Burdigalensi synodo iterum catholicam fidem professus, secessit in insulam ss. Cosmae et Damiani prope Turones, ubi secundum aequalium scriptorum testimonia et receptam apud Turonenses traditionem inter poenitentiae exercitia obiit an. 1088 [4].

137. *Michaëlis Cerularii schisma graecum*—In Oriente teterrimi schismatis fundamenta posuit, seu schisma quondam a Photio excitatum et post eius mortem sopitum, instauravit Michaël Cerularius, patriarcha Cp., vir turbulenti ingenii summaeque ambitionis. Is non tantum oecumenici patriarchae appellationem et in Alexandrinum atque Antiochenum patriarchas auctoritatem usurpare tentavit, sed totam ecclesiam Graecam a communione cum Latina avellere conatus est. In primis an. 1053 suo et Leonis Acridani in Bulgaria metropolitae, quem uti Nicetam, monachum Studitam, schismatici consilii socium habuit, nomine epistolam scripsit ad Ioannem Tranensem in Apulia episcopum, in qua ecclesiam Latinam magnis quidem conviciis, sed misellis rationibus accusabat, quod in conficienda Eucharistia uteretur pane azymo, carnem suffocatam ederet, die sabbato ieiunaret, et in quadragesimá non caneret *Alleluia*; admonuit episcopum Tranensem, ut istam epistolam inter Latinos propagaret. Ea autem, quae Michaël Cerularius exprobrabat Latinis, non esse legitimas causas sed futiles calumniandi praetextus, manifestum est. Eodem tempore audax Cerularius omnes Latinorum in urbe Constantinopoli ecclesias claudi, et monachos ritus latini e coenobiis suis eiici iussit [1].

S. Leo IX de his certior factus, prolixam, eruditam et gravem epistolam ad Michaëlem scripsit, in qua unitatem Ecclesiae et Apostolicae Sedis auctoritatem egregie defendit, Michaëlis audaciam et pessimos effectus, qui ex ea sequi possent, ostendit perstrinxitque, et eum ad resipiscentiam hortatus est [2]. Michaël, sive iussu imperatoris Constantini Monomachi, sive minis civium erga R. Ecclesiam magis addictorum, permotus, litteras pacis conciliatrices ad Pontificem reddidit. Quapropter Leo IX Constantinopolim legavit Humbertum cardinalem episcopum Silvae Candidae, Petrum archiepiscopum Amalphitanum et Fridericum R. Ecclesiae diaconum, eisque litteras dedit ad Michaëlem patriarcham et Constantinum imperatorem [3]. In epistola ad patriarcham Pontifex ei gratulatur quod nunc Graecos Latinis conciliare conetur; arguit vero eum quod nomen patriarchae oecumenici et auctoritatem in patriarchas orientales usurpare tentarit, et ecclesiam Romanam, quae in azymo pane Eucharistiam conficit, damnaverit. Pontificis legati initio anni 1054 Constantinopolim pervenerunt et ab imperatore honorifice excepti sunt. Cardinalis Humbertus imperatori obtulit scriptam opprobriorum Cerularii contra Ecclesiam Latinam refutationem in forma dialogi, quam imperator in graecum verti et Constantinopoli vulgari iussit. Idem Humbertus confutavit librum Nicetae monachi Studitae contra Latinos de azymis, de ieiunio sabbati et de coelibatu clericorum, et Nicetam ad combu-

---

[1] Labbe, t. IX, p. 1079-81.
[2] Ibid. p. 1100.
[3] Idem, t. X, p. 378.
[4] Cf Mabillon, *Dissert. de Berengarii damnatione, relapsu et poenitentia,* in *Analect.* t. II, p. 477.

---

[1] Baron. ad an. 1053.—De usu panis azymi et fermentati in conficienda SS. Eucharistia, cf Mabillon, *Dissertatio de pane Eucharistico*; F. Macedo, *Disquisitio theol. de ritu azymi et fermentati*; A. Sandini, *Disputatio* X et XI.
[2] Apud Labbe, *Concil.* t. IX, p. 949, et Harduinum t. VI, p. 927. — Illud obiter observandum, quod Leo IX habet in Epistola citata ad Cerularium (c. 23), ubi Ecclesiae Cpnae exprobrat levitatem in ordinandis eunuchis eius Episcopis, aiens loco unius ex eis ordinatam fuisse feminam ferri; quod sane Leo Cerulario haudquaquam exprobraturus fuisset, si fabula de Ioanna Papissa vulgata fuisset, quam a Cerulario in Leonem ipsum, adeoque in Romanam Ecclesiam facile regeri posse praesensisset. Vid. Mabillonius in praefat. *in saeculum Benedictinum VI*, part. 2, § 1, n. 6.
[3] Labbe, *loc. cit.* p. 977-981.

rendum librum suum adduxit. Cerularius vero legatos Pontificis ne ad conspectum quidem suum admisit. Hi igitur videntes, illum omnem componendorum dissidiorum spem praecidere, in ecclesia s. Sophiae ante missarum solemnia contra obstinatum patriarcham scriptam excommunicationis sententiam posuerunt supra altare principale, deinde, imperatore et optimatibus praesentibus, anathema pronuntiarunt contra omnes, qui fidem R. Ecclesiae pervicaciter impugnarent. His factis legati in Italiam regressi sunt.

Post eorum discessum Michaël Cerularius contra litteras excommunicatorias legatorum, quos a Pontifice missos negabat, et contra omnes, qui eis componendis partem habuerint anathema pronuntiavit; et ad odium contra ecclesiam Latinam, et schisma propagandum, epistolam scripsit ad Petrum patriarcham Antiochenum, in qua conquestus est, quod patriarchae Orientales nomen Pontificis in sacris diptychis conservarent, et cum Azymitis communicarent; praeterea nova contra Latinos opprobria protulit, praesertim quod symbolo Cp. addidissent vocem *Filioque.* Respondit Petrus Antiochenus, plerasque res, quae Latinis vitio vertebantur, esse exigui momenti et tolerandas, illud quidem non esse probandum, additamentum vocis *Filioque*, sed ideo pacem aut unionem haud esse rumpendam. Verum Cerularius istud consilium minime secutus, augendo schismati studuit usque ad obitum; non tantum retinendae patriarchicae dignitatis sed etiam imperatoriae potestatis obtinendae cupidissimus, an. 1059 propter seditiosos conatus ab imperatore Isaac Comneno in exilium eiectus fuit, in quo non multo post vita excessit [1].

Quamvis autem hoc tempore communio inter utramque ecclesiam, Graecam et Latinam, nondum abrupta fuerit, tamen Cerularius schisma instauravit, quod postea consummatum est et unionem ecclesiae Graecae cum Latina disrupit.

138. *Victor II Pontifex* (*an.* 1055) — Postquam Leo Pp. IX, XIII° calendas maias 1054, ad coelestem vitam fuisset vocatus [2], Romani Hildebrandum, R. Ecclesiae subdiaconum, legarunt ad Henricum imperatorem III, ut Gebeardum episcopum Aistettensem Romam mittendum et in pontificem eligendum impetraret, quoniam in Romano clero non reperiretur ad tantum officium persona idonea; Gebeardi vero prudentia atque peritia in rebus gerendis essent notissimae. Romanorum votis aegre assensit imperator, qui Gebeardi consiliis in omni negotio utebatur; aegrius acquievit Gebeardus, qui ab Hildebrando Romam perductus, summa Romanorum laetitia susceptus, et idibus aprilis an. 1055 pontifex inauguratus fuit sub nomine Victoris II [1].

Hic Pontifex eodem anno in frequenti synodo, Florentiae habita, decessoris sui contra Berengarium decreta confirmavit, bonorum ecclesiasticorum alienationem sub poena excommunicationis prohibuit aliaque utiliter sancivit [2]. Quum autem restituendae disciplinae et extirpandis simoniae atque incontinentiae clericorum magno animo adlaboraret, tantam quorumdam invidiam subiit, ut ei in calice venenum a subdiacono fuerit propinatum, sed periculo ereptus est per prodigium [3]. An. 1056 ab Henrico III in Germaniam vocatus, morienti imperatori apostolicam benedictionem largitus est, eius filium quinquennem, Henricum IV, a patre e procerum consensu in successorem designatum, in suam tutelam suscepit, rebusque Germaniae compositis et pace inter principes conciliata, in Italiam regressus est. Idem Pontifex Hildebrandum R. E. cardinalem legavit in Gallias tum ad corrigenda Ecclesiarum mala, tum ad cognoscendas quorumdam Episcoporum causas.

139. *Synodi in Gallia et Hispania* — Hildebrandus demandata sibi a Victore II legatione sollicite perfunctus est; an. 1055 ad extirpandam simoniam in provincia Lugdunensi synodum coëgit, in qua cum episcopum simoniacum ad criminis confessionem miraculo adegisset, 45 episcopi et 27 alii ecclesiastici praelati se simoniae reos confessi sunt, seque sponte dignitatibus suis abdicarunt [4]. Aliam eodem anno synodum

---

[1] Baron., ad an. 1053 sq.; Leo Allat., *De libris ecclesiast. Graecor.* diss. II, et *De perpetua Ecclesiae orient. et occident. consensione,* l. 2; I. B. Coteler. *Monumenta eccl. graec.* t. II, p. 108; Martene, *Thesaurus anecdot.* t. V.

[2] Bolland. *Acta SS.* 19 april. — Inter caetera Leonis PP. IX sanctitatis argumenta hoc quoque numeratur a Leone Ostiensi (*Chron. Casin.* l. II, c. 87) quod, dum Romae ageret, tribus per hebdomadam diebus a Laterano in Vaticanum nudis pedibus, tribus tantum clericis comitatus, silentio noctis procedere psallendo atque orando soleret. — Scripsit quoque nonnulla praeclara opuscula, in quibus eloquii venustas et sententiarum sublimitas merito commendatur. Vid. Trithemius, *De Scriptoribus Eccl.* c. 331.

[1] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. II, c. 89; Herman. Contract., *Chron.*

[2] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1079.

[3] Lambert. Schafnaburg., *Chron.*

[4] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1080.

Hildebrandus habuit apud Turones, in qua Berengarius haeresim suam abiuravit. In eadem synodo Henricus imperator III per legatos questus est, quod Ferdinandus rex Castellae et Legionis, contra ius moremque maiorum, nomen imperatoris sibi arrogaret; Victor Pp. de ea re interrogatus, mandavit Ferdinando, ut nomen imperatoris dimitteret, quod hic e procerum consilio fecit [1]. An. 1056 Victor Pp. synodum cogendam iussit Tolosae, ad quam vice sua direxit Rambaldum Arelatensem et Pontium Aquensem archiepiscopos. In ea editi sunt 13 canones praecipue contra simoniacas ordinationes, incontinentiam clericorum, adulterinas et incestas nuptias [2].

In Hispania etiam, in qua principes christiani Legionis, Castellae, Aragoniae et Navarrae de Mauris inter se divisis plures victorias retulerant, finesque suorum regnorum protulerant, restituendae disciplinae ecclesiasticae adlaboratum fuit. An. 1050 Ferdinandus, rex Legionis et Castellae, proceres ecclesiasticos et laicos convocavit in castro Coyaco in dioecesi Ovetensi. Condita illic sunt 13 capitula, in quibus inter alia constitutum fuit, ut episcopi cum suis clericis ministerium ecclesiasticum fideliter exequerentur et vitam canonicam ducerent; abbates et abbatissae monasteria regerent secundum regulam s. Benedicti et per omnia subditi essent episcopis; laici nullam in ecclesias vel clericos potestatem usurparent; comites populum sibi subiectum secundum iustitiam regerent; omnes fidem regi servarent, rex vero iustitiam, et qui hanc constitutionem fregerit, sive rex sive comes, ecclesiastici vel laici ordinis, excommunicatus et dignitate sua temporali privatus esset [3]. An. 1060 episcopi 9 convenerunt Iaccam, vetustam urbem Vasconum; adfuerunt etiam Ramirus rex Aragoniae eiusque filii et proceres. Tractatum illic fuit de reformandis moribus, bellorum tumultu depravatis; res ecclesiasticae secundum canonica decreta compositae; ritibus Gothicis subrogati Romani, et sedes episcopalis Osca translata est Iaccam [4].

140. *Stephanus IX Pontifex* (*an.* 1057)— Victore Pp. II, v° calend. augusti an. 1057, Florentiae defuncto [5], post sex dies, omnium uno consensu in eius locum suffectus fuit Fridericus, Gozzelonis ducis Lotharingiae filius, abbas Casinensis et R. E. Cardinalis Presbyterus. Hunc Romani uno omnes consilio, ac voluntate concordi, per vim ex hospitio eductum ad B. Petri, quae ad vincula nuncupatur, Basilicam perducunt. Ubi eius vocationem de consuetudine facientes [1], Stephanum, quoniam festum s. Stephani Papae eo die celebrabatur, appellari decernunt. Die vero altera apud B. Petri Basilicam ingenti cunctorum laetitia summus et universalis Pontifex consecratur. Is confestim in disciplinae ecclesiasticae et morum reformationem incubuit; novis constitutionibus clericorum incontinentiam et connubia atque incestas consanguineorum nuptias proscripsit; Petrum Damiani, monachum s. Crucis ad montem Avellanum, sanctitate, eruditione et disciplinae ecclesiasticae studio clarum, creavit cardinalem; Stephanum cardinalem, Desiderium abbatem Casinensem et Mainardum postea episcopum Silvae Candidae, legavit Constantinopolim cum litteris ad imperatorem Isaac Comnenum; Hildebrandum et Petrum Damiani cardinales atque Anselmum episcopum Lucensem legavit Mediolanum, ubi clericorum incontinentia et simonia ita erant communes, ut s. Arialdus canonicus diaconus palam e suggesto contra ista vitia invehendum esse duceret. Huius autem sancti viri et legatorum Pontificis opera effectum est, ut plerique fideles pravorum sacerdotum consortium vitarent, et nonnulli clerici malos suos mores corrigerent; cum vero alii in prava vita pergerent, tristis divisio in ecclesia Mediolanensi exorta est, quae pluribus annis duravit. Deinde Stephanus Pp. Hildebrandum legavit ad Agnetem augustam, quae pro filio suo Henrico IV regnum Germaniae moderabatur; prius vero e cleri populique Romani consensu decreverat, ut si sibi ante Hildebrandi reditum mori contigisset, comitia pontificia usque ad eius adventum protraherentur. Reipsa Stephanus IX haud multo post, IV° calend. april. an. 1058, Florentiae obiit [2].

141. *Nicolaus II Pontifex* (*an.* 1058)— Post Stephani IX obitum paucorum factio in Petri cathedram intrusit Ioannem Mincium, episcopum Veliternum, qui assumpsit nomen Benedicti X. Quum frustra reclamassent cardinales, et Benedicti ordinationi opposuissent supra relatum Stephani IX de-

---

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1081.
[2] Ibid. p. 1084.— [3] Ibid. p. 1064.
[4] Ibid. p. 1111.
[5] Baron. ad an. 1057, § 9.

[1] Tunc electio Pontificis fieri solebat per vocationem, et acclamationem, non per secretum scrutinium.
[2] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. II, c. 97; Baronius et Pagi, ad an. 1057-58.

cretum, dicto contra antipapam anathemate ab urbe discesserunt. Hildebrandus e Germania in Italiam redux, quum Benedicti intrusionem audivisset, Florentiae substitit, ad Romanorum primates litteras scripsit, et accepto eorum consensu, an. 1058 v° calend. ianuar. Senis in Pontificem eligendum curavit Gerardum, Burgundum, episcopum Florentinum, qui nomen Nicolai II suscepit. Henricus IV, electione probata, mandavit Godefrido duci Hetruriae, ut electum Romam duceret et Benedictum invasorem expelleret. Nicolaus II e cardinalium consilio synodum indixit Sutrii. Antipapa, iis auditis, conscientiae remorsu tactus, sedem pontificiam quam decem fere mensibus occupaverat, reliquit et in propriam domum divertit. Quapropter Nicolaus II Urbem ingressus, et a clero populoque honorifice exceptus, xv° calendas februarias 1059 secundum morem consuetum inauguratus fuit [1]. Paulo post Benedictus erratum suum correxit, seque ad pedes Pontificis proiecit, qui eum episcopali et sacerdotali officio privatum ad laicam communionem admisit [2].

Nicolaus II nihil sibi curae egit quam ut ecclesiarum saluti prospiceret; anno 1059 Romae 113 episcoporum, pluriumque abbatum, presbyterorum et diaconorum synodum habuit, in qua ad eliminanda schismata constitutum est, ut defuncto R. Pontifice, in primis episcopi cardinales convenirent, et de electione novi pontificis diligenter tractarent; mox assumptis secum clericis cardinalibus, pontificem eligerent e gremio Romanae ecclesiae, si idoneus in ea reperiatur; deinde accedente reliqui cleri et populi Romani assensu atque imperatoris approbatione, electus consecraretur [3]. Contra incontinentes clericos statutum fuit, ut nemo missam audiret sacerdotis, quem certo sciret habere concubinam; ut sacerdos, diaconus et subdiaconus, qui concubinam duxerit aut ductam non reliquerit, neque missam celebraret, neque evangelium aut epistolam caneret, neque in presbyterio ad divina officia maneret, aut partem redituum ab ecclesia acciperet. Contra simoniacos decretum, ut sine misericordia deponerentur, qui vero hactenus a simoniaco, gratis tamen, ordinati fuissent, per indulgentiam propter nimiam eorum multitudinem in acceptis Ordinibus permanerent; si tamen deinceps quis scienter se a simoniaco consecrari permisisset, uterque dignitate sua privaretur. Constitutum est praeterea, ut qui cum uxore haberet concubinam, communione privaretur, et nemo duceret uxorem e consanguineis usque ad septimam generationem [1]. In eadem synodo Berengarium haeresim suam abiurasse supra diximus [2]. Absoluta synodo Nicolaus II profectus est in Apuliam, et eodem anno synodum habuit Melphiae, in qua sub anathematis poena clericos ad dimittendas uxores compulit. Ibidem quoque excepit Normannos, qui ei reddiderunt quascumque R. Ecclesiae terras occuparant. Nicolaus eos ab excommunicatione absolvit, et in gratiam Apostolicae Sedis recepit, Richardum principatu Capuano, Robertum Apulia, excepto Benevento, Calabria et Sicilia investivit, postquam ii vassallorum more R. Ecclesiae fidem suam et annuum tributum iurassent; quo beneficio devincti Normanni Pontifici gratos sese praestiterunt, perduelles Praenestinos, Tusculanos et Nomentanos in ordinem redegerunt, et in ditione pontificia tranquillitatem restituerunt [3].

Ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam in Gallia Nicolaus Pp. eo legavit Stephanum cardinalem, qui an. 1060 in synodo

---

[1] Benzo, episcopus Albiensis, auctor coaevus, in *Panegyrico* in Henricum IV (l. VII, c. 2, apud Menkenium, t. I *Scriptor. Rer. Germanic.*) refert, Nicolao II Romae in Episcoporum synodo impositam fuisse coronam, in cuius inferiori circulo legebatur: *Corona Regni de manu Dei;* in altero vero: *Diadema Imperii de manu Petri.* Ex quibus intelligitur, duplicis circuli in Tiara Pontificia ornamentum esse multo antiquius Bonifacio VIII, qui vulgo creditur primus adhibuisse Tiaram circumdatam corona duplici. Vid. quoque annot. 1, col. 2, p. 81 voluminis huius.

[2] Leo Ostiens., *Chron.* cit. l. III; Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1058-59; Baron. ad an. 1058-59.

[3] De concessione a Nicolao Henrico regi in hac synodo facta, Baronius, ad an. 1059, § 24, haec habet: « Non ita quidem apparet concessisse illi Pontificem atque Concilium ius eligendi Rom. Pontificem, ut eo privari voluerit Rom. Clerum: imo ad Cardinales Episcopos voluit id potissimum pertinere, inde ad ceteros, quos sive iura, sive consuetudo hactenus admisissent, ne cuiquam praeiudicium inferretur. Nec quidem quis dixerit, plura modo esse Henrico Regi concessa, quam eius patri Imperatori data fuerant a praedecessoribus RR. Pontificibus, nimirum quod hactenus factum vidimus, ut illum eligeret Imperator, in quem primo, si per pacem licuisset, suffragia Romanorum concurrerent: sicque primum Clerus eligeret, et Cleri electioni Imperator ipse faveret: sin minus id Clero facere licuisset, ipsemet Clerus refunderet tunc liberam in Imperatorem electionem, ut quem vellet eligeret, nomine tamen Romani Cleri. In hoc autem Concilio de RR. Pontificum electione constitutio edita est pernecessaria temporibus istis, quibus vis tyrannica vigeret ». Vid. etiam quae in hanc rem disputat Sandini, *Vitae RR. PP.*, *Nicolaus II*, annot. 6, et 7.

[1] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1099; Baron. et Pagi, ad an. 1059. — [2] Vid. p. 281.

[3] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III; Baronius et Pagi, ibid.

apud Turones habita, 10 capitula promulgavit contra simoniam, beneficiorum pluralitatem, incestas nuptias, clericos incontinentes et monachos apostatas [1]. Idem Pontifex novam legationem credidit Petro Damiani et Anselmo Lucensi ad ecclesiam Mediolanensem, qui postquam decreta Apostolicae Sedis e suggesto promulgassent, tandem Guidonis archiepiscopi eiusque cleri animos ad poenitentiam flexerunt. Quum autem vix ullus e clero non esset vel pretio ordinatus vel foeda consuetudine maculatus, censuerunt legati, canonum severitatem in hoc negotio temperandam, simul tamen finem istis malis constituendum; quapropter ab archiepiscopo et clero exegerunt promissionem iuratam et scriptam, qua se simoniam et incontinentiam execrari et utrumque malum extirpaturos polliciti sunt. Post haec, legati eos, constituta poenitentia, reconciliarunt; praeterea decreverunt, ut non omnibus promiscue officium redderetur, sed iis, qui litteris eruditi, casti et morum gravitate honesti viderentur [2]. Verum post legatorum discessum Guido archiepiscopus, assiduis pravorum clericorum querelis et pene conviciis stimulatus, ad pristinum statum reversus est. — Nicolaus Pp. II obiit xi° calendas augusti an. 1061, cum per *biennium, semestre et dies quinque supra viginti* Pontificem egisset.

142. *Alexander II Pontifex* (*an.* 1061) — Post eius obitum magna orta est dissensio in eligendo successore. Episcopi Longobardi, magna ex parte simoniaci et incontinentes, cupientes pontificem sibi similem, primo Guibertum Parmensem, qui vice Henrici IV adhuc iunioris Longobardiam gubernabat, deinde aulicos regis et aliquot episcopos Germaniae in partes suas pertraxerunt; cum his Basileae conciliabulum tenuerunt, in quo omnia Nicolai II acta et decreta rescindere atque abrogare ausi sunt. Id cardinales impulit, ut quamprimum Sedi vacanti prospicerent. Quapropter Stephanum cardinalem cum litteris legarunt ad Henricum regem Germaniae; sed pravis aulicorum artibus effectum est, ut Stephanus ne exceptus quidem a rege, Romam redierit. Quum iam tribus fere mensibus Apostolica Sedes vacaret, et Ecclesia in magno discrimine versaretur, cardinales, assentientibus clero et populo Romano, pontificem elegerunt Anselmum, patria Mediolanensem et episcopum Lucensem, vitae sanctimonia, eruditione et ecclesiastici regiminis peritia insignem, qui calendis octobris 1061 sub nomine Alexandri II inauguratus est [1].

Cadalous antipapa — Quum vero perversi aulici Agneti augustae, Henrici IV matri, persuasissent, electionem Alexandri II esse factam in iniuriam et contemptum regis, ipsa abiecto Alexandro, a duobus, indignis episcopis, Vercellensi et Placentino, v° calendas novembris 1061 eligendum curavit Cadaloum, episcopum Parmensem, illis simillimum. Hic, assumpto nomine Honorii II, militibus stipatus Romam properavit, mense aprili 1062 urbem obsedit, civesque pecunia corrumpere conatus est; sed opem ferente Godefrido duce Hetruriae, a Romanis turpiter repulsus, Parmam rediit. Anno sequente rursus, cum armata manu, urbem ingressus est, sed mox a suis desertus, se ad Cencium in castro s. Angeli recepit.

Ad cohibendum et extinguendum schisma diligenter laboravit s. Petrus Damiani; litteris gravissimis antipapam ad cordis conversionem revocare conatus est; ad defendendam Alexandri II electionem doctum dialogum seu disceptationem synodalem inter advocatum regis et defensorem R. Ecclesiae scripsit, in quo ostendit, consensum imperatoris ad legitimam Pontificis electionem non esse necessarium, illum primis Ecclesiae saeculis minime fuisse expetitum; postea imperatores propter difficiles temporum circumstantias id iuris exercuisse e privilegio eis ab Apostolica Sede concesso, cui propter urgentem necessitatem derogari potest; ante Alexandri electionem legatos fuisse missos ad regem, iisque per iniuriam non auditis, Romanos iure et prudenter electionem peregisse, confidentes, Alexandrum II, utpote regis familiarem, huic gratum futurum [2]. Litteras etiam scripsit ad Annonem archiepiscopum Coloniensem, cui principes Germani, amota Agnete augusta, iunioris regis institutionem et regni administrationem commendaverant. Archiepiscopus consilio Petri an. 1062 Osborii synodum indixit, cui cum episcopis Germanis nonnulli Longobardi adfuerunt. In hac synodo Cadalous antipapa damnatus atque reiectus fuit. Post annos 7 idem factum est in synodo Mantuana. Ex quo tempore Alexander II ubique in Germania ac in Longobardia susceptus, schisma vero extinctum est. Cadalous vero paulo

---

[1] Labbe, *Concil.*, t. IX, p. 1108.
[2] S. Petrus Damiani, *Opuscul.* V; Baron. ad an. 1059.

[1] S. Petrus Damiani, *Opuscul.* IV; Baronius ad an. 1061. — [2] *Opuscul.* IV.

ante mortem suam ab Alexandro Pp. veniam postulasse et accepisse dicitur [1].

Interea Alexander II an. 1063 Romae synodum habuit, in qua Leonis IX et Nicolai II decreta contra simoniacos et clericos incontinentes renovavit confirmavitque; pluralitatem beneficiorum et incesta coniugia usque ad septimam generationem prohibuit [2]. In eadem synodo vel paulo post deposuit Petrum episcopum Florentinum. Hunc enim monachi Florentini palam arguebant, quod episcopatum pecunia accepisset, populumque monebant, ne ab eo aut ab ordinatis ab eodem sacramenta susciperet. Quum episcopus crimen negaret, magna orta erat dissensio in ecclesia Florentina; sed Petrus monachus Vallis Umbrosae illum per ignis probationem palam convicit [3]. An. 1065 Pontifex alteram synodum Romae habuit contra errorem incestuosorum seu quorumdam iurisconsultorum, qui contendebant, gradus consanguinitatis in causa matrimoniorum esse computandos, sicut computantur in Institutis Iustinianeis, sicque plura incestuosa coniugia honestabant. Synodus computationem Iustinianeam pro successionum quidem, non vero pro matrimonii causis approbans, decrevit, ut secundum traditionem antiquam germani fratres et sorores non in secunda, sed in prima, eorum filii et filiae non in quarta, sed in secunda generatione, et sic deinceps numerarentur. Cum vero incestuosi suas coniuges dimittere detrectarent, Pontifex in alia eiusdem anni synodo contumaces communione privavit [4]. — Idemque mandavit sacerdotibus, ut rem divinam facerent semel tantum in die [5]. Renovavit communem Regularium Canonicorum vitam in Ecclesia Lateranensi [1]. Coenobii Casinensis Basilicam dedicavit solemnitate maxima [2]; iusque mitrae permisit Uratislao Boemorum Duci [3], Abbati s. Augustini Cantauriae et Abbati Cavensi [4].

Quum autem supra dicta divisio in ecclesia Mediolanensi perduraret [5], et s. Arialdus, cum annis prope 10 contra simoniacos et incontinentes clericos decertasset, anno 1066 ab adversariis fuisset necatus [6], Alexander II Mediolanum legavit Mainardum episcopum Silvae Candidae et Ioannem R. E. cardinalem presbyterum. Hi anno 1067, ea, quae antea a s. Petro Damiani fuerant decreta, confimarunt, aliaque ad extirpandam simoniam et incontinentiam clericorum praescripserunt. Verumtamen pax non fuit restituta nisi an. 1077 sub Gregorio Pp. VII opera Anselmi Lucensis et Geraldi Ostiensis episcoporum, qui a Gregorio VII Mediolanum legati, Mediolanenses ad poenitentiam et gratiam perduxerunt [7].

Ad componendas res ecclesiasticas in Hispania et constituendos illic divinorum officiorum ritus secundum formulas Romanas, missis Gothicis, Alexander II legavit Hugonem Candidum R. E. cardinalem, qui anno 1068 iis de causis plures synodos in Hispania habuit [8]. Alios legatos idem Pontifex misit in Galliam, Angliam et in Orientem, ut infra videbimus, pastoralem suam sollicitudinem ad omnes christiani orbis partes extendens.

143. *Ecclesiae Graecae status* — Quamvis autem Michaël Cerularius tristissimi schismatis semina in ecclesia Graeca instaurarit [9], pleraeque tamen Graecorum ecclesiae hoc et sequente saeculo exter-

---

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1064; Labbe, *Concil.*, t. IX, p. 1156 et 1179. — [2] Labbe, t. IX, p. 1175.

[3] *Vita s. Ioan. Gualberti*; Desiderius Cassin. seu Victor III, *Dialogor.* l. III.

[4] Labbe, *Concil.* t. IX, p. 1181.

[5] In Concilio Romae habito an. 1063, ex quo decretum recitat Gratianus (Dist. I. *De Consecrat.*), *Sufficit*, ait, *Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est, qui unam Missam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit.* — Qui mos iam abrogatus est. Innocentius enim III (c. *Consuluisti* 3, *De Celebrat. Missar.*) *Respondemus*, subdit, *quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Consentit Honorius III (ibidem, c. *Te referente*, 12). Plura in hanc rem disserit Bona, *Rer. Liturgic.* l. I, c. 18; Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 3, art. 3, § 4 et 18; Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina*, part. 3, l. I, c. 57. Vid. quoque annot. 1, p. 221, col. 1.

[1] Ioannes Diaconus in lib. *De Ecclesia Lateranensi*, c. 8, apud Mabillonium, t. II *Musei Italici*.

[2] Leo Ostiensis, *Chron. Casinens.* l. III, c. 30.

[3] Idem ius confirmavit s. Gregorius VII, l. I *Epist.* 38, asserens *laicae personae tribui non consuevisse*, Exemplum secuti sunt Lucius II et Innocentius III. Alter enim, ut legitur apud Ottonem Frisingensem (*De Gestis Friderici* l. I, c. 28), *concessit Siculo* (Regi Rogerio) *virgam et annulum, dalmaticam et mitram, atque sandalia*; alter vero mitram Regi Aragoniae, referente Rainaldo, ad an. 1204, § 71.

[4] Bona, *Rer. Liturgic.* l. I, c. 24, § 14; Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 4, art. 1, § 16. Urbanus II eundem mitrae usum indulsit *Abbati Casinensi et Cluniacensi*, *alii aliis Pontifices indulserunt, frustra reclamantibus* s. Bernardo, in *Epist.* 42, et Petro Blesensi, *Epist.* 90, *qui hac de causa Abbates ambitionis notant.*

[5] Vid. p. 283 et 285. — [6] Bolland., *Acta SS.* 27 iun.

[7] Labbe, *loc. cit.* p. 1119; Baronius et Pagi, ad an. 1067 et 1077.

[8] Labbe, *loc. cit.* p. 1195-97; Pagi ad an. 1064 et 1068.

[9] Pag. 281.

num saltem communionis vinculum cum ecclesia Latina conservarunt. Confirmant id tum relationes inter RR. Pontifices et ecclesiam Graecam institutae, tum alia monumenta. Anno 1071 Alexander Pp. II Constantinopolim ad imperatorem Michaëlem Ducam legavit Petrum episcopum Anagninum, qui uno anno apocrisiarii munere illic functus est. Idem imperator cum Gregorio Pp. VII egit de comprimendis Turcarum progressionibus, hicque Pontifex an. 1078 Nicephorum Botaniatem excommunicavit, quod deiecto Michaële, imperium usurpaverat. Paschalis Pp. II ad imperatorem Alexium Comnenum legavit Grosolanum archiepiscopum Mediolanensem, ut eos qui schismati adhaerebant, ab eo reduceret, caeteros in Fide et unitate contineret. Etiam Theophylactus archiepiscopus Bulgariae, qui sub Michaële Duca eiusque in imperio successoribus floruit, in libro, quem scripsit de erroribus Latinorum, quamvis asserat Latinos de processione Spiritus S. et quibusdam aliis non recte sentire, eorum tamen, quos putat, errores non tales esse scribit, qui ad scindendas ecclesias sint idonei, quod non ad ipsum Fidei caput pertinerent. Postea vero, ut videbimus, schisma inter utramque Ecclesiam consummatum est [1].

Verum quo magis Graeci ab ecclesiasticae unitatis centro, et Apostolicae Sedis obsequio discedebant, tanto magis eorum res deperibant. Eorum imperio in Italia finem constituerunt Normanni; in Oriente illud tum ipsorum Graecorum dissensionibus tum Turcarum Scheldschukidensium progressionibus declinabat. Erant Turcae, inquit Zonaras, gens Hunnica, populosissima et libera, septentrionale Caucasiorum montium latus accolens. Illi dissidiis bellisque califarum Arabum usi sunt ad invadendum eorum imperium; ante dimidium huius saeculi Persidem sibi subegerunt et ducem suum Tangrolipicem seu Togulbrecum crearunt *sultanum*, quae vox Persice *regem regum* sonat. Anno 1055 Bagdadum, regiam califatus Arabici urbem, ceperunt, et arma sua longe lateque proferentes, califas unum post alium subegerunt, imperium mahometanum (nam et Turcae Islam seu mahometicam religionem sectabantur) ad magnum gloriae apicem evexerunt; Graecis in Armenia, Cappadocia, Ponto bella cruentissima intulerunt, iisque eiectis, plerasque Asiae provincias occuparunt.

[1] Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XI, c. IV, a. 3.

144. *Ecclesiae status in Anglia et Gallia*—In Anglia post obitum s. Eduardi (1066) de regno certatum est inter Haraldum et Guilielmum. Alexander Pp. II hac in re interpellatus, pro Guilielmo, quem s. Eduardus haeredem suum instituerat, respondit. Haraldo brevi post in praelio caeso, Guilielmus, ab Aldredo archiepiscopo Eboracensi, quod Stigandus Cantuariensis a R. Pontifice esset excommunicatus et depositus, coronatus fuit, regnavitque usque ad an. 1087. Ad eius preces Alexander Pp. in Angliam legavit Hermenfredum episc. Sedunensem atque Ioannem et Petrum cardinales presbyteros, ut ecclesiarum statum componerent. Hi an. 1070 synodum habuerunt Wintoniae, in qua Stigandus, qui episcopatus Wintoniensem et Cantuariensem simul occupabat, et posteriorem, vivente adhuc Roberto legitimo archiepiscopo, invaserat et a Benedicto X antipapa pallium susceperat, exauctoratus fuit. Depositi etiam sunt Agelmarus episc. Estangliae et nonnulli abbates tum propter pravitatem vitae tum propter inscitiam ministerii ecclesiastici [1]. Paulo post Hermenfridus legatus, Ioanne et Petro Romam reversis, praesedit synodo Windleshorensi, in qua Algerius episcopus Sudsaxiae pluresque abbates depositi fuerunt [2].

In locum vero Stigandi, Guilielmus rex, qui simul erat dux Normanniae, ad sedem Cantuariensem e Normannia vocavit Lanfrancum abbatem, virum pium ac eruditum, qui non nisi ab apostolico legato coactus assensit, et IV° calendas septembris 1070 summo omnium consensu consecratus est. Anno sequente Lanfrancus et Thomas Eboracensis Romam profecti, ab Alexandro Pp. pallium acceperunt. Quum vero inter utrumque archiepiscopum orta esset controversia de primatu in Anglia, synodus Anglicana an. 1072 sub Huberto Apostolicae Sedis legato e vetustis ecclesiarum Angliae monumentis et RR. Pontificum rescriptis primatum confirmavit ecclesiae Cantuariensi [3].

Erat autem disciplina ecclesiastica in clero, in monachis et in populo collapsa, cui restituendae et corrigendis abusibus Lanfrancus usque ad an. 1089, quo obiit, constanter adlaboravit.

In Gallia Henrico regi an. 1060 successit Philippus, filius eius septennis, sub tutela Balduini comitis Flandriae. Balduinus tutoris partes integerrime obivit, sed an. 1067

[1] Ibid. p. 1202.
[2] Ibid. p. 1203.
[3] Ibid. p. 1211.

magno rei publicae damno vita excessit. Philippus perversis consiliis usus est, pravis cupiditatibus se dedit, ecclesiarum bona invasit, episcopatus et abbatias pecunia vendidit, ecclesias et regnum in tristem statum coniecit.

145. *Ecclesiae status in Germania* —In Germania sub Henrico IV res civicae et ecclesiasticae in tetrum statum adductae sunt. Is annis 5 natus, an. 1056 patri suo Henrico III successerat sub tutela Agnetis matris suae. Post paucos annos principes Germani muliebre imperium et Henrici episcopi Augustae Vindelicorum, qui Agneti a consilio erat, arrogantiam aegre ferentes, amota Agnete, regis institutionem et regni administrationem commendarunt, uti diximus [1], s. Annoni archiepiscopo Coloniensi, qui munere suo prudenter ac fortiter functus est. Rex iustae severitatis archiepiscopi impatiens, confugit ad Adelbertum archiepiscopum Bremensem, qui ex hoc tempore regis cura et regni administratione arreptis, regis cupiditatibus habenas laxavit regnumque tumultibus implevit. An. 1066 rex a proceribus Triburiae congregatis ad dimittendum Adelbertum et recipiendum Annonem coactus est; sed iuris sui factus, se totum pravis cupiditatibus dedit, subditos, praesertim Saxones, dure opprimere, ecclesiasticas libertates et iura violare, episcopatus et abbatias turpissimo quaestu indignis, vel maius pretium offerentibus, vel pravis eius moribus magis adulantibus, conferre coepit [1].

Alexander Pp. II a Saxonibus contra Henricum regem interpellatus, eum an. 1073 Romam ad synodum vocavit, ut pro simonia aliisque criminibus, quorum accusabatur, Deo et Ecclesiae faceret satis. Verum Alexander II eodem anno XI° calend. maii obiit. Post eum Ecclesiae regimen suscepit Gregorius VII, cuius pontificatus, propter rerum ab eo gestarum magnitudinem, celebrem in ecclesiastica historia epocham constituit.

[1]) Pag. 285.

[1] Lambert. Schafnaburg. et Marianus Scotus, *Chron.*

FINIS TOMI PRIMI

NOTA Pag. VIII,	Ind.,		lin. 11,	*An. 1703*	LEGATUR	*An. 1073*
13,	col. 2,	»	2,	*praefato*	»	*praefecto*
105,	» 1,	»	44,	*Ladiocena*	»	*Laodicena*
120,	» 2,	»	41,	*Sraesanct.*	»	*Praesanct.*
174,	» 1,	»	33,	*occupatus*	»	*occupatis*
ib.	» 2,	»	43,	*scripsit*	»	*scriptis*
276,	» 1,	»	53,	*cst*	»	*est*

Nihil obstat
NUNTIUS *Can.* SIGNORIELLO
Censor Theologus

Imprimatur
IOSEPH *Can.* MOLINARI
Deputat.

HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
COMPENDIVM
PRAELECTIONIBVS PVBLICIS ACCOMMODATVM

AB

Henrico Guilielmo Wouters

ECCLESIAE CATHEDR. LEODIENSIS CANONICO, S. THEOLOGIAE DOCTORE
IN VNIVERSITATE CATH. LOVANIENSI HIST. ECCL. PROFESSORE

EDITIO NOVISSIMA CVM ADDITAMENTIS ET NOTIS

CVRA AC STVDIO

Bibliothecae Catholicae Scriptorvm

Interroga patrem tuum, et annuntiabit
tibi; maiores tuos, et dicent tibi.
DEVTERON. XXXII, 7.

TOMVS II
PRAECIPVA HIST. ECCLES. FACTA COMPLECTENS
a Pontificatv s. Gregorii VII
vsqve ad nostram aetatem

NEAPOLI
APVD OFFICINAM EIVSDEM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM
Via *vulgo dicta* s. Giovanni Maggiore Pignatelli
IN AEDIBVS FIBRENIANIS

Neapoli — Typis Regiae scientiarum Academiae
apud Michaëlem de Rubertis

INDEX

CAPITVM QVAE IN HOC II TOMO EVOLVVNTVR

EPOCHA SEPTIMA, A PONTIFICATV S. GREGORII VII VSQVE AD INNOCENTIVM III AN. 1198

PAG. 3-49

EPOCHA OCTAVA, A PONTIFICATV INNOCENTII III VSQVE AD SCHISMA OCCIDENTIS AN. 1378

PAG. 50-105

EPOCHA NONA, AB INITIO SCHISMATIS OCCIDENTIS VSQVE AD FINEM IMPERII GRAECI AN. 1453

PAG. 106-129

EPOCHA DECIMA, AB EXCIDIO IMPERII GRAECI VSQVE AD INITIA LVTHERI AN. 1517

PAG. 130-145

EPOCHA VNDECIMA, AB INITIIS LVTHERI VSQVE AD IANSENISTARVM EXORDIA AN. 1640

EPOCHA DVODECIMA, A LITIBVS IANSENISTICIS VSQVE AD PVBLICAM RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONEM AN. 1789

EPOCHA DECIMATERTIA, A PVBLICA RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONE VSQVE AD PRAESENTEM AETATEM

AN. 1883

PAG. 313-447

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA SEPTIMA

A PONTIFICATV S. GREGORII VII VSQVE AD INNOCENTIVM III, AN. 1198.

PROOEMIVM

Ordinatissimam utriusque potestatis, sacerdotii et imperii, concordiam, quae sub Leone Pp. III et Carolo M. fuerat composita, principum dissidiis, magnatum ambitionibus bellisque civilibus disruptam, cladesque ingentes inde tum rerum publicarum securitati et prosperitati tum Ecclesiae paci, disciplinae, splendori iuribusque illatas, in praecedenti epocha conspeximus. Ad reparanda grassantia mala, ordo christianae societatis erat componendus, Ecclesiae libertas et iura vindicanda, cleri disciplina reformanda, populorum mores corrigendi, principum saecularium in res sacras audacia, quae erat plurium malorum causa, reprimenda. Haec autem non sine grandibus laboribus, neque sine luctationibus multiplicibus effici poterant.

Divina providentia ad incipiendum tantum opus destinavit Gregorium Pp. VII, qui magna vitae sanctitate, grandi animi fortitudine et constantia praeditus, vindicandae Ecclesiae libertati et restituendae disciplinae diligentissimam simul ac strenuam operam navavit. Eius vestigiis inhaesere qui ei in summo pontificatu successerunt. Hi etiam ad s. Gregorii exemplar reformandis abusibus, vindicandis ecclesiasticis libertatibus et iuribus contra imperantes civiles, et liberandae societati christianae ab iniustis oppressionibus strenue adlaborarunt; ad liberandos etiam Christianos in Oriente a dira Mahumethanorum servitute, ad recuperandam Terram sanctam, ad reprimendas istorum infidelium progressus et conservandam ab eorumdem tyrannide Europam excitarunt bella sacra seu expeditiones dictas *cruciatas*. Attamen haec ipsa RR. Pontificum de Ecclesia et societate merita a nonnullis historicis vix laudata, quandoque improbata fuerunt.

RR. Pontificum exemplo excitati plures etiam episcopi conservando Fidei deposito et restituendae disciplinae adlaborarunt multasque synodos ad id coëgerunt. Institutum monasticum splendorem atque incrementum grande cepit fundatis novis Ordinibus Cisterciensium, Carthusianorum, Praemonstratensium, Carmelitarum aliorumque. Durante hac epocha quoque instituti sunt celebres Ordines equestres s. Ioannis Hierosolymitani, Templariorum et Teutonicorum. Floruerunt etiam viri, eruditionis laude conspicui, qui aut catholicam doctrinam contra emergentes errores propugnarunt, aut Ecclesiae iura defenderunt, aut res gestas litteris consignarunt.

1. *S. Gregorius VII Pontifex* (*an.* 1073) —Alexander Pp.II quum post annos 11, menses 6, dies 21, quam Ecclesiae praeesse coeperat, xi° calendas maias 1073, ut vidimus, ad meliorem vitam transiisset, in eius locum summis omnium Cardinalium suffragiis, cleri populique assensu et applausu [1] electus fuit Hildebrandus, e patre suo Suanae in Hetruria natus, e monacho Cluniacensi R. E. cardinalis archidiaconus, sub Leone IX, Victore II, Stephano IX, Nicolao II et Alexandro II, praecipuis muneribus et legationibus, sicuti diximus, perfunctus est: vir in-

---

[1] Id patet ex decreto electionis Gregorii, ap. Baronium ad. an. 1073, § 24, et ap. Labbeum, t. X *Conc.* p. 6. Item ex eius *Epistola* 3, l. 1, apud eumdem Labbeum p. 7. Itaque mentitur Benno, pseudo-Cardinalis creatus a pseudo-Pontifice Clemente III, scribens, Gregorium VII per vim occupasse Sedem Apostolicam, nullo Cardinale suffragante, nullo Cleri populique consensu. Eumdem Bennonem, eiusque sectatores recentes heterodoxos mentiri affirmantes, Gregorium dubitasse de praesentia Corporis Christi in Eucharistia, satis superque ostendit Gregorius ipse in sua *Epist.* 47 (l. I), qua Mathildem Comitissam hortatur ad Eucharistiae sacramentum frequenter sumendum. *Inter cetera*, scribit, *quae tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut Corpus Dominicum frequenter acciperes, iudicavi, et ut certae fiduciae Matris Domini te omnino committeres, praecepi.*

*

genii praestantis, eruditionis rarae, sanctitatis magnae, et studii constantis in disciplinam ecclesiasticam, optime versatus. Ipse quidem omni via electioni suae restitit, regemque Henricum IV interpellavit, ne eam approbaret; sed et rex electioni eius assensit, atque Gregorium episcopum Vercellensem Romam misit, ut vice sua Hildebrandi consecrationi interesset [1].

Hildebrandus, tunc sexagenarius, in sua inauguratione, III° calend. iul. 1073, assumpsit nomen Gregorii VII, rexitque Ecclesiam usque ad an. 1085; ecclesiasticam libertatem et iura intrepide vindicavit, simoniam, quae in multis provinciis sacras electiones et ordinationes inficiebat, investituras, quae gravium malorum, ut mox videbimus, causae erant aliosque abusus proscripsit, disciplinam ecclesiasticam, praesertim coelibatum clericorum, in integrum restituit, et ad vindicandos Christianos orientales ab infidelium tyrannide ea iniit consilia, quae ab Urbano Pp. II fuerunt executioni mandata. Haec omnia magis e dicendis patebunt.

2. *Investiturae* —Magnus simoniae et relaxatae in clero disciplinae fomes, magnae inter RR. Pontifices et principes saeculares discordiae causae fuerunt investiturae. Harum origo repetenda est ab eo tempore, quo episcopi et abbates non tantum praedia, sed castella, urbes, provincias, tamquam feuda possederunt. Ex eo tempore ad eiusmodi episcopatus et abbatias nominati summos imperantes adibant, ut ab iis dominio in ista feuda investirentur. Verum quod initio aequitati consentaneum videbatur, deinde in magnum disciplinae et libertatis ecclesiasticae detrimentum cessit. Invaluit quippe consuetudo, ut principes laici praetextu investiturarum collationes episcopatuum et abbatiarum sibi adsciscerent, defunctorum episcoporum et abbatum baculum pastoralem et annulum ad se deferri mandarent; haecque sacrae potestatis insignia conferrent iis, qui sibi gratiores erant, et hi continuo episcopi et abbates creati censerentur. Hac ratione effectum est, ut ablata clero et monachis electione, tota eligendorum episcoporum atque abbatum potestas deferretur ad summos imperantes, ut dignitates ecclesiasticae turpissimo quaestu venderentur, et non hominibus dignis conferrentur, sed iis qui vel maius auri pondus offerebant vel regi eiusque ministris gratiores erant, ut ut caeterum ignorantes aut vitiis inquinati; e qua agendi ratione maxima ecclesiasticae libertati et disciplinae detrimenta inferebantur. Quapropter s. Gregorius VII aliique Pontifices, eius successores, ad vindicandam Ecclesiae libertatem et ad extirpandam simoniam quaeque ab ea consequebantur mala, iure merito investituris restiterunt et eas damnarunt [1].

3. *Synodi Romanae* (*an.* 1074-75)—In primis s. Gregorius Pp. an. 1074 Romae 50 episcoporum multorumque abbatum et clericorum synodum habuit, in qua ad extirpandum simoniae crimen et ad coërcendos incontinentes clericos, constitutum fuit, ut qui aliquem sacrorum ordinum gradum pretio essent adepti, nullatenus in Ecclesia ministrarent; ut nemo ecclesiastica iura aut vendere aut emere praesumeret; ut qui ecclesiam pretio accepisset, omni in ea ministerio careret; ut incontinentes sacerdotes, diaconi et subdiaconi Ordinum suorum exercitiis essent interdicti, et populus non reciperet seu frequentaret officia eorum, qui in hac re constitutiones apostolicas transgrederentur [2].

Anno sequente Pontifex alteram plurimorum episcoporum, presbyterorum et abbatum synodum Romae coëgit, in qua contra investituras editum est decretum, quod sequitur: « Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicuius laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos

---

[1] Apud Baron., ad an. 1073; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1. — Pagi (*Critica* ad an. 1074, n. 6) animadvertit, *Gregorium VII ultimum fuisse, cuius electio ante consecrationem Imperatori significata fuerit.*

[1] Thomassin., *Disciplina eccl. circa Benef.* t. II, l. 2; C. Lupus, *Scholia et dissert. in Concil.* t. VI; Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. XI, diss. 4; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 2-3.

[2] Labbe, *Concil.* t. X, p. 313. Iniuste Sigebertus Gemblacensis (*Chron.* ad an. 1074) ex ultimo istius synodi capitulo infert, Gregorium VII censuisse, Sacramenta ab incontinentibus sacerdotibus confecta, esse invalida. Solum enim populo prohibuit audire missas eiusmodi sacerdotum aut eorum officia recipere et frequentare, ut hi contemptu publico ad emendandam vitam compellerentur, sicut id exponit idem Pontifex in Epistola ad Ottonem episcopum Constantiensem. *Statuimus etiam*, inquit Gregorius, *ut si ipsi contemtores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia saeculi et obiurgatione populi resipiscant.* Cf eundem Labbe, loc. cit. Summam etiam antiquitatis ecclesiasticae ignorantiam aut malam fidem produnt Mosheim (*Institut. hist. eccl.* saec. XI, part. II, c. 2), Ranke (*Histoire de la papauté*, t. I), De Potter (*L' esprit de l' Église*, t. V, part. II, l. 2), asserentes, clericos saeculares primum a Gregorio Pp. VII legi coelibatus fuisse adstrictos; e plurimis quippe monumentis manifestum est, quosvis clericos maiores a vetustissima Ecclesiae aetate ad vitam continentem fuisse obligatos. Cf t. I, p. 77; I. B. Palma, loc. cit., c. 4; Franc. Ant. Zaccaria, *Storia polemica del Celibato Sacro.*

vel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo vel abbati obedientia concedatur. Insuper ei gratiam B. Petri et introitum ecclesiae interdicimus, quoadusque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiae, quod est scelus idololatriae, cepit, deseruerit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, ducum, marchionum, comitum vel quilibet saecularium potestatum investituram episcopatus vel alicuius ecclesiasticae dignitatis dare praesumpserit, eiusdem sententiae vinculo se adstrictum sciat [1] ».

Utriusque synodi decreta Pontifex omnibus ubique episcopis et principibus per litteras significavit, legatosque in diversas regiones misit, qui eorumdem decretorum executionem imperarent. Contra haec decreta in Germania infremuit simoniacorum et incontinentium clericorum factio, Gregorium haereticum esse, se vero malle sacerdotium deserere quam decreta eius suscipere, inclamans [2]. Quum Sigefridus archiepiscopus Moguntinus in synodo Erfordiensi et Moguntina, secundum Romanae synodi decretum, clericis mandaret, ut vel continenter viverent, vel a ministerio sacro abstinerent, tantus excitatus est tumultus, ut archiepiscopus sibi metuens, ab urgenda decreti observantia cessaret [3]. Maiori constantia apostolicas constitutiones observandas curavit s. Altmannus episcopus Passaviensis, qui proinde et pravorum clericorum insidias et Henrici regis, qui illis favebat, vexas expertus [4].

4. *Lis inter Gregorium VII et Henricum IV* — Tantam clericorum in Germania audaciam nemo mirabitur, qui pessimos ipsius regis Henrici IV mores noverit [5]. Gregorius Pp. regem saepius hortatus est ad vitae emendationem, ad eiiciendos pravos consiliarios, ad restituendam Ecclesiae libertatem. Henricus ut ut Pontifici propter decretum de investituris infensus, quia bello Saxonico implicitus, multa Gregorio promisit, sed nihil effecit; neque immunis fuisse creditur a coniuratione, an. 1075 Romae contra Pontificem inita a Cencio viro facinoroso, Romae commorante. Is, postquam e Lucania et Apulia, quos potuit, eiusdem furfuris homines congregasset, in Pontificem coniurationem molivit. Pluries propter sua facinora a Romae praefecto damnatus et pluries a Pontifice liberatus, qui postea vero propter sua scelera excommunicavit, armata manu in Gregorium sacris operantem in sacello S. M. ad Praesepe in ecclesia S. Mariae maioris media nocte Nativitatis Domini irripuit et contumeliis verberibusque affectum turri inclusit. Pontifex a populo Romano liberatus, insigne moderationis christianae exemplum dedit, Cencio veniam et poenitentiam petenti ignoscens, modo peregrinatione Hierosolymitana sacrilegium expiaret [1]. Henricus vero superatis an. 1075 Saxonibus, Pontificem et Ecclesiam graviter vexare coepit. In Saxones et Thuringos terribilem vindictam exercuit; civitates depraedatae, viri necati aut fugati, mulieres in ipsis ecclesiis oppressae, episcopi et sacerdotes capti, omnes in durissimam servitutem redacti sunt. Contra tantam tyrannidem Saxones communem Christianorum patrem, R. Pontificem, interpellarunt, eique Henrici regis saevitiam, infamia crimina et turpissimum quaestum, quo dignitates ecclesiasticas hominibus indignis conferre pergebat, significarunt. Gregorius VII legatos cum litteris ad Henricum IV destinavit, ut missis investituris, libertatem Ecclesiae restitueret, et Romam ad synodum veniret de criminibus, quorum accusabatur, rationem redditurus, sub excommunicationis periculo.

Rex ira percitus, legatos Pontificis cum contumeliis eiecit, et ex omni regno suo synodum indixit Wormatiae an. 1076. In hoc conciliabulo cardinalis Hugo Blancus, propter morum suorum pravitatem a R. Pontifice depositus, regi, episcopis et abbatibus obtulit libellum accusationum idest calumniarum contra Gregorium Pp.; exhibuit etiam litteras, nomine cardinalium, senatus populique Romani confictas, quibus ii Gregorii depositionem postulare viderentur. Secundum haec praelati congregati, quorum alii erant simonia aliisve vitiis inquinati, alii regis vi et minis perterriti, sententiam in Gregorium ferre ausi sunt, eum pontificatu indignum et privatum declarantes. Confestim rex ista significavit episcopis Longobardis, qui magna ex parte s. Gregorio propter reformationis decreta infensi, in conciliabulo Papiensi eius depositioni subscripserunt. Eodem tempore rex clerum, senatum populumque Romanum ad exauctorandum Gre-

[1] Labbe, loc. cit. p. 342.
[2] Marian. Scotus, et Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1074.
[3] Lambert. Schafnaburg., ad an. 1075.
[4] Bolland. *Acta SS.* 8 august.
[5] Cf t. I, p. 228.

[1] Paul. Bernriedensis, *Vita S. Gregorii VII*

gorium excitavit, et Pontifici ipsi petulantissimis litteris sententiam depositionis significavit [1].

Tantam principis iniquitatem et audaciam minime tolerare potuit Pontifex. Eodem igitur anno coacta Romae 110 episcoporum, abbatum et diversi ordinis clericorum atque laicorum synodo, exposuit ea, quae ab Henrico IV fuerant attentata. Omnes cum indignatione exclamarunt, talem principem honore regio privandum et anathematis vinculo alligandum esse. Tunc Gregorius Pp., acclamante tota synodo, sententiam in Henricum IV dixit, qua ei, ex parte omnipotentis Dei, totius regni Teutonicorum, et Italiae gubernaculis interdixit, eum anathematis vinculo alligavit, omnes Christianos a vinculo iuramenti, quod ei praestiterant, absolvit, et ne quis ei ut regi serviret, prohibuit. In eadem synodo Pontifex Sigefridum archiepiscopum Moguntinum, Willelmum Traiectensem et Robertum Bambergensem, qui praecipuas partes in conciliabulo Wormatiensi habuerant, excommunicavit; caeteris, qui eidem conciliabulo interfuerant, eandem poenam comminatus est, nisi intra statum diem Sedi Apostolicae facerent satis. Episcopos Longobardos, qui contra Pontificem conspirarant, ab omni officio episcopali suspendit et ab Ecclesiae communione separavit. His factis, Pontifex sententiam in Henricum latam omnibus fidelibus, praesertim episcopis et optimatibus regni Teutonici significavit per litteras, in quibus exposuit, qua ratione Henricum regem primo adhortationibus, deinde admonitionibus et comminationibus a criminibus, Ecclesiae ac reipublicae perniciosis, perducere conatus fuerit, quaque ratione tandem ad ferendam in eum, in dies audaciorem et contumaciorem, sententiam sit coactus [2].

Summa autem haec potestas, qua Gregorius Pp. VII erga Henricum IV et alii nonnulli Pontifices erga aliquot imperantes civiles media aetate usi sunt, multis scriptoribus displicuit, qui contenderunt, Pontifices istos in hac re sibi usurpasse potestatem, quam non habebant, muneris sui limites esse transgressos, turbasque graves in christiana societate excitasse. Horum criticorum assertiones multi viri eruditi refellendas susceperunt, illosque Pontifices a praedictis accusationibus vindicarunt, diversa tamen ratione. Alii contenderunt, RR. Pontificibus iure divino inesse potestatem directam et ordinariam in spiritualia, indirectam vero et extraordinariam in temporalia, seu eorum potestatem directe quidem primitusque ordinatam et institutam esse ad spirituale fidelium regimen in ordine salutis aeternae, quandoque tamen se etiam extendere ad temporalia, dum id ad tuitionem spiritualium est necessarium; adeo ut, si qui principes saeculares potestate sua in Religionis destructionem abutantur, RR. Pontifices eos non tantum poenis spiritualibus reprimere, sed etiam contumaces deponere possint [1]. Alii censent, summam istam potestatem, qua RR. Pontifices media aetate erga aliquot imperantes civiles usi sunt, ex ipsis christianae societatis, prout tunc constituta erat, adiunctis atque necessitatibus esse repetendam; eamque potestatem receptis tunc et eruditorum virorum et ipsorum principum opinionibus atque vigenti iuri publico fuisse consentaneam [2]. Reipsa omnes hoc

---

[1] Idem, ibid. c. 7; Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1076; Labbe, *Concil.* t. X, p. 354; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* diss. II, a. 1-3 *in saec.* XI-XII.

[2] S. Gregor. VII *Epist.* 6, l. III; *Epist.* 3, l. IV; P. Bernried., *Vita S. Gregor. VII*, c. 8; Baron. ad an. 1076; Labbe, loc. cit. p. 355. — Otto Frisingensis (l. VI, c. 35) existimavit Gregorium VII omnium primum sibi adscivisse ius excommunicandi et deponendi principes ab auctoritate, qua fruuntur. Sed Bellarminus, in Tractatu *De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guilielmum Barclaium*, c. 9, respondet: « Fuit quidem Otto Frisingensis doctrina, moribus, et nobilitate insignis; sed tamen legendo et relegendo non invenit omnia. Nam Arcadium Imperatorem ab Innocentio I Pontifice propter electionem s. Ioannis Chrysostomi excommunicatum fuisse testatur Nicephorus (l. XIII, c. 34), qui et sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat. Eiusdem excommunicationis meminit Gregorius VII in *Epistola* ad Episcopum Metensem. Leonem quoque Isauricum Imperatorem a Gregorio II, et rursum a Gregorio III excommunicatum propter haeresim Iconomachorum....... testantur historici graeci et latini ». Id ipsum adversus Ottonem Frisingensem adnotarunt Sfondratus, in *Gallia Vindicata*, Dissert. 2, § 2; Nat. Alexander, in *Historia Ecclesiastica*, saec. VI, c. 2, art. 1; Continuatores Bollandiani, in *Adnotat.* ad *Acta s. Gregorii Pp. VII* die 25 maii, et Ludovicus Gotti, in *Gregorii VII Vindiciis*, colloquio XI, § 14, ubi scribit: « Fateor, ex scriptoribus aliquos depositionem Henrici a Gregorio factam tamquam rem novam proponere, quam nemo Pontificum antea fecisset. At nec ullus, ante Henricum IV, Papam deponere machinatus est. Cur ergo aequiori iure Papa Henricum rebellem et contumacem deponere non poterat? Hoc tamen inter depositionem Papae, et Henrici interfuit, quod illam omnes viri probi, et vere catholici, ut monstrum execrati sunt, quod vel ipse Henricus facto comprobavit: istam omnes viri catholici velut iustam ac necessariam laudant: soli Protestantes, et quidam pauci adversus eam conclamant ». De iure Romani Pontificis in temporalia Principum saecularium vide Bellarminum, *Op. cit.*

[1]) Bellarmin. *De R. Pontif.* l. V, c. 1 et 6; Roncaglia, *Animadvers. in Hist. eccl. Natal. Alex.* saec. XI, diss. 2; Bianchi, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, t. I, l. I, c. 8; Mamachi, *Origines et antiquit. christ.* t. IV, c. 2, § 4.

[2] Fénélon, *Dissertatio de auctoritate Summi Ponti-*

aevo episcopos, theologos, principes, iurisconsultos, huiusmodi potestatem in Romano Pontifice agnovisse, et potestatis huius exercitium societati christianae fuisse proficuum, turbas vero in societate excitatas, non RR. Pontificum potestati, sed vel principum perversitati vel aliis causis attribuendas esse, huius aetatis monumenta testantur [1].

Quum primum Gregorii VII in Henricum IV sententia in Germaniam delata fuerat, multi partes Henrici deseruerunt. Varii praesules, qui conciliabulo Wormatiensi interfuerant, emendationis litteras Romam miserunt, Gregorio VII obedientiam professi sunt et poenitentiam postularunt, quos Pontifex benigne suscepit. Illorum exemplo plerique magnates ab Henrico discesserunt [2]. In Italia vero episcopi Longobardi, iam in Romana synodo excommunicati, cum Guiberto archiepiscopo Ravennatensi Papiae congregati, in ipsum Pontificem anathema dicere ausi sunt [3]. Postridie idus octobris 1076 plerique principes Germaniae, ecclesiastici et laici, cum Apostolicae Sedis legatis, Siccardo patriarcha Aquileiensi et Altmanno episcopo Passaviensi, convenerunt Triburiam, et postquam de eligendo novo rege deliberassent, Henrico significarunt, quod, si ante diem anniversarium excommunicationis sibi inflictae, ab ea non fuisset absolutus, sciret se regno orbatum iri; quod si praescriptis conditionibus acquiesceret, cum eo pacem inirent et R. Pontificem rogarent, ut is in comitiis generalibus suprema sua auctoritate causam definiret [4].

Henricus his perterritus, ocius in Italiam properavit. Tunc Pontifex erat Canossae in Hetruria apud Mathildem Comitissam. Henricus colloquium cum Gregorio petiit, qui cognita eius pertinacia et infidelitate prius negavit, postea vero intuitu Comitissae hoc ei concessit. Post 3 dierum poenitentiam ad praesentiam Pontificis admissus, et culpam confessus, veniam et absolutionem petiit. Gregorius eum ab excommunicatione absolvit ea lege, ut omni imperio abstineret, donec ipse, a proceribus arbiter interpellatus, causam eius in comitiis generalibus cognovisset et definitivam sententiam tulisset, utque, in regnum restitutus, Pontifici obediret et opem ferret ad reparanda mala Ecclesiae illata, et ad reformandos abusus. Henricus iureiurando promisit, se propositas conditiones servaturum [1]; at vix absolutus, ad pristinam nequitiam rediit, et praescriptas sibi leges contempsit, ut infra videbimus.

ficis; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*, Louvain 1845, 2 vol. in-8.°

[1] Gosselin. ibid.

[2] Schafnaburg. *Chron.* ad an. 1076; Bernried. loc. cit.

[3] Baron., ad an. 1076.

[4] Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1076.

5. *Ecclesiae status et Gregorii VII sollicitudo* — In Gallia iuvenis rex Philippus res publicas et ecclesiasticas tristem in statum coniecit, ut supra diximus [2]. Gregorius VII Humberto archiepiscopo Lugdunensi et Rocleno episcopo Cabilonensi mandavit, ut regem monerent, quatenus ab impedienda ecclesiastica libertate abstineret, intentatis ei anathematis minis, nisi episcopos, cleri suffragiis populique assensu electos, ecclesiis praefici sineret [3]. Rex missis Romam legatis, spopondit, se emendaturum quae in Ecclesiam peccaverat, et mandatis apostolicis pariturum in iis, quae Religionem spectabant. Pontifex regis consilia laudavit [4]. Quum vero audivisset, regem in nefandis criminibus perseverare atque iustitiae leges et ecclesiarum libertatem impune violare, litteras graves ad episcopos Galliae scripsit, in quibus eorum negligentiam increpavit; mandavit iis, ut regem monerent et a perversa vita revocarent sub generalis interdicti periculo, addiditque, quod si rex in iniquitate sua perseveraret, se anathematis gladio ipsiusque regni privatione plectendum sciret [5]. Verisimiliter rex Pontifici fecit satis, cum non legamus a Gregorio sententiam in eum fuisse fulminatam.

Interim Pontifex ad componenda ecclesiastica in Gallia negotia et ad corrigendos abusus legationem apostolicam credidit Hugoni episcopo Diensi. Hic synodos Claromontii, Augustoduni, Pictavii, aliisque in civitatibus habuit; in quibus varia negotia ecclesiastica composuit, plures episcopos vel propter simoniae crimen vel propter vitae pravitatem deposuit, canonesque ad eliminandam simoniam et clericorum incontinentiam condidit. Multas contradictiones, obstacula et pericula in hoc negotio Hugo legatus expertus est; verumtamen animo invicto officium suum executus, de reformatione ecclesiastica in Gallia optime meruit [6].

In Hispaniam Gregorius VII legavit Ri-

[1] Lambert. Schafnab. ibid.; P. Bernried. loc. cit. c. 9; Baronius et Pagi, ad an. 1077.

[2] Vid. t. I, p. 287-288.

[3] *Epist.* 35 et 36, l. I.

[4] *Epist.* 75, l. I.

[5] *Epist.* 5, l. II.

[6] Longueval, *Histoire de l'Église gallicane*, l. XXI; Labbe, *Concil.* t. X, p. 359 et 367.

chardum cardinalem, tum ut abrogato ritu Gothico officia sacra constitueret secundum Romanum, tum ut Alphonsum regem Castellae perduceret ad dissolvendum coniugium, quod cum defunctae coniugis consanguinea contraxerat. Alphonsus secundum Pontificis mandatum incestum coniugium disrupit, et in Burgensi synodo an. 1080 Romani ritus praescripti aliaque ad disciplinam ecclesiasticam, speciatim ad clericorum continentiam spectantia, constituta fuerunt [1].

In Italia superiori seu Longobardia graves turbas excitabat, ut vidimus, simoniacorum et incontinentium sacerdotum factio. In inferiori Italia Normanni negotia gravia Pontifici facesserunt, marchiam Anconitanam, Spoletum, Beneventum, aliasque R. Ecclesiae provincias devastarunt. Quapropter Gregorius VII Robertum Guiscardum, Apuliae et Calabriae ducem, excommunicavit; quem tamen postea in communionem et gratiam Sedis Apostolicae recepit, eique, cum fidem suam et annui tributi pensionem Pontifici obligasset, Apuliae, Calabriae et Siciliae investituram concessit, quam iam concesserant Nicolaus II et Alexander II. De Salerno vero, Amalphi et parte marchiae Firmanae, a Roberto occupatis, quaestio suspensa est [2].

Sollicitudinem suam etiam ad Africanam ecclesiam extendit sanctus Pontifex. Religionem christianam ibidem sub Saracenorum tyrannide collapsam vidimus [3]. Quum hoc tempore Cyriacus, archiepiscopus Carthaginensis et primas Africae, quosdam indignos ad sacros Ordines admittere noluisset, ad regem infidelem delatus, verberibus caesus fuit. Quod cum audivisset Gregorius Pp., litteras scripsit an. 1073 ad Carthaginenses, quos propter illatam archiepiscopo iniuriam reprehendit et ad poenitentiam excitavit; Cyriacum vero propter constantiam laudavit et ad perseverantiam hortatus est [4]. In Mauritania orientali seu Sitifensi multi adhuc erant Christiani, quibus Annasir rex, quamvis Saracenus, favebat; cum ii hoc tempore archiepiscopum sibi elegissent Servandum presbyterum, et in tota Africa solus existeret Cyriacus Carthaginensis antistes, Servandus an. 1076 Romam venit, ut consecraretur. Gregorius ipse eum consecravit archiepiscopum, litterasque scripsit ad Annasir regem, quem propter favorem Christianis praestitum laudavit; scripsit etiam ad Christianos Mauritaniae, quos ad obedientiam erga suum archiepiscopum et ad mutuam caritatem hortatus est; et cum secundum canones ad consecrandum episcopum requirerentur tres Episcopi, Gregorius utrique archiepiscopo mandavit, ut tertium eligerent et Romam consecrandum mitterent, atque ita deinceps ipsi alios in Africa consecrare possent [1].

Gregorius VII litteras quoque per legatos accepit a Michaële Duca, imperatore Graecorum. Pontifex ad imperatorem litteras reddidit, in quibus devotionem eius erga R. Ecclesiam laudat, suum ipsius desiderium ineundae cum Ecclesia Cp. concordiae significat, de caeteris vero negotiis, de quibus locuti fuerant legati, acturum cum eo dicit Dominicum patriarcham Venetiarum, epistolae suae latorem [2]. Ista autem negotia verisimiliter spectabant bellum sacrum contra Mahumethanos seu Turcas, qui per omnem fere Asiam minorem victricia sua arma proferebant, imperium Graecum ad summas angustias redigebant, Christianos graviter opprimebant. Gregorium VII reipsa consilium iniisse comparandi expeditionem contra Mahumethanos et proficiscendi Constantinopolim ad componendam ecclesiarum concordiam, patet ex epistolis, quas ea de re scripsit ad Henricum regem Germaniae, ad Guilielmum comitem Provinciae, et ad omnes Christianos [3]; sed consilio huic obstiterunt simultates, quas ei facessivit Henricus IV.

Anno 1080 idem Pontifex litteras scripsit ad Synnadensem Armenorum in Phrygia archiepiscopum. Audiverat enim, Armenos in nonnullis errare; ideo ab archiepiscopo certior fieri voluit, quae esset eorum doctrina de quibusdam Fidei articulis; eumdem simul monuit, ut usum panis azymi in consecratione Eucharistiae retineret, nec fidem adiungeret Graecis, Latinos hac in re accusantibus [4].

Quum an. 1076 a Demetrio duce Croatiae et Dalmatiae fuisset rogatus, ut ei regis nomen et honorem concederet, ad eumdem legavit Gebizonium abbatem, postea episcopum Caesenensem, et Folcuinum episcopum Fori-Sempronii; qui Demetrium, postquam iureiurando fidem suam et annuum censum R. Ecclesiae obligasset, regia dignitate in-

[1] Labbe, t. X, p. 1815.
[2] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III, c. 44; Labbe, loc. cit. p. 250.
[3] Vol. I, l. I, p. 280. — [4] *Epist.* 22-23, l. I.

[1] *Epist.* 21, 20 et 19, l. III. — [2] *Epist.* 18, l. I.
[3] *Epist.* 31, l. II; 46 et 49, l. I.
[4] *Epist.* 1, l. VIII. — De Armenis adhuc loquuti sumus pp. 90 et 157 l. I.

vestiverunt [1]. Eamdem dignitatem Gregorius VII concessit Michaëli duci Slavorum seu Serviorum, ut eruitur ex epistola, qua a Michaële petiit legatos, per quos dissidia inter Spalatanum et Ragusanum archiepiscopos componerentur et insignia regia ad illum mitterentur [2]. Eodem circiter tempore filius Demetrii, regis Russorum, Romam venit, regnumque suum secundum patris sui vota de manu Pontificis tamquam donum s. Petri suscipere postulavit. Gregorius VII filium Demetrii, postquam hic de more fidei iuramentum praestitisset, nomine D. Petri regno Russiae investivit [3].

Tum ante Gregorii VII tempora tum post eius aetatem mos obtinuit, ut reges, duces, comites non castra solum, sed et regna sua, et provincias Sedi Apostolicae obligarent, eaque rursus ab illa in feuda reciperent, ut ita sub speciali R. Ecclesiae eiusque Pontificis protectione forent. Id iam antea fecerant s. Stephanus rex Hungarorum et Robertus dux Apuliae, Calabriae et Siciliae; postea idem fecerunt Godefridus Bulloniaeus rex Hierosolymorum an. 1099, Rogerius fundator regni Siciliae 1130, Carolus I rex Siciliae 1276, Petrus II rex Aragoniae 1204, reges Angliae Henricus II 1172, Ioannes sine Terra 1213, Henricus III 1216, alii [4]. Id autem principes libere et sua sponte faciebant [5]. Iniuste Mosheim [6] aliique accusarunt Gregorium VII, quod in universa christianorum principum regna dominatum usurpare, eaque in R. Ecclesiae feuda convertere tentaverit.

Anno 1075 Gregorius Pp. excepit legatos Boleslai II regis Poloniae, ad quem rescribens, laudavit eius observantiam erga R. Ecclesiam, rogavitque, ut legatis suis opem ferret in ordinandis causis Episcoporum, qui pauciores erant et metropolitanum non habebant. Quum postea Boleslaus relicta iustitia, se omni libidini et saevitiae dedisset, atque s. Stanislaum episcopum Cracoviensem, a quo post plures admonitiones fuerat excommunicatus, anno 1079 ad altare occidisset, Gregorius Pp. ferocem ducem anathemate perculit, regio honore et potestate privavit, eiusque subditos ab obedientia absolvit [7]. Boleslaus regno eiectus, in exilio obiit; Poloni vero in eius locum elegerunt Uratislaum.

In Hungariae regno an. 1063 Belam excepit Salomon, quem Hungari an. 1074 eiecerunt, suffecto in eius locum Geisa, Belae filio. Quum Gregorius VII audivisset, Salomonem implorasse opem Henrici IV eique regnum Hungariae, quondam a s. Stephano R. Ecclesiae devote traditum, in feudum obtulisse, Salomonem graviter increpuit monuitque, eum gratiam B. Petri, quam interpellarat, non recepturum, nisi sceptrum regni Hungarici apostolicae et non regiae maiestatis beneficium esse agnovisset [1]. Litteras etiam scripsit ad Geisam, in quibus ostendit, regnum Hungaricum non regi Teutonico, sed R. Ecclesiae esse subiectum; eum hortatus est, ad habendam curam de ecclesiis, studium erga Religionem et obedientiam erga legatos Apostolicae Sedis [2]. Postea epistolam scripsit ad Ladislaum, qui anno 1077 fratri suo Geisae defuncto, communi Hungarorum consensu suffectus fuit regnavitque usque ad an. 1095. Hic rex tantae fuit pietatis, ut post obitum suum Ssrum honores consecutus sit; Religionem protexit, ecclesias earumque iura defendit, disciplinam ecclesiasticam restituit, subditos iuste gubernavit, Tartaros et alios hostes repulit, regnoque suo adiunxit Croatiam et Dalmatiam [3].

In Bohemia magnae pietatis specimina dabat Uratislaus dux II, cui tanquam de Apostolica Sede bene merito Alexander Pp. II usum mitrae concesserat; quod privilegium eidem confirmavit Gregorius VII, sed ei assentiri recusavit, ut divinum officium lingua slavonica celebraretur [4]. A ducis pietate distabat frater eius Ieromirus, episcopus Pragensis, quem cum legati apostolici propter iniurias Ioanni episcopo Moravensi factas, functionibus et redditibus privassent, Gregorius Pp. utrumque episcopum Romam vocavit, et causa discussa, concordiam inter eos composuit [5].

In Dania pietatis fama et Religionis studio clarebat s. Canutus, qui an. 1080 fratri suo Haraldo in regno successerat. Ad hunc regem Gregorius VII duas epistolas scripsit, in quibus ei gratulatus est de fide erga R. Ecclesiam et pietatis studio, commendavitque perseverantiam; rogavit eumdem, ut Ro-

---

1 Baron. ad an. 1076. — 2 *Epist.* 12, l. V.
3 *Epist.* 74, l. II. — 4 Cf Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*, part. II.
5 « Liguriam et Tusciam Gregorio Pp. VII et S. R. Ecclesiae devotissime obtulit comitissa Mathildis »; Leo Ostiens. l. III *Chron. Casin.* c. 49.
6 *Institut. hist. eccl.* saec. XI, part. II, c. 2.
7 *Epist.* 73, l. II; Bolland., *Acta SS.* 7 maii.

1 *Epist.* 13, l. II.
2 *Epist.* 63, l. II.
3 Bolland. *Acta SS.* 27 iun.
4 *Epist.* 38, l. I; 11, l. VII.
5 *Epist.* 44, 45, 60, 78, l. I; 6-8, l. II.

mam mitteret prudentem clericum, a quo Pontifex statum ecclesiarum in Dania doceretur, cuique redeunti mandata Sedis Apostolicae committeret [1]. Canutus domitis regni hostibus, reipublicae et Religionis prosperitati consuluit, in ecclesias et ministros sacros munificus fuit. Verum Olavus frater eius, regnandi cupidus, occasione decimarum, quas rex ecclesiis solvendas mandaverat, rebellionem excitavit, in qua Canutus rex an. 1086 Othoniae in ecclesia s. Albani lapidum et telorum ictibus et tandem lancea confossus, glorioso martyrio coronatus est [2].

In Norwegia Olavus III, qui regnavit ab an. 1066 usque ad 1088, Religionis prosperitati operam dedit, pluresque in diversis provinciis ecclesias exstruxit. An. 1078 Gregorius VII ad eum epistolam scripsit, qua eius virtutem et pietatem laudavit, rogavitque, ut aliquot iuvenes nobiles Romam mitteret, qui ibi divinis legibus instructi, mandata Sedis Apostolicae ad eum deferrent [3].

In Suecia conversioni paganorum, quorum adhuc magnus numerus erat in parte septentrionali, opem ferebat Ingemundus rex, ad quem pariter epistolam an. 1080 scripsit sanctus Pontifex, significans regi gaudium suum, quod novi Evangelii praecones in Sueciam essent ingressi, rogansque, ut rex aliquem Romam mitteret, qui statum gentis exponeret et Sedis Apostolicae instructiones in Sueciam referret [4].

6. *Litis inter Gregorium VII et Henricum IV continuatio* — In Germania vero Henrici IV iniquitate res sacrae et civiles in deteriorem statum coniiciebantur. Is non tantum sprevit conditiones, sibi a principibus Germaniae et a Gregorio Pp. praescriptas [5], sed etiam Alpium fauces occupavit, ne Pontifex ad comitia Augustae indicta venire posset. Quapropter proceres Germani, ecclesiastici et laici, cum Bernardo cardinali diacono et Bernardo abbate Massiliensi, Gregorii VII legatis, in comitiis an. 1077 Forchemii in Franconia habitis, Henricum IV reiecerunt, et in eius locum elegerunt Rodulphum ducem Suevorum, qui post 12 dies Moguntiae ab archiepiscopis Moguntino et Magdeburgensi solemni ritu rex coronatus est, legatosque Romam misit, ut suam electionem Pontifici significaret eique obedientiam suo nomine profiteretur. Confestim contra hanc electionem Henricus IV interpellavit Gregorium VII. Pontifex an. 1078 copiosam synodum Romae coëgit, in qua auditis Rodulphi et Henrici legatis, principum suorum obedientiam erga R. Pontificem testantibus, convenit, ut legati idonei in Germaniam mitterentur, qui probos et religiosos viros utriusque partis audirent, atque ei, cui competebat, ius fieret. In eadem synodo anathema in Thetbaldum Mediolanensem et Guibertum Ravennatensem archiepiscopos innovatum est, et uterque ab omni episcopali et sacerdotali officio suspensus cardinalis Hugo Blancus, iam ter damnatus, officio sacerdotali et ecclesiae aditu prohibitus fuit [1].

Paulo post Gregorius Pp. quintam synodum Romae habuit, in qua rursum de componendis in Germania dissidiis actum fuit, et varia capitula de disciplina ecclesiastica, praesertim contra investituras et simoniacas collationes atque ordinationes, sancita sunt. In eadem synodo Nicephorus Botoniates, qui, deiecto Michaële, imperium graecum usurpaverat, excommunicatus est [2]. Anno sequente Pontifex sextam synodum Romae celebravit, in qua Berengarius haeresim suam eiuravit et catholicae doctrinae professioni subscripsit, ut supra vidimus [3]. In eadem synodo oratores Rodulphi graviter questi sunt de malis et iniuriis, quae Henricus IV omnis conditionis personis, ecclesiis, episcopis et sacerdotibus inferebat. Episcopi multi dixerunt, eiusmodi tyrannum esse gladio apostolico conterendum; sed Gregorius VII sententiam distulit, sperans, fore ut res componeretur in comitiis Germaniae, quorum iudicio pars utraque se subiecerat [4].

Verum Henricus quoquo poterat modo comitia impediebat, litem armis terminare eligens, quamvis iam in duplici praelio contra Rodulphum grandem cladem esset expertus. Tandem Gregorius VII principum Germanorum praesertim Saxonum et Rodulphi litteris et legationibus contra Henrici IV facinora interpellatus, an. 1080 co-

---

[1] *Epist.* 5, 21, l. VII. — [2] Bolland., *Acta SS.* 10 iul.
[3] *Epist.* 13, l. VI. — [4] *Epist.* 11, l. VIII.
[5] Vid. p. 6-7.

[1] P. Bernried. *Vita S. Gregorii VII*, c. 10; Labbe, *Concil.* t. X, p. 369.
[2] Labbe loc cit. p. 371.
[3] Tom. I, p. 280.—Ex actis Gregorii VII in causa Berengarii sat confutantur calumniae praedicti pseudo-cardinalis Bennonis et conciliabuli Brixinensis, an. 1080, in hunc Pontificem, quibus commenti sunt Pontificem cum Berengario in errore convenisse vel in haereticas eius sententias fuisse proclivem; quas calumnias postea inter alios restauravit Mosheim, *Institut. hist. Eccles.* saec. XI, p. II, c. 3. Cf I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccles.* t. III, part. I, c. 5.
[4] Bernried. *Vit.* cit. c. 11; Labbe, loc. cit. p. 378.

piosam episcoporum, abbatum, clericorum et magnatum synodum Romae coëgit, in qua narratis iis, quae pro Henrici correctione frustra tentaverat, eum eiusque fautores excommunicavit, eumdem regno Germaniae et Italiae, omnique honore et dignitate regia privavit, subditos a fidei iuramento absolvit, et Rodulpho regiam potestatem et honorem confirmavit [1].

7. *Clemens III antipapa* — Tunc Henricus IV eiusque fautores infremuerunt, et Gregorium VII quorumvis turpium et nefandorum, magiae, impudicitiae, haereseos accusantes, eum pontificatu deponendum esse inclamaverunt. Eodem anno 30 episcopi e Germania et Longobardia, omnes sive interdicti sive excommunicati sive depositi, pluresque clerici et laici cum Henrico IV Brixinum convenientes, Gregorium VII ceu Ecclesiae et imperii perturbatorem, simoniacum, haereticum et necromantam, deposuerunt, et Guibertum archiepiscopum Ravennatensem, semel atque iterum excommunicatum atque depositum, pontificem seu potius antipapam crearunt sub nomine Clementis III [2]. Quapropter Gregorius VII an. 1081 in Romana synodo novam excommunicationem in Henricum eiusque fautores fulminavit [3].

Henricus cum copioso exercitu se Romam contulit, antipapam Clementem in Petri cathedram intrusurus; sed a Pontificis et Mathildis, Liguriae et Tusciae comitissae, copiis repulsus est. Anno sequenti iterum irrito conatu urbem obsedit. Tunc Romanos speciosis promissis, pecunia, terrore corrumpere tentavit; cum iis convenit, ut nova synodus pro causa regni Teutonici in urbe a Pontifice cogeretur, cuius iudicio omnes parerent. Gregorius VII nullam concordiae viam repudians, novam synodum indixit, et Henricus omnibus ad synodum ituris aut ab ea redituris securitatem iureiurando promisit; at perfidus princeps episcopos et principum oratores Romam properantes intercepit et detinuit; Romanis partim pecunia et terrore, partim obsidione victis et attritis, an. 1084 Urbem occupavit, et antipapam Clementem a duobus episcopis excommunicatis et depositis, Mutinensi nempe et Bononiensi, inaugurari fecit. Interim Gregorius VII in castrum s. Angeli confugit, opemque Roberti Guiscardi, Apuliae, Calabriae et Siciliae ducis, interpellavit. Huius ducis adventu perterritus Henricus, urbem reliquit, et cum antipapa transiit in Longobardiam. Gregorius VII sic libertati redditus, synodum collegit, in qua novam anathematis sententiam in Clementem seu Guibertum, Henricum, eorumque fautores promulgavit [1].

Posthaec Henricus IV in Germaniam regressus, ubique suas et antipapae Clementis partes augere studuit. In tanta rerum perturbatione episcopi multi et alii in Longobardia, Lotharingia et Germania schismaticis Henrici partibus adhaeserunt. Foederati vero principes in locum Rodulphi regis, anno 1080 mortui, subrogarant Hermannum Lotharingum, comitem Luxemburgensem. Anno 1085 inter utramque partem convenit, ut in comitiis apud Berbac in Thuringia habendis, concordia secundum iuris aequitatem tractaretur. In iis quidem de praesenti negotio disceptatum, sed nihil effectum est. Paulo post episcopi Pontifici devoti Hermannus rex eiusque principes convenerunt Quintilineburgum in Saxonia, et, quia Henricianarum partium episcopi sententias a Gregorio VII contra Henricum IV latas in conventu Berbacensi retractari voluerant, e Patrum decretis declararunt, nulli licere Apostolicae Sedis iudicium retractare; in Guibertum vero seu antipapam Clementem eiusque fautores sententiam anathematis instaurarunt. Eodem tempore Henricus IV episcopos sibi deditos convocavit Moguntiam, omnesque compulit, ut Gregorii depositionem et Guiberti ordinationem scripto approbarent; Herimannum vero Metensem, et alios Gregorio obedientes deponerent [2]. Ita effectum est, ut dissensio, schisma et turbae in regnis et ecclesiis Germaniae, Lotharingiae atque Longobardiae perdurarent.

8. *S. Gregorii VII obitus* (*an.* 1085) — S. Gregorius VII, quum 12 annis et 2 fere mens. pontificatu functus esset, VIII° calend. iun. 1085 Salerni, quo confugerat, ut Henrici insidias vitaret, obiit, ibique tumulatus est, iustitiae coronam pro legitimo certamine consecutus [3]. — In *Martyrologio*

---

[1] Bernried. *Vit.* cit. c. 12; Labbe, ibid. p. 382.

[2] Hugo Flaviniacensis, *Chron. Virdun.*; Centius, *L. censual.* c. 3; Baronius et Pagi, ad an. 1080.

[3] Labbe, *Concil.* t. X, p. 398.

[1] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III, c. 49; Berthold. *Chron.*; Baronius et Pagi, ad an. 1081-84; Labbe, loc. cit. p. 401. — [2] Baronius et Pagi, ad an. 1085.

[3] Bolland, *Acta SS.* 25 maii. Exstant apud Labbe, *Concil.* t. X, libri IX *Epistolarum* Gregorii VII; item *Dictatus* seu *Enunciata* 27 de R. Pontificis iuribus, sed eum Gregorio inter alios abiudicant Natalis Alexander, *Hist. eccl.* saec. XI, diss. 3; Launoius, *Epist.* 13, l. VII; Pagi, *Critic.* ad an. 1077. — Mense maio, an. 1873,

Romano praecipuam habet laudem *propugnatoris ac defensoris acerrimi ecclesiasticae libertatis*, et de eo praecipue canit Ecclesia *pro tuenda Ecclesiae libertate virtute constantiae a Deo fuisse roboratum*[1]. Idem Gregorius constituit, inter alia, *ut aestivale ieiunium infra octavam Pentecostes annuatim celebraretur.* Idque rationabiliter sancitum fuit; etenim ieiunium illud antea celebrabatur mense iunio, nulla habita ratione festi Pentecostes. Hic Pontifex tum ante tum post obitum suum adversarios habuit. Memoriam eius obtrectationibus et calumniis prosciderunt ex antiquis Benno pseudo-cardinalis Clementis antipapae et alii Henrici IV partibus dediti; e recentioribus Mosheim, Schmidt, aliique Apostolicae Sedis hostes. Sanctum Pontificem ab adversariorum conviciis vindicarunt ex antiquis s. Anselmus Lucensis, Lambertus Schafnaburgensis[*], e recentioribus Franciscus Engiensis[2], Gretserus[3], F. Von Kerz[4], Gfrörer[5], Davin[6], et ex ipsis protestantibus, Voigt[7]. Concludimus cum supra nominato Lamberto Schafnaburgensi: « Signa et prodigia, quae per orationes Pp. s. Gregorii frequentius fiebant, et zelus eius frequentissimus pro Deo et pro ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas, obtrectatorum linguas communiebant[8] ».

9. *Victor III Pontifex* (*an.* 1086) — Quum s. Gregorius tribus ante obitum suum diebus a cardinalibus interrogatus, quem prae aliis pontificatu dignum haberet, tres indicasset, nimirum Desiderium abbatem Cassinensem, Ottonem episcopum Ostiensem et Hugonem archiepiscopum Lugdunensem[9], cardinales et alii de eligendo Desiderio consenserunt, sed hic omni via eorum precibus restitit. Interea Clemens antipapa partes suas in Urbe auxit. Quum iam fere anno integro Sedes Apostolica vacaret, cardinales, clerici omnesque pii Romani congregati, IX° calendas iunias 1086, Desiderium, patria Beneventanum, quamvis reluctantem, pontificem inaugurarunt sub nomine Victoris III[1]. Verum post paucos dies Victor a praefecto Urbis vexatus, Roma discedens, Tarracinae depositis insignibus pontificiis, secessit Cassinum. Demum XII° calendas aprilis 1087 in synodo Capuana cardinalium, episcoporum et principum precibus atque rationibus victus, insignia resumpsit, et VII° idus maias Romae solemniter consecratus atque a maiori et saniori civium parte susceptus fuit[2].

Victor III e cardinalium et episcoporum consilio contra Saracenos africanos, Italiae littora continuo infestantes et Christianos in captivitatem abripientes, ingentem exercitum excitavit, qui hostes magna clade affecit regemque Tunetensem ad restituendos Christianos captivos et ad pendendum Apostolicae Sedi tributum compulit[3]. Pontifex mense augusto 1087 synodum habuit Beneventi, in qua post egregiam orationem de praesentibus Ecclesiae calamitatibus, Guibertum seu Clementem antipapam omni sacerdotali officio et honore privatum anathemati devovit; Hugonem archiepisc. Lugdunensem atque Richardum abbatem Massiliensem, qui ex invidia Pontificem calumniis prosciderant, ab Ecclesiae communione semovit. Cavit insuper ne laici darent neve clerici ab eis acciperent alicuius Ecclesiasticae dignitatis *investituram*, irrogata utrisque poena anathematis[4]. Vetuit etiam Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta suscipi ab haereticis et simoniacis. Celebrantem Concilium invasit repente morbus. Itaque repetit Cassinum. Morti proximus Episcopos et Cardinales monet, ut Ottoni Episcopo Ostiensi, quem Gregorius VII praeoptaverat, deferant Pontificatum. Post triduum, *bis sex lustra gerens*, ut est in eius epitaphio, decedit an. 1087, XVI° calend. octobr., anno 1°, mense 3°,

quum octavum saeculare festum assumptionis D. Gregorii VII ad summum Pontificatum ageretur, cives neapolitani religiosam inierunt peregrinationem Salernum ad sacram eius aediculam a Pio IX tunc magnificentissime restauratam. Vid. *La Scienza e la Fede,* vol. 89, p. 328.

[1] « In extremo positus (scribit P. Benried. in *Vit.* c. 110) ultima verba Gregorii haec fuerunt: *Dilexi iustitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio* ».

[*] Vid. quoque inter *Scriptor. ecclesiast.* qui p. 16 sq adnumerantur.

[2] *Auctoritas Sedis Apost pro Gregorio VII vindicata.*

[3] *Defensio Controversiarum Bellarmini*, t. II.

[4] *Ueber den Geist und die Folgen der Reformation*, Mainz 1822. — [5] *Papst Gregorius VII und sein Zeitalter*, 7 voll. in-8°, Schafhausen 1858-1861.

[6] *S. Gregorio VII*, trad., Firenze 1863.

[7] *Histoire du pape Grégoire VII et de son siècle*, trad. par l'abbé Jager, Bruxelles 1838, 2 vol. in-8°.

[8] *Chron.* ad an. 1077.

[9] Bernried. *Vita s. Gregorii VII*, c. 109.

[1] Leo Ostiens. (*Chron. Casin.*, l. III, c. 66) notat, *nomen Victoris ei impositum esse*, quo pariter modo refert (c. 36) de Gregorio VII. Item, Petrus Diaconus (c. 2, l. IV eiusd. *Chron.*) ab Episcopo Albanensi, subdit, *nomen inditum Urbano II*, — item, Platina in *Paschali II*—, unde colligitur, Pontifici electo nomen imposuissent electores. Postea, atque etiamnum aliter fieri consuevit; nempe interrogatur novus Pontifex, quo ipse nomine velit appellari.

[2] Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III.

[3] Ibid.; Berthold., *Chron.* ad an. 1088.

[4] Labbe, *Concil.* t. X, p. 418; A. de Nuce in lib. III, c. 72 *Chron. Casin.* Leon. Ostien.

die 23°, quam Pontifex electus erat [1]. In templo coenobii Casinensis sepultus est. Fasti Benedictini eius memoriam die 16 septembris recolunt his verbis: « In Monasterio Casinensi obitus Beati Victoris Pp. III sanctitate vitae, et miraculorum gloria clarissimi ».

10. *Urbanus II Pontifex* (*an.* 1088) — Post obitum Victoris III, quum antipapa Guibertus in Urbem venisset, ad cardinales aliosque, quorum intererat, scriptum est, ut Tarracinam in Campania convenirent vel legatos mitterent ad eligendum novum pontificem. Comitia inchoata sunt postridie nonas martii 1088, et quarto post die omnium consensu electus fuit Otto, natione Gallus, e monacho Cluniacensi episcopus cardinalis Ostiensis, Gregorii VII et Victoris III iudicio pontificatu dignus, qui nomem Urbani II assumpsit et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1099.

Urbanus electionem suam encyclicis litteris catholico orbi annuntiavit, moxque incubuit in componendum ecclesiarum statum, praesertim in abolendum schisma, extirpandam simoniam et restituendam disciplinam ecclesiasticam. An. 1089 Melphiae in Apulia synodum habuit, in qua 16 canones sanciti sunt, praesertim de praebendis et muniis ecclesiasticis gratis conferendis, de coelibatu clericorum qui sacris ordinibus initiati essent, de non accipienda e manu laici dignitatis ecclesiasticae investitura [2]. Eodem anno Urbanus in Urbem venit, et Romani Guibertum antipapam iuramento obstrictum, ne amplius apostolicam Sedem invaderet, Urbe expulerunt [3]. Quum an. 1090 Henricus IV cum exercitu in Italiam venisset, ut bellum inferret Mathildi, comitissae Liguriae et Tusciae, quae Pontificis et Catholicorum partes in Italia tutabatur, Urbanus Pp. secessit in Campaniam, et an. 1091 synodum habuit Beneventi, in qua Guibertum antipapam, qui post eius discessum Romam repetierat, novo anathemate perculit, et 4 canones edidit, nimirum, ut episcopi non eligerentur nisi ex ordine presbyterorum et diaconorum; matrimonia non contraherentur ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae et a Septuagesima usque ad octavam Pentecosteos [4]. Anno 1093 synodum coëgit Troiae in Apulia, in qua decretum condidit de incestis coniugiis [1]. Anno 1095 cum 200 episcopis ex Italia, Gallia et Germania synodum celebravit Placentiae in Longobardia, in qua, Berengariana haeresi damnata, definitum est, panem et vinum, dum consecrantur, vere et essentialiter converti in corpus et sanguinem Christi; alia decreta sunt contra clericos incontinentes, contra simoniacas ordinationes et Guibertum antipapam eiusque fautores [2]. In synodo eodem anno habita Claromontii in Gallia, pax seu *trewga* Dei confirmata et ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae atque a Septuagesima usque ad octavam Pentecosteos extensa fuit, aliaque ad reformandos mores in clero ac in populo constituta [3].

Idem Pontifex excitavit cruciatam expeditionem contra Turcas; Bernardo archiepiscopo Toletano pallium et primatum totius Hispaniae concessit; Daniam, petente rege Erico, potestati archiepiscopi Hamburgensis subtraxit et proprio metropolita, cuius sedes foret Lundiae, donavit; s. Altmanno, episcopo Passaviensi, et Gebehardo, Constantiensi, legatorum apostolicorum vices dedit in Germania; Rogerium comitem Siciliae, qui pulsis ex ea Saracenis, Religioni christianae restituendae et erigendis episcopatibus egregiam opem tulit, peculiari amicitia prosecutus est, et, si Gaufredo Malaterrae, O. S. B. monacho, fides habenda sit, eum eiusque haeredes privilegio Legationis apostolicae investivit, adeo ut eamdem potestatem et iura in Sicilia haberent, quae sunt Legatorum a latere [4].

Quum autem audivisset Urbanus Pp. Philippum regem Galliae, repudiata Berta legitima coniuge, Bertradam, Fulconis Andegavensis comitis coniugem, consanguinita-

[1]) De mortis genere non convenit. Sigebertus, in *Chronico*, dysenteria confectum scribit; Trithemius, in l. IV *de viris illustr. Ord. S. Benedicti* c. 13, tradit, fuisse suspicionem, eum sublatum veneno per insidias Henrici IV in calicem, dum sacrificaret, iniecto.

[2] Labbe, loc. cit. p. 476.

[3] Berthold., *Chron.* ad an. 1089.

[4] Ibid. ad an. 1091; Labbe, loc. cit. p. 483.

[1] Labbe, loc. cit. p. 482.

[2] Labbe, ibid. p. 500. — [3] Ibid. p. 506.

[4] G. Malaterra, *Gesta Normannorum in Campania, Apulia et Sicilia.* Vi huius privilegii, quod Siculi appellarunt *Monarchiam siculam*, quodque primus I. L. Barberius an. 1513 in lucem dedit, reges Siciliae, se esse apostolicae Sedis legatos natos tenebant. Baronius vero, ad an. 1097, scribit, istud privilegium, si ab Urbano fuerit datum, tantum esse concessum Rogerio eiusque filiis, et toties abrogatum, quoties Siciliae regnum ad novam familiam devenit. Caeterum, ut inferius dicturi sumus (Epocha XII, n. 35), omnes canonicae facultates, quibus iudex *Monarchiae*, eiusque tribunal in Siciliae Regno ultra Pharum gaudebant, praefinitae fuerunt Apostol. Constitut. Benedicti XIII, quae incipit: *Fideli ac prudenti*, nec non Litteris Apostolicis Gregorii XVI, *Iamdiu*, et Pii IX, *Peculiaribus adductus.* Anno vero 1867, Apostolicis litteris *Suprema universi*, Pius Pp. IX hanc Apostolicam legationem plane abrogavit, facta ad tempus Siciliae Episcopis facultate fidelium necessitatibus occurrendi.

te sibi iunctam, rapuisse et uxorem duxisse, anno 1092, s. Ivonem Carnotensem, qui cum plerisque aliis episcopis adulteras et incestas regis nuptias reprobaverat, carceri mancipasse, litteras scripsit ad Guilielmum archiepiscopum Rhemensem eiusque suffraganeos eos arguens, quod tantum scandalum tolerassent, monensque, ut regem ad abiiciendam Bertradam et ad reddendam libertatem episcopo Carnotensi compellerent. S. Ivo quidem restitutus fuit, sed rex Bertradam non abiecit. Quapropter Hugo archiepiscopus Lugdunensis, cui Pontifex vices suas hac in re demandaverat, in Augustodunensi synodo an. 1094 Philippum regem excommunicationi subdidit. Eodem anno obiit Berta regina. Rex autem excommunicationis sententia perterritus, oratores ad Pontificem misit postulatum inducias usque ad Pentecosten, intra quas Pontifici satisfaceret et ab omni commercio cum Bertrada abstineret. Cum autem rex in incestis nuptiis permaneret, Urbanus in synodo Claromontana excommunicationem in eum et Bertradam fulminavit [1]. Tunc Philippus Bertradam abiecit et an. 1096 in synodo Nemausensi a censuris absolutus est [2]. Postea tamen Bertradam revocavit, ut infra videbimus.

Cavensis Monasterii Ecclesiam et s. Nicolai Barensem Basilicam Urbanus II consecravit, ibique Corpus eiusdem thaumaturgi magna cum solemnitate reposuit. In eadem etiam Barensi Basilica an. 1097 vel 1098 Concilium habuit, ut Graecorum errores confutaret, doctissimis praesertim usus argumentis, quibus s. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis fidem Catholicam asseruit. Mortem oppetiit Romae IV° calendas augusti an. 1099. Tam praeclaris rebus gestis, insignis, atque sanctimoniae vitae conspicuus [3] magno honore habitus fuit, non tantum dum vitam ageret, verum praesertim post eius mortem gloriosam. Plures enim continenter scriptores eum *Sancti* nomine cohonestarunt; in pluribus Martyrologiis una cum aliis Sanctorum nominibus et illud Urbani II invenitur, ac dies designatur pro ipsius Festo quotannis recolendo [1]. Cum itaque tam Romae, quam alibi Urbanus II uti Sanctus haberetur eiusque cultus ad haec usque tempora perseverasset, S. Rituum Congregationis Decretum, sub die 14 iulii an. 1881, Leone PP. XIII approbante, cultum ei ab *immemorabili* tempore praestitum, confirmavit. Nunc, ex recentis Mechliniensis conventus sententia, Castellioni ad Matronam [2], in Rhemensi dioecesi, Urbano II monumentalem statuam ponunt.

11. *Schismatis status* —Interea schismaticus et perversus Henricus IV auctoritatem suam in Germania restituit; principes passim pacem cum eo inierunt; Saxones ipsi bellis lassi, se Henrico dediderunt anno 1088. Hermannus rex secessit in Lotharingiam et brevi post obiit. Multi tamen a schismate ad obedientiam legitimi Pontificis redierunt. Prae aliis delendo schismati egregiam operam navarunt Altmannus Passaviensis, Gebehardus Constantiensis, Adalbero Wirceburgensis et Albertus Wormatiensis episcopi [3].

In Italia vero Henrici IV eiusque antipapae res mutatae sunt. Conradus, Henrici filius et ab eo iam rex creatus, offensus iniuriis sibi et matri suae a patre illatis, an. 1093 in Italia contra patrem suum bellum indixit, a praecipuis Longobardiae civitati-

[1] Quod anathema tam accurate servatum est, ut hoc tempore in plerisque diplomatis, non *regnante Philippo*, sed *regnante Iesu* scriberetur. Vid. Brietius, in *Annal.* ad an. Christ. 1095.

[2] Labbe, *Concil.* t. X, p. 463, 499, 500 et 604.

[3] Bona (*Rer. Liturg.* l. II, c. 10, § 3, et *Divinae Psalmodiae* c. 12, § 2) refert, Urbanum II, *Praefationem* de B. Virgine in Missa instituisse, eiusdemque *Officium natum educatumque in claustris monachorum in lucem gentium sapienter eduxisse*. Petrus Diaconus, Casinensis, vero, Officii B. V. institutionem Gregorio II tribuit. At Gregorius, teste Baronio, *Pontificatum init anno salutis* 715. *Antiquior igitur quam vulgus hominum putat* (scribit idem Bona, loc. cit. § 2) *huius Officii usus et ordinatio est*. Radulphus Tungrensis (*De Canonum observantia*, prop. 20, *Bibl. Patr.* t. XXVI) subiungit: « De Officio B. Virginis legitur, in Chronicis, quod Urbanus II qui novem Praefationibus prioribus decimam de B. Maria Virgine addidit, in Galliam veniens, Concilium, apud Claromontem urbem, celebravit anno Domini 1096 de mense novembri: in quo statutum est, quod Horae B. M. Virginis quotidie dicantur, Officiumque eius diebus Sabbatorum solemniter fiat. Quod quidem (ut est apud Labbeum *Concil.* t. X) tunc a sancta Synodo, Urbano agente, indictum et a clericis pie susceptum ad laicos quoque fuit tam viros, quam mulieres propagatum, et quidem cum magno foenore gratiarum, ut experti sunt omnes iugiterque experiuntur fideles illud ex animo frequentantes ». Vid. Baronium, ad an. 1095, § 51.

[1] At, quod potissimum est, quum, pace inter Ecclesiam et imperium restituta, Callistus Pp. II in Patriarchio Lateranensi S. Nicolai Myrensis insigne Sacellum erexisset, in eius abside depingi curavit Imagines sex RR. PP. suorum Praecessorum, qui Ecclesiae iura contra Imperii invasiones propugnaverant. Has inter Imaginem Urbani II ea ratione exprimi voluit, qua nonnisi Sanctorum imagines, ex veteri recepta Ecclesiae disciplina, effingi consueverunt. Quae quidem pictura, cum usque ad Clementis XII tempora perstitisset, diruto tunc ob novas molitiones s. Nicolai sacello, a Benedicto XIV in sacra Poenitentiariorum aede restituta fuit, ut vetustissima cultus Decessoribus suis iamdiu exhibita monimenta religiose servarentur.

[2] Gallice *Chatillon sur Marne* — [3] Berthold. *Chron.*

bus, quas Henricus iniqua et infami sua vita a se alienaverat, susceptus, et ab Anselmo archiepiscopo Mediolanensi rex Italiae coronatus est. Ex hoc tempore catholicorum partes Romae et in Longobardia praevaluerunt. Urbanus II an. 1094 palatium Lateranense, quod diu fuerat in manibus schismaticorum recepit, Guibertus urbe extorris, in schismate et in usurpandis pontificatus muniis perseveravit usque ad annum 1100, quo miserrime extinctus est. Quadriennio post etiam Henricum IV solio deiectum videbimus.

12. *Grandimontensium, Carthusianorum, Cisterciensium Ordines*—Priori huius saeculi dimidio s. Romualdum et s. Ioannem Gualbertum in Italia de monastici instituti instauratione praeclare meruisse vidimus [1]. De ea re posterioribus huius saeculi annis bene meriti sunt ss. Stephanus, Bruno atque Robertus, qui vitae sanctioris studiosi ad restituendam veterem disciplinam, in nonnullis coenobiis temporum iniuria collapsam, novas monachorum familias excitarunt, quae cum ingenti mox numero auctae sint, sensum religiosum huius aetatis ut ut perturbatae et multorum fidelium studia componendi vitam suam ad Evangelii praecepta atque consilia testantur.

S. Stephanus nobili Arverniae loco oriundus, Deo securius liberiusque serviendi animo, an. 1076 in montem Muretum prope Lemovicum secessit, ubi vitam asperrimam, orationibus, canticis sacris, ieiunio aliisque austeris exercitiis dicatam, vixit. Brevi post discipuli multi se eius directioni subiecerunt, quibuscum, assentiente s. Gregorio Pp. VII, congregationem ad veterum eremitarum exemplum instituit sub regula, magna ex parte Benedictinae simili, in multis tamen ab ea diversa. Haec regula prae primis paupertatem, silentium certis anni temporibus strictissimum, continuum ieiunium, abstinentiam a carne ipsis aegrotis praescribebat; quem tamen rigorem RR. Pontifices, praecipue Innocentius IV, in variis rebus mitigarunt. Obiit s. Stephanus an. 1124. Postea discipuli eius Muretum deserere coacti, secesserunt in vicinum Grandimontium, unde nomen Grandimontensium acceperunt. Eorum Institutum in Gallia late propagatum est [2].

S. Bruno Coloniae Agrippinae natus. Rhemensis ecclesiae canonicus et scholarum praefectus, an. 1086 cum aliquot sociis relicto mundi commercio, secessit in locum dictum Carthusium, inter rupes praealtas, perpetua fere nive et nebula tectas, haud procul a Gratianopoli situm; ubi, opem ferente s. Hugone episcopo Gratianopolitano, exstructis cellulis vitam eremiticam, victu, vestitu, silentio asperrimam vixerunt. Simile vitae genus s. Bruno post aliquot annos introduxit in Calabria, ubi anno 1101 mortuus est. Progressu temporis istud Institutum, a loco dictum Carthusianum, multum propagatum est. Carthusianis regula s. Benedicti fundamento erat, sed severis veterum Ægypti et Syriae eremitarum statutis aucta. Non cohabitabant aliorum monachorum more, sed singuli habebant cellulas per claustri gyrum positas: solis sabbatis propter necessarias collationes et dispositiones conveniebant, et silentium interrumpebant; in cellulis orationi, lectioni, codicum descriptioni, manuum labori vacabant; 2ª, 4ª, et 6ª feria non nisi panem et aquam, caeteris diebus etiam legumina sumebant; crebro ieiunabant; vestibus hirsutis et cilicio ad nudum corpus utebantur; summam paupertatem profitebantur. Cum autem deinde nonnihil degenerassent, an. 1259 in generali Capitulo ea, quae irrepserant, sustulerunt et antiquas leges novis poenis sancierunt. Hoc etiam Institutum ita propagatum est, ut saec. XVIII haberet 172 monasteria, quorum 75 in sola Francogallia erant [1].

Omnibus vero Ordinibus monasticis hactenus conditis, palmam praeripuit Cisterciensis, cuius auctor fuit B. Robertus. Is nobili genere in Campania gallica natus, iam annis aliquot regulam s. Benedicti in monasterio Molismensi professus, an. 1098 cum nonnullis sociis a caeteris, regulam parum observantibus, discessit et se contulit Cistercium prope Divionem, ubi, annuentibus Hugone archiepiscopo Lugdunensi et Walterio episcopo Cabilonensi, monasterium exstruxerunt. Hi regulam s. Benedicti secundum suum rigorem observarunt. Non tantum horum numerus auctus est, sed plura in aliis locis monasteria, Cisterciensi consociata, excitata sunt. Quum Ordo Cisterciensium, sic appellatus a Cistercio, RR. Pontificum auctoritate esset approbatus, et vitae austeritas, morum sanctitas et assidui-

[1] Tom. I, p. 273-274.

[2] *Historia brevis et prolixior priorum Grandimont.* apud Martene, *Veter. Scriptor.* t. IV; Gerardi, *Vita s. Stephani*, apud eumdem Martene; Bolland., *Acta SS.* 8 febr.

[1] Bolland. *Acta SS.* 6 octobr.; De Tracy, *Vie de s. Brunon avec des remarques sur son Ordre*, Paris 1785, in 12°; Helyot, *Histoire des Ordres relig.* t. VII.

tas in piis exercitiis in eo maxime vigerent, per totam ecclesiam Latinam adeo propagatus fuit, ut dimidio saec. XII 500, et dimidio saec. sequentis 1800 abbatias numeraret [1].

Eodem tempore Gasto, vir nobilis et dives in Delphinatu, filium suum a morbo, quem ignem s. Antonii vocant, huius Sancti intercessione liberatum credens, Mottae in Delphinatu iuxta ecclesiam, in qua D. Antonii reliquiae asservabantur, hospitale aedificavit, in quo ab an. 1095 ipse et filius eius, saeculari habitu cum alio atri coloris permutato, aegrotis et piis peregrinatoribus ministrabant. Hoc misericordiae exemplo permoti cum mox alii se eis adiunxissent, Urbanus Pp. II an. 1096 eorum Congregationem approbavit. Honorius III an. 1218 eos, qui hactenus laici erant et *Antoniani* appellabantur, tria vota monastica emittere concessit. Bonifacius VIII praecepit, ut regulam, D. Augustino adscriptam, observarent et se Canonicos Regulares dicerent, eorum magistro dignitatem abbatialem contulit, Ordinemque, iam in pluribus locis auctum, soli Pontifici subiectum voluit [2].

Alium praeterea exeunte hoc saeculo Ordinem fundavit Robertus, Arbrisselae in Britannia minori natus, qui prius s. Theologiae professor, deinde relicto saeculo in saltu prope Cretumnum vitam eremiticam atque asperrimam amplexus est. Imitatores multos nactus, an. 1100 in vasto campo provinciae Pictaviensis atque a fonte Ebrardi compellato, magnum cellarum numerum, deinde 2 monasteria, alterum pro viris, alterum pro feminis erexit. Non multo post 3 monasteria pro feminis aedificavit, quorum primum virginibus et viduis, secundum aegrotis et leprosis, tertium lapsis erat destinatum. Alia in aliis Galliae locis monasteria pro utroque sexu excitavit, cunctis regulam s. Benedicti secundum omnem eius rigorem et novis austeritatibus auctam, observandam praescripsit. Idem Ordo in Hispania et Anglia monasteria condidit [3].

13. *Scriptores ecclesiastici*—Scriptoribus ecclesiasticis, qui per posteriorem huius saeculi XI partem floruerunt, praesertim adnumerandi sunt sequentes: S. Anselmus, episcopus Lucensis, qui pro Ecclesiarum libertate et Gregorio Pp. VII contra Henricum IV eiusque schisma invicte depugnavit [1], scripsit praeter alia, Commentarium in Lamentationes Ieremiae et in Psalmos, atque Apologeticum pro Gregorio VII [2]. S. Petrus Damiani, e monacho O. S. B. cardinalis episcopus Ostiensis [3], reliquit plures epistolas, sermones, Vitas Ssrum et opuscula de variis argumentis [4]. Lanfrancus, archiepiscopus Cantuariensis, Berengarii debellator, ut vidimus, scripsit librum de Corpore et Sanguine Domini, commentarium in Epistolas D.Pauli, et litteras multas [5]. S. Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis, de quo infra videbimus, in philosophicis ac theologicis disciplinis versatissimus, plura opera reliquit, inter quae eminent *Monologium* et *Prosologium* de Dei existentia et attributis, liber de fide Trinitatis et Incarnationis praesertim contra errores Roscelini [6], libri de processione Spiritus S. et de pane azymo atque fermentato contra Graecos, de Dei incarnatione cui titulus *cur Deus homo*, contra Gentiles, de conceptu virginali et peccato originali, de concordia praescientiae, praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio [7]. S. Bruno, episcopus Signiensis [8], commentarios edidit in plures s. Scripturae libros, tractatus de dogmate et sermones [9]. Theophylactus, episcopus Acridae et metropolita Bulgariae, inter alia reliquit Commentaria in aliquot Prophetas minores, in quatuor Evangelia, in Acta Apostolorum et in Epistolas D. Pauli [10]. Euthymius Zigabenus, monachus s. Basilii, edidit *Panopliam* dogmaticam contra haereses, *Catenam* in Pentateuchum et Commentarios in Psalmos, in Evangelia et in Epistolas D. Pauli [11]. Mi-

---

[1] Bolland. ibid. 29 april.; Manriquez, *Annales Cistercienses*; P. le Nain, *Essai de l'histoire de l'Ordre de Citeaux*.

[2] Mabillon, *Annales Ord. s. Benedicti*; Helyot, *Histoire des Ordres relig.*

[3] Baldric. *Vita Roberti Arbrissel.*; Mainferme, *Clypeus nascentis Fonterraud.*

[1] Bolland. *Acta SS.* 3 martii.

[2] Apud H. Canis. *Lection. antiquit.* t. III, p. 372, et in *Biblioth. PP.* Lugd. t. XVIII; Migne, *Patrol. Latin.* t. CXLIX.

[3] Bolland. *Acta SS.* 23 febr.

[4] Venet. 1783, 4 vol. in-4.° Migne, *ibid.* t. CXLIV-V.

[5] Paris. 1648, in fol.; Migne, *ibid.* t. CL.

[6] Roscelinus, hoc ipso tempore canonicus et scholasticus Compendiensis, e schola Nominalium, quorum parens a multis appellatur, Tritheismum innovavit, docens, in Deo tres personas divinas esse tres res ab invicem distinctas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit earum voluntas, et potestas; nec incongruum fore, si usus admitteret, tres Deos appellare. Hi errores an. 1092 damnati sunt in synodo Suessionensi, in qua Roscelinus ipse eos abiecit, sed postea in eosdem relapsus est.

[7] *Opera* s. Anselmi edidit G. Gerberon, Paris. 1675, in-fol.; Migne, *Patrol. Latin.* t. CLVIII-IX.

[8] Bolland. *Acta SS.* 18 iul.

[9] Venet. 1651. — [10] Venet. 1754, 4 vol. in-fol.

[11] *Biblioth. PP.* Lugd. t. XIX.

chaël Psellus, Cp., qui praeter libros de re philosophica, mathematica et aliis, scripsit paraphrasin metricam in Canticum Canticorum [1]. S. Ivo, episcopus Carnotensis, ecclesiasticae disciplinae et libertatis fortissimus vindex, praeter 24 sermones et 288 epistolas, edidit Chronicon regum Francorum, et 2 collectiones Canonum, quarum una Pannormia, altera Decretum Ivonis inscribitur [2]. Gebehardus, episcopus Salisburgensis, qui pluribus litteris Gregorium Pp. VII contra schismaticos defendit. Samuel ab urbe natali cognominatus Marochianus, qui, e iudaeo Christianus, librum scripsit de adventu Messiae contra Iudaeos. Adamus, can. Bremensis, dedit historiam ecclesiarum Hamburgensis et Bremensis [3]. Bertholdus, presbyter Constantiensis, qui Chronicon ab anno 1053 usque ad 1100 et res gestas sub Gregorio VII et Henrico IV collegit [4]. Marianus Scotus, monachus Benedictinus, exaravit chronicon a Christo nato usque ad an. 1082 [5]. Lambertus Schafnaburgensis, monachus Hirsfeldensis, res gestas ab orbe condito usque ad an. 1050 ordine chronologico breviter, deinde res Germanicas usque ad an. 1077 fusius narravit [6]. Georgius Cedrenus, monachus Graecus, edidit compendium historiarum seu chronicon a mundi exordio usque ad annum 1057 [7].

14. *Expeditiones cruciatae*—Interea Urbanus Pp. II comparando bello sacro contra mahometanos animum appulit. Vidimus, quantis conatibus Saraceni ab initio mandatum pseudo-propheta sui de imperii et religionis suae finibus vi armorum proferendis prosecuti sint. E desertis Arabiae regionibus egressi, in Syriam, Asiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Siciliam, Cretam irruerunt, omnes Christianorum principum terras occupare conati. Vix dici potest, quantas calamitates regionibus, quas invaserunt, intulerint. In Arabia, Syria, Asia, Ægypto, Africa, aliisque regionibus, in quibus illi dominabantur, Christiani oppressi et in durissimam servitutem redacti sunt. Turcae, qui mahometanum imperium instaurarunt et magnopere auxerunt [8], Hierosolymis et Palaestina potiti, incolas christianos gravibus oneribus et dura servitute oppresserunt, sacra loca turpiter profanarunt, peregrinantes in Terram sanctam contumeliis et iniuriis affecerunt, et occupata Asia minori, vastatricia arma usque ad muros Constantinopolis protulerunt.

Horum omnium fama in Occidentem perlata, excitavit Europaeorum commiserationem atque desiderium liberandi Christianos Asiae ab infidelium servitute, opemque ferendi periclitanti imperio Graeco, ne hoc a mahometanis deleto, universa Europa in periculum veniret. Iam Michaël Ducas, Graecorum imperator, Gregorii Pp. VII et Latinorum auxilium contra Turcarum progressiones imploraverat, et Pontifex 50 millia virorum in Italia aliisque Occidentis regionibus ad arma contra Turcas in Asiam ferenda comparaverat; sed propter multiplices vexationes, quas huic Pontifici suscitavit Henricus IV, opus non fuit executioni mandatum. Posthaec Alexius Comnenus, imperator Graecorum, legatos literasque misit ad Urbanum Pp. II et ad principes christianos, eosque ad commiserationem et ad ferendam opem imperio ac Christianis Asiae excitavit. Eodem tempore Petrus Ambianensis, professione et cognomento Eremita, magna sanctitatis laude clarus, e Terra sancta, quam pie visitaverat, redux, narravit calamitates et mala ingentia, Christianis et locis sacris a Turcis illata; Urbanum Pp. hortatus est ad excitandum bellum sacrum; addidit, se ad id opus a Christo ipso excitatum fuisse in visione, sibi in ecclesia Hierosolymis facta; ferebat praeterea litteras Simeonis, patriarchae Hierosolymitani, qui Pontificis et principum occidentalium auxilium implorabat [1].

15. *Cruciata I* (*an.* 1096)—His omnibus excitatus Urbanus II, negotium serio animo aggressus est; Petro eremitae potestatem fecit crucem seu bellum sacrum praedicandi in Italia, Gallia et Germania. Petrus tanto cum successu principes, clerum populumque ad bellum sacrum excitavit, ut ingens ubique multitudo se ad illud accingeret. Idem negotium Urbanus Pp. prosecutus est in synodis, quas in Italia et Gallia coëgit. An. 1095 in synodo Placentiae habita, ad quam 200 episcopi ex Italia, Gallia et Germania, pluraque clericorum et laicorum millia convenerant, auditis Alexii Comneni, Graecorum imperatoris, legatis, qui Pontificis et Occidentalium auxilium contra Tur-

1 Paris. 1615 et alibi.
2 Bolland. *Acta SS.* 20 maii. Opera eius edidit Fronteau, Paris. 1647, in-fol.
3 Helmstad. 1670, in-4°; Migne, loc. cit. t. CXLVI.
4 H. Canis. *Lect. antiq.* t. II; Migne, *ibid.* t. CXLVII.
5 Pistor. *Scriptor. German.* t. I; Migne, loc. cit.
6 Basil. 1669, in fol.
7 *Scriptor. Byzant.* t. X, ed. Paris.
8 Vid. t. I, p. 287.

1 Guil. Tyrius, *De bello sacro.*

carum progressiones implorabant, multi, hortante Pontifice, se iureiurando sacrae expeditioni obstrinxerunt. In synodo Claromontana Urbanus Pp. coram innumera pene episcoporum, abbatum, clericorum et laicorum multitudine narratis malis, olim Christianis in Occidente nuncque in Oriente illatis ab infidelibus atque periculis, quae universam Europam e Turcarum progressionibus manebant, tanta vi de bello sacro disseruit, ut omnes uno ore exclamarent: « Voluntas Dei est ». Praeterea Pontifex omnibus contritis et confessis, qui se ad bellum sacrum accingerent, indulsit cunctas poenas canonicas, pro quibuscumque peccatis meritas, eorum personas et bona sub praesidio Ecclesiae constituit, decrevitque, ut bellum hoc suscepturi crucem e panno similive materia in humero dextero gererent, unde *Crucigeri*, et ipsae expeditiones *Cruciatae* dicebantur. De eodem negotio Pontifex egit in synodis Lemovicensi et Turonensi [1].

Quum sic ubique gravissimis rationum momentis cruciata expeditio praedicaretur, viri principes, nobiles, plebeii innumeri, multi clerici atque episcopi crucem susceperunt. Inter principes cruciatos praecipui erant Hugo frater regis Francorum, Godefridus Bulloniaeus dux Lotharingiae inferioris eiusque fratres Balduinus et Eustachius, Robertus dux Normanniae, Robertus comes Flandriae, Stephanus comes Blesensis, Raymundus Tolosanus, Boemundus Tarentinus. Convenit inter eos, ut diverso itinere exercitus suos in Orientem ducerent et Constantinopolim convenirent. Qui sub Petro eremita, Gauterio aliisque imperitis ducibus profecti sunt sine ordine et disciplina, in via neque a rapina neque ab aliis excessibus abstinuerunt, et magno numero tum Bulgarorum et Turcarum armis tum aliis causis perierunt. Principes vero maiori cum ordine exercitus suos ducentes, unus post alium Constantinopolim pervenerunt. Hi Turcas in Asia minori aggressi, an. 1097 Nicaeam, fugato sultano, occuparunt. Inde progressi, sultanum secundo vicerunt prope Doryleum. Cum pervenissent Tarsum Ciliciae, Balduinus, frater Godefridi Bulloniaei, exercitum suum duxit in Mesopotamiam, plerasque civitates cepit, et an. 1098 principatus sui sedem constituit Edessae. Caeteri principes victricia arma protulerunt usque Antiochiam Syriae metropolim, quam eodem an. 1098 post obsidionem 4 mensium occuparunt, eiusque

[1] Berthold. *Chron.* an. 1095; Labbe, *Concil.* t. X, p. 500, 506, 598 et 601.

principatum demandarunt Boëmundo comiti Tarentino, qui illum occupatis finitimis locis plurimum auxit et contra Turcarum impetus fortiter defendit. Godefridus Bulloniaeus cum 25 millibus virorum profectus est Hierosolymum, quam 40,100 Turcarum praesidio defensam, obsedit, et post 5 hebdomadas an. 1099 assultu expugnavit. Hostes internecione deleti sunt, et Godefridus omnium acclamatione rex Hierosolymorum creatus [1].

Sic crucigerorum armis Turcarum imperium in Asia minori et Syria repressum fuit, Christiani a durissima servitute liberati, Religio vindicata atque restituta. Cum autem huius et caeterarum expeditionum cruciatarum praecipui excitatores et promotores fuerint RR. Pontifices, mirum non est, R. Ecclesiae adversarios, praesertim haereticos, protestantes et saeculi XVIII incredulos, de iustitia harum expeditionum esse oblocutos; sed eas fuisse maxime iustas, evincitur e gravissimis et iustissimis illarum causis, quas supra indicavimus [2].

16. *Ecclesiae status in Anglia—S. Anselmus*—In Anglia autem Guilielmo regi I an. 1087 successit Guilielmus II, filius eius, postquam Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi et Angliae primati iureiurando promisisset, se in omni negotio iustitiam et misericordiam sectaturum, pacem et libertatem defensurum. Verum Guilielmus rex promissa sprevit, post obitum Lanfranci (1089) ecclesias vexavit, earum bona invasit, vacantium ecclesiarum reditus usurpavit, dignitates ecclesiasticas pretio vendidit. Anno 1093 gravi aegritudine correptus, s. Anselmo abbati Beccensi, tunc in Anglia agenti peccatorum confessus est, vitae emendationem spopondit, et Anselmum, quamvis invitum, ad sedem Cantuariensem, iam ab an. 1089 vacantem, eligendum atque consecrandum curavit. Verum cum brevi post s. Anselmus regem interpellasset, ut ad corrigendos abusus synodus generalis e regno cogeretur, abbatiis vacantibus abbates praeficerentur, sibique Romam proficisci liceret, ut e manu Urbani Pp. pallium susciperet, Guilielmus rex qui Urbanum II nondum agnoverat, ita iratus est, ut episcopos ad deponendum Ansel-

[1] Guiliel. Tyrius, *De bello sacr.* l. 1-9; Wilken, *Historia expedit. Cruciat.*, germanice; Michaud, *Histoire des croisades.* — Godefridi Bulloniaei res gestas in prima Cruciatorum expeditione adversus Turcas mirandum in modum descripsit Torquatus Tasso in suo perquam praestanti epico poemate, *La Gerusalemme liberata.*

[2] Cf Bergier, *Diction. thèologiq.* art. *Croisades*; I. B. Palma, *Praelect. Histor. eccles.* t. III, part. I, c. 6.

mum convocarit. Quum episcopi respondissent, Anselmum utpote primatem Angliae a solo Pontifice deponi posse, rex iis mandavit, ut omnem obedientiam et amicitiam Anselmo denegarent. Paulo post rex a magnatibus ad meliorem mentem revocatus, Urbanum Pp. agnovit, Walterum cardinalem legatum suscepit, et Anselmo pacem liberamque ecclesiarum administrationem reddidit; anno autem 1100 tristi sorte extinctus est [1].

Henricus I, Guilielmi frater et successor, ea quae a fratre suo iniuste fuerant acta, rescidit, sed investituras dimittere noluit; quapropter inter eum et s. Anselmum convenit, ut res ad Apostolicam Sedem deferretur. Interea Anselmus, assentiente rege, ad corrigendos abusus, qui invaluerant, an. 1102 generalem synodum coëgit. In ea nonnulli abbates simoniaci depositi sunt; clericis maioribus coelibatus inculcatus et popinarum atque compotationum consuetudo prohibita; ecclesiasticarum dignitatum emptio atque consanguineorum coniugia usque ad septimam generationem vetita, aliaque nonnulla utiliter constituta sunt [2].

Attamen Henricus rex, quamvis monitus a Paschali II, qui an. 1099 Urbano II in summo pontificatu successerat, in usurpandis investituris pertinax extitit; et Anselmus, qui pro officio suo hac in re ei assentiri minime poterat, exulare coactus est. Paulo post rex comminatoriis Paschalis Pp. litteris et defectionis periculo in regno perterritus, s. Anselmum revocavit, et an. 1107 copiosum episcoporum, abbatum et procerum conventum indixit Londini. In eo post longam de investituris disceptationem, rex eas tum in Anglia tum in Normannia dimisit, et episcopis ad corrigendos abusus opem promisit [3]. Cum autem clerici multi incontinentia sua ecclesias dehonestarent, s. Anselmus an. 1108 Londini synodum coëgit, in qua 10 decreta sancita sunt, nimirum ut omnes presbyteri, canonici, archidiaconi, diaconi et subdiaconi vitam castam ducerent; mulieres praeter eas, quas canones excipiebant, ab illorum domibus arcerentur; qui contra fecerint, a divino officio remoti omnique ecclesiastico beneficio privati, e choro pellerentur, et si missam celebrare ausi fuerint, excommunicarentur [4].

S. Anselmus de instauratione disciplinae iuriumque Ecclesiae defensione optime meritus, an. 1109 aeternam coronam consecutus est [1]. Non tantum sanctitatis, sed etiam eruditionis laude claruit, sicuti diximus [2].

17. *Paschalis II Pontifex* (*an.* 1099)— Post aliquot dies ab obitu Urbani II, XXI° calend. septembr. omnium suffragiis electus est Rainerius, Hetruscus, e monacho Cluniacensi cardinalis presbyter, morum honestate, doctrina et singulari in gerendis rebus prudentia commendandus, qui nomen Paschalis II assumpsit et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1118.

Cum Guibertus antipapa eiusque sectarii in ditione R. Ecclesiae turbas graves excitarent, Paschalis Pp. secundum Romanorum preces exercitum conscripsit, a quo Guibertus Albano eiectus, an. 1100 subita morte sublatus est. Tunc schismatici unum post alterum elegerunt Albertum et Theodoricum, qui post paucos dies intercepti, monasteriis mancipati sunt. Elegerunt dein Maginulfum, quem Silvestrum IV appellarunt; sed hic etiam brevi post a Romanis ex Urbe pulsus, exul obiit [3].

Tranquillitate restituta, Paschalis II an. 1102 copiosam episcoporum synodum Romae coëgit, in qua ad exscindendas schismatis reliquias praescriptum est iusiurandum quod sequitur: « Anathematizo omnem haeresim et praecipue eam, quae statum praesentis Ecclesiae perturbat, quae docet et adstruit, anathema contemnendum et Ecclesiae ligamina spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicae Sedis Pontifici Domino Paschali eiusque successoribus sub testimonio Christi et Ecclesiae; affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia [4] ».

Idem Pontifex, quum Philippus rex Francorum Bertradam revocasset [5], in Galliam legavit Ioannem et Benedictum cardinales, qui an. 1100 contumacem regem in synodo Pictaviensi excommunicarunt. Tandem Philippus et Bertrada resipuerunt, et postquam an. 1104 in synodo Parisiensi tactis sanctis Evangeliis iurassent, se non modo omnem carnalem consuetudinem, et contubernium relicturos, sed ne ullum quidem colloquium nisi sub testimonio personarum spectatae fidei habituros, absoluti sunt [6].

Posthaec Paschalis II, Henrico IV a Ger-

[1] Eadmer. *Historia Novorum*, l. 1-2; Bolland. *Acta SS.* 21 april.
[2] Labbe, *Concil.* t. X, p. 728.
[3] Ibid. p. 753.
[4] Ibid. p. 754.

[1] Bolland. *Acta SS.* 21 april.
[2] P. 16, col. 2.
[3] Baronius et Pagi, ad an. 1100.
[4] Labbe, *Concil.* t. X, p. 727.
[5] Vid. p. 13. — [6] Labbe, *Concil.* t. X, p. 720 et 742.

manis deiecto, advocatus in Germaniam ad conciliandam ecclesiarum et regni pacem, uti paulo post dicturi sumus, Roma profectus est. Guastallae, in Longobardia, an. 1106 cum multis episcopis et clericis, ultra et cis-montanis, synodum habuit, in qua de episcopis et clericis extra communionem catholicam ordinatis, quales multi erant in regno Teutonico, constitutum est, ut episcopi aliique clerici in schismate ordinati, modo non essent invasores, simoniaci aut criminosi, sed vita et scientia commendandi, in officiis suis reciperentur; et ad eliminandas simoniae et aliorum malorum causas rursum investiturae prohibitae sunt sub poena excommunicationis pro laicis, qui eas darent, et sub poena depositionis pro clericis, qui eas acciperent [1]. Ex eadem synodo Pontifex epistolam scripsit ad clericos et fideles regni Teutonici, in qua reprehendit rigorem eorum, qui ad vitandos excommunicatos regno exeundum esse putabant, conceditque ad communionem admitti posse eos, qui inviti, sive servitii sive cohabitationis causa, cum excommunicatis communicassent [2].

Anno 1107 Pontifex synodum convocavit Trecis, in Gallia, in qua plura pro temporum adiunctis corrigenda correxit, et novis decretis libertatem sacrarum electionum secundum decessorum suorum praecepta et canonum praescripta ecclesiis confirmavit [3]. Anno 1108 in synodo Beneventana constituit, ut si quis ecclesiastica beneficia de manu laici acciperet, uterque, dans et accipiens, communione privaretur. Biennio post, synodum coegit Romae, in qua statutum est, ut « quicumque clericorum investituram ecclesiae vel ecclesiasticae dignitatis de manu laici acceperit, et qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subiaceat et communione privetur; ut si quis princeps vel alius laicus dispositionem seu donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur; clerici vero vel monachi, qui eas per illorum potestatem susceperint, excommunicationi subiaceant; ut quicumque res naufragorum diripiunt, ab ecclesiae liminibus excludantur [4] ».

18. *Ecclesiae status in Germania*—In Germania interea Henricus IV in schismate et rebellione contra legitimum Pontificem pertinax, episcopos Pontifici obedientes male habuit, rebelles vero protexit. Inter schismatis eius fautores praecipui fuerunt Gauterius Cameracensis et Otbertus Leodiensis episcopi. Extat in hanc rem epistola Paschalis II ad Robertum comitem Flandriae, quem hortatur, ut quemadmodum iam fecerat contra schismaticos et rebelles clericos Camerancenses, etiam contra Leodienses arma conferret, et curaret ut qui seipsos ab Ecclesia catholica segregarant, per catholicos ab Ecclesiae beneficiis segregarentur [1]. Id quum audivissent Leodienses, petulantissimam epistolam seu potius declamationem contra Pontificem ediderunt [2].

Verumtamen res Henrici IV mutatae sunt. Quemadmodum in Italia Conradus [3], ita in Germania Henricus contra patrem rebellavit an. 1104. Henricus filius, huius nominis V, condemnato schismate et obedientiam R. Pontifici professus, confestim a proceribus Bavariae, Germaniae superioris, Franconiae et Saxoniae susceptus est. Biennio post generalia regni comitia indicta sunt Moguntiae, in quibus Henricus IV, a filio suo interceptus, ad abdicandum se regno compulsus fuit, et Henricus V ab omnibus rex salutatus et susceptus est. Praeterea ad componendum ecclesiarum statum, schismate perturbatum, viri idonei Bruno archiepiscopus Trevirensis, Henricus Magdeburgensis, Otto Bambergensis et alii Romam legati sunt [4].

Postquam Henricus IV regnum recuperare frustra tentasset, secessit Leodium, ubi VII° idus augusti 1106 obiit. Corpus eius ibidem sepultum, deinde exhumatum et Spiram translatum, 6 annis sepultura christiana caruit. Eo amoto, catholicorum causa ubique praevaluit, schismatici episcopi sedibus suis privati sunt, et eorum in loca ordinati catholici; illorum, qui in schismate obierant, corpora exhumata et extra ecclesias condita sunt [5]. Attamen Henricus V toties proscriptas investituras retinuit et propter eas turbas graves excitavit.

19. *Lis inter Paschalem II et Henricum V*—Hic Pontifex a legatis, qui e comitiis Moguntinis anno 1105 Romam missi fuerant, in Germaniam invitatus ad conciliandam ecclesiarum et regni pacem, illuc profectus est. Sed quum in via audivisset, Henricum V in conferendis investituris perseverare, iter flexit in Galliam, ubi a Philippo rege eiusque filio Ludovico honorifice exceptus fuit. Anno 1107 Catalauni excepit oratores Henrici V, qui cum contenderent, ius eligendi et investiendi epi-

[1] Labbe, ibid. p. 718. — [2] Ibid. p. 645.
[3] Ibid. p. 754. — [4] Ibid. p. 757, 764.

[1] Labbe, loc. cit. p. 629.
[2] Ibid. p. 630. — [3] Vid. p. 14-15.
[4] Labbe, ibid. p. 715.
[5] Abbas Urspergensis, *Chronicon*.

scopos et abbates pertinere ad imperium, ita ut omnis electio ad imperatorem deferatur, eius assensu confirmatur, et electus ab eo annulo et virga seu baculo investiretur, Pontifex per Placentinum episcopum respondit, Ecclesiam pretioso Christi sanguine redemptam et liberam constitutam, nullo modo ancillari oportere, eamque in indecoram servitutem redigi, si, inconsulto rege, praelatos suos eligere non posset, et hi e manu laici sacrae potestatis symbola suscipere deberent. Illi minas protulerunt; Pontifex vero eos excitavit, ut non discordiae sed paci operam darent [1].

Anno 1110 Henricus V cum copioso exercitu Alpes transiit tum ut regnum Longobardicum Teutonico uniret, tum ut a Pontifice imperator coronaretur. Longobardia sibi subiecta legatos ad Paschalem misit, pro tractanda concordia inter Sacerdotium et imperium. Convenit utrumque, ut Henricus investituras dimitteret; ecclesias cum suis oblationibus et possessionibus, quae ad regnum non pertinuerant, liberas relinqueret; patrimonia atque dominia B. Petri restitueret, sicut a Carolo Magno aliisque imperatoribus concessa fuerant [2]; Paschalis vero Henricum coronaret imperatorem, et episcopis praeciperet, ut imperatori dimitterent regalia, quae a temporibus Caroli Magni, eiusque successorum ad regnum manifeste pertinebant, idest, civitates, ducatus, comitatus, marchias, monetas, telonium etc. Henricus V an. 1111 Urbem ingressus, a Pontifice, clero et populo honorifice exceptus est; verum spretis pactis, investituras dimittere noluit; Pontificem, ideo eum coronare recusantem, cum cardinalibus sub militari custodia detinuit et in Romanos saeviit. Romani in furorem versi, Germanos quotquot in urbe occurrebant, caeciderunt, et utrimque acerrime pugnatum est.

Cum Henricus V neque minis neque iniuriis Pontificis constantiam flectere posset, Paschali, cardinalibus, aliisque captivis libertatem spopondit, si sibi investiturae concederentur, quibus non officia sacra, sed sola regalia conferre intenderet. Paschalis II non propria, sed aliorum captivitate, Urbis desolatione et periculo schismatis ad annuendum Henrico inductus, eum, postquam iurasset, se captivis libertatem, Romanis pacem, Ecclesiae sua patrimonia et Pontifici obedientiam restituturum, imperatorem coronavit, eique indulsit, ut regni sui episcopis et abbatibus, sine violentia et simonia electis, investituram annuli et baculi conferret, utque nullus electus, nisi ab eodem investitus, consecraretur [1].

Henricus V voti sui compos in Germaniam regressus est; at privilegium, quod a Paschali Pp. extorserat, magnam dissensionem, tum intra tum extra Urbem, excitavit. Pontifex metuens, ne ista dissensio schisma pareret, an. 1112 ad Lateranum synodum Romae 100 circiter episcoporum coëgit, in qua exposuit, qua ratione ad concedendum Henrico istud privilegium fuisset adactus; deinde facta fidei professione, illud, quod pro pravitate sua *pravilegium* dicebatur, tota suffragante synodo, damnavit et irritum dixit [2]. Idem privilegium in multis episcoporum synodis, per varias provincias proactis, damnatum est, et Henricus propter iniurias R. Pontifici illatas excommunicatus [3]. In Germania multi principes, ecclesiastici ac laici, praesertim Saxones, Henrici V partes deseruerunt et consortium eius vitarunt; unde rursus imperium in duas partes scissum est.

Henricus subditorum defectionem metuens, an. 1115 in Italiam profectus est specioso componendae discordiae praetextu. Quum in Longobardiam pervenisset, oratores Romam misit ad conciliandam pacem. Paschalis Pp. an. 1116 copiosam episcoporum e diversis provinciis regnisque synodum congregavit, in qua de praesenti negotio actum est. In hac synodo Pontifex olim concessum Henrico V privilegium iterum condemnavit, tota acclamante synodo. Ve-

---

[1] Sugerius, *Vita Ludovici VI.*

[2] Petrus Diaconus, *Chron. Casin.* l. IV, c. 35; *Vita Paschalis II* ex MSS. Card. Aragonii ap. Muratorium, *Rer. Ital. Script.*, t. III.

[1] *Chronograph. Hildesheim.*; Petrus Diacon. *Chron. Casin.* l. 4; Baron., ad an. 1109-11.

[2] Labbe, t. X, p. 767. Hinc carpsere nonnulli de haeresi Paschalem II. Ast horum accusationem exarmat Baronius, ad an. 1112, § 18, « Non est enim haeresis, scribens, ipsas investituras dispensando concedere (quod unum Paschalis II fecit), sed asserere atque defendere, de iure esse et debere fieri per laicos investituras (quod numquam asseruit Paschalis II). Id enim haeresis est, cum id sit, falsum dogma, bonis moribus, et sacris Patrum institutionibus repugnans in Ecclesiam introducere ». Et Benedictus XIV (l. I *De Serv. Dei Beatif.* c. 41, § 10), « Si Dominii ipsius Ecclesiastici, subdit, constituendi a laicis usurpata facultas haeresis absolute et simpliciter fuisset, non eam Gregorius VII aliique Pontifices in sola Ecclesia Occidentali reprobassent, sed eamdem reprobationem ad Ecclesiam etiam Orientalem, in qua illa vigebat, sine ulla dubitatione extendi voluissent ». S. Ivo quoque, scriptor coevus, in sua *Epistola*, n. 238 signata, ab adversariorum calumniis Paschalem defendit.

[3] Petrus Diacon., loc. cit.; *Chron. Ursperg.*, Labbe, loc. cit. p. 766, 784, 797 et 801.

rum paulo post, excitata a factiosis in Urbe seditione, et Henrico V cum exercitu ad Urbem properante, Paschalis Pp. ex ea discessit, vicesque suas, pro tractanda cum imperatore pace, demandavit Mauritio Burdino, episcopo Bracarensi in Hispania, qui tunc temporis Romae agebat. Henricus V, qui factiosis gratulabatur, an. 1117 cum exercitu in Urbem venit, plerosque optimates muneribus aliisque artibus sibi devinxit, et Burdinum ipsum, Pontificis vicarium, in partes suas pertraxit, et ex eius manu coronam imperii in ecclesia s. Petri suscepit. Paschalis II his auditis, proditorem Burdinum excommunicavit, et episcopis Hispanis praecepit, ut alium episcopum in eius locum ordinarent [1].

Post Henrici V discessum Paschalis Pp. Romam reversus est, ubi senio laboreque confectus, brevi post, xv° calend. februar. 1118, vita excessit, cum regnasset *ann.* 18, *mens.* 5, et *dies* 7.

20. *Gelasius II Pontifex* (*an.* 1118) — Paschali II legitimis cardinalium suffragiis, an. 1118, VIII° calend. februar., suffectus fuit Ioannes, natione Campanus et patria Caietanus, e monacho Cassinensi R. E. cardinalis diaconus et cancellarius [2], vir singularis pietatis et eruditionis, qui nomen Gelasii II assumpsit [3]. Quod cum audivisset Cencius Frangipanes, vir potens in Urbe et imperatoris partibus addictissimus, armata manu Pontificem apprehendit, et calcibus contusum catenisque constrictum in carcerem coniecit. Sed confestim proceres et cives, sumptis armis, Pontificem restituerunt.

Burdinus antipapa — Vix restituta erat tranquillitas, quum noctis silentio Henricus V imperator in Urbem venit. Gelasius Pp. insidias eius declinans, clam aufugit [4]. Imperator ei per nuncios significavit, ut indultum sibi quondam a Paschali II privilegium ratum haberet, secus sciret, se alium Pontificem constituturum. Reipsa audacissimus Henricus minas executus, Mauritium Burdinum, iam a Paschali II excommunicatum, in pontificiam sedem intrusit sub nomine Gregorii VIII, et ab eo iterum coronatus, rediit in Liguriam, hincque in Germaniam.

Gelasius Pp. tum Henricum V tum Burdinum antipapam in synodo Capuana excommunicavit, et post imperatoris discessum Romam reversus est; sed brevi post nova seditione et tumultu a Frangipanibus excitatis, aufugere coactus fuit, et vicibus suis demandatis Petro episcopo Portuensi, transiit in Galliam, *portum Romanae Ecclesiae fluctuantis naviculae Petri* [1], opem Ludovici regis, qui an. 1108 Philippo patri suo successerat, imploraturus. Verum Matisconae gravi pleuritidis morbo correptus, delatus est Cluniacum, in quo coenobio IV° calend. februar. 1119 ad meliorem vitam transiit [2], cum per annum et dies quatuor Pontifex fuisset. «Quo quidem post Martyres, subdit Baronius [3], qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitae tempore maiora sit passus, ob idque praeclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit praeconiis celebrandus».

21. *Callistus II Pontifex* (*an.* 1119) — Defuncto Gelasio II, cardinales et clerici Romani, qui erant in eius comitatu, apud Cluniacum comitia inierunt, et summo consensu elegerunt Guidonem, archiepiscopum Viennensem [4], in divinis Scripturis eruditum, et saecularium litterarum non ignarum, pietate, prudentia atque constantia spectatissimum, qui accepto etiam cardinalium Romae commorantium, et Romanorum assensu, Viennae v° idus februarii an. 1119, sub nomine Callisti II inauguratus est, et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1124.

Novus Pontifex confestim componendis ecclesiarum rebus animum applicuit; eodem anno 1119, VII° idus iunii, Tolosae cum cardinalibus multisque episcopis et abbatibus synodum habuit, in qua simonia in sacris Ordinationibus et promotionibus iterum damnata est [5]; haeretici, qui hoc tempore in Gallia insurrexerunt, ut infra videbimus, anathemate damnati et potestati saeculari

---

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 806 et 812; Baron. ad an. 1115-17.

[2] Mabillonius, in *Annal. Benedict.* l. LXXIII, ad an. 1117, § 27, refert, Gelasium II sub tribus Pontificibus, Victore III, Urbano II et Paschali II, Cancellarii officio functum esse. Petrus Diaconus vero (*Chron. Casinens.* l. IV, c. 124), notat, Casinense coenobium iam eo tempore Romanae Sedi Stephanum (IX) VII, Victorem III, ac Gelasium II Apostolicos dedisse, et multis Ecclesiis catholicos, idoneosque Pastores.

[3] Pandulphus Pisanus huius Pontificis familiaris, in eius Vita, dicit Gelasium II pontificem creatum invitum ac renitentem.

[4] Caietam patriam suam se recepit ubi demum, VI° idus martii, Pontifex consecratus est, contradicente imperatore.

[1] Baronius, ad an. 1118, § 14.

[2] Baronius et Pagi, ad an. 1119.

[3] Ad an. 1119, § 2.

[4] Gelasius II, gravi morbo aeger, Cardinales admonuerat, ut Cononem Episcopum Praenestinum sibi substituerent. Is amplissimam dignitatem constanter recusavit, suadens, ut Guidoni Archiepiscopo Viennensi mandaretur.

[5] Labbe, *Concil.* t. X, p. 856.

denuntiati; et prohibitum, ne beneficia et dignitates ecclesiasticae haereditario iure transmitterentur. XIII° calendas novembris alteram synodum coëgit Rhemis, cui e diversis Occidentis regionibus interfuerunt 13 archiepiscopi, 200 et amplius episcopi magnusque numerus abbatum. In hac synodo editi sunt 5 canones contra simoniam, investituras, clericorum incontinentiam et violatores trewgae Dei. In eadem synodo Callistus II Burdinum antipapam et Henricum imperatorem, quem frustra ad componendam pacem hortatus fuerat, excommunicavit, subditosque eius a fidei iuramento absolvit, donec is resipisceret et Ecclesiae faceret satis [1].

Posthaec Callistus Pp. Italiam petiit; ubique in via summo cum honore et applausu exceptus, III° nonas iunii 1120, magna cum pompa a Romanis in Lateranense palatium introductus est [2]. Burdinus antipapa, qui ex Urbe confugerat Sutrium, a Normannis ex Apulia a Pontifice advocatis, interceptus et Romam ductus, monasterio Cavensi inclusus fuit. Callistus vero pacem et securitatem Romae restituit [3].

22. *Pax inter Sacerdotium et Imperium.* Sub eodem Pontifice concordia sacerdotium inter et imperium restituta fuit. Anno quippe 1121, cum dissidia bellumque civile universum imperium manerent, in comitiis Wirceburgensibus de pace atque concordia tractatum est convenitque, ut oratores Romam mitterentur. Selecti sunt ad hanc missionem Bruno episcopus Spirensis et Arnulphus abbas Fuldensis, quos magno gaudio excepit pacificus Pontifex, et cum iis ad imperatorem legavit Lambertum cardinalem episcopum Ostiensem, Saxonem presbyterum et Gregorium diaconum cardinales. Quum hi in Germaniam pervenissent, comitia generalia indicta sunt Wormatiae an. 1122, in quibus pax ita composita fuit, ut imperator investituras per annulum et pedum, ecclesiasticae dignitatis symbola, dimitteret; episcopi et abbates in imperio coram imperatore vel eius legato sine vi ac simonia eligerentur; electi investituram regalium idest feudorum aliorumque bonorum, quae a regibus et principibus ecclesiis et abbatiis fuerant donata, per sceptrum ab imperatore acciperent. En concordati huius, quod a loco appellatum est Wormatiense, textum:

«Ego, Callistus episcopus, servus servorum Dei, tibi, dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum imperatori augusto, concedo, electiones episcoporum et abbatum regni Teutonici, qui ad regnum pertinent, in praesentia tua fieri absque simonia et aliqua violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum et auxilium praebeas. Electus autem a te regalia per sceptrum recipiat, exceptis omnibus, quae ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; et quae ex his tibi iure debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra 6 menses regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero querimoniam mihi feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi praestabo. Do tibi veram pacem et omnibus, qui in parte tua sunt aut fuerunt tempore huius discordiae ».

« Ego, Henricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et s. Romanae Ecclesiae et domni Pp. Callisti et pro remedio animae meae, dimitto Deo et ss. Apostolis Petro et Paulo sanctaeque catholicae Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum; et concedo in omnibus ecclesiis, quae in regno et imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia B. Petri, quae a principio huius discordiae usque ad hodiernam diem sive patris mei tempore sive meo ablata sunt, quae habeo, s. Romanae Ecclesiae restituo, quae autem non habeo, ut restituantur, fideliter adiuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, quae habeo, reddam, quae non habeo, ut reddantur, fideliter adiuvabo; et do veram pacem domno Pp. Callisto sanctaeque Romanae Ecclesiae et omnibus, qui in partibus ipsius sunt et fuerunt; et in quibus s. Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter adiuvabo ».

Pactis utrimque sancitis et confirmatis, imperator in Ecclesiae communionem receptus est, et generalis venia omnibus, qui discordiae ac schismati faverant, indulta [1].

Per praedictum concordatum Callistus Pp. consecutus est id, pro quo s. Gregorius VII eiusque successores tanta constantia certaverant, nimirum ut potestas eligendi episco-

[1] Labbe, t. X, p. 862-887.

[2] In nota 1, p. 14, col. 2, loquitur de monimento RR. Pontificibus Ecclesiae iura propugnatoribus a Callisto II in Patriarchio Lateranensi posito.

[3] Baronius et Pagi, ad an. 1120-21.

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 889; Baronius et Pagi, ad an. 1121-22.

pos, et abbates, quam summi imperantes in magnum ecclesiasticae rei detrimentum specioso investiturae praetextu usurpaverant, ecclesiis et abbatiis restitueretur. Ex hoc tempore vetus eligendi episcopos ratio paulatim certam mutationem subiit[1]. Etenim propter dissensiones factionesque partium, metropolitanorum postulata et saecularium potestatum usurpationes, usus pedetentim invaluit, ut non tantum populi votis, sed etiam episcoporum provinciae suffragiis cessantibus, episcopi eligerentur a solis Capitulis Cathedralibus. Invectam iam novi iuris regulam, qua et populus et episcopi provinciae ab episcopalibus electionibus exclusi sunt, an. 1215 confirmavit generale concilium Lateranense IV sub Innocentio Pp. III, canonibus XXIV-XXVI totam suffragiorum potestatem asserens canonicis ecclesiae vacantis, electiones per saecularis potestatis abusum factas proscribens, poenasque definiens in metropolitanos, qui electiones minus canonicas confirmaverint[2].

23. *Concilium Lateranense I, generale IX (an.* 1123)—Nihil sane iucundius Callisto Pp., nihil salubrius universae Ecclesiae obtingere potuit, quam ut, exstincto schismate sedatisque discordiis, quibus tot annis Ecclesia et imperium fuerant perturbata, pacis foedere animi sociarentur, Ecclesia redderetur libera, concordia sacerdotium inter et imperium restitueretur. Ut tanti momenti negotium solemni ratione confirmaretur, res Ecclesiae publicae ordinarentur et disciplina instauraretur, Callistus Pp. an. 1123 concilium generale in Lateranensi basilica indixit, quod inter oecumenica concilia nonum est et primum ex oecumenicis in Occidente habitis. Teste Sugerio abbate s. Dionysii, qui adfuit, convenerunt ex omnibus fere regnis occidentalibus 300 episcopi plurimique abbates[3]. Praesedit Pontifex ipse. In primis concordatum inter Callistum Pp. II et Henricum imperatorem V, in comitiis Wormatiensibus confectum, confirmatum est. Actum etiam fuit de ferendis suppetiis Christianis contra Turcas in Oriente et contra Mauros in Hispania, et renovatae indulgentiae, ab Urbano II crucigeris et omnibus aliquid ab bellum sacrum conferentibus, concessae. Deinde Patres egerunt de disciplina ecclesiastica. De numero canonum huius Concilii haud certo constat: antiquus codex Ms. monasterii Anianensis 17, vulgatae Conciliorum collectiones 22 numerant. Ut plurimum canones isti desumpti sunt ex antiquioribus conciliis. Damnantur rursum in iis simoniacae ordinationes; coelibatus presbyteris, diaconis et subdiaconis inculcatur; principes et alii laici a dispensatione bonorum ecclesiasticorum arcentur; matrimonia consanguineorum prohibentur; auferentes oblationes ecclesiis factas, item cudentes aut studiose expendentes falsam monetam, excommunicantur[1].—Idem Pontifex in hoc concilio decrevit Conrado Episcopo Constantiensi locum esse in Sanctis[2].

24. *Honorius II Pontifex (an.* 1124)—Callistus Pp. idibus decembris 1124, post *annos* Pontificatus 5, *mens.* 10, et *dies* 12, e vivis excessit. In eius locum electus est Theobaldus, presbyter cardinalis S. Anastasiae, nomine Caelestini II. Sed cum eius electio Leoni Frangipani aliisque in Urbe potentibus non probaretur, mox electus fuit Lambertus, cardinalis episcopus Ostiensis, an. 1124 XII° calend. ianuar. Theobaldus schismatis vitandi causa eodem die iure suo cessit. Lambertus etiam, cognoscens electionem suam esse vitiosam, eidem nuncium misit. Sed cardinales modestiam Lamberti admirantes, eum pro legitimo pontifice sub nomine Honorii II habendum esse decreverunt[3].

Honorius Pp. ad componenda ecclesiarum negotia in varias christiani orbis regiones apostolicos Legatos destinavit: Ægidium episcopum Tusculanum in Orientem; Gerardum cardinalem in Germaniam; Gregorium de Crescentio in Daniam; Ioannem Cremensem in Angliam et Scotiam; Matthaeum Albanensem in Galliam; Humbertum in Hispaniam. Henrico imperatore V an. 1125 sine liberis defuncto, Pontifex imperium confirmavit Lothario, duci Saxoniae, pietatis et bellicae rei laude claro; Fridericum Sueviae et Conradum Franconiae duces, in Lotharium rebelles, excommunicavit, et Anselmum, qui Conradum regem Italiae coronaverat, archiepiscopatu Mediolanensi privavit. Excommunicavit etiam Rogerium comitem Siciliae, quod ducatum Apuliae atque Calabriae, R. Ecclesiae feudum, invasisset: postea vero, quum Rogerius, Beneventum accedens, vassallorum more R. Ecclesiae hominium[4] praestitisset, et iureiurando interposito se obligaret, eodem ducatu Pontifex eum investivit.

[1] Vid. t. I, p. 63-64 — *De normis ss. election.*
[2] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 176; *Decretal.* tit. *de electione*; Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.* part. II, l. 2. — [3] *Vita Ludovici VI.*

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 891.
[2] Extat Constitutio ap. Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1340.
[3] Baronius et Pagi, ad an. 1124.
[4] *Hominium* apud scriptores medii aevi adhibetur

Ioannes Cremensis, Honorii II in Anglia Legatus, an. 1128 cum 22 episcopis et 40 abbatibus synodum habuit Londini apud Westmonasterium. Condita in ea sunt 17 decreta, quibus anteriorum synodorum statuta contra simoniacas ordinationes, contra clericorum cum mulieribus contubernia, contra incesta coniugia aliosque abusus et pravas consuetudines innovata fuerunt [1]. Matthaeus Albanensis, apostolicus in Gallia legatus, an. 1128 synodum coëgit Trecis, in qua Ordinis Templariorum, de quo infra dicemus, institutio confirmata est regulaque, in 72 capita distributa, iis tradita [2].

25. *Pomeranorum conversio*—Sub pontificatu Honorii II ad christianam fidem conversi sunt Pomerani, qui ad mare Balticum usque ad Vistulam et Wartham habitabant. Quum Boleslaus III, dux Poloniae, an. 1121 Pomeranos subegisset, eis ad Religionem christianam convertendis maximam operam navavit. Eius precibus et R. Pontificis auctoritate s. Otto, episcopus Bambergensis, ad Pomeranos profectus, an. 1124 et sequente illic tanto cum fructu Evangelium praedicavit, ut Uratislaus dux, plerique optimates et maxima populi pars Fidem susceperint. Quae ut magis stabilirentur et propagarentur, Otto Adelbertum, unum e clericis suis comitibus, Pomeranorum episcopum ordinavit. Anno 1129 Otto Bambergensis iterum in Pomeraniam transiit, et incolarum conversionem perfecit. Multa tamen gentis huius conversioni obstare videbantur, nimirum indolis eius barbaries, patrii ritus, mores inculti, nefanda polygamia, horrenda infanticidia. Sed quae in aliarum gentium conversione operata fuerat Religio christiana, eadem inter Pomeranos effecit et praeclarissimos fructus morales protulit [3].

26. *Tanchelinus*—In Belgio vero multorum, maxime plebeiorum, religionem corrupit perditissimus Tanchelinus, vir fanaticus et perversissimus, litterarum expers, sed magna dicendi facultate praeditus; qui laicus, veste monastica indutus, primum Ultraiecti, deinde Antwerpiae et in locis vicinis contra Ecclesiam eiusque Pontificem, contra episcopos et clericos, contra Sacramenta, praesertim ss. Eucharistiam, declamavit; multos, maxime e plebeiis, ad se pertraxit et ad spernenda cuncta Religionis atque Ecclesiae instituta excitavit; auctoritate, qua inter asseclas suos gaudebat, ad luxum et voluptates carnales exsatiandas usus; an. 1115 interfectus est. Quos autem ille in erroris viam perduxerat, ab ea reduxit s. Norbertus Antwerpiam vocatus, ut infra videbimus [1].

Eudo de Stella—Eodem tempore alter impostor, nempe Eudo de Stella, in Gallia, praesertim in Britannia minori ubi erat natus, se filium Dei et vivorum atque mortuorum iudicem venditavit. Is otiosorum et pravorum hominum secta collecta, ecclesias, monasteria terrasque depraedatus est. Demum ab archiepiscopo Rhemensi interceptus et in deliriis suis pertinax, ad carcerem condemnatus fuit. Multi, qui eum fuerant sectati, ad saniorem mentem redierunt; obstinati vero curiae seculari traditi et suppliciis affecti sunt [2].

Petrus de Bruis—In Gallia meridionali, potissimum in Occitania et Provincia, doctrinas a Fide alienas praedicarunt Petrus de Bruis sacerdos depositus eiusque discipulus Henricus monachus apostata. Docebant isti, parvulos propter fidei defectum non esse baptizandos; Eucharistiae sacramentum et Missae sacrificium esse ritus inanes; preces, eleemosynas et pia opera defunctis non prodesse; ecclesias, quod Deus ubique adorari possit, et cruces, utpote infamia passionis Christi instrumenta, esse destruendas; clericos et monachos esse despiciendos. Eiusmodi declamationibus illi multos in partes suas pertraxerunt, et ecclesiarum statum ita perturbarunt, ut, teste s. Bernardo, ecclesiae essent sine plebe, plebs sine sacerdotibus, sacerdotes sine reverentia, Christiani sine Christo [3]. Verum Petrus de Bruis an. 1124 a plebe comprehensus, concrematus fuit. Henricus eius discipulus, an. 1134, in synodo Pisana tamquam haereticus condemnatus et monasterio inclusus est; cum postea ex eo dimissus, haereticas orationes ad populum habere pergeret, an. 1148 iterum in synodo Rhemensi damnatus et carceri mancipatus, non multo post decessit. In reducendis eorum sectariis ad sinum Ecclesiae praeclaram operam navarunt s. Bernardus, abbas Claravallensis, et Albericus cardinalis episcopus Ostiensis, ab Apostolica Sede in Occitaniam legati [4].

---

pro *emenda*, vel pro *pace habenda*, vel pro *debito solvendo;* cum quis criminis alicuius reus, cum eo, quem offendit, vel illius heredibus, ita paciscitur, ut quoad vixerit, vassallus illorum sit, eoque nomine hominium iis praestet. Vid. Ducangius in *Glossario.*

[1] Labbe, loc. cit. p. 912.

[2] Ibid. p. 922. — [3] Bolland. *Acta SS.* 2 iulii.

---

[1] Bolland. *Acta SS.* 6 iun.

[2] Guil. Neubrig. *Histor. Angl.* l. I.

[3] *Epist.* 252 *ad Ildephons.*

[4] Petrus Cluniacensis, *Epistola* sive Tractatus *contra Petrobrusianos*; Goffrid. *Vita s. Bernardi*, l. 3.

Bogomili—In Graecia initio huius saeculi emersit prava Bogomilorum secta, qui veterum Gnosticorum et Paulicianorum seu novorum Manichaeorum errores diversimode tamen mutatos instaurarunt. Illi vetus Testamentum, Psalmis, et Prophetis exceptis, reiiciebant; solum Trinitatis nomen admittebant; de Christo eiusque incarnatione et de Spiritu S. impie sentiebant; omnem Dei cultum externum reiicientes, soli orationi Dominicae vacabant; matrimonium adversabantur; omne dissimulationis fraudisque genus licitum habebant, dum de vitandis religionis causa poenis ageretur. Alexius Comnenus, Graecorum imperator, sectarios compescuit; eorum magister, nomine Basilius, igne damnatus fuit; multi errores abiecerunt; obstinati perpetuo carceri mancipati sunt [1].

27. *Status crucigerorum in Oriente*—Interea Godefridus Bulloniaeus, rex Hierosolymorum, postquam novis de Turcis relatis victoriis regni sui fines protulisset, an. 1100 vita excessit. Ei in regno Hierosolymitano successit Balduinus, princeps Edessae, Godefridi frater, qui principatum Edessenum contulit Balduino cognato suo. Balduinus rex bellum contra mahometanos forti manu prosecutus est, Assur, Caesaream, aliaque loca regno suo adiunxit, regnavitque usque ad an. 1118.

Cum ex episcopis, qui primam expeditionem cruciatam fuerant secuti, nonnulli in Asia et Syria permansissent, ibidem vacantibus ecclesiis praefecti sunt. Ex iis Bernardus, episcopus Ambracensis in Epiro, creatus fuit patriarcha Antiochenus, et Daibertus, archiepiscopus Pisanus, accepit patriarchatum Hierosolymitanum. Verum Balduinus rex Daibertum criminis insimulatum, patriarchatu privavit, eumque contulit Ebremaro. Daibertus appellavit Apostolicam Sedem; sed cum a Paschali II sedi suae restitutus, Roma Hierosolymas rediret, in Sicilia obiit. Posthaec Gibelinus, archiepiscopus Arelatensis, a R. Pontifice Hierosolymas legatus, ibidem omnium votis creatus est patriarcha, et Ebremarus accepit ecclesiam Caesareensem [2].

Interim novi crucigerorum exercitus sub Stephano Blesensi et Guilielmo Aquitaniae comitibus aliisque ducibus in Orientem transierunt; sed Turcarum, et etiam Graecorum, qui continuas insidias Latinis struebant, armis oppugnati, parvo numero Hierosolymas pervenerunt. Praestantiora auxilia tulerunt Veneti, Genuenses, Pisani et Norwegii, quorum adventu roborati Balduinus rex et princeps Antiochenus et Edessenus, Turcarum impetus represserunt, Acconem seu Ptolemaidem, Tripolim, Berytum, Sidonem, aliaque loca occuparunt. Balduinus rex adversus Saracenos Fatimidas usque in Ægyptum arma protulit. Balduinus II, an. 1118 prioris in regno Hierosolymitano successor, res christianas magna fortitudine defendit. Veneti, Genuenses et Pisani, fugata classe Turcarum, portum Ioppem et Tyrum expugnarunt. Egregiam quoque operam praestiterunt celebres Ordines equestres seu religioso-militares, occasione cruciatarum expeditionum instituti [1].

28. *Ordines equestr. s. Ioannis et Templariorum*—Horum Ordinum equestrium officia universe erant, vias a latronibus tutas reddere, peregrinantibus inservire, adversus infideles dimicare, omnia denique ita agere, quemadmodum christianae reipublicae utilitas vel necessitas suadebat. Illorum primus est Ordo Hospitalariorum s. Ioannis, cuius haec fuerunt initia: Amalphitani (erant Normanni) quidam mercatores, qui negotium causa in Palaestinam confluxerant, post dimidium saeculi praecedentis a califa Ægypti oblata pecunia impetrarunt, ut in vicinia s. Sepulcri monasterium Latinorum et valetudinarium seu hospitale extruerentur ad suscipiendos infirmos et egenos Christianos, qui in Terram sanctam peregrinabantur. Quum sacellum huius xenodochii esset dicatum s. Ioanni Baptistae, monachi isti dicti sunt Hospitalarii s. Ioannis. Capta a crucigeris Ierusalem, Gerardus, fratrum in xenodochio ministrantium praepositus, consentiente Pontifice Paschale II, illud ab abbate monasterii separavit, et una cum fratribus se tribus consuetis votis monasticis sub Apostolicae Sedis protectione obstrinxit. Raymundus du Puy, anno circiter 1120 Gerardi successor, fratribus determinatam regulam praescripsit, milites etiam, ad defensionem Terrae sanctae contra Saracenos, in collegium suum admisit, et Ordinem, iam magno fratrum numero largisque donationibus auctum, in tres classes divisit, an. 1130 ab Innocentio Pp. II confirmatas. Harum prima complectebatur equites, qui operas militares in bellis sacris praestabant; secunda sacerdotes, qui functiones sacras peragebant; tertia fratres ministrantes, qui in hospitiis cu-

[1] Zonaras, *Annales*; Euthym. Zigaben. *Panoplia dogmatica*. — [2] Guil. Tyrius, l. II.

[1] Wilken et Michaud, *Histoire des Croisades*.

ram infirmorum gerebant vel equites in bello comitabantur. Ordinis insigne erat vestis coloris nigri, candida cruce insignita, eiusque superior primo magister deinde supremus magister appellabatur. Hic Ordo a RR. Pontificibus approbatus, variisque privilegiis ornatus, brevi tempore et numero et viribus auctus est [1].

Eodem fere tempore Hugo de Paganis aliique nobiles Galli instituerunt Ordinem Templariorum. Illi an. 1118 coram Patriarcha Hierosolymitano se consuetis tribus votis monasticis simulque officio pios peregrinatores contra praedones et hostes armis defendendi obstrinxerunt. Appellati sunt Templarii a domicilio, quod Hierosolymis prope locum, in quo fuerat templum Salomonicum, acceperunt. Anno 1128, petente patriarcha Hierosolymitano, synodus Trecensis sub Matthaeo Albanensi, Apostolicae Sedis legato, Ordinem confirmavit, firmam regulam cum obligatione dimicandi contra infideles in Palaestina praescripsit, et habitum albi coloris determinavit, quem habitum postea Eugenius Pp. III mutavit in pallium candidum cum cruce rubea pro equitibus; fratres quippe plebeii, militantes vel arma portantes, pallia atri vel cani coloris deferebant. Ordo brevi tempore et numero et divitiis mirum in modum crevit, multisque annis praeclara fama floruit [2].

29. *S. Bernardus* — In Occidente Ordo Cisterciensium, prioribus huius saeculi annis institutus [3], sub s. Bernardo tantum decus tantaque incrementa sumpsit, ut is quodammodo alter Ordinis istius parens, et Cistercienses etiam *Bernardini* appellati fuerint. Bernardus an. 1091 Fontanis in Burgundia nobilibus parentibus natus, a teneris pie vixit; an. 1113 monasterium Cisterciense ingressus, fratres suos multosque alios e cognatis et claro genere oriundos, ad idem vitae genus attraxit; cum biennio post constitutus esset abbas monasterii Claravallensis, quamplurimi ex omnibus regionibus ad eum confluebant, sub eius regimine victuri, e quibus plures postea ad dignitatem episcopalem in Gallia, Germania, Anglia et Italia, et unus sub nomine Eugenii III ad ipsam Petri cathedram, evecti sunt. Bernardus eximia sua pietate, eruditione et eloquentia ingentem nominis famam per totam ecclesiam Latinam, tantamque apud omnes venerationem et auctoritatem nactus est, ut Pontifices, episcopi, reges et principes in gravissimis negotiis consilia eius postularent [1].

S. Norbertus Praemonstratensis — Eodem tempore canonicorum Regularium Institutum instauravit s. Norbertus. In multis quippe provinciis canonici a prisca disciplina deflexerant; deserta vita communi, e bonis ecclesiasticis separatim et sine regula vivebant. Plures episcopi eos ad pristinam regulam reducere conati sunt; sed nemo meliori cum successu id fecit quam Norbertus. Is an. 1082 Xanti in Clivia natus, primo subdiaconus, pluriumque ecclesiarum canonicus et Henrici imperatoris V cappellanus, an. 1114 a laxiori ad severiorem vitam revocatus est; presbyter factus, cum perperam clerum patrium ad meliorem vitae rationem adducere tentasset, dimissis omnibus dignitatibus et bonis suis, ex auctoritate Gelasii Pp. II provincias Galliae, poenitentiam praedicans, peragravit. An. 1120 a Bartholomaeo episcopo Laudunensi evocatus ad canonicos huius ecclesiae reformandos, deinde cum aliquot clericis sociis secessit in vallem nemorosam, Praemonstratum dictam; ubi habitum album e manu Bartholomaei susceperunt, vitae asceticae et habendis per provincias vicinas sacris concionibus vacarunt. Anno sequente Norbertus discipulis suis, iam numero auctis, regulam Canonicorum Regularium s. Augustini observandam proposuit; sed cum eorum officiis, quae in praedicatione divini verbi, in conversione infidelium et haereticorum, in cura animarum et in studio literarum theologicarum consistebant, coniunxit obligationes monasticas ad paupertatem, obedientiam, solitudinem, silentium, vilem habitum, abstinentiam a carnibus, frequentes preces et lectiones sacras. Eodem tempore tot nobiles feminae ad amplectendum Norberti institutum erant paratae, ut pro eis etiam monasterium conditum fuerit. Paulo post comes de Cappenberg in Westphalia arcem ditionemque suam pro monasterio, in quo Norberti Institutum observaretur, dedicavit. Victoria etiam, quam Norbertus de Tanchelino haeretico eiusque sectariis in Brabantia retulit, ad multiplicanda Ordinis eius monasteria contulit. Maiora adhuc incrementa Ordo hic, qui a loco Praemonstrato, quem primitus incoluit *Praemonstratensium* fuit appellatus, in Gallia atque Germania cepit, postquam an. 1126 ab Ho-

[1] Guil. Tyrius, *De bello sacro*; Helyot, *Histoire des Ordres relig.*; Vertot, *Histoire des chévaliers de s.t Jean.*

[2] Helyot, loc. cit.; P. du Puy, *Histoire des Templiers*; Wilker, item, germanice. — [3] Vid. p. 15.

[1] Villefore, *Vie de s. Bernard*, 1704 in-4; Bolland. *Acta SS.* 20 august.

norio Pp. II fuisset approbatus. Eodem anno s. Norbertus, quamvis invitus, a Lothario imperatore II postulatus est ad archiepiscopatum Magdeburgensem, qua dignitate auctus, mirum in modum restituendae pietati, instaurandae disciplinae, extirpando schismati Petri Leonis, de quo infra dicemus, adlaboravit. Obiit an. 1134.

Post eius obitum Ordo continua incrementa cepit, ita ut dimidio huius saeculi XII fere 100, et an. 1344 ultra 600 virorum et 500 feminarum monasteria numeraret. Quae incrementa partim praestantiae Instituti, vitam monasticam cum cura animarum et studio litterarum utiliter coniungentis, partim constanti severioris disciplinae conservationi tribuenda videntur [1].

30. *Innocentius II Pontifex* (*an.* 1130)— Postridie mortem Honorii Pp. II, xvi° calend. mart. 1130 eventam, in eius locum invitus constituitur Gregorius cardinalis S. Angeli, Romanus, cuius vita, et fama, et aetas, et scientia digna summo sacerdotio habebatur, qui nomen Innocentii II assumpsit.

Schisma Petri Leonis — Verum eadem die duo Cardinales cum quadam cleri factione in Apostolicam Sedem intruserunt Card. Petrum Leonis sub nomine Anacleti II; unde triste schisma, quod annis fere 8 Ecclesiam perturbavit. Antipapa pecuniarum ex ecclesiarum spoliis largitione plebem Urbis ita corrupit, ut Innocentius Pp. factiosis resistere non valens, vices suas commiserit Conrado episcopo Sabinensi secesseritque in Galliam. Petrus Leonis datis ad christianos principes litteris, eos sibi conciliare conatus est. Partibus eius adhaeserunt David rex Scotiae et Rogerius dux Apuliae et Siciliae, ab antipapa regis titulo auctus; caeteri vero principes Innocentio II obedierunt[2]. In multis etiam episcoporum synodis antipapa Anacletus II reiectus, Innocentius vero legitimus pontifex susceptus fuit; id Hugo Gratianopolitanus in synodo Aniciensi, episcopi Germani in Wirceburgensi, Galli in Stampensi effecerunt [3].

Ludovicus VI rex Francorum, auditis iis, quae Romae acta fuerant, copiosam synodum coegit apud Stampas, inter Lutetiam et Aureliam, an. 1130, in qua Innocentius II ceu legitimus Pontifex agnitus et susceptus

[1] Bolland. *Acta SS.* 6 iun.; A. Miraeus, *Chronicon Praemonstrat.*; Le Peige, *Bibliotheca Praemonstrat.*

[2] Arnulph. Sagiens., *De schismate orto post Honorii II decessum*; Annalista Saxo; Baronius et Pagi, ad an. 1130.

[3] Annalista Saxo; Labbe, *Concil.* t. X, p. 971-72.

fuit. Eodem anno Innocentius ipse synodum celebravit apud Clarum-montem, in qua in Petrum Leonis seu Anacletum antipapam anathema dixit. Quemadmodum a Ludovico rege Francorum, ita etiam ab Henrico rege Angliae et Normanniae apud Carnotum obedientiae ac reverentiae testimoniis honoratus fuit Innocentius II [1]. Deinde Pontifex cum cardinalibus et s. Bernardo profectus est ad Lotharium II regem Germaniae, a quo xi° calend. april. 1131 in civitate Leodio honorificentissime exceptus est. Habita illic synodo, antipapam Anacletum rursus excommunicavit; Lotharium regem ad defensionem Ecclesiae et Urbis excitavit, eique coronam imperialem promisit. Lotharius pontifici auxilium spopondit.

Innocentius in Galliam redux, xiv° calend. novembr. copiosam synodum habuit Rhemis, in qua antipapa Anacletus iterum damnatus et 17 canones conditi sunt [2]. Tunc in plenaria synodo Rhemis congregata B. Godeardum, quem Gothardum vulgo appellant, Episc. Hildesheimensem in Saxonia inter Sanctos honorari praecepit [3]. Anno 1132 Innocentius e Gallia in Italiam rediit. A Lothario Romam reductus, pridie nonas iunii cum solemni ritu imperatorem coronavit [4]. Verum Lothario Roma digresso rursus, opera Rogerii regis Siciliae, schismatica factio in Urbe praevaluit. Innocentius II secessit Pisas, ubi an. 1134 in frequenti episcoporum synodo anathema in Petrum Leonis eiusque fautores renovavit [5].

[1] Labbe, t. X, p. 987, et Arnold. *Vita s. Bernardi*, l. II. Errant qui post Petrum diaconum (*Chron. Casin.* l. 4) asserunt, Innocentium II in synodo Leodiensi Lothario restituisse investituras per annulum et baculum; constat enim ex Arnoldo (*ibidem*) Pontificem importunis Lotharii de hac re precibus restitisse, et s. Bernardum magna animi fortitudine audaciam regis compescuisse. — Cf Sandini Disputat., *De falsa Synodo sub Hadriano I circa ius eligendi Romanum Pontificem, et investituras concedendi Episcopis; Dispp. Histor. ad Vitas RR. PP.* etc., Ferrariae 1755.

[2] Labbe, loc. cit. p. 979.

[3] Abbas Benedictinus in coenobio Altahensi, an. 998, sexagenarius, sublevatus ad maiorem dignitatem episcopalem. Obiit die 4 maii an. 1038. Bolland. ad diem 5 mai.

[4] Baronius et Pagi, ad an. 1133. E diplomate, quod extat ap. Baronium ad an. cit. § 3, et ap. Labbeum, t. X *Concil.* p. 946, apparet, tum Innocentium Lothario tradidisse *allodium* Comitissae Mathildis in eas conditiones, ut vectigal 100 librarum argenti quotannis sibi, suisque successoribus persolveret, utque post eius o*bitum proprietas et ius ad dominium S. Romanae Ecclesiae cum integritate absque diminutione et molestia reverteretur.* — *Allodium* Mathildis complectebatur partem magnam Ducatus Mantuani, Parmensis, Regiensis, Mutinensis, omnemque Garferonianam.

[5] Labbe, loc. cit. p. 990.

Praeter alios s. Bernardus praeclarissimam operam extirpando schismati praestitit: Mediolanenses, Guilielmum ducem Aquitaniae aliosque, qui aliquandiu antipapae adhaeserant, ad Innocentii II obedientiam perduxit. Tandem anno 1138 Petrus Leonis subita morte sublatus est. In eius quidem locum schismatici consilio Rogerii regis subrogarunt cardinalem Gregorium sub nomine Victoris IV; sed hic tertio post mense opera D. Bernardi ad obedientiam Innocentii II conversus fuit; ex quo tempore schisma collapsum est [1].

Tranquillitate in Urbe restituta, Innocentius Pp. totus in ecclesiastica negotia incubuit, legatosque in diversas regiones destinavit. Rogerio Siciliae regi, schismatis fautori, primo Lotharii deinde propria arma opposuit; postea, eum veniam petentem in gratiam suscepit et regno Siciliae investivit [2], eiusque filiis, uni ducatum Apuliae, alteri principatum Capuanum in feuda contulit [3]. Alia huius Pontificis gesta infra indicabimus.

31. *Rerum status in Gallia, Anglia et Hispania* — Magnum Innocentio II negotium facessivit Ludovicus VII, qui an. 1137 patri suo in regno Galliae successit. Etenim an. 1140 post obitum Alberici archiepiscopi Bituricensis dissensio orta est inter canonicos huius Ecclesiae de eligendo successore, alii Petrum de Castro, alii Cadurcum praeferebant. Cum autem Petrus fuisset electus, Cadurcus appellavit regem. Petrus Romam profectus, a Pontifice ipso ordinatus est. Rex vero iratus, Petrum regni introitu interdixit. Innocentius Pp., ne hoc iunioris regis facinus in detrimentum libertatis ecclesiasticae cederet, eum interdicto ecclesiastico subdidit. Alia audax rex ecclesiasticae libertati et iuri contraria perpetravit. S. Bernardus omnia tentavit, ut eum ad meliorem mentem revocaret. Tandem an. 1143 Ludovicus cum Coelestino, Innocentii successore, pacem iniit, ab interdicto absolutus est, et ad expianda iuventutis suae delicta, s. Bernardi hortatu, expeditionem in Palaestinam suscepit [1].

In Anglia Stephanus rex, qui Henrico I avunculo suo successit, quamvis se libertatem, iurisdictionem, consuetudines et bona ecclesiastica conservaturum iurasset, toto fere regni sui tempore (1135-1154) ecclesiarum statum perturbavit, earum thesauros diripuit, possessiones occupavit, dignitates indignis tradidit, episcopos vexavit [2].

In Hispania vero principes christiani adversus Mauros prospere certarunt, plurimas civitates eis eripuerunt, totumque illorum imperium in Hispania delevissent, si inter se ipsos fuissent magis concordes. Cum Alphonsus I rex Aragoniae et Navarrae an. 1134 sine filiis occubuisset, orta est dissensio; Navarrenses sibi regem elegerunt Sanctium IV; Aragonenses vero Ramirum Alphonsi fratrem, O. S. B. monachum, regem crearunt e dispensatione Innocentii II. Postea Ramirus filiam suam Petronillam Raimundo, comiti Barcinonensi, in coniugem regnumque Aragoniae in dotem concessit, et ad priscum suum coenobium regressus est [3].

In Lusitania Alphonsus comes, deinde rex, prospero etiam marte adversus Mauros dimicavit; an. 1139 quinque eorum regulos debellavit, et post plures alias civitates an. 1147 Olisipponem, totius Lusitaniae urbem nobilissimam, in suam potestatem redegit.

In omnibus porro Hispaniae ac Lusitaniae civitatibus atque provinciis, a Maurorum iugo liberatis, Religio christiana restituta fuit, refloruitque.

32. *Petrus Abaelardus* — His ipsis temporibus disceptationi causam dedit Petrus Abaelardus, inter scholasticos huius aetatis celeberrimus, ita ut ad eum audiendum non tantum e Gallia, sed e Belgio etiam, Germania et Anglia discipuli Parisios confluerent. Verum Abaelardus magis secundum dialecticos conceptus quam secundum ss. Scripturarum effata et Patrum sententias de dogmatis disputans, in varios impegit errores, adeo ut s. Bernardus de eo scripserit: «Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium; cum de gratia, sapit Pelagium; cum

---

[1] S. Bernard. *Epist.* 317; Orderic. Vital. *Hist. eccl.* l. 3; Falco, *Chronicon.*

[2] In Epistola ad eundem Rogerium, apud Labbe t. X, et apud Harduinum t. VI, Innocentius scribit: «Regnum Siciliae, quod utique, prout in antiquis refertur historiis, regnum fuisse non dubium est, tibi ab antecessore nostro (Honorio II) concessum, cum integritate honoris regii et dignitate regibus pertinente, excellentiae tuae concedimus; et Apostolica auctoritate confirmamus». Ad rem Baronius, ad an. 1139, § 11, subdit: «Ne videretur probare et confirmare, quod fecisset antipapa, ad conferendam Rogerio regiam dignitatem usum se exemplo praedecessoris Honorii Pp., qui insignierat eumdem Rogerium titulo Ducis, professus est Innocentius in Diplomate a se dato».

[3] Falco, *Chron.* cit.

---

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1140-43.

[2] Guil. Malmesbur. *Histor.* l. VIII; Guil. Neubrig. *Hist.* l. I.

[3] Orderic. Vital. *Histor.* l. I; Guil. Neubrig., *Hist.* l. II; Robert. de Monte, *Chron.* ad an. 1160.

de Persona Christi sapit Nestorium [1] ». Abaelardus multiplicis erroris accusatus, an. 1121 ad Synodum Suessionensem coram Apostolicae Sedis legato evocatus fuit, ex mandato synodi librum suum de ss. Trinitate in ignem coniecit, et s. Athanasii symbolum recitavit. Post aliquot annos disceptatio recruduit. S. Bernardus aliique varios et supinos errores, e libris Abaelardi excerptos, ei obiecerunt, inter quos numerantur sequentes : Patrem esse plenam potentiam, Filium quandam potentiam , Spiritum S. nullam potentiam; Deum non nisi id facere posse, quod reipsa facit; Christum Deum et hominem non esse personam in Trinitate; Spiritum S. esse animam mundi; non culpam, sed poenam tantum peccati, ab Adamo commissi, ad posteros propagari; hominem posse libero suo arbitrio, sine divina gratia, bonum velle et operari; hominem propter opera nec meliorem nec peiorem fieri; nullum peccatum committi concupiscentia, delectatione, et ignorantia, sed solo consensu et contemptu Dei. Quum an. 1140 in copiosa synodo Senonensi, adstante Abaelardo, capitula e libris eius excerpta legebantur, is Apostolicam Sedem appellavit. Quapropter synodus a persona quidem iudicanda abstinuit, errores tamen eius condemnavit, et Innocentium Pp. II de omnibus certiorem reddidit. Pontifex sententiam Senonensis synodi confirmavit, et Abaelardum custodiae mancipari eiusque scripta flammis tradi iussit. Tunc Abaelardus hortatu Petri Mauritii, abbatis Cluniacensis, errores suos correxit, et a Pontifice accepit, ut reliquum vitae suae in coenobio Cluniacensi transigeret, et emendatus atque poenitens ibi anno 1142 obiit [2].

33. *Arnaldus Brixiensis* — Maiores turbas excitavit Arnaldus Brixiensis, qui, referente Ottone Frisingensi, auctore coaevo [3], erat « singularitatis amator, novitatis cupidus, cuiusmodi hominum ingenia ad fabricandas haereses, schismatumque perturbationes sunt prona ». Revera Baronius [4] eum appellat « politicorum haereticorum patriarcham atque principem ». Hic igitur, anno 1138 perversos errores propagare coepit; clericis, episcopis ipsique Pontifici infensus atque monachorum persecutor, contra eos omnes declamavit, contenditque, proprietates a clericis, regalia ab episcopis et bona immobilia a monachis illicite possideri; ea omnia esse imperantium civilium et ab eorum beneficentia in usum laicorum cedenda; clericos et monachos e solis decimis et fidelium oblationibus vivere debere. Accusabatur praeterea, quod non recte sentiret de sacramento Altaris et de baptismo parvulorum. Arnaldus perversis suis declamationibus ecclesiam Brixiensem graviter turbavit, laicosque contra clericos et monachos excitavit. Anno 1139 in concilio Lateranensi II ab Innocentio Pp. damnatus, confugit in Galliam; sed ibi s. Bernardi litteris exagitatus, in Italiam regressus est. Anno 1145 in ipsam Urbem Romam, in quam perversa eius dogmata iam penetraverant, venit populumque in Pontificem et clerum concitavit, docens, Romano Pontifici solum ecclesiasticum, non vero temporale regimen competere, capitolium esse restaurandum, dignitatem senatoriam renovandam, veterem denique reipublicae formam resuscitandam. Arnaldus tantas seditiones in Urbe Roma excitavit, ut Pontifices frequenter ex ea aufugere cogerentur, cardinales aliique inhoneste tractarentur , domus et palatia splendida diruerentur. Tandem an. 1155 iussu Friderici imperatoris interceptus, a Petro Urbis Romae praefecto Arnaldus ad rogum condemnatus fuit [1]. Seditiosa eius dogmata suorum sectariorum turbas maxime Romae saepius concitarunt.

34. *Concilium Lateranense II, generale X* (*an.* 1139) — Interea Innocentius II ad exscindendas schismatis Petri Leonis reliquias, ad condemnandas haereses et ad restituendam ecclesiasticam disciplinam, concilium generale Romae indixit, quod est Lateranense II et oecumenicum X. Coeptum illud est initio aprilis 1139. Convenerunt episcopi circiter 1000, quibus Pontifex ipse praesedit. Post orationem Innocentii de Petro Leonis eiusque schismate, Patres omnes dixerunt, « quodcumque ille (Petrus Leonis) statuerat, destruimus, quoscumque exaltaverat, degradamus, quotquot consecraverat, deponimus ». Proinde Pontifex episcopis in schismate ordinatis, qui concilio intererant, episcopatus insignia ademit. Praeterea editi sunt 30 canones, vigesimo tertio damnantur sectatores Petri de Bruis et Arnaldi de Brixia: trigesimo illegitimae declarantur ordinationes factae a Petro Leonis aliisque

[1] *Epist.* 192 *ad Guidonem.*

[2] Baron. et Pagi, *Annal.*, Petrus Cluniacens. *Epist.* 21, l. IV ; Labbe , *Concil.* t. X, p. 885 et 1018 ; *Disputatio adversus Abaelardum* in *Biblioth. Cisterciens.* t. III ; Natal. Alexandr. *Hist. eccl.* diss. VII in saec. XI et XII.

[3] *De Gestis Friderici.*

[4] *Annal.* ad an. 1141, § 3.

[1] Otto Frisingens. *Gesta Friderici*, l. II; Gunterus Ligur. *Poemata.*

schismaticis et haereticis: reliqui canones ad alias disciplinae partes pertinent, et inter alia imperant, ut simoniace ordinati officio priventur; nihil detur pro beneficiis aliisve rebus sacris; nullus recipiat excommunicatos a suis episcopis; clerici ab episcopis officii sui admoniti et se emendare nolentes, beneficiis ecclesiasticis priventur; bona clericorum morientium non diripiantur; clerici sacris Ordinibus insigniti uxores aut concubinas habentes, ab officio et beneficio arceantur, et nemo missas eorum audiat; sanctimoniales non nubant; monachi aut canonici regulares non vacent studiis legum temporalium aut medicinae; clerici, monachi, peregrini, mercatores et rustici, euntes et redeuntes, omni tempore securi sint; trewga Dei ab omnibus observetur; usurarii habeantur infames, et nisi resipiscant, sepultura christiana careant; milites in nundinis e condicto non congrediantur; nemo beneficia ecclesiastica sibi haereditario iure vindicet; filii presbyterorum ad sacrum ministerium non admittantur, nisi in coenobiis aut canonicis religiose fuerint conversati; nemo beneficia e manu laici accipiat; canonici intra 3 menses, secundum sanctiones patrum, ad ecclesiam vacantem nominent episcopum, et ab electione non excludant viros religiosos [1].

35. *Synodus Antiochena et Herosolymitana*—Idem Pontifex, Innocentius II, Albericum episcopum Ostiensem legavit in Syriam ad cognoscendam causam Rodulphi, sedis Antiochenae invasoris. Legatus anno 1142 Antiochiae cum 12 episcopis synodum habuit, in qua Rodulpho deposito, patriarcha ordinatus fuit Aimericus [2]. Alteram synodum idem legatus indixit Hierosolymis, in qua actum est de iis, quae praesenti tempori convenire videbantur. Huic synodo adfuit etiam catholicon seu patriarcha Armenorum, qui cum legato Pontificis et episcopis praesentibus contulit de iis doctrinae articulis, in quibus Armeni errare videbantur, et in multis, inquit Guilielmus Tyrius, correctionem promisit [3]. Biennio post idem patriarcha eiusque episcopi legatos miserunt Romam, ut R. Ecclesiam interrogarent de nonnullis de quibus inter se et Graecos lis erat. Eos Eugenius Pp. III an. 1145 Viterbii excepit et diligenter instruxit. Illi autem ecclesiarum suarum nomine obedientiam R. Pontifici professi, in Orientem regressi sunt [4].

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 999.
[2] Ibid. p. 1026. — [3] L. XV, c. 15.
[4] Otto Frisingens. *Chron.* l. VII, c. 32.

36. *Caelestinus II Pontifex* (*an.* 1143)—Cum Innocentius II, tertio postquam Romam redierat anno 1143, VIII° calendas octobris obiisset, Cardinales, populo Romano acclamante, in Romanum Pontificem concorditer elegerunt post tres dies Guidonem Hetruscum, presbyterum cardinalem, qui nomen Caelestini II assumpsit [1]. Is pacem cum Ludovico VII rege Francorum iniit [2]; Henricum episcopum Wintoniensem legatum suum in Anglia constituit, qui eodem anno Londini synodum habuit contra eos, qui ecclesias vel coemeteria violarent aut violentas manus in clericos vel monachos iniicerent; synodus absolutionem ab istis criminibus R. Pontifici reservavit. Caelestinus, post 5 *menses* pontificatus, et 13 *dies*, VII° idus martii 1144, vita excessit.

Ab hoc Pontifice incipiunt vaticinationes de RR. Pontificibus usque ad mundi finem sessuris, quae vaticinationes s. Malachiae, hoc tempore archiepiscopo Armachano, adscriptae sunt. Verum viri doctissimi Baronius, Spondanus, Bzovius, Raynaldus, aliique nullam istarum vaticinationum rationem habuerunt, et passim critici eas reiiciunt. Accedit, quod s. Bernardus, s. Malachiae familiaris, cuius vitam conscripsit aliasque minoris momenti vaticinationes retulit, ne minimam quidem de istis mentionem faciat [3].

[1] Caelestinus II, in *Epist. ad Cluniacens.* (ap. Labbe t. X *Concil.* p. 1031 et Harduin. t. VI, part. II, p. 1231).—Itaque Panvinius, primum papam creatum *sine ullo populi interventu* Caelestinum dicit. Populum enim, ut idem Panvinius (*Annot. ad Platin.* p. 151) ac Sigonius (*de regn. Ital.* l. 10 ad an. 1143) tradunt, Pontificiorum iure comitiorum, cuius a primis temporibus particeps fuerat, Innocentius II spoliaverat. Attamen Otto Frisingens. (l. 7, c. 31) in electione Eugenii III scribit, *eum communi voto Cleri et populi electum*; ex quo appareret, populum ad electionem Pontificis rursus admissum esse. Ast semper Clerus praesente populo Romano, qui assensum non suffragium prestabat, Romanos Pontifices usque ad saec. XI elexit. Ex quo tempore propter multitudinem clericorum et periculum dissidii in electione primariis presbyteris et Episcopis Romae propinquioribus ius eligendi Romanum Pontificem delatum fuit. De hisce rebus actum cum sermo fuit etiam de imperatoribus, qui primo vocati ut curarent ordine electionem Pontificis fieri, postea ita se immiscuerint, ut sibi adsciscerent quoque ius approbationis electi. Vid. pp. 125, 137, 143, 222, 246, 283, 284, 285, et alibi passim t. I *Histor.* huius, nec non p. 12, t. II.—[2] Vid. p. 29.

[3] Cf Papebroch. *Conatus hist.* diss. 41; Moreri, *Diction. hist.* art. *Malach.*—En varia ex argumentis quibus vaticinationem quae s. Malachiae attribuitur, critices reiiciunt; 1° Quia Arnoldus Wion, qui vixit an. Ch. 1595, post s. Malachiam 450, affirmat, eam ab se primum excusam, nec dicit unde acceperit; 2° Nullus Scriptor cooevus, meminit de ea; 3° Octo pseudo pontifices ibi inseruntur Pontificibus legitimis, et duo tantum (Nicolaus V, et Clemens VII) *Antipapae* nomine notantur; 4° Peccat vaticinatio contra Chronologiam; siquidem pseudo-pontifices Victor IV, Paschalis III, Callistus III praeponuntur Alexandro III qui ante ipsos Pontifex fuit; et Cle-

37. *Lucius II Pontifex* (*an.* 1144)—Tribus diebus post Caelestini II mortem, v° idus martii Ecclesiae regimen demandatum fuit Lucio II, Bononiensi, e canonico regulari Cardinali cancellario, antea appellato Gerardo Caccianimico. Is Ecclesiae Toletanae in Hispania primatum confirmavit [1]; legatos accepit ab Alphonso, rege Lusitaniae, qui regnum suum Apostolicae Sedi cum annuo censu 4 unciarum auri obligavit [2]; cum vero rebelles Romanos, ab Arnaldistis excitatos, reprimere conaretur, v° calendas martias 1145 occubuit, ictu lapidis, ut fertur, in seditione percussus, cum *menses* 11 et *dies* 14 functus esset munere Pontificali.

38. *Eugenius III Pontifex* (*an.* 1145)—Die III° cal. martii Pontifex creatus est Eugenius III, antea Bernardus, patria Pisanus, monasterii s. Anastasii Ordinis Cisterciensis in Urbe abbas, D. Bernardi Claravallensis discipulus. Is tertio post die, quam electus fuerat, sibi ab Arnaldistis metuens, cum Episcopis et Cardinalibus nocte profugit ad coenobium Farfense, positum in Sabinis quinto et vigesimo ab Urbe milliario, ubi IV° nonas martii Pontifex consecratus est. A coenobio Farfensi transiit ad Civitatem Castellanam, atque inde Viterbium. Post 8 menses, Romam demigravit, ope Triburinorum militum seditiosis in Urbe repressis, eorumque patricio Iordane excommunicato, anno 1147 propter novos seditiosorum tumultus se contulit in Galliam, ubi honorifice exceptus est a Ludovico VII; Parisiis synodum indixit in causa Gilberti Porretani, episcopi Pictaviensis, qui eruditione haud vulgari praeditus, sed dialecticis subtilitatibus nimium deditus, deitatem seu essentiam divinam a Deo et a personis divinis ita distinguebat, ut essentiam divinam non ipsum Deum esse diceret, neque naturam sed personam tantum Verbi incarnatam assereret. Gilbertus a D. Bernardo pressus, quasdam assertiones reprobavit, alias emollivit; Pontifex causam remisit ad pleniorem synodum anno sequente (1148) Rhemis celebrandam. Convenerunt ad hanc synodum e Gallia, Germania, Anglia et Hispania episcopi et abbates amplius 1000, quibus praesedit Pontifex ipse. In ea erroribus Gilberti damnatis, edita est fidei formula, cuius summa haec est: « Credimus simpliciter, naturam Divinitatis esse Deum et Deum esse Divinitatem; Deum esse sapientem ea sapientia, quae est ipse Deus; magnum ea magnitudine, quae est ipse Deus... Dum de tribus personis loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. E converso dum de uno Deo, una divina substantia loquimur, profitemur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas... Credimus, ipsam Divinitatem, sive substantiam sive naturam divinam dicas, esse incarnatam in Filio ». Gilbertus se Pontificis et synodi sententiae subiecit. Praeterea editi sunt 17 canones, ad disciplinam ecclesiasticam spectantes [1]. Absoluta synodo Eugenius III transiit Treviros. Illic quum per viros eruditos inquiri iussisset de sanctitate et visionibus s. Hildegardis, virginis et abbatissae, spiritum eius probavit, eamque ad humilitatem et ad conscribenda quae sibi a Domino revelarentur, hortatus est [2]. Anno 1149 Romam redux, propter seditiosorum tumultus tertio ex urbe discessit. Deinde pace cum Romanis facta, Urbem ingreditur, ibique cum eis anno (1152) primitus commoratur [3]. Anno insequenti, trabea carnis exutus, VIII° idus iulii carne immaculatus migravit ad Christum Tibure, quo animi causa sese receperat. Fuit Pontifex *ann.* 8, *mens.* 4, et *dies* 10. Demortui corpus Romam delatum

mens VII, Benedictus XIII et Clemens VIII collocantur ante Urbanum VI, qui eos praecessit.

Conficta creditur prophetia an. 1590, tempore Pontificalium Comitiorum, a fautoribus Card. Simoncelli, quem designarunt hac voce: *De antiquitate Urbis*; siquidem eius patria erat *Urbs vetus*. Itaque cum facile fit verum esse vatem de rebus praeteritis, vaticinatio illa facile aptatur Pontificibus, qui an. 1590 et Gregorium XIV praecesserunt.

[1] *Epist.* 3 et 4.

[2] Baluz. *Miscell.* l. II, p. 220; Mansi, *Concil.* t. XX, p. 615 — Regna Ecclesiae Romanae tributaria recenset Gretserus (libr. *De munificentia Principum in Sedem Apostolicam*, c. 11, p. 643, t. VI): Rusciae, Croatiae, Dalmatiae, Aragoniae, Hispaniae, alia, Daniae, Galliae, Portugalliae, Angliae, Hiberniae, Scotiae, Poloniae, Hungariae, Boemiae, Sueciae, Norvegiae, Sardiniae, Saxoniae, Urbem praeterea Tarraconensem a Berengario comite Romanae eidem Ecclesiae olim donatam, Episcopatum insuper Bambergensem, Ducatus Apuliae, Calabriae, Siciliae, Principatum Capuae, Imperium Romanum. Vide Thomassin. *Vet. et nova Eccles. disciplin.*, part. 3, l. 1, c. 32.

[1] Mansi, *Concil.* t. XXI, p. 707; Labbe, t. X, p. 1105 et 1107.

[2] Bolland, *Acta SS.* 17 sept.

[3] Pagius, ad an. 1151, § 10, scribit, quod Eugenius III, suggerente Gratiano, gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quam profectus, scilicet *Baccalaureatus*, *Licentiatus* et *Doctoratus*, ut hoc specioso titulo studiosos ad ius Canonicum amplectendum excitaret, et privilegiis accenderet. Hanc enim graduum Scholasticorum institutionem omnes fere, qui de illis scripserunt, ad Gratianum et Lombardum retulerunt. Neque ante Petrum Lombardum eorum graduum in Scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur, eum illos Gratiani imitatione, Parisiis in Theologica disciplina instituisse. Sed hac de re legendus Bulaeus in saec. IV *Hist. Universitatis Parisiensis.*

est magna pompa funeris, et in aede S. Petri sepultum.

39. *Cruciata expeditio II* — In Oriente Christianorum res non parum inclinatae sunt, quod multi cruciger in Europam rediissent, varii principes essent mortui, et nonnulli privata magis quam publica commoda quaerentes, inter se de principatu contenderent. Quibus factum est, ut mahometani non semel Christianos superarint, et anno 1144 Edessam, Christiani principatus in Mesopotamia metropolim, ceperint, in qua horrendam incolarum Christianorum caedem fecerunt aliosque in servitutem redegerunt [1]. His omnibus permotus Eugenius Pp. anno 1146 novam expeditionem sacram indixit, omnibus crucem suscipientibus plenariam indulgentiam concessit, eorum uxores, liberos et bona sub peculiari Sedis Apostolicae protectione suscepit [2], et s. Bernardo praedicandi belli sacri negotium demandavit. Bernardus illud tum in Gallia tum in Germania tanto ardore et eloquio peregit, ut Ludovicus VII rex Galliae, Conradus III rex Germaniae, multi principes, duces, comites et ingens Francorum atque Germanorum multitudo crucem susceperint.

Anno 1147 ambo reges, Ludovicus et Conradus cum plurimis virorum millibus diverso itinere in Orientem profecti sunt. Quum primum Conradus in Graeciam pervenit, insidias Emmanuelis imperatoris Graecorum expertus est; et tum Graecorum dolis, tum Turcarum armis, item fame, morbis aliisque aerumnis magnam exercitus sui partem amisit. Ambo reges convenerunt Nicaeam, unde Conradus exercitu suo commendato regi Francorum, transiit Hierosolymas. Ludovicus VII pertransiens Asiam minorem, Graecorum ac Turcarum arma sibi infesta habuit; cum pervenisset Antiochiam, etiam Raymundum, huius civitatis principem, sibi contrarium expertus est; quapropter petiit Hierosolymas. Posthaec reges, principes, duces, aliique proceres ecclesiastici ac laici concilium habuerunt Ptolemaide, convenitque inter omnes de expugnanda civitate Damasco. Anno 1148 hanc civitatem obsederunt, Turcarum impetus fortiter represserunt; cumque iam captis muris exterioribus, civitas brevi esset occupanda, propter dissidium de civitatis imperio exortum, obsidionem ignominiose solverunt. Tunc consenserunt de obsidenda Ascalone; sed principibus Hierosolymitanis contra condictum non concurrentibus, reges Galliae et Germaniae in Europam redierunt [1].

S. Bernardus, qui tanto ardore bellum sacrum praedicaverat, propter inglorium eius exitum a nonnullis calumniam passus, iustitiam belli vindicavit, ostenditque infaustam eius sortem tum perfidiae et fraudibus Graecorum, tum dissensionibus principum christianorum, et inordinatae crucigerorum disciplinae esse tribuendam [2].

40. *Scriptores ecclesiastici* — Priori huius saeculi XII dimidio floruerunt inter alios scriptores ecclesiasticos, qui sequuntur: S. Bernardus, de quo iam saepe locuti sumus; ex eius scriptis potiora sunt libri 5 *de Consideratione* ad Eugenium III, libri *de moribus et officio* episcoporum, *de gratia et libero arbitrio, de diligendo Deo*, Sermones multi atque Epistolae [3]. Rupertus abbas monasterii Tuitiensis in dioecesi Coloniensi, e cuius operibus praestantiora sunt Commentarii in plures s. Scripturae libros, libri de ss. Trinitate eiusque operibus, de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus S., de divinis officiis [4]. Hugo a s. Victore seu Victorinus, secundum alios Saxo, secundum alios Flander, celebris doctor Parisiensis; ex eius scriptis commendantur adnotationes in plerosque libros V. Testamenti, in IV Evangelia et in Epistolas s. Pauli, Summa Sententiarum in septem tractatus distributa, libri de Sacramentis, et Sermones de vario argumento [5]. Guibertus, abbas Novigentinus, scripsit tractatus morales in Genesim, Amos et Ieremiam, et libros 8 gestorum Dei per Francos, seu historiam expeditionis Hierosolymitanae [6]. Robertus Pullus, Anglus, academiae Oxoniensis instaurator, deinde R. E. cardinalis, dedit Sententiarum theologicarum libros 8 [7]. Petrus a patria cognominatus Lombardus, inter theologos scholasticos huius aetatis facile princeps, e doctore Parisiensi canonicus Carnotensis, demum episcopus Parisiensis renuntiatus; reliquit Summam theologicam seu libros 4 Sententiarum, glossas in Psalterium et in Epistolas s. Pauli [8]. Algerus, canonicus et scholasticus Leodiensis, de quo supra mentionem

---

[1] Guil. Tyr. l. XXVII.
[2] *Epist.* I.

[1] S. Bernard., *De Considerat.* l. II; Guil. Tyr. l. XVI-XVII; Otto Frisingens. *Gesta Friderici*, l. 1.
[2] Ibid.
[3] Edidit Mabillon, Paris. 1668 et 1690, 2 vol. in fol.; Migne, *Patrol. Lat.* t. CLXXXII-V.
[4] Venet. 1751, 4 vol. in fol.; Migne, *loc. cit.* t. CLXVII-X.
[5] Rothomag. 1648, 3 vol. in-fol.; Migne, t. CLXXV-VII.
[6] Edidit Dacher. 1651 in fol. Migne, t. CI-VI.
[7] Paris. 1665, in-fol.; Migne, t. CLXXXVI.
[8] Norimberg. 1478; Francof. 1585; Migne, t CXCI-II.

fecimus [1]. Guilielmus patria Leodiensis, monachus Cisterciensis, reliquit tractatum de sacramento Altaris, librum contra errores Petri Abaelardi et opuscula de pietate [2]. Petrus Mauritius, abbas Cluniacensis, propter vitae sanctimoniam et eruditionem *Venerabilis* cognomen promeritus; scripsit tractatus contra Iudaeos, et Mahumetanos, de Petrobrusianis, epistolarum libros 6, libros 2 de miraculis sui temporis, hymnos, rythmos, et alia; praeterea Alcoranum, seu excerpta ex eo, in finem polemicum, latine reddi curavit [3]. Anselmus episcopus Havelbergensis, qui dedit libros 3 Collationum, seu disceptationum, quas Constantinopoli, Lotharii II legatione functus, cum Graecis habuit de unitate Fidei seu Ecclesiae, de processione Spiritus S., de primatu R. Pontificis et de ritu panis Eucharistici [4]. Hildebertus, ex episcopo Cenomanensi archiepiscopus Turonensis, qui praeter tractatus theologicos, sermones et poemata aliquot, collegit Vitas quorumdam Sanctorum [5]. Honorius, presbyter et scholasticus Augustodunensis, exaravit libros 3 de mundi imagine, libros 4 de mundi philosophia, seriem RR. Pontificum a s. Petro usque ad Innocentium II, libros de luminaribus seu scriptoribus ecclesiasticis et de haeresibus, dialogum de praedestinatione et libero arbitrio [6]. Gratianus Hetruscus, O. S. B. monachus, qui e Patrum sententiis, Pontificum decretis et Conciliorum canonibus confecit collectionem decretorum, quae Concordia discordantium canonum, postea vero Decretum Gratiani dicta est [7]. Sigebertus Gemblacensis, vir praestantis ingenii, sed schismatici imperatoris Henrici IV partibus deditus; edidit praeter alia Chronicon ab an. 382 usque ad 1112 et Catalogum virorum illustrium [8]. Leo Marsicanus, e monacho Cassinensi cardinalis episcopus Ostiensis, qui scripsit Chronicon monasterii Cassinensis, continuatum a Petro Diacono. Ioannes Zonaras, Graecus, O. S. Basilii monachus, qui Apostolorum canones et epistolas canonicas ss. Dionysii et Petri Alexandrinorum, Gregorii Thaumaturgi Neocaesareensis et Basilii Caesareensis episcoporum interpretatus est, et Annales dedit ab orbe condito usque ad an. 1118 [1]. Guilielmus Malmesburiensis, anglus, monachus et bibliothecarius, qui collegit libros 5 de gestis regum Anglorum, quibus postea addidit libros 2 historiae novellae, libros 4 de gestis Pontificum Anglorum aliaque [2]. Otto, episcopus Frisingensis, reliquit Chronicorum libros 7 a mundi exordio usque ad an. 1146, libros 2 de gestis Friderici imperatoris I, librum de fine mundi, de persecutione antichristi et resurrectione mortuorum [3].

41. *Anastasius IV Pontifex* (*an.* 1153) — Postridie, quam Eugenius III e vivis ereptus est, summum Ecclesiae regimen demandatum fuit Conrado, Romano, cardinali episcopo Sabinensi, propter aetatem et curiae peritiam venerando, qui nomen Anastasii IV suscepit. Is grassante fame eximiae caritatis specimina dedit; Eius in Lateranensem Basilicam beneficentia praecipua laude fertur; equites s. Ioannis Hierosolymitani privilegiis auxit [4]. Pontifex fuit *ann.* 1, *mens.* 4, *dies* 23. Obiit IV° nonas decembris 1154.

42. *Hadrianus IV Pontifex* (*an.* 1154) — Altera die pontifex inauguratus est Hadrianus IV, anglus, cardinalis episcopus Albanensis, antea appellatus Nicolaus, qui sedit usque ad annum 1159. Hic pontificatus sui initio Arnaldum Brixiensem eiusque sectatores, qui novas turbas in Urbe excitaverant, a Romanis eiiciendos curavit [5]; Fridericum I, cognomine Barbarossam seu Ænobarbum, qui an. 1152 in locum Conradi defuncti Aquisgrani rex Germaniae et IV° idus april. 1155 Ticini rex Italiae fuerat coronatus, XVI° calendas iulias eiusdem anni Romae imperatorem coronavit; Guilielmo I, cognomine Malo, qui an. 1154 Rogerii patris sui in regno Siciliae successor, subditos suos opprimebat et R. Ecclesiae terras invadebat, anno 1155 bellum

---

[1] Vid. t. I, p. 280, col. 2.
[2] *Biblioth. Cisterciens.* t. IV.
[3] *Biblioth. PP* Lugdun., t XXII.
[4] Dacher. *Spicileg.* t. XIII; Migne, t. CLXXXVIII.
[5] Edidit Beaugendre 1708, in-fol.; Migne, t. CLXXI.
[6] *Biblioth. PP.* Lugdun., t. XX; Migne, t. CLXXII.
[7] Romae 1580; Migne, t. CLXXXVII.
[8] Edidit Miraeus, Antverp. 1608 et 1639; Migne, t. CLX.

[1] Commentarii editi sunt Paris. 1618 in fol.; *Annales* 1686, 2 vol. in-fol.
[2] Londini 1596; Francof. 1601 in-fol.; Migne, t. CLXXIX.
[3] C. Urstitius, *Gestor. German.* t. I.
[4] Wibaldo, Abbati Stabulensi et Corbeiensi in Saxonia, *usum annuli ex assueta benignitate Apostolicae Sedis in vita* Anastasius *tantum indulgendi duxit.* Hadrianus IV adiunxit sandala et dalmaticas. Vid. Martene t. II *Veter. Scriptor.* p. 572, 616.
[5] Romani cum Arnaldi in Urbe praesentia ad pristinum furorem antiquae Reipublicae restituendae rediissent, novasque turbas excitassent, adeo ut Gerardum Card. S. Pudentianae Pontificem adeuntem vulnerassent, Hadrianus sacra interdixit Civitati. Tantus inde pavor incussus Clero, populoque Romano, ut Senatores cogeret ad officium redire, iuratosque promittere, se, Arnaldo cum sociis expulso, Pontifici subiectos fore; quod cum fecissent, Civitatem liberavit interdictione sacrorum. Vid. Baron. ad an. 1155, § 1, 2, 8, 17, 21.

indixit; sed anno sequente Beneventi ab eo obsessus, ad redimendam duris conditionibus pacem coactus fuit, nimirum, ut Hadrianus Guilielmum regno Siciliae, ducatu Apuliae et Principatu Capuae investiret, electiones sacrae in Sicilia regis assensu confirmarentur, neque Siculi appellationes Romam instituerent neque Pontifex legatos in Siciliam mitteret sine regis assensu; Guilielmus vero Hadriano fidem iuraret, vassallorum more ei *hominium* praestaret, et annuum censum penderet [1]. Eundem insuper Guilielmum titulo Regis utriusque Siciliae insignitum fuisse scribit Auctor vitae huius Pontificis [2].

Hadrianus Pp. ecclesiae Toletanae in Hispania primatum confirmavit; confirmavit etiam Pelagii, Alexandri et Urbani II Constitutiones, quibus archiepiscopo Gradensi patriarchica dignitas fuerat concessa, et Henrico Gradensi praeterea indulsit, ut primatum haberet super archiepiscopum Iadertinum eiusque suffraganeos, et episcopos ordinaret pro iis ecclesiis, quas Veneti Constantinopoli atque in aliis imperii graeci civitatibus habebant; Basilium archiepiscopum Thessalonicensem litteris excitavit, ut conciliandae concordiae inter Romanam et Cp. ecclesias adlaboraret, opemque praeberet legatis, quos ea de causa ad Manuelem imperatorem Graecorum miserat [3]; a Friderico autem imperatore, quem supra coronavit, graviter vexatus fuit.

43. *Lis inter Hadrianum IV et Fridericum I*—Fridericus I urbis et orbis imperium ambiens, et omnia ad unius monarchiae, cuius ipse esset summus dominus, convertere cupiens, graviter tulit, Hadrianum IV, sine eius consensu pacem iniisse cum Guilielmo rege Siciliae [4]. Offensus etiam, quod Pontifex eum arguerat propter divortium cum uxore factum ad ducendam Beatricem, filiam comitis Burgundionum, an. 1156 prohibuit, ne quis episcopus aut sacerdos Romanam curiam adiret aut beneficiorum collationem a Pontifice postularet. Eodem anno Eskyllus, archiepiscopus Lundensis et Apostolicae Sedis in Dania legatus, cum Roma in Daniam rediret, in partibus Germaniae captus, spoliatus et in carcerem coniectus fuit silente et dissimulante imperatore. Quum haec audivisset Hadrianus, legavit duos cardinales ad Fridericum cum epistola, in qua querebatur de iniuria archiepiscopo Lundensi illata, et imperatori in memoriam revocans beneficia, praesertim imperialis coronae insigne, quae ab Apostolica Sede acceperat, eum hortabatur, ut legatos suos et mandata quae pro Ecclesiae et imperii honore ferebant, benigne susciperet. Fridericus, qui speciosum titulum intentandi Pontifici litem quaerebat, perlectis eius litteris, toto animo excanduit, quod Pontifex insigne coronae imperialis appellaret beneficium, legatos Pontificis male habitos reiecit, datisque per totum imperium litteris questus est, quod Hadrianus assereret, imperium esse R. Ecclesiae feudum, contenditque, se illud a solo Deo per principum electionem tenere. Hadrianus ad placandum principis iracundiam novos legatos ad eum misit cum altera epistola, in qua significabat, se in priori epistola voce *beneficii* non feudum sed *bonum factum* intellexisse; illudque non nisi ab iis, qui pacem Ecclesiae et regni oderint, in alium sensum verti posse. Lis sic sopita, brevi post resuscitata fuit.

Anno 1158 Fridericus exercitum contra rebelles Italiae civitates duxit; Mediolanensibus, ad deditionem compulsis, Roncagliae comitia indixit, in quibus opera aliquot iurisperitorum scholae Bononiensis novam constitutionem, cui Itali adstringeren-

---

[1] Baronius, ad an. 1156, observat, ea omnia, quae contra libertatem ecclesiasticam Guilielmus extorserat ab Hadriano, fuisse postea rescissa sub Innocentio III, quando honestioribus conditionibus pax composita est

[2] Ap. Labbe, *Conc.* t. X, p. 1142.

[3] Apud Labbe, *Conc.* t. X, p. 1165, 1170-1173, et 1150.

[4] Friderico in Italiam adveniente occurrens Hadrianus Pp. pacis osculum denegavit, donec sibi *Stratoris* officium de more exhiberet. Quum id facere primum recusasset, omnium Imperii Principum iudicio coactus est Fridericus eo munere ex more defungi, ut probat Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiae Disciplina*, t. II, l. III, § 5.

Idem Stratoris officium exhibuit *Conradus*, Romanorum Rex, Urbano II (Baron. ad an. 1095, § 8); *Guilielmus*, Calabriae et Apuliae Dux, Callisto II (Baron. ad an. 1120, § 9); *Lotharius*, imperator Innocentio II (Baron. ad an. 1131, § 7); *Ludovicus VII*, Rex Francorum, et *Henricus II*, Rex Anglorum, Alexandro III (Baron. ad an. 1162, § 12, et ad an. 1163, § 1); *Fridericus*, Imperator, eidem Alexandro III (Baron. ad an. 1177, § 69); *Rex* Siciliae et Hungariae Celestino V, dum asino modestiae causa vectus Aquilam Aprutii Urbem ingrederetur (Raynaldus ad an. 1294, § 10); *Philippus Pulcher*, Rex Francorum, Clementi V ineunti in urbem Lugdunum (Raynaldus ad an. 1305, § 13); *Carolus III*, Rex Siciliae, Urbano VI (Raynaldus ad an. 1383, § 3); *Sigismundus*, Romanorum Rex, Martino V et Eugenio IV (Raynaldus ad an. 1418, § 36, et ad an. 1433, § 14); *Fridericus III*, Rex Romanorum, Nicolao V (Raynaldus ad an. 1452, § 2).

Carolus V in urbe Bononiensi, omni populo inspectante, posteaquam a Pontifice Clemente VII coronam accepisset, illo ascendente equum *Stratoris* officium exhibuit, pedem sustinuit, fraenum tenuit, equumque aliquot passus ducere voluit. (Vid. Raynaldus ad an. 1530, § 39).

*

tur, elaboravit; et hanc iuris publici regulam stabiliendam curavit: imperatorem esse orbis dominum, proinde ad eum solum pertinere omnia regalia. Vi huius regulae Fridericus episcopos et abbates Longobardos ad dimittenda regalia, et ad sibi *hominium*, ut ea reciperent, praestandum compulit. De his et aliis pluribus, quae imperator contra Ecclesiarum libertatem et iura attentabat, Hadrianus Pp., data ad eum epistola, merito expostulavit. Fridericus expostulationibus Pontificis suas petulanter opposuit, contenditque, non tantum omnium regalium, sed ipsius Urbis Romae, sine qua inane esse dicebat imperatoris nomen, dominium ad se pertinere. Hadrianus novis litteris arrogantiam imperatoris reprehendit, eumque ad resipiscentiam hortatus est, « quia, inquit, cum a Nobis consecrationem et coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas, Nobilitati Tuae timemus [1] ».

Quum sic discordia ingravesceret, Hadrianus mortuus est apud Anagniam, urbem Campaniae, morbo squinantiae, an. 1159 calend. septembr. Corpus eius Romam translatum, et in Basilica B. Petri sepultum. Huius Pontificis haec est haud minima laus, quod tantum abfuit a cupiditate opes aggerendi ad suos, ut matrem relinqueret alendam stipe Ecclesiae Cantuariensis.

44. *Alexander III Pontifex* (*an.* 1159)— Sexta die post Hadriani IV obitum, VII° idus septembr. 1159, in eius locum electus fuit Alexander III, Senensis, cardinalis Cancellarius, antea appellatus Rolandus Paperonus, ad cuius litteraturam pauci de praedecessoribus eius infra centum annos attigerunt: sedit usque ad an. 1181, invictaque patientia diuturnum schisma compescuit, ut mox videbimus.

45. *Schisma*—Electioni Alexandri III restiterunt 3 cardinales, Octavianus, Ioannes de S^to^ Martino, et Guido Cremensis, fautores diuturni schismatis. Octavianus, qui iamdiu ad apostolicam cathedram aspiraverat, quum Alexandrum electum vidit, illam vi invadere conatus est; inaudita audacia insigne pontificale, quo iam indutus erat Alexander, huic detraxit et sibi rapuit; moxque armata manu partes suas firmare conatus est. A duobus praedictis cardinalibus electus cum non inveniret tres episcopos, qui ei manus imponerent, tandem 4 octobris ab Imaro episcopo Tusculano, qui primum Alexandri electioni assenserat, assistentibus episcopis Ferentinate et Melphitensi consecratus, assumpsit nomen Victoris IV [1]. Interim Alexander III ante diem XII calend. octobr. consueto more ab episcopo Ostiensi consecratus est et Pontificali corona ornatus[2].

Quum uterque, Alexander et Octavianus, electionem suam litteris encyclicis catholico orbi significassent, confestim Fridericus imperator, bello in Longobardia occupatus, reiecto Alexandro, quem iam sub Hadriano IV legatione functum oderat, Octavianum suscepit, eiusque partes omni via defendere coepit; ne tamen arbitraria ratione procedere videretur, an. 1160 Ticini simulacrum concilii coëgit, specie quidem ut utriusque partis iura discuterentur, revera ut, reiecto Alexandro, Octavianus seu Victor confirmaretur. Convenerunt archiepiscopi et episcopi Itali atque Germani circiter 50, multi abbates et praepositi; adfuit etiam Octavianus cum fautoribus suis; Alexander vero eiusque cardinales conciliabulo isti adesse merito recusarunt. In hoc conciliabulo episcopi et alii, partim imperatoris gratia et metu, partim mendaciis, quibus Victoris electio, nemine contradicente, fuerat exposita, permoti, Victorem legitimum pontificem declararunt, Alexandrum vero condemnaverunt; et antipapa confestim anathematis sententiam in Alexandrum omnesque eius fautores protulit [3]. Fridericus I mox omnibus imperii episcopis sub poena exilii mandavit, ut Octaviano seu Victori obedirent, episcopos id facere recusantes e sedibus suis eiecit et in easdem schismaticos intrusit; unde magna perturbatio in ecclesiis imperii secuta est [4].

Alii sane reges et principes christiani, quos

[1] Radevicus, *Gesta Friderici I*, l. 1-2; Baronius et Pagi ad an. 1157-59; Labbe *Conc.* t. X, p. 1144-59.

[1] Victorem IV, ut est in *Epistola* Canonicorum S. Petri (ap. Baron. ad an. 1160, § 6), Cardinales, Clerus, Iudices, Scriniarii, Senatores, populusque Romanus electum, ad Palatium usque cum iucunditate perduxerunt, clamantes: *Papa Vittore S. Pietro l'elegge.* Eodem modo electum pseudo-Pontificem Philippum presbyterum Anastasius refert in *Vita Stephani IV.*

[2] Scriptor huius aetatis (ap. Baronium, ad an 1159, § 33) ait, Alexandrum III regno de more insignitum mitra turbinata, scilicet cum corona. Alexander III re vera (in *Epist. ad Gerardum*, Episc. Bononien.) scribit: « Apud Nympham non longe ab Urbe munus consecrationis accepimus, et sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnifice sumus et solemniter coronati »; Baron. ad an. cit § 38 Et Innocentius III (*Sermo* in *Festo S. Silvestri Pp.*) tenet: « Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno et in signum Pontificii utitur mitra ». Vid. annot. ad URBANUM V.

[3] Labbe, loc. cit. p. 1387.

[4] Radevicus, loc. cit. l. 2; Baron. ad an. 1160.

Fridericus frustra ad schisma pertrahere tentavit, atque ecclesiarum praesules ubique Alexandrum III ceu legitimum pontificem susceperunt [1]. In primis episcopi Palaestinae cum Amalrico patriarcha Hierosolymitano an. 1160 in synodo Nazarethana Alexandro III obedientiam professi sunt, Octaviano quidem eiusque fautoribus anathema dixerunt. Eadem de causa anno sequente Henricus II rex Angliae apud Novum Mercatum et Ludovicus VII rex Galliae apud Bellovacum episcopos, abbates proceresque convocarunt, et in utroque conventu Alexander III susceptus, Octavianus vero reiectus fuit. Idem factum est brevi post in copiosa synodo, quam ambo reges ex utroque regno indixerunt Tolosae, et cui etiam interfuerunt legati Alexandri, Octaviani, Friderici imperatoris et regis Hispaniae [2].

Interim Alexander Pp. convocatis an. 1160 apud Anagniam cardinalibus et episcopis, Octavianum eiusque fautores anathemate perculit; imperatorem etiam Fridericum, quem frustra admonuerat, excommunicavit [3]. Deinde Alexander an. 1162 vicibus suis in Urbe demandatis Iulio episcopo Praenestino, confugit in Galliam, ubi a Ludovico VII magno cum honore exceptus est. Eodem anno apud Montem-Pessulanum synodum habuit, in qua rursus in antipapam eiusque complices excommunicationis sententiam promulgavit; anno sequente frequentiorem synodum coëgit apud Turones, cui interfuerunt 17 cardinales, 124 episcopi ex Italia, Gallia et Anglia, 414 abbates, magnusque clericorum et laicorum numerus. In ea iterum anathema in antipapam eiusque fautores dictum est, et 10 canones editi contra praebendarum divisionem et dignitatum permutationem, contra clericos usurarios et simoniam atque laicos iura ecclesiastica usurpantes, contra novos Manichaeos et religiosos legum civilium aut medicinae studio atque exercitiis cum disciplinae regularis detrimento vacantes, contra ordinationes ab Octaviano aliisque schismaticis et haereticis factas [4].

Octaviano antipapa x° calendas maii 1164 in urbe Lucensi mortuo, et in monasterio extra Urbem, quod canonici ecclesiae maioris ei sepulturam negassent, sepulto, duo eius cardinales Ioannes et Guido schismaticorum comitio coëgerunt, in quibus Guido electus et sub Paschalis III nomine ab Henrico episcopo Leodiensi consecratus est. Hunc mox suscepit Fridericus I, et anno 1165 coacto apud Wirceburgum episcoporum et principum conventu, iureiurando spopondit, se numquam Rolandum (Alexandrum III) suscepturum, sed in Paschalis III obedientia perseveraturum. Idem iusiurandum praescripsit praesulibus ecclesiasticis et principibus imperii, cui paruerunt episcopi praesentes et 4 principes, nempe dux Saxoniae, marchio Brandeburgicus, comes Palatinus et Landgravius [1]. Eodem anno ex auctoritate antipapae generalem procerum ecclesiasticorum et laicorum curiam coëgit Aquisgrani pro elevatione et exaltatione corporis Caroli Magni [2].

Verum imperator schismatica saevaque sua agendi ratione animos multorum praesertim Italorum a se alienabat. Alexander Pp. a Romanis, ut in Urbem rediret, invitatus, e Gallia in Italiam reversus est, et XI° cal. decembr. 1165 summo omnium Romanorum gaudio Urbem intravit. Anno sequente imperator ingentem exercitum duxit in Italiam, tum ut rebelles civitates imperio suo subiiceret, tum ut Alexandrum Pp. Roma expelleret et Paschalem antipapam, qui Viterbii agebat, in Petri cathedram intruderet. Romani Urbem contra Friderici impetus fortiter defenderunt; cumque is in occupata basilica s. Petri inaugurari iussisset Paschalem, qui ibidem calendis augusti 1167 Fridericum eiusque coniugem augustos coronavit, Alexander, coacta in ecclesia Lateranensi synodo, Fridericum I anathemate

---

[1] Alexandrum (inquit Helmodus, presbyter Lubecensis, *Chron. Slavor.* l. 1, c. 91) recepit Hierosolymitana ecclesia et Antiochena, praeterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania et omnia regna, quae sunt ubique terrarum ».

[2] Labbe, *Concil.* t. X, p. 1403 et 1406.

[3] Baron. ad an. 1160.

[4] Labbe, loc. cit. p. 1410-11.

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1164.

[2] Vid. t. I, p. 220. Hic tamen iuvat referre verba Benedicti XIV: « Contelorius in suo *De Canonizat. Sanct.* c. 2, n. 2, Carolum asserit dici posse tantum beatificatum; et haec quidem sententia retinenda videtur. Quidquid etenim sit de concessione facta ab illegitimo Pontifice, tot subsequentes legitimi Pontifices praedictam concessionem sciverunt, et per tolerantiam admiserunt: quibus si superaddatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex iis, quae necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares, et sic pro sufficienti Beatificatione»; *De Servor. Dei Beat.* l. I, c. 9, n. 4; vid. quoque Bolland. 28 ian.—In Decretali a laudato Bened. XIV (c. 10) commemorata, Alexander Pp. III constituit, ut *nullus haberetur in numero Ssrum*, nisi auctoritate *Ecclesiae Romanae*. An, per illam inductum fuerit ius novum, Sedi Apostolicae reservans indulgendi Dei Servis Beatificationis honores, vel potius extiterit antea, magna est inter scribentes disputatio. Quaestio sublata fuerit per Bullam Urbani VIII an. 1634. Legere insuper iuvat § *De Ssrum Canonizatione*, t. I, p. 268-269.

perculit et auctoritate regia privatum declaravit, eiusque subditos a fidei iureiurando absolvit, deinde confugit Beneventum [1]. Romani, exceptis magnatibus, qui se in arcibus suis tutati sunt, ad resistendum impares, se imperatori dediderunt, et Paschalem antipapam susceperunt; sed schismaticorum gaudium mox in luctum conversum est; nam imperatoris exercitus subito tanta pestilentia correptus fuit, ut milites occumbentes vix sepeliri possent. Nonnulli etiam episcopi, qui erant in comitatu Friderici, eodem mortis genere perierunt. Quapropter imperator postridie nonas augusti, relicta Roma, regressus est Ticinum, et anno 1168 a confoederatis Longobardis ubique reiectus, mense martio refugit in Germaniam [2].

Ex hoc tempore Friderici auctoritas et schismaticorum vires in Italia deperierunt. Verumtamen, extincto an. 1168 antipapa Paschali, schismatici sibi elegerunt Ioannem abbatem Strumensem, quem Callistum III appellarunt. Fridericus I in schismate pertinax, novum antipapam suscepit, et in vexandis iis, qui cum Alexandro Pp. communicabant, perrexit usque ad an. 1177, quo tandem concordiam sacerdotium inter et imperium restitutam videbimus.

46. *Alexandri III litterae ad Graecorum imperatorem Sultanum et Indos* — Non obstantibus vexationibus, quas Alexander Pp. a Friderico et schismaticis expertus est, de omnium ubique ecclesiarum salute sollicitus extitit. Duplicem legationem excepit a Manuele imperatore Graecorum, qui a Pontifice coronam imperii Occidentalis postulans, unionem ecclesiae Graecae cum Latina spondebat, seque omnem Italiam Pontifici subiugaturum pollicebatur. Alexander quidem legatos ad Manuelem destinavit ecclesiarum concordiam tractaturos, sed eum Romanorum imperatorem coronare recusavit. Accepit etiam legationem et litteras a sultano Iconii, qui Pontifici significabat, se legendo Mosem, Isaiam, Ieremiam, Matthaeum, Ioannem et Paulum, ad christianae Religionis studium fuisse excitatum, rogabatque Pontificem ut is aliquot viros idoneos mitteret, a quibus plenius christiana doctrina institueretur. Alexander III ad eum litteras reddidit, in quibus consilium eius suscipiendae Religionis christianae laudavit, summam fidei christianae exposuit, seque viros idoneos missurum promisit [1]. Litteras quoque accepit ab Indorum seu Tartarorum rege, vulgo Ioanne presbytero seu Petreiano dicto. Vidimus enim, Nestorianos Christianismum in remotissimis Asiae regionibus propagasse [2]. Hoc tempore illic integra natio Tartarica cum rege suo Ioanne religionem christianam secundum doctrinam Nestorianam profitebatur. Quum vero Philippus medicus, in Tartaricas terras peregrinatus, Ioanni regi observasset, eos in nonnullis articulis a vera Christi doctrina, quam Romana et catholica ecclesia profitebatur, dissentire, princeps Philippo in Italiam remeanti litteras dedit ad Pontificem Romanum, quatenus veram Christi fidem edoceretur. Alexander III per eumdem Philippum litteras ad principem reddidit, quibus eius desiderium discendae veritatis laudavit, eum hortatus est, ut Philippo, qui eum in articulis, in quibus a vera Christi doctrina dissentiebat, instrueret, obtemperaret, rogavitque, ut viros aliquot e regno suo Romam mitteret, vera Ecclesiae doctrina et disciplina instituendos [3].

E litteris porro Ioannis presbyteri et Alexandri Pp. concluditur, Indos istos ex ignorantia magis quam ex pertinacia Nestorianis erroribus adhaesisse. Idem de Armenis huius temporis, quantum ad Eutychianos errores spectat, dicendum est. Eorum catholicon seu patriarcham supra cum Alberico Legato apostolico in synodo Hierosolymitana, deinde per Legatos Viterbii cum Eugenio Pp. III de Fidei articulis contulisse diximus [4]. Anno 1170 Theorianus theologus graecus, a Manuele imperatore ad catholicon Nersetem destinatus, suis disceptationibus effecit, ut is Chalcedonense concilium et dogma de duabus Christi naturis susciperet sponderetque, se episcopos suos convocaturum, ut omnes unam cum ecclesia Cp. fidem atque disciplinam amplecterentur [5].

Caetera Alexandri III gesta suis locis narrabimus.

47. *Religionis status apud Slavos*—Iisdem temporibus Religio christiana refloruit apud Slavos Holsatiae et Megalopolis. Hi iam saeculo X, imperante Ottone M., chri-

[1] Ioan. Salisberiens. apud Baron. et Pagi, ad an. 1168; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1450.
[2] Baronius et Pagi, ad an. 1166-68.

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 1213.
[2] Vid. t. I, p. 256.
[3] Labbe, loc. cit. p. 1227, Baronius et Pagi, ad an. 1177. — [4] Vid. p. 31.
[5] Theoriani dialogus seu disceptatio extat in *Biblioth. PP. graec. latin.* t. I, et apud Card. Mai, *Scriptor. vet. nova collect.* t. VI, part. I.

stianam fidem susceperant [1], sed progressu temporis ab ea defecerant, adeo ut post dimidium saeculi XI vix ulla apud eos superessent Religionis vestigia. Anno 1106 Henricus eorum princeps christiana sacra, quae sectabatur, inter subditos suos restituere conatus est, et Lubecae ecclesiam extruxit, apud quam plures presbyteri constituti sunt. Eius exemplum secutus est Canutus Lawardus successor, sub quo Vicelinus presbyter ecclesiam cum monasterio fundavit prope Holsatios, et, sub protectione Lotharii imperatoris, Fidem inter illos praedicavit. Verum ethnici turbis post mortem Lotharii (1137) in Saxonia ortis, usi sunt ad destruendas rursus ecclesias. Post paucos annos Henricus Leo, dux Saxoniae, Slavos partim subegit partim eiecit, eorumque terras tradidit colonis Germanis. Tunc Evangelium illic liberius praedicatum est; et Hartvicus archiepiscopus Bremensis, an. 1150 episcopatus Altenburgensem et Mecklenburgensem restituit, quorum prior an. 1158 Lubecam, posterior anno 1165 Schwerinum translatus est. Anno 1154 etiam restitutus fuit episcopatus Ratzeburgensis. Cum vero Slavorum principes fidem Henrico duci datam fregissent, is anno 1162 illos rursus armis aggressus est, et aliis occisis aut fugatis, aliis subactis, terram inter belliduces suos distribuit, novosque colonos e Germania et Belgio in eam vocavit. Ab hoc tempore superstites Slavi ad christiana sacra conversi sunt [2].

Simili modo ad finem perducta est conversio Hevelorum aliorumque Slavorum in hodierno Brandeburgo. In eorum etiam terris regum Germanorum curis Fides propagata, ecclesiae exstructae et episcopatus erecti fuerant; sed Slavi pristinae suae libertatis cupidi et Germanorum iugo atque pendendis oneribus lacessiti, saepius rebellarunt, in Christianos saevierunt, ecclesias devastarunt. Anno 1157 Albertus primus marchio Brandeburgicus, eos armis domuit, colonos e Batavia et Belgio in eorum terras evocavit, episcopatus Havelbergensem et Brandeburgensem restituit, et Religionem christianam per omnem regionem stabilivit [3].

Etiam in insula Rugia ethnicismus deletus est. Cum eius incolae Danorum fines saepius infestarent, an. 1136 Ericus Danorum rex Rugios devicit, et ad supremum suum dominium atque sacerdotes, qui eos in christiana fide erudirent, admittendos adegit. Postea cum Rugii iugum Danorum abiecissent et sacerdotes expulissent, an. 1168 Waldemarus Danorum rex eos ad subiectionem armis redegit, et opera Absolonis episcopi Rhoschildiensis, qui erat in eius comitatu, Iaremarum regem aliosque multos ad suscipiendum baptismum perduxit. Absolon, cui Alexander Pp. insulam in spiritualibus subdidit, destructis idolis eorum templum in christianam ecclesiam convertit, et sacerdotes in ea constituit, quorum opera et Iaremari eiusque in regno successorum exemplo ac monitis omnes Rugii sensim christiana sacra susceperunt [1].

Eodem tempore Finni ad christianam fidem perducti sunt. Hos, cum naves et oras Suecorum frequenter infestarent, Ericus rex Sueciae an. 1156 armis subegit, et opera s. Henrici episcopi Upsalensis ad admittendos sacerdotes et suscipiendum baptismum perduxit [2].

48. *Lis inter Henricum II et Thomam Cantuariensem* — In Anglia vero ecclesiarum pax graviter perturbata fuit dissidio inter Henricum regem II et s. Thomam archiepiscopum Cantuariensem. Causae dissidii fuerunt, quod Thomas an. 1162 ex archidiacono et regni cancellario factus archiepiscopus Cantuariensis, se cancellarii munere abdicasset, iniustam tributi exactionem prohibuisset, pravam consuetudinem, qua rex pro vacantibus ecclesiis episcopos ordinari impediebat, ut earum reditibus frueretur, improbasset, presbyterum et canonicum, propter crimina iudicio ecclesiastico damnatos, curiae regiae tradere noluisset, denique virum nobilem, inconsulto rege, excommunicasset. Henricus in sanctum praesulem, quasi iura regia despiceret, vehementer commotus, eum aliosque praesules, apud Westmonasterium convocatos, interrogavit, num regias consuetudines observare vellent. Responderunt illi, se eas observare velle *salvo ordine suo*. Sed paulo post plerique episcopi regis minis perterriti, eorumque precibus importunis et pravis consiliis perductus Thomas, an. 1164 in comitiis Clarendonensibus absoluta iurisiurandi formula promiserunt, se regias consuetudines observaturos. Tunc rex sic dictas regias consuetudines recenseri et in codicillum, cui episcopi subscriberent, referri iussit. Cum vero plures ex iis essent ecclesiasticis libertatibus oppositae, Thomas inducias

---

1 Vid. t. I, p. 260.
2 Helmold. *Chron. Slavor.*
3 Helmold. ibid.

1 Ibid.; Saxo Grammat. *Hist. Dan.* l. XIV.
2 Bolland., *Acta SS.* 19 ian. *Vita s. Henrici Upsal.*

petiit, ut illas, priusquam subscriberet, maturo perpenderet. Mox ab aliquot viris piis propter iusiurandum iam praestitum reprehensus, fragilitatem suam confessus est, et severam poenitentiam sibi indixit. Rex cunctatione Thomae offensus, eodem anno episcopos et magnates convocavit Northamtonam. In hoc conventu Thomas periurii aliorumque criminum accusatus, se libertate apostolica ab iis vindicavit, cernensque episcopos et magnates iniquis regis consiliis suffragari, contra eorum sententiam R. Pontificem appellavit, et relicto conventu confugit in Galliam, in qua tunc temporis Alexander Pp. III agebat.

Pontifex constantiam s. Thomae in defendenda contra regis usurpationes ecclesiastica libertate laudavit, ea quae Northamtonae contra eum acta fuerant, irrita dixit, articulos regiarum consuetudinum improbavit, Henricum regem legationibus et litteris ad reddendam archiepiscopo pacem hortatus est, et Romam rediens Thomae, quem abbati Pontiniacensi commendaverat, legationem apostolicam pro Anglia confirmavit. Rex vero magis iratus, Cantuariensis ecclesiae et omnium clericorum Thomae adhaerentium reditus fisco addixit, cunctos eorum cognatos e regno relegavit, omnibusque subditis suis prohibuit, ne preces pro archiepiscopo ad Deum funderent. Thomas autem regias consuetudines, Clarendonae promulgatas, damnavit, episcopos a iureiurando eas observandi absolvit, regemque litteris excitavit, ut sibi et ecclesiis pacem redderet, censuras ecclesiasticas in eum eiusque regnum comminatus. Henricus e quorumpiam episcoporum et procerum consilio contra Thomae minas appellavit Alexandrum Pp. Utrimque, Pontificem inter et regem, litteris et legationibus de pace tractatum est, sed nihil effectum. Tandem Alexander Pp. regis pertinacia, litterisque Ludovici VII et episcoporum Galliae permotus, Henrico excommunicationem eiusque regno interdictum comminatus est, nisi is intra statutos dies archiepiscopo Cantuariensi pacem restitueret.

Tunc Henricus rex ad pacis consilia flexus, an. 1170 Thomae eiusque in exilio sociis securitatem reddidit. Sanctus praesul summa Cantuariensium laetitia exceptus est. Verum eius reditum aegerrime tulerunt regii ministri et nonnulli episcopi, praesertim Eboracensis, Londiniensis et Saresberiensis, censuris apostolicis perstricti. Horum ira aucta est, quod Thomas excommunicatos absolvere nollet, nisi prius R. Pontificis mandatis obedientiam sponderent. Brevi post 3 praedicti antistites in Normanniam ad Henricum II profecti, multa accusationum capita contra Thomam ceu pacis publicae perturbatorem, regis inimicum et episcoporum persecutorem, detulerunt. Rex iratus in funesta verba erupit, quod cum uno sacerdote pacem habere non posset; quibus verbis confisi 4 satellites, sanctum archiepiscopum in ipsa ecclesia gladiis occiderunt die 29 decembris 1170.

Facinoris fama horrorem ingessit toti orbi christiano. Henricus rex tanto dolore concussus est, ut pluribus diebus ieiunaverit, et solitarius sedens a regendis rebus abstinuerit; missisque Romam oratoribus, contestatus est, se caedem archiepiscopi non mandasse, paratum tamen esse, quoniam verbis suis illius occasionem praebuerat, ad subeundam secundum Pontificis mandata poenitentiam. Alexander III interfectores s. Thomae et omnes, qui crimini isti auxilium, consilium vel assensum dederant, excommunicavit; Thomam vero miraculis clarum an. 1173 Ssrum martyrum albo inscripsit; et Henricus rex an. 1172 in conventu Abrincatensi eadem, quae supra, coram Legatis apostolicis confessus et iureiurando pollicitus, se satisfactionis loco per annum integrum 200 milites in Palaestina aliturum, statuta Clarendonensia aliasque pravas consuetudines abrogaturum, ecclesiae Cantuariensi possessiones suas et omnibus pacem redditurum, absolutionem impetravit [1].

49. *Carmelitarum Ordo*—Sub haec tempora Bertholdus, sacerdos Calaber, celeberrimi Carmelitarum Ordinis initia posuit. Is circa dimidium huius saeculi in Terram sanctam pietatis causa profectus, cum aliquot aliis piis peregrinatoribus in eo montis Carmeli loco, in quo olim Elias propheta moratus fuisse credebatur, humile domicilium et sacellum exstruxit, ubi una cum sociis suis vitam eremiticam, austeritatibus plenam et inter orationem manuumque laborem divisam, instituit. Quoniam his montis Carmeli incolis continuo alii accederent, rogante Brocardo, qui iis post Bertholdum praeerat, Albertus patriarcha Hierosolymitanus an. 1209 illis stabilem vitae regulam dedit, 16 articulis digestam. Haec regula

[1] *Historia quadripartita* seu *Vita S. Thomae Cantuar.* cura C. Lupi edita Bruxell. 1682; Alford., *Annal. Britan.* t. IV; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 15.

summatim praescribebat preces diurnas et nocturnas, ieiunium rigidum a festo Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha, perpetuam ab esu carnium abstinentiam, obedientiam priori, paupertatem, solitudinem, silentium, manuum laborem, otii fugam. Regulam istam an. 1226 approbavit Honorius Pp. III, confirmavitque Gregorius IX an. 1230. Propter hostiles mahumetanorum incursus Ordinis sodales an. 1238, relicto monte Carmelo, domicilium transtulerunt in insulam Cyprum, deinde in Siciliam aliasque Europae regiones. In Europa constituti priscam vitam eremiticam cum coenobitica permutarunt, favente Innocentio Pp. IV, qui an. 1246 eorum regulam nonnihil mitigavit. Progressu temporis Ordo etiam ad feminas translatus, latissime per Europam diffusus est [1]. Haud mediocre decus ei accessit ex quo B. Simon Stock, anglus, Ordinisque minister generalis ab anno 1245 usque ad annum 1265, instituit sodalitium s. Scapularis, ei, ut dicitur, a B. V. M. in visione revelatum, et a RR. Pontificibus approbatum atque indulgentiis auctum [2]. Carmelitae tantam pietatem erga Virginem Mariam coluerunt, ut se fratres B. M. V. de Monte Carmelo dicerent.

50. *Ordines militares in Hispania*—Ad exemplum Ordinum equestrium, quos supra in Palaestina constitutos vidimus [3], post dimidium huius saeculi in Hispania instituti sunt Ordines militares Calatravae, s. Iuliani de Peirero et s. Iacobi. Anno 1147 Alphonsus rex Castellae urbem et arcem Calatravam, eiectis inde Mauris, dederat equitibus seu militibus Templariis, sed cum an. 1158 Mauri Africani ingentem expeditionem pararent ad recuperandam Calatravam, milites Templi eam Sanctio III regi Castellae reddiderunt, qui eam cessit Raymundo, abbati Fiterii Ordinis Cisterciensis. Raymundus una cum Didaco Velasquez, eiusdem Ordinis, in Calatrava instituit Ordinem militarem secundum regulam Cisterciensium, habitu et aliis nonnullis temperatis, prout requirebant Ordinis scopus et officia seu Christianorum contra Mauros defensio. Quum Ioannes, ecclesiae Toletanae archiepiscopus et Hispaniae primas, omnibus auxilium militiae Calatravae ferentibus indulgentias concessisset, vix erat qui vel ipse non iret in auxilium vel equos, arma aut pecunias non largiretur. Quod ubi audierunt Mauri, expeditioni suae nuncium miserunt. Anno 1164 Alexander Pp. III Ordinem approbavit [1].

Idem Pontifex approbavit alios duos Ordines religioso-militares, nempe s. Iacobi an. 1175 et s. Iuliani an. 1177, quorum idem ac militiae Calatravae scopus erat [2].

51. *Begginarum institutio* — Ad haec ipsa tempora multi scriptores referunt Begginarum in Belgio fundationem, quarum institutum et nomen attribuunt Lamberto Le Begues, seu Beguo, pio ecclesiae Leodiensis sacerdoti, an. 1177 defuncto [3]. Verum iam an. 1065 Begginarum conventum extitisse Vilvordiae in Brabantia, e monumentis authenticis evincitur. Nonnulli illarum originem et nomen deducunt a s. Begga Pipini Landensis filia et s. Gertrudis sorore. Hoc institutum per Belgium plurimum propagatum est, et hodiedum in pluribus civitatibus adhuc viget. Quae illud profitentur, in domiciliis sibi iunctis, quae curia, conventus et begginasium appellantur, vivunt; vota perpetua non emittunt, verumtamen castitatem et obedientiam colunt, pietatis exercitiis manuumque labori vacant [4].

52. *Pax inter sacerdotium et imperium* (*an.* 1177)—Fridericus I interdum in schismate et dissidiis, supra excitatis [5], perseverabat, an. 1174 rursus exercitum duxit in Italiam, ut de Longobardicis civitatibus et R. Pontifice ulcisceretur. Verum Veneti aliique Itali se cum Longobardis coniunxerunt, et Fridericus, commisso an. 1176 ad Lignanum praelio, tanta clade affectus est, ut vix ipse incolumis evaserit. Tunc animum ad ineundam concordiam inflexit, et an. 1177 pax inter Pontificem, imperatorem, civitates Longobardicas et regem Siciliae, Venetiis sancita atque conscripta est. Imperator schismati renuntiavit, et Alexandro III obedientiam professus est. Alexander Pp. Fridericum ad pedes suos provolutum et veniam petentem, elevans cum lacrymis, excepit osculo et ab excommunicationis ac anathematis vinculis absol-

[1] A. Miraeus, *De origine Ordinis Carmel.*; Papebroch. *Commentar. hist. ad vitam B. Alberti*; *Acta SS.* t. I april.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. I.

[2] Benedict. XIV, *De beatif. et canon.* t. IV, part. II, c. 9; De Villiers, *Biblioth. Carmelit.* t. II, p. 753; P. Raynaud, *Scapulare Marianum*, *Oper.* t. VII. Videsis sub Pontif. IOANN. XXII, p. 88, et PAUL. V in Epoc. XI.

[3] Pag. 26.

[1] Helyot, loc. cit. — [2] Ibid.

[3] Ægidius monachus, *De episcopis Leod.* c. 52; Chapeaville, *Gesta episcopor. Leod.* l. II.

[4] Hae porro Begginae minime confundendae sunt cum haereticis Beguinis in Alemannia, de quibus p. 85 agemus; vid. interim Ryckel, *Histor. Begginasiorum*; I. Ghesquiere et C. Smet, *Acta SS. Belgii selecta*, t. V, p. 93 sqq.

[5] Vid. p. 34-36.

vit [1]. Ad imperatoris exemplum omnes proceres et episcopi, qui eius partibus faverant, schisma eiurarunt, Alexandro III obedientiam promiserunt, et in communionem Ecclesiae recepti sunt [2].

His compositis, Fridericus in Germaniam rediit. Alexander Pp. Romam rursus, maximo cum honore et gaudio a Romanis exceptus est. Callistus antipapa coram eo culpam confessus est, ei obedientiam promisit et veniam petiit; quem Pontifex magna cum benignitate suscepit et venia donavit. Paucorum quidem factio in locum Callisti elegit Landinum clericum, quem Innocentium III appellavit; sed eo paulo post custodiae tradito, schisma exstinctum est [3].

53. *Secta novorum Manichaeorum* — Verum his ipsis temporibus novae haereticorum sectae per plures Occidentis provincias propagabantur. Isti sectarii, cum quoad substantiam religiosi sui systematis cum antiquis Manichaeis convenirent, communiter Manichaei recentiores seu novi dicti sunt: originem suam traxerunt a Paulicianis et Bogomilis [4], qui e Graecia et Bulgaria in vicinam Slavoniam et Dalmatiam, hincque in Italiam et alias regiones transierunt, et errores suos disseminarunt. In Occidente priscam suam doctrinam nonnihil mutaverunt. Asserebant, omnis mali et rerum visibilium principium esse diabolum, qui primo rerum materialium elementa procreaverat, postea terram et omnia quae continet, etiam Adamum et Evam ex iis condiderat. Matrimonium et prolis generationem tamquam opus diabolicum damnabant, atque in concubitu Adami cum Eva lapsum humani generis constituebant. Vetus Testamentum, carnis resurrectionem, purgatorium reiiciebant. Reiecta Trinitate divina, Christo naturam divinam et realem carnis assumptionem denegabant. Verum sacerdotium apud Catholicos defecisse contendebant per Pontificum et episcoporum superbiam, luxuriam et dominandi studium. Catholicorum Sacramenta, ritus, hierarchiam, instituta respuebant. Sacramentorum loco utebantur quatuor ritibus, pro baptismo impositionem manuum cum recitatione orationis Dominicae adhibentes; pro Eucharistia quotidie in consueta coena panem communem recitatione eiusdem orationis consecrantes; pro poenitentia brevissimam quamdam peccatorum confessionem generalem facientes; pro ordinatione clericorum suorum solemnem ritum adhibentes. In singulis eorum coetibus erat primarius antistes, cui sacrorum administratio et publicarum precum recitatio commissa erat, filius maior qui episcopi, et minor qui maioris absentis aut impediti vices gerebat, atque diaconus qui menstruam peccatorum confessionem excipiebat et poenitentiam pro iis annuntiabat; hi omnes subordinati erant supremo capiti, Christi vices gerenti, qui praeterea duodecim doctores quasi apostolos sibi adiunctos habebat. Non tamen omnes de praedictis doctrinae articulis conveniebant, sed in variis a se invicem discrepabant, quae discrepantia non obstabat, quominus se invicem tolerarent et tanquam eiusdem ecclesiae membra considerarent. Qui inter eos appellabantur *perfecti*, vitam austeram ostentabant, ab esu carnium, ovorum et casei abstinebant, mendacium et iuramentum detestabantur, de castitate sua gloriabantur: alii, dicti *credentes*, corruptorum morum arguuntur.

Praecipuae eorum sedes erant in Longobardia et Gallia meridionali; in Hispania etiam, Anglia, Belgio et Germania inferiori coetus efformarunt. Vulgo dicebantur *Cathari*, alibi etiam *Publicani*, *Bulgari*, *Patareni*, item *Albigenses* et *Boni homines* in Gallia et Hispania, in Flandria *Piphli* et *Turlepini* appellati sunt.

Catholici varia media ad eos convertendos adhibuerunt: primo quidem persuasione et divini verbi praedicatione eos ab erroribus avocare conati sunt, publice cum iisdem disceptantes, verbo et scripto eos impugnantes; coactae sunt etiam synodi Oxoniensis an. 1160, Turonensis an. 1163, Lumbariensis an. 1176, quae errantes in viam veritatis reducere tentaverunt, et pervicaces seu haereticos condemnaverunt. Anno 1178 Ludovicus VII rex Galliae et Henricus II rex Angliae de reprimendis sectariorum progressibus consentientes, Petrum a s. Chrysogono cardinalem, Alexandri Pp. III Legatum, cum aliquot episcopis et clericis in regionem Tolosanam ablegarunt ad haereticos sive convertendos sive condemnan-

[1] Monumentum defensi ab Venetis Alexandri III extat Romae in Vaticano positum a Pio IV — Testimoniis certissimis et Alexandri III mansuetudini contradicunt, qui aiunt, hunc Pontificem pede pressisse caput imperatoris, eique insultasse his Psalmistae verbis: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Cf Baron. ad an. 1177, § 21-26.

[2] Muratori, *Antiquit. Ital. medii aevi*, t. IV; Baron. ad an. 1175-77 (Labbe, *Concil.* t. X, p. 1181). — Alexander Pp. III contulit Alphonso Duci Lusitanorum Regis titulum, ob gesta praeclara adversus Saracenos.

[3] Baronius et Pagi, ad an. 1178.

[4] Vid. p. 26 et t. I, p. 178.

dos; simul comiti Tolosano aliisque locorum dominis mandarunt, ut legatos efficaciter adiuvarent, et pervicaces haereticos e terris suis pellerent. Inde effectum est, ut multi errores suos eiurarint; pertinaces vero excommunicati fuerunt. Excommunicationis sententiam pronuntiavit et Cardinalis Legatus contra Rogerium, Biterrae, Carcassonae et Albigae vicecomitem, haereticorum fautor manifestus, qui episcopum Albigensem sub eorum custodia detinebat. Tandem ipse Alexander Pp. an. 1179 in Concilio generali Lateranensi III canone 27 eosdem haereticos eorumque protectores excommunicatione perculit, et sub eadem poena vetuit, ne quis eos hospitio exciperet aut cum iisdem mercaturam exerceret.

Cum vero haeretici sub praesidio Rogerii vicecomitis errores suos libere spargerent, anno 1181 Henricus cardinalis, Romani Pontificis legatus, collecto milite Rogerii ditionem invasit, multos haereticos convertit, ipsumque Rogerium ad deditionem et promissionem de abiicienda haeresi perduxit. At Rogerius promissis non stetit, cumque et alii locorum domini sectarios tueri pergerent, eorumque factio in Gallia meridionali magis aucta est magnasque clades rei catholicae intulit [1].

54. *Concilium Lateranense III, generale XI* (*an.* 1179) — Conciliata, ut supra vidimus [2], inter sacerdotium et imperium concordia, Alexander Pp. III generale concilium Romae indixit ad exscindendas schismatis reliquias, ad condemnandas haereses, et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam. Concilium habitum est an. 1179 et 3 sessionibus absolutum. Convenerunt 302 episcopi, pluresque abbates et praepositi ecclesiastici; praesedit Alexander Pp. Conditi sunt 27 canones, quorum 1° statuitur, ut si in eligendo Pontifice cardinales non sint plene concordes, ille solus habeatur legitimus pontifex, in cuius electionem duae cardinalium partes conspirent [3]; 2° illegitimae dicuntur ordinationes beneficiorum et collationes dignitatum ecclesiasticarum factae ab antipapis; 3° statuitur, quales esse debeant, qui ad ecclesiarum regimen et curam animarum promoveantur; 4° ut praesules impensis non gravent ecclesias in earum visitatione; 5° nullus presbyter aut diaconus ordinetur sine certo titulo; 6° praescribitur forma iudiciorum ecclesiasticorum; 7° damnantur simoniacae exactiones pro sacramentorum administratione vel beneficiorum collatione; 8° prohibentur beneficiorum expectativae seu promissiones beneficiorum nondum vacantium; 9° coercentur religiosi, qui praeter indulta sibi ab Apostolica Sede privilegia aliquid sibi arrogarent contra episcoporum auctoritatem; 10° statuitur, ut monachi non suscipiantur sub pretio, neque peculium habeant; 11° et 12°, ut clerici in ss. Ordinibus constituti, continenter vivant, et causas non agant apud tribunalia saecularia, nisi proprias vel ecclesiae aut pauperum; 13° et 14° ut nemo plura simul beneficia possideat, haecque iuste distribuantur; 15° ut clerici bona per ecclesias acquisita, non transferant in alios usus; 16° ut firma habeantur quae a maiori et saniori parte Capituli fuerint decreta; 17°, ut si patroni in praesentandis ad beneficia sint discordes, ii praeponantur qui maioribus meritis et plurimorum assensu probantur; 18°, ut in ecclesiis cathedralibus competens beneficium assignetur magistro, qui clericos et scholares pauperes doceat; 19° magistratus civitatum aut consules ecclesias non gravent oneribus; 20°, ut milites in torneamentis occisi, priventur sepultura ecclesiastica; 21° et 22°, ut pax seu trewga Dei religiose servetur; 23°, ut leprosi simul viventes habeant propriam sibi ecclesiam coemeterium et sacerdotem; 24° excommunicantur ii, qui Saracenis arma contra christianos suppeditant aut piraticam exercent vel naufragorum bona invadunt; 25° communione altaris et sepultura christiana privantur usurarii manifesti; 26° prohibetur Christianis, ne serviant Iudaeis; canone 27° et ultimo haeretici, qui in Vasconiae, Albigae et Tolosae partibus atque alibi sub Catarorum aliisque nominibus degebant, eorum fautores et receptores anathemate damnantur, et Christianorum arma contra eosdem utpote tranquillitatis publicae ac ecclesiarum perturbatores invocantur [1]. Biennio post hoc concilium Alexander Pp. III, III° calendas septembris 1181, in urbe Castellana vita excessit.

55. *Lucius III Pontifex* (*an.* 1181) — Lucius III, antea *Humbaldus Allucingolus*, Lucensis, cardinalis episcopus Ostien-

[1] Moneta, *Tractatus adversus Catharos et Waldenses*, Romae 1743, in-fol.; Sacchonii *De Catharis et Leonistis*; De Hoveden, *Annales rerum anglicar.* ad an. 1176; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1404, 1419, 1470.

[2] Pag. 41-42. — [3] Per hoc decretum, ut adnotat Panvinius, *Clero omnino et populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos redacta est.*

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 1503; Baron. et Pagi ad an. 1179; Natal. Alex., *Hist. eccl.* diss. IX in saec. XI-XII.

sis, calend. septembr. an. 1181, ex praescripto Concilii Lateranens. III, Pontifex factus est apud Velitras, et VIII° idus septembr. coronatus [1]. Vir aetate, vitae integritate et prudentia in rebus gerendis commendandus; qui, ut decessores sui, civili seditione, ab Arnaldistis in Urbe excitata, exagitatus, Roma discessit, et Velitris proximisque in locis consedit. Postea Romam iterum contendit, ut Romanorum animos tranquillaret. Sed aliter evenit, atque cogitarat. Etenim civili seditione expulsus est, et Veronam secedere coactus est.

Huc ad Pontificem convenerunt Fridericus I imperator, multique episcopi et viri principes, quibuscum Lucius varia christianae reipublicae negotia composuit. Pontifex omnium consilio celebrem constitutionem edidit, in qua omnis haeresis, quocumque appellaretur nomine, condemnabatur; Cathari, Patareni, Humiliati sive Pauperes de Lugduno, Passagini, Arnaldistae perpetuo anathemati subdebantur; eodem anathemate percellebantur ii, qui sine Apostolicae Sedis auctoritate sive publice sive privatim verbum divinum praedicare auderent; decernebatur praeterea, quomodo agendum esset cum suspectis de haeresi, cum convictis, poenitentibus et relapsis; ut contumaces neque ecclesiastico iudicio correcti, relinquerentur saecularis iudicis arbitrio secundum leges extantes corripiendi; mandabatur, ut singuli episcopi bis in anno per se vel per alios visitarent parochias, in quibus haereticos degere fama esset, utque tres vel plures boni testimonii viros illic iureiurando obstringerent, haereticos, si quos cognovissent, episcopo aut archidiacono indicandi; statuebatur etiam, ut comites, barones et consules civitatum in praedictis omnibus, cum ab episcopis conquirerentur, Ecclesiam contra haereticos eorumque complices adiuvarent, et pro suo quisque officio ecclesiastica atque imperialia statuta executioni mandanda curarent [1].

In eodem congressu actum est de sacra expeditione contra Turcas. Heraclius patriarcha Hierosolymitanus, Arnaldus magister equitum Hospitalariorum et Rogerius Templariorum, a rege Hierosolymorum in Occidentem legati, exposuerunt grande discrimen, in quod res christianorum a Saladino rege Ægypti et Syriae essent adductae, atque Pontificis, imperatoris, aliorumque auxilia implorarunt. Fridericus imperator expeditioni assensit, seque in Germaniam reducem, de ea cum principibus acturum spopondit. Pontifex in eamdem rem legatis Hierosolymitanis litteras dedit ad reges Galliae et Angliae. Philippus Augustus, qui an. 1180 Ludovico patri suo in regno Francorum successerat, legatos honorifice excepit, et convocatis Parisios episcopis et proceribus mandavit, ut commissos sibi populos ad bellum sacrum excitarent. Henricus rex Angliae iisdem legatis milites et pecunias promisit. At praeter principum promissa legati vix alia subsidia in Palaestinam retulerunt [2].

Lucius Pp. VIII° calendas decembris 1185 Veronae e vivis migravit; et sepultus est in Templo maximo, post *ann.* 4, *mens.* 2 et *dies* 18, quam Pontifex consecratus fuerat [3].

56. *Urbanus III Pontifex* (*an.* 1185) — Post Lucium III summa cardinalium concordia in Petri cathedram evectus est Urbanus III, antea Lambertus Cribellus, cardinalis archiepiscopus Mediolanensis [4]; qui, turbatis adhuc Romae rebus, Veronae mansit. Is confestim decessoris sui sollicitudinem de comparando bello prosecutus est:

[1] Gaufridus Vosiensis, Lucio III coaevus, in *Chronico* (ap. Labb. t. II *Nov. Biblioth. MSS. Libror.* p. 327) haec habet: « Feria 3 eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Ostiae et Veliternensis Urbium. Sequenti Dominica 1ª Septembris coronatur et insignitur a Theodino Episcopo Portuensi, et ab Archipresbytero Ostiensi iuxta consuetudinem. Nam, si forte Episcopus Ostiensis praesens non fuerit, Archipresbyter Ostiensis seu Veliternus interesse debet consecrationi, ut ait Cencius de Sabellis Card., qui postea fuit Pontifex Honorii III nomine (in *Ord. Rom.* ap. Mabill. t. II). Ex his intelligitur, ius consecrandi Pontificem ita fuisse proprium Episcopi Ostiensis, ut si hic fieret Pontifex, vel interesse consecrationi non posset, Archipresbyter Ostiensis deberet in eius locum succedere vicemque supplere. Attamen male Anastasii Biblioth. (in *Vit. Leon. II*, p. 143) auctoritati inniti videntur qui putant, ante Leonem II consuevisse Romanum Pontificem *ab uno* tantum Ostiensi Episcopo consecrari. Cum enim ibi dicat Anastasius, ideo in locum Episcopi Albanens. subrogatum Veliternens., quod Albanens. Ecclesia Episcopo careret, id argumento est, moris antea fuisse, ut simul cum Ostiensi et Portuensi etiam Episcopus Albanens. Ordinationi Romani Pontificis ministraret. Vid. quoque Mabillon, *Comment. in Ordin. Roman.* t. II *Musei Ital.* p. 118. Nunc vero cum inter Cardinales plures sint Episcopi, qui tres aliis aetate praecunt, consecrandi Pontificis iure gaudent. Vid. Garnerius, in not. ad *Libr. Diurn. Pont.* tit. 8, c. 2.

[1] Labbe, loc. cit. p. 1737.

[2] Baronius et Pagi, ad an. 1185.

[3] Ptolom. Lucens. *Hist. eccl.* l. 20, c. 34.

[4] Ughelli (t. V *Ital. sacr.* p. 165) refert, Ecclesiam Mediolanensem etiam in Pontificatu Urbanum rexisse; uti pariter gesserunt Clemens Pp. II, Episcopat. Bambergens. retinens, Victor II et Nicolaus II Eistettens. ac Florentin. necnon Leo IX qui Trullens. Episc. et Paulus IV Neapolitan., Benedict. XIII Beneventan., Benedict. XIV Bononien. et nuperrime Leo XIII, feliciter regnans, qui suum Perusinum Episcopatum aliquamdiu etiam rexit.

sed Fridericus I imperator ei ab initio negotia facessivit. Hic enim Henricum filium suum Mediolani regem Longobardiae coronandum curavit non a Pontifice, qui de sua agendi ratione conquestus erat, sed a patriarcha Aquileiensi: deinde eumdem propria auctoritate caesarem et imperatorem dixit. Praeterea terras, a Mathilde comitissa R. Ecclesiae legatas, restituere recusavit, defunctorum episcoporum bona in fiscum redegit, moniales praetextu reformationis e nonnullis coenobiis expulit, eorumque reditus usurpavit. De quibus omnibus Urbanus III graviter cum imperatore expostulaverat, eique, nisi Ecclesiae faceret satis, nunc excommunicationem minatus est[1]. Ast Pontifex Venetias migraturus ad classem contra Turcas comparandam, Ferrariae, accepto tristi nuncio de expugnatis a Saladino Hierosolymis, conceptoque e moerore animi morbo decessit xiv° calend. novembr. 1187.

57. *Religionis christianae status in Oriente* — Post infaustum vero cruciatae expeditionis sub Conrado III et Ludovico VII exitum [2], res Christianorum in Asia deperibant tum propter Crucigerorum principum inter se invicem discordias, tum propter mahometanorum progressiones. Anno 1162 Balduino III in regno Hierosolymitano successerat Amalricus comes Iaffae, princeps magni animi reique militaris peritus, qui regni excidium praepedivit, sed internam concordiam restituere non potuit. Eum an. 1173 excepit Balduinus IV, filius eius annis tredecim natus, regni vero procuratio commissa est Raymundo comiti Tripolitano, qui tamen brevi post propter occultum cum Saladino commercium eadem exutus fuit. An. 1177 Christiani insignem victoriam retulerunt de Saladino; sed anno sequente ab eodem superati, ad redimendam pacem compulsi sunt.

In Syria res Christianorum in grande discrimen vocavit Boamundus III, an. 1163 princeps Antiochenus, quem, quod repudiata uxore, aleret pellicem, Aimericus patriarcha excommunicaverat; ille vero furore percitus, patriarcham, episcopos et clericos persecutus est; postea tamen, opera patriarchae et regis Hierosolymorum, discordia composita fuit.

Praedictus patriarcha Antiochenus iisdem temporibus eos, qui inter Maronitas in haeresim monotheliticam lapsi fuerant, ad catholicam fidem reduxit. Maronitae in catholica doctrina constantissime perseveraverant usque ad initium huius saeculi, quo Thomas Haranita, episcopus Kfartabensis, monothelitarum haeresim in montem Libanum intulit, multisque et ipsi eorum patriarchae persuasit; sed maxima Maronitarum pars, praesertim honoratiores in clero et populo in catholica fide perseverarunt, patriarchae communionem vitarunt, aliumque in eius locum elegerunt. Erravit profecto Guilielmus Tyrius pluresque scriptores recentiores in errorem duxit, dum toti Maronitarum nationi haeresim monotheliticam attribuit.

Graeci sane, praesertim Cpni magis magisque ab unitatis catholicae centro, Romana ecclesia, declinabant. Quum imperator Manuel Comnenus tum litteris tum legationibus cum Alexandro Pp. III communicaret, Ioannem R. E. cardinalem ad tractandam ecclesiarum concordiam susciperet, Latinis in urbe Constantinopoli faveret, et publica munia demandaret, tantam Graecorum in Latinos invidiam excitavit, ut mortuo, an. 1180, Manuele imperatore, Graeci Constantinopoli horrendam caedem in Latinos ediderint, in qua ipse cardinalis Ioannes, Apostolicae Sedis legatus, trucidatus est. At quo magis Graeci ab unitate catholica discedebant, eo magis eorum imperium tum barbarorum incursionibus tum imperatorum inertia aut tyrannide et magnatum dissensionibus atque rebellionibus deperibat [1].

58. *Ierusalem a Saladino capitur* (*an.* 1187) — An. 1187 vox ex Oriente audita est lugentium interfectum populum Dei et captam ab hostibus sanctam civitatem. Etenim post Balduinum IV an. 1185 rex Hierosolymorum factus est Balduinus V, puerulus sub tutela Raymundi comitis Tripolitani; sed anno sequente defuncto Balduino V, regnum accepit Guido comes Ioppensis, quod grandia dissidia inter proceres christianos excitavit. Quum sic Christiani ipsi discordiis atque flagitiis suis divinam iustitiam provocarent, permisit Deus, ut sancta civitas in hostium manus veniret. Reipsa Saladinus, qui devictis Turcarum in Ægypto et Syria regulis, amplissimum imperium consecutus fuerat, an. 1187 Christianos apud Tiberiadem post acerrimum certamen supe-

---

[1] Arnold. Lubecensis, *Chron. Slav.* l. III, c. 16-18; Muratori, *Annali d'Italia*, an. 1187.

[2] Vid. p. 33.

[1] Guil. Tyrius, l. 21-22; Nicetas Choniat. *Annales*: Lequien, *Oriens christian.* t. III; Allatius, *De consens. Ecclesiae orient. et occident.*, c. 3.

ravit, Guidonem regem multosque proceres cepit, Acconem seu Ptolemaidem obsedit et ad deditionem compulit, Ascalonem accepit ea lege, ut Guidoni regi aliisque proceribus captivis libertatem redderet, tandem postridie calendas octobris eiusdem anni Ierusalem ad deditionem coëgit. Christiani orientales, Syri, Georgiani, Armeni, Graeci, in urbe remanserunt sub dominio Turcarum; Europaei vero eam deseruerunt, alii cum Heraclio patriarcha Antiochiam, Alii Tyrum, alii Tripolim, alii in Siciliam migrarunt. Turcae capta Ierusalem, cruces et campanas ecclesiarum fregerunt, equos et iumenta in ecclesiis stabulaverunt, alias ecclesias in templa ritus mahometani converterunt, ecclesiam vero sacri Sepulcri Christianis Syris pretio cesserunt [1].

59. *Gregorius VIII, Clemens III, Pontifices* —Perlato in Europam nuncio de capta sancta civitate, Urbanus Pp. III e moerore animi, Ferrariae, ut supra diximus, occubuit. Ibi biduo post (XII° cal. nov. 1187) Pontifex electus fuit Gregorius VIII, Beneventanus, antea appellatus *Albertus*, cardinalis Cancellarius, vitae probitate et eruditione clarus. Is confestim litteris encyclicis Europaeos ad sacram expeditionem pro recuperanda Ierusalem hortatus est, crucem sumentibus indulgentiam concessit, et ad Supremi Numinis patrocinium sibi comparandum ieiunium in annos quinque indixit, ut Christiani omnes singula feria sexta ieiunarent ad modum Quadragesimae, feria quarta vero et sabbato carnibus abstinerent [2]. Ipse autem et Cardinales cum familiis suis feria etiam secunda id observarent. Deinde Ferraria profectus Pisas, ut urbis huius cives cum Genuensibus conciliaret, et ambos opibus maritimis tunc temporis pollentes, ad instruendam classem contra Turcas excitaret, ibi intempestivo morbo extinctus est XIV° calend. ianuarias, cum non ultra *dies septem et quinquaginta* Pontificatum gessisset.

Tertio post die cardinales Pisis elegerunt Clementem III, Romanum, appellatum antea *Paulinum Scholarem,* cardinalem episcopum Praenestinum. Is duo magni momenti negotia confecit, nimirum pacem cum Romanis et foedus christianorum principum ad Terrae sanctae recuperationem. Romani ab Arnaldistis excitati, longo tempore, uti vidimus, Pontifices vexaverant, eiusque Urbis dominio erepto, senatum et patriciatum creaverant. Clemens III pacem cum iis composuit ea lege, ut Urbs esset in potestate Pontificis, abrogato patricio, restitueretur praefectus, et senatores annui auctoritate Pontificis crearentur. Quibus factis, Clemens summa Romanorum laetitia in Urbem exceptus est [1]. Ad excitandum vero bellum sacrum Pontifex legatos misit ad principes Europaeos, effecitque, ut in Italia, Germania, Gallia et Anglia copiosi crucigerorum exercitus colligerentur.

60. *Cruciata expeditio III* (*an.* 1188)—Omnibus ad bellum sacrum comparatis, Pisani an. 1188 cum classe 50 navium profecti, pervenerunt Tyrum et opem opportunissimam tulerunt Conrado marchioni de Monteferrato, Tyri domino, ad repellendos Saladini impetus. Brevi post in Asiam advenerunt crucigerorum exercitus e Dania, Germania, Belgio, Gallia et Anglia collecti, opemque tulerunt Guidoni Hierosolymorum regi, qui an. 1189 Ptolemaidem oppugnandam suscepit. Hoc ipso anno Fridericus I imperator copiosum exercitum in Orientem duxit, et superatis insidiis et vexis quas Isaac Angelus, imperator Graecorum, ei struxerat, in Asiam minorem pervenit, sultanum Iconii duplici praelio vicit, Iconium expugnavit, iterque in Syriam prosecutus venit Seleuciam; sed quum hinc digressus fluvium Saleph transnatare vellet, torrente abreptus periit anno 1190. Post eius mortem exercitus dispersus est, alii sine duce et ordine huc illuc vagati, aut in Europam regressi sunt, alii cum Friderico duce Sueviae se coniunxerunt crucigeris Ptolemaidem obsidentibus. An. 1191 ad hanc urbem cum exercitu venit Philippus Augustus, rex Galliae. Advenit et Richardus rex Angliae, cognomine *Cor Leonis*, qui in itinere ab Isaac Comneno Cypri tyranno lacessitus, hunc debellarat et totam insulam subegerat. Ambo reges opportunissime advenerunt, tum quod Saladinus copias suas undique contra Christianos contraxisset, tum quod inter Guido-

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1187; Michaud, *Hist. des croisades*, t. II.

[2] Labbe, *Concil.* t. X, 1718.

[1] Perpetua per annos plus minus quinquaginta inter populum Pontificesque Romanos ab Innocentio II usque ad Clementem III discordia civilis fuit, regiminis urbani occasione excitata: cum populus Romanus, Pontifice suo Urbis administratione summoto, Senatores, qui Reipublicae praeessent, cum Patricio quodam, summa cum auctoritate creassent. Ex cuius rei occasione Innocentius II et Caelestinus II animi dolore defecerunt; Lucius II pene est interfectus; Eugenius III, Alexander III et Lucius III urbe pulsi. Urbanus III et Gregorius VIII exules fuere, donec novissime tanti dissidii utraque parte pertaesa, populus Romanus cum Pontifice populari suo Clemente III pacem aequis conditionibus fecit. Vid. Panvin. in annot. ad Platin. p. 162.

nem, morte coniugis suae Sybillae regiis iuribus privatum, et Conradum Tyri dominum dissidia periculosa de regio nomine et honore essent excitata. Postquam Guidoni iura regia fuissent confirmata ea lege, ut post eius mortem transferentur ad Conradum huiusque haeredes, Christiani bellum contra Turcas prosecuti sunt, et III° idus iulii 1191 Ptolemaidem occuparunt. Postbaec Philippus rex Galliae, morbo atque invidia in regem Angliae correptus, in Europam regressus est, 10 millibus virorum sub Hugone Burgundiae duce in Palaestina relictis. Richardus rex Angliae bellum contra Saladinum mira cum fortitudine prosecutus est, plures victorias de hostibus retulit; Ioppen et alias aliquot Palaestinae urbes occupavit, tantumque terrorem Saladino intulit, ut hic inducias postularit. Sed Richardus, tum propter dissensiones ipsorum Christianorum tum propter commotiones, a Ioanne fratre suo in Anglia excitatas, an. 1192 consilium redeundi in Europam iniit, postquam cum Saladino inducias 3 annorum et 8 mensium pepigisset, regni Hierosolymitani reliquias e procerum consilio, extincto Conrado, contulisset Henrico comiti Campaniae, et Guidonem, quondam Hierosolymorum regem, constituisset regem Cypri. Saladinus autem brevi post obiit, ortisque inter Turcas dissidiis et bellis domesticis, Christiani utcumque res suas conservaverunt [1].

61. *Teutonicorum et SS. Trinitatis Ordines* — Huius cruciatae expeditionis occasione an. 1190 novus Ordo religioso-militaris in Palaestina institutus fuit, nimirum equitum Teutonicorum. Ordinis huius sodales in 3 classes distributi erant, equitum qui pro Terrae sanctae et Religionis defensione dimicarent, sacerdotum qui rem divinam administrarent, et fratrum qui infirmos curarent. Prima Ordinis domus cum oratorio et xenodochio extructa est in urbe Ptolemaide. An. 1192 Coelestinus Pp. III Ordinem approbavit sub titulo equitum Teutonicorum B. V. M., quia a viris Teutonicis sub patrocinio B. Mariae institutus fuerat; ei cuncta privilegia equitum Hospitalariorum et Templariorum concessit, eiusque sodalibus vestes albas cruce nigra signatas dedit. Ordo, cuius primus magister fuit Henricus Walpot, a Pontificibus, imperatoribus et regibus confirmatus, privilegiis, viribus et possessionibus magnopere auctus est [2].

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1188-92; Michaud, *Hist. des croisades*, t. II.

[2] R. Duelli, *Historia Ordinis Equitum Teuton.* Viennae 1727 in fol.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. III.

Quum autem occasione bellorum Christianos inter et infideles in Hispania atque in Oriente illorum multi in hostium manus venissent, in dura et periculosa captivitate gemerent, an. 1198 pro eorum redemptione institutus fuit Ordo ss. Trinitatis. Primi eius auctores fuere Ioannes de Matha, sacrae Facultatis Parisiensis doctor et presbyter, et Felix Valesius, celebris eremita. Ambo coelesti visione angeli, duos captivos tenentis, ad redimendos e potestate infidelium Christianos excitati, an. 1197 Romam profecti sunt, ut cum Pontifice ea de re conferrent. Innocentius III, qui tunc temporis pontificatum gerebat, pari visione excitatus, eorum consilium de instituendo Ordine sub titulo ss. Trinitatis de redemptione captivorum ratum habuit, eius regulam approbavit, et sodalibus vestes albas cum cruce rubei et caerulei coloris concessit an. 1198 [1]. Ioannes de Matha, primus Ordinis Praepositus generalis, et Felix Valesius in Galliam reduces, apud Cervumfrigidum in dioecesi Meldensi Ordinis fundamenta posuerunt, moxque plures ei nomina sua dederunt. Philippus Augustus rex, proceres et multi alii, beneficio Ordinis fine et piis Ioannis praepositi adhortationibus permoti, largas eleemosynas contulerunt, quibus Ioannis socii iam an. 1199 in Marochium profecti, fere 200 captivos redemerunt, sicut et ipse Ioannes Tunetum bis profectus, ultra 100 e captivitate liberavit. Vix dici potest quanta celeritate Ordo per Gallias, aliasque Occidentis regiones propagatus fuerit, et quam praeclare de Christianorum captivorum redemptione meruerit [2].

62. *Caelestinus III Pontifex* (*an.* 1191) — Postquam Clemens Pp. III morti IV° calendas aprilis 1191 occubuisset, ad summum sacerdotium electus fuit Hyacinthus, Romanus, diaconus cardinalis, qui sub Caelestini III nomine XVIII° cal. maias solemni Paschae die Pontifex consecratus [3], postridie Henricum VI, Germaniae Regem, consecravit Im-

[1] *Epist.* 481, l. I. — [2] A. Miraeus, *Origines monast.* l. I, c. 8; Helyot, loc. cit. t. II.

[3] Cencius de Sabellis, Caelestini III cubicularius, ritum electionis et consecrationis Pontificiae id temporis servari solitum describit, ut videre est apud Mabillonium, *Musaei Italici* t. II. Ipse loquitur de sede *stercoraria*; quam non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, sed quod Pontifice in ea stante, haec *Ps.* CXII verba canerentur: *et de stercore erigit pauperem*, docet idem Mabillonius (*Commentario* in *Ordinem Roman.* p. 121), addens facile revinci eos, qui huius sedis origiuem deducunt ab Ioanna pseudo-papissa, quod nulla mentio eius inveniatur ante saeculum duodecimum. Vid. quoque *La Scienza e La Fede*, vol. 82, p. 137 in not.

peratorem [1]. Ecclesiam maxima cum laude rexit annis fere 7. Is disciplinam ecclesiasticam multis decretis instauravit, et inter alia statuit, ut pueri a parentibus oblati monasteriis, cum ad adultam aetatem pervenissent, pro arbitrio in iis permanere vel discedere possent [2]. Negotia gravia habuit cum Henrico VI imperatore et cum Philippo Augusto rege Galliae.

Henricus VI, Friderici I filius et successor, an. 1191 cum coniuge sua Constantia a Caelestino Pp. Romae augustus coronatus est postquam iurasset, se Ecclesiae iura conservaturum et restituturum quae illius patrimonio fuerant ablata. Posthac, invito Pontifice, exercitum in Apuliam duxit coniugis suae iura in regnum Siciliae vindicaturus. Etenim Guilielmus II rex Siciliae, liberis carens, regni haeredem scripserat Constantiam amitam suam; sed Siculi, extraneum iugum metuentes, an. 1189 post mortem Guilielmi II evocaverant Tancredum, filium nothum Rogerii ducis Apuliae, eumque e consensu Clementis Pp. III regem creaverant. Henricus VI Salernum et alia nonnulla loca occupavit, sed brevi post, exercitu morbis attrito, in Germaniam regressus est, et Tancredus amissa recuperavit. Imperator in Germaniam redux, grande facinus commisit in Richardum regem Angliae, quem, cum ab expeditione Hierosolymitana rediens in mari Adriatico naufragium passus esset, a Leopoldo duce Austriae interceptum, custodiae mancipavit et ad redimendam grandi pecuniae summa libertatem coëgit. Propter tantum facinus commissum in regem crucigerum, Caelestinus Pp. Henricum imperatorem et Leopoldum ducem excommunicavit, donec iniuriam Richardo regi illatam repararent et extortam ab eo pecuniam restituerent. Verum Henricus VI Pontificis sententiam sprevit; et an. 1194 post mortem Tancredi, qui filium suum Guilielmum sibi in successorem elegerat, omnem Apuliam, Calabriam et Siciliam subegit, iuniori Guilielmo contra datam ei fidem oculos erui iussit, et in Siculos, teutonicum iugum aegre ferentes, crudeliter saeviit. Attamen paulo ante mortem, quae ei anno 1197 Messanae obtigit, poenitentiam egit, et Friderico filio mandavit, ut extortam Angliae regi pecuniam restitueret, atque iura a regibus Siciliae Apostolicae Sedi debita tribueret.

In Gallia Philippus II rex expeditionem sacram in Palaestinam suscepit, ut vidimus, in regno suo ecclesias et clericos a quorumdam magnatum iniuriis vindicavit, in blasphemos poenas graves sancivit; Iudaeos, quod opes immensas usuris cogerent, servos christianos ad iudaizandum compellerent, milleque molestias christianis inferrent, regno exire iussit; sed an. 1193 graves turbas excitavit facto cum Ingelburge, Canuti regis Daniae sorore, divortio. Hanc quippe post obitum Isabellae seu Elisabethae coniugem duxerat, sed altera post nuptias die ita ab ea aversatus est, ut divortium petierit, adlegans cognationem. Post mensem praeside archiepiscopo Rhemensi habitus est Compendii episcoporum et procerum conventus, in quo cum aliquot testes iurati cognationem affirmassent, matrimonium Philippi cum Ingelburge, iam consummatum, ut haec testabatur, nullum declaratum est. Verum Caelestinus Pp. ab Ingelburge et Canuto rege interpellatus et de conficta cognatione instructus, in Galliam legavit Meliorem presbyterum cardinalem et Centium subdiaconum, qui episcoporum procerumque conventum indixerunt Parisiis; sed episcopis ipsisque legatis iram regis metuentibus, nihil effectum est. Caelestinus vero postquam causam cognovisset, sententiam divortii irritam fecit; episcopos Gallos graviter corripuit, quod in tanto negotio non recurrissent secundum priscum morem ad Apostolicam Sedem, et regi mandavit ut cum Ingelburge reconciliaretur inhibuitque, ne, ipsa vivente, aliam uxorem duceret. Nihilominus Philippus an. 1196 superduxit Agnetem, ducis Meraniae filiam; quam tamen Innocentii Pp. III monitis censurisque tandem dimisit [1].

63. *Scriptores ecclesiastici* — Posteriori huius saeculi dimidio praeter alios floruerunt scriptores qui sequuntur: Richardus a s. Victore, Scotus, Ordinis s. Augustini in coenobio Parisiensi canonicus, pietate ac doctrina insignis; scripsit plures tractatus exegeticos, dogmaticos, mysticos et philosophicos [2]. Hugo Etherianus, Hetruscus, graece

[1] Suspicione falsitatis laborat quod Baronius de Caelestino refert (ap Natal. Alexandr. *Hist Eccles.* saec. XI et XII, c. 2, a. 13), Papam, scilicet, in ritu huius consecrationis peragentem pede suo coronam imperatoris percussisse, deiicientem illam in terram ad significandam potestatem eiiciendi eum ab Imperio si demeruerit. In *Chronico* enim *Reicherspergensi* legitur Henricus *ab ipso Caelestino Pp. consecratus honorabiliter Romae, et coronatus*, ut est in Muratorii *Annalibus Italiae*, ad an. 1191, p. 72, t. VII.

[2] Baronius et Pagi, ad an. 1198, § 1.

[1] Baronius et Pagi, ad an. 1191-1198.

[2] Rothomagi 1650, 2 tom. in-fol. Migne, t. CXCVI.

ac latine doctus; edidit libros 3 de Haeresibus, quas Graeci Latinis falso adscribebant, et librum eruditum de regressu animarum [1]. Petrus Blesensis, pietate atque eruditione valde commendandus; reliquit 183 epistolas, 65 sermones pluresque tractatus de variis argumentis [2]. Ioannes Sarisberiensis, episcopus Carnotensis; praeter epistolas ad diversos et vitam s. Thomae Cantuariensis, dedit Polycraticum seu 8 libros de nugis curialium et vestigiis philosophorum, et *Metalogicum*, in quo de omni re logica, philologica et philosophica disputat [3]. Petrus Comestor, Trecensis, ecclesiae Parisiensis cancellarius et s. Theologiae magister, deinde Ordinis s. Augustini canonicus, exaravit Historiae scholasticae seu sacrae libros 16 [4]. Guilielmus, secundum Vossium Syrus, secundum alios Gallus aut Germanus, archiepiscopus Tiri; scripsit libros 23 de bello sacro [5]. Albertus, can. Aquisgranens. vel Aquensis, reliquit Chronicon Hierosolymitanum seu sacrarum expeditionum [6]. Godefridus Viterbiensis, presbyter, Conradi

[1] *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XXII.
[2] Paris. 1667 in fol.; Migne, *Patrol. Lat.* t. CCVII.
[3] Migne, t. CXCVIII
[4] Lugdun. 1543 et alibi; Migne, t. CXCVIII.
[5] Basileae 1549 in fol., et in opere, *Gesta Dei per Francos*; Migne, t. CCI.
[6] Helmestad. 1584, 2 vol. in 4°, et in laudato opere.

III, Friderici I et Henrici VI capellanus; exaravit Chronicon universale ab orbe condito usque ad annum aerae vulgaris 1186 [1]. Petrus ex abate Cellensi et Rhemensi episcopus Carnotensis; elucubravit sermones varios, epistolarum libros 9 et opuscula de diversis argumentis [2].

64. *Caelestini III obitus* — Postquam Caelestinus Pp. III, cuius gesta supra retulimus, VI° idus ianuarii an. 1198 decessisset [3], cum *annos* 6, *menses* et *dies* 9 in Pontificatu egisset, summa Cardinalium consensione, omniumque ordinum gaudio eadem die, qua Coelestinus III est tumulatus, V° idus ianuar., electus fuit, plorans ac renitens, Innocentius III, annos natus 37, ex illustri Transimundi Signiae comitum domo, antea appellatus *Lotharius*, Cardinalis diaconus, et VIII° calend. mart. consecratus. Vir pietate rerumque theologicarum ac iuris peritia spectatissimus, cuius pontificatus celebrem in historia ecclesiastica epocham constituit.

[1] Pistor. *Scriptor. rer. German.*
[2] Paris. 1613 in 8°, et 1671 in 4°.
[3] Rogerius, scriptor huius temporis, a Baronio memorato ad an. 1198, § 1, haec habet: « Caelestinus moriturus curavit vehementer, ut Cardinales agerent de successore eligendo voluitque se abdicare, si *Ioanne de S. Paulo* Cardinalem S. Priscae sufficerent in locum suum. At illi non consensere, dicentes, *inauditum esse*, quod *Summus Pontifex se deponeret* ».

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA OCTAVA

A PONTIFICATV INNOCENTII III
VSQVE AD SCHISMA OCCIDENTIS, AN. 1378.

PROOEMIVM

Innocentius Pp. III rebus praeclare gestis tantam sibi nominis celebritatem comparavit; tanta sapientia atque constantia Ecclesiam gubernavit, Fidei deposito contra haereses consuluit, disciplinam instauravit, difficillimas quasque res peregit, societatis christianae bono prospexit, concordiam inter principes et populos conciliavit fovitque, ut ab eius pontificatu nova epocha iure deducatur. Durante hac epocha Ecclesiae paci ac prosperitati obfuerunt novorum haereticorum, praesertim Waldensium et Albigensium sectae, Graecorum schisma, Turcarum in Oriente progressiones, Friderici II et Ludovici Bavari imperatorum atque Philippi Pulcri regis Francorum turbae et prava molimina. His aliisque procellis divina Providentia opposuit Pontifices, qui emergentes haereses damnaverunt, invalescentes abusus correxerunt, pravis principum consiliis eorumque in res sacras audaciae fortiter restiterunt, atque doctores egregios, s. Bonaventuram, s. Thomam aliosque, qui avitam doctrinam defenderunt, haereticas novitates confutarunt, Ecclesiae iura tuiti sunt, de litteris profanis ac sacris praeclare meruerunt. Accessit ad Fidei victoriam et fidelium solamen renovata pietas per novos Ordines religiosos, praesertim Franciscanorum et Dominicanorum, qui disciplinam regularem in claustris et pietatem in populo christiano restituerunt, haereses debellarunt, Fidem ad populos nondum credentes pertulerunt. Ad componenda graviora Ecclesiae negotia habita sunt 4 concilia generalia, Lateranense IV, Lugdunesia I et II, et Viennense. Demum ad litterarum et scientiarum incrementa, RR. Pontificibus operam conferentibus, institutae sunt celebres Academiae, Salmanticensis, Patavina, Tolosana, Neapolitana, Cantabrigensis, Monspessullana, Olyssiponensis, Avenionensis, Aurelianensis, Dublinensis, Pisana, Andegavensis, Heidelbergensis, Pragensis, Arausicana, aliae.

1. *Innocentius III Pontifex* (*an.* 1198) — Innocentius III, qui an. 1198 Caelestino III in summo pontificatu successit, Apostolicae Sedis dignitatem et temporalem potestatem, iniquorum imperatorum et rebellium Romanorum (Arnaldistarum) machinationibus labefactatam, erexit, civitates arcesque, ad patrimonium B. Petri pertinentes, recuperavit. Fridericum iuniorem, Henrici VI filium, an. 1198 regno Siciliae investivit, eum contra rebelles tuitus est, et abrogato pacto, quod Guilielmus rex I ab Hadriano Pp. IV extorserat, res siculas aequioribus conditionibus composuit. Nihil omisit, ut bellum civile inter Ottonem Saxonem et Philippum Suevum, de imperio dimicantes, componeret, et interfecto an. 1208 Philippo, principes Ottoni conciliavit, eumque anno sequente imperatorem coronavit. Norwegiam contra Sueronem tyrannum, qui ecclesias et populum opprimebat, tuitus est, archiepiscopo Nidrosiensi mandavit, ut fautores Sueronis anathemate percelleret, et finitimos Danorum ac Suecorum reges contra eumdem tyrannum excitavit. In Suecia et Dania dissensiones componere, et abusus, qui contra disciplinam ecclesiasticam irrepserant, proscribere studuit. Hungariae regno, quod bello civili flagrabat, prospexit, et Henricum regem eiusque filium et successorem Ladislaum adversus rebelles tuitus est. In Dalmatiam et Dicliam legavit Ioannem capellanum et Simonem subdiaconum, qui ad corrigendos abusus et ad restituendam in clero ac populo disciplinam ecclesiasticam an. 1199 cum

Ioanne Diocliensi et Antibarensi archiepiscopo et 6 eius suffraganeis episcopis synodum habuerunt [1]. Bulgaros ad R. Ecclesiae obedientiam revocavit, eorum regem Ioannitium seu Caloiohannem, qui regnum suum Apostolicae Sedi obtulit, per legatum suum Leonem cardinalem coronavit, Trinovitanum archiepiscopum totius Bulgariae primatem constituit, 2 novos archiepiscopos illic creavit sacrasque ordinationes secundum ritum romanum instituit. Leonis regis et Gregorii patriarchae Armenorum oratores et litteras, quibus illi devotionem suam erga Romanam ecclesiam «matrem omnium ecclesiarum et fundamentum legis totius christianitatis» et obedientiam erga Pontificem profitebantur, excepit, legatosque ad illos misit, qui regi coronam et vexillum B. Petri, patriarchae pallium conferrent. Accepta ab Alexio Angelo, imperatore Graecorum, legatione, ad eumdem legatos cum litteris misit, ut Graecos ad unionem cum R. Ecclesia reduceret; de eadem re scripsit ad Ioannem Camaterum, patriarcham Cpnum. Europaeos litteris, indulgentiis et crucis praedicatione excitare conatus est ad bellum sacrum contra Turcas comparandum. Alphonso regi Castellae, adversus Maurorum impetus certanti, animum addidit, ei celebrem victoriam an. 1212 de hostibus relatam gratulatus est, caeterisque Hispaniae regibus pacem cum illo, quamdiu bello Maurico occuparetur, sub censurarum ecclesiasticarum periculo imperavit. Alphonsum regem Legionis propter incestas nuptias excommunicationi eiusque regnum interdicto subdidit, donec is incestas nuptias dissolverit et absolutionis beneficium meruerit. Petrum Aragoniae regem, qui regnum suum Apostolicae Sedi obligavit, Romae coronavit. Sancium regem Lusitaniae, tyrannorum more ecclesiasticam libertatem et iurisdictionem violantem, severe coarguit; postea ei poenitentiam gratulatus est, et absolutionem eidem a Bracarensi archiepiscopo impertitam, ratam habuit. Antiquam litem inter Turonensem et Dolensem ecclesias terminavit, et posteriorem ut suffraganeam priori subiectam voluit. Alia eius gesta in causis Philippi regis Galliae, Ioannis regis Angliae, Ottonis IV imperatoris et haereticorum Albigensium infra videbimus [2].

2. *Cruciata IV* — In Asia mors Saladini (1193) et discordiae principum mahometanorum Christianis opportunam praebuissent occasionem recuperandi Terram sanctam, si horum principes inter seipsos fuissent magis concordes et rei publicae bono potius quam privatis commodis studuissent. Interim Caelestinus Pp. III Europaeos ad bellum sacrum excitaverat, ut diximus, et Henricus VI imperator copiosum crucigerorum exercitum in Palaestinam destinavit; qui una cum Christianis palaestinis celebrem victoriam de Malec-Adel fratre Saladini retulerunt, et Sydone, Laodicea, aliisque urbibus ad litus Syriae recuperatis, ingentem captivorum numerum liberarunt. Verum an. 1198 crucigeri audita morte Henrici imperatoris, in Europam regressi sunt, eodemque anno Almaricus rex Hierosolymorum inducias iniit cum Turcis.

Innocentius III ab initio Pontificatus sui excitandae novae expeditioni adlaboravit, multique in Italia, Gallia et Belgio crucem susceperunt. Hi iuncti cum Venetis, primo oppugnarunt Zaram in ora maritima Dalmatiae: deinde consilio Alexii iunioris castra moverunt versus Constantinopolim. Etenim Alexius Comnenus fratrem suum Isaac-Angelum et imperio graeco et oculis privaverat, contra quem Isaac eiusque filius Alexius crucigerorum opem implorarunt, spondentes, se restitutos iis auxilium praebituros adversus Turcas, et unionem Graecorum cum Ecclesia latina conciliaturos. Crucigeri an. 1203 Constantinopolim advenerunt, et fugato Alexio Comneno, Isaac eiusque filium restituerunt.

3. *Imperium Latinum Cp.* (*an.* 1204) — Verum brevi post dissidia Graecos inter et Latinos, quum de unione ageretur, recruduerunt. Alexius Ducas, cognomine Murtzuphlus, seditionem in urbe excitavit, deiecto Isaac, qui mox mortuus est, et interfecto filio eius Alexio, imperium usurpavit, et arma contra crucigeros vertit. Hi vero profligato usurpatore, an. 1204 Constantinopolim ceperunt, ibique imperium Latinum instituentes, primum imperatorem crearunt Balduinum, comitem Flandriae, patriarcham vero constituerunt Thomam Moresinium, nobilem Venetum, R. Ecclesiae subdiaconum. Tunc crucigeri expeditioni Hierosolymitanae nuncio remisso, armis suis usi sunt ad proferendos imperii sui fines et ad repellendos Graecorum impetus. Graeci autem dissectam imperii sedem transtulerunt partim Nicaeam Bithyniae, ubi Theodorus Lascaris, pártim Trapezum Cappadociae,

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 7.

[2] Innocent. III *Epistolarum libri*; Raynald. *Annal. eccl.* ad an. 1198-1216; Hurter, *Histoire d' Innocent III et de son siécle*, trad. par l' ab. Iager.

ubi Alexius imperator salutatus est. Ex hoc tempore Graecorum schisma et odium in Latinos culmen attigit [1].

4. *Waldenses et Albigenses* — In Occidente autem, praesertim in Gallia, detrimenta grandia Ecclesiae intulerunt Waldensium et Albigensium sectae.

Waldenses nomen acceperunt a Petro Waldo, Lugdunensi, qui an. circiter 1160 subitanea socii sui morte territus, perfectioris vitae rationem sibi proposuit; s. Scripturae libros in linguam vulgarem sibi vertendos curavit, et apicem perfectionis, quam Christus et Apostoli professi fuerant, in paupertate ac humilitate constituens, bona sua vendidit eorumque pretium pauperibus distribuit, et eamdem perfectionem Lugduni praedicare coepit; eos, qui sermonibus suis parebant, in pagis colligebat, s. Scripturae lectionem in lingua vulgari commendabat, et omnibus sine sexus aut conditionis discrimine praedicationis officium committebat. Quum a Ioanne archiepiscopo Lugdunensi praedicationis ministerio essent interdicti, et ab Alexandro Pp. III usum ss. Librorum in linguam vulgarem translatorum, atque facultatem praedicandi impetrare frustra conati essent, in coeptis suis perseverarunt, contendentes, praedicationis officium sibi, utpote apostolicam vitam sectantibus, esse proprium. Celebri constitutione, a Lucio Pp. III an. 1184 Veronae edita, atque a Concilio gen. Lateran. IV an. 1215 excommunicati, ab Ecclesia schisma fecerunt, et secesserunt in Occitaniam, ubi dynastae eos aeque ac Catharos tuiti sunt.

Brevi post schismati haeresim addiderunt, et sensim in multos inciderunt errores. Inter alia contendebant: Ecclesiam Romanam, ex quo tempore bona temporalia possidere coepit, non amplius esse veram Christi Ecclesiam; hanc apud se solos, utpote qui Christi et Apostolorum paupertatem et humilitatem verbis et exemplis praedicarent, consistere; neque Pontifices, neque episcopos aut clericos possidere posse bona temporalia, feuda vel regalia; Christum nullam instituisse inter fideles hierarchiam, proinde omnibus, sandalia apostolica gerentibus et in statu gratiae constitutis, licere verbum divinum praedicare, a peccatis absolvere, Eucharistiam consecrare; Sacramentorum valorem pendere a probitate ministrorum; Eucharistiam confici non in manu indigne consecrantis, sed in ore digne sumentis; poenam capitis et iuramentum esse semper illicita. Praeterea Purgatorium, orationes pro defunctis, Indulgentias, Sanctorum eorumque reliquiarum cultum, ecclesiasticum cantum, ritus, dies festos, ecclesiarum usum, alia repudiabant.

Quum autem Waldenses non ab initio docuerint omnes istos errores, sed sensim in eos lapsi sint; quum etiam inter eos essent variae factiones, et aliae aliis pauciores vel plures errores profiterentur, apud historicos reperitur quaedam eorumdem errorum confusio.

Hi sectarii, qui a composita humilitate et paupertate *Pauperes Lugdunenses, Humiliati*, ab urbe Lugdunensi *Leonistae*, a genere calceorum *Sabbatati* et *Insabbatati* dicti sunt, se per Galliam meridionalem et adiacentes Hispaniae atque Italiae partes diffuderunt. Eorum progressioni profuerunt multorum animi, iam per novos Manichaeos in istis regionibus ab Ecclesia catholica abalienati, divulgata ab illis s. Scripturae in lingua vulgari lectio, dynastarum seu magnatum patrocinium, nonnullorum clericorum inordinata vita [1].

His nequiores fuerunt *Albigenses*, quos quidam scriptores cum Waldensibus male confuderunt, quamvis illi cum his in odio et persecutione Ecclesiae catholicae concordarent. Albigensium nomine passim appellati sunt novi illi Manichaei, Cathari, aliique qui saeculo XII et XIII in Gallia circa Tolosam, Biterras, Carcassonem, Albigam, Narbonem grassati sunt, quorumque errores supra indicavimus [2]. Dicti sunt Albigenses vel ab Albigesio, quo nomine maxima pars Narbonensis provinciae veniebat, quod eorum primi coetus in ea regione coaluerint. Isti sectarii Ecclesiam catholicam eiusque Pontificem, episcopos et ministros turpissimis probris et conviciis proscindebant, et, faventibus sibi comitibus, ecclesias expilabant, calices et vasa sacra confringebant, clericos decimis bonisque spoliabant, adeo ut sub exitum saeculi XII Religio in istis regionibus pene collapsa, et pax publica tumultibus atque facinoribus atrocibus perturbata esset [3].

Iam alibi diximus de rationibus quae, pro

[1] Raynald. loc. cit.; Michaud, *Hist. des croisades*

[1] Reinerus Sacchonius, *L. contra Waldenses*, in *Biblioth. PP.* Lugdun. t XXV; Natal. Alexand. in saec. XII, c. 4; Bossuet, *Hist. des variat.* t. XI; Charvasius, *Recherches historiques sur la veritable origine des Vaudois et sur le caractère de leurs doctrines primitives*, Paris 1836.

[2] Vid. p. 42. — [3] Vid. p. 43.

eorum conversione et contra eorum progressiones, saeculo praecedenti adhibitae fuerunt. Sub initia huius saeculi XIII Innocentius Pp. III legatos et vicarios suos, maxima ex parte monachos Cistercienses, ampla potestate instructos, in Gallia meridionali constituit, ut Catholicos in fide conservarent et haereticos converterent vel palam excommunicarent. His legatis se anno 1206 coniunxit Didacus, episcopus Uxamensis in Hispania, cum s. Dominico eiusdem ecclesiae canonico. Ii habitis cum magistris haereticorum disceptationibus, eos haereseos convicerunt multosque e populo ad veritatem reduxerunt. Sed cum magnates sectariis patrocinarentur, episcopi legatos pontificios parum adiuvarent, unus legatorum, Petrus de Castro-Novo, an. 1208, fuisset interfectus, eodemque anno obiisset Didacus Uxamensis, plerique Cistercienses in monasteria sua regressi sunt. S. Dominicus vero opus coeptum constanter nec sine maximis fructibus continuavit. De eius in convertendis haereticis et de bello sacro contra eosdem excitato infra agemus [1].

5. *Almaricus et Ioachim* — In ipsa Universitate Parisiensi saeculo XIII ineunte perversam doctrinam tradere ausus est Almaricus de Bena, clericus et philosophiae magister; qui pantheistico more de Deo sentiens, asserebat, neminem salvari posse, nisi crederet se esse membrum Christi, ita ut dum a Iudaeis Christus pateretur, una cum ipso quique fideles dolorem fuerint re vera perpessi. Hunc errorem sacra Facultas an. 1204 damnavit, eiusque sententiam Innocentius Pp. III ad quem provocaverat, confirmavit. Almaricus errore suo sacrae Facultatis mandato eiurato, brevi post obiit; sed disciculi eius dogma pseudo-magistri sui magis explicarunt novisque erroribus auxerunt, et per Parisiensem vicinasque dioeceses disseminarunt. Constituerunt hi tres Religionis status seu regna, Patris sub Lege Veteri, Filii sub Lege Nova usque ad saeculum XIII, et exinde Spiritus S. in quo postremo statu abrogatis sacramentis, sacrificio, omnique cultu externo quisque sola interna Spiritus gratia salvaretur. E principio mystico-pantheistico de rerum omnium e materia prima, quam Deum dicebant, emanatione et in illam conversione, contendebant sectarii, quemque hominem esse filium Dei, sicut Christus fuit filius Dei; panem eucharisticum esse quidem Deum, sed non aliter ac alius panis sit Deus; religionem christianam, quae religioni Patris seu Mosaicae fuerat substituta, esse corruptam eique substituendam religionem Spiritus S., ominum perfectissimam; unde *Expectatores Spiritus S.* appellati quoque fuere. Quidquid ex Paracleti motione seu caritate committeretur, sive stuprum, sive adulterium, sive alia facinora, honestum dicebant [1]. Nefandae huius doctrinae magistri aliarumque impiarum absurditatum, an. 1209 in synodo Parisiensi convicti, damnati et curiae saeculari traditi sunt, a qua 10 ad ignem et 4 ad perpetuum carcerem condemnati, alii dimissi fuerunt. Perversum Almarici dogma paulo post damnavit concilium Lateranense IV, can. 2, uti videbimus.

Idem Concilium damnavit quoque libellum Ioachimi, abbatis Congregationis Florensis in Calabria, contra Petrum Lombardum de unitate seu essentia ss. Trinitatis. Ioachim, qui an. 1202 obiit, pluresque commentarios in s. Scripturam reliquit, haereseos insimulaverat has Petri Lombardi propositiones: « Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quod nec Pater divinam essentiam genuit, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit essentiam. Hic nomine essentiae intelligimus divinam naturam, quae communis est tribus personis et tota in singulis ». Existimabat Ioachim, his propositionibus non Trinitatem sed quaternitatem in divinis doceri, easque oppugnando incidit in hos errores: In divinis non esse aliquam rem unam, quae sit Pater, Filius et Spiritus S., sive illa res una dicatur substantia, essentia sive natura; tres personas esse quidem unam essentiam, non vero unam essentiam esse tres personas; tresque personas esse unam essentiam non vere, proprie et realiter, sed collective et similitudine, sicuti multi homines dicuntur unus populus. Quum autem Ioachim omnia scripta sua Ecclesiae iudicio subiecisset, concilium Lateranense librum quidem eius, non vero personam damnavit [2].

6. *Lites inter Innocentium III et reges Galliae, Angliae et imperatorem* — Interea Innocentius Pp. III magnas simultates habuit cum regibus Galliae et Angliae et Ottone IV, in quibus, quemadmodum in aliis

---

[1] P. de Valle Cernai, *Historia Albigensium*; Lucas Tudensis, *L. contra Albigens.*; Bossuet, *Histoire des variations*, l. XI.

[1] Rigordus, ad an. 1209; Caesarius Heisterbacensis, *Dial.*, l. 5, c. 22.

[2] Matthaeus Paris., *Hist. Angl.* ad an. 1179; Labbe, *Conc.* t. XI, p. 49.

negotiis apostolica constantia Ecclesiae, iustitiae et aequitatis causam defendit.

Philippus II rex Galliae contra Caelestini Pp. III sententiam et minas, repudiata Ingelburge, superduxerat Agnetem [1]. Innocentius III ab initio pontificatus sui regem monuit, ut dimissa Agnete, Ingelburgem reciperet; deinde Petrum Capuanum in Galliam legavit cum potestate regnum sacris interdicendi, nisi Philippus monitis pareret. Legatus post frustra repetita monita an. 1200 in synodo Viennensi sententiam interdicti promulgavit. Rex iratus episcopos et clericos, interdictum observantes, vexavit eiecitque; victus tamen Pontificis constantia, obtemperandi consilium iniit; et coram legatis Pontificis et episcopis spopondit, se recepturum Ingelburgem ac dimissurum Agnetem. Tunc interdictum, quum ultra septem menses durasset, solutum est. Verum perfidus princeps, iterum causatus cognationis impedimentum, Ingelburgem neque ut coniugem neque ut reginam habuit. Agnes anno 1201 mortua est. Innocentius Pp. legationibus litterisque Philippum ad aequiorem mentem revocare tentavit. Tandem anno 1213 rex Ingelburgem, quae inter aerumnas constanti virtutis exemplo fuit, recepit et in consortium suum plene restituit [2].

In Anglia iam dudum existebat controversia inter canonicos seu monachos Cantuarienses et episcopos Anglos de iure eligendi archiepiscopum Cantuariensem; reges etiam se eidem electioni immiscebant, vindicantes sibi ius assentiendi. Quum an. 1205 post mortem Humberti duo fuissent electi, Reginaldus et Ioannes, causa Romam delata est; Innocentius III utramque electionem, quia illegitime factam, irritam dixit, Stephanum cardinalem, natione Anglum, ordinavit archiepiscopum Cantuariensem, iusque eligendi Cantuariensem antistitem confirmavit Capitulo seu monachis huius ecclesiae. Ioannes rex Angliae, appellatus *Sine-terra*, quasi iura sua in hac re fuissent spreta, Stephanum archiepiscopum ingressu in regnum prohibuit, monachos Cantuarienses eiecit eorumque fundos occupavit, et petulantes litteras ad Innocentium III scripsit. Pontifex primo adhortationibus minisque regem ad meliorem mentem revocare conatus, deinde an. 1208 ecclesiasticum interdictum in omnem ditionem Ioannis fulminavit; et cum rex maiori furore episcopos et ecclesiasticos viros vexaret, Innocentius post novam admonitionem eum nominatim excommunicavit. Demum an. 1212 ab episcopis Anglis contra eumdem regem, qui monachos et ecclesiasticos saevius persequebatur, interpellatus, Ioannem declaravit indignum, qui populo christiano imperaret, subditos a fidei sacramento absolvit, et Philippo regi Francorum concessit, ut Ioannem, Dei et Ecclesiae hostem, bello impeteret eiusque ditionem invaderet. Ioannes his perterritus post longam cum Pandulpho Pontificis legato concordiae pertractationem, tandem Stephanum archiepiscopum Cantuariensem admisit, exules revocavit, damna ecclesiis illata resarcivit; R. Pontifici obedientiam professus est, regnumque suum Apostolicae Sedi obtulit; proinde interdictum fuit sublatum et rex ab excommunicatione absolutus [1].

In eumdem Pontificem ingratissimus extitit Otto imperator IV, qui an. 1209 Romae ab Innocentio III augustus coronatus, contra praestitum iuramentum armata manu regnum Siciliae, quod erat R. Ecclesiae feudum, quoque Innocentius Pp. iuniorem Fridericum investiverat, invasit. Cum Pontifex imperatorem ab hoc bello deterrere frustra tentasset, eum an. 1210 excommunicavit. Otto excommunicationem sprevit, et ad maiorem nequitiam prolapsus est. Quapropter Innocentius post novas admonitiones eum anno sequenti imperio privatum, omnesque subditos suos a fidei iuramento solutos declaravit. Principes imperii una cum Siffrido, archiepiscopo Moguntino et Apostolicae Sedis legato, congregati, Ottonem reiecerunt, et an. 1212 e consilio Pontificis in eius locum elegerunt Fridericum II, regem Siciliae, Henrici VI filium. Innocentius Fridericum Romam venientem magno cum gaudio excepit et in Germaniam dimisit. Otto, in Germaniam redux, Friderico resistere tentavit, sed a suis desertus, in Saxoniam secessit, ubi nulla re gesta insignis an. 1218 obiit. Fridericus II omnibus spem magnam fecit; iureiurando constituit, se imperio potitum, regnum Siciliae cessurum filio suo Henrico, R. Ecclesiae in illud iura conservaturum, B. Petri patrimonium, sacrarum electionum libertatem aliaque ecclesiarum iura defensurum. Verum postea, ut videbimus, a bene coeptis turpiter descivit [2].

[1] Vid p. 45.
[2] *Histoire de l'Église gall* l. 29-30; Raynald. ad an. 1198-1213; Hurter, *Hist. d'Innocent III.*

[1] Lingard, *Histoire d'Anglet.* t. III; Raynald. ad an. 1205-14; Hurter, loc. cit. — [2] Raynald. ad an. 1210-15

7. *Bellum adversus Albigenses* (*an.* 1209) — In Occitania seu Gallia meridionali haeretici Albigenses, Raymundi comitis Tolosani aliorumque magnatum patrocinio freti, ecclesias dirum in modum vastabant, et Catholicis sine sexus aut conditionis discrimine vim inferebant. Quapropter Innocentius Pp. III regem Galliae proceresque excitavit ad cruciatam contra perduelles sectarios expeditionem. Confestim copiosus crucigerorum exercitus coaluit. His perterritus Raymundus comes, coram Milone Pontificis legato iuravit, se bona clericis ablata restituturum et crucigeris adversus haereticos opem laturum. An. 1209 crucigeri duce Simone comite Montfortio bellum contra perduelles sectarios inchoarunt; ditionem Rogerii vicecomitis Biterrensis, haereseos fautoris, Biterras, Carcassonem, aliasque urbes et arces expugnarunt, easque tradiderunt Simoni Montfortio. Cum Raymundus Tolosanus contra iurata promissa sectariis clam faveret et crucigeris insidias strueret, rursus excommunicatus est, et bello impetitus a Simone Montfortio, post varia praelia magnam terrarum suarum partem et anno 1214 ipsam urbem Tolosam amisit, quarum omnium possessio Simoni Montfortio a synodo Montispessulana et ab Innocentio Pp. confirmata fuit. Simon Montfortius bellum cum Raymundo aliisque dynastis vario marte continuavit usque ad annum 1218, quo in obsidione Tolosae, quam Raymundus anno precedente recuperaverat, ex vulnere obiit [1]. Qua ratione bellum contra Albigenses continuatum fuerit, suo loco videbimus.

Quisquis conspexerit praefatorum sectariorum in Catholicos violentias, doctrinam moresque religioni et societati perniciosos, atque temporum adiuncta, non mirabitur, post frustra tentatos ordinarios conversionis illorum modos, Catholicos arma contra eos contulisse.

8. *S. Dominicus* — Interim s. Dominicus, apostolica missione ab Innocentio Pp. ad convertendos Occitaniae haereticos instructus, ardore impigro et invicta constantia confutandae haeresi et praedicandae Fidei adlaboravit. In eumdem finem instituit celeberrimum Ordinem Fratrum Praedicatorum, de quo mox dicemus. Magnas etiam victorias de haeresi retulit sacratissimi Rosarii prece, quam summo studio propagavit. Deus apostolici viri sermones atque labores miraculis confirmavit. Sic factum est, ut s. Dominicus prae aliis omnibus de expugnatione haereseos, de haereticorum conversione, et de catholicae fidei restitutione in Occitania meruerit [1].

8. *FF. Minorum et Praedicator. Ordines* — Cum autem aetatis huius haeretici sub reformationis specie fidem catholicam corrumperent, Ecclesiam et eius ministros divitiis vitiisque corruptos dicerent, paupertatem apostolicam venditarent, et iis praetextibus populos a vera Christi Ecclesia abducerent; cum etiam in clero saeculari haud pauci essent, qui fidei praedicationem, haeresum oppugnationem, populi christiani salutem vix curarent, divina Providentia effecit, ut in Ecclesia excitarentur celeberrimi Ordines appellati Mendicantes, qui veram paupertatem, vitaeque sanctimoniam cum perfecta erga Ecclesiam subiectione coniungerent, haereticorum aculeos retunderent, populos in debito Ecclesiae obsequio continerent, aberrantes ad eam reducerent, atque sinceram pietatem instaurarent. Ad id in primis contulerunt Ordines Fratrum Minorum et Praedicatorum, illos s. Franciscus, hos s. Dominicus instituit.

Franciscus an. 1182 Assisii in Umbria natus, primo mercaturam exercuit, deinde anno 1206 omnium terrenarum rerum curis abiectis, se totum orationis, humilitatis, paupertatis et caritatis exercitiis dedit. Biennio post, quum in missa ex Evangelio haec verba Christi Domini, discipulos suos ad praedicandum regnum coelorum mittentis, audivisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* [2], abiectis reliquis vestimentis, tunica unica cineracei coloris, quam fune constringebat, indutus, oppida et pagos peragravit, homines ad poenitentiam exhortans, infirmos praesertim leprosos curans et ex eleemosynis vivens. Anno 1209 iam vitae suae asceticae piorumque operum plures sectatores nactus, eos pariter ad praedicandam poenitentiam sibi adscivit et ad perfectam paupertatem instituit. Iis auctis an. 1210 vivendi regulam praescripsit, cuius fundamentum erat strictissima paupertas, omnis peculii expers non tantum pro singulis sed etiam pro societate, adeo ut ex manuum la-

---

[1] P. de Valle Cernai, *Hist. Albigens.*; I. B. Langlois, *Histoire des Croisades contre les Albigeois*, Paris 1703, in-12°.

[1] Touron, *Vie de s. Dominique*; Bolland. *Acta SS.* 4 august.

[2] Matth. X, 9, 10.

bore et eleemosynis sibi victum compararent. Ad exercendam humilitatem sociis commendabat, ut frequenter inter mendicos, infirmos et alias personas despectas versarentur, omnesque appellarentur Fratres Minores, unde *Minoritarum* nomen descendit [1]. Ad promovendam aliorum salutem sociis praecipue iniungebat, ut hominibus poenitentiam praedicarent, ii etiam, quibus necessariae dotes essent, infideles convertere studerent, quem in finem Franciscus ipse aliquando in Ægyptum profectus est. Eodem anno Innocentius Pp. III regulam s. Francisci vivae vocis oraculo approbavit, eique atque discipulis eius facultatem praedicandi ubique poenitentiam et catholicam fidem concessit, eosque simul inter clerum suscepit. Ab hoc tempore Ordo, cuius prima domus fuit haud procul ab Assisio apud Ecclesiam appellatam *Portiunculam* B. Mariae Angelorum dedicata quam s. Franciscus a Benedictinis acceperat, per *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*, aliasque regiones propagatus est adeo ut Capitulo generali an. 1219 habito 5000 Fratrum adessent [2]. An. 1223 Honorius III Ordinem authentico instrumento confirmavit.

Secundum Ordinem instituit s. Franciscus, nempe monialium, quae primo Damianitae ab ecclesia s. Damiani, apud quam primum earum monasterium conditum est, deinde Clarissae a s. Clara earumdem fundatrice, appellatae sunt. S. Clara virgo, nobilibus parentibus Assisii nata, a tenera aetate piam, austeramque vitam sectata, an. 1212 relicta domo paterna, se s. Francisci directioni subiecit sedemque fixit apud Ecclesiam s. Damiani haud procul a Portiuncula. Cum ea se mox consociarunt plures aliae, quae omnes sub suprema s. Francisci directione pietatis, paupertatis, humilitatis et poenitentiae exercitiis vacabant. An. 1224 s. Franciscus eis regulam peculiarem praescripsit, quam Gregorius IX approbavit. Ex hoc tempore plura in aliis locis eiusdem Ordinis monasteria condita fuere.

Tertium Ordinem anno 1221 instituit s. Franciscus pro viris et feminis in saeculo viventibus, qui tertiam regulam vitae, ab eo compositam, in domibus privatis observarent. Hanc regulam ab Honorio III et Gregorio IX ore approbatam, Nicolaus IV scripto confirmavit an. 1289; nuperrime Leo XIII, *f. r.*, an. 1881 mirifice commendavit. Ordinis huius sodales dicti sunt Tertiarii; eorum numerus brevi tempore plurimum auctus est. Tertiariorum institutum sub duplici forma fuit propagatum; alii enim illud secuti sunt et sequuntur, in communitate viventes, alii in aedibus privatis [1].

Eodem tempore Ordinem presbyterorum, qui non tantum propriae perfectioni, sed reliquorum etiam hominum saluti operam darent, fundavit s. Dominicus. Hic cum convertendis haereticis Albigensibus adlaboraret, an. 1215 cum aliquot sociis, eodem ac ipse studio animatis, ex assensu Innocentii III Tolosae instituit Ordinem, cuius supremus finis esset divini verbi praedicatio. Adoptavit Dominicus regulam s. Augustini cum aliquot constitutionibus, e regula Praemonstratensium canonicorum susceptis, in quibus, praeter propriae perfectionis curam, sociis commendabatur sacrarum disciplinarum studium, ut idonei verbi divini praedicatores, animarum directores, catholicae doctrinae magistri et defensores efficerentur. An. 1216 solemnem Ordinis sui approbationem impetravit ab Honorio Pp. III, qui eos *Fratres Praedicatores* appellavit, iisque praeter alias facultates et privilegia ius tribuit habendi ecclesias parochiales et presbyteros ab episcopo approbatos in iis constituendi. Dominicus primum monasterium aedificavit Tolosae iuxta ecclesiam sibi ab episcopo concessam. Mox Fratres suos in Hispaniam, Galliam, Italiam misit, ubi etiam eiusdem Ordinis monasteria excitata sunt. In primo Capitulo generali, an. 1220 Bononiae habito, praeter diversa instituta severiora, sociis persuasit abiectionem omnium fundorum et proventuum fixorum, eosque e Canonicis Regularibus s. Augustini monachos mendicantes fecit. In altero Capitulo generali, habito anno sequente, Ordinem, qui iam 60 monasteria habebat, distribuit in 8 provincias, Hispaniam, Provinciam, Galliam, Lombardiam, Romam, Germaniam, Hungariam, Angliam; quibus sub s. Dominici, anno 1221 defuncti, successore Iordane accesserunt 4 novae provinciae, Polonia, Dania, Graecia et Palaestina. Ordinis propagatio tanta incrementa cepit, ut an. 1278 iam 470 monasteria numeraret.

Iam anno 1206 s. Dominicus, ut sexum femineum praesertim nobilem contra haere-

---

[1] Idem Ordo dictus est Franciscanus a nomine sui auctoris, item Seraphicus, quod s. Francisco in solitudine montis Alverni sacra stigmata impresserit Seraphim crucifixi imaginem referens. S. Bonaventura, *Vita s. Francisci*.

[2] S. Bonaventura, ibid.

[1] L. Wadding, *Annales Ordinis Minorum*.

ticas seductiones praemuniret, apud Pruillianum instituerat Ordinem sanctimonialium sub regula s. Augustini, peculiaribus statutis temperata, ut illae tum propriae perfectioni adlaborarent, tum adolescentes filias christiane educarent.

Tertium Ordinem, qui Militia Iesu Christi dictus est, instituit s. Dominicus pro personis utriusque sexus in saeculo viventibus. Eius finis erat, Ecclesiae iura, libertatem et bona ab haereticorum furore et invasione vindicare et tueri, quo fine postea cessante, Militia Christi mutata est in Ordinem poenitentium, seu de poenitentia s. Dominici. Hoc quoque Tertiariorum institutum, ut illud s. Francisci, sub duplici forma fuit propagatum, in communitate scilicet et in privatis domibus viventium[1].

Quum autem hi Ordines de Ecclesia praeclarissime mererentur, amplissima privilegia a RR. Pontificibus consecuti sunt. Quanta vero bona ex iisdem Ordinibus in Religionem et societatem manarint, sat evincitur ex eo, quod in iis omni tempore reperti sint viri, vitae sanctitate et eruditione clarissimi, praecipuis Ecclesiae dignitatibus ornati, gravissimis legationibus perfuncti, ad ss. Litterarum, theologiae ac philosophiae cathedras in academiis evecti, de morali populorum reformatione, de expugnatione haeresum, deque Religionis ubique propagatione optime meriti.

10. *Concilium Lateranense IV, generale XII* (*an.* 1215) — Interea Innocentius Pp. III ad proscribendas haereses, ad restituendam disciplinam ecclesiasticam et ad excitandam novam expeditionem contra Turcas anno 1215 in basilica Lateranensi concilium generale celebravit. Interfuerunt huic concilio 412 episcopi, inter quos patriarchae Cp. et Hierosolymitanus, Antiocheni et Alexandrini vicarii, 77 primates et metropolitani. Aderant praeterea ultra 800 abbates et priores, multi absentium praesulum et capitulorum procuratores, oratores Friderici II electi imperatoris, Henrici imperatoris Cp., regumque Galliae, Hispaniae, Angliae, Hungariae, Hierosolymorum, Cypri. Praesedit Innocentius Pp., editique sunt 70 canones seu capitula. Canone 1° exponitur, catholica fides de ss. Trinitate, Incarnatione, Ecclesia et Sacramentis[2]; 2° damnantur libellus Ioachimi abbatis et perversum dogma Almarici[1]; 3° proscribitur omnis haeresis, haeretici eorumque fautores, defensores et receptores excommunicantur, contumaces in haeresi post ecclesiasticum iudicium traduntur potestatibus saecularibus, debita animadversione puniendi, dominis temporalibus sub poena excommunicationis, et si hanc contempserint, amissionis terrarum suarum mandatur, ut haereticos e terris suis pellant, episcopis praecipitur, ut saltem semel in anno dioecesim suam visitent, et ubi fama est habitare haereticos, tres aut plures boni testimonii viros constituant, qui haereseos suspectos indicent: crucigeris contra haereticos belligerantibus indulgentiae conceduntur; 5° Ordo ecclesiarum patriarchicarum ita componitur, ut post Romanam 1m locum habeat Cpna, 2m Alexandrina, 3m Antiochena, 4m Hierosolymitana; 6° praescribitur, ut synodi provinciales singulis annis celebrentur; 7° et 8°, ut ecclesiarum praesules in subditorum, praesertim clericorum, mores inquirant, eorumque reformationi diligenter intendant; 10° et 11° decernitur de viris ad officium praedicationis assumendis et de magistris ecclesiarum cathedralium ac theologo metropolitanae; 21° praecipitur omnibus utriusque sexus fidelibus, ut cum ad annos discretionis pervenerint, saltem semel in anno peccata sua proprio sacerdoti confiteantur, suscipientes reverenter saltem in Paschate Eucharistiae sacramentum; 23° ne ecclesia cathedralis vel regularis ultra tres menses praelato careat; 24° praelati eligantur a Capitulis ecclesiarum vacantium; 25° et 26° proscribuntur electiones per saecularis potestatis abusum factae, et poenae definiuntur in metropolitas, qui electiones minus canonicas confirmarint. Caeteri autem canones ad clericorum et religiosorum disciplinam, ad sacras Ordinationes, ad causas matrimoniales, iudicia ecclesiastica, aliaque pertinent[2].

---

[1] *Annales Ord. Praedicatorum*; Quetif et Echard, *Scriptores Ord. Praedicator.*

[2] Concilii PP. ad significandam veram et substantialem in ss. Eucharistia conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, consecrarunt vocem *transubstantiationis*, aptissimam exprimendo avito catholico dogmati et refellendis haereticorum novitatibus et subterfugiis. — [1] Vid. p. 52-53.

[2] Haeretici Protestantes, inter alios Mosheim (*Inst. hist. eccl.* saec. XIII, part. 2, c. 3), asserunt, in hoc con instituta fuisse nova dogmata de modo praesentiae corporis et sanguinis Christi in Eucharistia et de confessione peccatorum facienda sacerdoti; verum eorum assertiones manifesto pugnant cum S. Scripturae testimoniis et cum perpetua Ecclesiae traditione. Cf opus quod inscribitur, *La perpétuité de la foi de l'Eglise cathol. touchant l'Eucharistie*; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* diss. 14 in saec. XIII; A. Moehler, *La symbolique*, l. I, c. 4. — E. Dupin (*De antiqua Ecclesiae disciplina*, diss. VII, § 4) et pauci alii dixerunt, cano-

Decreta etiam est cruciata expeditio contra Turcas pro an. 1217, crucigeris indulgentiae concessae, pax in quadriennium toti orbi christiano imperata, et constitutum, ut clerici vigesimam et Pontifex cum cardinalibus decimam partem proventuum ecclesiasticorum in subsidium Terrae sanctae conferrent per triennium. Christiani, qui Saracenis naves aut arma subministrarent, item piratae eorumque fautores excommunicationi subditi sunt. Tolosa aliaeque terrae a crucigeris in Occitania occupatae, confirmatae fuerunt Simoni Montfortio. Etiam confirmata est electio Friderici imperatoris II et reiectus Otto IV [1].

11. *Honorius III Pontifex* (*an.* 1216) — Absoluto concilio, Innocentius III Roma profectus, ut dissidia Pisanos inter et Genuenses componeret, Perusiae in morbum incidit, ex quo obiit postridie idus iulias an. 1216 [2]. Biduo post electus fuit Honorius III, Romanus, nobilissima de Sabellis familia natus, presbyter cardinalis, antea appellatus Cencius: vir doctrina morumque integritate praestantissimus. Perusiae factus est Pontifex et IX° calendas augusti consecratus [3]. Pridie cal. septembris Romam venit, exceptus totius Civitatis gaudio ingenti. Approbavit Ordinem Praedicatorum a s. Dominico institutum eodemque suadente instituit officium Magistri Sacri Palatii, qui, dum Cardinales cum Pontifice negotiis ecclesiasticis occuparentur, eorum clericos pia lectione distineret [4]; s. Francisci rogatu plenariam indulgentiam concessit iis, qui contriti et confessi visitarent ecclesiam dictam Portiunculam [1]; — cavit sub poena anathematis *ne lecto Evangelio liber ad osculandum aliis, quam personis deferretur inunctis oleo sacro* [2]; omnium primus largitus dicitur indulgentiam aliquot dierum per occasionem canonizationis Sanctorum. Ipse quoque statuit, si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multo magis si in diem Sabbati), ob Festi excellentiam, cuivis Christiano licere vesci carnibus, qui nec voto, nec regulari observantia ad ieiunium, vel abstinentiam a carnibus sit adstrictus: non tamen reprehendendos qui ob devotionem voluerint abstinere [3]. Episcopos et religiosorum Ordinum superiores excitavit, ut sacerdotes pietate et doctrina insignes Romam mitterent, quibus officium praedicandi infidelibus Evangelium commendaret; Guilielmum episcopum Mutinensem legavit in regiones septentrionales, ut ecclesiarum ibidem statum componeret operamque praeberet propagando in Livonia et Borussia Evangelio; exscindendae Albigensium sectae, et reducendis ad catholicam fidem haereticis, belloque sacro contra Turcas parando magnam curam adhibuit; Roderico archiepiscopo Toletano indulsit, ut partem pecuniae, in subsidium Hierosolymitanum imperatae, converteret in sumptus belli Maurici, et eos, qui se transmarinae expeditioni devoverant, commutato voto excitaret ad pugnandum contra Mauros; Petrum Corteniacum an. 1217 Romae coronavit imperatorem Cp.; iuvenem Henricum III, post obitum Ioannis patris sui (1216) regem Angliae, in tutelam Sedis Apostolicae suscepit, et Philippum regem Galliae eiusque filium Ludovicum ab occupanda illius ditione deterruit; an. 1220 Fridericum II, Henrici VI filium, Imperii insignibus decoravit; componendis etiam Italiae motibus animum adiecit [4].

12. *Cruciata V*—Diximus maxime sollicitum fuisse Honorium, ut bellum sacrum, in concilio Lateranensi contra Turcas decretum, compararetur; ast Pontificis conati-

---

nes huius Concilii ab uno Innocentio Pp. et non a Concilio fuisse conditos, contra quos videsis Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XIII, diss. 1.

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 118 sq. — [2]) Praeter epistolas multas, a Baluzio an. 1680, 2 vol. in fol. editas, reliquit Innocentius Commentarium in Psalmos poenitentiales, libros 3 *de contemptu mundi* et alia, edita Colon. 1575 et Venet. 1578 in fol. — Ludovicus Iacobus a s. Carolo (in *Bibliotheca Pontificia*) inter scripta Innocentii III recenset Prosam *Stabat Mater dolorosa*, quam B. Iacopono tribuunt Gulielmus Cave, in Appendice ad *Historiam Litterariam*, et Iustus Fontaninus (*De Itala Eloquentia*, l. II, c. 8). Eckeardus, auctor vitae B. Notkeri, Innocentio III coaevus, dicit piam illam de Spiritu Sancto Sequentiam *Veni Sancte Spiritus* ab eodem Pontifice fuisse compositam; vid. Mabillonium in *Saec. V Benedictino.* — Benedictus XIV (*De Sacrificio Missae*, sect. 1, n. 110) scribit, Innocentium III auctorem fuisse Orationis *A cunctis*.

[3] Ciaconius (in *Vita Honorii* III) falso scribit ab huius Pontificis electione coeptum laudabilem morem inclusionis Cardinalium in conclavi. Verissime id asseritur de Gregorio X, siquidem ante eum haud soliti fuerunt Cardinales intra Conclave includi.

[4] Spondanus, ad an. 1216, n. 17. Isto officio s. Dominicus et deinceps FF. Praedicatores functi sunt. Cf A. I. Catalan *De Magistro s. Palatii*, Romae 1751 in 4°

---

[1] De celebri hac indulgentia videsis Benedict. XIV, *De synodo dioecesana*, l. XIII, c. 8, nec non eius Disquisit *de Indulgentia Portiunculae*; Grouwels, *Hist. critica de indulgentia Portiunculae*; B. Picart, *Apologie de l'histoire de l'indulgence de la Portiuncule.*

[2] Benedictus XIV, *De Sacrificio Missae*, sect. 1, § 144; Meratus, t. I, part. 1.

[3] Reiffenstuel, t. III *Iuris Canonici universi*, l. III, tit. 46; De observatione Ieiuniorum in cap. *Explicari* 3, eod. tit.

[4] Honorius III, *Epistolarum libri*; Raynald. ad an. 1216-27

bus obstiterunt perversa voluntas Friderici imperatoris, factiones Italorum, tumultus Albigensium in Gallia, dissensiones civiles in Anglia, bellum Mauricum in Hispania. Anno 1217 Andreas rex Hungariae, cui Leopoldus dux Austriae et Ludovicus dux Bavariae se adiunxerunt, exercitum in Orientem duxit: cum Ptolemaidem pervenisset, cum regibus Hierosolymorum et Cypri atque magistris equitum Hospitalariorum, Templariorum et Teutonicorum de instaurando bello contra Sephedinum sultanum Ægypti contulit; verum post 3 menses cum parte exercitus sui in Europam regressus est. Post eius discessum Ptolemaidem advenit magnus crucigerorum numerus e Germania, Brabantia, Frisia, Batavia et Norwegia, quorum auxilio in spem erecti principes Palaestini, an. 1218 classem duxerunt in Ægyptum, et anno sequente munitissimam urbem Damiatam incredibili virium contentione expugnarunt. Inde progressi sunt versus Cairum, sed ruptis Nili aggeribus et viis ab hostibus undique obstructis, anno 1221 cum barbaris pacisci coacti fuerunt et in Palaestinam redierunt.

Sub idem tempus Rusudes regina Georgianorum ad Honorium Pp. scripsit, se copiosum exercitum comparasse in Palaestinam mittendum, quum primum imperator Fridericus II in eam advenisset. Patriarcha Alexandrinus etiam Pontificem supplex precatus est, quatenus Europaeos excitaret ad liberandos fratres suos a dura infidelium tyrannide. Honorius III eo instantius de hac re egit cum Friderico imperatore, quod hic crucem suscepisset; sed praeter speciosa promissa nihil ab eo impetravit [1].

13. *Status imperii Latini Cp.* — In imperio autem Cpno Latini res suas auxerunt [2]; Atticam, Corinthum, Thebas, Athenas aliasque Greciae civitates subegerunt; quarum tamen multae postea, inito foedere cum Ioannitio Bulgarorum rege, Latinorum iugum excusserunt. Anno 1205 Balduinus imperator I in oppugnatione urbis Adrianopolis a rege Bulgarorum interceptus et in Mysiam abductus, post 16 menses interiit. Henricus, frater eius et in imperio successor, Bulgaros et Scytas, Thraciam vastantes, repressit, anno 1209 cum eorum rege pacem sancivit, ipsos Graecos sibi conciliavit finesque imperii sui protulit. Post eius obitum (1216) electus et an. 1217 Romae ab Honorio III, supra, coronatus fuit Petrus Corteniacus, comes Antissiodorensis; sed dum cum Ioanne Columna cardinali, R. Pontificis legato, Constantinopolim tenderet, a Theodoro Comneno, Epiri dynasta, perfidiose interceptus, in carcere exstinctus est. Tunc imperium demandatum fuit Roberto, Petri Corteniaci filio, qui an. 1221 Constantinopoli a Matthaeo patriarcha coronatus, cum Theodoro Lascari, Nicaeae imperatore, pacem iniit, cum Ioanne Duca, Theodori successore, diuturnum et adversum bellum gessit, pluresque civitates in Asia minori amisit: adverso etiam marte certavit cum Theodoro Comneno, Epiri dynasta, qui capta Thessalonica, se imperatorem dixit et maiorem partem Romaniae, seu veteris Thraciae occupavit. Anno 1228 post mortem Roberti imperator salutatus fuit iuvenis Balduinus II sub tutela Ioannis Briennii, olim regis Hierosolymorum. Ex hoc tempore Latinorum imperium magis magisque imminutum, tandem an. 1261 deletum est.

14. *Gregorius IX Pontifex* (*an.* 1227) — Interea Honorius Pp. III xv° calendas aprilis 1227 vita excessit [1]. Altera die in eius locum, magno Cardinalium consensu, electus fuit Gregorius IX, antea appellatus Ugolinus, cardinalis episcopus Ostiensis, vitae probitate, animi fortitudine ac doctrina conspicuus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1241. Is in primis adlaboravit colligendis undique auxiliis bellicis contra Turcas; conciliandae concordiae et componendis dissidiis inter principes et populos egregiam operam navavit; simultatem gravem habuit cum Friderico II, ut infra videbimus; ad excindendas Albigensium et Stadingorum sectas ardenter incubuit; ad convertendos infideles et reducendos haereticos Evangelii praecones legatosque destinavit ad Saracenos, Graecos, Ruthenos, Borussos, aliosque; ecclesiasticam libertatem et immunitatem fortiter tuitus est; decessorum suorum Decretales, ope s. Raymundi de Pennafort correctas et in 5 libros redactas, vulgavit huiusque collectionis usum iudicibus in foris ecclesiasticis et magistris in scholis praescripsit [2]; discordiam

---

[1] Raynald. ad an. 1217-22; Michaud, *Hist. des croisades.* — [2] Cf supra p. 51.

[1] Honorius III, praeter caetera, scripsit *Ordinem Romanum*, qui extat apud Mabillonium t. II *Musaei Italici*, et *Librum Censuum Romanae Ecclesiae*, qui est apud Muratorium in *Antiquitat. Italic. medii aevi*, dissert. 69, t. V.

[2] Gregorius IX in Praefat. *Decret.* — Haec Decretalium Collectio *Gregoriana*, et *Sexta* appellatur. Prae-

inter academiam Parisiensem et Ludovicum IX regem componere studuit, academiae leges et privilegia instauravit, sed magistros eius corripuit, quod in exponenda s. Scriptura et tradenda theologia potius philosophorum quam Patrum sententiis uterentur magisque inanibus ratiociniis quam solidae doctrinae indulgerent [1]. Constituit quoque, *ut in sexta Feria in Vesperis, completo* Divino Officio, *cantetur* Salve Regina [2], *et in nocte Antiphona*, B. Dei Genitrix Maria, *secuta oratione*, Deus qui de B. M.; *et quod ante Corpus Domini, cum idem conficitur, campana pulsetur* [3]. Idem, cum antea administrare Sacramentum poenitentiae Regularibus non liceret, primis omnium sacerdotibus FF. Praedicator. ius hoc esse voluit [4], demandato eisdem Officio Inquisitionis sacrae [5]. Inter

cesserunt enim aliae Collectiones quinque. Quatuor edidit Antonius Augustinus, quarum tertia et quarta est Innocentii III. Quintam, quae est Honorii III in lucem emisit Innocentius Cironius. *Duae primae privato solum iudicio sententiaque editae sunt, ceterae vero publica auctoritate*, ut ait Benedictus XIV in sui *Bullarii* praefatione.

[1] Gregor. IX *Epistolarum libri*; Raynald. ad an. 1227-41.

[2] Antiphonae *Salve regina* quidam auctorem faciunt Petrum Archiep. Compostellan. iuxta illud, quod legitur apud Mabillonii *Annal. Benedict.* ad an. 986, n. 89. Idque iam prius docuerat Durandus in *Rationali* l. IV, c. 22. Durando consentit etiam Claudius de Rota in *notis* ad Pseudo-Luitprandum. Arnoldus Wion hanc Antiphonam attribuit Hermanno Contracto monacho Benedictino saec. XI, ut videre est in lib. V *Ligni Vitae* c. 105. Wioni accedit Bona, *Divinae Psalmodiae* c. 16, § 20. Cum autem haec Antiphona caneretur a Clericis urbis Spirae coram B. Bernardo tunc temporis Legato Apostolico in Germania, ipse addidit illa verba: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*, uti narrat Guilielmus Heisengerus in suo *Chron. Spirensi*, l. XII, ad an. 1147. Huius Antiphonae cantus antequam praescriberetur a Gregorio IX in fine Completorii, inceptus fuerat a Fratribus Praedicatoribus in suo Conventu Bononiensi; vid. Fleury, in *Histor. Ecclesiast.* l. LXXX, n. LXII.

[3] Auctor Vitae Gregorii IX (*Scriptor. Rer. Italic.* t. III); Spondan. ad an. 1239, § 12. Campana, cum in Missa sacrum Domini Corpus conficitur, longe ante haec tempora pulsari consuevit. Ivo Carnotensis, qui obiit an. 1115, Epist. 142, gratias agens Mathildi Anglorum Reginae ob campanas Ecclesiae suae dono datas, ait, earum sonitu memoriam eiusdem Reginae renovari tum praesertim, *quando illa salutaris hostia pro nobis redimendis in ara Crucis oblata per novi Sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur*; ut est apud Mabillonium, *Comment. in Ordinem Romanum*, c. 7. « Quo fere tempore, ut idem Mabillonius subiicit, Guilielmus Episcopus Parisiensis, et in Germania Guido Cardinalis statuerunt, ut ad elevationem campanula pulsaretur. Vide Bonam, *Rer. Liturgic.* l. II, c. 13, § 3.

[4] Bulla Anagniae data IV cal. octobris Pontificatus Gregorii IX, an. 1, aerae vulgaris 1227, ap. Matth. Parisiens. ad an. 1246. — [5] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 335.

caeteros D. Antonium Olyssiponensem, Patavinum a loco dormitionis nuncupatum, vitae sanctimonia, et miraculorum gloria toto orbe clarum, in Coelitum numero habendum decrevit anno ab eius morte nondum exacto [1].

15. *Ordo B. M. V. de Mercede Redemption.* — Idem Pontifex solemniter approbavit Ordinem B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum. Iam supra a Ioanne de Matha et Felice Valesio religiosum Ordinem pro redimendis Christianis, inter infideles captivis, institutum vidimus [2]. Quum autem in Hispania bella Christianos inter et Mauros fere essent continua, novum in ea Ordinem ad redimendos captivos an. 1218 instituit s. Petrus Nolascus, qui nobili Occitaniae familia oriundus, filii regis Aragoniae paedagogus, omnes suas facultates redimendis captivis Christianis impendit, et ad idem opus, Raymundo de Pennafort tunc Barcinonensi canonico et Iacobo rege Aragoniae cooperantibus, alios eodem spiritu animatos sibi sociavit; Ordinem, cuius ipse primus Praepositus generalis fuit, sub patrocinio B. V. M. fundavit. Sodales quarto voto omnia bona sua, imo, si opus foret, semetipsos pro redimendis captivis tradendi, adstrinxit. Confestim multi viri nobiles et divites huic Ordini adscripti sunt, eique Gregorius IX observandam proposuit regulam s. Augustini [3].

16. *Albigensium fata* — In Occitania vero post mortem Simonis Montfortii (1218) bellum contra Albigenses recruduit [4]. Honorius Pp. III Ludovicum VIII regem Francorum excitavit, ut Almarico, patris sui Simonis Montfortii in comitatu Tolosano et in bello contra sectarios successori, opem ferret contra iuniorem Raymundum, senioris filium et alterum sectariorum defensorem. Regem etiam interpellavit Almaricus, eique comitatum Tolosanum obtulit. His perterritus Raymundus litteras submissionis ad Honorium Pp. dedit, et anno 1224 in

[1] Mortuus est Divus Antonius an. aetatis suae 36, Christi 1231, idibus iunii, feria 6; et anno insequenti III° calend. iunias die sacro Pentecostes Spoleti relatus in Sanctos. Videsis Gregorii IX *Constitut.* 4, et in eam Comment. Cardinalis Petrae ad *Constitut. Apost.* t. II. D. Antonii imago pingitur a qualibet Franciscana familia ea forma vestis, qua unaquaeque earum utitur, ut legitur apud Benedictum XIV, *De servorum Dei* etc. l. IV, part. 2, c. 21, n. 11. De Divo Antonio fuse Lucas Waddingus, in *Annal. Minor.*, et Bolland. die 13 iunii, strictim Franciscus Pagi, in *Breviario Historico*, t. III, § 27, in *Vita* Gregorii IX. — [2] Cf p. 47.

[3] Bolland., *Acta SS.* 31 ian.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. III. — [4] Vid. p. 55.

synodo Montispessulana obedientiam erga R. Ecclesiam eiusque Pontificem professus, iureiurando spopondit, se fideliter custoditurum fidem catholicam, haereticam pravitatem e terris suis extirpaturum, et Almarico facturum satis: sed nihil executioni mandavit [1]. Quapropter Romanus cardinalis, Honorii III legatus, an. 1226 in synodo Parisiensi Raymundum excommunicavit, Ludovicum regem ad cruciatum bellum contra perduellem haereticorum fautorem hortatus est, eique comitatum Tolosanum et alias terras, quas Almaricus regi cesserat, confirmavit. Ludovicus VIII exercitum in Occitaniam duxit, varias urbes et arces cepit, sed brevi post obiit. Sub iuniori Ludovico IX, hortante Gregorio Pp. IX, Imbertus Belloiocensis bellum prosecutus est eo cum successu, ut Raymundus ad incitas redactus, anno 1228 praescriptis ab apostolico legato et Francorum rege pacis conditionibus assenserit. Earum summa erat, ut Raymundus Ecclesiae et regi fidelis esset, haereticos e terris suis pelleret, damna ecclesiis illata resarciret, earumque libertatem et iura defenderet, duobus theologis, totidem decretorum magistris, sex liberalium artium professoribus, et duobus grammaticis, qui Tolosae docerent, annuum stipendium numeraret [2]. Quibus pactis et iuratis Raymundus a legato Pontificis ab excommunicatione absolutus et Ecclesiae reconciliatus fuit, accepta in poenitentiam quinquennali militia in Palaestina contra Turcas [3]. Ita demum bello Albigensi finis constitutus est; cumque brevi post formata in Occitania s. Inquisitione, haeretici nusquam tuto agerent, secta deperiit.

17. *Inquisitio* — Contra s. Inquisitionem querelas, obtrectationes atque convicia congesserunt Religionis catholicae hostes, haeretici, deistae, increduli, inter quos encyclopedistae, Voltaire, Rousseau. Ii omnes vel e magna rerum inscitia vel e malevola mente de s. Inquisitionis instituto eiusque scopo et ratione turpiter detraxerunt, leges a potestate civili contra haereticos sancitas, poenasque corporales a curiis saecularibus in eos exercitas, cum s. Inquisitione confuderunt, immoderatas quandoque inquisitorum procedendi rationes, quas petulanter exaggerant, contra ipsum Inquisitionis institutum obiecerunt.

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 289.

[2] Sic instituta fuit Universitas Tolosana, quam Gregorius Pp. IX an 1233 confirmavit, eique eadem, quibus Parisiensis gaudebat, privilegia concessit.

[3] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 415.

Finis autem s. Inquisitionis fuit catholicae fidei conservatio, quae cum in primis episcoporum in suis dioecesibus et maxime RR. Pontificum in universa Ecclesia curis sit demandata, summum eorum officium est, inquirere in eos, qui Fidei depositum corrumpunt, eosdem iudicâre, ab haeresi reducere et obstinatos condemnare; quemadmodum in omni societate contra praevaricatores agitur. Eiusmodi Inquisitionis genus ab Ecclesiae initiis contra haeresum auctores eorumque asseclas exercitum fuit. Ex quo tempore imperatores, reges, principes et populi catholicam fidem professi sunt, illi etiam, utpote Ecclesiae filii et protectores, leges poenasque sanxerunt contra catholicae doctrinae corruptores et ecclesiasticae pacis perturbatores, seu haereticos et schismaticos, tanto magis, quod hi sua in Ecclesiam rebellione ipsius reipublicae seu societatis pacem et securitatem passim perturbarent. Media aetate societas christiana ita erat comparata, ut qui Religionis catholicae capita violarent, in ipsam quoque societatem graviter delinquere reputarentur, et idcirco non ecclesiastica tantum, sed civilis etiam potestas in eosdem animadverteret. Quum vero XII et sequentibus saeculis haeretici non, uti veteres olim, unum alterumve Fidei dogma, sed totam Ecclesiae auctoritatem, cunctam regiminis ecclesiastici formam et saluberrima quaeque Catholicorum instituta temere oppugnarent, omnique obedientiae freno excusso, Ecclesiam et civitatem funestissimis motibus concuterent, ab utraque potestate, ecclesiastica ac civili, diligentius in illos inquisitum et secundum leges sancitas animadversum fuit.

An. 1163 synodus Turonensis, ab Alexandro Pp. III coacta, episcoporum et sacerdotum vigilantiam excitavit contra haereticos, in partibus Tolosanis commorantes, mandavitque, ut deprehensi sectarii per principes catholicos custodiae manciparentur et bonorum suorum iactura mulctarentur [1]. Anno 1179 concilium Lateranense III christianos principes et populos excitavit, ut Catharos, Albigenses, aliosque diversorum nominum sectarios, Ecclesiae et societatis perturbatores, armis, bonorum confiscatione, carcere, exilio compescerent [2]. Anno 1184 Lucius Pp. III in frequenti episcoporum, imperatoris aliorumque principum conventu, Veronae habito, constituit, ut e-

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p. 1419.

[2] Ibid. p. 1522.

piscopi tum per se tum per alios boni testimonii viros et iuramento obstrictos, in haereticos inquirerent et obstinatos relinquerent saecularis iudicis arbitrio pro gravitate facinoris puniendos [1]. Vidimus quae supra an. 1215 de eodem negotio statuta fuerunt in concilio Lateranensi IV. Anno 1229 synodus Tolosana sub Romano cardinali legato, Raymundo comite aliisque praesentibus, decrevit, ut episcopi in singulis parochiis constituerent unum sacerdotem et duos, vel tres boni testimonii laicos, iureiurando adstrictos, qui haereticos diligenter inquirerent et episcopis dominisque locorum seu ballivis indicarent, ut nullus dominus haereticos in suis terris toleraret, ut qui sponte ab haeresi ad catholicam fidem rediissent, domicilia eligerent in civitatibus, nulla haereseos suspicione notatis, qui vero metu poenarum aut alia de causa se converterint, ab episcopo custodiae traderentur, ne alios corrumperent, nemo autem ut haereticus puniretur, nisi qui talis ab ecclesiastica potestate iudicatus. Quae decreta ut ab omnibus observarentur, Raymundus comes Tolosanus an. 1233, e consilio episcoporum procerumque, statuta iisdem decretis maxime conformia promulgavit [2]. Anno 1233 Gregorius Pp. IX, officium s. Inquisitionis in Gallia meridionali concredidit FF. Praedicatoribus, scripsitque ad episcopos, ut iis in isto officio opem et consilium praestarent. Quapropter an. 1235 episcopi provinciarum Narbonensis, Arelatensis et Aquensis convenerunt Narbonem edideruntque 29 capitula de ratione fungendi munere Inquisitionis, de poenis constituendi tum iis qui ab haeresi converterentur, tum iis qui in ea essent obstinati, deque signis, quibus haeretici eorumque fautores detegi possent [3].

Ex hoc tempore tribunalia Inquisitionis instituta sunt, ad quae haeretici vel de haeresi suspecti aut gravium in Religionem criminum rei deferebantur; iis, qui criminis convicti, convertebantur, poenitentia praescribebatur; obstinati vero post iudicium ecclesiasticum tradebantur curiae saeculari, quae de iisdem secundum leges decernebat. Gregorius IX sicuti in Gallia meridionali, ita etiam in aliis regionibus officium Inquisitionis demandavit FF. Praedicatoribus; cooperante enim utraque potestate, ecclesiastica et civili, sacrae Inquisitionis tribunalia in Italia, Hispania, Lusitania, aliisque in locis instituta sunt, quamvis in nonnullis post aliquod tempus sublata [1].

18. *Stadingorum secta* — In Germania, praesertim in hodierno ducatu Oldenburgensi, ingentes turbas iam inde a posterioribus praecedentis saeculi annis excitarunt Stadingi, homines fanatici, plerumque nautae et rustici; qui in confinibus Frisiae, Saxoniae et Bremensi tractu paludibus et fluminibus circumcinti, utramque potestatem ecclesiasticam et civilem, spernebant; Ecclesiam eiusque ministros, imperatorem et principes conviciis proscindebant; in monachos et clericos quos prehendere poterant, crudeliter saeviebant; ecclesiae sacramenta atque instituta ignominiose tractabant, et daemone magistro se nefandis flagitiis dabant. Gregorius Pp. IX archiepiscopos Moguntinum et Bremensem litteris excitavit, ut nefarios sectarios perquirerent, secundum canonum rigorem in eos procederent et cruciatam expeditionem contra eosdem compararent. Conradus Archiepiscopus Bremensis demandatum sibi officium fortiter, nonnunquam nimia severitate, executus est. Alii sectam deseruerunt, alii igne damnati, alii a crucigeris sub Henrico duce Brabantiae et Florentio comite Hollandiae caesi, reliqui huc illuc dispersi sunt [2].

19. *Livonum, Estonum, Curlandorum et Borussorum conversio* — In regionibus vero septentrionalibus ad litora maris Baltici christiana Religio nova incrementa cepit. In primis bellicosa Livonum gens ab idolorum cultu et barbara vitae ratione ad veri Dei cultum et humaniores mores perducta fuit. Iam anno 1186 Meinardus, canonicus regularis monasterii Segebergensis, in Livoniam transierat et Ykescolae ecclesiam seu coetum christianum e conversis Livonibus formavit. Quod cum audivisset Hartvicus archiepiscopus Bremensis, ad cuius provinciam ista regio referebatur, Meinardum ordinavit episcopum Livonum. An. 1196 defuncto Meinardo successit Bertholdus, antea abbas Lukensis Ordinis Cisterciensis in Saxonia. Cum vero Livones ethnici omni modo vexarent Evangelii praecones et credentes, Bertholdus ad vindican-

[1] Vid. p. 41.
[2] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 426-449.
[3] Ibid. p. 487.

[1] Cf. P. Panni, *Della punizione degli eretici e del tribunale della s. Inquisizione*, Rom. 1795, in-4°; A. Muzzarelli *su l'Inquisizione*, opusc. 10; De Maistre, *Lettres sur l'Inquisition espagnole*; Balmes, *El Protestantismo comparado con el Catolicismo*, t. II, c. 36-37.
[2] Raynald. ad an. 1233-34.

dam evangelicae praedicationis libertatem in Livonia, cruciatam expeditionem e Saxonia evocavit, qua domiti Livones Evangelii ministros admiserunt et magno numero baptismum susceperunt. Verum post crucigerorum discessum multi Fide abiecta, eos qui in illa erant constantes, cruciatibus affecerunt et sacerdotibus e terris suis exire sub poena mortis mandarunt. Albertus, e canonico Bremensi an. 1198 post Bertholdum episcopus Livonum, an. 1200 nova expeditione cruciata Livones vicit; ad defendendam Religionis christianae professionem, in loco, qui Riga dictus est, Germanorum coloniam condidit, quo et sedem episcopalem transtulit, et an. 1202 ad praestanda contra infidelium impetus servitia militaria instituit Ordinem equestrem Ensiferorum seu Fratrum militiae Christi. Ex hoc tempore Livones passim christiana sacra amplexi sunt; cumque an. 1210 princeps Poloczensis pro tributis, quae ei Livones antea pendebant, eorum terram cessisset Alberto episcopo, religionis christianae dominium in Livonia firmatum fuit [1].

Idem Albertus omnes suas vires impendit ad convertendos Estones, inter quos cum an. 1211 crucigerorum opera vicisset, Evangelium praedicandum curavit, et ex assensu R. Pontificis Theodoricum, abbatem Cisterciensium Dunamundensium, illorum episcopum ordinavit. Brevi post etiam Semgallos, qui orientalem partem Curlandiae incolebant, ad postulandum baptismum adduxit, et anno 1217 Bernardum, alterum abbatem Dunamundensem, Semgalliae episcopum consecravit. Anno 1218 Waldemarus II rex Daniae adversos rebelles Estones evocatus, eos vicit, ad pendendum tributum et ad admittendos Evangelii praecones adegit, duosque episcopos Danos ibidem constituit, unum Revaliae, alterum Wironiae. Incolae quoque insulae Oeseliae a crucigeris subacti, an. 1227 piraticis excursionibus nuncium remiserunt, et baptismum atque episcopum, quem Guilielmus Apostolicae Sedis legatus pro iis ordinavit, susceperunt. Anno 1230 Curlandi sua sponte christiana sacra amplexi sunt, quos idem Guilielmus legatus partim episcopo Rigano, partim episcopo Semgalliae et partim proprio episcopo commisit [2].

[1] Helmold, *Chron. Slavor.*; H. Letti, *Origines Livoniae sacrae et civiles.*

[2] *Chronic. Livon.*; Gebhard, *Geschichte aller Wendisch-Slavischen Staaten*; Doellinger, *Histoire de l'Eglise*, epoq. IV, ch. 1.

Simili fere ratione Borussorum conversio effecta fuit. Erat Borussorum gens ferocissima. Iam sub exitum saeculi X s. Adalbertus, et sub initia saeculi sequentis s. Bruno alias Bonifacius frustra illis Evangelium praedicare tentaverant [1]. Frustra etiam duces Poloniae saeculo XI et sequenti ferocem gentem, quae fines eorum continuo vastabat, armis domare et ad christianam religionem perducere conati fuerant. Primis saeculi XIII annis Christianus, monachus Cisterciensis in Pomerania, cum aliquot sociis eiusdem Ordinis Borussis Evangelium praedicavit eo cum successu, ut multi baptismum susciperent, quibus an. 1215 idem Christianus a R. Pontifice episcopus datus est. Verum paulo post Borussi christianam Religionem proscripserunt, eos qui illam susceperant, ad eandem deserendam suppliciis coegerunt, provincias Polonicas, Culmiam et Masoviam dire vastaverunt, ultra 300 ecclesias et monasteria destruxerunt. Conradus dux Masoviae et Christianus episcopus armis crucigerorum territorium Culmiense recuperarunt, cuius partem Christianus episcopus a duce Conrado accepit. Cum tamen ambo ad reprimendos Borussorum impetus non sufficerent, evocarunt equites Teutonicos, tunc temporis Venetiis morantes, qui, accepto R. Pontificis et imperatoris assensu, an. 1230 bellum contra Borussos susceperunt ea conditione, ut sibi cederentur omnes terrae, quas infidelibus eriperent. Reipsa equites Teutonici aucti auxilio crucigerorum, qui e Germania et Polonia accurrebant, iam anno 1240 quinque Borussiae provincias, deinde reliquas sibi subegerunt. Ex eo tempore missionarii, praesertim FF. Praedicatores, a RR. Pontificibus in Borussiam destinati, Evangelium longe lateque illic praedicaverunt et incolas passim ad christianam fidem converterunt. Anno 1243 Innocentius Pp. IV Borussiam in 4 dioeceses seu episcopatus, nimirum Chelmensem, Pomeraniensem, Vomariensem, et Sambiensem, distribuit, e quibus ultima dioecesis, tunc nondum conquisita, an. 1255 a crucigeris sub Ottocaro rege Bohemiae subacta est, eiusque incolae pariter baptismum susceperunt [2].

Ex quo tempore Livones, Estones, Curlandi, Borussi christiana sacra amplexi sunt, feroci suae vivendi rationi, piraticis excur-

[1] Vid. t. I, p. 262.

[2] Doellinger, loc. cit.; P. de Dusburg, *Chronicon Prussiae*; Arnold, *Kirchengeschichte des Königr. Preussen.*

sionibus, polygamiae, sacrificiis humanis aliisque nefandis facinoribus nuncium remiserunt, et una cum Religione humanitas ac opulentia inter eos floruerunt.

20. *Lis inter Fridericum et Pontificem*— Interea dissidia gravia sacerdotium inter et imperium exorta sunt. Fridericus II, qui ante suam inaugurationem spoponderat, se numquam regnum Siciliae cum imperio coniuncturum, crucem pro expeditione Hierosolymitana susceperat, et anno 1220 Romae ab Honorio Pp. III augustus coronatus, rursus crucem e manu Ugolini accipiens promiserat, se anno sequenti in Syriam profecturum, contra pacta iurata regnum Siciliae retinuit, profectionem suam in Syriam, non obstantibus continuis Pontificis admonitionibus, in dies distulit, Ioannem Briennium Hierosolymorum regem, cuius filiam Iolandam post obitum Constantiae uxorem duxit, ad cedendum sibi regis Hierosolymitani honorem et iura coegit, ius eligendi episcopos ad sedes vacantes in Italia usurpavit, et canonice electos eiecit. Honorius Pp. eum frequenter admonuit; imperator vero Pontificem iuste offensum, novis promissis placare studuit. Eadem promissa Fridericus fecit Gregorio Pp. IX edixitque, ut crucigeri Brundusium in Italia convenirent. Reipsa illuc e diversis regionibus convenerunt plurima crucigerorum millia, sed imperatore moras nectente, magna illorum pars saevientibus caloribus, morbis, siti, aliisque incommodis periit. Gregorius IX haud amplius cum periuro imperatore simulandum ratus, eum III° calendas octobris 1227 excommunicavit et qua talem universae Ecclesiae denuntiavit. Anno sequente excommunicationem in eumdem redintegravit in Coena Domini, sacrisque interdixit loca, in quibus Fridericus ageret. Imperator ira percitus, Romanos, praesertim Frangipanes, contra Pontificem, qui secessit Perusiam, excitavit, et ut se iniuste excommunicatum probaret, cum paucis copiis in Syriam transfretavit; sed illic cum hostibus non dimicare, et pacisci coepit, et an. 1229, reclamantibus licet Christianis Palaestinae, cum sultano Ægypti indecoras 10 annorum inducias pepigit. Interim Raynaldus et Bertholdus, ducis Spoletani filii, quibus imperator vices suas in Italia demandaverat, R. Ecclesiae patrimonium armis invaserunt magnamque saevitiam in clericos et laicos exercuerunt.

Fridericus in Italiam redux cognovit sua ipsius interesse, ut cum Pontifice pacem iniret; quapropter ad Gregorium IX, iam a Romanis in Urbem revocatum, oratores misit. An. 1230 pax composita fuit, et postquam imperator iureiurando spopondisset, se Ecclesiae libertatem et iura, quae violaverat, restituturum illataque ecclesiis, monasteriis vel personis mala reparaturum, ab omnibus censuris absolutus fuit [1].

Verum perfidus imperator facta Pontifici promissa parum curavit; Longobardorum dissidiis et rebellione filii sui Henrici in Germania distractus, aliquandiu ab apertis inimicitiis contra Pontificem abstinuit; sed filio suo Henrico et plerisque Longobardiae civitatibus in ordinem redactis, novis iniuriis Gregorium Pp. saturavit; Entium nothum suum creavit regem Sardiniae, quae ab antiquis temporibus Apostolicae Sedis iuris erat; totius Italiae ipsiusque Urbis Romae, deleto Pontificis principatu, imperium concupivit; Romanos, ad seditionem et ad pellendum ex Urbe Pontificem excitavit; in Sicilia ecclesiasticas libertates et personas oppressit graviterque vexavit. Quapropter Gregorius Pp. an. 1239 contumacem et periurum imperatorem rursus excommunicavit, omnesque fidei iureiurando ei obstrictos, ab illius observatione solutos declaravit. Fridericus furore in Pontificem percitus, exercitum Romam duxit; sed Romani se Urbis defensioni accinxerunt; quare mutato consilio ditionem R. Ecclesiae pervasit et summa barbarie devastavit, in omnes qui stabant a partibus Pontificis saeviit, totamque Italiam dissidiis, odiis, factionibus bellisque complevit. Notissimae sunt factiones Guelphorum et Gibelinorum, e quibus hi imperatoris, illi Pontificis partes defendebant, adeo ut provinciae provinciis, civitates civitatibus, familiae familiis essent infensae [2].

Gregorius IX, ut luctuosis Ecclesiae malis praesentissimum adferret remedium, e Cardinalium consilio anno 1240 generale concilium ex omni orbe catholico Romae convocavit. Fridericus, qui antea concilium generale appellaverat, nunc terrore minisque illud impedire conatus est; quin imo Genuensium triremes, qui multos praesules e Gallia, Hispania et aliis regionibus Romam ducebant, per Entium nothum intercipi iussit, nonnulli praesules aquis submersi, alii, paucis qui evaserunt exceptis, in carceres coniecti sunt [3].

21. *Caelestinus IV, Innocentius IV,*

[1] Raynald. ad an. 1220-30.
[2] De origine et historia Guelphorum et Gibellinorum vid. Muratori, *Antiquit. ital.* t. III, diss. 51.
[3] Raynald. ad an. 1230-41.—[3] Idem, ad an. 1241-43.

Pontifices (an. 1241, 1243) — Brevi post, nempe xii° calend. septembr. 1241, Gregorius Pp. moerore confectus, sed pietate rebusque gestis clarissimus, occubuit, postquam *ann.* 14, *mens.* 5, et *dies* 2 Ecclesiasticae libertatis se vindicem constantissimum praebuerit. In eius locum x° calend. octobr. electus fuit Caelestinus IV, Mediolanensis, antea Gaufridus Castilionaeus, qui die 17 ab electione, secundum multos scriptores nondum consecratus, obiit. Tunc propter turbas, quas iniquus imperator in Italia et in Urbe Roma fovebat, Sedes Apostolica vacavit fere 20 mensibus.

Tandem Fridericus, a Ludovico IX rege Francorum aliisque principibus interpellatus, Cardinales et alios praesules, quos, supra, carceri mancipaverat, dimisit. Tunc coactis Anagniae comitiis, viii° calend. iulias an. 1243, Pontifex electus fuit Innocentius IV, Genuensis, antea cardinalis Sinibaldus Fliscus[1]. Hic omnia tentavit, ut concordiam sacerdotium inter et imperium restitueret. Fridericus a Viterbiensibus magna clade affectus, an. 1244 cum Pontifice de restituenda pace egit; sed paulo post omnes pacis conditiones, de quibus utriusque partis legati convenerant, reiecit, Pontificem novis iniuriis affecit eique ad se properanti insidias struxit. Quapropter Innocentius Pp. in Galliam transiit, et an. 1245 Lugduni generale concilium, a Gregorio IX Romae indictum, celebravit. In hoc concilio Pontifex, Friderici improbitate et tyrannide expositis, sententiam in eum dixit, qua eumdem excommunicatum omnique honore, imperio et regno Siciliae privatum denuntiavit, subditos a iurata ei fide absolvit, iis, ad quos spectabat, potestatem eligendi novum imperatorem fecit, et omnibus prohibuit, ne Friderico consilium aut auxilium praestarent.

Secundum Pontificis rescriptum principes Germaniae, abiecto Friderico, an. 1246 elegerunt Henricum lantgravium Hassiae et Thuringiae. Is, quum anno sequente e vulnere, in praelio cum Conrado filio Friderici accepto, occubuisset, electus fuit Guilielmus comes Hollandiae, qui cum Conrado de imperio certavit. Fridericus vero bellum prosequebatur in Italia; an. 1248 ingenti clade affectus a Parmensibus, secessit in Apuliam, bellum continuandum relinquens Entio notho suo. Entius anno sequenti a Bononiensibus captus, postea in carcere obiit. Fridericus interea Mauros ex Africa evocavit, sed anno 1250 Florentiolae apud Tarentum omnibus invisus decessit [1]. An ipsum poenituerit, parum constat; « certum tamen est, subdit Raynaldus [2], testamento mandasse Conrado filio suo, ut ditionem aliaque iura, quae iniuste se invasisse fatetur, Ecclesiae restitueret ». Verumtamen post eius mortem neque in Italia neque in Germania turbarum finis fuit.

[1] Raynald. ad an. 1241-43.

22. *Concilium Lugdunense I, generale XIII* (*an.* 1245) — Concilio, quod supra ab Innocentio Pp. IV Lugduni celebratum fuisse diximus, interfuerunt, praeter Cardinales, patriarchae Cpnus, Antiochenus, et Aquileiensis, 140 episcopi, multi religiosorum Ordinum superiores, Balduinus II imperator Cp., et principum Europaeorum oratores. Praesedit Pontifex ipse, qui in celebri ad Concilium oratione causas, propter quas Patres convocati erant, exposuit, nimirum disciplinam in clero et populo collapsam, Friderici improbitatem et persecutionem, Turcarum in Palaestina progressiones, Cpni Latinorum imperii discrimen, Mogolorum seu Tartarorum in Russiam, Poloniam et Hungariam irruptiones. Habitae sunt 3 sessiones. Vidimus quid actum fuerit in causa Friderici; de caeteris causis edita sunt 17 capitula, quorum 12 priora spectant ad iudicia ecclesiastica eorumque formas; ideoque a Bonifacio VIII relata in librum sextum Decretalium. 13° Capitulo consulitur bonorum ecclesiasticorum conservationi; 14° et 15° decernitur subsidium ferendum Terrae sanctae et imperio Cp.; 16° agitur de reprimendis Tartarorum in terras Christianorum irruptionibus, et 17° de expeditione cruciata contra Turcas [3]. Porro hoc Lugdunense concilium a Catholicis constanter inter oecumenica numeratum fuit.—Pontifex post Concilium anno secundo Cluniacum ivit cum rege Franciae, et ipsius fratribus locuturus; ubi Domini Cardinales primo capellos rubeos receperunt, sicut in ipso Concilio fuerat ordinatum [4]. Friderico II sub-

[1] Raynald. ad an. 1243-50.— [2] Ad an. 1250, § 33.

[3] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 638.

[4] Nic. de Curbio, coaevus Innocentio IV, in eius Vita, c. 21, t. III *Script. rer. Ital.* p. 592.—Item, Gaguinus (*De Francor. rer. gestis*, l. VII, p. 112) scribit: « Rubeus galerus Cardinalibus *in hoc Concilio* datus traditur, quo Pontifex eos admonitos esse voluit, paratos omni tempore esse debere sanguinem fundere pro Christiani populi libertate tuenda ». — Illud praeterea sancitum fuit, ut dies natalis B. Mariae Virginis octo dierum spatio celebraretur (Labbe, *Concil.* t. XI, p. 636). — Aliqui addunt, ius eligendi Imperatorem, quod Gregorii V concessione erat commune omnibus Principibus Germaniae, Septemviris peculiare in eodem Concilio factum fuisse. Vid. Baron. ad an. 996, § 64; nec non adnot. 3 col. 1ae, p. 267, t. I *Hist.* huius.

lato e vivis, Innocentius in Italiam regressus est, quum annos fere septem Lugduni mansisset [1].

23. *Cruciata s. Ludovici IX* — Christianorum res in Palaestina post pactas an. 1229 a Friderico II cum sultano Ægypti inducias collapsae sunt. Anno 1244 tartarica gens Chorosanorum seu Charizinorum, quae a Mogolis terra sua eiecta, in Asiam anteriorem irruit, consilio sultani Ægypti Hierosolymam, quam sultanus cesserat Friderico, expugnavit, sacrum Sepulcrum evertit et ingentem cladem Christianis intulit. Anno 1248 s. Ludovicus, Francorum rex IX, secundum votum Deo factum copias in Orientem duxit; utque expeditius opem ferret Christianis Syriae et Palaestinae, primo movit in Ægyptum; anno 1249 Damiatam, fugato sultano, occupavit, et hostes perterritos persequi cogitabat, sed alii ei moras suaserunt usque ad novorum crucigerorum adventum. Verum sultanus recollectis viribus crucigeros, otio et morbis labefactatos, aggressus est, acie vicit, ipsumque regem et multos nobiles cepit an. 1250. S. Ludovicus in captivitate egregia christianae constantiae specimina praebuit; deinde sua suorumque libertate redempta, transiit in Palaestinam, ubi rebus Christianorum utcumque consuluit, donec, audita matris suae morte pactisque cum sultano induciis, anno 1254 in Galliam rediit [2].

24. *Religionis status in Oriente et Asia* — Quantum ad ecclesiarum statum in Oriente spectabat, ecclesia Graeca tristi schismate se a Latina divellerat. Gregorius IX an. 1233 ad restituendam utriusque ecclesiae unionem legatos miserat Nicaeam ad Ioannem Ducam et Germanum patriarcham; multae quidem collationes de negotio unionis, de processione Spiritus S. et pane eucharistico habitae sunt, sed nihil effectum. Idem negotium an. 1249 frustra tentavit Innocentius IV; is summopere sollicitus fuit de Graecis in insula Cypro, quorum archiepiscopo potestatem dedit constituendi quatuordecim episcopos suae nationis, quum totidem sedes episcopales ab antiquo in Cypro fuissent; concessit, ut ii eorumque successores, in obediêntia Romanae ecclesiae permanentes, a iurisdictione praelatorum latinorum liberi essent [3]. An. 1256 Alexander IV novis legationibus unionis negotium tentavit, sed sine effectu; Graeci enim de unione non ex animo agebant, sed tantum ut Pontifices a mittendis latino Constantinopolis imperatori subsidiis detinerent. Ex eodem fine Michaël Palaeologus, eorum imperator, capta an. 1261 a Graecis Constantinopoli, R. Pontificis amicitiam quaesivit. Urbanus IV eiusque successores Clemens IV et Gregorius X legatos Constantinopolim destinaverunt, qui cum praesulibus Graecis de unione ecclesiae Graecae cum Latina contulerunt; sed hi continuis et moris ambagibus usi sunt [1]. Unio vero anno 1274 in concilio Lugdunensi II confecta fuit, sicuti videbimus.

Alii populi Orientales, iam dudum Nestorianorum vel Eutychianorum erroribus ab Ecclesia avulsi, maiorem propensionem redeundi ad catholicam unionem praebuerunt, partim adlecti spe fore ut Latinorum crucigerorum ope a saracenica tyrannide liberarentur, partim excitati a piis missionariis, quos RR. Pontifices ex Ordinibus s. Dominici et s. Francisci ad populos istos destinaverant. Anno 1237 Philippus, FF. Praedicatorum in Terra sancta prior, in litteris ad Gregorium Pp. IX datis scribebat, patriarcham Iacobitarum, cuius iurisdictio ad 60 provincias extendebatur, et in qua erant Chaldaei, Medi, Armeni et Persae, cum multis episcopis et monachis venisse Ierusalem, et abiurata omni haeresi, obedientiam R. Ecclesiae esse professum; idem praestitisse duos archiepiscopos, unum iacobitam qui in Phoenicia, alterum nestorianum qui in Syria sectae suae ecclesiis praeerat; patriarcham Iacobitarum, cui Ægyptus, Lybia, Æthiopia et India minor suberant, conversionem ad Ecclesiae unitatem promisisse iamque varios errores correxisse; idem pollicitum esse patriarcham Nestorianorum in India maiori; Maronitas montis Libani constanter in Ecclesiae obedientia perseverare; quatuor FF. Praedicatores in Armeniam, rege et proceribus postulantibus, esse profectos ad ediscendam regionis linguam, et generatim FF. Praedicatores magno cum fructu fidem catholicam in istis regionibus

[1] Raynaldus, ad an. 1251, § 16.

[2] Joinville, *Vie de s. Louis*; Raynald. ad an. 1248-54.

[3] Raynald. ad an. 1250 et 1251.

[1] L. Allatius, *De Ecclesiae occident. et orient. perpetua consensione.*— Per Episcopum Urbis-Veteris Constantinopoli legatum Alexander Pp. IV, utque facilius iniretur societas, id quoque, praeter cetera, Graecis concesserat, quod antea Innocentius IV indulserat, ut *Symbolum* haberent sine additamento vocis *Filioque*, modo eadem, ac Latini de Filio Dei sentirent. Vid. Raynald. ad an. 1258, § 5; Spondan. § 1.

propagare, solos Graecos in suo schismate manere pertinaces [1].

Gregorius acceptis his litteris, epistolam scripsit ad patriarcham Iacobitarum orientalium, qua ei suum ad Ecclesiae unitatem reditum gratulatus est; Armenorum regi et reginae varia privilegia et eorum *catholico* seu patriarchae pallium misit. Innocentius Pp. IV a patriarcha Armenorum litteras accepit, maximae in Sedem Apostolicam observantiae plenas. Idem Pontifex accepit fidei professionem ab Ignatio patriarcha Iacobitarum orientalium, qui Pontifici tanquam summo patrum, et R. Ecclesiae ceu omnium matri obedientiam, doctrinam de Iesu Christo, Deo et homine sine naturarum confusione, damnato Eutychete, fidemque a B. Petro principe Apostolorum praedicatam et a Nicaeno concilio definitam profitebatur; addebat, hanc ipsam esse fidem suorum subditorum. Alias litteras cum fidei professione accepit Innocentius IV a Nestorianis, qui et ipsi suam erga R. Pontificem obedientiam fidemque de Iesu Christo, Deo et homine in una persona testabantur [2].

Innocentius Pp. IV, ad reducendos Iacobitas, Nestorianos et schismaticos Graecos ad Ecclesiae unionem, an. 1247 vices suas in Armenia, Syria et Ægypto commisit Laurentio ex Ordine FF. Minorum. Iam anno 1245 viros religiosos e s. Francisci et s. Dominici Ordinibus legaverat in remotas Asiae partes ad Mogolorum seu Tartarorum principes. Religionem christianam in regionibus ad orientem et septentrionem Persidis quondam a Nestorianis propagatam vidimus [3]. Sub initia huius saeculi regiones istas longe lateque occuparunt Mogoli duce Chingischano seu Tehinguiz-khan, qui imperium suum in omnem Tartariam, Persidem et in Sinas usque extendit, obiitque an. 1227. Eius filii ab extremitate Coreae usque ad Russiam et Poloniam imperium protulerunt. Interim plerique principes Mogoli, praesertim summi eorum khani seu imperatores, in terris suis Christianos tolerarunt; FF. Praedicatores et Minores, quos Innocentius IV et alii deinceps Pontifices ad eos destinarunt, passim bene habuerunt; nonnulli etiam baptismum susceperunt. Piis missionariorum catholicorum conatibus plurimum obstabant invidia Nestorianorum et inhumanitas atque indifferentia principum barbarorum quantum ad religionis negotium spectabat. Nihilominus post saeculi huius dimidium Christianorum coetus in Sinis, Perside aliisque regionibus aucti sunt. Ioannes de Montecorvino, Ordinis s. Francisci, cum aliis eiusdem Ordinis Fratribus a Nicolao Pp. IV an. 1288 in praedictas terras destinatus, in civitate Sinarum metropoli, Cambali nunc Pechino, 6,000 hominum baptizavit, et anno 1307 a Clemente Pp. V Cambaliensis seu Pechinensis archiepiscopus creatus fuit, cui idem Pontifex 7 episcopos suffraganeos ex eodem s. Francisci Ordine designavit. Verum ab anno 1369, tum propter missionariorum defectum tum propter novam imperantium dynastiam, religio christiana ibidem deperiit [1].

25. *Fides propagatur in Marochium* — Vigesimis huius saeculi annis etiam in Marochitano Africae regno religio christiana propagata fuit. Anno quippe 1220 quinque viri religiosi ex Ordine FF. Minorum in Marochium profecti sunt ad tentandam Maurorum conversionem; quamvis iniuriis affecti et regni eiecti, ardore apostolico Evangelium infidelibus annuntiarunt, sed eodem anno rursus intercepti, omnes martyrium perpessi sunt [2]. Eorum exemplo excitati alii 7 eiusdem Ordinis viri, an. 1221 sacram missionem ad Mauros susceperunt, sed in urbe Septa prehensi, capitis damnati sunt [3]. Fortissimis his Fidei praeconibus successerunt alii, quorum laboribus atque sudoribus Christianorum numerus ita auctus est, ut Gregorius Pp. IX anno 1237 episcopum ex eodem Franciscanorum Ordine pro Marochio ordinaverit [4].

26. *Alia Innocentii Pp. IV gesta* — Hic Pontifex Congregationem Silvestrinorum, an. 1231 a B. Silvestro Guzolino sub regula s. Benedicti ad Montemfanum in Piceno institutam, et Ordinem Servorum B. V. M. a septem viris Florentinis, genere ac pietate claris, an. 1233 sub regula s. Augustini in monte Senario coeptum, approbavit. Ratum esse voluit ius concessum ab Hadriano II et Ioanne VIII celebrandi Missam Officiumque divinum lingua Sclavonica [5]. Providit, ut Romae vigeret studium iuris Divini, et humani, Canonici videlicet, et civilis [6]. Iam

[1] Apud M. Paris. *Hist. Angl.* ad an. 1237; Raynald. ad an. 1237.
[2] Raynald. ad an. 1238, 1239, 1247.
[3] Legesis t. I, p. 256, nec non p. 35 vol. huius.

[1] Assemani *Biblioth. orient.* t. III; Wadding, *Annales FF. Minor.*; Renaudot, *Relations anciennes.*
[2] Bolland. *Acta ss.* 16 ian.
[3] Ibid. 13 oct.
[4] Raynald. ad an. 1237.
[5] Vid. Rigant. *in Regulam* 20 *Cancellariae* t. II, p. 295, n. 76 sqq.
[6] Cap. *Cum de divers.* 2 *de Privileg.* in 6.

diximus quae hic Pontifex tum in simultate cum Imperatore Friderico II, tum Lugduni in concilio et pro conversione haereticorum atque infidelium egerit [1]. Conradum, post mortem Friderici patris imperium affectantem, eiecit communione Christianorum; quem anathemate innodatum frater eius nothus veneno necavit. Quod ubi Innocentius rescivit, continuo animum convertit ad Neapolim, Capuam, aliasque regni illius urbes recipiendas in potestatem. Itaque praemisso exercitu valido, contendit Neapolim; ibi admissus benigne, honorifice susceptus est. Cetera suis locis indicabimus.

27. *Scriptores ecclesiastici* — Scriptoribus autem ecclesiasticis, qui priori huius saeculi dimidio floruerunt, adnumerandi sunt hi qui sequuntur: B. Albertus, propter multiplicem eruditionem cognominatus Magnus, qui an. 1202 nobili Sueviae familia natus et anno 1221 Ordinem FF. Praedicatorum ingressus, Coloniae et Parisiis sacras Literas summa cum fama interpretatus est. An. 1260 ab Alexandro IV creatus episcopus Ratisbonensis, post biennium episcopatu dimisso, Coloniam rediit, seque totum tradendis rebus theologicis et scribendis libris dedit; opera multa reliquit dialectica, mathematica, physica, metaphysica, ethica, theologica [2]. Hugo a S^to^ Caro, doctor Parisiensis, Ordinis FF. Praedicatorum et R. E. Cardinalis, reliquit Concordantiam Bibliorum et glossas breves in universam Scripturam secundum quadruplicem sensum [3]. Alexander, anglus, a monasterio Hales, in quo institutus fuit, cognominatus Halensis, Ordinis FF. Minorum, Parisiis tanta cum laude philosophiam et theologiam tradidit, ut doctor irrefragabilis diceretur; scripsit Summam theologicam in 4 partes distributam [4]. Guilielmus, patria Arvernus et episcopus Parisiensis, docte scripsit de Fide, de Sacramentis, de Universo aliisque [5]. S. Raymundus de Pennafort, Barcinonensis, Ord. FF. Praed., Gregorio IX in conficienda Decretalium collectione opem praestitit, scripsitque Summam casuum conscientiae [6]. Vincentius Bellovacensis, Ord. FF. Praed., e variis auctoribus adornavit Speculum triplex, doctrinale, naturale et historiale [7]. Moneta, patria Cremonensis, Ord. FF. Praed. et in ditione Mediolanensi haereticorum Inquisitor, edidit libros 5 contra Catharos et Waldenses [1]. Reinerus Sachonius, Ord. FF. Praed. et in Longobardia haereticorum Inquisitor, scripsit Summam de Catharis et Leonistis. Lucas, episcopus Tudensis in Hispania, reliquit libros 3 de fidei controversiis contra Albigenses [2], et Chronicon [3]. Petrus, monachus Cisterciensis vallis Cernai, edidit Historiam Albigensium [4]. Iacobus de Vitriaco, ex episcopo Ptolemaidis in Palaestina cardinalis episcopus Tusculanus, adornavit libros 3 Historiae orientalis et occidentalis. Rodericus Ximenes, archiepiscopus Toletanus, reliquit libros 9 de rebus Hispaniae cum brevi historia Gothorum, Suevorum, Alanorum, Vandalorum et Arabum. Matthaeus Paris, Anglus, Ordinis s. Benedicti, collegit historiam rerum anglicarum ab an. 1066 usque ad 1259 [5].

28. *Alexander IV Pontifex* (*an.* 1254) — Innocentius Pp. IV, VII° idus decembris 1254, Neapoli morbum nactus, supremam diem obiit et in Templo maiore sepultus est, Pontificatus *anno* XI°, *mense* V°, *die* XIV°. Post sex dies (*pridie idus decembr.* 1254) comitiis in eadem urbe habitis, suffectus est Raynaldus Cardinalis episcopus Ostiensis et Veliternus, pietate, humilitate et mansuetudine spectatissimus, qui sub Alexandri IV nomine Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1261.— Is Ordines Mendicantes contra eorum adversarios tuitus est; lites contra eosdem in Universitate Parisiensi excitatas composuit, mandavitque doctoribus saecularibus, ut illis magisterium et cathedras, quibus privati fuerant, redderent; Guilielmum a sancto-Amore, sacrae Facultatis doctorem et praecipuum turbarum auctorem, ecclesiasticis beneficiis privavit, ex albo Doctorum expunxit, eiusque librum *De periculis novissimorum temporum*, contra Ordines Mendicantes editum [6], damnavit et igni devovit. Varias diversorum nominum Con-

---

[1] Vid. p. 65 sq.
[2] Lugdun. 1651, 21 tom. in-fol.
[3] Venet. 1737, 8 tom. in-fol.
[4] Venet. 1575, 4 vol. in-fol.
[5] Aurel. 1674, 2 vol. in-fol.
[6] Lugdun. 1728 et Veron. 1744 in-fol.
[7] Duaci 1624, 4 vol. in-fol.

---

[1] Romae 1743, in-fol.
[2] Ingolstad. 1612.
[3] *Hispan. illustrat.* t. IV.
[4] Trecis 1615, in-8°.
[5] Londin. 1640, 2 vol. in-fol.
[6] In quo, adversus Religiosos Ordines voluntariam amplectentes paupertatem, propriumque nihil habentes, docebat, non licere cuiquam, nisi per vim coacto, omnia relinquere; nec eum, qui Coenobitis ab Episcopo vel Pontifice approbatis aperiret peccata sua per Sacramentalem Confessionem, satisfacere Canoni Concilii Lateranensis, cuius initium: *Omnis utriusque sexus*. Vid. Constit. 8, t. I *Bullarii* etc. Contra insanam Guilielmi doctrinam scripsit s. Thomas, *Opusc.* 19 *adversus impugnantes religionem*.

gregationes eremitarum sub eadem s. Augustini regula, sub eodem habitu et eiusdem Prioris generalis regimine adunavit. Universitatem Salmanticensem, ab Alphonso X rege Castellae instauratam, confirmavit concessitque, ut doctoratus laurea in ea insigniti, professorum munere fungi possent in omnibus academiis, Bononiensi et Parisiensi exceptis. Ad exscindendas in Galliis Waldensium et Albigensium reliquias, postulante s. Ludovico rege, Inquisitionis officium ibi demandavit Provinciali FF. Praedicatorum et Guardiano Franciscanorum [1]. Veritatem Stigmatum s. Francisci comprobavit testimonio suo [2]. — Alia, quae Alexander Pp. IV gessit, infra dicemus.

29. *Ecclesiae status in Italia et Germania* — Porro post mortem Friderici imperatoris II, quae accidit, uti diximus [3], anno 1250, Conradus filius eius, iam a R. Pontifice propter crimina sua excommunicatus, e Germania in Italiam copias duxit, Apuliam atque Siciliam subegit, omnesque R. Pontifici deditos insectatus est. Innocentius Pp. IV contra eum imploravit opem Francorum, regnumque Siciliae obtulit Carolo Andegavensi, fratri s. Ludovici regis; sed quo minus istud negotium efficeretur, obstabat regis, tunc in Oriente agentis, absentia. Conrado an. 1254 exstincto, regnum Siciliae occupavit Manfredus, filius nothus Friderici II. Cum eo concordiam tentavit Alexander Pp. IV; sed Manfredus omnes Pontificis propositiones reiecit, Mauros in exercitu suo stipendia merentes, in terras R. Ecclesiae immisit, aliaque iniqua perpetravit, propter quae merito ab Alexandro IV anathemate fuit perculsus. Urbanus IV, Alexandri successor, an. 1263 rursus regnum Siciliae obtulit Carolo Andegavensi, qui cum copioso Francorum exercitu in Italiam profectus, et an. 1266 Romae a Clemente Pp. IV rex coronatus est — cum conditione pendendi quotannis octo millia unciarum auri die festo s. Petri, equum item albi coloris, et redeundi Regnum ad Sedem Apostolicam deficiente stirpe Caroli [1]. — Hic eodem anno Manfredum in campis Beneventanis vicit ceciditque, et utraque Sicilia potitus, regni sedem constituit Neapoli. Eccelinum virum atrocem, et sic immanitate efferatum, ut daemone genitus diceretur [2], olim a Friderico II ducem constitutum in Longobardia, Alexander Pp. IV perculit anathemate, armisque *Crucesignatorum* compescuit, ac Mantuae obsidendae intento Patavium eripuit [3].

In Germania rerum status tristem in modum erat perturbatus. Guilielmus an. 1247 a plerisque principibus imperator electus [4], non nisi aegerrime factiones compescuit, quumque an. 1256 in bello contra rebelles Frisios occubuisset, secutae sunt dissensiones inter principes Germanos in eligendo successore: alii Richardum comitem Cornubiae et regis Angliae fratrem, alii Alphonsum regem Castellae elegerunt [5]. Propter has dissensiones et contentiones, quas RR. Pontifices, Alexander IV, Urbanus IV et Clemens IV, frustra componere conati sunt, interregnum in Germania duravit usque ad an. 1273. Disciplina vero ecclesiastica tum in clero tum in populo Germaniae erat collapsa, in clero scientia, fervor et morum castimonia, in coenobiis sincera pietas et regularis observantia desiderabantur. De his malis, praesertim de publica clericorum cum mulieribus cohabitatione, de incongruo eorum habitu, turpi negotiatione et ignorantia, graviter questus est Conradus archiepiscopus Coloniensis in synodo provinciali, an. 1260 habita, in qua ad corrigendos abusus 14 capitula, et pro reformatione monachorum 28 statuta edidit [6]. In eumdem finem Guido presbyter cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, an. 1267 synodum celebravit Viennae in Austria, in qua 19 capitula promulgata sunt de vita, castitate et correctione clericorum, de visitatione ecclesiarum, de pluralitate beneficiorum, de aliis [7]. Magnam quoque operam reformandis moribus et restituendae pietati navabant pii monachi Franciscani et Dominicani, per Germaniam vicinasque regiones diffusi.

Eorumdem religiosorum sermonibus Cu-

---

[1] Raynald. ad an. 1254-61.

[2] *Bullarii* t. I, Constit. 4; et apud Raynald. ad an. 1255, § 27. S. Bonaventura, in *Legenda* S. Francisci c. 13, t. VII *Oper.*, haec habet: *Summus Pontifex Alexander cum populo praedicaret coram multis fratribus, et me ipso, affirmavit, se dum Sanctus viveret stigmata illa sacra suis oculis conspexisse.* — Pagius, in *Vita* huius Pontificis, § 12, subdit: *Eadem stigmata ante Alexandrum IV iam commendaverat Gregorius IX anno 1237, apud Waddingum ibidem n. 1 et seq., et postea Nicolaus III literas Gregorii IX confirmavit, ut videre est apud eundem in Regesto ad t. II. Postea Benedictus XI eorumdem Stigmatum festum celebrari, Officium vero etiam Paulus V recitari concessit.*

[3] Pag. 65.

[1] Raynald. ad an. 1267, § 4; Spondan. § 8.

[2] Corius, *Hist. Mediol.* part. 2, ad an. 1207.

[3] Raynald. ad an. 1256, § 5, 38, 47; Spond. § 4, 6.

[4] Vid. p. 65.

[5] Imperii Electoribus denuntiaverat Alexander anathema si Conradinum eligerent filium filii Friderici II; Raynald. loc. cit.

[6] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 783. — [7] Ibid. p. 858.

manorum natio, commorans ad Moldaviam et os Danubii, an. 1227 ad suscipiendam Religionem christianam adducta est, quorum conversionem perfecit archiepiscopus Strigoniensis, ab Apostolica Sede ad eam nationem legatus [1].

30. *Religionis status in Russia et regionibus septentrionalibus* — In Russia christianam fidem saeculo IX et sequente propagatam et stabilitam conspeximus [2]. Cum autem ecclesiae in terris Russicis in ordine hierarchico subiectae essent patriarchae Cp. atque in peragendis sacris uterentur ritu Graeco, schismatis Graeci, saeculo XI a Michaële Cerulario instaurati, germina in illas aliquando irrepserunt; verumtamen earum unio, saltem externa, cum Romana ecclesia perduravit usque ad saeculum XV. Michaël I aliique post eum metropolitae Kiovienses (988-1106) licet omnes natione Graeci, a schismate Cerularii fuerunt immunes, et cum Romana ecclesia eiusque Pontifice communicarunt. Nicephorus I Graecus, ab anno 1106 usque ad 1120 metropolita Kioviensis, schisma in Ecclesia Russica disseminare eamque ab Ecclesia Romana separare tentavit; sed neque in clero neque in populo sectatores nactus est.

RR. Pontifices tum litteris tum legationibus usi sunt, ut Russos seu Ruthenos a schismate praeservarent et in catholica unione conservarent. Plures principes et duces Russi unionis suae cum Romana ecclesia testimonia ediderunt.

Interim saeculo XII et sequente missionarii Latini, praesertim ex Ordinibus s. Dominici et s. Francisci, in Russiam venerunt, et a principibus populisque bene excepti, christianam religionem plurimum propagarunt. Ab hoc tempore ibi etiam formatae sunt ecclesiae secundum ritum Latinum, quae postea ita auctae sunt, ut episcopos proprios acceperint.

Circa dimidium saeculi XIV sedes metropolitica Kiovia translata fuit Moscoviam; quae translatio schismati favit. S.Cyprianus, ab an. 1380 usque ad 1406 metropolita Russiae, erga Romanam ecclesiam obsequentissimus, sedulam operam unioni navavit. Tunc episcopi Rutheni in Lithuania sese cum Romana ecclesia univerunt [3].

In Livonia, Estonia et Borussia religio christiana magis magisque propagabatur. Alexander Pp. IV ad stabiliendam in istis provinciis ecclesiastici regiminis formam, anno 1255 metropoliticam dignitatem cum potestate instituendi episcopos confirmavit archiepiscopo Rigensi [1]. In Dania, Norwegia, Suecia aliisque Septentrionis regionibus fides catholica conservata fuit; sed frequentium bellorum tumultu ecclesiarum status saepe perturbatus est. Innocentius Pp. IV an. 1250 ab archiepiscopo Upsalensi eiusque suffraganeis interpellatus contra abusum, quo in Suecia episcopi a sola saeculari potestate eligebantur, mandavit, ut episcoporum electiones essent apud canonicorum Capitula, electi vero neque regi neque alii hominium praestarent, quum nulla regalia aut feuda haberent [2]. Cum etiam in Dania libertas atque dignitas ecclesiastica in magnum discrimen essent adductae, episcopi Dani anno 1257 synodum coëgerunt, in qua ad illas tuendas promulgarunt quatuor decreta [3].

31. *Ecclesiae status in Gallia et Hispania* — In Gallia sub s. Ludovico rege IX, qui nihil magis cordi habebat, quam ut Religio et sincera pietas in regno suo florerent, res ecclesiasticae et civiles prospero erant in statu. Rex ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam et corrigendos abusus cogendis synodis auxilium praestitit. Extat autem in *Bibliothecis* Patrum et in collectionibus Conciliorum sub regis huius nomine sanctio pragmatica, in qua mandatur 1°, ut ecclesiarum praelatis, patronis et beneficiorum collatoribus sua iura integra serventur; 2°, ut electiones ecclesiarum cathedralium et aliarum in toto regno sint liberae suumque effectum integrum habeant; 3°, ut pestiferum simoniae crimen a regno penitus eliminetur; 4°, ut promotiones, collationes, provisiones et dispositiones dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum fiant secundum dispositionem iuris communis, sacrorum Conciliorum et Patrum antiquorum; 5°, ut libertates, iura et privilegia, ecclesiis, monasteriis, locis piis et personis ecclesiasticis a regibus Galliae concessa, rata et firma maneant. Praeter haec 5 capitula, quae sanctio praedicta continet, prout exstat in *Bibliothecis* Patrum, in aliis eius editionibus habetur capitulum 6, positum quinto loco, quod sic sonat: « Item exactiones et onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam ecclesiae regni nostri imposita, quibus

[1] Raynald. ad an. 1227 et 1229.
[2] Vid. p. 267.
[3] Raynald. *Annal. eccl.*; Theiner, *Vicissitudes de l'Eglise cath. des deux rites en Pologne et en Russie*, Paris 1843, 2 vol. in 8°.

[1] *Epist.* 342, l. I.
[2] Raynald. ad an. 1250.
[3] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 772.

regnum nostrum depauperatum extitit, vel etiam imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, pia et urgentissima causa vel inevitabili necessitate et de spontaneo et expresso consensu nostro et ecclesiae regni nostri». Verum hanc sanctionem pragmaticam, cuius per 200 annos et amplius a tempore, quo condita perhibetur, nullus scriptor meminerat, merito suspectam habet Thomassinus, suppostititium aut saltem falsum esse praedictum capitulum contra Curiam Romanam, evincunt A. Charlas et alii [1].

In Hispania simul cumChristianorum principum imperio Religionis ambitus dilatatus est. Hac in re plus caeteris regibus praestiterunt Ferdinandus III rex Castellae et Legionis et Iacobus I rex Aragoniae. Ferdinandus, qui ab an. 1217 usque ad 1252 regnavit et propter vitae integritatem in Ssrum numerum relatus fuit, civitates plures et provincias Mauris eripuit, in quibus depulsa mahometica superstitione, religioni christianae priscum splendorem reddidit, ecclesias instauravit sedesque episcopales restituit [2]. Iacobus, qui regno Aragoniae ab anno 1213 usque ad 1276 praefuit, glorioso *expugnatoris* titulo insignitus, 30 victorias de Mauris retulit, eos e Maiorica et Minorica, seu Insulis Balearibus, e regno Valentiae aliisque terris pepulit, et ex auctoritate Gregorii Pp. IX Maurorum delubra in ecclesias convertit, episcopos constituit aliaque ad restituendam ubique christianam religionem effecit [3].

32. *Flagellantium secta* — In Italia, ubi Friderici II et Manfredi tyrannide, et factionum praesertim Gibelinorum et Guelphorum, discordiis bellisque statum rerum ecclesiasticarum et civilium perturbatum vidimus, an. 1260 ortum habuit secta Flagellantium, cuius originem monachus Paduanus sic refert: «Quum Italia multis esset flagitiis inquinata, quaedam subitanea et a saeculo inaudita superstitio invasit primo Perusinos, postmodum Romanos, deinde universos fere Italiae populos. In tantum divinae iustitiae timor irruit in eos, ut nobiles et ignobiles, senes et iuvenes, corporibus ab umbiculo et sursum nudis, diu noctuque bini incederent, sacerdotibus cum crucibus et vexillis praecedentibus, cum gemitu et ploratu scapulas suas usque ad sanguinis effusionem flagellis caedentes per dies 33 in honorem vitae passibilis Christi Domini. Silebant omnia cantica laeta et instrumenta musica et nonnisi lugubris poenitentium cantus in civitatibus et villis audiebatur, quo corda etiam saxea movebantur. Mulieres quoque, etiam matronae nobiles et virgines, eidem poenitentiae se sociarunt, sed tantum in cubiculis. Dissidentes ad concordiam redibant, usurarii et raptores male parta restituebant, peccatores sua crimina humili confessione expiabant [1] ».

Eamdem poenitentiae publicae devotionem penetrasse in Germaniam, testatur H. Stero [2]. Quum vero ea neque Apostolicae Sedi neque Episcopis probaretur, brevi post, sicut quaevis res immoderate concepta, tepescere coepit. Tandem in superstitionem imo in haeresim degeneravit male ordinata devotio; contenderunt quippe Flagellantes, neminem a peccatis absolvi posse, qui sectae suae non esset adscriptus, seque invicem, quamvis laici essent, audita confessione a peccatis absolvebant [3].

33. *Ioachitae* — Erant hac aetate alii fanatici homines, perversorum errorum magistri, appellati Ioachitae, seu Ioachimitae, a Ioachimo abbate Florensi, de quo supra diximus [4]. Illi e scriptis huius abbatis male intellectis et e propriis deliramentis, more Expectatorum regni Spiritus S. [5], finxerunt tres Religionis status: primum, qui a mundi creatione duravit usque ad Christum natum, appellabant regnum Patris, in quo Religionis regimen demandatum fuit coniugatis, et homines vivebant secundum carnem; secundum, qui a Christo nato usque ad hanc aetatem duravit, vocabant regnum Filii, in quo regimen Ecclesiae fuit apud clericos, et homines vivebant inter carnem et spiritum; tertium ab hac aetate semper duraturum et caeteris duobus perfectiorem, appellabant regnum Spiritus S., in quo Ecclesiae regimen foret proprium monachis nudipedibus, et homines viverent secundum spiritum.

Haec commenta latius evolvit auctor libri, qui inscriptus erat *Evangelium aeternum*. Quis fuerit istius libri, quem Alexan-

[1] Thomassin. *Vetus et nova Eccles. discipl.*, part. II, l. 2, c. 33, part. III, l. 1, c. 44; Charlas, *De libert. eccl. Gall.* l. I, c. 15; Roncaglia, *Animadv.* in Natal. Alex. *Hist. eccl. saec. XIII*, c. 10, a. 3; Thomassy, *De la pragmatique sanction attribuée à s. Louis*, Paris 1844.

[2] Bolland. *Acta ss.* 30 maii; Mariana, *De rebus Hispan.* l. XII-XIII.

[3] Mariana, ibid.

[1] *Chronic.* l. III.

[2] *Chronicon*, apud Canis. *Antiq. lect.* t. I.

[3] Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIII, c. 3, a. 5.

[4] Pag. 53.

[5] Vid. p. 53.

der Pp. IV an. 1254 condemnavit, auctor, disputant eruditi. Anno 1260 synodus Arelatensis declaravit, Ioachitas haereticorum loco esse habendos, et sub anathematis poena prohibuit, ne quis libris aut commentariis, in quibus illorum errores continerentur, uteretur [1].

34. *Alexandri Pp. IV obitus* — Seditione Romae excitata, Alexander Viterbium se receperat, inde Anagniam, ubi mansit annos duos. Viterbium reversus, ut Concilio ibidem celebrato pacem inter Venetos ac Genuenses conciliaret, anno 1261 VIII° cal. iunii decessit post *sexennium*, *menses* 5 et *dies* 13, quam Pontifex factus fuerat [2].

35. *Urbanus IV Pontifex* (*an.* 1261) — Alexandro IV defuncto, Apostolica Sedes vacavit amplius duobus mensibus propter Cardinalium discordiam, Pontificatum pertinaciter affectantibus singulis, qui supererant octoni numero [3]. Tandem IV° calend. septembr., anno 1261, concordibus eorum suffragiis extra collegium electus fuit Iacobus Pantaleon, qui Augustae Trecarum in Gallia celtica natus, primo canonicus Trecensis, deinde archidiaconus Leodiensis, Sedis Apostolicae in regionibus septentrionalibus legatus, episcopus Verdunensis, demum patriarcha Hierosolymitanus, hoc tempore in Italiam venerat de Palaestinae rebus acturus. Pridie nonas septembr. coronatus appellari voluit nomine *Urbani IV*, quod decessor eius obiisset die s. Urbano Pp. et Martyri sacra. Huius Pontificatus initium finis fuit Imperii Latinorum in Oriente, capta a Michaële Palaeologo Constantinopoli, exactoque Balduino II, cum a Balduino I coeptum stetisset annos circiter 60.

Hic Pontifex lugubres litteras scripsit ad s. Ludovicum regem Galliae de calamitatibus Terrae sanctae, eiusque auxilium imploravit et pro subsidio Christianorum Syriae centesimam redituum ab ecclesiis Galliae per quinquennium exegit. Pro recuperanda Constantinopoli a Michaële Palaeologo an. 1261 expugnata, cruciatam expeditionem indixit. Attamen, ille ut Pontificem revocaret ab incepto, significavit se peroptare coniunctionem, pacemque Graecae Ecclesiae cum Latina, ut supra diximus [4]. Regulam a s. Francisco virginibus s. Clarae traditam, non nihil mitigavit et teneri sexus infirmitati accommodavit, unde quae sic mitigatam eam regulam profitentur, appellantur Urbanistae. Festum Corporis Christi, quod, secundum revelationem s. Iulianae virgini in coenobio montis Cornelii prope Leodium factam, Robertus episcopus Leodiensis an. 1246 pro ecclesia sua approbaverat, in universa Ecclesia quotannis feria V post octavam Pentecosteos celebrandum Urbanus instituit secundum Officium a s. Thoma Aquinate compositum [1]. Itemque primus fuisse putatur qui numerum sui nominis expresserit, seque *Urbanum papam quartum* appellaverit [2]. Obiit Perusiae anno 1264, VI° nonas octobr. cum Pontifex fuisset *annos* 3, *mensem* 1, et *dies* 4.

36. *S. Thomas Aquinas* — S. Thomas Aquinas, qui hoc ipso tempore floruit, nobilissima comitum Aquinatum familia natus anno 1225, a monachis Casinensibus pietate litterisque institutus, postquam Neapoli grammaticam, dialecticam et physicam didicisset, an. 1243 Ordini FF. Praedicatorum nomen dedit. Parisiis atque Coloniae B. Alberto Magno in philosophicis atque theologicis disciplinis magistro usus est; deinde in Parisiensi et in nonnullis Italiae Academiis tanto cum plausu sacram theologiam tradidit, ut Doctoris Angelici praeconium meruerit. Archiepiscopatum Neapolitanum, sibi a Clemente Pp. IV oblatum, constanter recusavit. A Gregorio Pp. X ad generale concilium Lugdunense II postula-

---

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2360; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIII, c. 3, a. 4.

[2] Raynald. ad an. 1261, § 6, 7; Spondan. § 1.

[3] Erant Cardinales ob eam caussam tam pauci, quod neminem creaverat Alexander IV.

[4] Pag. 66.

---

[1] B. Fisen, *Origo prima festi Corporis Christi*, Leod. 1628, in 12°; I. Bertholet, *Histoire de l'institution de la Fête-Dieu*, Liège 1746, in 4°.

De Supplicatione, in qua eodem festo die Corpus Christi defertur, nulla mentio est in Constit. Urbani IV, nulla in eius epistola ad Evam Reclusam s. Martini Leodiensis, quae est apud Labbeum t. II *Concil.* p. 817. Nulla apud D. Thomam, qui iussu Urbani Officium ss. Sacramenti composuit, nulla apud auctores, qui sub idem tempus scripsere de Festo hoc per eumdem Urbanum instituto. De ea, tamquam «divina inspiratione introducta» memoratur in Conc. Senonensi, quod an. 1320 celebratum est. «Verisimile est, ait Van Espen (p. 2 *Iuris Eccles. Universi* tit. 4, c. 5, § 5) *eam saeculo XIV paulatim invaluisse; atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis serius fuisse institutum ad solemnitatem institutae festivitatis augendam* Constat ineunte saeculo XV fuisse in more positam. Etenim Martinus V (Const. 12) illis, *qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo iuxta ritus Ecclesiarum defertur, continuo secuti fuerint, centum dies singulis annis de iniunctis poenitentiis misericorditer relaxat.*

[2] Vid. Papebroch. in tom. II *Respons. ad exhibit. error.* P. Seb. a s. Paulo ap. Rigant. in *Regul.* 34 *Cancellariae* n. 26, p. 761, t. III. Quamvis in *Bullario* Cherubini habeatur Bulla cui praefixum est, *Pelagius Papa Secundus*, creditur tamen, ab A. citato, illa esse supposititia.

tus, in itinere morbo correptus est, et an. 1274 in monasterio Cisterciensi decessit [1]. Vir sanctitate, eruditione, ingenii subtilitate et foecunditate plane eximius, theologorum facile princeps, reliquit plurima opera, inter quae eminent: Commentarii in libros Aristotelis, *Summa* Fidei contra gentiles, Commentarii in sacram Scripturam et in 4 libros Sententiarum, Summa Theologiae, Quaestiones quodlibeticae et disputatae, Opuscula de variis argumentis [2].

Leo Pp. XIII, *f. r.*, Epistola encyclica diei 4 august. 1879, *Aeterni Patris*, quam enixe hortatur ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream Divi Thomae sapientiam restituatur, et quam latissime propagetur; doctrinam ideoque Aquinatis studeant magistri in discipulorum animos insinuare. Postea per Breve *Cum hoc*, diei 4 august. 1880, Summus Pontifex ad communem societatis humanae utilitatem, s. Thomam Doctorem Angelicum Universitatum studiorum, Academiarum, Lyceorum, Scholarum catholicarum *Patronum* solemniter declaravit.

37. *S. Bonaventura*—D. Thomae aequalis fuit s. Bonaventura, qui an. 1221 Balneoregii in Hetruria natus et an. 1243 Ordinem s. Francisci ingressus, Parisiis magistrum habuit Alexandrum de Hales. Postquam Doctoris laurea insignitus, sacram theologiam in Universitate Parisiensi tradidisset, anno 1256 electus fuit Generalis Ordinis minister; deinde a Gregorio Pp. X constitutus cardinalis episcopus Albanensis, obiit anno 1274 [3]. Vitae sanctitate ac doctrina clarus, reliquit expositiones in Libros sacros, Commentaria in Magistrum Sententiarum, Sermones, Opuscula moralia atque ascetica [4].

38. *Clemens IV Pontifex* (*an.* 1265) — Mensibus fere quinque post mortem Urbani IV, anno 1265 communi Cardinalium

[1] A. Touron, *Vie de s. Thomas d'Aquin*, Paris 1737, in 4°; De Rubeis, *Vita et gesta s. Thomae Aquinatis*, Venet. 1750, in-fol.

[2] Romae 1570, 18 tom., et Paris. 1636, 23 tom. in-fol. — Leo Pp. XIII, *f. r.*, quo latius disseminetur Angelici Doctoris sapientia, omnia eius Opera de integro nuperrime in lucem edere Romae constituit, motuproprio, *Placere Nobis*, diei 18 ianuar. 1880; quae, super exemplaria iussu s. Pii V evulgata, optimis formis litterarum expressa cudantur, iis etiam adhibitis codicum manuscriptorum subsidiis, quae aetate hac nostra in lucem et usum prolata sunt.

[3] P. Boule, *Histoire abrégée de la vie, des vertus et du culte de s. Bonaventure*, Lyon 1747, in 8°.

[4] Romae 1588, 8 vol. in fol., Venet. 1751-56, 14 vol. in 4°.

suffragio Pontifex electus fuit Guido Grossus, Gallus, cardinalis episcopus Narbonensis, absens, vitae probitate, iuris peritia et in rebus gerendis solertia commendandus, qui sub nomine Clementis IV Ecclesiam gubernavit 3 annis et 9 mensibus [1]. Quid hic Pontifex pro componendis rebus Siculis egerit, quidque pro terminanda lite inter Richardum et Iacobum de imperio contendentes ac pro concilianda unione Ecclesiae Graecae cum Latina tentaverit, supra significavimus. Carolo Andegavensi gratulatus est victoriam de Manfredo, qui in Sicilia tyrannidem occupaverat [2], et Conradinum usurpantem titulum Regis Siciliae innodavit anathemate. Iacobo Aragoniae et Alphonso Castellae regibus ad prosequendum bellum contra Mauros centesimam partem redituum ecclesiasticorum in eorum regnis concessit. A Bela rege Hungariae adversus Tartaros, qui Hungaris et Polonis minitabantur, interpellatus, Colociensi et Strigoniensi archiepiscopis potestatem fecit praedicandi cruciatam militiam. Ad restituendam pacem in Dania, ubi iunioris regis Erici inertia discordiae fovebantur, et praesules ecclesiastici multis vexis erant obnoxii, illuc destinavit Guidonem cardinalem, eique Sedis Apostolicae legationem pro Dania finitimisque regionibus credidit. In Angliam, in qua baronum in Henricum regem III rebellionibus res publicae deperibant, legavit Ottobonum diaconum cardinalem, qui coacta an. 1267 apud Nortantoniam synodo, rebelles excommunicationi subdidit, et regi per 7 annos decimam ecclesiasticorum proventuum concessit, si necessitas gerendi contra rebelles belli id exigeret; ad reformandam vero disciplinam in clero, in monachis et populo anno sequente nationalem synodum ex Anglia, Scotia et Hibernia indixit Londini, in qua 54 capitula edita sunt [3].

Magno dolore affectus est Clemens IV e progressionibus Turcarum in Syria et Palaestina; christianos principes maxime s. Ludovicum regem Galliae, ad opem Christianis Syriae ferendam excitavit, eique decimam redituum ecclesiasticorum in regno suo per triennium pro bello sacro dedit [4]. Mortuus est Viterbii anno 1268 cum extremum novembris esset; ibique sepultus, ubi

[1] Nec diem nec mensem electionis eius apud vetustiores Scriptores invenitur. Litterae vero quas de tanto suscepto onere Pontifex scripsit, datae sunt octavo calendas martias an. 1265.

[2] Vid. p. 69

[3] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 857 et 866

[4] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1265-68.

tunc Curia residebat. Ita *annos* 3 et *mens.* 9 Pontifex fuit. « Vir, scribit Ptolomaeus Lucensis [1], magnae probitatis et exempli, quia omnem statum mundi expertus est, et in quolibet virtuose se habuit, et quanto plus crevit in dignitate, tanto plus floruit in sanctitate ».

39. *Cruciata II s. Ludovici* — S. Ludovicus una cum tribus filiis suis crucem e manu Simonis cardinalis legati suscepit; eius exemplum secuti sunt regni proceres, item Carolus rex Siciliae et Eduardus regis Angliae filius, pluriumque millium exercitus collectus est. Convenit inter principes, ut per maritimas Africae oras transmitterent. S. Ludovicus Francorum rex pervenit usque in portum Tunetum; sed cum urbem obsideret, multi milites et rex ipse an. 1270 pestilentia sublati sunt [2]. Philippus III, s. Ludovici filius et successor, cum Carolo rege Siciliae Tunetanam obsidionem continuavit; deinde propter invalescentem hiemis asperitatem et annonae penuriam cum rege Tuneti decennes inducias composuerunt, in quibus inter alia stipulatum est, ut Christiani captivi libertati redderentur, et religio christiana in toto regno libere praedicari et exerceri posset. Post quae Carolus et Philippus, misso itinere Syriaco, cum exercitu domum remigrarunt. Eduardus anglus iter in Syriam prosecutus est, rem forti animo gessit, sed cernens crucigerorum vires valde attritas, omnique spe accipiendi auxilii carens, an. 1272 cum hostibus inducias pepigit ea lege, ut ambae partes belligerantes loca iam occupata retinerent [3].

40. *B. Gregorius X Pontifex* (*an.* 1271)— Pontificis subrogandi comitia Cardinalium contentionibus prorogata sunt in annum fere tertium. Tunc propter dissensiones Cardinalium Apostolica Sedes vacavit 2 annis et 9 mensibus, post quos Cardinales potestatem eligendi Pontificis refuderunt in sex e collegio, qui sic per compromissum an. 1271 calend. septembr. Viterbii elegerunt *Theobaldum* Placentinum, archidiaconum Leodiensem [4], probitate, prudentia et rebus praeclare gestis in Syria commendatum. Electione per caeterorum novem Cardinalium assensum approbata, Theobaldus anno insequenti veniens in Italiam, Viterbium se contulit, postea Romam, ubi vi° cal. april. Pontifex inauguratus et consecratus fuit sub nomine Gregorii X, et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1276. Anno 1274 Lugduni celebravit Concilium generale, ut mox videbimus; pacandis Italiae provinciis et extinguendis Gibelinorum et Guelphorum factionibus constantem operam navavit; conciliandae inter principes christianos concordiae studuit; imperii res inter competitores sic composuit, ut Alphonsus rex Castellae, si quid iuris sibi ex electione sua obtigisset, eo cesserit, et Rodulphus comes Haspurgensis, an. 1273 post mortem Richardi Angli a principibus Germanis electus, ab omnibus susciperetur. Cessit Alphonsus; Rodulphus autem domitis factionibus et dissensionibus, Germaniam pacavit.

41. *Concilium Lugdunense II, generale XIV* (*an.* 1274)—Prae primis B. Gregorius X cordi habuit Christianorum statum in Syria, unionem ecclesiae Graecae cum Latina et morum reformationem. Propter has causas litteris encyclicis antistites et principes ex Oriente et Occidente convocavit ad generale concilium, Lugduni calendis maii 1274 inchoandum. Convenerunt ad hoc concilium 500 episcopi, 70 abbates, alii praelati 1,000; adfuerunt etiam legati Michaëlis Palaeologi imperatoris Graecorum et oratores regum Germaniae, Galliae, Angliae, Siciliae; praesedit Pontifex ipse, curam vero dirigendi concilii demandavit s. Bonaventurae, qui propterea Concilio praesedisse dicitur a Sixto IV in Constitutione Canonizationis eius. Coeptum est concilium nonis maii 1274 et intra 3 menses sex sessionibus absolutum. I^{a} Sessione Gregorius X orationem habuit de causis, propter quas Patres erant convocati. II^{a} Sessione alteram de iisdem fere causis allocutionem habuit. Inter utramque ses-

[1] Lib. 22 *Hist. Eccl.* c. 29.

[2] Joinville, *Vie de s. Louis*; Bolland. *Acta SS.* 25 august.

[3] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1270-72.

[4] « Reperimus alicubi, notat Spondanus (ad an. 1271, § 5), expetitum tunc fuisse B. Philippum Benitium Florentinum Ordinis Servorum ob insignem miraculorum eius famam; at illum re cognita apud montem Tuniatum delituisse, quousque facta esset electio alterius ». Archangelus Gianius (in *Annalibus Ordinis Servorum* t. I, Centur. 1, l. III, c. 17) subiungit: « Id vero indicant cum perantiqua scriptorum traditio, tum vetustae eius imagines Pontificiam tiaram ad pedes habentes, tum etiam temporum illorum usus, quando in huiusmodi vacatione dissidentibus frequenter Cardinalibus, alii etiam non Cardinales, etiam Regulares et Eremitae in Pontifices eligebantur. Nam defuncto Alexandro IV eligitur Urbanus IV, non Cardinalis; post ipsum parum abfuit, quin eligeretur F. Ioannes Vercellensis Generalis Praedicatorum, cuius loco electus fuit Guido Fulcodius absens, nec talia praesumens. Sic Eugenius III ex simplici Abbate Trium Fontium Cisterciensi; sic Urbanus V, ex simplici Abbate s. Victoris Massiliae; sic Clemens V, ex simplici Burdegalae Archiepiscopo; sic Urbanus II, sic Caelestinus V ab eremo praeter intentionem ad Pontificatum evectus ». Vid. quoque Benedictum, XIV, *De Servorum Dei Beatif.* etc. l. III, c. 31, n. 3.

sionem cum episcopis et abbatibus convenit de decimis redituum ecclesiasticorum in subsidium Terrae sanctae per sexennium conferendis. Post II^{m} Sessionem adlatae sunt litterae Hieronymi et Bonagratiae FF. Minorum, qui Constantinopolim legati scribebant, se quam primum ad concilium venturos cum nuntiis Graecorum, qui imperatoris et episcoporum nomine obedientiam R. Ecclesiae profiterentur. III^{a} Sessione lectae sunt aliquot constitutiones. Post haec advenerunt Graecorum legati, qui honorifice excepti sunt, et in missa solemni a Pontifice celebrata, dum Symbolum cantabatur, ter repetiverunt: *Qui a Patre Filioque procedit.* Advenerunt etiam legati Abagae regis Tartarorum, qui cum principibus christianis foedus contra Turcas inire optabat. Unus ex his legatis christianam fidem amplexus, a Petro episcopo Ostiensi baptizatus est. IV^{a} Sessione lectae sunt literae Michaëlis imperatoris et episcoporum Graecorum, in quibus secundum praescriptam sibi formulam profitebantur fidem catholicam, praesertim processionem Spiritus S. e Patre et Filio atque primatum R. Pontificis in universam Ecclesiam; simul postulabant, ut sibi, sicut ante schisma, liceret Symbolum recitare, eosque ritus conservare, qui neque Fidei aut s. Scripturae neque divinis praeceptis aut ss. Patrum vel Conciliorum decretis essent contrarii; et postquam Graecorum legati, abiecto schismate, eamdem Fidei professionem in concilio fecissent, utriusque Ecclesiae unio conclamata est. V^{a} et VI^{a} Sessionibus lectae sunt plures constitutiones, et Pontifex finem concilio constituit.

Exstant huius concilii, quod est inter oecumenica decimum quartum, 31 canones seu constitutiones; quorum 1° definitur, Spiritum S. procedere ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, sed tanquam ex uno principio et unica spiratione; 2° praescribuntur leges de conclavi pro electione R. Pontificis [1]; 3°-11° agitur de electionibus, postulationibus et provisionibus ecclesiarum, praesertim episcopalium; 12° excommunicantur quicumque regalia, custodiam sive guardiam, advocationis vel defensionis titulum in ecclesiis, monasteriis vel aliis piis locis de novo usurpare tentantes, ecclesiarum, monasteriorum aut piorum locorum vacantium bona occuparent; reliquis canonibus decernitur de iis, qui assumendi sunt ad ecclesias parochiales, de temporibus sacrarum ordinationum et ordinandorum dotibus, de bigamis, de officio iudicis ordinarii, de praebendis et dignitatibus, de religiosis familiis aliisque [1].

Absoluto concilio Gregorius Pp. X in Italiam rediens, eumdem Rodulphum obvium habuit Lausanae, pollicentem iureiurando se Ravennae Exarchatum et alias Ecclesiae terras defensurum [2]. Transgressus Alpes accessit Mediolanum, inde Placentiam, atque inde, praetervolans Florentiam, cui ob non servatas leges pacis cum Gibelinis interdixerat sacra; cum pervenisset Aretium, multaque de recuperanda Palaestina animo volveret, IV° idus ianuarii 1276 morte interceptus fuit. Sepultus est summa cum veneratione Aretii: multaque circa illius corpus miracula postmodum subsecuta fidem eius sanctitatis indubiam praebuere [3].

42. *Innocentius V Pontifex* (*an.* 1276)— Post Gregorii obitum Cardinales, ex praescripto legis ab ipso latae, XIII° calend. februar. in conclavi conclusi [4], postriduo elegerunt Innocentium V, antea appellatum Petrum de Tarantasia; qui, primus ex FF. Praedicatorum familia [5], summus Pontifex creatus est, et Aretio profectus Romam VIII° calend. martias in aede Principis Apostolorum inauguratur. Is dissidia Genuensium componere conatus est, Pisanos Lucensibus

---

[1] Prae aliis statutum est, ut, siculi sub Alexandro III, « in quacumque urbe contigerit mori Pontificem, in ea erigatur Conclave, et decimo ab obitu eius die ingrediantur Cardinales singuli, singulis contenti famulis Clericis, seu laicis, incipiantque novi Pontificis electioni operam dare, nemine expectato. Cardinales inclusi in conclavi *nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent in communi.* Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam accipere aut dare epistolam, neminem alloqui sub anathematis poena ».—Sed leges conclavis processu temporis paululum variatae sunt.

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 938 sq. In eodem Concilio constitutum est, ut singuli, gloriosum *Iesu Christi* nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod capitis inclinatione testentur.

[2] Ap. Raynald. ad an. 1275, § 37, 38.

[3] Vid. Bened. XIV, *De Servor. Dei Beat.* etc. l. II, c. 24, § 37, n. 135.

[4] Panvinius, in annot. ad Platinam, p. 179, haec habet: « Eo tempore nequaquam, ut nunc consuetudo est, Cardinales in Conclavi recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romae erant, Laterani, vel in Basilica s. Petri, aut alibi, prout occasio se se offerebat: sin autem extra Urbem, in Ecclesia Cathedrali illius Civitatis, in qua tunc commorabantur, una conveniebant, perinde ac nostro tempore faciunt, cum congregationem sunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes ».

[5] In Ordine Praedicatorum fuit magister in Theologia et magnae litteraturae, unde scripsit super *Sententias* et super *Epistolas Pauli*; s. Antoninus, part. 3, *Chron.* tit. 20, c. 3.

conciliavit, pluraque pro Ecclesiae bono ac splendore meditabatur, quum morbo correptus XI° calendas iulias, post 5 *menses* Pontificatus decubuit.

Hadrianus V — Brevior fuit pontificatus Hadriani V, Genuensis, antea appellatus Ottobonus Fliscus, cardinalis diaconus. Qui post mortem Clementis IV, missus ad s. Philippum Benitium, ut ei Pontificiam dignitatem offerret, tulit ab eo, summum hunc in terris gradum abnuente, responsum, se ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi eo potiturum. Statim post suam electionem, constitutionem Gregorii X, de recludendis Cardinalibus in conclavi pro summi Pontificis electione [1], suspendit, intendens eam aliter ordinare [2]. Mox Roma Viterbium contendit, ubi XV° calendas septembris, post 37 *dies* a sua electione, necdum suscepta sacra Ordinatione (erat enim diaconus), decessit.

Ioannes XXI — Brevis pariter fuit pontificatus Ioannis XX, vulgo XXI, Hadriano V suffecti [3]. Is Lusitanus, antea appellatus Petrus, episcopus Tusculanus, XVII° calend. octobr. an. 1276 creatus est Pontifex. Philippo Galliae et Alphonso Castellae regibus, mutuo inter se bello expeditionem Syriacam, quam prior parabat, retardantibus, Ioannes inducias imperavit; Petro regi Aragoniae ad propulsandos Mauros, et Guidoni comiti Flandriae atque marchioni Namurcensi, arma pro defensione Syriae paranti, decimas redituum ecclesiasticorum in eorum ditionibus concessit; constitutionem Gregorii X de legibus conclavis, ab Hadriano suspensam, abrogavit [4]; unde eius successores usque ad Caelestinum V sine conclavis reclusione creati sunt. Legatos misit, ad Michaëlem Palaeologum, ut ratam facerent pacem Ecclesiae Graecae cum Latina, iuratam ab eius oratoribus in Concilio generali Lugdunensi II. Toto autem Pontificatus tempore, quod intra *menses* octo exactum est, solicitus fuit pro retinenda Terrae Sanctae parte ea, quae adhuc in Christianorum erat potestate. An. 1277 camerae ruina percussus sexto idibus maii, occubuit Viterbii, sepultusque est in aede S. Laurentii.

43. *Nicolaus III* (*an.* 1277) — Ioanne XXI defuncto Apostolica Sedes propter dissensionem Cardinalium vacavit 6 mensibus, post quos Cardinales, a Viterbiensibus longioris morae pertaesis in civitatis praetorium inclusi, an. 1277 ante diem VII cal. decembr., elegerunt Ioannem Caietanum, Ursinum, cardinalem diaconum, — cui adhuc parvulo s. Franciscus Summum Pontificatum praenuntiaverat [1] — et sub Nicolai III nomine Ecclesiam gubernavit 1 *anno* et 9 fere *mensibus*[2]. Is animi magnitudine, morum integritate et singulari in rebus gerendis prudentia claruit; conciliandae inter Galliae et Castellae reges concordiae et restituendae in Italia paci atque abolendis Gibelinorum et Guelphorum factionibus adlaboravit: magni Tartarorum chani legatos excepit, et cum iis misit 5 viros religiosos ex Ordine FF. Minorum Evangelium apud illos ad praedicandum. Eius consilio Rodulphus rex Germanorum omnes donationes, privilegia et iura, a regibus et imperatoribus R. Ecclesiae facta ac concessa, rata habuit, Ludovici Pii, Ottonis M. et Henrici II in eamdem rem diplomata confirmavit, et ab electoribus imperii comprobari iussit [3]. — In conferendis sacerdotiis viros pios et religiosos praeoptavit doctioribus, dicere solitus, *doctrinam vitae probitate destitutam venenum esse immedicabile.* Eidem attribuunt historiae, quod magnus eleemosynarius fuerit; quod devotissime celebrabat, et semper in Missis flebat [4]. Ad impetrandam pacem inter principes christianos statuit, in Missa solemni, postquam Sacerdos dixerit: *Pax Domini*, ante *Agnus Dei*,

---

[1] Cf p. 75.

[2] Apud Raynaldum, ad an. 1276, n. 26.

[3] Petrus M. Campus, lib. 19 *Hist. Placentinae* ad an. 1276, contendit, *Vicedominum de Vice-dominis* Placentinum, Card. Episcopum Praenestinum, Franciscanum, an. 1276 die 5 sept. nomine *Gregorii XI* suffectum fuisse Hadriano V, ac mortuum die insequente. At negat id Franciscus Pagius, in *Breviario Pont. Rom.* t. 3, p. 419, quod nullam de eo mentionem faciant veteres, nullam recentes scriptores, ne illi quidem, qui Ordinis s. Francisci historiam scripserunt ante annum 1628; quo anno Lucas Waddingus, edito tomo altero *Annalium Minorum*, dubitanter loquitur: « Inter hunc (Ioannem XXI) et Hadrianum nescio si audeam alium numerare Pontificem, utpote cuius nullus, qui vitas et seriem scripserit Pontificum, vel minimum meminerit ». Vid. t. 4, ad an. 1276, § 2.

[4] Cum suspensio ab Hadriano facta ante coronationem, invalida fuisset, Ioannes XXI confirmavit.

---

[1] Cf Wadding. in *Annal. Minorum* ad an. 1222, § 3.

[2] Nonnulli, ut est apud Bzovium ad an. 1281, § 1, scripsere, Ioannem Viterbiensem seu Vercellensem, Magistrum Ordinis Praedicatorum Generalem, in locum Nicolai III electum fuisse Pontificem, sed mortuum, antequam acciperet nuntium electionis suae. At commentum id, et fabula est, Ptolomaei Lucensis, et s. Antonini silentio, aliorumque gravissimorum Auctorum, qui de Romanis Pontificibus scripsere, aut Ecclesiasticam Historiam edidere, auctoritate convicta »; ut ait Natalis Alex. *Hist. Eccl.* saec. XIII et XIV, c. 1, a. 2, t. VII.

[3] Rodulphi diplomata extant apud Raynald. ad an. 1278-79. In hoc diplomate rex inter ceteras Romanae Ecclesiae urbes Ferrariam etiam et Comaclum recenset.

[4] Ptolomaeus Lucensis, *Hist. Eccl.* l. XXIII, c. 30.

cantari psalmum *Laetatus sum* cum aliquot versiculis, et *collecta* pro pace [1].

Idem Pontifex Carolum Siciliae Regem deduxit, ut Senatoriam Urbis dignitatem deponeret, editaque constitutione cavit, ne in posterum talis dignitas Regibus aut Principibus externis conferretur, volens insuper eam annuum magistratum esse [2]. Gregorii IX sententiam de stigmatibus D. Francisci confirmavit. Decessit Soriani prope Viterbum xi° calend. septembr. an. 1280. Corpus Romam delatum in aede s. Petri sepultum est.

44. *Status Ecclesiae Graecae* — Vidimus in concilio Lugdunensi II unionem ecclesiae Graecae cum Latina conclamatam. Absoluto concilio B. Gregorius Pp. X cum Graecorum legatis Constantinopolim apocrisiarium misit abbatem Casinensem, eique litteras dedit ad Michaëlem imperatorem eiusque filium Andronicum et ad antistites Graecos, ut abiecto schismate in unione constanter perseverarent. Imperator assensum suum unioni initae testatus est in epistola ad Pontificem, operamque dedit, ut ea effectum suum consequeretur; Iosephum patriarcham Cp. infensissimum unionis hostem, deponendum, et Ioannem Veccum, eruditione, fidei sinceritate et morum integritate clarum, in eius locum subrogandum curavit; quotquot e clero vel optimatibus unioni obsistebant, exilio aliisve poenis affecit. Ioannes Veccus anno 1277 Constantinopoli synodum coëgit, in qua unionis negotium confirmatum fuit, obstinati in schismate Ecclesiae communione exclusi, et epistola scripta ad Ioannem Pp. XXI, in qua praesules Graeci schisma detestati, R. Pontificis summum perfectumque in universam Ecclesiam primatum veramque doctrinam de processione Spiritus S., de septem Sacramentis aliisque professi sunt.

Verumtamen plurimi e clero, populo et monachis unionem aversabantur, cum unitis communicare nolebant, gravissimos tumultus et coniurationes in Michaëlem imperatorem excitarunt; multi etiam, qui unioni assenserant, brevi post ab ea defecerunt. Martinus Pp. IV existimans, tam subitae defectionis auctorem esse Michaëlem imperatorem, tanto magis quod imperator promissa Christianis contra infideles auxilia non praestaret bellumque pararet contra Carolum regem Siciliae, illum an. 1281 excommunicatione perculit. Multi tamen putant, Michaëlem usque ad obitum suum (1283) in unione perseverasse et Martinum IV mala fama fuisse deceptum. Andronicus vero Michaëlis filius et successor, schismaticorum tumultibus minisque excitatus, omnem cum Ecclesia latina concordiam abrupit, et deiecto Ioanne Vecco, in sedem Cp. intrusit Georgium Cyprium, unioni infensissimum. Ioannes Veccus, Georgius Metochita et Constantinus Meliteniota, neque exilio neque carcere fracti, Ecclesiae catholicae causam fortiter defenderunt, et a schismaticorum conviciis vindicarunt. Attamen unitorum numerus magis magisque diminutus est [1].

45. *Martinus IV Pontifex* (*an.* 1281) — Post Nicolai Pp. III mortem Sedes Apostolica, propter Hannibaldensium et Ursinorum aemulationem, vacavit 6 mensibus, post quos viii° calend. mart. 1281 Ecclesiae invitus praeponitur Martinus IV, Gallus, antea appellatus Simon Briensis, vulgo de Bria, presbyter cardinalis, seditque 4 annis et 1 mense. Viterbio profectus Urbem-veterem x° calend. aprilis consecratur. Michaëlem Palaeologum anathematizavit, quod defecisset a Romanae Ecclesiae societate, quam et per Oratores in Concilio Lugdunensi, et ipse deinde per se coram legatis Apostolicis iuraverat usque servaturum. Ipsi Pontifici, tamquam privato cuidam viro, populus Romanus discordiae tollendae gratia contulit Senatoriam Urbis dignitatem, quam ipse restituit Carolo Siciliae rege, cui a Nicolao Pp. III fuerat abrogata, sicuti diximus. Mortuus est Perusiae an. 1285 iv° cal. april. anno quarto, mense, ac die septimo, quam electus fuerat; eodemque loco sepultus miraculis claruit [2].

46. *Vesperae Siculae* (*an.* 1282) — Altero pontificatus Martini IV anno, Siculi immanissimam coniurationem inierunt contra Gallos, quae nomen *Vesperarum Sicularum* accepit. Etenim Petrus III, rex Aragoniae, Caroli Andegavensis, qui sublatis aemulis utriusque Siciliae regnum fuerat adeptus, fortunae invidens, et propter coniugium suum cum Constantia, Manfredi quondam regni Siculi usurpatoris filia, sibi ius ad

---

[1] Bona, *Rer. Liturgicar.* l. II, c. 16, § 4.

[2] Constitutio extat in l. VI *Decretalium*, tit. *De electione et electi potestate*, c. *Fundamenta*.

[1] Georg. Pachymeres, *De gestis Michaëlis Palaeologi*; L. Allat. *De eccl. orient. et occident. perpet. consensione*.

[2] Anno quarto Martini Pontificatus celebratum est Concilium Melfitanum a Gerardo Sabinensi Episcopo Sedis Apost. legato, et cap. 1 statutum, ut *omnes Graeci Clerici in regno Siciliae existentes* Symbolo insererent vocem *Filioque procedit*, eamque profiterentur firmiter, ut est apud Edmundum Martene, t. VII *Veter. Script. et monum.*

illud contendens, Siculos iugum Gallorum aegre ferentes, ad rebellionem excitavit. Anno 1282 pridie calend. april., feria 3ª post Pascha, Panormitani campanarum sonitu ad vesperas convocantium templum Cisterciensium extra moenia adiverant; cumque inter festivas choreas simul reverterentur a militibus andegavensibus, qui porta urbis custodiebant, inquisitionem aliqui passi sunt. Inde irae, quae maximam post hominum memoriam rebellionem incenderunt; hinc coniuratis factionum pactibus, Siculi arma capessiverunt, et in inermes nihilque mali suspicantes Gallos irruentes, omnes, viros, mulieres, pueros internecione deleverunt. Id primo Panormi, deinde in aliis civitatibus perpetratum est. Duarum horarum spatio, ut refert Frazellus mox citandus, octo Francorum millia occisa fuerunt.

Martinus Pp. IV Caroli regis, qui cum Pontifice in Hetruria agens a caede fuerat praeservatus, iura vindicavit, Siculis sub poena excommunicationis in personas et interdicti in loca imperavit, ut ad R. Ecclesiae, in cuius fide erat Siciliae regnum, et Caroli regis obsequium redirent; Petrum regem Aragoniae ab invadenda Sicilia deterruit; copiis a Philippo III rege Francorum in Siciliam destinatis, eamdem indulgentiam concessit, quae pro Terrae sanctae defensione dimicantibus concedebatur. Cum nihilominus Petrus ad occupandam Siciliam classem in eam destinasset, Pontifex eum primo excommunicavit eiusque regnum sacris interdixit, deinde Aragoniae regno ac principatibus Valentiae et Catalauniae privatum declaravit, subditos a iuramento fidei absolvit, et Philippo Francorum regi occupandi eius ditiones potestatem fecit. Reipsa Philippus varias Petri urbes occupavit, sed propter ingruentem copiis suis pestilentiam in Galliam redire coactus, anno 1285 Perpiniani decessit. In Sicilia vero bellum inter reges Neapolitanos et Aragonios multis annis perduravit [1].

47. *Honorius IV Pontifex* (*an.* 1285) — Martino mortuo, consentientibus suffragiis, ivº nonas aprilis an. 1285 Perusiae electus fuit Iacobus Sabellus, Romanus, cardinalis diaconus, qui nomen Honorii IV assumpsit, et Romae inauguratus est. Iussu eius Arabica et aliae exoticae linguae, ut ad Saracenos et Orientales schismaticos in catholica fide erudiendos perutiles atque adeo necessariae, Parisiis tradi coeptae. Is Caroli II regis Neapolis et R. Ecclesiae iura adversus Iacobum Aragonium vindicavit; Siculos ad officium redeuntes a censuris absolvi iussit, et durioribus oneribus, quibus a Friderico, Conrado et Manfredo fuerant gravati, levavit; Venetos, quos Bernardus, episcopus Portuensis et Martini IV legatus, propter favorem Petro Aragonio praestitum sacris interdixerat, spondentes, se nunquam rebellibus Siculis opem tulisse aut laturos, absolvit; Ladislaum regem Hungariae, qui repudiata legitima coniuge, pellices fovebat, et Tartaros aliosque infideles familiari consortio cum Religionis periculo dignabatur, graviter corripuit, et archiepiscopo Strigoniensi mandavit, ut eum ecclesiasticis censuris in ordinem reduceret [1].

Ordo *Carmelitarum*, qui *prius in Concilio* Lugdunensi II, oecumenico XIV, *remanserat in suspenso* [2], per eum confirmatus est; et vestis decentior, qua etiam nunc ii Religiosi utuntur, iisdem tradita est [3]. Approbavit quoque Honorius IV Ordinem Eremitarum s. Augustini, et novam Mendicantium sectam, sub nomine *Ordinis Apostolorum*, condemnavit. Suprema post

---

[1] Frazell. *De rebus Siculis*, dec. 2, l. VIII, c. 4; Raynaldus et Spondanus, ad an. 1282-1283. — Infensissimi Ecclesiae catholicae hostes, qui, historiae monumenta propriis placitis fingentes, praecipuam iurgii causam inferre conantur, extremo mense martio 1882 Panormi *Vesperarum Sicularum* sextum centenarium celebrarunt, et praeter modum in Romanos Pontifices et Ecclesiam contumeliam iniicierunt, ut qui ex constituto ibi convenerant, coniiciendis certatim probris in Pontifices Romanos visi sint convenisse. Episcopatus Siculus solemniter protestatus est, et die 6 april. 1882 submissa Leoni Pp. XIII epistola omnia eorumdem convicia summa voluntatum concordia deplorarunt; cui Pontifex ut de tot tantisque iniuriis Ecclesiae et Pontificatui Romano impositis quaerelas publice testaretur, per Epistolam Encyclicam die 22 april. 1882 (*Sicut multa*) Episcopis Siculae regionis datam, summorum Pontificum memoriam ab improborum hominum contemptionibus vindicavit. Vid. *La Scienza e la Fede*, vol. CXXVI, p. 253 sqq. Legere quoque interest, *I Papi ed i Vespri Siciliani con documenti inediti o rari*, Roma, tip. G. Via, 1882, in-8°.

[1] Raynald. et Spondan. ad an. 1285-87.

[2] Lege Gregorii X *Constitut.* 23, in memorato Lugdunensi Concilio sancitam, ap. Labbe, *Concil.* t. II, part. I, p. 989 et Harduin. t. VII, p. 715.

[3] S. Antoninus (in *Chron.* part. III, tit. 20, c. 5), « Eo tempore, *scribit*, cum fratres Ordinis Carmelitarum deferrent *habitum*, qui minus convenire videbatur viris religiosis... *quem* asserebant fuisse Heliae Prophetae habitantis in monte Carmelo..., Papa Honorius VI mandavit, habitum illum dimittere, et deferre desuper cappas ex toto albas, et tunicas subtus griseas cum scapularibus... Hi habuerunt initium sub quodam Patriarcha Hierosolymitano, cum in Syria habitabant Christiani Hierosolymis, et aliis multis civitatibus » (cf p. 40 sq voluminis huius). Addit Sanctus, eos a Saracenis expulsos de monte Carmelo, *unde Carmelitae dicuntur*, *non quod ab Helia habuerint initium*. Vid. quoque Sandini, *Histor. Apostol. in s. Ioanne Baptist.* annot. 5.

biennium Pontificatus illius fuit dies tertia aprilis an. 1287.

48. *Dissidia Franciscanorum* — Interea dissidia gravia exorta et multis annis continuata sunt in celebri Franciscanorum Ordine de principali regulae praescripto seu paupertate. Eorum primus auctor fuit Elias, qui s. Francisci in Ægytum profecti vicibus fungens, regulam in nonnullis, praesertim quae possessionem rerum temporalium spectabant, mitigaverat. S. Franciscus, ex Ægypto redux, introductas mitigationes abrogaverat; sed post eius obitum idem Elias, constitutus Minister generalis, priores suas mitigationes restituit, multosque in partes suas pertraxit, qui, etiam post iteratam Eliae depositionem, in sua sententia perstiterunt; alii vero primigenium regulae rigorem propugnabant. Innocentius Pp. IV ad restituendam concordiam an. 1245 regulam de paupertate ita interpretatus erat, ut Franciscani fundos, aedes, supellectilia, libros, aliaque habere, iisque uti possent, eorum vero ius, dominium et proprietas pertinerent ad Apostolicam Sedem, sine cuius consensu nihil eorum vendere, permutare, aut alienare possent. Verum istam interpretationem rigidiores Franciscani evangelicae paupertati, quam voverant, contrariam esse contenderunt; nonnulli ipsam Apostolicam Sedem propter rerum temporalium possessionem aversati, ad Ioachitarum deliramenta delapsi sunt, asserentes, regulam s. Francisci esse Evangelium Spiritus S. in aeternum duraturum. Nicolaus Pp. III, ut gliscentem discordiam exstingueret, an. 1279 celebri bulla *Exiit qui seminat*, abdicationem proprietatis omnium rerum, quam regula tum in communi, tum in particulari praescribebat, ita exposuit, ut Franciscani librorum aliarumque rerum mobilium usum, ad vitae sustentationem necessarium, sine superfluitate haberent; proprietas vero esset apud Apostolicam Sedem, et ad hanc etiam pertineret dominium domorum, quae vel eleemosynis exstructae, vel Ordini in perpetuum donatae fuissent. Huic interpretationi plerique assenserunt; aliqui dissenserunt, qui, ut se contra auctoritatem Ministri generalis tutarentur, an. 1294 confugerunt ad Caelestinum Pp. V, a quo impetrarunt facultatem constituendi separatam Congregationem, ita tamen ut non Fratres minores sed Pauperes eremitae Caelestini appellarentur; sed Bonifacius Pp. VIII, Caelestini successor, istam Congregationem abrogavit, segregesque ad Ministri generalis obedientiam redire iussit. Alii quidem paruerunt, alii vero in Sicilia, Provincia et Occitania coactis coetibus, nova dissensionis semina sparserunt [1].

His in Gallia robur addidit Ioannes Olivi vel de Oliva, qui in sua *Postilla* seu Commentario in Apocalypsim contendit, cum s. Francisco coepisse novum Ecclesiae statum, in quo, reprobata Romana Ecclesia, formanda erat Ecclesia spiritualis; regulam s. Francisci, quam Christus et Apostoli ad litteram observaverant, esse proprie Evangelium; et Christi lex, vita atque crux per s. Franciscum renovanda. E quibus commentis alia haeretica et blasphema deduxit. Obiit Olivi an. 1297. Ioannes Pp. XXII errores ex eius scriptis excerptos an. 1326 condemnavit, et auctoris ossa exhumata in cineres concremata sunt [2]. Demum nonnulli rebelles Franciscani rigidioris observantiae praetextu ab Ecclesia discesserunt et haereticas sectas constituerunt, ut infra videbimus.

49. *Nicolaus IV Pontifex* (*an.* 1288) — Quum Honorius Pp. IV e vita exiisset, Apostolica Sedes vacavit mensibus amplius 10, post quos communi suffragio VIII° calend. mart. 1288 electus fuit Hieronymus Tineus, Asculanus, tituli s. Prudentiae cardinalis; qui primus ex Ordine s. Francisci renuntiatus est Pontifex ad s. Sabinam, et biduo post coronatus apud *s. Petrum.* Is non nisi aegre summum sacerdotium suscepit, eoque sub Nicolai IV nomine functus est usque ad annum 1292. Siculos ad R. Ecclesiae obsequium redire iussit; Carolum II cui *claudo* additur cognomen, regem Siciliae et Apuliae Reate coronavit in easdem conditiones, in quas pater eius fuerat a Clemente IV inauguratus; Iacobum Aragonium, qui regnum Siciliae invaserat bellumque contra Carolum gerebat, anathemate perculit. Inter Dionysium regem Lusitaniae et clerum concordiam restituit, confectasque inter utramque partem leges de ecclesiarum personarum ecclesiasticarum libertatibus et iuribus confirmavit. Quum Pontifex audivisset, magistratus regios in Anglia libertatem iurisdictionis ecclesiasticae impedire, executioni Apostolicarum lit-

---

[1] Wadding, *Annales Minor.* t. III, IV et V.

[2] F. Pegna, Comment. 51 in part. II *Director. Inquisit*; Balut. *Miscellan.* t. I; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XIII-XIV, c. 3, a. 9; Dermitius (*Nitela Franciscana*), Wadding (*Op.* cit. ad an. 1298), Ioannem Olivi ab haeresi vindicare conantur, dicuntque, eum ab invidis sodalibus fuisse falso accusatum.

terarum de negotiis fori ecclesiastici adversari, causasque ecclesiasticas ad sua tribunalia evocare, imperavit Eduardo regi IV, ut pravas istas consuetudines corrigeret. A senatu Veneto impetravit, ut in eius ditione censores Fidei publico aerario sustentarentur. Ad propagandam Fidem praecones Evangelii e FF. Minorum et Praedicatorum Ordinibus destinavit ad Bulgaros, Tartaros aliosque. Ad promovenda litterarum et scientiarum studia concessit, ut apud Montempessulanum et Graiacum Academiae erigerentur; Olysipponensem Academiam a Dionysio rege excitatam, confirmavit eique iura et privilegia conferendi magisterii lauream concessit [1]. Itidem confirmasse scribitur litteras Alexandri IV de veritate stigmatum s. Francisci [2]. Anno 1292, pridie nonas aprilis, die sacro Parasceves obiit, cum *annos* 4, *mensem* et *dies* 14 Pontificatum egisset.

50. *Scriptores ecclesiastici* — Scriptoribus ecclesiasticis, qui hac aetate floruerunt, adnumerandi sunt, Rogerius Bacon, anglus, Ordinis s. Francisci et doctor Oxoniensis, qui tanta ingenii solertia naturae arcana et latentes rerum causas indagavit, ut aliquando in magiae suspicionem venerit; inter praecipua eius opera est illud, quod Opus maius inscribitur [3]; Henricus Goethals, patria et cognomine Gandavensis, e professore Parisiensi archidiaconus Tornacensis, qui reliquit Summam Theologiae, Quodlibeta Theologica in IV libros Sententiarum et librum de viris illustribus; Ioannes Duns, cognomento Scotus, Ordinis s. Francisci, qui Oxoniae, Parisiis et Coloniae summa cum laude disciplinas philosophicas et theologicas tradidit, pluraque scripta philosophico-theologica reliquit [4]; Natalis Herveus, Ord. Praed. et prof. Parisiens. scripsit Comment. in IV lib. Sentent., Quodlibeta philosoph.-theolog., Quaest. et Tract. de peccato originali, Sacramentis aliis; Franc. Mayro, Ord. s. Franc. et prof. Parisiens. e cuius scriptis supersunt Comment. in Genesim et in Magistr. Sententiar., Quaestion. exegetic. et Tract. theologici; Guilielmus Durandus, e doctore Bononiensi episcopus Mimatensis, qui edidit Speculum et Repertorium iuris atque Rationale divinorum officiorum; Iacobus Ligur., a loco natali dictus de Voragine, e provinciali FF. Praed. archiepiscopus Genuensis, qui scripsit Legendam seu vitas Sanctorum, Chronicon Genuense et Sermones; Martinus patria et nomine Polonus, e poenitentiario Nicolai IV creatus archiepiscopus Gnesnensis, qui reliquit Chronicon a Christo nato usque ad annum 1277 [1].

51. *Christianorum regni in Syria finis* (*an.* 1291)—In Syria interea Christianorum principatus ad ruinam properabat. An. 1289 sultanus Ægypti expugnavit Tripolim et ingentem Christianorum stragem edidit; reliqui confugerunt Ptolemaidem seu Acram, quo etiam se receperunt equites Hospitalarii, Templarii et Teutonici, rex Cypri et Hierosolymorum, patriarcha aliique. An. 1291 sultanus Ptolemaidem obsedit, undequaque oppugnavit et tandem cepit. Christiani terrore fracti et ad resistendum hostibus impares, loca quae adhuc in maris Syriaci ora habebant, reliquerunt, et confugerunt in insulam Cyprum [2].

Eodem anno, quo Christianorum principatus in Syria deletus est, sacra aedicula Nazarethana, in qua B. V. Maria mundi Salvatorem conceperat, angelorum, ut traditur, ministerio e Syria translata est in Dalmatiam atque in summa planitie montis Adriatico mari impendentis inter Tersactum et Flumen collocata; inde an. 1294 IV° idus decembr. transvecta fuit Lauretum in Piceno, ubi usque hodie piis Christianorum peregrinationibus donisque honoratur [3].

Nicolaus Pp. IV omnia tentavit ad excitandum bellum sacrum contra Turcarum progressiones, litterasque scripsit ad ecclesiarum praesules, ad principes Europaeos, ad imperatorem Graecorum regesque Tartarorum, Armenorum, Georgianorum et Iberorum. Verum priscus suscipiendae crucis bellique Orientalis ardor ubique tepuerat, et posthaec cruciatis expeditionibus ad vindicandam a mahometano iugo Terram sanctam nuncium remissum fuit.

52. *Cruciatarum exitus* — RR. Pontificum et Catholicorum adversarii, praesertim increduli scriptores saec. XVIII, cruciatas expeditiones tetris coloribus depinxerunt; verum iustissimas et gravissimas harum expeditionum causas ingentesque utilitates ex iis Ecclesiae et societati obortas quisque

---

[1] Raynald. ad an 1288-91. — [2] Vide annot. 2, p. 69, col. 1, nec non p. 77.

[3] Londini 1733, in-fol. et Venet. 1810, in 4°.

[4] Lugdun. 1639, 12 tom. in fol. Cum Scotus nonnullas opiniones propugnasset a sententiis s. Thomae Aquinatis discrepantes, inde in Scholis enata sunt notissima Scotistarum et Thomistarum dissidia.

[1] Argentorat. 1685, in fol.

[2] Ptolom. Lucen., *Hist. eccl.* l. XXIV; D. Antonin., *Chron.* part. III, tit. 20; Raynald. ad an. 1289 et 1291.

[3] Sandini, *Historia Familiae sacrae*, c. 1; Martorelli, *Theatr. hist. domus Nazareth*. Rom. 1732.

perspiciet, qui illarum originem et effectus aequa et iusta mente perpenderit. Non enim res unice vertebatur in vindicandis Christianorum in Terram sanctam peregrinationibus, in restituenda s. Sepulcri libertate, sed utra religio, christiana ne an mahometana, orbis imperium haberet; utrum christiana libertas an vero mahometana tyrannis Orienti et Occidenti imperitaret. Europaei progressionibus Saracenorum et miseranda tot Christianorum sub dura barbarorum tyrannide gementium sorte excitati, arma capessiverunt, tum ut fratres suos a servitute in libertatem vindicarent, tum ut impedirent, ne universus orbis Turcarum praeda fieret.

De gravibus iustisque sacrorum bellorum causis supra diximus [1]. Quantum ad illorum effectus pertinet, ea bella non tantum illo, quo suscepta sunt, aevo et proxime sequente, sed posteris etiam saeculis vim et efficaciam in multiplicem populorum regnorumque utilitatem exercuerunt et multa regenerandae Europae salubria praeparaverunt. Cruciatarum expeditionum occasione cessarunt in Occidente creberrima illa bella inter privatos, inter reges et vassallos; regum potestas aucta est vel vacantium feudorum ad eos reditu vel frequenti bonorum allodialium emptione; principes arctiori vinculo inter se copulati, vires in communem finem coniungere et politicas consociationes inire coeperunt; conditio servilis partim tolerabilior reddita est; Ordines equestres, civitates aliaque Instituta effloruerunt; litterarum, scientiarum, artium et commercii studia atque cultura praeclarissimis monumentis et instrumentis aucta sunt [2].

53. *S. Caelestinus V Pontifex* (*an.* 1294) Post mortem Nicolai Pp. IV, Apostolica Sedes vacavit 2 annis et 3 mensibus; tandem Cardinales an. 1294, III° nonas iulii, *Caelestino V* munus Ecclesiae administrandae consensu iniungunt. Patria hic Molisinus, professione monachus, Petrus de Murrone cognominatus a monte eiusdem nominis duobus ab Sulmone millibus, in quo genus vitae asperrimum ducebat [3], primo Pontificatum recusavit, deinde precibus fessus invitus suscepit. Aquilae consecrari voluit, quam urbem iniit asello vectus, Regibus Siciliae et Hungariae praeeuntibus ad frena [1]. Is ad accelerandam Pontificum electionem restituit et ratam esse iussit constitutionem Gregorii X de reclusione Cardinalium in conclavi; Congregationem, quam sub regula s. Augustini instituerat, quaeque deinceps Caelestinorum dicta est, confirmavit et multis privilegiis auxit; Neapoli quam Romae sedere maluit [2]. Post 5 menses regiminis consilium iniit se abdicandi pontificatu, quem invitus susceperat, tum quod illius curis distractus, consuetis piis exercitiis vacare non posset, tum quod gerendo oneri se imparem intelligeret; igitur audito Cardinalium et virorum doctorum consilio, constitutionem edidit, qua, auctoritate Apostolica, statuit et decrevit, Pontificem se pontificatu abdicare posse [3], et secundum hanc ipsam constitutionem in consistorio Pontificatu cessit.

Quare idibus decembris 1294, exemplo memorabili virtutis, deposuit Pontificatum mense quinto et die octavo, quam ei demandatus fuerat. Postea latuit. Latitantem perquiri iussit successor eius Bonifacius VIII, inventumque in arcem Fumonis includi, ad periculum schismatis evitandum [4]. Ex ea custodia an. 1296 XIV° cal. iunii evolavit ad superos; sepultusque est Ferentini in Coenobio sui Ordinis.

De hac tam singulari depositione varie locuti sunt scriptores: alii Caelestinum in hac re arguerunt degeneris et abiecti animi [5]; alii eum commendarunt de tran-

---

[1] Vid. p. 17 sqq.

[2] Bergier, *Dictionn. theol.* art. *Croisades*; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 7.

[3] Est Molisium nomen castri, unde Molisinus comitatus, in quo est Aesernia, aliaeque civitates; locus ille vero quasi anceps haeret inter Aprutium et Terram Laboris.

---

[1] Petrus de Alliaco, l. II, c. 11, apud Raynaldum ad an. 1294, § 11, inquit: *Hoc ab eo factum est non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, sed singulari humilitate, qua a sancta rusticitatis monasticae consuetudine nec facile, nec cito avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus sive in equis sive in vestibus, ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, a tempore B. Silvestri Pp. Ss. Patres non solum Summi Pontifices, sed et alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi et Ecclesiae eius gloriam extollendam introduxisse credendi sunt.*

[2] Vid. Sandini, *Vitae PP. RR.* sub *Caelestin. V.*

[3] Extat inter *Constitutiones* quas *de fratrum suorum consilio* Bonifacius VIII *redigendas duxit*, ut patet ex cap. *Quoniam* 1, *De renuntiatione* in 6. Qui tenent, Caelestinum V fuisse primum Papatus renuntiatorem, consulant S. Petrum Damiani in *Epist.* 9 ad Nicolaum II (quod est opusc. XIX *de abdication. Episcop.* c. 3) p. 213 t. III, ubi scribit etiam Ioannem XIX sponte Pontificatum suum renuntiasse.

[4] Ptolomaeus Lucensis, *Hist. Eccl.* l. 24, c. 34. « In custodia ponitur et tenetur pro cavendo scandalo Romanae Ecclesiae, quia apud aliquos dubitabatur, an cedere potuisset, et sic poterat schisma in Ecclesia generari. Tentus igitur in custodia non quidem libera, honesta tamen, in Castro Fumonis in Campania ».

[5] Uti Dantes, in *Infern.* III, 59. De sententia Dantis in hoc sui poematis loco consulere iuvat Benev. de

quillitatis studio et christianae humilitatis amore[1]; sed, ut monet D. Antoninus, magis inhaerendum est iudicio Ecclesiae, quae Caelestinum propter sanctitatem et miracula, quibus tum post tum ante pontificatum claruit, Ssrum numero adscripsit[2].

54. *Bonifacius VIII Pontifex* (*an.*1294) — Cum s. Caelestinus V, sponte oneri et honori renunciasset, Cardinales, die decimo quam ille se Pontificatu abdicaverat, secundum Constitutionem Gregorianam conclave ingressi, postero die, IX° calendas ianuarii Neapoli elegerunt Bonifacium VIII Anagninum, antea dictum Benedictum cardinalem Caietanum, de quo D. Antoninus haec praedicat: « Vir utique prudens, et litteratus, et magni animi, zelator magnus, et conservator iurium Ecclesiae[3] ». Inde Romam profectus IV° nonas ianuarii Pontifex inauguratus est. Tunc Pontificatum cepit, gravissimas poenas decernens in eos qui ausu sacrilego Cardinales laedere tentassent[4]. Attamen non defuerunt, qui partium studio abrepti, memoriam huius Pontificis variis accusationibus obscurarent. In primis eum accusarunt, quod Caelestinum V ad dimittendum pontificatum compulerit, quod summum sacerdotium potentia Caroli II regis Neapolitani consecutus sit, quodque decessorem suum in arcta custodia tot molestiis affecerit, ut is non multo post vivere desierit. Verum scriptores aequales testantur, Bonifacium VIII Caelestino abdicationem dissuasisse; hunc libere et sponte pontificatum deposuisse; illum legitimis Cardinalium suffragiis fuisse electum; decessorem suum perhumaniter habuisse, et unice ad praecludendam schismati viam in honesta custodia tenuisse; quod nonnulli abdicationem illius esse illegitimam atque adeo electionem Bonifacii nullam contendentes, Caelestino suaderent, ut pontificatus insignia resumeret. Falsa etiam est ea accusatio, quod Bonifacius VIII in politicis principum negotiis dominari, et dirimendis rebus, auctoritati suae non subiectis, se immiscere voluerit, praesertim in causa belli inter Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges. E perspicuis enim monumentis evincitur, lites politicas medio aevo passim RR. Pontificum arbitrio fuisse compositas, ipsosque principes christianos, nominatim praedictos reges, eam rationem dirimendi controversias optavisse. Interim iusta ratio, qua Bonifacius VIII in gravioribus negotiis usus est, magis patebit e dicendis[1].

In primis Bonifacius Pp. conciliandae inter principes christianos paci adlaboravit; in hunc finem legatos misit ad Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges, dissidio belloque se inter se divisos; cumque hac legatione nihil effecisset, bellumque acrius ageretur, an. 1296 duobus regibus inducias suasit, et post biennium pacem inter eos constituit, cum ambo in Pontificem veluti arbitrum compromisissent[2]. In Sicilia et Aragonia lites ita composuit, ut Iacobus omne ius in Siciliam cederet Carolo II, ipse vero regni Aragoniae, principatus Valentiae et comitatus Barcinonensis investituram acciperet a Legato apostolico[3]; sed cum Siculi dominationis Francicae exosi, Fridericum, Iacobi fratrem, regem salutassent, bellum recruduit; tandem pax composita fuit ea lege, ut Fridericus Eleonoram, Caroli II filiam, uxorem duceret et dotis profectitiae nomine retineret Siciliam, quae post eius mortem ad Carolum huiusque haeredes rediret[4]. In Germania post mortem Rodulphi (1291) electus fuit Adulphus, comes Nassoviae; sed postea propter avaritiam suam et iniustitiam omnibus invisus, an. 1298 in comitiis Moguntinis depositus est, et in locum eius electus Albertus, dux Austriae, a quo Adulphus eodem anno victus et caesus fuit. Albertus nuntios Romam misit, ut a Pontifice electionis suae confirmationem impetraret. Bonifacius VIII eum propter periurii et laesae maiestatis crimina increpuit, et solum postquam is spopon-

Imola *Comment.* in *Divinam Comoediam*, apud Murator. *Antiquitat. Italic. medii aevi*, t. I; Victorellus in *Addition*, ad Ciaconium t. II; Cardinalis Petra, *Comment.* ad *Constitut. Apostol.* t. III, n. 5. Qui omnes non levibus ducti rationibus tenuerunt, Dantem non de Caelestino V, sed de Esau locutum. Is enim fecisset magnam refutationem, quando renuntiavit omnia primogenita sua fratri Iacob. Caeterum alii putant, poetam sermonem fecisse de Florentiae gentibus *de' Cerchi*; vid. quoque *La Scienza e La Fede*, vol. CXXI, pp. 367 sqq.

[1] Uti Franc. Petrarca; vid. *De vita solitaria*, t. II, sect. 3, c. 18.

[2] D. Antonin. *Chron.* part. III, tit. 20, c. 8; Bolland *Acta SS.* 19 maii.

[3] Loc. cit. § 1.

[4] Extat decretum cap. *Felicis recordation.* 5, *De poenis* in 6.

[1] I. B. Palma, *Praeect. Hist. eccl.* t. II, part. II, c 11: N. Card Wiseman, *Dissertatio de Bonifacio VIII* lecta in Romana catholica e Religionis Academia, pridie nonas iunii 1840.

[2] Raynald. ad an 1298.

[3] Clemens V (ap. Raynald. ad an. 1304, § 16) addit: « Sardiniam, Corsicamque insulas Iacobo regi Aragonio in perpetuum feudum Bonifacius VIII concessit ». — [4] Raynald. ad an. 1302-3.

disset, se mandatis Sedis Apostolicae satisfacturum, emendatis electionis vitiis, ei Romanum imperium confirmavit [1].

Gravius negotium hic Pontifex habuit cum Columnensibus. Erat Columnensium familia inter Romanas potentissima, duosque hoc tempore habebat cardinales, Iacobum et Petrum. Uterque cardinalis electioni Bonifacii in conclavi suffragatus fuerat; unde falsum est, quod quidam scripserunt, hunc Pontificem severe egisse cum Columnensibus, quod suae electioni repugnassent. Causa dissidii fuit, quod Columnenses factioni Gibelinorum dediti et a Friderico Siciliae invasore contra Bonifacium VIII excitati, res novas et defectionem machinarentur. Quapropter Pontifex ad reprimenda imminentia mala et ad tuendam patriae concordiam, arces Praenesten, Columnam et Zagarolium, quas Columnenses tenebant, repetiit; quas cum illi tradere nollent et Pontificis imperio obtrectarent, Bonifacius utrumque cardinalem, Iacobum et Petrum, cardinalatus honore et dignitate privavit. Illi vero in Pontificem rebelles, quaquaversum vulgarunt libellum, in quo contendebant, Bonifacium non esse legitimum Papam, quod malis artibus et vivente Caelestino V, cuius abdicationem dicebant non fuisse liberam, esset ordinatus. Quapropter Bonifacius VIII illos eorumque fautores tanquam schismaticos damnavit, Iacobum et Petrum cardinales omnibus beneficiis ecclesiasticis privatos, cum Agapito, Stephano et Sciarra Columnensibus proscripsit, eorumque bona fisco addixit, civitatem Praenesten, in qua Columnenses se tutabantur, expugnari aliamque iuxta, quae Papalis appellata fuit, exstrui iussit [2].

55. *Annus Iubilaei* (*an.* 1300) — Inter celebriora Bonifacii VIII facta recensendum est, quod an. 1300 iubilaei gratiam seu plenissimam omnium peccatorum et poenarum veniam concesserit omnibus, qui poenitentes et confessi, Romae basilicas Apostolorum devote visitarent, Romani saltem 30, peregrini aut forenses 15 diebus. Decrevit praeterea, singulo anno centesimo iubilaeum in Urbe celebrandum [3]. Fertur autem, tantam ex omni orbe catholico hominum multitudinem lucrandi iubilaei causa Romam convenisse, ut magna anni parte non minus 200,000 peregrini in Urbe visi sint [1].

Porro e Guilielmo Ventura Estensi, horum temporum chronographo, et e primis Bullae Bonifacii VIII verbis: « Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de Urbe, concessae sunt remissiones et indulgentiae peccatorum », concluditur, iubilaeum a Bonifacio VIII non tam institutum quam restauratum fuisse. Quum autem plurimi propter humanae vitae brevitatem iubilaeo anni centesimi frustrarentur, postea Clemens Pp. VI iubilaeum saeculare ad singulum annum 50[m], Urbanus VI ad 33[m], Paulus II ad 25[m] extenderunt [2].

Quanta pietate Christiani omnibus ad nostram usque aetatem temporibus iubilaei Indulgentiam mereri studuerint, monumenta ecclesiastica testantur. Certe Religioni utilissimum et maxime honorificum est, iubilaei annum Romae celebrare; id enim plurimum conducit ad Dei Optimi Maximi misericordiam fructuosius et uberius implorandam, ad sanctioris vitae rationem ineundam, ad D. Petri memoriam honorandam, ad R. Pontificis in universam Ecclesiam primatum venerandum, ad unitatem Ecclesiae catholicae et centrum eiusdem unitatis omnibus significandum.

56. *Lis inter Bonifacium VIII et Philippum Pulcrum* — Vidimus supra, quantum negotium Bonifacius VIII habuerit cum Columnensibus; aliud gravissimum eidem Pontifici facessivit Philippus rex Galliae, cognomine Pulcher. Etenim quum hoc aevo summi imperantes ad gerenda bella, quae erant frequentia, clericos et ecclesias multis exactionibus oneribusque, a quibus secundum canonicas et civiles leges erant immunes, gravarent, concilia generalia Lateranense III et IV atque Alexander Pp. IV graviter prohibuerant, ne laica potestas ecclesias oneribus gravaret. Bonifacius VIII animadvertens, principes saeculares, praesertim Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges, bello distractos, nova quotidie vectigalia ab ecclesiasticis personis exigere et arbitratu suo decimam vel vigesimam ecclesiasticorum redituum partem tributi

---

[1] *Epist.* 5 et 11, l. VII; et 21-22, l. IX.

[2] Palma et Wiseman, loc. cit.; Raynald. ad an. 1296-97.

[3] *Extravagant. De poenit. et remiss.* inter communes, l. V, c. *Antiquor.* — Pouget, *Institut. Catholic.* t. I, sect. I, c. 4, § 20, inquit: *Primus omnium Xystus IX Indulgentiam hanc* Iubilaeum *appellarit, quia multum habet convenientiae cum anno Iudaeorum Iubilaeo.* Vid. quoque p. 99 in not.

[1] Raynaldus et Spondaaus, ad an. 1300.

[2] Phoebeus, *De anno Iubilaei*, c. 5; Card. Petra *in Constitut. 7 Bonifacii XIII*; Rigant, *in Regulam* 54 *Cancellariae.*

*

nomine imperare, an. 1296 Constitutionem edidit *Clericis laicos*, in qua sub poena excommunicationis vetuit, ne praesules, clerici aut religiosi huiusmodi exactiones penderent aut promitterent, et ne quis eas imperaret aut exigeret, sine Sedis Apostolicae auctoritate [1]. Eduardus rex Angliae primo iratus, sed mox animo mutatus, coram clero facti sui veniam petiit. Philippus vero rex Galliae, indignatus ac si iura sua per dictam Constitutionem essent violata, ad reddendam Pontifici vicem, extraneos regni sui ingressu interdixit, vetuitque, ne pecunia aliave res bello utilis extra regnum efferretur sine suo consensu.

Quum id audivisset Bonifacius Pp., litteras benevolentiae plenas ad regem dedit, in quibus questus est de hominibus, qui Constitutionem suam male interpretabantur, declaravitque, se in ea non absolute cavisse, ne clerici pro defensione et necessitate régis aut regni subsidia praestarent, sed ne id fieret sine Apostolicae Sedis consensu, perpensis intolerabilibus exactionibus, quae ecclesiis et ecclesiasticis personis imperabantur; regem precatus est, ut sive tacita sive expressa supra dicti decreti explicatione efficeret, ne illud de ecclesiis aut ecclesiasticis ministris intelligeretur; non quod per illud Apostolica Sedes magna pecuniae copia privaretur, ut aliqui asserere ausi sunt, sed quod istud decretum in ecclesiasticam libertatem impingeret et negotium Terrae sanctae, quod Pontifex meditabatur, impediret. Ad clerum Galliae scripsit, libertatem Ecclesiae quidem sibi cordi esse, eamque se tueri velle, mentem tamen suam esse, ut regi et regno in casu communis et evidentis necessitatis subsidium a clero tribui posset [2].

Verum Philippus rex petulantius ecclesiarum iura et libertatem violavit; regalium praetextu ecclesiastica bona occupavit, beneficia et episcopatus pro libitu suo contulit, episcopos Pontifici deditos deposuit, decimas ad bellum sacrum destinatas in alios usus convertit; Bernardum episcopum Apamiensem, Pontificis legatum, in vincula coniecit. Quae omnia a rege vel saltem eius auctoritate perpetrata, Bonifacium Pp. necessario moverunt ad constanter agendam Ecclesiae causam. Inter plures litteras, quas ea de causa ad regem dedit, celebres sunt illae, quarum initium est: *Ausculta, fili*,

[1] *Decretal.* l. VI, cap. 3 *De immunitat. ecclesiarum.*
[2] Pontificis litteras recitat Raynaldus ad an. 1296-97.

quasque scripsit nonis decembris 1301. In his litteris Pontifex Philippum ad invadendis ecclesiarum iuribus et bonis aliisque iniquitatibus deterruit, et ad componenda dissidia regem, episcopos et doctores Galliae Romam ad synodum vocavit [1].

Pontificis hostes, praesertim Petrus Flotta regni cancellarius, Bonifacii litteras perfide interpolarunt, et multa superbe et arroganter dicta ei attribuerunt. Unde rex magis commotus, legatos Pontificis regno eiecit, et IV° idus aprilis 1302 regni comitia Parisiis convocavit. In his multa falsa et iniuriosa de Bonifacio VIII prolata sunt, ac si regia iura violaret et regem ad recognoscendum regnum suum ab Ecclesia cogeret; secundum quae proceres laici maiestati regiae applauserunt; ecclesiastici vero inducias ad deliberandum postularunt et concordiam inter Apostolicam Sedem regnumque conservandam suaserunt; sed ad dicendam sine mora pro rege sententiam coacti, ei in eius personae, honoris iuriumque defensione consilia et auxilia debita promiserunt, simulque rogarunt, ut sibi secundum Pontificis mandatum ad Romanam synodum properare liceret, quod rex iis severe prohibuit.

Bonifacius VIII, in Consistorio sub finem augusti habito, litteras suas ad Philippum a falsis interpretationibus et a suppositiis sub nomine suo confictis vindicavit, et gravamina, quae contra se vulgabantur, diluit. III° calendas novembris 1302 Romae synodum habuit, ad quam plures episcopi Galli, non obstante regia prohibitione, convenerunt. In ea graviter de Philippo rege expostulatum fuit, et XIV° calendas decembris Pontifex promulgavit celebrem Bullam *Unam sanctam*, qua utriusque potestatis in una Ecclesia rationes explicavit; eademque die aliam edidit Constitutionem, qua excommunicati declarabantur, qui iter ad Apostolicam Sedem impedirent, aut ad eam accedentes molestiis iniuriisve afficerent. Praeterea, ut nihil omitteret eorum, quibus Philippus ad meliorem mentem reduceretur, ad eum legavit Ioannem Lemoine cardinalem, cui 12 articulos praescripsit, secundum quos rex Ecclesiae faceret satis et a censuris absolveretur.

Cum autem Philippus omnem concordiae spem abiiceret, Bonifacius, ne pontificia maiestas in contemptum iret, pridie calendas maii 1303 per litteras *Per proces-*

[1] Apud eumdem, ad an. 1298-1301.

sus legato suo mandavit, ut regem excommunicatum denuntiaret, et sub censurarum ecclesiasticarum periculo prohiberet, ne quis ei sacramenta administraret aut coram eo sacra celebraret. Verum, cum Nicolaus Benefractus, qui Pontificis litteras ferebat, Trecis interceptus in vincula fuisset coniectus, illae ad Legatum non pervenerunt. Rex rursum regni Ordines III° nonas iunii Parisios convocavit, ubi haereseos, simoniae, aliorumque criminum accusatio contra Bonifacium prolata et ad concilium generale futurumque legitimum Pontificem appellatum fuit. Bonifacius vero in Cardinalium consistorio, Anagniae habito, ab affictis sibi criminibus se iureiurando purgavit, appellationem conventus Parisiensis nullius esse valoris declaravit, et in procacem regem sententiam scripsit, eum Ecclesiae communione regnandique iure privatum et subditos ab obedientiae sacramento solutos dicens; sed priusquam hanc sententiam promulgasset, in hostium manus incidit. Nogaretus enim, regii sigilli custos, et Sciarra Columna VII° idus septembris 1303 armata manu domum Pontificis invaserunt, eumque multis iniuriis affecerunt [1].

Triduo post Bonifacius a civibus Anagniae ex illorum manibus liberatus fuit. Romam deductus, ingenti populi gaudio exceptus est; sed paulo post, die quinto ac tricesimo postquam captus fuerat, V° idus octobris an. 1303, interiit, cum *ann.* 8, *mens.* 9 et *dies* 18 Ecclesiam impavide regeret.

Reliquis eius gestis addendum est, quod— Apostolorum, Evangelistarum, et quatuor Ecclesiae Doctorum ss. Gregorii Papae, Augustini, Ambrosii et Hieronymi festivitates sub Officio duplici per universas orbis Ecclesias praeceperit solemniter celebrari [2]; Ludovicum IX regem Francorum albo Ssrum inscripserit, et libris 5 Decretalium, a Gregorio IX editis, adiunxerit *sextum*, qui continet Decretales editas postea a Gregorio IX et ab eiusdem successoribus. Statuerat quoque Pontifex, ut in Urbe perpetuis futuris temporibus generale vigeret studium in qualibet facultate [1]. Illud praeterea commemorandum est, quod post 3 saecula, anno nempe 1605, corpus Bonifacii VIII in Vaticano eius sepulcro incorruptum fuerit repertum eodem, quo obierat, mensis die recurrente [2]. « Qua delectione Deus ipse, inquit Papebrochius, Pontificis huius famam, multis calumniis laceratam, vindicare voluisse videtur [3] ».

57. *B. Benedictus XI Pontif.* (*an.* 1303)— Undecimo die post obitum Bonifacii VIII summo Cardinalium consensu electus fuit B. Benedictus XI, Tarvisinus, Ordinis FF. Praedicatorum, cardinalis episcopus Ostiensis, antea appellatus Nicolaus Boccasini, vir pietate et animi modestia spectatissimus. Is an. 1303, XI° calendas novembris, Catholicae Ecclesiae regendae praefectus est, cum prius restitisset ac repugnasset, ne praeficeretur [4]. Dissidia, quae inter decessorem suum et Philippum Francorum regem exarserant, composuit. Rex legatos cum litteris Romam misit, quibus Benedicto summum pontificatum gratulatus, omnimodam obedientiam et devotionem ei professus est, eiusque benevolentiae regnum et ecclesiam Galliae commendavit. Pontifex regem, praelatos omnesque viros ecclesiasticos et religiosos atque alios a cunctis censuris, quas e Bonifacii aliorumve Pontificum sententiis incurrerant, absolvit; privilegia et iura, quibus rex a Bonifacio fuerat privatus, ei reddidit; regem et regnum in pristinum statum restituit; Constitutionem Bonifacii *Clericis laicos* temperavit secundum canonem 46 Concilii Lateranensis IV, nimirum ut soli exigentes ab ecclesiis vel ecclesiasticis viris decimas aut pecunias incurrerent censuras. Iniuriam vero vimque sacrilegam, supra a Nogareto et Sciarra

---

[1] S. Antoninus, in *Chron.* part. 3, tit. 20, c. 8, § 22, haec habet: *Subito captura Papae divulgata est per orbem... Episcopus civitatis Morianensis, qui erat religiosae et sanctae conversationis, haec cum audivisset, coram multis ait: « Hoc novum dabit magnum gaudium Regi Franciae, sed extrema gaudii luctus occupabit; nam propter tantum excessum notabile iudicium Dei irruet super eum, et progeniem eius; magnas luet poenas, adversa multa patietur, et plurimi insurgent contra eum et filios eius ». Quod totum completum est non multo post tempore. Et hoc, ideo scriptum est, ut hoc exemplo caeteri illud observent oraculum: « Nolite tangere Christos meos. Qui enim vos tangit, tangit quasi pupillam oculi mei ».* De dissidio inter Bonifacium VIII et Philippum Pulcrum prolixe agunt Raynald. ad an. 1296-1303; I. Rubeus, *Bonifacius VIII*, Rom. 1651 in-4°; I. B. Palma et Wiseman, loc. cit. Tosti, *Storia di Bonifazio VIII*, 2 vol. Milano 1848 — [2] In cap. unic. *De Reliquiis et veneratione Sanctorum*, in 6.

[1] *Constit.* 9, § 1, p. 205, t. I, *Bullarii.*

[2] Acta inventionis extant apud Raynald. ad an. 1303.— Vide etiam Benedictum XIV, *De Servor. Dei Beatif.* etc. l. IV, part. 1, c. 30, n. 7.

[3] *Acta SS.* 19 maii

[4] Notant omnes, in huius Pontificis electione coeptam observari legem Gregorii X, quam renovarat Caelestinus V, confirmarat Bonifacius VIII, de novendio interponendo inter Pontificis prioris mortem et conventionem ad conclave pro successoris electione. Itaque ipse postridie ingressus Cardinalium ab iisdem electum se scribit in Epist. ad Arch. Mediol. Vid. Papebroch. in *Conatu* ad Benedictum XI, n. 1.

Columna Bonifacio VIII illatam, non reliquit inultam, eos eorumque complices in excommunicationem e Canonum praescripto incidisse declaravit, ad apostolicum tribunal evocavit, et venire spernentes anathemati subdidit. Petrum et Iacobum Columnenses, veniam postulantes, in gratiam recepit, sed in pristinos cardinalatus honores non restituit[1]. Pacem etiam et concordiam restituere conatus est in Hetruria, Æmilia, aliisque Italiae provinciis, quae Guelphorum, Gibelinorum et aliorum factionibus erant perturbatae. Curam recuperandae Terrae Sanctae non tantum non intermisit, verum etiam maioribus studiis in id incubuit, si qua ratione dissidentes Principes Europaeos conciliaret, et ab eis ingentia auxilia in Syriam transmitteret. Primus quoque Pontifex indulsit, ut sacra D. Francisci stigmata quotannis colerentur ritu sollemni[2]. — Alia plura pro Ecclesiae pace ac prosperitate moliebatur, quum pridie nonas quintilis 1304 decessit, aetatis an. 64, mense Pontificatus octavo, die decimoseptimo. Sepultus est in Ecclesia Praedicatorum Perusiae eodem, quo obiit, loco; vitae sanctitate et post obitum miraculis clarus[3].

58. *Clemens V Pontifex* (*an.* 1305) — Post Benedicti XI obitum Apostolica Sedes vacavit prope 11 mensibus, Cardinalibus in eligendo Pontifice dissidentibus, quum alii Italum et Bonifacii memoriae faventem, alii Gallum et Philippo regi deditum optarent. Tandem nonis iunii 1305 extra cardinalium collegium electus fuit Bertrandus de Goth, natione Gallus et archiepiscopus Burdigalensis. Is acceptum Burdigale x° calendas quintilis decretum electionis suae promulgavit die postero, imposito sibi *Clementis V* nomine. Inde profectus Lugdunum, eodemque accitis Cardinalibus, xviii° calend. decembris, inauguratur in aede s. Iusti solemni ritu et coronatus est[1].

Quum vero Italia factionibus ferveret, Clemens V in Gallia substitit et Avenione quam Romae residere maluit; quod etiam fecerunt eius successores usque ad Gregorium XI. Haec RR. Pontificum apud Avenionem mora, quam Itali vocaverunt captivitatem babylonicam, perduravit fere 70 annis. Interim summus Ecclesiae pontificatus semper unitus mansit cum episcopatu Romano, et Pontifices residentes Avenione, re ipsa fuerunt D. Petri in Romana et Apostolica Sede successores; aliud quippe est residentia seu commoratio, aliud sedes seu sedis titulus. Ista quidem RR. Pontificum ab Urbe Roma absentia ecclesiasticae rei et paci publicae in Italia detrimento fuit, quatenus Pontifices Avenione plus minusve Francorum regibus obstricti, non ea qua Romae, libertate catholicum orbem regerent, et in Italia factiones liberius dominarentur. Ad rem inquit Petrarca[2]: *Pontificis sedes antiqua, et vera, et propria, et publice utilis et universo expediens Roma est.* Ea tamen, quae Villani[3] et alii nonnulli Itali de Pontificibus, qui Avenione morati sunt, scripserunt, caute legenda sunt; notum enim est Italos eorum ab Urbe Roma absentiam aegerrime tulisse.

Clemens V Iacobo II Regi Aragoniorum affirmavit regnum Sardiniae; Iacobum et Petrum Columnenses in pristinos cardinalatus honores restituit; 10 cardinales, inter quos 9 Galli erant, creavit; scholam Aurelianensem academicis privilegiis auxit; Philippum regem Francorum eiusque subditos in eum statum restituit, in quo erant ante eorum cum Bonifacio VIII dissidium; constitutionem Bonifacii VIII *Clericis laicos* secundum temperamentum Benedicti XI explicavit declaravitque, per Constitutionem *Unam sanctam* nihil iuris regi aut regno Francorum fuisse detractum, neque regem vel subditos per eam magis quam antea R. Ecclesiae esse subiectos; regi vero postulanti, ut memoria Bonifacii ceu pontificis illegitimi

[1] Cf p. 83.

[2] Waddingus, *Annal. Minor.* t. VI, ad an. 1304, § 14. Item confirmavit Ordinem Servorum B. M. Virginis, et controversiam, quae iamdiu exarserat inter Clerum et Religiosa Sodalitia, an qui apud monachos sacra exomologesi crimina expiarant, ad illa iterum Parocho aperienda obstricti essent, in Parisiensi primum Academia ventilatam diremit, pronuncians necessitatis non esse ea repetere.

[3] *Vie de s. Bénoît XI.* Toulouse 1739; Raynald. ad an. 1303-4; Benedict. XIV, *De Beatif. et Canonizat.* t. I, c. 31, t. II, c. 24. E miraculis post mortem patratis constat sanctitas Benedicti XI. Quare an. 1734 actum est de eo referendo inter Sanctos, ut legere licet apud Lambert. *De Serv. Dei Canoniz.* l. 2, c. 24, § 46, n. 179. Cultum ab immemorabili tempore Benedicto XI delatum Clemens XII approbavit indulsitque, ut Festum eius Officio et Missa a tota Praedicatorum familia atque a Clero Tarvisino et Perusino celebraretur.

[1] In ultim. *Extravagant.* commun. c. 4, anno Pontificat. sui 2° Clemens V in eos qui assererent, summum Pontificem ante suam Coronationem non debere se intromittere de provisionibus, dispensationibus aliisque gratiis etc. et in litteris se *Electum* Episcopum inscribere debere, nec uti Bulla in qua nomen ipsius exprimeretur, ideoque illas litteras super negotiis quibuscumque confectas et a Pontifice ante Coronationem emanatas, ausi fuerint impugnare, excommunicationis poena innodavit.

[2] *Rer. senil.* l. VII, Epist 1.

[3] *La Cronica.*

et haeretici damnaretur, eiusque ossa terra sacra privarentur, non assensit; Andronicum II imperatorem Graecorum, in schismate pertinacem, anathemate perculit. An. 1308 defuncto Alberto, quum a principibus Germaniae ad imperium fuisset designatus Henricus VII, comes Luxemburgen, Clemens hanc electionem confirmavit, eique imperii coronam Romae tradi iussit, postquam is fidem suam et obsequium Sedi Apostolicae iureiurando obligasset. Henricus tandem an. 1312, die festo App. Petri et Pauli, in Ecclesia Lateranensi a Cardinalibus in id a Pontifice Romam missis, fidem dedit, antequam sacro inungeretur oleo, obligavitque Sedi Apostolicae, pollicitus, se ei obsequentissimum fore [1]. Caelestinum V Pontifex retulit in Sanctorum album; an. 1311 Viennae Allobrogum concilium oecumenicum XV celebravit. Obiit an. 1314, XII° cal. mai., ad rupem Mauram dioecesis Nemausensis, dum Burdigalam pergeret, *anno* octavo, *mense* decimo, *die* quinto decimo, ex quo Pontificatum conscenderat. Corpus eius translatum Uzestam, vicum Vasatensis dioecesis, ibique sepultum in ecclesia B. M. V. [2]

Tum propter moram suam in Gallia et exstinctum Ordinem Templariorum, ut infra videbimus, tum propter alia gesta plurium scriptorum Clemens obtrectationes subiit; accidit ei idem, quod Gregorio VII, Innocentio III, Bonifacio VIII, aliisque Pontificibus, qui res maxime arduas aggressi sunt, quorum proinde historiae plurimum caliginis offunditur ex oblocutionibus et calumniis, ab eorum adversariis in medium prolatis [3].

59. *Haereticae sectae* — Interea turbas graves excitarunt haereticae sectae Apostolicorum, Dulcinistarum, Fratricellorum, Beguardorum et Beguinarum, qui omnes, quamvis a se invicem distincti, communi nomine Fratres et Sorores liberi spiritus dicti sunt.

Apostolicorum sectae auctor fuit Gerardus Segarelli, Parmensis, vir plebeius et illiteratus, qui, cum apud FF. Minores admitti frustra postulasset, Apostolorum habitum, quocum eos in ecclesia Parmensi depictos viderat, suscipere eorumque vitae rationem sequi sibi proposuit. Barbam igitur et capillos aluit, tunicam e panno coloris albi ad talos pertingentem induit, pedes soccis contexuit, variaque loca mendicando et praedicando percurrens, quosvis viles et otiosos in suam societatem traxit. Hi se fratres apostolos, Gerardum vero magistrum appellabant; eumdem ac is habitum gestantes, cum mulieribus, quas sorores appellabant, vagabantur; Romanam ecclesiam esse corruptam, et Pontifices, episcopos, omnemque clerum divitiis et opibus depravatos effutientes, novam ecclesiam Spiritus S. finxerunt, quam coetum amoris et perfectae charitatis appellabant, et in qua omnia, etiam uxores, essent communia, nefasque foret denegare quidquid ex charitate postularetur, adeo ut turpissima quaeque, modo ex charitate fierent, essent licita. Pravam sectam damnarunt Honorius Pp. IV, an. 1275, et Nicolaus IV, an. 1290. Gerardus, eius auctor, a Manfredo inquisitore et Opizone episcopo Parmensi condemnatus atque curiae saeculari relictus, an. 1300 flammis addictus fuit. Tunc sectae caput evasit Dulcinus Novariensis, qui cum magno asseclarum, qui Dulcinistae dicti sunt, numero inter asperos et invios montes hodierni Pedemontii vagatus et oppida pagosque vicinos depopulatus est, donec an. 1307 cum Margarita scorto aliisque captus et Vercellas perductus, flammis traderetur. Ex hoc tempore secta dispersa, deinde exstincta est [1].

Fratricellorum, qui etiam Bizochi, Fratres spirituales et de paupere vita appellati sunt, auctores fuere apostatae quidam Franciscani; qui, postquam Bonifacius Pp. VIII eorum Congregationem, utpote dissidiorum in Ordine s. Francisci fomitem, abolevisset, schisma ab Ordine fecerunt [2]. Clemens Pp. V tum adhortationibus tum censuris illos ad Ordinis unitatem et generalis Ministri obedientiam revocare conatus est, et dubia aliquot circa regulae sensum atque observantiam explicavit Constitutione *Exivi de paradiso* [3]. Illi vero spretis Pontificis mandatis atque censuris, cum schismate haeresim coniunxerunt; duas finxerunt Ec-

---

[1]) Formulam, ritumque servandum a Cardinalibus in Imperiali inunctione ex diplomate ipsius Clementis affert Raynaldus ad an. 1311, § 7 et 13, ubi haec leguntur: « Missaque finita Pontificalem benedictionem reverenter Imperator accipiat, et statim procedat ad locum, ubi debet summus Pontifex equitare; et cum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellae eius, et arrepto fraeno, aliquantulum ipsum adextret ».

[2] Raynald. ad an. 1305-14.

[3] Cf Berthier, *Discours sur le Pontificat de Clement V*, in *Hist. de l'Église Gall.* t. XIII, p. 1, in 4°.

---

[1] D. Antonin. *Chron.* part. III, tit. 21, c. 1; Eymericus, *Director. Inquisit.* part. II; Pegna, *Comment.* 37 in part. II *Director. Inquisit.*; D'Argentré, *Collect. iudicior.* t. I.

[2] Vid. p. 79.

[3] *Clementin.* I, tit. *De verbor. signific.*

clesias, unam carnalem et divitem, cui praeerant Pontifices Romani et episcopi, alteram spiritualem et pauperem, cuius ipsi membra erant, et in qua sola legitimam conficiendi Sacramenta potestatem haberi contendebant. Alios praeterea errores e Donatistarum, Waldensium et Albigensium doctrinis admiserunt. An. 1318 Ioannes Pp. XXII sectarios eorumque errores condemnavit, et principes christianos atque inquisitores contra eosdem excitavit. Secta praecipue se propagaverat in Sicilia, aliquot etiam coetus efformarat in Gallia et Hispania; sed ab inquisitoribus et principibus exagitata, huc illuc dispersa fuit; in Gallia et Hispania nonnulli ab inquisitoribus damnati et curiae saeculari traditi, supplicio affecti sunt; alii confugerunt in Germaniam, ubi sub Ludovico Bavaro, Ioannis XXII adversario, secure agentes, se cum Beguardis et Beguinis sociarunt[1].

Beguardi et Beguinae, qui se praesertim in Germania propagaverunt, profitebantur mysticismum, qui ad morum corruptionem ducebat. Contendebant, hominem in hac vita posse assequi talem perfectionis gradum, ut neque peccare neque maiorem gratiam adipisci posset; eum in hoc perfectionis et libertatis spiritu constitutum, neque orare ullosve virtutum actus exercere, neque praecepta Ecclesiae observare debere; posse libere corpori indulgere quidquid placeret, et minime peccare actu carnali, ad quem natura inclinaret, quod tunc sensualitas spiritui et rationi esset perfecte subiecta; dicebant etiam, hominem in hac vita adipisci posse finalem beatitudinem in eodem gradu ac in altera vita, et quamlibet naturam intellectualem in se ipsa ita esse beatam, ut at videndum Deum eoque beate fruendum non indigeret lumine gloriae. Clemens Pp. V sectam eiusque errores condemnavit in concilio generali Viennensi, et pertinaces inquisitoribus denuntiavit[2]. Quum autem sectarii non tantum Ecclesiam, eiusque auctoritatem spernerent, sed civilem etiam statum publicum perturbarent ac morum corruptionem foverent, utraque potestas, ecclesiastica et civilis, in eos animadvertit.

60. *Templariorum causa* — Aliud grande negotium, nimirum causam Templariorum equitum, tractavit Clemens Pp. V. Hic Ordo annis multis celebris fuerat et de re christiana bene meruerat: verum lapsu temporis Templarii numero, divitiis et possessionibus per omnem Europam in immensum aucti, a pio Instituti fine et regula degenerarunt, moribusque in deterius mutatis, pessime audierunt, donec duo malefactores, quorum unus, secundum Villani uterque, Ordinis sodalis fuerat, ad carcerem damnati, arcana Ordinis crimina Philippo Pulcro Francorum regi revelaverunt, nimirum, quod aggregandi Ordini christianam fidem abiurarent et super Crucem spuerent; aggregati in clandestinis conventibus aversam et nefandam libidinem committerent, et in comitiis cranium barbatum et deauratum, quod *Baphometem* appellabant, ritu ethnico adorarent. Confestim Philippus rex Templarios denuntiavit Clementi Pp. V; deinde existimans periculum esse in mora, qua Pontifex in illorum causa cognoscenda uti videbatur, III° idus octobr. 1307 quotquot in regno suo erant, Templarios cum Iacobo de Molai, magno Ordinis magistro, qui eo tempore in Galliam venerat, prehendi, eorumque bona sequestrari iussit. Post paucos dies Guilielmus de Parisiis, Ordinis FF. Praedicatorum et Generalis quaesitor Fidei in Gallia, magnum magistrum aliosque 140 Templarios Parisiis interrogavit, qui omnes, tribus exceptis, praedicta crimina confessi sunt[1]. Quum autem haec in Templarios tentata fuissent sine assensu Pontificis, Clemens V de ea re questus est in litteris ad regem datis, Inquisitorum auctoritatem suspendit, causae cognitionem sibi reservavit, et interea Templariorum personas et bona committi voluit Berengario et Stephano cardinalibus. Tunc rex plures ex Ordinis praeceptoribus, presbyteris, militibus et fratribus duci iussit Pictavium ad Clementem Pp. qui eos aliosque aliquot, in totum 72, post praestitum iuramentum dicendi plenam et meram veritatem, coram Cardinalibus interrogavit; cumque eorum confessiones consentaneae essent confessionibus factis coram Inquisitore Parisiis[2], Pontifex an. 1308 ad omnes christiani orbis et episcopos et principes litteras dedit, ut in Templarios secundum formam, quam praescribebat, inquireretur; inquirendi potestatem concessit cuivis episcopo in sua dioecesi, canonicum iudicium commendavit synodis provincialibus, Ordinis

[1] Alvar. Pelag. *De planctu Ecclesiae*, l. II, c. 11; Eymericus, loc. cit; Balut. *Miscellan.* t. I.

[2] Alvar. Pelag. et D'Argentrè, loc. cit.

[1] Ioan. can. s Victoris, *Vita Clement. V*, apud Balut. *Vitae Pontif. Avenion.* t. I.

[2] *Epist.* Clement. V ad Philipp. reg. *Regnans in coelis.*

vero et magni magistri atque praecipuorum praeceptorum causam sibi reservavit.

In primis Berengarius, Stephanus et Landulphus cardinales e speciali mandato Pontificis mense augusto 1308 Chinonii in Turonia interrogarunt magnum magistrum et 5 praeceptores, qui post praestitum iuramentum, praeter alia horribilia et inhonesta, confessi sunt, se Christum abnegasse et spuisse super Crucem; deinde humiliter postularunt absolutionem a censuris, quam, eiuratis impietatibus, a delegatis Pontificis impetrarunt [1]. Alii a Guilielmo Fidei quaesitore eiusque delegatis interrogati Trecis, Baiocae, Cadomi, Rothomagi et Carcassone, testimoniis suis praedicta crimina confirmarunt [2]. Archiepiscopus Narbonensis, episcopi Baiocensis, Mimatensis et Lemovicensis cum praeposito Aquensi et archidiaconis Rothomagensi et Tridentino, a Clemente V specialiter delegati ad inquirendum in Gallia de toto Templariorum corpore seu Ordine, mense augusto 1309 Parisios convenerunt, totique Ordini diem dixerunt, omnibus, qui causam eius defendere optarent, veniendi facultate concessa. Primo auditus est magnus magister, qui priores suas confessiones retraxit et ad Pontificis iudicium provocavit. Alii 74 pridie idus martii 1310 coram iisdem delegatis contenderunt, testimonia, supra a sociis suis edita, esse calumnias, et confessiones vi aut fraude extortas, petieruntque, ut tota causa a Pontifice et concilio generali, Viennae indicto, iudicaretur. Post hos alii plusquam 200 ab iisdem delegatis pontificiis interrogati, maxima ex parte talia ediderunt testimonia, ut Ordinis sodales longe plurimos esse reos evincerent [3].

Quum autem Pontifex singularium Ordinis personarum iudicium commendasset synodis provincialibus, hae tum intra tum extra Galliam habitae fuerunt, sed paucarum tantum acta supersunt. Synodus Parisiensis anno 1310 plurium Templariorum causis diligenter inspectis, quosdam simpliciter ab Ordine absolvit, aliquot post peractam poenitentiam liberos dimisit, nonnullos ad arctam custodiam condemnavit, aliosque tanquam relapsos et contumaces tradidit curiae saeculari, a qua ad ignem damnati sunt [4]. Eodem anno novem Templarii a synodo Silvanectensi propter relapsum traditi curiae saeculari, pariter ad ignem condemnati fuerunt [1]. Porro tum hi tum illi qui Parisiis combusti sunt, morientes contestabantur, se iniuste damnatos et priora sua testimonia metu extorta fuisse. In Italia synodus Ravennatensis interrogavit septem Templarios, qui omnia crimina, quorum Ordo insimulabatur, constanter negaverunt; quapropter synodus censuit, innocentes esse absolvendos, nocentes e lege puniendos, et bona innocentibus conservanda, si hi maiorem Ordinis partem efficerent, et alii meritas poenas dedissent [2]. Eodem tempore archiepiscopi Pisanus et Florentinus, aliique in Longobardia et Tuscia e Pontificis mandato de Ordine et personis inquisierunt, et pleraque Templariorum testimonia de apostasia, idololatria et spurcitia sibi erant consentanea [3]. In Germania Petrus archiepiscopus Moguntinus Templarios, quos interrogaverat, censuit absolvendos [4]. In Aragonia, ubi inquisitionis negotium Clemens V demandaverat Caesaraugustano et Valentino episcopis, Templarii in arcibus suis se armis munierunt, sed a Iacobo rege II superati et ferro victi sunt. In Castella Rodericus Ivanius, Ordinis promagister, cum sociis suis ab archiepiscopo Toletano ad dicendam causam vocatus, a Ferdinando rege IV in vincula coniectus fuit; synodus Salmanticensis, postquam de vinctis et supplicibus quaestionem habuisset, pro eorum innocentia pronuntiavit, summam tamen totius rei deliberationem ad Pontificem remisit [5]. In Anglia an. 1309 iussu Eduardi regis II omnes Templarii intercepti et diversis castellis inclusi fuerunt; aliqui errores in Bulla Clementis V notatos confessi sunt, plerique vero se nullius rei, quae ad haeresim pertineret, reos esse contestati sunt; unde in synodis Londinensi, Eboracensi aliisque, nihil grave in universum Ordinem aut in singulas personas statutum, sed ad confessionem et absolutionem admissi sunt [6].

Demum an. 1312 Clemens Pp. in concilio generali Viennensi, postquam saepius et diu cum patribus de Templariorum causa deli-

---

[1] *Epist.* cit.

[2] Du Puy, *Histoire véritable de la condemnation de l'Ordre des Templiers.* — [3] Du Puy, *Histoire* cit.

[4] G. Nangi, *Chron. continuat.* ad an. 1310; Balut. *Vitae Pontif. Aven.* t. I, p. 16.

[1] Balut. ibid. p. 72.

[2] Rubeus, *Hist. Ravennat.* l. VI, ad an. 1310.

[3] Bzovius, *Annal.* ad an. 1308.

[4] N. Serarius, *Historia Petri archiep. Mogunt.* l.V; Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1535.

[5] Mariana, *Hist. Hispan.* l. XV, c.10; Labbe, loc. cit.

[6] Walsingham, *Hist. Angl.* p. 96, et *Ypodigm. Neustriae*, p. 500; Wilkins., *Acta anglicanae Templariorum inquisitionis*; Mansi, Annotat. ad *Hist. eccl.* Natal. Alex. saec. XIV, diss. 10.

berasset, sacro approbante concilio per Constitutionem *Ad providam* Templariorum Ordinem via provisionis in perpetuum abolevit; Ordinis bona attribuit equitibus Hospitalariis s. Ioannis Hierosolymitani, qui an. 1310 erepta Turcis Rhodo, nomen Rhodensium acceperunt; in Hispania vero, Lusitania et Maiorica Ordinis bona ad defensionem rei christianae contra Mauros conversa sunt [1]. Quantum autem ad ipsos Templarios spectabat, Pontifex iudicium de magno magistro et de aliquot aliis sibi reservavit, caeterorum iudicium demandavit synodis provincialibus cum eo discrimine, ut innocentes e bonis Ordinis honeste sustentarentur, ii qui crimina sua fuissent confessi, cum misericordia tractarentur, erga impoenitentes et relapsos iustitia et canonica censura servarentur [2]. Post haec Pontifex causam magni magistri et aliorum trium demandavit novis iudicibus, nempe 3 cardinalibus et aliquot episcopis atque doctoribus, qui illos post novam confessionem v° idus martii 1314 perpetuo carceri addixerunt; sed cum sententia coram populo legeretur, Ioannes de Molai magnus magister et Guido frater Delphini Arverni confessiones suas retraxerunt, et eadem die a concilio regio ad rogum damnati sunt.

Porro Templariorum Ordinem, qui tam turpiter degeneraverat et tam male audiebat, iustis de causis a Clemente Pp. fuisse abolitum, e dictis sat manifestum est [3].

61. *Concilium Viennense, generale XV* (*an.* 1311) — Concilium Viennense, inter oecumenica XV, an. 1309 encyclicis litteris a Clemente Pp. V convocatum, calendis octobris 1311 Viennae Allobrogum in Gallia inchoatum est et per 7 circiter menses protractum. Causae, propter quas Pontifex illud indixit, fuerunt negotium Templariorum, subsidium Terrae sanctae, haereses recens exortae et instauratio disciplinae. Praeter cardinales et patriarchas Alexandrinum et Antiochenum ritus latini, interfuerunt secundum continuatorem G. Nangii 114, secundum Villani et D. Antoninum 300 episcopi; adfuerunt praeterea inferiorum praelatorum ingens numerus, Philippus rex Galliae et aliorum principum oratores; praesedit autem Clemens Pp. Habitae sunt 3 sessiones: In 1ª sessione, quae celebrata fuit postridie idus octobris, Pontifex causas, propter quas concilium convocaverat, exposuit. Inter hanc et sequentem sessionem multae habitae sunt deliberationes de causa Templariorum, de subsidio Terrae sanctae et de ecclesiastici status reformatione. In 2ª sessione, habita III° nonas aprilis 1312, discussis, qui in re Templariorum conscripti fuerant, processibus, Ordo exstinctus est. In 3ª et ultima sessione, quae celebrata fuit pridie nonas maias, plures editae sunt Constitutiones, pro Fidei defensione et disciplinae reformatione; damnatae sunt sectae Dulcinistarum, Fratricellorum, Beguardorum et Beguinarum; ad ferendam opem collapsis Christianorum in Palaestina rebus, praesules Galli Philippo regi, spondenti se intra annum in Palaestinam transfretaturum, decimas per sexennium promiserunt; ad formandos viros undequaque doctos idoneosque pro populis orientalibus Evangelii praecones, statutum est, ut in scholis curiae Romanae et in academiis Bononiensi, Parisiensi, Oxoniensi, et Salmanticensi linguae orientales traderentur. Praeterea memoria Bonifacii Pp. VIII a calumniis vindicata fuit, et declaratum, eum catholicum et legitimum Pontificem fuisse [1].

Ex Constitutionibus in hoc concilio aut alias editis, Clemens V confecit VIIᵐ Decretalium librum, quem sub nomine *Clementinarum*, quae sunt omnino sex supra centum, edendum curavit Ioannes XXII.

61. *Ioannes XXII Pontifex* (*an.* 1316) — Clemente V mortuo conclave inductum est Lugduni, sed, dissidentibus a se invicem Cardinalibus, Apostolica Sedes vacavit usque ad VIIᵐ idus sextil. 1316, qua die concordi Cardinalium suffragio electus fuit *Iacobus de Eusa* Cadurcensis, cardinalis episcopus Portuensis, qui nomen Ioannis XXII assumpsit, ac VII° idus septembris coronatus est, seditque usque ad annum 1334 [2]. Claruit

---

[1] Labbe, *Concil.* t. X, p 1558.
[2] B Guido, *Chron. RR. Pontificum.*
[3] Natal. Alex *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 10; I. de Hammer, *Mysterium Baphometis revelatum*, t. VI operis *Mines de l'Orient*; I. B. de Saint-Victor, *Tableau hist. et pictor. de Paris*, t. III, Louvain 1830; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. II, c. 12.

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1538; item, *Hist. de l'Eglise Gall.* t. XII, edit. in-4°.
[2] Tradunt nonnulli, convenisse inter Cardinales illum fore Pontificem, quem Iacobus de Eusa nominasset, hunc vero Neapoleonis Ursini consilio semetipsum elegisse. At cur Ludovicus Bavarus, aliique Ioannis obtrectatores hoc ei consilium tam cupidum, tam audax non exprobrarunt? Cur Ioannes ipse in *Epist.* ad Robertum regem Siciliae, scripsit, se *concorditer nemine discrepante in summum Pontificem electum*? Cur subiecit idem, se, cum vires suas ad Pontificii muneris difficultatem perpendisset, *timore ac tremore concussum vehementer haesitasse*, deberet ne tantum

pietate in Deum, Fidei propagandae studio, componendorum dissidiorum sollicitudine et propenso in viros doctos animo. Is in Perside vicinisque regionibus, in quibus christiana religio opera FF. Praedicatorum propagabatur, Francum Perusinum ex eorum Ordine creavit archiepiscopum Sultaniensem, eique adiunxit 6 suffraganeos episcopos eiusdem Ordinis. Alios ex eodem Ordine Evangelii praecones destinavit in regiones orientales et septentrionales ad populos, sive mahometica superstitione sive schismate aut haeresi infectos. In Gallia ecclesiam Tolosanam metropoliticis iuribus auxit novosque episcopatus instituit; Cadurcensem academiam in patria sua et Cantabrigensem in Anglia, postulante Eduardo rege, excitavit et privilegiis ornavit; rectum docendi et discendi modum praescripsit in epistola ad doctores Parisienses, in qua querebatur, quod quidam theologi, posthabitis doctrinis, necessariis et utilibus, se immiscerent curiosis vanisque philosophiae subtilitatibus. Plures plerosque Gallos creavit cardinales. Concordiam inter Robertum Neapolis et Fridericum Siciliae reges atque inter Philippum cognomine Longum regem Galliae et Robertum comitem Flandriae conciliare conatus est. Alphonsi XI regis Castellae, adhuc impuberis, patrocinium adversus rebelles suscepit eique ablatum regnum restitui iussit. Sancio Maioricarum regi ad propulsandos Maurorum impetus decimas concessit; Guelphis contra Gibelinos, qui in Italia et in ipsa Urbe Roma dominabantur, pro Ecclesiae iuribus et antiqua libertate certantibus, opem praestitit, et Matthaeum vicecomitem, Gibelinorum ducem, anathemate perculit [1]. Constituit etiam Pontifex, ut Festum SS. Trinitatis die Dominica proxime sequente Festum Pentecostes sollemniter celebraretur, licet Romana Ecclesia hoc festum antea speciali Officio non consueverit celebrare [2]. Idemque Salutationem Angelicam *hora ignitegii* [1] *sub concubium ter recitari statuit indulgentiis datis* [2].

Tria graviora negotia exercuere pariter hunc Pontificem, nimirum controversia cum Franciscanis de paupertate Christi et Apostolorum, dissidium cum imperatore Ludovico Bavaro et quaestio de visione beatifica, quae quidem negotia illico breviter exponemus.

Alia quoque patravit Ioannes [3]. Interim e vita excessit an. 1334, pridie nonas decembris, Avenione, ubi sepultus est in templo maiore, cum egisset *annos* Pontificatus 18, et *mens.* 4 minus dies 2.

63. *Lis Ioannis XXII cum Minoritis* (*an.* 1321) — Cum Ioannes XXII in primis condemnasset sectam Fratricellorum, condemnavit etiam sententias Ioannis de Polliaco, doctoris Parisiensis, qui docebat, confessos fratribus seu viris religiosis, habentibus generalem facultatem audiendi confessiones, teneri eadem peccata denuo confiteri proprio sacerdoti, quinimo, stante lege Concilii Lateranensis *Omnis utriusque sexus*,

---

onus suscipere? Cur denique Alvarus Pelagius, qui Ioanni aequalis fuit (lib. I *De Planctv Ecclesiae*, c. 1) *certum ait, et notorium toti mundo est, quod dictus Ioannes Dominus Papa electus fuit concorditer a Cardinalibus omnibus?*

[1] Raynald. ad an. 1316-34.

[2] Cf Benedictum XIV, *De Festis Iesu Christi et B. M. V.* in capite ubi agit de Festo Trinitatis. — De Constitutione quae Ioanni XXII adscribitur, et *Sabbathina* dicitur, quod B. Virgo, uti pie tenetur, pollicita sit, se quotquot Carmelitano Mariae cultui addicti fuerint, primo post eorum obitum Sabbato a Purgatorii igne erepturam, videri iuvat adnotat. ad Paulum Pp. V in Epocha XI.

[1] *Ignitegium* ab igne tegendo dictum significat initium noctis, quo tempore solerent homines, contecto igne in foco, cubitum ire.

[2] Mabillonius Praefat. ad *Acta* saec. V *Benedictin.* § 122. « Postea idem ritus inductus, est subdit, ad matutinum tempus, et medium diem ». Oldoinus, in nova *Addit.* ad Ciaconium t. II haec habet: « Cum pius mos in Sanctonensi Ecclesia susceptus esset, ut vergente in noctem die campana pulsaretur ad praemonendos fideles, ut Salutatione Angelica Virginis suffragia implorarent, Ioannes Pontifex decem dierum Indulgentiam iis concessit, qui pie ter illam flexis genibus funderent, si vere eos criminum poeniteret. Singulis insuper canticum *Salve Regina* devote recitantibus quadraginta dies Indulgentiae proposuit; prolationem etiam nominis *Mariae*, ut eius esset frequentior invocatio, sacris Indulgentiis ditavit ». Quid hac de re praeceperint quoque posteriores Summi Pontifices mox in Callisto III videbimus.

[3] Tribunal Pontificis Capellanorum, quos *Rotae Auditores* appellantur, Ioannes XXII, in Const. 14 (t. I *Bullar.*), non instituit, sed reformavit. Horum Capellanorum officium est perpetuum, et Papae inserviunt uti Subdiaconi Apostolici. Sixtus IV *Const.* 2 (t. I *Bullar.*) decrevit, Auditorum numero 12 in posterum esse cum antea 14 essent. Tres erant Romani, ceteri Germanus, Gallus, Castellanus, Aragonius, Venetus, Mediolanus, Senensis et Perusinus vicissim, Bononiensis et Ferrariens. De his abunde Cohelius in *Notitia Cardinaldtus* (c. 19). Ipsi agunt de processibus Status Ecclesiastici, de materiis beneficialibus et patrimonialibus. Hoc Romae supremum magistratum ita sapientia excelluit et fama pervulgatum est, ut ubique terrarum et ipsi reges et principes in dissidiis et controversiis quae inter eos insurgebant ad Sacrae Rotae tribunal dirimendi recurrebant. Inter Collectiones decisionum huius Conventus praecipua est veneta an. 1697, 29 vol. in fol. *Auditores Rotae* appellari plerique censent, quod alternis vicibus quasi rotatim suo fungantur munere, vel quod praecipua Christiani orbis negotia apud illos versentur et agitentur, ut est in *Glossario* Ducangi, t. I.

neque R. Pontificem neque Deum ipsum posse efficere, ut parochiani non tenerentur semel in anno omnia peccata sua confiteri proprio sacerdoti, quem dicebat esse solum parochialem curatum [1].

Alia autem quaestio, nimirum de paupertate Christi et Apostolorum anno 1321 ad Ioannem Pp. delata est. Aliquot FF. Minores animose contendebant, Christum et Apostolos nihil iure proprietatis et dominii habuisse sive in speciali sive in communi, hancque propositionem orthodoxam et Decretali Nicolai III *Exiit qui seminat* definitam esse asserebant. Ioannes XXII, ad quem ipsi Minoritae contra adversarios provocaverant, ne quid temere decerneret, prius academiarum et virorum doctorum opiniones audire voluit. Verum Michaël Caesenas, Ordinis Minorum generalis minister, controversiam, coram Apostolica Sede pendentem, dirimere praesumpsit, in Capitulo mense iunio 1322 Perusiae habito declarans, praedictam propositionem esse catholicam et ab Ecclesia falli nescia definitam [2]. Pontifex vero VI° idus decembr. 1322 Constitutionem edidit *Ad conditorem,* qua declarabat, supra dictam Nicolai III Decretalem de rerum usu Franciscanis concesso, et de proprietate Apostolicae Sedi reservata, non esse intelligendam de rebus, quae usu consumuntur, cum in iis dominium non separetur ab usu; derogansque Decretali Nicolai III, quantum ad hoc caput spectabat, dominium rerum, quibus FF. Minores utebantur, iis remisit, et ne eorum procuratores deinceps Apostolicae Sedis nomine alicui litem inferrent, prohibuit [3]. Anno sequenti pridie idus novembris alteram dedit Constitutionem *Quum inter nonnullos*, qua declarabat errare, et haereticis adnumerandos eos, qui pertinaciter assererent, Christum et Apostolos nihil proprium habuisse sive in speciali sive in communi, eosque nullum ius habuisse earum rerum, quas habuisse leguntur, sed simplicem usum facti [4].

Contra has Pontificis Constitutiones declamarunt Michaël Caesenas, generalis Minister, et pauci alii inter quos praecipui Ocamus et Bonagratia contra quos Pontifex deinde edidit Constitutionem *Quia quorumdam mentes* [5]. At illi Ioannem XXII accusantes haereseos, ad generale concilium appellarunt; deinde confugerunt ad imperatorem Ludovicum Bavarum, eiusque schismati adhaerentes, variis libellis Pontificis famam lacerarunt. Ab hac tamen paucorum Minoritarum rebellione immunis fuit Ordo, qui in Pontificis obedientia constanter perseveravit, et in generali Capitulo, an. 1329 Parisiis habito, quaecumque a rebellibus istis hac in re haeretice dicta vel male gesta fuerant, improbavit, atque in locum Michaëlis, a Pontifice depositi, generalem Ministrum elegit Gerardum Odonis [1].

64. *Lis inter sacerdotium et imperium* (*an.* 1323) Eidem pontifici Ioanni XXII negotium gravissimum facessivit imperator Ludovicus Bavarus. Etenim cum post obitum Henrici VII (1313) imperium vacasset 14 mensibus, a maiori parte electus fuit Ludovicus dux Bavariae, alii vero elegerunt Fridericum ducem Austriae, unde grave inter utrumque bellum exortum est. Cum ambo competitores Pontificem pro impetranda confirmatione interpellassent, Ioannes XXII utrique diem dixit, ut iurium suorum instrumenta producerent, et secundum ea alterutri imperium adiudicaret. Verum Ludovicus armorum quam iuris via rem dirimere maluit, victoque an. 1322 Friderico, imperium solus capessivit, et Pontificis confirmationem non solum non requisivit, sed etiam Gibelinorum factioni, in Apostolicam Sedem rebelli, auxilia praestitit.

Ioannes Pp., litteris postridie nonas octobris 1323 ad Ludovicum datis, eum increpuit, quod imperatoris nomine et iuribus usus esset, priusquam electio sua, ut moris erat, ab Apostolica Sede fuisset confirmata, mandavitque ei sub poena excommunicationis, ut ab adiuvandis Ecclesiae hostibus abstineret, et intra mensem, dimissa imperii administratione, iuris sui instrumenta Apostolicae Sedi exhiberet. Ludovico de angustioribus temporis metis ad agendam causam sibi praescriptis querente, Pontifex illas prorogavit; interea omnibus districte prohibuit, ne Ludovico honorem imperatoris Romanorum deferrent, priusquam electio eius secundum ius foret approbata.

Verum Ludovicus se Pontifici sistere sprevit, Apostolicae Sedis hostibus auxilia ferre perrexit, et scripto contestatus est, se ipso electionis suae facto regium honorem iuraque regni et imperii administrandi esse consecutum, Pontifici nullum esse ius ele-

[1] *Extravagant.* 2 *De haeret*; Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1635. — [2] Wadding. *Annal. Minor.* ad an. 1322.

[3] *Extravag.* 3 *De verb. signif.* Ioan. XXII.

[4] *Extravag.* 4 *De verb. signif.* Ioan. XXII; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 11; Bellarmin., *De R. Pontifice*, l. IV, c. 14; *Histoire de l'Église Gall.*, l. 37.

[5] *Extravag.* 5 *De verb. signif.* Ioann. XXII.

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1328-29.

ctionem vel personam electam cognoscendi aut approbandi: caeterum se contra Ioannem appellare ad generale concilium. Quapropter Pontifex idibus quintilibus an. 1324 Ludovicum, nisi ante calendas octobris fecisset satis, excommunicatum omnique iure imperandi privatum edixit, et omnibus prohibuit, ne ei qua imperatori obedientiam aut opem praestarent. Ludovicus vero in comitiis IX° calendas novembris apud Saxenhausen coactis, virulento modo contra Ioannem XXII declamavit, et ab eo veluti haereseos aliorumque criminum reo, ad futurum Pontificem et ad sanctam Matrem Ecclesiam provocavit [1].

Perverso principi venales calamos commodarunt Marsilius de Menandrino, Patavinus, et Ioannes Iandunus, Perusinus, doctores Parisienses, quibus se adiunxerunt Michaël Caesenas, Guilielmus Ocamus et Bonagratia, ab Ordine FF. Minorum apostatae. Duo priores, nempe Marsilius et Iandunus, in libro qui *Defensor pacis* inscriptus erat, de potestate imperatoris et Pontificis ita disseruerunt, ut Pontificis primatum et Ecclesiae constitutionem ab imis fundamentis destruerent. Praeter alios in eo libro tradiderunt hos errores: Christum in Ecclesia non constituisse caput visibile; s. Petrum non plus auctoritatis accepisse, quam caeteros Apostolos; omnes sacerdotes, sive pontifices sive episcopos sive simplices presbyteros, ex institutione divina esse potestate pares, et e sola imperatoris concessione, ad eius nutum revocabili, alios aliis maiorem habere iurisdictionem; neminem posse ab Ecclesia coërceri punitione coactiva sine consensu imperatoris; Pontificem aeque ab episcopis ac hos ab illo posse excommunicari; ad imperatorem spectare, Pontifices instituere et deponere, Sede vacante Ecclesiam regere, numerum ecclesiarum et sacrorum ministrorum definire, de habilitate ad Ordines sacros promovendorum decernere, concilia congregare, Ordines religiosos approbare, beneficia ecclesiastica conferre.

Perniciosos hos errores condemnavit et prolixe confutavit Ioannes Pp. constitutione edita X° calendas novembris 1327 [2]. Eosdem errores confutarunt scriptores aequales, Alexander de s. Elpidio, e priori generali Augustinianorum archiepiscopus Ravennatensis [3], Pelagius Alvarus, episcopus Silvensis in Lusitania [1], Augustinus Triumphus, Anconitanus, Ordinis Eremitarum s. Augustini [2], Petrus de Palude seu Paludanus, Ordinis FF. Praedicatorum [3].

Initio anni 1327 Ludovicus, a Gibellinis accitus, properavit in Italiam, et mense februario Tridenti episcoporum, abbatum et monachorum, maxima ex parte depositorum, excommunicatorum vel apostatarum, conventum habuit, in quo Ioannes XXII haereseos aliorumque criminum accusatus et pontificatu indignus declaratus est. Ludovicus Mediolanum progressus, in basilica Ambrosiana a duobus episcopis, propter crimina sua depositis, rex Longobardiae coronatus fuit. Quapropter Ioannes Pp., haud ultra cunctandum ratus, IX° calendas novembris sententiam in Ludovicum fulminavit, qua eum omnibus iuribus et feudis imperialibus privatum declaravit, subditos ab eius obedientia absolvit, et ne ei parerent aut cum eo communicarent prohibuit [4].

Ludovicus sententias censurasque Pontificis spernens, initio anni 1328 cum exercitu Romam properavit; Urbem ingressus, Romanis multa promisit, et XVI° calendas februarias in basilica s. Petri a Iacobo Alberto, Venetiarum episcopo deposito, imperator coronatus est; XIV° calendas maias convocatis quibusvis apostatis, excommunicatis, depositis, aliisque similis generis hominibus, Iacobum Cadurcensem (ita appellabat Ioannem XXII) propter haeresim et alia crimina pontificatu omnique beneficio et privilegio privatum atque ab omni iudice puniendum pronunciavit, et in eius locum intrusit Petrum de Corbario, Ordinis FF. Minorum, sub nomine Nicolai V, qui rursus Ludovicum imperatorem coronavit, Ioannem XXII omnesque ei obedientes excommunicavit.

Quum haec audivisset Ioannes Pp., pseudo-pontificem et omnes schismatis fautores anathemate confixit, precesque publicas indixit, ut divina Providentia rebellium corda ad Ecclesiae obsequium reducere vel eorum superbiam elidere et malitiam conterere dignaretur. Dominus piorum preces exaudivit et laboranti Ecclesiae opem tulit; agentibus quippe cardinali Ursino, Pontificis legato, et Roberto rege Neapolis, brevi post rerum status ita mutatus est, ut Romani et

[1] Raynald. ad an. 1323-24. — [2] Raynald. ad an. 1327.

[3] *De iurisdictione imperii et auctoritate Papae*, Arimini 1624.

[1] *Apologia Ioannis XXII contra Marsilium et Ocamum*, Lugdun. 1517, et Venet. 1560 in-fol.

[2] *De potestate ecclesiastica.*

[3] *De causa immediata ecclesiasticae potestatis.*

[4] Raynald. ad an. 1327.

Itali passim, ipsi etiam Gibelinorum duces, Ludovici partes desererent, Ludovicus ab omnibus desertus, an. 1329 in Germaniam regrederetur, et antipapa Petrus de Corbario an. 1330 Avenione ante pedes Ioannis XXII provolutus, schisma eiuraret, et supplex veniam ab eo postularet [1].

Ludovicus in Germaniam redux, legationibus litterisque reconciliationem cum Ecclesia et electionis suae confirmationem a Ioanne XXII postulavit, se haereticos et schismaticos deserturum, et Ecclesiae iura defensurum promittens. Pontifex vero promissis eius non fidens, voluit, ut ante omnia imperium dimitteret; quod cum ille praestare nollet,dissidium inter sacerdotium et imperium perduravit usque ad Ludovici mortem.

65. *Quaestio de visione beatifica*— Tertium, quod Ioannem XXII exercuit negotium, fuit quaestio de visione beatifica, an scilicet animae iustorum, corporum vinculis solutae et ab omni labe purae, statim visione Dei perfruantur; an vero haec usque ad extremi iudicii diem differatur. Quamvis quidam ex antiquis Patribus posteriorem opinionem tradiderint, communis tamen Patrum et Ecclesiae traditio ei erat opposita. Cum haec quaestio, nullo adhuc decretorio Ecclesiae iudicio eliquata, hoc tempore inter doctos agitaretur, Ioannes XXII, qui pro ingenii sui praestantia theologicis discussionibus delectabatur, an. 1331 ad indagandam veritatem ss. Scripturas et Patrum scripta in utramque partem scrutatus est, et in sermonibus coram Cardinalibus et praelatis Avenione habitis, utriusque opinionis argumenta protulit. Verum Pontifex quibusdam visus est propendere in sententiam de dilatione visionis beatificae, pluresque adversarios tum e praelatis tum e doctoribus in se concitavit. Contentio aucta est, cum Gerardus Odonis, FF. Minorum generalis Minister, Parisiis eamdem sententiam palam defendisset. Pontifex ad dispellendam pravam de mente sua suspicionem xiv° calendas decembris 1333 litteras scripsit ad Philippum Valesium, regem Francorum, in quibus contestabatur, se de praesenti quaestione nihil definivisse aut asseruisse, sed solum Scripturarum et Patrum dicta protulisse, ut discussa veritas in apertam lucem prodiret [2]. Philippus rex , ut disceptationibus finis constitueretur, episcopos, abbates et theologos convocavit in castro Vincennarum; qui omnes consenserunt, animas Sanctorum, corporibus solutas, mox faciem Dei videre, hancque visionem in die iudicii non exstinguendam, sed in aeternum permansuram esse. Iidem in sua ad regem epistola de Ioannis XXII in hac re doctrina haec testati sunt: « Multorum fide dignorum relatione audivimus, quod, quidquid in hac materia Sanctitas Sua dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solum recitando ». Pontifex ipse, ne quis dicta sua seu sermones male interpretaretur, initio anni 1334 in publico consistorio professus est, quidquid de praesenti, vel alia quacumque quaestione in sermonibus et collationibus dixisset vel allegasset, se nihil definire vel decidere voluisse, quod esset quovis modo Scripturae S. aut Traditioni contrarium, et expresse revocare, si quae iis opposita praeter mentem suam a se fuissent prolata [1]. Et paulo post iam morbo correptus, convocatis ad se Cardinalibus, praelatis et tabellionibus prolixam fidei suae professionem dictavit, in qua intentionem suam, quam circa statum animarum separatarum se habere et habuisse dicebat, his verbis declaravit: « Credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in coelo, coelorum regno et paradiso, et cum Christo in consortio angelorum congregatae, et vident Deum et divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status et conditio compatitur animae separatae [2] ».

Hinc patet, Ioannem XXII ab aliquibus iniuste fuisse accusatum erroris in Fide de visione beatifica, summamque esse petulantiam Calvini asserentis, hunc Pontificem docuisse, animas esse mortales et una cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis [3].

66. *Benedictus XII Pontifex* (*an.* 1334)— In locum Ioannis Pp. Cardinales, Avenione apud FF. Praedicatores reclusi, an. 1334, xiii° calendas ianuarii elegerunt Benedictum XII, Gallum, antea appellatum Iacobum Furnerium, Ordinis Cisterciensis et ex Apamiensi Mirapicensem episcopum cardinalem, virum pium et doctum, pacis studiosum, disciplinae tenacem et a ditantis

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1328-30.
[2] Raynald. et Spondan., ad an. 1333.

[1] Ita testatur Benedictus XII, Ioannis successor, in Epistola, quae exstat apud Raynaldum, ad an. 1334, et Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1791.
[2] Raynald. ad an. 1334; Labbe, loc. cit. p. 1630.
[3] *Institut.* l. IV, c. 7. Cf Card. Petra, *Comment. in Constit. 1 Bened. XII*; Berthier, *Hist. de l'Eglise Gall.* an. 1333-34; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 11; Muratori, *De paradiso adversus Burnest*, c. 2.

consanguineis alienissimum [1], qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1342.

Hic Pontifex nihil antiquius habuit, quam ut pacem inter principes christianos constitueret, tum ut tranquillitate parta, curiam in Urbem Romam referre posset, tum ut illi arma contra Turcas converterent; sed optatum finem non est consecutus. Quae autem pro concilianda concordia sacerdotium inter et imperium tentaverit, infra dicemus. An. 1336 quaestionem de statu animarum post hanc vitam, sub decessore suo ventilatam, quamque ipse adhuc cardinalis erudito libro tractaverat, diremit per Bullam *Benedictus Deus*, qua definivit, post Christi in coelum ascensionem animas Ssrum, qui sive ante sive post Christi passionem decesserunt, nihil purgandum habentes vel post mortem purgatas, item animas infantium baptizatorum et ante usum rationis decedentium, ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale esse in coelorum regno, cum Christo, Angelorum consortio aggregatos, immediate divinam essentiam videre, ea perfrui hacque visione et fruitione esse vere beatas; animas vero eorum, qui in statu peccati mortalis moriuntur, statim descendere in infernum, ibique in aeternum cruciari; in die extremi iudicii omnes, resumptis corporibus suis, coram Christo iudice comparituras, ut et corpora animarum praemia vel poenas participent [2].

Quantum ad disciplinam ecclesiasticam spectat, Benedictus XII varias edidit Constitutiones, quarum aliae ad monachorum Benedictinorum, Cistercensium, Mendicantium et Canonicorum Regularium reformationem, aliae ad episcoporum aliorumque praelatorum officium, residentiam, visitationem, atque ad beneficiorum provisionem pertinent [3]. Pontifex etiam anathemate damnavit *Fratricellos*, quos ante Pontificatum scriptis confutaverat. Cavit etiam diligentissime ne Sacerdotia viris conferrentur minus idoneis, minusque probati, dicens, *nolle se lutum exornare.*

---

[1] Cognatos atque affines, Benedictus fingebat ignotos sibi, asserens, *Pontificem Romanum non habere consanguineos*: urgentibusque, ut eos promoveret in gradum aliquem dignitatis, reponebat Davidicum illud: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Aegidius Card. Viterbiensis (ap. Pagium in *Vita* huius Pontificis § 17) eum dicere solitum fuisse scribit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, si verus futurus sit, sine patre, sine matre, sine genealogia esse oportere.*

[2] Raynald. ad an. 1336; Harduin. *Concil.* t. VII, p. 1559.

[3] *Bullar. Roman.* t. I.

Anno 1342 in die s. Marci Evangelistae Benedictus XII Avenione in palatio [1] quod construi fecerat, ad Christum migravit, cum *annos* 7, *mens.* 4, ac *dies* 6 Pontifex fuisset, cumulatus omni genere virtutum Christianarum, et miraculis post mortem clarus.

67. *Benefic. ecclesiast. reservationes, annatae et commendae* — Nonnulli scriptores de RR. Pontificibus, qui Avenione morati sunt, expostularunt, quod introductis beneficiorum ecclesiasticorum reservationibus, annatis et commendis, Ordinariorum iuribus detraxerint, et extraordinariis taxis ecclesias gravarint.

Verum RR. Pontifices tamquam Ecclesiae primates et omnium ecclesiarum sollicitudinem gerentes, tanquam supremi bonorum ecclesiasticorum dispensatores, provisiones et collationes beneficiorum atque dignitatum ecclesiasticarum sibi reservare iure possunt [2]. Istud ius a priscis temporibus, olim rarius postea frequentius, exercuerunt iustissimis ex causis, sive ad avertenda mala, quibus electiones ex ambitione studioque partium perturbabantur, et ad consulendum ecclesiis de dignis ministris, sive ad corrigendam Ordinariorum incuriam, vel ad habendam bene meritorum rationem [3]. Saec. XIII et seqq. RR. Pontifices idem ius magis explicarunt, ut omnibus constaret, quorum beneficiorum collatio ad Apostolicam Sedem, quorum ad episcopos, quorum ad alios pertineret. Ita Clemens IV constitutione *Licet ecclesiarum* Apostolicae Sedi reservavit collationem ecclesiarum, dignitatum, personatuum et beneficiorum, quae in Romana Curia vacarent, seu quorum possessores obierint in loco, quo moraretur Pontifex, quaeque specialius caeteris antiqua consuetudo, ut in praedicta Constitutione legitur, RR. Pontificibus reservavit [4]. Gregorius X, Clementis IV successor, decessoris sui Constitutionem confirmavit cum hoc temperamento, ut si Pontifex huiusmodi beneficia intra mensem a die, qua vacarint, non contulerit, ea conferre possent Ordinarii [5]. Bonifacius VIII reservationem Clementis IV extendit ad beneficia vacantia in locis vicinis Curiae Romanae seu intra spatium itineris duorum dierum,

---

[1] Ptolomaeus Lucensis ap. Balutium in *Vitis* Pontificum Avenionensium.

[2] Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.* part. II, l. I; Zaccaria, *Anti-Febron.* p. II, l. 5.

[3] Ibidem.

[4] *Decretal.* l. VI, tit. IV, c. 2, *De praeb. et dignit.*

[5] Ibid. c. 3.

et ad beneficia legatorum atque curialium, si in locis curiae vicinis aut eam comitantes obierint [1]. Clemens V beneficia quaecumque in Romana curia vacantia aut pontificatus sui tempore vacatura, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, praebendas, dignitates, officia, suae et s. Sedis provisioni, collationi et dispositioni reservavit [2]. Hanc reservationem pro Pontificatus sui tempore confirmarunt et ad plura alia beneficia extenderunt Ioannes XXII et Benedictus XII [3]. Alii deinceps Pontifices varias de eadem re Constitutiones ediderunt. Magnus etiam reservationum numerus habetur in regulis Cancellariae, adeo ut generatim omnium ecclesiarum cathedralium collatio Apostolicae Sedi fuerit reservata, et qui deinceps, sive canonici sive principes sive alii, ius nominandi vel praesentandi vel eligendi exercuerunt, id e speciali Sedis Apostolicae indulto fecerint.

Quantum spectat ad annatas seu reditus, quos RR. Pontifices in conferendis beneficiis exegerunt ad providendum tum suae et curiae suae sustentationi, tum communi totius Ecclesiae utilitati et necessitati, eae, quatenus sunt subsidia ab inferioribus summo Ecclesiae capiti et pastori collata, iustissimae et antiquissimae sunt, easque Bonifacius IX non instituit, sed modum, qui in iisdem pendendis servaretur, praescripsit [4].

Neque novae aut a RR. Pontificibus, qui Avenione morati sunt, introductae sunt beneficiorum commendae. A priscis enim temporibus obtinuit, ut ecclesiae episcopales, parochiales atque abbatiae vacantes, alicui custodiendae ac administrandae commendarentur, quamdiu proprio episcopo, parocho aut abbate carerent; item ut episcopis aut clericis, qui vel ecclesiis suis ab hostibus fuissent eiecti vel e beneficiis suis non haberent decentem sustentationem, ecclesia vacans aut abbatia aliudve beneficium in commendam conferretur. Similiter propter monachorum incuriam abbatiae quandoque commendabantur episcopis. Huiusmodi commendas certe nemo improbabit.

Verum saec. VI et deinceps principes laici et proceres bona ecclesiastica invadentes, certarum ecclesiarum et abbatiarum proventus commendarunt sivi clericis, sive etiam laicis de republica bene meritis, praesertim ducibus militaribus. Has commendas laicas et militares, gravium abusuum causas, Pontifices et concilia reprobarunt.

Istis abusibus maxima ex parte sublatis, usus commendarum ecclesiasticarum frequentior fuit, et in eas etiam abusus sensim irrepserunt, quos tamen varii Pontifices et concilia correxerunt. Ita Clemens V, sentiens gravia detrimenta, quae e commendis, initio sui Pontificatus propter importunas et multiplicatas precum instantias largiori manu concessis, in rem ecclesiasticam redundabant, eas omnes revocavit [1]. Benedictus XII cunctas cathedralium ecclesiarum et abbatiarum commendas, a decessoribus suis concessas personis quibuscumque, exceptis Cardinalibus, revocavit [2]. Innocentius VI an. 1353 rescidit revocavitque omnes episcopatuum, abbatiarum, prioratuum, dignitatum et beneficiorum Regularium commendas [3]. Eadem de re actum est in conciliis Lateranensi V et Tridentino [4].

Sufficiat haec pauca de beneficiorum ecclesiasticorum reservationibus, commendis et annatis observasse, ut aequa lance ponderentur tum veterum tum recentiorum de iis querimoniae.

68. *Lis inter sacerdotium et imperium*— Vidimus supra discordiarum statum, quae sub Ioanne XXII et Ludovico Bavaro inter sacerdotium et imperium exortae sunt [5]. Benedictus XII tum litteris tum legationibus usus est, ut Ludovicum ad obsequium Ecclesiae revocaret. Ludovicus etiam litteris et legationibus Pontificem honoravit, sed inconstans et versatilis, legatos suos Avenione cum Pontifice concordiae leges tractantes, revocavit et quam praebuerat pacis spem, abrupit. Quapropter Benedictus exsecrationes redintegravit a decessore suo Ioanne XXII in Ludovicum latas tamquam usurpatorem Imperii. Veritas autem, subdit Spondanus [6], ne vacante Imperio Italia ab aliquo externo hoste invaderetur, Luchinum Vicecomitem, Ioannemque eius fratrem Archiepiscopum. Mediolani aliarumque Urbium, quas possidebant, Vicarios instituit. Eamdem quoque

---

[1] Cap. 31 eod. in VI. — [2] *Extravag.* 3 eod. inter Communes.

[3] *Extravag.* 4 *De elect.* et *Extravag.* 13 *De praeb. et dignit.* inter Communes.

[4] Raynaldus et Spondanus ad an. 1399; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XV-VI, diss. 9; Berthier, *Hist. de l'Église Gall.* Disc. prèlim. t. XV, in-4°.

[1] *Extravag.* 2 *De praeb. et dignit.* inter Communes.

[2] Raynald. ad an. 1335.

[3] Raynald. ad an. 1353.

[4] Cf Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.*, p. II, l. 3.

[5] Vid. p. 92. — [6] Ad an. 1340, § 2.

potestatem Mastino et Alberto Scaligeris Veronae et Vicentiae, Guilielmo Gonzagae Mantuae et Regii, Albertino Carrariae Patavii, Opizoni Estensi Ferrariae, Mutinae et Argentae suo iure tribuit, quamdiu Imperium vacaret, ac sibi placeret, eo quod vacante Imperio, omnis eius potestatas in Pontificem recideret, Iesu Christi supremi Regis unicum in terris Vicarium. Ludovicus interea anno 1338 comitia coegit apud Francofordiam, in quibus acta Ioannis XXII contra Ludovicum iniusta pronuntiata sunt, sacrorum interdicta sublata, clerici ea observare volentes, poenis subditi, et declaratum, imperialem potestatem et dignitatem ita esse a Deo, ut electus ab omnibus electoribus vel a maiori eorum parte, illico sine Pontificis confirmatione esset Romanorum imperator, et administrandi imperii iura haberet [1].

In Italia vero Bononienses, Mediolanenses, Bergomenses, Papienses, Vercellenses, Comenses aliique, qui aut ab obsequio Pontificis defecerant, aut Ludovici eiusque antipapae factioni et schismati adhaeserant, se cum Benedicto XII reconciliarunt, et a censuris ecclesiasticis absoluti sunt [2].

Clemens VI, Benedicti XII successor, novas tentavit vias, ut Ludovicum ad meliorem mentem reduceret, sicque ecclesiis in Germania pacem conciliaret. At Ludovicus ad maiorem nequitiam descivit, beneficia ecclesiastica personis sibi gratis conferre ausus est, clericos sacra interdicta servantes poenis subiecit, propria auctoritate coniugium Margaritae, Tyrolis et Carinthiae haeredis, cum Ioanne regis Bohemiae filio dissolvit, eamque filio suo Ludovico uxorem dedit, pacis et absolutionis conditiones, sibi a Clemente VI praèscriptas, an. 1344 in comitiis Francofordiensibus reiecit. Quapropter Clemens VI excommunicationem in contumacem principem renovavit, eum omni imperio, regno et ducatu privatum declaravit, monuitque electores, ut iustum imperatorem eligerent ab Apostolica Sede confirmandum. Principes electores e concilio Pontificis an. 1346 elegerunt Carolum IV, marchionem Moraviae, filium Ioannis regis Bohemiae, quam electionem confirmavit idem Pontifex. Ludovicus Bavarus bellum paravit contra competitorem suum, sed an. 1347 paralysi exstinctus est [3]. Tunc concordia inter sacerdotium et imperium restituta, et pax ecclesiis in Germania reddita fuit.

[1] Raynaldus et Bzovius, ad an. 1335-38.
[2] Benedict. XII *Epist* 33 et 34; Raynald. ad an. 1338-41. — [3] Raynald. ad an. 1341-47.

69. *Clemens VI Pontifex* (*an.* 1342) — Clemens VI, antea Petrus Rogerius, Lemovicensis, Ordinis s. Benedicti, ex episcopo Atrebatensi archiepiscopus Senonensis, deinde Rothomagensis et S. R. E. Cardinalis, nonis maii an. 1342 electus fuit in locum defuncti Benedicti XII. Quum primum Romani electionem Clementis VI audiverunt, honorificam legationem Avenionem miserunt, qua eum supplicarunt, ut maiorum more curiam in Urbem Romam referret. Inter hos legatos erat F. Petrarca, poeta laureatus et reflorescentis apud Italos litteraturae princeps, qui elegantissimum carmen de repetenda Urbe, tot sacris monumentis illustri, Clementi obtulit [1]. Respondit Pontifex, se id quidem habere in votis, sed moram suam in regionibus transalpinis esse necessariam conciliandis Galliae et Angliae regibus. Hanc tamen concordiam inter utrumque regem Clemens restituere non potuit, quamvis ei plurimum adlaboraverit.

Hic Pontifex Nicolaum Rienzum, qui infimo loco natus, sed ingenio et eloquentia praeditus, a populo Romano vana priscae libertatis spe deluso tribunus plebis creatus, dominatione, quam assecutus erat, ad tyrannidem abutebatur, opera Card. Bèrtrandi legati sui deiecit fugavitque; a Ioanna Neapolis regina et Provinciae comitissa urbem Avenionem emit pretio 800,000 Florenorum auri de Florentia, et cum omnibus iuribus R. Ecclesiae comparavit; Constitutionem B. Gregorii X de legibus conclavis nonnihil temperavit; Philippo Francorum regi eiusque coniugi et Ioanni Normanniae duci eorum filio eiusque uxori, itemque Odoni Burgundiae Duci sacram Communionem sub utraque specie indulsit [2]; contra Eduardum Angliae regem Apostolicae Sedis iura in reservandis et conferendis beneficiis ecclesiasticis fortiter defendit; quae autem

[1] Opera Petrarchae edita sunt Basileae, 1581, in-fol.
[2] Vid. Spondan. ad an. 1342, § 16, et Raynald. ad an. 1344, 62; 1345, 32. Mabillonius (*Commentar. praevio in Ordinem Roman.* c. 9, p. 62) refert: « Urbanus VI, post suam in Vaticana Basilica coronationem, omnes Diaconos Cardinales sua manu pretioso Corpore et Sanguine Christi communicavit, sicut de more Summorum Pontificum semper fuit, ut legitur in epistola de eiusdem Urbani electione, quae vulgata est in *Spicileg.* (t. IV, p. 306), quod quidem contigit an. 1378. Ante annum 1120 Communio sub utraque specie ab Ecclesia immutabiliter retinebatur; postea paullatim ac sensim abrogata est; cui abrogationi non una, sed plures simul caussae occasionem praebuerunt, ut legere est apud eundem Mabillonium.

egerit in causa dissidii cum Ludovico Bavaro, iam diximus; alia eius gesta infra videbimus [1]. Caelitibus annumeravit, anno 1347, B. Ivonem Presbyterum Gallum, *advocatum pauperum* [2]. Edidit insuper Constitutionem de comitiis Pontificalibus multo leniorem constitutione Gregorii X. Mortem oppetiit VIII° idus decembris an. 1352, exacto Pontificatus *anno* decimo et *mense* septimo.

70. *Immanis pestilentia* — Sub pontificatu Clementis VI an. 1348 orta est immanissima pestis, quae tanta vi saeviit, ut omnes terrarum incolae, una ruina, ut olim universali diluvio, delendi viderentur. In tanta calamitate Clemens VI praeclara misericordiae et pietatis specimina dedit, Avenione hac lue infectis suppetias ipse liberalissime tulit, omnibus ubique poenitentibus et confessis, item sacerdotibus, qui aegrotis sacramenta ministrarent et succurrerent, plenariam Indulgentiam concessit.

Haec calamitas multis occasio fuit redeundi ad melioris vitae propositum; in nonnullis vero regionibus illius causa iniustae vexae illatae sunt Iudaeis, perinde ac si aërem fontesque veneno infecissent. Clemens VI defensionem Iudaeorum suscepit, omnibusque Christianis prohibuit, ne eos ad suscipiendum baptismum cogerent aut ullam vim vel iniuriam sine legitimi iudicis sententia iis inferrent. Cum nihilominus plebs in Iudaeos saevire pergeret, Pontifex severiorem Constitutionem edidit, qua huiusmodi saevitias detestatus est, et episcopis mandavit, ut de Apostolicae Sedis auctoritate excommunicationem promulgarent in omnes, qui Iudaeis vim inferrent. Tantus erat plebeius in Iudaeos furor, ut magistratus, qui hos protegerent, aperto periculo se obiicerent [3].

71. *Flagellantium secta* — Eiusdem calamitatis occasione anno 1349 in Suecia, Hungaria, Germania aliisque locis visa fuit nova Flagellantium secta [3]; qui animo vel praetextu flectendae per poenitentiam divinae iustitiae, turmatim conveniebant, et praeeuntibus crucibus procedentes, corpora sua umbilico tenus nudata flagellis caedebant atque lugubribus vocibus divinam misericordiam implorabant. Singularibus his poenitentiae exercitiis, uti in eiusmodi rebus contingere solet, plures errores adiunxerunt; non tantum suum sed nunquam aliorum praesertim Iudaeorum sanguinem religionis praetextu effundebant; etiam ecclesiastica bona et iura usurpare aliaque illicita perpetrare non verebantur. Quapropter Clemens Pp. VI sectam damnavit, litterasque scripsit ad episcopos et principes Hungariae, Poloniae, Sueciae, Germaniae, Galliae et Angliae, ut huiusmodi hypocritarum hominum genus coercerent, conventicula prohiberent, eorumque magistros carceri manciparent. Unde factum est, ut secta brevi tempore fuerit dispersa [1]; sed sequenti saeculo rursum in lucem prorupit.

72. *Scriptores ecclesiastici* — Scriptoribus autem ecclesiasticis, qui per priorem huius saeculi partem floruerunt, adnumerandi sunt hi qui sequuntur: Alexander de s. Elpidio, Pelagius Alvarus, Augustinus Triumphus, Petrus Paludanus, quos supra indicavimus [2]. Nicolaus Lyranus, Normannus, e iudaeo christianus, Ordinis s. Francisci, Academiae Parisiensis doctor et in magno Franciscanorum conventu Parisiis per plures annos S. Scripturae interpres, scripsit postillas in universam Scripturam, Commentarios in libros Sententiarum, Tractatus contra Iudaeos et librum de Corpore Christi [3]. Guido de Perpiniaco, Carmelitarum, episcopus Maioricensis, edidit inter alia *Concordiam* Evangelistarum et *Summam* haereseon. Petrus Aureolus, Vermeriensis et doctor Parisiensis, reliquit Breviarium Bibliorum [4], et Commentarios in libros Sententiarum [5]. Ioannes Bacon, anglus, Ordinis B. M. de monte Carmelo et doctor Sorbonicus, praeter alia scripsit commentarios in libros Sententiarum [6]. Thomas Argentinensis, Ordinis s. Augustini, reliquit Commentarios in libros Sententiarum [7]. Ioannes Taulerus, Ordinis FF. Praedicatorum, varia composuit fovendae pietati utilissima [8]. Ioannes Andreae, celebris in schola Bononiensi iuris doctor, exaravit Commentarios in libros 6 Decre-

[1] Cf quoque Raynald. ad an. 1342-52.

[2] Raynaldus (ad an. 1347, § 31) solemnes Canonizationis ritus hoc tempore servari solitos describit ex veteri ms. Vaticano auctoris coaevi, qui in aula Pontificia rituum formulis praeerat. Legesis § 106 in t. I, p. 265, nec non not. 2, p. 37 vol. huius. Vid. quoque *La Scienza e La Fede*, v. CXXIV, p. 388, Napoli 1881.

[3] Nangius, *Chron. continuat.* et Raynaldus, ad an. 1348.

[1] Nangius, loc. cit.; Albert. Argentin. *Chron.*; Raynald. ad an. 1349.

[2] Cf p. 93.

[3] Romae 1472, 7 tom.; Antverp. 1685, 6 vol. in-fol.

[4] Paris. 1685, in-8°.

[5] Rom. 1605, 2 vol. in-fol.

[6] Mediolan. 1611, in-fol.

[7] Argentorat. 1490, in-fol.

[8] Paris. 1623 et alibi.

talium [1], et in Clementinas [2]. Nicephorus Callistus, Graecus et schismaticus, scripsit historiae ecclesiasticae libros 23 a Christi nativitate usque ad an. 911, sed tantum 18 libri priores supersunt [3]. Ptolomaeus Lucensis seu Bartholomaeus de Luca, Ordinis Praedicatorum et episcopus Torcellensis in ditione Venetiarum, reliquit historiam ecclesiasticam a Christo nato usque ad an. 1312, et Annales ab anno 1060 usque ad an. 1303 [4]. Bernardus Guido, Lemovicensis, eiusdem Ordinis et episcopus Lodovensis, edidit Chronicon RR. Pontificum, imperatorum et regum Francorum usque ad an. 1330 [5]. Ioannes Villani, Florentinus, reliquit libros 12 historiae ab aedificatione turris Babel usque ad annum aerae christianae 1348, a Matthaeo Villani, eius fratre, 12 libris continuatos usque ad annum 1364 [6].

73. *Annus Iubilaei* (*an.* 1350) — Interea Clemens Pp. VI considerans, quamplures propter humanae vitae brevitatem frui non posse Iubilaei gratia, quam fideles e Constitutione Bonifacii VIII centesimo quoque anno lucrari poterant, cupiensque hanc Indulgentiam reddere faciliorem, ut fidelium devotio augeretur, fides splendesceret, spes vigeret et charitas incalesceret, sub Pontificatus sui initia Iubilaeum ad annum quemque quinquagesimum extendit [7], ut pateret omnibus Thesaurum militanti Ecclesiae acquisitum a Christo Domino [8], et anno 1349 encyclicis litteris ad omnes christiani orbis episcopos Indulgentiam Iubilaei, anno sequenti Romae lucrandam, indixit, plenariam remissionem concedens iis, qui vere poenitentes et confessi, basilicas D. Petri, D. Pauli, et D. Ioannis in Urbe visitarent, Romani 30 diebus, Itali 15, alii 10 vel 5 vel etiam paucioribus diebus pro locorum distantia. Principes etiam, duces et magistratus hortatus est, ut missis dissidiis, fidelibus liberum ad Urbem sanctam transitum concederent. Tanta autem hominum frequentia annus Iubilaeus Romae celebratus fuit, ut scriptores aequales minime definire potuerint numerum peregrinorum, qui e diversis etiam remotissimis orbis regionibus Romam convenerunt ad lucrandum indulgentiarum beneficium. Fertur a festo Nativitatis Domini an. 1349 usque ad Pascha proximum continuo in Urbe fuisse 1,100,000, et ipsius aestus tempore saltem 200,000 peregrinorum [1].

74. *Innocentius VI Pontifex* (*an.* 1352) — Anno 1352, xv° calendas ianuarii, legitimis Cardinalium suffragiis electus fuit Innocentius VI, Lemovicensis, antea Stephanus d'Albert, cardinalis episcopus Ostiensis. Is ab initio restituendae disciplinae et reformandae curiae animum applicuit; beneficiorum commendas sustulit, quod earum occasione divini cultus maiestas, animarum cura et ecclesiarum iura negligebantur; praelatis aliisque beneficiariis, in curia agentibus, sub poena excommunicationis reditum ad suas ecclesias et residentiam secundum canones imperavit, volens, ut oves a pastoribus, non vero a mercenariis pascerentur; impensas et familiam minuit, idemque Cardinalibus faciendum suasit, ut omnibus severitatis, modestiae et misericordiae exemplum essent; sacri Palatii seu Rotae auditoribus, qui hactenus officii sui fructibus sustentabantur, praemia seu stipendia constituit, ne in decernendis et componendis causis muneribus corrumperentur; Ægidium Albornotium cardinalem in Italiam ad coercendas turbas et componendam concordiam legavit, qui sua prudentia et constantia factiosos in urbe Roma et territorio R. Ecclesiae repressit, et auctoritatem Pontificis restituit; Civitatis Bononiensis studio obsecutus ius profitendae in Gymnasio Theologiae, atque honoris eius impertiendi indulsit [2]; Ioannem presbyterum et Franciscum conversum Ordinis FF. Minorum, qui contra definitionem Ioannis XXII de paupertate Christi et Apostolorum pertinaciter disputabant, et Ioannem Pp. eique assentientes haereseos accusabant, damnavit, et contumaces curiae saeculari tradidit, cuius sententia combusti sunt. Avenionem moenibus fossaque circumdedit. Alia huius Pontificis gesta suis locis referemus [3]. Obiit Avenione pridie idus septembr. 1362, nono *anno*

[1] Venet. 1581, in-fol.
[2] Lugdun. 1585, in-fol.
[3] Paris. 1630, 2 vol. in-fol.
[4] Apud Muratori, *Scriptor. rer. Ital.* t. II.
[5] *Catalog. Pontif. RR.* Guidonis, edidit card. Mai in *Spicileg. Roman.* t. VI.
[6] Venet. 1559-81, 3 tom. in-4°, et Mediolan. 1738, 2 vol. in-fol. Ambo in iis, quae spectant Pontifices, qui Avenione morati sunt, caute legendi sunt.
[7] *Extravag.* 2, *De poenit. et remiss.* inter Communes.
[8] Pouget (t. 2 *Inst. Cathol.* sect. 1, c. 5, § 19) scribit, Clementem VI omnium primum usurpasse vocem *Thesauri Ecclesiae* ad significandum fontem Indulgentiarum. Phoebeus (*De anno Iub.* p. I, c. 4) *Iubilaei* voce primum usi fuerunt Card. S. Georgii Stephanesius, et Franciscus Petrarca, *Carmina* ad Clementem VI, atque ex Summis Pontificibus idem Clemens in Diplomate indictionis incipiente *Unigenitus*.

[1] M. Villani, l. I, c. 56; Raynald. ad an. 1350.
[2] Vide *Bullarii* t. I, *Constitut.* 2, § 3.
[3] Raynald. ad an. 1352-62.

Pontificatus sui, *mense* octavo, *die* sexto et vicesimo.

75. *Ecclesiae status in Germania, Gallia, Anglia et Hispania* — In Germania tranquillitas restituta fuit sub Carolo IV, e consilio Clementis Pp. VI ad imperium evecta, ut supra vidimus [1]. Carolus enim leges, sibi ante electionem a Pontifice praescriptas, fideliter servavit, pacemque et libertatem ecclesiis in Germania reddidit. Tunc qui schismaticas Ludovici Bavari partes fuerant sectati, ad R. Pontificis obsequium reversi sunt, ecclesiasticis censuris perstricti absolutionem postularunt, sacra ubi erant interdicta, restituta sunt, magnoque omnium gaudio dissidia composita. Rebus in Germania compositis, Carolus IV transiit in Italiam, postridie nonas ianuar. 1355 Mediolani rex Longobardiae et nonis aprilis Romae imperator coronatus est a cardinali P. Bertrando episcopo Ostiens. ad id ab Innocentio delegato. In Germaniam redux, an. 1356 in comitiis Norimbergensibus promulgavit sanctionem pragmaticam, quae *Bulla aurea* dicta est, et in qua plura sanciebantur de modo eligendi imperatorem, de administratione imperii vacantis, de iuribus, officiis, et ordine electorum, qui 7 numerabantur; nimirum archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis, dux Saxoniae, rex Bohemiae, comes Palatinus et marchio Brandeburgicus. Idem imperator an. 1359 insigne edictum promulgavit pro defensione libertatis et iurisdictionis ecclesiasticae contra saeculares magistratus et dominos; an. 1368 ab Urbano Pp. V, qui tunc cum cardinalium collegio Romam petierat, interpellatus adversus Bernabonem vicecomitem Mediolanensem, qui multas ditionis pontificiae civitates ad rebellionem excitarat, Bernabonem in ordinem redegit et cuncta R. Ecclesiae iura, a factiosis perturbata, restituit confirmavitque [2].

In Gallia et Anglia rerum ecclesiasticarum ac civilium prosperitati obstabant dissidia et bella, quae inter utriusque regionis reges multis annis continuata sunt. Frustra RR. Pontifices concordiam inter illos restituere tentarunt. Tum in Gallia tum in Anglia reges, ne intermitterent bellum, populos suos oneribus gravabant, et ab ecclesiis atque clericis decimas exigebant. Innocentius Pp. VI datis ad Ioannem regem Francorum litteris graviter questus est de violentia, qua regii ministri ecclesiasticos viros ad pendendas decimas compellerent. In Anglia eadem de causa Eduardo regi apostolica constantia restitit Simon archiepiscopus Cantuariensis; deinde inter eos convenit, ut clerus non sexennem, ut rex exegerat, sed unicam decimam conferret. Tandem anno 1360, procurante Andronico abbate Cluniacensi, pax inter Ioannem Galliae et Eduardum III Angliae reges composita fuit.

In Hispania Petrus rex Castellae et Legionis, cognomine Crudelis, qui an. 1350 patri suo Alphonso XI successit, res publicas graviter perturbavit; impurus ac saevus, Blancam legitimam coniugem repudiavit, custodiae tradidit et postea veneno interemit; proceribus et regina matre eum ad officium reducere conantibus, factus est infestior, pluresque viros principes interfici iussit; an. 1357 in bello contra Petrum regem Aragoniae ingentem cladem perpessus, Maurorum copias in auxilium vocavit magno religionis christianae probro et periculo. Innocentius Pp. VI saevum impurumque principem per legatos suos saepius excitavit monuitque, ut ad iustitiae et aequitatis officium rediret. Cum Petrus semper ad deteriora laberetur, Guilielmus cardinalis legatus eum anathemate perculit, regnum Castellae interdicto subiecit, cunctisque principibus prohibuit, ne Petro auxilium ferrent. Tandem an. 1369 Petrus ab Henrico comite Trastamarae in bello victus et occisus est. Sub Henrico autem huius nomine II et sub Ioanne I eius filio atque an. 1379 successore, regnum Castellae pristinum ordinem splendoremque recepit [1].

76. *Ecclesiae Graecae status* — Conspeximus supra, unionem ecclesiae Graecae cum Latina, in concilio Lugdunensi II initam [2], non fuisse stabilem. Andronicus II, qui Michaëli patri suo an. 1283 in imperio Graeco successit, omnem cum Latina seu Romano-catholica Ecclesia concordiam abrupit, schismaticos episcopos a patre eiectos, restituit, et unionistas insectatus est. Andronicus III, qui an. 1327 deiecto avo suo Andronico II, imperium arripuit, an. 1339 legatos misit ad Benedictum Pp. XII de negotio unionis et de accipiendo contra Turcas auxilio tractaturos. Proposuerunt illi convocationem Concilii generalis, in quo doctrina de processione Spiritus S. aliaeque dissidiorum causae discuterentur. Pontifex vero respondit, non ex re esse, dogma fidei

[1] Pag. 97.

[2] Raynald. ad an. 1316-68; Goldast. *Constitut. imperial.* t. I.

[1] Mariana, *Hist. Hispan.* l. XVII. — [2] Vid. p. 75.

Pontificum et Conciliorum sententia definitum, in disceptationem revocare; unionis negotium in concilio Lugdunensi fuisse compositum, novumque concilium generale, spectatis temporum circumstantiis, convocari non posse; imperatorem et praelatos Graecos, si quae sibi dubia superessent, legatos mittere posse, ut plenius instruerentur; se vero, unione inita, laboraturum pro ferendis auxiliis contra Turcarum impetus. Verum nihil effectum est; solemne quippe erat Graecis, ut in angustiis positi, unionis specie auxilia mendicarent, moxque ad odia in Latinos et ad veteres errores redirent.

Anno 1341 Andronico III successit Ioannes Palaeologus, filius eius novennis, sub tutela Ioannis Cantacuzeni, qui paulo post una cum eo imperii insignia sumpsit. Clemens Pp. VI ad utrumque imperatorem et ad praesules Graecos destinavit legatos cum litteris, ut illos ad unitatem Ecclesiae revocaret, quam si ex animo susciperent, eis suppetias adversus Turcas promisit. Respondit vero Cantacuzenus, id sine utriusque Ecclesiae concilio effici non posse. Anno 1355 Ioannes Palaeologus, deiecto Cantacuzeno [1], solus imperio potitus, ut se contra Turcas, a quibus tetrum bellum sustinebat, tutaretur, ad Innocentium Pp. VI legatos misit, ei eiusque successoribus obedientiam ac reverentiam professus est, promisitque, se Graecos a schismate revocaturum et alia ad componendam unionem praestiturum, si Pontifex ei auxilium adversus Turcas praeberet. Innocentius Pp. imperatori pium consilium gratulatus, B. Thomam, Ordinis Carmelitarum, Constantinopolim legavit, quem imperator honorifice excepit. Sed cum Pontifex nullas copias ad Graecorum auxilium a principibus Occidentis impetrare posset, res infecta mansit.

Sub Urbano Pp. V, successore Innocentii, idem negotium resumptum fuit. Ioannes Palaeologus undique a Turcis impetitus, patriarcham Cp. et aliquot proceres ad Pontificem legavit, qui suo nomine R. Ecclesiae obsequium sponderent, et auxilia contra hostes peterent. Paulo post (1369) imperator ipse Romam, ubi tunc agebat Urbanus V, venit, ibique secundum praescriptam formulam schisma eiuravit, et fidem catholicam, praesertim de processione Spiritus S. ex Patre et Filio, de consecratione SS. Eucharistiae in azymo aeque ac fermentato pane, de R. Pontificis in omnes ubique ecclesias primatu, professus, solemni modo in communionem Ecclesiae receptus fuit. Verum Urbanus V eiusque successor Gregorius XI perperam excitarunt principes Europaeos ad ferenda Graecis auxilia.

Iisdem temporibus Lasco dux Moldaviae multique alii tum in Moldavia tum in Bosnia et in locis finitimis, opera FF. Minorum, a schismate ad unitatem Ecclesiae reducti fuerunt. In Valachia Clara, Alexandri principis vidua, catholicam communionem sectabatur, filiamque suam, quae Bulgarorum regi nupserat, ad eamdem revocavit, qua de re Urbanus V ei gratulatorias litteras scripsit suasitque, ut alteram suam filiam, regis Serviorum coniugem, ad unitatem Ecclesiae reduceret. Idem Pontifex iuniorem Ladislaum, Valachiae principem, ad abiiciendum schima hortatus est [1].

77. *Palamitarum secta* — Interim Graecorum res sacrae ac civiles magis magisque perturbabantur. Iam ante dimidium huius saeculi exorta est apud illos celebris factio Palamitarum, qui insanissimum mysticismum sectantes, in locis abditis immobiles, oculisque in umbilicum veluti in animi sedem continuo defixis, et spiritu anxie suppresso precabantur, qua ratione se ad sensualem divini luminis intuitionem pervenire et ineffabili voluptate perfundi dicebant; illudque lumen esse increatum et simile illi, quo Christus in monte Thabor circumfusus apparuit, contendebant. Absona haec commenta nominatim profitebantur monachi montis Athos prope Thessalonicam, dicti Palamitae a praecipuo suo patrono et defensore Gregorio Palamas, item Hesychastae seu Quietistae a quiete, cui studebant. Illos praecipue oppugnavit Barlaam monachus graecus, e Calabria oriundus et tunc Thessalonicae commorans. Re ad Ioannem patriarcham Cp. delata, an. 1341 Constantinopoli, imperatore Cantacuzeno multisque proceribus praesentibus, synodus habita est, in qua Palamas absonas suas sententias ita defendit, ut Barlaam ad petendam veniam fuerit compulsus. Ex hoc tempore Palamitarum numerus plurimum auctus est, et acrius inter eos eorumque adversarios disceptatum. An. 1350 in altera multorum episcoporum synodo Cpna Palamas, iam archiepiscopus Thessalonicensis, ita disputa-

[1] I. Cantacuzenus purpuram cum monastico habitu commutavit, et praeter alia scripsit Historiae libros quatuor ab an. 1340 usque ad 1354, graece et latine editos Parisiis 1643, in-fol.

[1] Ioan. Cantacuzen. *Hist.* l. IV, c. 9; Raynald. ad an. 1339-1370; Balut. *Vitae Pontif. Avenion.* t. I.

vit cum Acindyno adversario, ut hic a synodo excommunicatus et cum omnibus secum consentientibus haereticus fuerit declaratus, quin imo episcopi Palamitici manus adversariis intulerint [1]. Hinc satis conspicitur, quam miserabilis hac aetate esset theologica Graecorum eruditio, eorumque sentiendi et agendi in Fidei controversiis ratio.

78. *Ottomanicum imperium*—Imperium vero Graecorum in dies diminuebatur progressionibus Turcarum Ottomanicorum. Horum principatum an. 1299 fundavit Osman seu Othomanes satrapes, quiexstincto sultano Iconiensi, imperium arripuit bellisque prosperis dilatavit, varias provincias Asiae minoris Graecis eripuit, sedemque imperii constituit Brusae seu Prusae in Bithynia. Ei anno 1326 successit Urchanes seu Orkanus, filius eius, qui omnem Lydiam sibi subiecit, Nicaeam expugnavit, quidquid Graeci adhuc in Asia minori possidebant,iis eripuit, et superato Bosphoro Callipolim aliasque urbes in Europa expugnavit. Hunc an. 1360 excepit Amurathes I, qui decessorum suorum victorias prosecutus, imperii sui fines multum extendit; in Asia principes mahometanos subegit, in Europa Adrianopolim aliasque urbes Thracicas, devictis Graecis, occupavit, Servios et Bulgaros ad pendendum sibi tributum coëgit, magnae parti Macedoniae imperavit, regnavitque usque ad annum 1389 [2].

79. *Urbanus V Pontifex* (*an.* 1362) — Interea Innocentio mortuo, quum Cardinales in eligendo uno e collegio suo essent discordes, v° calendas novembris pontificem crearunt Guilielmum Grimoaldum, Gallum, Ordinis Cluniacensis in monasterio s. Victoris apud Massiliam abbatem, et Innocentii VI in Italia legatum, virum pietate, doctrina et rerum gerendarum peritia clarum, qui nomen Urbani V suscepit. Is magna cum vigilantia instaurandae disciplinae et reformandis moribus incubuit; beneficiorum ecclesiasticorum pluralitatem iterum proscripsit; praelatis aliisque beneficiariis residentiam in ecclesiis suis atque beneficiis stricte iniunxit; Ioanni Palaeologo graeco Imperatori, cereas Agni caelestis effigies miserat, additis versibus, quibus materia eius atque virtutes exprimebantur [3]; pravum morem, quo scelesti viri, ut facinorum suorum poenas effugerent, in domos Cardinalium veluti in asylum confugiebant, sustulit; metropolitas litteris encyclicis excitavit ad celebrandas secundum avitum morem synodos provinciales, conservandae disciplinae ecclesiasticae et corrigendis abusibus utilissimas; viros doctos peculiariter fovit; Universitatem Viennensem in Austria erexit, Cracoviensem in Polonia, an. 1344 a Casimiro rege fundatam, privilegiis munivit, Bononiensem novis favoribus honoravit; cum Petro de Lusiniaco rege Cypri, qui ad imploranda auxilia in Occidentem venerat, et cum Ioanne rege Galliae de cruciata expeditione in Terram sanctam contulit et principes Europaeos ad consocianda cum illis arma excitavit, sed rege Galliae an. 1364 defuncto, negotium istud emortuum est. Equidem rex Cypri cum copiis in Occidente collectis et cum magno equitum Rhodensium numero in Ægyptum traeicit, et an. 1365 Alexandriam occupavit,

[1] Leo Allat. *Consens. Eccl. Orient. et Occident.* l. II, c. 4; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, c. 3, a. 14.

[2] Hammer, *Histoire des Osmanes*, trad. par Dochez, Paris 1840.

[3] En quomodo de Agnorum cereorum origine loquitur Sirmondus, in *Adnotat.* ad *Ennodium Ticinensem*, t. I *Opp.*, p. 1043, Venet. « Mos erat, ut ex cereo Paschali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulae decerperentur, ac populo die Dominica in Albis post sacram Communionem distribuerentur, unde suffitum in aedibus suis facerent, vel agros, vineasque munirent adversus daemonum praestigias, aut contra fulgura et tonitrua. Ceterum hic mos olim extra Urbem dumtaxat. Romae enim cerei Paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die, qua dictum est, dividendas. Quae res nimirum originem dedit cereis Agni Caelestis imaginibus, quae a Pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari coeperunt ». Cf Baronius, ad an. 58, § 76; 692, § 44. Benedictus XIV (*De Serv. Dei Beatif.* etc. l. IV, part. I, c. 5, n. 11), refert in huiusmodi « Agnorum consecratione adhiberi aquam benedictam, aquae balsamum misceri, Chrisma superinfundi, preces a Summo Pontifice recitari, et qui eos deferunt, si devote deferant, a variis periculis, et morbis liberari, veluti late exposuit Summus Pontifex Xyxtus V, in suis Litteris Apostolicis in forma Brevis scriptis anno 1586 Paschali Ciconiae Duci Venetiarum, ad quem de more sacras cereas Formas a se benedictas mittebat ». Prosequitur idem Pontifex (lib. cit. p. II, c. 21, § 12), exponens antiquum usum Agnorum consecrandorum. — Panvinius (*De baptismate Paschali*) credit tale usum inductum esse a Romanis Pontificibus ad retinendam memoriam solemnis Baptismi, qui primis Religionis Christianae saeculis solo Paschae et Pentecostes tempore peragebatur, ideoque non ante saeculum IX, quo fere desiit sollemnis ille baptismus celebrari, tradit hanc consuetudinem invaluisse. At Benedictus XIV reputat magis verisimilem Cardinalis Augustini Valerii sententiam, qui Agnorum benedictionem ad initium saeculi V refert; aut alteram Molani, qui Agni cerei primordia aetati Constantini M. tribuit, et ideo saeculi Christi IV. Vide etiam Mabillonium *Musei Italici* t. II. Hunc morem benedicendi Agnos cereos etiam nunc magno fidelium bono Romana frequentat Ecclesia. Legesis *La Scienza e La Fede*, vv. LXIX, p. 221 sqq; XCVIII, 221 sq.

Napoli 1868 et 1875.

at brevi post ab Europaeis et Rhodensibus desertus, in Cyprum regressus est [1].

Idem Pontifex ab initio de referenda Curia in urbem Romam deliberavit, excitatus praeterea litteris Petrarchae an. 1367 cum Cardinalium collegio Avenione discessit, Venetorum et Genuensium triremibus Romam navigavit, summaque Italorum maxime Romanorum laetitia et plausu exceptus fuit. Verum VII° calendas octobris 1370 conciliandae inter reges Galliae et Angliae concordiae causa Avenionem repetiit, ubi, sicut s. Birgitta, ei reditum in Galliam dissuadens, praedixerat, paulo post, nimirum XIV° calendas ianuarias vita excessit [2]. — Omnium primus tiaram gestavit circumdatam triplici corona [3].

80. *Religionis status in Asia* — Vidimus supra post dimidium saeculi praecedentis christianam fidem praedicatam coetusque christianorum efformatos in Sinis et aliis Asiae regionibus, Mogolorum seu Tartarorum imperio subiectis, a piis missionariis, quos e ss. Francisci et Dominici Ordinibus illuc destinarunt RR. Pontifices [4]. Quinimo an. 1338 magnus Tartarorum Chan seu imperator ad Benedictum Pp. XII oratores cum litteris legavit, quibus se precibus Pontificis commendabat suamque in Christianos benevolentiam testabatur. Benedictus Pp. redeuntes oratores muneribus litterisque ad imperatorem donavit, cum hortatus est, ut Christianis in terris suis favere pergeret, novosque ex Ordine FF. Minorum Evangelii praecones in istas regiones destinavit. Verum an. 1369 Sinenses, facta seditione, Mogolos seu Tartaros e patria sua eiecerunt, novum imperatorem e familia Sinensi Ming sibi elegerunt, nullumque alienigenam in terris suis tolerantes, missionarios expulerunt. Ex quo tempore Religio christiana in Sinis penitus deperiit [5].

Eodem tempore in reliquis terris asiaticis, Mogolorum dominio subditis, Religioni christianae maximam cladem intulit Timur-Bec seu Tamerlanus, Bucariae princeps, qui ab an. 1370 potiorem Asiae partem sibi subiecit, et mahometicae religioni addictissimus Christianos ad deserendam suam religionem et suscipiendam mahometicam adigere conatus est, adeo ut qui in Fide erant constantes, magno numero interfecti, eorum domus incensae et ecclesiae destructae fuerint. Verumtamen post interitum crudelissimi principis plures, sive Nestorianorum sive Catholicorum, ecclesiae in borealibus et australibus Asiae regionibus superstites manserunt [1].

Quantum ad religiosum Armenorum statum spectat, ii saeculo XII abiectis Eutychianorum erroribus, communionem cum Apostolica Sede coluerunt, in nonnullis tamen doctrinae et disciplinae articulis ab ea dissentiebant. An. 1317 Ossini, eorum rex, ad Ioannem Pp. XXII legavit episcopum, de recuperanda Syria tractaturum, qui contestatus est, Armenos eamdem cum R. Ecclesia Fidem profiteri. Pontifex ad firmandam istam consensionem ad illos misit fidei formulam, quae eis esset credendorum norma, regemque et *catholicon* seu patriarcham hortatus est, ut etiam tollendae quorumdam rituum diversitati operam darent [2]. Benedictus XII, Ioannis successor, ad reducendos Armenos ab erroribus, quos in eorum libris, in latinum versis, notaverat, ad eosdem legavit Ioannem episcopum Sutrinum, ut coacta synodo errores istos, quorum summam legatus ferebat, damnarent. Patriarcha iussu regis episcopos suos convocavit an. 1342, et ad singulas Pontificis querelas, quas calumnias, eius auribus a Latinis insusurratas, appellabant, singulas responsiones ad Clementem VI, Benedicti successorem, dederunt; quas cum Clemens in iis, quae R. Pontificis primatum spectabant, reperiisset obscuras, per novum legatum certos articulos de R. Pontificis primatu ad Armenos misit, ut explicatiorem professionem ederent [3]. Saeculo sequente Eugenius Pp. IV rursus Armenos ad perficiendam eorum cum R. Ecclesia unionem provocavit, ut videbimus.

81. *Novi Ordines religiosi* — Interim hoc pariter saeculo ac praecedentibus quamvis

---

[1] Raynald. ad an. 1362-65.

[2] Raynald. ad an. 1367-70.

[3] Nicolaus Alemannus, *De Lateranensibus Parietinis*, c. 13, ubi haec refert: « Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit Urbanus V, duplicis vero Bonifacius VIII. Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti et Romae cernimus, et Sugerius describit ». « Capiti eius, inquit loquens de Innocentio IV, phrygium ornamentum imperiale instar galeae circulo aureo concinnatum imponunt ». Vide quod diximus in t. I, p. 84, not. 1, col. 2.

[4] Vid. p. 67.

[5] Raynald. ad an. 1338, et 1369; Assemani *Biblioth. orient.* t. III; I. B. du Halde, *Description de la Chine*, t. I.

[1] Assemani loc. cit.; F. Petis de la Croix, *Histoire de Timur-Bec*, t. II-III; Herbélot, *Biblioth. orient.* p. 587.

[2] Raynald. ad an. 1318; Wading. *Annal. Minor.* ad an. 1318.

[3] Raynald. ad an. 1341 et 1346; Martene, *Ampliss. monumentor. collectio*, t. VII, p. 320.

in multis regionibus moralis corruptio esset magna, disciplina in clero laxata et regularis observantia in coenobiis inclinata, non exiguum exstitisse hominum numerum, qui christianae perfectioni serio studerent, intelligitur e novis Ordinibus religiosis, hoc saeculo exortis, et regularem observantiam sedulo colentibus. Huc pertinet Ordo Olivetanorum, an. 1313 a B. Bernardo Ptolomaeo nobili Senensi fundatus, cui Ioannes Pp. XXII praescripsit regulam s. Benedicti, quam Olivetani primis temporibus maxima cum severitate observabant, unde saepius in monasteria Benedictinorum reformanda transferebantur; progressu tamen temporis aliquantulum mitigarunt. Ordo a Ioanne XXII, Clemente VI et Gregorio XI approbatus, continua incrementa cepit, et per totam Italiam propagatus est. Eius sodales dicti sunt Fratres eremitae vel Congregationis Dominae Nostrae de monte Oliveti [1].

Non multo post dimidium huius saeculi novum nempe Iesuatorum Ordinem fundavit s. Ioannes Columbini, et ipse nobilis Senensis, qui per lectionem Vitae Mariae Ægyptiacae ad piam et poenitentem vitam revocatus, se peculariter misericordiae operibus devovit, egenos, peregrinos et aegrotos in domum suam receptos curans; quae misericordiae opera cum paulo post alii, secundum Ioannis exemplum, omnia relinquentes seque ei aggregantes, participarent, eorum societatem Urbanus Pp. V tanquam novum Ordinem religiosum approbavit. Observabant regulam s. Augustini, officium sacrum non recitabant, cum essent laici, sed quotidie ter 50 *Pater* et *Ave* in oratorio congregati dicebant, singulis diebus mane et vespere se flagellabant, hospitalia frequentabant, ut aegrotis ibidem ministrarent, artem quoque pharmaceuticam exercebant, confecta a se medicamenta gratis inter infirmos pauperes distribuentes. Serius appellati sunt Iesuati s. Hieronymi, quod nomine Iesu frequenter uterentur et D. Hieronymum tanquam patronum suum venerarentur. Anno autem 1668 Clemens Pp. IX eorum Ordinem abolevit [2].

In Hispania Congregationem Hieronymitarum instituerunt aliquot viri ex tertio Ordine s. Francisci, qui in eremitarum morem vitam valde austeram ducebant et brevi tempore plures imitatores nacti sunt. Postea vitam eremiticam cum coenobitica commutarunt, atque sub hac conditione an. 1373 Congregationis suae approbationem acceperunt a Gregorio Pp. XI, qui eis etiam regulam s. Augustini praescripsit et s. Hieronymum patronum dedit, unde Eremitae s. Hieronymi dicti sunt. Quo facto novus Ordo per universam Hispaniam et Lusitaniam paulatim propagatus fuit [1].

Alteram Hieronymitarum Congregationem fundavit B. Petrus Gambacorti, alias Petrus de Pisis, filius supremi rectoris reipublicae Pisanae et Lucensis, qui omnibus saeculi deliciis, bonis et honoribus nuncio remisso, circa an. 1377 in Montem-Bellum in Umbria secessit, vitam eremiticam ducturus; ex eleemosynis, quas in pagis circumiacentibus colligebat, an. 1380 sacellum et habitacula pro discipulis, qui se ei sensim aggregabant, aedificavit; Congregationi suae proprias leges, perfectam paupertatem, orationis frequentiam, victum parcum, crebrum ieiunium aliasque austeritates praescripsit. Haec Congregatio a Martino Pp. V approbata, per omnem Italiam se extendit. Qui ei aggregati erant, initio dicti sunt Pauperes eremitae Fratris Petri de Pisis, postea vero, quoniam s. Hieronymum sibi patronum elegerant, appellati fuerunt Eremitae s. Hieronymi vel breviter Hieronymitae [2].

Aliam initio huius saeculi Societatem spiritualem ad curandam mortuorum sepulturam, deinde etiam ad sublevandos aegrotos, Antwerpiae efformarunt nonnulli pii laici, dicti *Lollhardi* a vocabulo germanico *lollen*, quod cantum submissum denotabat, quo utebantur in efferendis funeribus, item *Cellitae* a cellis, in quibus habitabant, et *Alexiani* a s. Alexio, quem sibi patronum elegerant. Ii propter suam utilitatem in multas Belgii et Germaniae civitates recepti, a principibus et magistratibus protecti et a RR. Pontificibus approbati sunt.

Paulo ante dimidium huius saeculi Ordinem Salvatoris fundavit s. Birgitta, quae an. 1302 nobilibus piisque parentibus in Suecia nata, iam in coniugio cum Ulphone principe Nericiae vitam admodum piam et austeram duxit, et post obitum mariti sui Wadstenae monasterium fundavit, in quo essent 60 moniales, 13 sacerdotes cum 4 diaconis, qui res spirituales, et 8 fratres laici, qui res temporales curarent; ita tamen, ut viri et feminae eadem quidem ecclesia uterentur,

[1] Bolland. *Acta SS.* 21 august.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.*
[2] Bolland. *Acta SS.* 31 iul.; Helyot, *Op. cit.*

[1] Helyot, *Op. cit.*.
[2] Ibid. et I. B. Saianelli, *Histor. monumenda Ord. s. Hieronymi Congr. B. Petr. de Pisis*, Venet. 1758.

sed in distinctis conventibus morarentur, supremam directionem haberet abbatissa, et monasterium subesset iurisdictioni episcopi. Praescripsit eis regulam s. Augustini et aliquot particularia instituta, quorum praecipuus finis erat, venerari peculiari ratione Salvatoris nostri eiusque s. Matris dolores. Ordo iste ab Urbano V aliisque Pontificibus approbatus, non tantum per regiones septentrionales, sed per Germaniam, Galliam, Angliam et Italiam propagatus fuit. S. Birgitta ad tantam vitae sanctitatem pervenit, ut coelestibus etiam honoraretur revelationibus, quas a directoribus eius conscriptas, Pontifices et concilia instructioni fidelium utiles probarunt [1].

82. *Gregorius XI Pontifex* (*an.* 1370)— Urbano V Avenione mortuo Cardinales ibi III° calend. ianuar. summo consensu elegerunt Petrum Rogerium, Lemovicensem, diaconum cardinalem, qui nonis ipsius mensis ordinatus et coronatus fuit nomine Gregorii XI.

Hic Pontifex in primis catholicae doctrinae deposito consuluit et profanas novitates proscripsit. Quum enim audivisset, in Ara gonia quosdam de ss. Eucharistia asserere, quod Corpus Christi desineret esse praesens sub sacris speciebus, si hae in locum immundum proiicerentur, a bruto sumerentur aut corroderentur, vel etiam humanis dentibus tererentur; sub poena excommuni cationis inhibuit, ne quis istas propositiones praedicare auderet. Albertum episcopum Halberstadiensem, qui inter alios errores docebat, omnia in hoc mundo esse ineluctabili fato subiecta, errores suos revocare et damnare iussit. Excitavit etiam vigilantiam Inquisitorum, Episcoporum et Caroli V regis Francorum contra latitantes fautores haeresum Albigensis et Waldensis, item contra infamem sectam Turlipinorum, qui Beguardorum erroribus mores turpissimos iungebant. Episcopos Angliae, doctores Oxonienses regemque excitavit adversus pullulantem Wicleffi haeresim.

Idem Pontifex disciplinam ecclesiasticam variis decretis instauravit firmavitque, et ad idem opus sollicitudinem praesulum ecclesiasticorum interpellavit.—Suum in civitatem Romae studium ostendit, confirmans, Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam praecipuam sedem esse Summi Pontificis, et locum principem inter omnes Ecclesias obtinere, omnibusque dignitate antecellere [1]. Primus iussit celebrari in Occidente Festum *Praesentationis B.M. V.* [2]. Ad componendas inter principes discordias legatos misit ad reges Galliae et Angliae; quae tamen legatio, cum nimium essent obfirmatae principum inimicitiae, fructu caruit; reges Hispaniae ad ineundas inducias, donec eorum lites essent diremptae, per Guidonem, cardinalem Legatum, perduxit; pacem inter Ioannam reginam Neapolis et Fridericum regem Siciliae seu Trinacriae initam, servatis R. Ecclesiae iuribus, approbavit; Bernabonem vicecomitem Mediolanensem, qui ditionem ecclesiasticam iterum infestabat, censuris armisque domuit; in rebelles Florentinos gravissimam excommunicationis et interdicti sententiam fulminavit. Sed quum primum ii s. Catharinam Senensem, tertii Ordinis s. Dominici virginem, Avenionem legassent ad postulandam reconciliationem, illico se benevolum exhibuit, pacisque tractatum sacrae virginis arbitrio commisit, modo sibi commendatum haberet s. Ecclesiae honorem; Florentini diu contumaces exstiterunt, verumtamen post obitum Pontificis s. Catharinae consiliis et constantia, pax Florentinorum cum Apostolica Sede confecta et promulgata fuit.

Eiusdem sanctae virginis hortatu Gregorius XI votum, quod fecerat, referendi Curiam in urbem Romam, executus est; relicta Avenione Romam pervenit initio an. 1377 et ingenti cum laetitia atque pompa in Urbem exceptus est [3]. Cum autem postea Cardinalium Gallorum suasu reditum in Galliam meditabatur, in morbum incidit, ex quo VI° calendas aprilis an. 1378 aetatis mortem Romae obiit [4]. Post obitum eius ortum est in Ecclesia schisma teterrimum, quod multis annis duravit, duos simul, vel tribus Pontificibus, Romae, Avenione et alibi sedentibus, ut in sequenti Epocha narrabimus.

---

[1] Vastorius, *Vita S. Birgittae cum notis Benzelii*, 1708; Helyot, *Op. cit.*

---

[1] Constitut., *Super universas in Bullarii* t. I.

[2] Bened. XIV, *De Festis B. M. V.* p. II, n. 181, 182.

[3] Spondanus, ad an. 1377, § 1. Retulit igitur sedem Pontificiam Gregorius Romam, 70 annis, ut plerique enumerant, postquam in Galliam translata fuisset. Sed qui tempus numerare voluerit ab obitu Benedicti XI postremi Pontificis in Italia ante translationem sedentis, qui contigit 6 iul. an. 1304 usque ad 17 ian. qua Gregorius Romam intravit, habebit annos 72, menses 6, et dies 10: ab electione Clementis V, qui sedem transtulit die 5 iun. 1305, annos 71, menses 7, dies 11: ab eius coronatione, quae contigit 11 nov. 1305, annos 71, menses 2, dies 5; a constitutione vero Sedis Avenione, a Clemente ad principium anni 1309 facta, cum eo usque vaga fuisset per varia Galliae loca, annos 68.

[4] Raynaldus et Bzovius, ad an. 1370-78.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA NONA

AB INITIO SCHISMATIS OCCIDENTIS VSQVE AD FINEM IMPERII GRAECI, AN. 1453.

PROOEMIVM

Praesens epocha continet eventum maxime memorandum, divisionem nempe ecclesiae Occidentalis, quae magnum Occidentis schisma appellari solet. Post Gregorii Pp. XI obitum Cardinales primo in locum Gregorii XI elegerant Urbanum VI; deinde contestati, sibi vim a populo Romano illatam et Urbanum non fuisse libere electum, Clementem VII elegerunt. Ambo, Urbanus VI et Clemens VII, sibi pontificatum vindicarunt, ille Romae, hic Avenione sedit: ambo suas *obedientias* et post mortem successores habuerunt, et res tam obscura facta est, ut viris doctis iudicatu foret difficile, cui parti veritas et iustitia faverent. Ab utraque parte fuerunt viri, sanctitate ac doctrina clari. « Multae, inquit D. Antoninus, disputationes factae sunt circa istam materiam, multi libelli editi sunt pro utriusque partis defensione. Peritissimos viros et sancta pagina et iure canonico habuit toto tempore, quo duravit id schisma; utraque pars seu *obedientia*, ac etiam religiosissimos viros et quod magis est etiam miraculis fulgentes; nec unquam sic potuit quaestio illa decidi, quin semper remanerent apud plurimos dubia [1] ». Post plura ad componendam divisionem conamina adhibita, tandem an. 1417 in Constantiensi concilio Gregorius XII pontificatu cessit, Ioannes XXIII et Benedictus XIII depositi sunt, unusque electus fuit Martinus V. Paucorum factio Benedicto XIII, et post eius mortem Clementi VIII adhaesit usque ad an. 1429, quo Clemens in gratiam cum Martino V rediit. Duravit igitur schisma, si computes usque ad electionem Martini V, fere 40, si usque ad reconciliationem Clementis, circiter 51 annis.

Ex hoc schismate mala plurima exorta sunt, nimirum Pontificum aliorum contra alios processus, depositiones et excommunicationes, ecclesiarum inter se dissensiones, observantiae erga auctoritatem pontificiam diminutio, disciplinae enervatio, in clero et in populo morum depravatio etc. Ad corrigendos autem abusus, ad reformandos mores et instaurandam disciplinam coacta fuere concilia Pisanum, Constantiense, Basileense et Florentinum.

Praeterea Fidei unitatem impugnarunt Wicleffitae et Hussitae, turbasque graves excitarunt hi in Bohemia, illi in Anglia. Utraque haeresis a RR. Pontificibus et conciliis proscripta atque a viris eruditis confutata fuit, ut videbimus.

1. *Urbanus VI Pontifex* (*an.* 1378) — Quum Gregorius Pp. XI Romae decessisset, Romani veriti, ne, si quis patria Gallus in locum eius eligeretur, curiam referret Avenionem, in ingressu conclavis clamitantes postularunt, ut eligeretur Romanus vel saltem Italus. Deinde praefectum regionum Urbis ad Cardinales miserunt, qui peteret non alium quam Romanum in pontificem eligendum. Responderunt Cardinales, se electionem facturos habitis solum prae oculis honore Dei, salute populi christiani et utilitate Ecclesiae catholicae; et consentientes inter se, non esse eligendum Romanum, ne electio videri posset facta per metum, Italum tamen, ut patrimonium Ecclesiae, longa Pontificum absentia imminutum, restitueretur, v° idus aprilis elegerunt Bartholomaeum Prignanum, Neapolitanum, et archiepiscopum Barensem. Ubi hanc electionem cognovit populus, grandem tumultum in Urbe excitavit. Cardinales partim in Castrum s. Angeli, partim in domos privatas et extra Urbem confugerunt, et post paucos dies tumultu sedato, electionem factam confirmantes, xiv° calendas maias Bartholomaeum Prignanum sub nomine Urbani VI solemni ri-

[1] *Chron.* part. III, tit. 22, c. 2.

tu et pompa secundum morem inaugurarunt [1].

2. *Schismatis Occidentalis initia* — Urbanus VI vix Ecclesiae gubernacula manum admovit, totus in eo fuit ut curiam reformaret, vitia coëceret, et disciplinam instauraret. Verum, quum in hoc negotio nimiam prae se ferret severitatem, multorum, etiam Cardinalium, animos offendit. Post unum circiter mensem ab eius inauguratione 13 cardinales, quorum 12 Galli et 1 Hispanus, secesserunt Anagniam, ibique iam deliberare coeperunt, quomodo Urbanum deponerent et novum pontificem eligerent; demum v° idus augusti declarationem ediderunt, in qua contestabantur, se in conclavi non fuisse liberos, electionem Urbani fuisse vi et metu extortam, atque adeo eum non esse legitimum pontificem; deinde profecti sunt Fundos in regno Neapolitano, ubi sub Ioanna regina, quae Urbani VI partes reliquerat, securius agerent. Illic tribus etiam cardinalibus Italis ad se pertractis, XII° calendas octobris pontificem elegerunt cardinalem Robertum Gebennensem, annos 36 natum, qui pridie calendas novembris inauguratus, a suis dictus est Clemens VII [2].

Sic, proh dolor! schisma conflatum est, duobus simul summum Ecclesiae sacerdotium sibi vindicantibus. Urbanus VI Romae, Clemens VII Avenione curiam habuit; ambo partes suas augere et firmare conati sunt; litteras encyclicas ad ecclesias scripserunt; novos cardinales crearunt, se invicem sententiis censurisque perstrinxerunt. Clementis obedientiam amplexi sunt reges Galliae, Aragoniae, Castellae et Siciliae; caeteri vero principes fere omnes Urbano VI obedivérunt.

Dum autem perpenduntur monumenta, ad electionem Urbani VI spectantia, nullum videtur superesse dubium, quin ea legitima fuisset [3]. Verumtamen e cardinalium contestationibus, e scriptis utrinque ea de re editis, prout partium studium eo tempore quosque occupabat, et ex aliis adiunctis tanta in utramque partem ingesta est confusio, ut viri, optime licet animati, ancipites haererent, quid sibi agendum, et quae de Pontificibus, inter se contendentibus, quantum ad legitimam eorum auctoritatem pertinebat, sententia verior esset. Ecclesia ipsa definitivum iudicium ea de re non tulit, quamvis eius sensus esse videatur, inquit Spondanus, Urbanum VI eiusque successores solos fuisse legitimos pontifices [1].

Iste vero divisionis status non obfuit saluti eorum, qui bona fide sive hanc sive illam *obedientiam* sectabantur, animoque ac intentione uniti erant cum legitimo Pontifice, quamvis in errore facti versarentur, quis ex contendentibus esset legitimus. « Nam, inquit D. Antoninus, etiamsi necessarium sit credere, sicut unam esse catholicam Ecclesiam non plures, ita et unicum eius Pastorem, Vicarium Christi; tamen si contingit plures per schisma creari seu nominari pontifices summos uno et eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere, istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonice assumptus. Quis autem fuerit canonice electus, non tenetur quis scire, sicut nec ius canonicum, sed in hoc populi sequi possunt maiores suos seu praelatos [2]».

Neque per hanc divisionem, quae improprie schisma Occidentis nuncupatur, unitas Ecclesiae abrupta fuit. Qui enim uni vel alteri de pontificatu contendentium, quem ius probabilius habere iudicabant, obediebant, ita animo erant comparati, ut eos, qui in alia essent obedientia, non ut schismaticos aut ab unitate Ecclesiae praecisos, sed tamquam fratres et vera unius Ecclesiae membra habuissent; omnes parati illum sequi Pontificem, quem Ecclesia agnovisset, communi consilio adlaborarunt schismati exstinguendo et certo Pontifici impetrando.

3. *Wicleffitarum Haeresis* — Tristi schismati, quo Ecclesiae dividebantur, accessit aliud malum, haeresis nempe Wicleffitarum, cuius auctor fuit Ioannes Wicleff, anglus, doctor Oxoniensis et parochiae Lutterworthensis in dioecesi Lincolniensi rector, vir acris et superbi ingenii. Is cum usurpatam Cantuariensis collegii praefecturam monachis, quibus ea debebatur, restituere Cantuariensis archiepiscopi et Urbani Pp. V sententia an. 1370 fuisset coactus, odium ingens in monachos, in episcopos et in Pontifices concepit, atque in eosdem tum sermonibus tum scripto invectus est. Anno 1376 archiepiscopus Cantuariensis Londini quaestionem de doctrina eius instituit, sed excitato ab eiusdem fautoribus tumultu, nihil effectum est. Interim articuli 19 ex Wiclef-

---

[1] Raynald. ad an. 1378; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, p. II, c. 14.
[2] *Op.* et loc. cit.
[3] I. B. Palma, et Raynald. loc. cit.; Papebroch. *Conat. chronol. hist.* part. II.

[1] *Annal.* ad an. 1378, § 10.
[2] *Chron.* part. III, tit. 22, c. 2.

fi praelectionibus et concionibus desumpti, ad Gregorium Pp. XI delati fuerunt. In his articulis R. Pontifici ius temporalis dominii, clericis potestas solvendi atque ligandi, et superioribus facultas reservandi sibi casus conscientiae denegabantur; principes vero saeculares ad adimenda clericis bona excitabantur. Gregorius XI an. 1377 condemnatis istis articulis, archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Londinensi mandavit, ut in Wicleffum inquirerent, scriptasque eius confessiones ad Apostolicam Sedem transmitterent [1]. Wicleff constitutis iudicibus an. 1378 scriptum obtulit, in quo sententias suas in mitiorem quidem sensum explicabat, sed non retractabat. Iudices ei interdixerunt, ne deinceps doctrinas illas proponeret; sententiam vero in eumdem ferre ausi non sunt, quod Ioannes dux Lancastriae, sub impuberi Richardo II regni administrator, pluresque proceres et plebeii novatori faverent.

Wicleff interdictum tam parum servavit, ut etiam deteriores errores professus sit, et an. 1381 in praelectionibus suis et thesibus doctrinam catholicam de ss. Eucharistia impugnaverit, imo haereticam pronuntiarit. Quamvis non pauci ex Oxoniensibus Wicleffo assentirent, tamen cancellarius Universitatis, multique theologiae et iuris canonici doctores theses eius publice condemnarunt, et sub poena carceris proponi vetuerunt. Richardus rex Wicleffum munere professoris privavit, et synodus Londinensis, cui cum archiepiscopo Cantuariensi interfuerunt 7 episcopi et multi theologiae iurisque canonici doctores, anno 1382 assertiones 24, e Wicleffi scriptis excerptas, partim ut haereticas partim ut erroneas damnavit. Earum summa haec erat: Substantiam panis et vini etiam post consecrationem in Eucharistia permanere, neque Christum realiter in ea esse praesentem; Missae sacrificium a Christo non fuisse institutum; homini vere contrito confessionem peccatorum coram sacerdote esse inutilem; ministrum peccato mortali obnoxium, non posse sacramenta conficere; Papam vitiosum non habere in Christianos potestatem, nisi forte sibi ab imperatore concessam; post mortem Urbani VI nullum deinceps Papam esse recipiendum; temporales clericorum possessiones esse contrarias s. Scripturae; praelatos non posse excommunicare quempiam, nisi prius sciant eum excommunicatum esse a Deo; diacono et presbytero licere verbum divinum praedicare sine Papae et episcoporum facultate; dominos temporales et ecclesiasticos per peccatum mortale excidere sua dignitate et potestate; dominos temporales auferre posse bona ecclesiasticis habitualiter peccantibus; fundatores Ordinum monasticorum esse peccatores, eosque ingredientes non esse christianos [1].

Rex perversitate damnatarum propositionum intellecta, archiepiscopo Cantuariensi eiusque suffraganeis potestatem dedit omnes, qui eas tradituri essent, tamquam haereticos comprehendendi, et Universitatis cancellario atque procuratoribus mandavit, ut in Wicleffi asseclas diligenter inquirerent, e ditione urbis Oxoniensis eiiciendos. Wicleff se recepit in parochiam, olim ab aula sibi collatam, eodemque an. 1382 ab Urbano VI Romam evocatus, acerrima epistola respondit, se esse impeditum. Anno autem 1384 apoplexia mortuus est.

Praeter supra commemoratos errores, Wicleff plures alios tradidit, sicut e scriptis eius, praesertim e *Trialogo*, constat. Universim, Ecclesiae et Patrum traditione atque auctoritate reiectis, nihil credendum esse statuit praeter id quod continetur in Scriptura sacra litteraliter intellecta, quam etiam in linguam patriam vertit. Non unam alteramve Ecclesiae doctrinam aut institutionem oppugnare, sed potius totum Ecclesiae catholicae systema innovare sibi proposuit; ad quem finem assequendum magis conviciis et argutiis sophisticis, quam solidis argumentis usus est. Simili spiritu animati erant eius asseclae, qui pseudo-magistri sui erroribus novos addiderunt.

Cum haeresis inter Universitatis Oxoniensis membra et etiam inter cives continuo serperet, rex e senatus consilio episcopis mandavit, ut ad conterendam haeresim efficaciora remedia adhiberent. Igitur archiepiscopus Cantuariensis anno 1396 synodum Londini congregavit, in qua 18 articuli, e *Trialogo* Wicleffi excerpti, damnati sunt. Idem praesul an. 1408 alteram synodum coëgit Oxonii, in qua sub poena, in promotores haeresum statuta, interdictum est, ne quis clericus aut monachus sine speciali licentia verbum Dei praedicaret, ne in scholis de doctrina ab Ecclesia damnata disceptaretur, ne quis s. Scripturam propria sua auctoritate in linguam vulgarem verteret, aut huiusmodi versionem legeret, nisi a dioe-

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2038-42.

[1] Apud Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2052.

cesana vel provinciali synodo approbatam[1]. Quum vero sectarii synodorum sententias et interdicta spernerent, ac tumultus civiles excitarent, Henricus IV et Henricus V, Angliae reges, severiores leges contra eos sanciverunt, secundum quas an. 1413 nonnulli suppliciis affecti sunt. Unde factum est, ut secta in Anglia expirarit. Sed nonnulli Angliam deserentes, auctoris sui scripta secum tulerunt in alias terras, praesertim in Bohemiam,ubi perversam haeresim propagarunt. Quapropter Ioannes Pp. XXIII an. 1413 in Romana synodo Wicleffi scripta condemnavit, praecepitque Ordinariis, ut contra eos, qui illa retinuerint, legerint aut laudaverint, veluti de Fide suspectos agerent. Anno 1415 Concilium Constantiense, sessione VIII, Ioannem Wicleff tanquam haereticum damnavit, ossa eius e terra sacra extrahi iussit, et 45 articulos, e scriptis eiusdem desumptos, veluti haereticos vel blasphemos vel erroneos vel scandalosos proscripsit [2].

4. *De festo Immaculatae Conceptionis B. V. M.* — Eodem tempore in Gallia alia controversia inter Catholicos agitata fuit, nimirum de Immaculata Conceptione B. V. M. Quamvis antiqui patres et scriptores ecclesiastici expressis verbis non asseruerint, B. V. Mariam speciali Dei privilegio a peccati originalis labe fuisse praeservatam immunem, quum haec quaestio eorum aetate non fuerit agitata, illorum tamen mens de immaculata conceptione B. Virginis sat colligitur e praeconiis, quibus SS. Dei Genitricem celebrarunt. Ab antiquis etiam temporibus, primo quidem in Orientis, deinde etiam in Occidentis ecclesiis, cultus publicus Conceptionis B. V. M. obtinuit. Quum autem an. 1136 s. Bernardus canonicos Lugdunenses reprehendisset, quod festum Conceptionis B. V. M. celebrarent, quaestio agitari coepit, primo quidem de ea festivitate, deinde de ipsa immaculata B. Virginis conceptione[3].

Circa finem saec. XIII vel initium sequentis, Ioannes Duns Scotus Ord. s. Franc. tanta cum laude doctrinam de immaculata B. V. Mariae conceptione propugnavit, ut omnes, exceptis scholis FF. Praedicatorum, in ea doctrina consenserint. Hinc quaestio graviter tractata est inter Dominicanos et Franciscanos. Priores, auctoritate s. Thomae Aquinatis innixi, docebant, B. V. M. in peccato originali fuisse conceptam, sed post conceptionem in utero matris suae sanctificatam [1]. Franciscani vero, cum Ioanne Duns Scoto, contendebant, Deiparam Virginem sine originali labe fuisse conceptam. Quum an. 1387 Ioannes de Montesono, dominicanus et Parisiis theologiae professor, in publica disputatione inter alia propugnasset, doctrinam de immaculata B. V. M. Conceptione s. Scripturae et Fidei adversari, Facultas theologica et episcopus Parisiensis 14 propositiones e disputatione eius ut falsas et scandalosas improbarunt, et sub poena excommunicationis doceri prohibuerunt. Dominicani vero causam imprudenter susceperunt, perinde ac si ipsius D. Thomae auctoritas fuisset laesa, et in ipsis hinc inde concionibus piae sententiae de Immaculata B. V. M. Conceptione detraxerunt. Res eo devenit, ut nonnulli Dominicani gradibus et privilegiis academicis exclusi, a sacro suggestu et confessionis tribunali amoti fuerint, donec temporis progressu animorum aestus paullatim sedatus est [2].

His porro disceptationibus pia sententia de Immaculata Deiparae conceptione magis magisque propugnata atque roborata fuit. Cum tamen nonnulli oppositam sententiam defenderent, an. 1439 Concilium Basileense sess. XXXVI edixit, doctrinam de immaculata Deiparae Virginis conceptione esse piam, catholicae Fidei, s. Scripturae, rectae rationi et ecclesiastico cultui consentaneam, ab omnibus catholicis approbandam, tenendam et amplectendam; contrarium docere prohibuit, et eiusdem sanctae Conceptionis solemnitatem secundum Romanae et aliarum ecclesiarum morem in o-

[1] Labbe, loc. cit. p. 2079 et 2089.

[2] Labbe, loc. cit. p. 2323, et t. XII, p. 42. Cf Th. Walsingh. *Hist. Angl. mai.*; Bossuet, *Histoire des variations*, l. XI, c. 153; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, c. 3, a. 22.

[3] Ex hoc aliqui intulerunt D. Bernardum contrariam sententiam Immaculatae Conceptioni tenuisse. Sed falso, quia S. Doctor ibi quaestionem iniisset de festivitate, cuius institutio S. Sedi tantum competit. Quod si aliquando loquutus esset de hac doctrina, intelligendum erit de conceptione activa quae respicit corpus, non autem de conceptione passiva quae respicit infusionem animae corpori. Vid. Perrone, *De Immacul. Concept. Disquisit. theol.* pars. I, c. 15, § 2, Neapoli 1848.

[1] Plerique scriptores, vel ex ipsa Praedicatorum Familia, in tuto posuerunt, sententiam Aquinatis non adversari doctrinae fidei, quam an. 1854 Pius IX catholico orbi credendam proposuit, de Immaculata Virginis Conceptione. Cf Marian. Spada, *Esam. crit. sulla dottr. dell'Angelic.* etc.; Ioan. M. Cornoldi, in *Sentent. s. Thomae Aquin. de immunit. B. V. Dei Parentis a peccati originalis labe* etc. atque Ephem. *La Scienza e La Fede*, voll. XVIII, XXV, XXXII, Napoli 1849, 1853, et 1856. Nuperrime Doct. Morgott magno labore hoc fecit in cit. ephem. vv. CXXIV, p. 353 sqq, CXXV, 256 sqq, Napoli 1882.

[2] Du Boulay, *Hist. Universit. Paris.* t. IV; Berthier, *Hist. de l'egl. Gall.* t. XIV, p. 319, in-4°.

mnibus ecclesiis et monasteriis celebrari iussit [1]. At cum hoc decretum conditum sit post scissionem inter Concilium et R. Pontificem, quaestio non fuit definita. An. 1476 Xystus Pp. IV amplas Indulgentias concessit festum Immaculatae Conceptionis devote celebrantibus, et an. 1482 altera constitutione reprobavit eos qui dicerent obiectum istius festi esse dumtaxat spiritualem conceptionem seu sanctificationem B. Virginis [2]. Anno 1497 Facultas theologica Parisiensis, constituit ut nullus ad academicos gradus admitteretur, nisi prius iureiurando se obstrinxisset ad defendendam sententiam de Immaculata Deiparae Conceptione; quod exemplum an. 1499 Coloniensis et an. 1501 Moguntina Facultas imitata est. An. 1564 Concilium Tridentinum sess. V declaravit, non esse suae intentionis in decreto suo de peccato originali comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, sed observandas esse constitutiones Xysti IV. Saeculo sequenti an. 1616, Paulus Pp. V, sub gravibus poenis, prohibuit, ne quis in actu publico assereret, Deiparam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam; quod etiam in privatis disceptationibus et scripta an. 1622 affirmare vetuit Gregorius XV, qui post Paulum Pontificatum tenuit [3].

Anno 1661 Alexander VII, confirmatis decessorum suorum constitutionibus, declaravit, obiectum festi, in honorem Conceptionis B. V. M. instituti esse conceptionem immaculatam B. Virginis, praeveniente scilicet Spiritus S. gratia, a peccato originali praeservatae.

Denique Gregorius XVI eiusque Successor Pius Pp. IX, secundum preces plurimorum episcoporum, Superiorum Ordinum et rectorum ecclesiarum concesserunt, ut in praefatione Missae Conceptionis B. V. M. diceretur: ***Et te in conceptione immaculata***, atque in litaniis Lauretanis: *Regina sine labe originali concepta.* Id ipsum an. 1843 a Pontifice petiit nomine totius Ordinis FF. Praedicatorum minister generalis. Summus Pontifex Pius IX a multis cardinalibus et episcopis rogatus, ut immaculatam B. V. conceptionem dogmatice definiret, an. 1849 2 febr. litteris encyclicis Caietae datis ab omnibus totius orbis episcopis petiit, quae esset sua ipsorum et fidelium sibi commissorum pietas erga immaculatam B. V. M. conceptionem, quidque ipsi praesertim de dogmatica illius definitione sentirent et exoptarent. Generatim episcopi suam suorumque fidelium pietatem erga immaculatam B. V. M. conceptionem testati sunt et, paucissimis exceptis, doctrinae huius definitionem exoptarunt. Id ipsum Pontifici significarunt plura Capitula, Universitates, et synodi episcoporum. Post haec Summus Pontifex an. 1854 episcopos ex omnibus orbis partibus Romam convocavit, et die 8 Decembris eiusdem anni intra Missarum solemnia decretum legit, quo definivit, esse fidei dogma «B. V. Mariam in primo instant suae Conceptionis singulari Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu, ab omni originalis culpae labe fuisse praeservatam immunem». Pontificis decretum summis ubique cum laudibus et laetitia maxima susceptum fuit [1].

5. *Urbani VI gesta* — Cum Urbanus totum fere Pontificatum per Italiam discurrens gessisset valde laboriosum, anno tandem 1389 quiete degens Romae tria decrevit: Ad recolendam scilicet annorum vitae Salvatoris nostri in terris memoriam Iubilaeum quoque anno trigesimo tertio celebrandum statuit; similiter ut Festum Visitationis B. M. V. VI° nonas iulii, sub ritu duplici per orbem universum solemniter coleretur; edixitque ut in locis etiam, quibus sacra essent interdicta, liceret die festo Corporis Christi rem divinam facere apertis ianuis: eodem prorsus modo, quod id fieri die Natali Christi Domini, Paschae, Pentecostes et Assumptionis Deiparae Bonifacius VIII permiserat [2]. Opera s. Catharinae Senensis pacem cum Florentinis composuit; Ioannam Neapolis reginam, Clementis VII fautricem, regno Neapolitano, quod erat R.

[1] Labbe, *Concil.* t. XII, p. 622.

[2] *Extravag.* comm. l. III, tit. 12.

[3] Cf Benedict. XIV, *De Festis B. V. M.*

[4] Fusius de hac historia egit laudatus I. Perrone in cit. op. *De Immaculato B M. V. concept.* etc *Disquisitio theologica.*

[1] Videri praeterea iuvat, B. Piazza, *Causa Immac. Concept. B. V. M. sacris testimoniis utrimque allegatis et ad examen theologico-criticum revocatis*, Panormi 1747 et Colon. 1751; C. Passaglia, *De immaculato Deiparae semper Virginis conceptu Commentarius*, Romae, 1854-55, 3 vol. in 4°; I. B. Malou, *L'Immaculée conception de la B. V. M. considerée comme dogme de foi*, Bruxel. 1857, 2 vol. in 8°. Legendae sunt quoque — *Litterae apostolicae* de dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae, *Ineffabilis Deus*, una cum aliis documentis in cit. *La Scienza e La Fede* vv. XXVIII et XXIX, Napoli 1851-1855; G. Alimonda, nunc S. R. E. Cardinalis, *Il domma dell'Immacolata*, Genova 1856.

[2] Cap. *Alma Mater* 24, § *In Festivitatibus.* De sent. Excom. in 6°.

Ecclesiae feudum, privavit et Carolum ducem Dyrrachii eo investivit. Carolus deiecta Ioanna et repulso Ludovico Andegavensi, regno Neapolitano potitus est, sed in Pontificem ingratus exititit, eum Neapolim venientem indecore excepit, et conflatam a sex cardinalibus in Pontificem coniurationem non compescuit. Urbanus Neapoli digressus Nuceriam, coniurationem Cardinalium detexit, eos carceri mandavit et post habitam quaestionem excommunicatos atque depositos severe punivit; Carolum vero regem Neapolis tamquam coniurationis conscium communione fidelium et regno privatum declaravit. Carolus Pontificem insecutus, eum in arce Nuceriana obsedit, sed hic manus eius evasit. Demum Urbanus VI idibus octobris 1389 Romae obiit [1] post *annos* 11, *mens.* ac *dies* 6 Pontificatus.

6. *Bonifacius IX Pontifex* (*an.* 1389)— In eius locum, postridie calendas novembris, summo consensu 14 Cardinalium, qui Urbano VI constanter adhaeserant, electus fuit cardinalis Petrus Tomacelli, Neapolitanus, aetatis suae an. 45, qui nomen Bonifacii IX assumpsit et Ecclesiam rexit usque ad an. 1404. Is decessoris sui tria decreta confirmavit, et indictum ab eo Iubilaeum an. 1390 celebravit, cuius lucrandi gratia magnus peregrinorum numerus Romae visus fuit. Postulantibus nonnullis principibus, ut eaedem indulgentiae in regnis suis concederentur, quod multi Romam ire non possent, Pontifex annuit, misitque legatos, qui in eorum terris Indulgentias promulgarent et peregrinationem ad urbem Romam in alia pia opera commutarent [2]. Idem Pontifex sub anathematis poena prohibuit, ne ecclesiarum coenobiorum et xenodochiorum bona ultra triennium locarentur aut in emphyteusim darentur; omnium beneficiorum suae collationis dimidiam annatam seu dimidiam partem fructuum primi anni reservavit Camerae seu fisco apostolico [3]; confirmavit electionem Ruperti Palatini, quem principes Germaniae an. 1400 in locum ignavi impurique imperatoris Wenceslai suffecerant; regnum Neapolitanum confirmavit Ladislao, Caroli regis filio: utque Ludovici Andegavensis, quem Clemens VII regem Neapolis creaverat, praepediret, propriosque subditos in officio contineret, varias ecclesiastici status civitates viris potentibus sub annuo tributo contulit, quo aliisque modis pontificium imperium restituit [1]. B. Brigittae sanctarum viduarum cultum rite decrevit [2]. Seditione affectantium trahere Urbis imperium ad plebem Roma pulsus, ac mox revocatus, visus est quasi primus omnium R. Pontificum omnem populi Romani vim sustulisse, Pontificiam auctoritatem eo usque nutantem confirmasse, ac tandem Urbis summum imperium obtinuisse, cunctis suo arbitratu magistratibus creatis [3]. Periit an. 1404 calend. octobr. diro calculorum cruciatu, post *annum* Pontificatus decimum quartum, ac mensem undecimum.

7. *Schismatis status* — Clemens VII, quem Galli, Hispani et aliquot alii ut Pontificem colebant, quum primum Bonifacium IX in locum Urbani VI electum audivit, excommunicationem et anathema in eum promulgavit. Bonifacius vero competitorem suum primo oblatis emolumentis et dignitatibus ad deponendum Pontificatum adlicere conatus est; ei Apostolicam legationem in Gallia et Hispania totique eius obedientiae veniam offerendam curavit; deinde decessoris sui censuras in eumdem innovavit. Interim viri unitatis et pacis ecclesiasticae studiosi, vocem suam pro extinguendo schismate tollebant. Quum inter principes Clementinae obedientiae potentissimus esset Carolus VI rex Galliae, Bonifacius IX an. 1392 ad eum legatos cum litteris destinavit, quibus regem hortabatur, ut exstinguendo schismati et procurandae unioni operam conferret. Pontificis legati primo accedentes Avenionem, a Clemente VII indigne habiti fuerunt; rex vero melius eos excepit, lectis-

---

[1] Raynald. ad an. 1378-89.

[2] Victorell., *De Iubilaeo*, part. II.

[3] Van Espen part. II *Iuris Ecclesiastici universi*, t. 24, c. 4, § 18. Annatarum originem plures referunt ad Ioannem XXII in *Extrav.* 11 *de Praebendis* inter *Communes*, ubi reservat Sedi Apostolicae fructus et proventus primi anni Beneficiorum vacantium inferiorum Episcopatibus et Abbatiis. Credunt alii, huic Pontifici originem *Annatarum* adscribi non posse; sed earum auctorem esse Bonifacium IX qui an. 1392 durante schismate, ingravescentibus rei pecuniariae difficultatibus, ob continuos armorum fragores sanxit, ut redigendorum ex omnibus Sacerdotiis, quae a Sede Apostolica conferrentur, vectigalium, quae primo labente anno obvenirent, dimidia pars in fiscum Pontificium inferretur. De quo legesis Natal. Alexandr. Diss. IX *Hist. eccles.* saec. XV et XVI; Thomassin. *Vetus et nova Eccles. discipl.* p. 3, l. 2, c. 58.

[1] Raynaldus et Bzovius, ad an. 1389-1404.

[2] Raynald. ad an. 1391, § 29. Rem gestam ordine describit Petrus Amelius, qui praesens adfuit, in *Ordine Romano* XV ap. Mabill. t. 2 *Musei Italici*, p. 535.

[3] Raynald. ad an. 1399; Abrah. Bzovius ad an. 1394, § 1; Aegidius Card. Viterbiensis, ap. Victorellum in *Add.* ad Ciaconium t. 2, p. 698. Primus (Bonifacius IX) vim populi Romani in Pontificem retulit, primus in Hadriani mole arcem firmavit, primus Tiberis aditus, pontesque communiit.

que Bonifacii litteris respondit, se omnem curam adhibiturum, ut ecclesiastica unio restitueretur; negotium autem inquirendi de ratione, qua schisma componeretur, demandavit Universitatis Parisiensis doctoribus. Hi tres vias proposuerunt, nimirum cessionem utriusque competitoris, vel compromissionem utriusque in aliquot iudices qui summa auctoritate decernerent, vel concilium generale. Rex, non obstantibus contrariis consiliis Petri de Luna cardinalis Clementini, qui omni modo Universitatis conatus disturbare tentabat, doctoribus mandavit, ut ad Clementem VII scriberent quatenus e tribus praedictis unionis viis unam eligeret. Clemens vero graviter offensus, nullum responsum dedit, et brevi post, nimirum xvi° calend. octobr. 1394, Avenione ex apoplexia obiit.

Defuncto Clemente, Universitas Parisiensis regesque Galliae et Hispaniae ad cardinales Clementinos litteras dederunt, ut electionem differrent, donec voluntas Bonifacii de unionis negotio explorata et undique concordiae via tentata fuisset. Verum cardinales Avenionenses spretis huiusmodi consiliis, iv° calendas octobris in pontificem elegerunt cardinalem Petrum de Luna, Hispanum, qui nomen Benedicti XIII assumpsit; ne tamen schismatis fautores viderentur, ante electionem se iuramento obstrinxerant, ut ad illius extinctionem cunctis modis laborarent, et quicumque eorum fuisset electus, omnes vias utiles, etiam cessionem, ad procurandam unionem fideliter amplecteretur. Verum quomodo Benedictus promissis suis steterit, e dicendis patebit.

Is optime sciens, plurimi sua interesse, ut regem Galliae et Universitatem Parisiensem in obedientia sua conservaret, iis significavit, se quamvis invitum, in pontificem fuisse electum, sed paratissimum esse ad deponendum pontificatum, si id ad componendum schisma foret necessarium. Quapropter praesules et doctores, postridie calend. februarii 1395, a rege Parisios convocati, post maturam negotii discussionem proposuerunt cessionem utriusque, Bonifacii IX et Benedicti XIII, tanquam commodiorem et efficaciorem viam restituendae unionis, quam omnes pii desiderabant. Ubi haec consilia Benedicto fuerunt proposita, primo ambagibus et tergiversationibus usus est, aliasque vias in medium protulit, deinde Universitatis et principum oratoribus, cessionem urgentibus, nihil praeter verba dura minasque reddidit; Universitas vero adversus Benedicti minas appellavit ad proximum futurum, unicum, verum, orthodoxum Papam eiusque s. Apostolicam Sedem.

Bonifacius IX, cui eadem unionis via fuit proposita, respondit, se nihil magis cordi habere quam schismatis extinctionem; sed utpote legitime creatum, viam cessionis admittere non posse; attamen post Petri de Luna abdicationem se regi Galliae aliisque, restituendae unioni adlaborantibus, facturum satis. Quum vero Benedictus XIII viam cessionis pertinaciter reiiceret, an. 1398 praesules Galli, doctores, abbates, Capitulorum procuratores, principes et proceres regii concilii, mandato regis Parisiis congregati, post longam discussionem Benedicto obedientiam subtraxerunt. Idem fecerunt reges Castellae et Navarrae, et ex ipsis 23 cardinalibus Avenionensibus, 18 ab obedientia Benedicti secesserunt, seque Villam Novam in ditione regis Francorum receperunt. Benedictus quamvis in palatio suo sub custodia retentus, pontificatu cedere noluit [1].

8. *Lithuanorum conversio* — Interea sub haec tempora Lithuani christiana sacra susceperunt. Eorum dux Iagello, qui inter principes Europaeos solus adhuc falsa numina colebat, an. 1382 post obitum Ludovici, Poloniae et Hungariae regis, cum Polonis agere coepit, ut Hedwigem, defuncti regis filiam et regni haeredem, in coniugem acciperet. Primaria vero nuptiarum conditio fuit, ut Iagello baptismum et christianam fidem susciperet. Assensit is, et anno 1386 cum multis proceribus Lithuanis Cracoviae baptizatus, et in baptismo Ladislaus appellatus est. Ladilsaus nuptiis Hedwigis potitus, non tantum in suscepta Fide perseveravit, sed eam etiam per omnes terras suas propagandam curavit; an. 1387 comitia Wilnae coëgit, in quibus christianae Religionis professio pro tota Lithuania decreta est. Confestim nobiles et eorum exemplo plebeii tanto ardore christiana sacra susceperunt, ut turmatim essent baptizandi. Ladislaus delubra deorum et lucus sacros ubique destrui, et angues, qui tanquam lares colebantur, occidi iussit; Urbano VI coram episcopo Posnaniensi eius legato obedientiam professus est; Wilnae sedem episcopalem et in aliis civitatibus aedes sacras excitandas curavit, seque in omnibus ita gessit, ut posterorum laudes meruerit [2].

---

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1392-99; Du Boulay, *Hist Universit. Paris.* t. IV.

[2] Dugloss. *Hist. Polon.* l. X; Spondan. ad an. 1386.

9. *Scriptores ecclesiastici* — Inter scriptores vero ecclesiasticos, qui posteriori saeculi XIV dimidio floruerunt, numerandi sunt, Nicolaus Eymericus, Ordinis FF. Praedicatorum et generalis Inquisitor Fidei in Aragonia, qui praeter alia scripsit *Directorium Inquisitorum* [1]; B. Henricus Suso, Constantiensis, eiusdem Ordinis, qui reliquit *Horologium* divinae sapientiae, Meditationes aliaque; Ioannes Ruysbroech, Belga, prior Canonicorum s. Augustini in Valleviridi prope Bruxellas, qui composuit Summam vitae spiritualis, libros de septem custodiis vitae spiritualis et de septem gradibus amoris, Speculum vitae aeternae, aliaque; s. Catharina Senensis, cuius iam mentionem fecimus [2], scripsit Dialogos sex et Epistolas 364 [3].

10. *Innocentius VII Pontifex* (*an.* 1404) — Post obitum Bonifacii IX, Cardinales conclave ingressi, xvi° calendas novembris 1404 elegerunt Innocentium VII, Sulmonensem, antea appellatum Cosmam Melioratum, cardinalem archiepiscopum Ravennatensem, qui iv° nonas eiusd. mens. tiara redimitus est. Is vir doctrina, morum integritate et gerendarum rerum peritia clarus, pro more encyclicis ad praelatos litteris electionem suam animumque ad exstinctionem schismatis propensissimum significavit. Romae concilium indixit, sed illud propter exortam in Urbe seditionem celebrare non potuit; Viterbium confugiens, in seditionis auctores ecclesiasticis censuris animadvertit, et Ladislaum regem Neapolis, qui seditiosis auxilium praestabat, regno Neapolitano privatum declaravit. Post 7 menses in Urbem revocatus, cum summa populi laetitia exceptus est. Ladislaus, deterritus illa poena, veniam pacemque postulavit iis conditionibus, quas Innocentius ipse in diplomate, apud Raynaldum, describit. In gratiam receptum Pontifex non solum honoribus pristinis restituit, sed nova quoque auxit dignitate *Signiferi* ac *Defensoris* Romanae Ecclesiae. Sed ingratus rex fidem fregit novasque iniurias pro acceptis beneficiis reddidit; quem ideo Innocentius Pp. novis censuris merito perstrinxisset, nisi morte fuisset praereptus. Idem Pontifex academiam Romanam instauravit virosque omnium disciplinarum doctissimos arcessivit, qui philosophiam, theologiam et utrumque ius in ea docerent. Obiit postridie nonas novembris 1406 [1], Pontificatus *anno* 2°, *die* 21°.

11. *Gregorius XII Pontifex* (*an.* 1406) — Innocentio VII defuncto Cardinales in conclavi se iureiurando obstrinxerunt, ut quicumque esset electus, omni via schisma exstinguere conaretur, etiam pontificatu cederet, si id fecisset Petrus de Luna seu Benedictus XIII. Quo facto, iv° nonas decembr. 1406, electus fuit Gregorius XII, patricius Venetus, antea dictus Angelus Corarius, presbyter cardinalis, tituli s. Marci, propter magnam vitae honestatem et Scripturarum peritiam reverendus. Is quemadmodum ante electionem suam spoponderat, litteris et legationibus usus est ad restituendam unionem, pollicitus etiam, se in hunc finem depositurum pontificatum, si id faceret Petrus de Luna seu Benedictus XIII; sed huius tergiversationem conspiciens, rem, ut videbimus, remissius tractavit.

12. *Schismatis status* — Ecclesiarum unionem exoptabant boni omnes pluresque ardenti studio componendae scissioni adlaborabant; at Petrus de Luna seu Benedictus XIII nullo modo adduci poterat, ut pontificatu cederet. Is an. 1403 e palatio Avenionensi, in quo conclusus detinebatur, favore ducis Aurelianensis elapsus, primo in Catalauniam, patriam suam, deinde Perpinianum se recepit, datisque ad principes et praelatos litteris spopondit, se omnia fideliter adimpleturum quae restituendae unioni forent necessaria, etiam depositurum pontificatum, competitore suo cedente vel mortuo vel eiecto; quibus artibus cardinales et cives Avenionenses, Gallos et Hispanos ad obedientiam suam reduxit. Tunc ut universo orbi studium suum pro unione persuaderet, Benedictus an. 1404 legatos Romam destinavit ad Bonifacium IX; at cum illi non abdicationem Benedicti, sed colloquia inter utramque partem offerrent, nihil effectum est. Quum autem subdolae Benedicti artes et speciosa promissa magis fierent manifesta, an. 1406 in frequenti episcoporum et doctorum conventu, Parisiis habito, obedientiae eius subtractio rursus fuit decreta, si stato tempore se Pontificatu non abdicaret. Interim Gregorius XII et Benedictus XIII inter se litteris et legationibus de unione agere videbantur, tum hic tum ille cessionem, altero cedente, promittebat, sed cum neuter prius cedere vellet, nihil effecerunt.

---

[1] Cum adnotationibus Pennae, Rom. 1587 et Venet. 1607 in-fol.

[2] Vide p. 106.

[3] Lucae et Senae 1713, 4 voll. in-4.° Conf. Bolland. *Acta SS.* 30 Apr.

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1404-1406.

Tandem convenit, ut ambo competitores cum suis collegiis Saonam in Liguria convenirent; at utroque causas suas, ne in congressum venirent, praetexente, omnis spes concordiae evanuit[1].

13. *Concilium Pisanum* (*an.* 1409) — Tunc utriusque partis principes et cardinales de subtrahendis obedientiis, et cogendo generali concilio, tum pro schismatis extinctione tum pro Ecclesiae reformatione consenserunt. Quapropter utriusque obedientiae cardinales in Hetruriam convenientes, an. 1408 encyclicis litteris ad Gregorium XII et Benedictum XIII, ad episcopos aliosque praelatos, ad doctores et principes destinatis, concilium generale convocarunt, anno sequente Pisis celebrandum. Ambo contendentes, Gregorius et Benedictus, contra istam concilii convocationem reclamarunt, illius celebrationem impedire conati sunt, et prior Austriae prope Aquileiam, posterior Perpiniani concilium indixit.

Verumtamen concilium Pisis inchoatum est VIII° calendas aprilis 1409. Interfuerunt 22 cardinales, 4 patriarchae, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, et Gradensis, 200 archiepiscopi et episcopi sive per se sive per legatos, abbatiarum ac religiosorum Ordinum procuratores et theologi magno numero, oratores regum Galliae, Angliae, Lusitaniae, Siciliae et aliorum principum. Praesedit cardinalis Pictaviensis, cardinalis utriusque partis senior. Habitae sunt sessiones secundum aliquos 21 aut 22, secundum alios 23. Sessione I, utrique de Pontificatu contendenti, Gregorio et Benedicto, dies dicta fuit. Idem factum est sess. II et III; cumque illi nec per se nec per legatos comparerent, Concilium eos in causa schismatis et Fidei contumaces declaravit, decrevitque ad ulteriora contra illorum contumaciam procedendum. Sess. IV legati Ruperti imperatoris ad propugnandam causam Gregorii XII auditi sunt, et 24 quaestiones seu difficultates proposuerunt, quarum praecipuae erant: 1ª, utrum cardinales ei, quem ut legitimum pontificem agnoscebant, obedientiam subtrahere potuerint ante causae cognitionem et sententiam latam; 2ª, utrum concilium generale convocare possent, cum nullam supra illud haberent auctoritatem; 3ª, utrum Gregorius teneretur parere concilio, cuius pars ei adversata esset, pars obedientiam subtraxisset pars neutram obedientiam professa esset; 4ª, qua ratione duo collegia, quorum unum legitimum, alterum illegitimum, potuerint convenire in unum, et alterum alteri ius eligendi summum Pontificem tribuere. Cum synodus responsionem in aliam diem distulisset, legati insalutatis Patribus abierunt. Sess. V lecta fuit prolixa rerum a schismatis exordio gestarum expositio. Sess. VI, VII et VIII concilium e singulis nationibus deputavit aliquos, qui testes audirent et instrumenta ad utriusque contendentis causam spectantia discuterent, declaravitque, cardinales iure potuisse inire unionem et concilium generale congregare ad schismatis extinctionem et Ecclesiae pacem procurandam. Sess. IX et proxime sequentibus testes auditi et instrumenta perlecta sunt. Sess. XV concilium in Gregorium XII et Benedictum XIII, veluti in notorios schismaticos, haereticos, periuros, omni honore et dignitate etiam Papali indignos, sententiam legit, eos pontificatu deiecit, et omnes Christianos ab illorum obedientia absolvit. Sess. XVI cardinales solemnibus verbis spoponderunt, quod qui ex eorum collegio Pontifex eligeretur, concilium esset continuaturus, donec debita atque sufficiens ab eo facta foret Ecclesiae reformatio in capite et in membris. Sess. XIX actum est de electione novi Pontificis et utriusque partis Cardinalibus ius suffragii concessum, qui numero 24 elegerunt Petrum Philargum seu Philaretum de Candia, cardinalem archiepiscopum Mediolanensem, qui nomen Alexandri V assumpsit[1]. Sess. XX, lecto electionis decreto, Alexander V orationem habuit super his verbis: *Erit unum ovile et unus pastor.* Sequentibus sessionibus, praeside Alexandro V, ad consulendam conscientiarum quieti lecta sunt decreta synodalia, quibus ii, qui schismatis occasione hinc inde censuris et sententiis fuerant perstricti, ad cautelam absolvebantur, omnes dispensationes super matrimoniis aliisque casibus, ad forum conscientiae spectantibus, ab utraque parte concessae, item omnes collationes, provisiones et translationes beneficiorum et dignitatum, omnesque clericorum ordinationes, ab utroque contendente factae, ratae habebantur, dummodo canonice et non in detrimentum unionis factae essent. Quod attinet ad reformationis ecclesiasticae negotium, cum iam multi praesules et principum ora-

[1] Du Boulay, *Hist. Universit. Paris.* t. V; Raynald ad an. 1403-1408.

[1] VI° calendas iunias an. 1409, a Cardinalibus quatuor et viginti in Conclavi de more inclusis Pontifex factus est Alexander V et nonis iulii coronatus.

tores discessissent, Alexander V illud remisit ad futurum generale concilium, post triennium celebrandum, et VII° idus augusti praesens concilium terminavit [1].

De auctoritate concilii Pisani inter eruditos disputatur, alii illud illegitimum, alii illud illegitimum, alii oecumenicum, alii melius cum docto Muzzarelli oecumenicum dubium dicunt [2].

14. *Schismatis status* — Tantum abest, ut schisma per concilium Pisanum fuerit sublatum, ut potius auctum sit, quemadmodum scribit D. Antoninus, tribus nunc se pro papa gerentibus [3]. Gregorio XII multi Itali et Germani, Benedicto XIII Hispani, Alexandro V reliqui obedierunt. Gregorius XII in synodo, anno 1408 prope Aquileiam indicta, ambos suos competitores, Benedictum et Alexandrum, tanquam intrusos, schismaticos et pertinaces condemnavit, deinde secessit Ariminum. Benedictus soluta sua synodo Perpinianensi, se recepit Peninsulam in regno Valentiae. Alexander V quum Regnum Neapolitanum Ladislao abrogatum Ludovico Andegavensi concessisset, Romam ab eiusdem Ladislai tyrannide vindicatam per Paulum Ursinum redegit in potestatem. Hac victoria laetus Romam cogitavit; sed, quum prius, Pistorio, ubi tum degebat, Bononiam se contulisset, morbo correptus ibidem IV° nonas maii an. 1410 vitam edidit, *menses* 10 ac *dies* 8 Pontificali munere functus. Sepultus est eodem loco in Ecclesia Fratrum Minorum, quorum et ipse institutum professus fuerat [4]. Alexandrum V carpit maledicus conviciator Theodoricus Niemus, at iure confutatus fuit a Wadingo [5] testimoniis Scriptorum, qui Alexandrum V commendarunt, uti virum magni animi, prudentiae summae, et effusae in pauperes liberalitatis.

Post eius obitum 17 cardinales Bononiae pro more comitia celebrarunt, et XVI° cal. iunias an. 1410 in locum Alexandri elegerunt cardinalem Balthassarem Cossa, Neapolitanum, qui Ioannes XXIII appellatus est, et VIII° calend. mensis eiusdem in aede S. Petronii Pontificias insignes suscepit. Is Romam progressus est; rebellem Ladislaum, regem Neapolis, indicto in eum bello sacro, in ordinem redegit; post obitum Ruperti imperatoris legatos destinavit ad electores imperii, ut in eius locum eligerent Sigismundum regem Hungariae; an 1412 Romae synodum coëgit, in qua Ioannis Wicleff errores et scripta damnavit; brevi post, foedifrago Ladislao rursum Romam aliasque ditionis ecclesiasticae civitates occupante, se recepit Bononiam, hincque an. 1414 transiit Constantiam auspicaturus concilium generale, ibidem indictum. In hoc concilio, ut mox videbimus, Ioannes XXIII et Benedictus XIII pontificatu depositi sunt, Gregorius XII se abdicavit, electus fuit Martinus V, et schisma sublatum.

15. *Concilium Constantiense* (*an.* 1414) — Quum igitur schisma perduraret, ecclesiastica reformatio desideraretur, et praeterea Hussitarum secta, de qua infra loquemur, in Bohemia turbas graves excitaret, Ioannes XXIII, operam plurimam conferente Sigismundo imperatore, Concilium generale Constantiae indixit. Concilium inchoatum est XVI° calendas decembr. 1414, et 45 sessionibus absolutum X° calend. maias 1418. Praeter cardinales et 4 patriarchas interfuit magnus episcoporum, sed multo maior abbatum, clericorum, monachorum et doctorum theologiae iurisque canonici numerus. Adfuit etiam Sigismundus imperator. Sessionibus I^a et II^a quibus praesedit Ioannes XXIII, ordo concilii compositus fuit; placuit, ut omnes tres de pontificatu contendentes eo cederent; Ioannes XXIII iureiurando spopondit, se Papatu cessurum, reliquis duobus se abdicantibus. Legati Gregorii XII promiserunt, se operam daturos, ut ab eo cessionem impetrarent; nuncii vero Benedicti XIII nihil aliud obtulerunt, nisi ut Sigismundus cum Benedicto et Ferdinando rege Aragoniae conveniret Niciam Liguriae ad deliberandum de unionis via. Dum haec agebantur, Ioannes XXIII clam Constantia aufugit Schafhusiam, urbem in ditione Friderici ducis Austriaci sitam. Tunc Ioannes Gerson, Universitatis Parisiensis

[1] Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2114; Mansi, t. XXVI, p. 1131, et XXVII, p. 1.

[2] Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 17.

[3] *Cron.* part. III, tit. 22, c. 5.

[4] Omnium primus Alexander *Titulos* mutavit Cardinalibus, unde *Optionis* uti appellant exordium. Per 1200 continuos annos consuetudo in R. Ecclesia invaluerat ut Cardinales neque Diaconi Diaconias semel acceptas, neque Presbyteri Titulos, neque Episcopi Episcopatus suos umquam mutarent. Nunc Cardinales optionis lege multos Titulos et Diaconias obtinere possunt. Cuius rei initium ortum est tempore Alexandri V in Concilio Pisano an. 1409, in quo quum schisma contigisset, Sacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, sublato schismate unitique utriusque Collegii Cardinalibus, et novo Pontifice creato, has mutationes fieri tunc necesse fuit, ut unus ex duobus, qui in schismate Episcopatum Tusculanum obtinebat, eo alteri dimisso, Sabinum tunc vacantem cooptaret. Ita in Titulis et Diaconiis factum est. Vid Panvinius, *De praecipuis Urbis Romae Basilicis* etc. c. 3.

[5] *Annal. Minor.* ad an. 1410, § 4.

cancellarius, orationem habuit de concilii generalis auctoritate supra Papam; cumque cardinales missi ad Ioannem XXIII, ut mentem eius explorarent, eique reditum suaderent, haud idoneum responsum retulissent, habita fuit, praeside cardinali Petro de Alliaco, sessio III, in qua decretum est, praesens concilium esse legitime congregatum, et, non obstante Ioannis recessu, legitime continuari, neque dissolvendum aut alio transferendum, priusquam extincto schismate pax Ecclesiae reddita foret, nisi ex iusta et a concilio probata causa. Sess. IV et V, praeside cardinali Iordano, episcopo Albanensi, declaratum est, Concilium Constantiense in Spiritu S. legitime congregatum, Concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediato habere, cui quilibet, cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi papalis, existeret, obedire teneretur in his, quae pertinebant ad Fidem, ad extirpationem dicti schismatis et reformationem Ecclesiae in capite et in membris. Sessionibus sequentibus usque ad XLI praesedit Ioannes cardinalis episcopus Ostiensis. Praetermittimus eas sessiones, in quibus res minoris momenti tractatae sunt. Sess. VI decreta est honorifica legatio ad Ioannem XXIII, ut is Constantiam rediret vel pontificatu cederet; sed neutrum is praestitit. Sess. VII concilium Ioanni diem dixit, ut intra 9 dies se concilio sisteret; Ioannes vero confugit Friburgum, et paulo post a Friderico Austriaco custodiae mancipatus fuit. Sess. VIII 45 articuli Ioannis Wicleff damnati, eiusque scripta igni addicta sunt. Sess. IX-XI concilium iterato Ioanni diem dixit, audivitque testium confessiones contra eumdem. Sess. XII, IV° calend. iunii an. 1415, Ioannem XXIII pontificatu deposuit post *annos* 5 ac *dies* 13 quam ei mandatum fuerat, omnesque Christianos ab obedientia eius absolvit. Sess. XIII contra Bohemos Hussitas decretum est, sacram communionem sub una specie a laicis iisque ieiuniis esse sumendam, hancque consuetudinem ad pericula et scandala vitanda legitime fuisse introductam. Sess. XIV Gregorius XII se sponte per procuratorem pontificatu abdicavit; quapropter ei primus locus in collegio cardinalium cum perpetua legatione marchiae Anconitanae concessus, eiusque cardinales recepti et ministri in officiis suis confirmati sunt. Sess. XV articuli et libri Ioannis Hus damnati sunt, et ipse Ioannes ut haereticus sacerdotali honore privatus et curiae saecularis iudicio relictus; etiam condemnata fuit doctrina Ioannis Parvi (*Pétit*), doctoris Parisiensis, de licito imo meritorio tyrannicidio, a subditis etiam dolose perpetrato. Sess. XVI et XVII concilium, tum legationem tum alia frustra tentavit, ut Benedictum ad deponendum pontificatum perduceret. Sess. XXI Hieronymus de Praga in haeresim Hussiticam, quam eiuraverat, relapsus, damnatus et saeculari curiae relictus fuit. Sess. XXXVII Benedictus XIII, qui quamvis saepius monitus et etiam ab Hispanis, qui iam concilio Constantiensi accesserant, derelictus, contumax permanebat, tanquam periurus, schismatis fautor et haereticus, pontificatu depositus et communione Ecclesiae exclusus est. Sess. XXXIX et XL editum fuit decretum perpetuum de celebrandis stato tempore conciliis generalibus, et constitutum, ut futurus Pontifex cum concilio vel nationum delegatis Ecclesiam et curiam Romanam secundum 18 articulos indicatos reformaret. Sess. XLI nominati fuerunt nationum deputati, qui hac vice simul cum cardinalibus pontificem eligerent, et III° idus novembris 1417 electus fuit Martinus V, antea Otto de Columna, cardinalis diaconus, qui reliquis sessionibus praesedit [1]. Sess. XLIII et XLIV concilium aliquot reformationis capita promulgavit, et Martinus Pp. pro futuro concilio generali designavit civitatem Papiam. Sess. XLV, habita X° calendas maias 1418, Martinus V concilium absolvit et ea, quae per concilium in materiis Fidei conciliariter seu legitimo conciliorum more fuerant decreta, approbavit confirmavitque, ut ex his verbis patet: « Quibus sic factis, SS. Dominus Noster Pp. dixit respondendo ad praedicta, quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis Fidei per praesens concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contraire quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat et non aliter nec alio modo [2] ».

---

[1] Pontifex electus est a Cardinalibus una omnibus, qui Ioanni XXIII, Gregorio XII ac Benedicto XIII studebant, numero 23, aliisque viris spectatissimis 30, qui iuxta decretum Sess. XL praecedenti admissi fuerant in Conclave, daturi operam Pontifici elegendo. Eo decreto (ut est ap. Labb. t. 12 *Conc.* p. 244) statutum fuerat, ut hac vice Cardinalibus adiungerentur sex Praelati, vel aliae honorabiliores personae Ecclesiasticae in sacris Ordinibus constitutae, de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes.

[2] Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1; Mansi, t. XXVII, p. 520, t. XXVIII, p. 1. Quibus verbis, ut animadvertit Spondanus (ad an. 1418, § 5), Pontifex significavit, se non ap-

Concilii huius sess. IV et V plurimum gloriantur ii, qui concilium generale supra R. Pontificem esse contendunt [1]; verum saltem dubium est, an concilium Constantiense, quantum ad istas Sessiones spectat, generale dici possit, cum iis non interfuerint obedientiae Gregorii XII et Benedicti XIII, et Martinus V tantum confirmaverit ea quae *in materiis Fidei*, idest contra Wicleffi et Hussii errores, *conciliariter* seu more in conciliis recepto fuerant decreta, quibus adnumeranda non sunt decreta sess. IV et V; praeterea haec ipsa decreta non nisi de casu Pontificis dubii et de extirpatione praesentis schismatis intelligenda sunt [2].

16. *Schismatis finis* — Electio Martini V, in Constantiensi concilio facta, ingenti orbis catholici plausu et animorum concordia excepta, et dubium de legitimo pontifice, quod Ecclesiam diu perturbaverat, depulsum fuit. Gregorius, qui in eodem concilio se sponte pontificatu abdicaverat, anno 1417 Recineti obiit. Ioannes a concilio depositus, se eius sententiae submisit, et an. 1419 Florentiae obedientiam Martino V professus, ab eo episcopus Tusculanus et sacri Collegii decanus constitutus fuit, eodemque anno e vita decessit. Petrus de Luna seu Benedictus XIII contumax extitit usque ad mortem suam, quae contigit an. 1424. Post eius obitum pauci schismatici, qui ei adhaerebant, favente sibi Alphonso rege Aragoniae, elegerunt Ægidium de Munio, canonicum Barcinonensem, quem Clementem VIII appellarunt; sed postquam Martinus V opera cardinalis Petri Fuxensis legati sui Alphonsum regem ad Apostolicae Sedis obsequium, ad reddendam ecclesiis libertatem et ad delendas schismatis reliquias reduxisset, antipapa Clemens an. 1429 insignia pontificalia deposuit, obedientiam Martino V professus est, et ab eo episcopus Maioricensis constitutus fuit. Ita demum omnes schismatis reliquiae sublatae sunt [1].

17. *Hussitarum Haeresis* — Vidimus supra in concilio Constantiensi damnatam haeresim Hussiticam, Wicleffanae haereseos progeniem. Ioannes Hus, qui sectae nomen tribuit, in pago Bohemiae Hussinecz an. 1373 natus, postea in Universitate Pragensi theologiae professor et in celebri sacello, Bethleem appellato, concionator, libros Ioannis Wicleff avidissime legit, aliquot in linguam Bohemicam vertit, pravam eorum doctrinam suscepit aliisque communicavit. Universitas Pragensis, ne errores isti propagarentur, an. 1408 damnavit 45 articulos Ioannis Wicleff. Id praecipue effecerant magisri Teutonici, idest Saxones, Bavari et Poloni, qui in Universitate Pragensi cathedras habebant. Ideo Hus eos voluptuoso regi Wenceslao et Bohemis tam invisos reddidit, ut illi relicta Praga profecti sint Lipsiam Misniae, ubi florentissimam academiam constituerunt. Tunc Ioannes Hus regis, academiae et populi favore fretus, errores suos audacius praedicavit. Quapropter Sbinko, archiepiscopus Pragensis, eum anno 1409 accusavit apud Alexandrum V, et e Pontificis huius mandato sub poena excommunicationis vetuit, ne quis in sacellis privatis verbum Dei praedicaret; libros vero Wicleffi aliorumque cum eo sentientium, in palatio suo concremari iussit, quod tantas turbas excitavit, ut archiepiscopus ad Sigismundum regem Hungariae confugerit, in quo itinere obiit. Hus ad Pontificem melius informandum appellans, in sacello Bethlemitico concionari perrexit. Audaciam eius auxit ignavia et incuria Albici, qui Sbinkoni in archiepiscopatu successerat. Ioannes XXIII, condemnatis an. 1412 in Romana synodo Wicleffi libris, Hussium Romam ad dicendam causam vocavit, eique concionandi munere et sacrorum celebratione, quamdiu Pragae versaretur, interdixit. Tunc grandis seditio in urbe Praga Hussitas inter et Catholicos orta est, ad quam sedandam Hus in locum natalem secessit et a sententia Ioannis Pp. Christum appellans, errores suos sermone et scripto propagare conatus est.

Errores eius ad haec capita revocari possunt: Ecclesia e solis ad vitam aeternam

---

probare, quae Sess. IV et V statuta fuerant de auctoritate Concilii supra Pontificem. Quamquam, ut idem Spondanus, ac Bellarminus (lib. 2 *De Conc.* c. 19) docet, Concilium Constantiense non definivisse absolute, Concilia generalia habere a Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, id est tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa, et proinde habere super illum potestatem, non habere potestatem in Papam. Bellarmino consentiunt Turrecremata, Sanderus, Campegius; vid. Raynald. *Annal.* ad an. 1415.

[1] Natal Alex. *Hist. Eccl* diss. 4 *in Saec.* XV; De la Luzerne, *Défense de la déclaration* etc. par. III, c. 20.

[2] Bellarmin. *Controvers.* l. II, *de Concil.* c. 19; Schelstrate, *Acta Concilii Constantiensis*; item, *Tractatus de sensu et auctoritate decretor. Constant. Concil. sess. IV-V*; Card. Orsi, *De R. Pontif. in synodos oecumenicas et earum canones auctoritate*; Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 17; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 4. Novissime de Constantiensi synodo scripsit D. Aloys. Tosti Casin., in sua *Storia del Concilio di Costanza*, 2 voll. Napoli 1853.

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1424-29.

praedestinatis constat; Petrus non fuit caput Ecclesiae, sed solus Christus; R. Pontifex ante Constantini M. tempora non fuit caeteris episcopis maior; papalis dignitas a Caesaris potentia manavit; obedientia ecclesiastica, praeter expressam Scripturae auctoritatem est adinventio sacerdotum; censurae ecclesiasticae sunt anti-christianae; sacerdos excommunicatus abstinere haud debet officio concionandi; peccata non per absolutionem, sed per contritionem remittuntur; episcopus, praelatus et dominus civilis, mortali culpa inquinati, omni potestate et iurisdictione excidunt; condemnatio 45 articulorum Ioannis Wicleff, facta ab academicis Pragensibus, est irrationabilis et iniqua. Praeterea Hus, ad Wicleffi exemplum, RR. Pontificibus, episcopis, monachis, ecclesiasticis institutionibus, Sanctorum cultui et suffragiis, indulgentiis graviter detraxit. Discipuli vero eius pseudo-magistri sui erroribus novos addiderunt, alii alios, prout in diversas sectas abierant.

Anno 1414 Ioannes Hus consilio Sigismundi imperatoris, quem Ioannes XXIII ad compescendos haereticorum in Bohemia motus interpellaverat, profectus est ad concilium Constantiense, doctrinae suae rationem coram eo redditurus. A concilio interrogatus de erroribus suis, et utrum illos secundum mandatum eius corrigeret, respondit, se nullius erroris esse conscium; paratum tamen, si de aliquo convinceretur, ad eum corrigendum. Verum duo theologi Pragenses multas heterodoxas assertiones, e scriptis Hussii excerptas, concilio obtulerunt, eumque accusarunt, quod damnatos Wicleffi articulos defendisset, plebemque contra clerum excitasset. Concilium 30 articulos, e scriptis Hussii selectos, condemnavit; Hussius vero, iterato interrogatus, errores suos abiurare noluit. Tunc a concilio condemnatus, ab ordine sacerdotali depositus, relictus fuit curiae saeculari, a qua, non obstante cleri intercessione, ne occideretur, anno 1415 ad rogum damnatus est [1].

Parem sortem subiit Hieronymus Pragensis, ardentissimus Hussii discipulus et magnarum turbarum atque violentiarum in clerum Pragensem auctor; qui cum Constantiam venisset, ut magistro suo suppetias ferret, a concilio admonitus, ut errores abiuraret, post multas tergiversationes Wicleffi et Hussii haereses damnavit; sed paulo post in concilio contestatus, se doctrinas suas non nisi mortis metu contra conscientiam suam abiurasse, seque in omnibus consentire Wicleffo et Hussio, anno 1416 a concilio damnatus et a curia saeculari supplicio affectus fuit.

Verumtamen Hussitarum secta cum morte auctoris sui non fuit exstinta, sed maiores tumultus et persecutiones contra Catholicos in Bohemia vicinisque regionibus excitavit. Quum enim Wenceslaus rex, cuius ignavia haereticorum audaciam auxerat, deinde turbulentum eorum in Catholicos animum reprimere tentaret, illi duce Ioanne Ziska sumptis armis rebellarunt, in monte circuli Bechinensis ad Lusinitium amnem munitissimam urbem, Thabor dictam, unde et ipsi Thaboritae appellati sunt, extruxerunt, et ab an. 1419 in Catholicos crudelius saevierunt. Interim Martinus Pp. V, ad impediendam haereseos progressionem, edidit constitutionem, qua praelatis ecclesiasticis et inquisitoribus mandabat, ut haereticos eorumque fautores praescripta iudiciorum forma coërcerent, et eorum mentem circa damnatos in Constantiensi concilio articulos explorarent secundum formulam in 35 capita distinctam; praeterea B. Ioannem Dominici cardinalem in Bohemiam legavit ad reducendos ad Fidem errantes, excitavitque episcopos Poloniae, in quam etiam prava haeresis penetraverat, ut eam studiose evellerent; cumque Hussitae violenter in Catholicos saevirent, bellum sacrum contra illos indixit. Sigismundus imperator, post mortem fratris sui Wenceslai (1419) etiam rex Bohemiae, haereticos armata manu in ordinem redigere conatus est; sed illi tanta vi dimicarunt, ut exercitus catholicos non semel fuderint et bellum per plures annos continuarint.

Post mortem Ioannis Ziskae (1424) Hussitae in plures sectas scissi sunt. Alii, appellati Thaboritae, Waldensium, Wicleffi et Hussii vestigiis pressius inhaeserunt, omnem pene Ecclesiae catholicae doctrinam,

---

[1] Hussitae et postea haeretici protestantes iniuste questi sunt, Ioannem Hus a Concilio Constantiensi fuisse custodiae traditum, damnatum et combustum contra datam ei securitatis fidem seu salvam-conductum; nam I. Hus salvum-conductum accepit non a concilio, sed ab imperatore Sigismundo, qui ei, si se concilio submitteret, publicam fidem fecit, non ad impunitatem haereseos aut ad vim iustitiae frangendam, sed ad prohibendam violentiam facti; non potuit enim prohibere imperator, quin concilium pro munere suo haeresim cognosceret et iudiciariam sententiam ferret; cumque concilium Hussium per testes, scripta et responsa haereseos convicisset, eum damnavit, et pertinacem tradidit curiae saeculari, quae eumdem ad rogum condemnavit secundum leges imperii, poenam capitis in contumaces haereticos decernentes.

regimen et institutiones condemnarunt, et constituto sibi duce Procopio Raso, Catholicos crudeliter persecuti sunt. Alii, dicti Orphani, quod capite seu duce carerent, quamvis aliquando a Thaboritis dissentirent et separata ab iis agmina constituerent, exigente tamen necessitate coniunctim cum illis agebant. Alii cognominati Calixtini, erant ingenio longe moderatiori, Ecclesiam catholicam eiusve regimen aut cultum non condemnabant, sed praecipue propugnabant hos 4 articulos: 1°, ut ss. Eucharistia omnibus sub utraque specie porrigeretur; 2°, ut omnes sacerdotes libere, sine praevia episcopi licentia, verbum divinum praedicare possent; 3°, ut clericis temporale dominium adimeretur; 4°, ut delicta publica nulla ratione, ne maioris quidem mali vitandi causa, tolerarentur.

Cum Calixtinis Sigismundus imperator pacisci coepit, eosque, concessis securitatis libellis, adduxit, ut legatos destinarent ad concilium Basileae congregatum. Illi initio anni 1433 Basileam advenerunt, quumque inter eos et Concilii deputatos de commemoratis supra articulis sine optato effectu disceptaretur, Concilium in ipsam Bohemiam aliquot viros legavit, qui Pragae cum Calixtinis pacem composuerunt his legibus: ut in Bohemia et Moravia ss. Eucharistia laicis sub utraque specie concedi posset, sed adulti diligenter edocerentur, Christum sub quavis specie totum contineri; ut verbum divinum libere praedicaretur, non tamen sine auctoritate superiorum ecclesiasticorum; ut bona ecclesiastica a clero secundum praescripta Patrum fideliter administraretur; ut peccata mortalia secundum leges divinas et ecclesiasticas, quantum fieri posset, punirentur, non tamen a personis privatis. His factis, Calixtini se cum Catholicis coniunxerunt, se Sigismundo ut regi subiecerunt, et cum Catholicis uniti, an. 1434 Thaboritas prope Pragam acie victos ingenti clade affecerunt. Anno sequente omnes Bohemiae et Moraviae ordines in publicis comitiis obedientiam Ecclesiae catholicae et Sedi Apostolicae professi sunt.

Haec pacta inter Bohemos et imperatorem Sigismundum atque concilium Basileense inita, an. 1436 Iglaviae, adiectis aliquot explicationibus, confirmata, Basileensia et Pragensia Compactata appellari consueverunt. Quantum spectat ad Thaboritas post stragem anni 1434 superstites, illi coetus separatos saltem clanculum continuarunt usque in sequens saeculum, quo se cum haereticis pseudoreformationis coniunxerunt [1].

18. *Flagellantium secta*—Anno 1414 rursus Flagellantium secta [2], duce Conrado Schmid, emersit in Thuringia et Misnia. Illi, spretis Ecclesiae auctoritate, sacramentis omnique cultu externo, contendebant, cruentam sui flagellationem esse omnibus necessariam ad salutem. Tantas autem excitabant turbas, ut comites provinciales Thuringiae una cum inquisitoribus in illos animadverterint. Multi e sectariis errores abiecerunt; alii circiter nonaginta cum duce suo Conrado Schmid pertinaces, ad rogum condemnati sunt.

19. *Martinus Pontifex* (*an.* 1417) — Interea Martinus Pp. V, ut supra vidimus, in concilio Constantiensi electus, absoluto concilio minime neglexit, quae ad Principis supremi munus pertinent. Namque pervicit, ut Braccius Dux Perusinus occupatas Ecclesiae Urbes restitueret; et Bononienses, qui auctore Ant. Bentivolo iugum excusserant, coegit redire sub ius [1]. Romam properavit, ubi an. 1420 summa omnium exultatione exceptus est; an. 1423 secundum Urbani VI constitutionem Romae Iubilaei indulgentiam concessit; eodem anno legatos misit Papiam, qui celebrando ibi e decreto Constantiensis synodi concilio praesiderent, sed paulo post propter Transalpinorum praesulum absentiam et grassantem Papiae pestilentiam concilium transtulit Senas, ubi illud vix coeptum propter paucorum praesulum praesentiam et prava studia Alphonsi regis Aragoniae dissolvit, et aliud post septennium Basileae celebrandum indixit [3]; an. 1425, postulante Ioanne duce Brabantiae, Lovanii in Belgio studiorum, nempe iuris, medicinae, psilosophiae et scientiarum Universitatem constituit, quae anno 1431 ab Eugenio Pp. IV sacra Facultate theologica aucta, ita floruit, ut tum magistrorum eruditione et auditorum concursu, tum doctrinae integritate et disciplinae observantia celeberrimum nomen in universa Europa consecuta fuerit [4]. — Quidam asserunt, tempore Martini V Bullam *Coenae* coepisse, sed falso. Ipsa enim antiquior est, et superat tempus Clementis V, qui saeculo et amplius

---

[1] Æn. Sylvius, *Historia Bohem.*; I. Cochlaeus, *Historia Hussitarum*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XV, c. 11. — [2] Vid. p. 71.

[3] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1418-24.

[4] Iust. Lipsius, *Lovanium* l. III, c. 2; *Privilegia Academiae*; Andr. Valer., *Fastus academici Lovanienses*.

praecessit Martinum V [1]. Pontifex an. 1423 Dolanam, et an. 1431 Pictaviensem Universitatem confirmavit; ast quum legasset Basileae Cardinalem Caesarinum qui Concilio praeesset, intervenit coeptis mors. Obiit enim x° calendas martii 1431, quum *annos* 13, *mens.* 3 et *dies* 10 summo Sacerdotio praefuisset.

20. *Eugenius IV Pontifex* (*an.* 1431)— Martino V defuncto Cardinales conclave ingressi v° nonas martias elegerunt Eugenium IV, antea Gabrielem Condulmerium, patricium Venetum, canonicum Caelestinum Congregationis s. Georgii in Alga, cardinalem episcopum Senensem, virum liberalitate in pauperes et religionis studio spectatissimum, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1447. Is Florentiae instituit, uti narrat D. Antoninus [2], «scholam clericorum, qui quotidie interessent Missae decantandae, et Horis diurnis, Completorio dempto, sub Magistro, qui in Grammaticalibus, et Cantu eos instrueret, et non minus in moribus. Locus autem, quo clerici illi pro instructione convenirent, prope Ecclesiam ipsam deputatus est: et hi quidem legitime nati a decimo anno usque ad decimum quintum assumendi et describendi, et usque ad sacerdotium retinendi ab antistite civitatis ». Hinc merito deducitur prima origo Seminariorum, quae a sacro Tridentino Concilio [3] fuerunt praescripta [4]. Eugenius IV laboriosum pontificatum habuit. Initio seditionem civilem passus est a Columnensibus, Martini V nepotibus, quum thesaurum pro Ecclesiae necessitatibus congregatum, quem ii tenebant, severe repetivisset; sed illorum audaciam legibus armisque fregit. An. 1433 regem Sigismundum imperatorem Romae solemni ritu coronavit, postquam is iurasset, se catholicam fidem et ecclesiarum iura atque privilegia illibata custoditurum. Anno sequente, concitata pravis machinationibus Philippi ducis Mediolanensis in Urbe Roma seditione, confugit Florentiam; postea sedatis turbis Romam regressus est. Caetera Pontificis huius gesta, quaeque a schismaticis Basileensibus perpessus sit videbimus infra.

21. *Basileense concilium* — Martinus V, sicuti diximus, cardinali Iuliano vices suas commiserat, ut generali concilio, Basileae indicto, praesideret; quod cum Eugenius IV confirmasset, Iulianus postridie idus decembris 1431, praesentibus paucis praelatis, primam sessionem habuit, in qua scopum Concilii, nimirum haeresum extirpationem, Christiani orbis pacem et morum reformationem, exposuit, variaque decreta legit de concilio convocatione et de ordine in eo servando. Vix coeptum concilium Eugenius IV litteris ad Iulianum legatum suum datis, transtulit Bononiam, post 18 menses in hac urbe inchoandum. Causa fuit, quod non nisi pauci praelati Basileam convenissent, et multi propter bella inter Burgundiae et Austriae duces eo pervenire non possent; quod Basilea haud commodus locus esset, in quo cum Graecis ad unionem paratis tractari posset, quodque ii, qui Basileae erant congregati, cum Bohemis hussitis de haeresi, iam ab Ecclesia damnata, tractare coepissent. Verum congregati praelati cum Iuliano praeside rationes, a Pontifice allegatas, parvi facientes ad Eugenium scripserunt, ut dissolutionis et translationis litteras revocaret, et edita epistola encyclica praesules aliosque, qui de iure aut consuetudine ad concilium venire tenebantur, Basileam evocarunt, contestati, se concilium continuaturos donec negotia, propter quae convenerant, essent composita. Eorum consilium probarunt Sigismundus imperator, Carolus VII rex Galliae eiusque clerus, et numerus praesulum Basileensium auctum est. Quapropter xv° calendas martias 1432 habuerunt sessionem II^{m}, sed praesidere noluit Iulianus legatus; in qua congregati declararunt concilium Basileae rite et legitime esse congregatum, neque ulla auctoritate, etiam papali, sine suo consensu dissolvi aut alio transferri posse; praeterea confirmarunt Constantiensia decreta de potestate concilii generalis immediate a Christo accepta deque eius supra omnes auctorita-

---

[1] Bullam *Coenae* tempore Martini V coepisse an. 1420 quando in Constantiensi Synodo Bohemorum haereses proscriptae fuere docuit olim Dominicus a Soto, hoc unico fretus fundamento, quod Angelicus, aliique prisci Scriptores altum de ea re silentium servaverint. Ceterum non Martino tantum, sed et Clemente V antiquiorem ipsam esse, eruditi eo potissimum evincunt, quod ipse Clemens V (in Clement. I *De Iudiciis*) palam fateatur, quibusdam solemnibus anni diebus R. Pontifices generales quosdam processus facere consuevisse: ubi observetur Glossa, quae huic opinioni favet. Viguisse autem hanc Bullam ante Urbanum III et Clementem IV et V ea non contemnenda coniectura est, quod Ostiensis D. Thomae contemporaneus, imo et antiquior expresse huius processus meminit in tit. de *Crim. falsi*, l. 5. Vid. Domin. Berninum in *Historia haeresum* t. 4, saec. XV. — Non tamen tot, quot nunc habet continebat Canones, sed datis occasionibus a Martino V, Paulo II, Sixto IV, Leone X, Paulo III, Iulio III, Paulo IV, Pio V, Gregorio XIII et aliis variae adiectiones factae sunt.

[2] *Chron.* part. III, tit. 22, c. 10.

[3] Sess. 23, cap. 18, *De Reformatione.*

[4] Spondanus, ad an. 1436, § 6.

te. Sess. III, habita III° calendas maii, eadem decreta Constantiensia confirmata sunt, et oratores missi ad Eugenium Pp. et ad cardinales, ut abrogato dissolutionis decreto, intra 3 menses ad concilium venirent, vel, si impediti forent, legatos mitterent. Sess. IV, habita XII° calendas quintilis, Bohemis seu Hussitis ad concilium vocatis salvum-conductum concesserunt, decreveruntque, ut, si durante concilio, Apostolica Sedes vacaret, novus pontifex in ipso concilio eligeretur, electusque durante concilio non crearet novos cardinales, neque cardinales a concilio avocaret. Sess. V, v° idus sextilis, constitutis iudicibus et officialibus, decreverunt, nullum e congregatis Patribus posse evocari ad quemcumque iudicem pro quavis causa, quamdiu concilium duraret. Cum posthaec, Basileam advenissent nuncii Eugenii IV, et luculentis rationibus Pontificis causam atque auctoritatem defendissent, Basileensium oratores iis responderunt, ipsum Pontificem subesse auctoritati concilii. Basileenses audacius progredientes, sess. VI, habita postridie nonas septembris, Eugenium IV et cardinales accusarunt contumaciae, et sess. VII, postridie nonas novembris, confirmarunt decretum sess. IV. Sess. VIII, XV° calendas ianuarii, decreverunt, ut secundum iuris severitatem in Eugenium IV ageretur, nisi intra 60 dies decretum dissolutionis revocasset, declaraveruntque ipso facto excommunicatos eos, qui se Bononiam ad concilium conferrent. Deinde egerunt de reconciliandis Bohemis Hussitis, ut supra vidimus [1]. Sess. IX, habita XI° calendas februarii 1433, susceperunt patrocinium Sigismundi imperatoris et aliorum concilio adhaerentium contra omnes sententias ab Eugenio latas aut ferendas, et sess. X, XI° calendas martias, rursus Eugenium contumaciae accusarunt. Dein advenerunt novi Eugenii legati, qui in congregationem admissi, dixerunt, Pontificem, quamvis de plenitudine potestatis suae concilium dissolvere et alio transferre posset, pro concordia de iure suo quantum fas esset, cedere velle et acta sua contra Basileenses revocare, si Basileenses acta sua contra Pontificem revocarent et translationem concilii Bononiam aequo animo ferrent. Basileenses responderunt, se Pontificis petitionibus non posse annuere, et sess. XI-XIV plura constituerunt Pontifici valde iniuriosa, deque eius depositione audacius quam antea agere ausi sunt; verumtamen, ostante Sigismundo imperatore, executionem schismaticorum conatuum distulerunt. Sess. XV, habita VI° calendas decembris, decretum est, ut synodi dioecesanae singulo anno, et provinciales singulo triennio cogerentur.

Eugenius Pp. Sigismundi aliorumque principum suasionibus, Romanorum seditione a Philippo duce Mediolanensi excitata, quorumdam cardinalium ad Basileenses defectione et schismatis periculo permotus, 1433 XV° calendas ianuarii constitutionem *Dudum sacram* edidit, qua revocato dissolutionis et translationis decreto, concilium Basileae continuari permisit ad haeresum, bellorum et pravorum morum extirpationem.

Quum haec Pontificis constitutio in sess. XVI nonis februarii 1434 lecta fuisset, declaravit Concilium, postulationibus suis a Pontifice esse factum satis, eiusque legatos admisit ea lege, se concilii decreta et praesertim decretum Constantiense de concilii oecumenici auctoritate esse defensuros. Sess. XVII, VI° calendas maias, concessum est legatis Eugenii IV cum cardinale Iuliano concilio praesidere, sed sine iurisdictione coactiva, et sess. XVIII VI° calendas quintilis, absentibus legatis renovata decreta de concilii oecumenici auctoritate. Quum imperator Graecorum et patriarcha Cp. pro unionis negotio generale concilium postulassent, Basileenses sess. XIX, VII° idus septembris, constituerunt, ut si Graeci Basileam adduci non possent, alius eligeretur locus maritimus, quo post mensem a Graecorum adventu ipsi se conferrent. Sess. XX, habita XI° calendas februarii 1435, actum fuit contra clericos concubinarios; sess. XXI, v° idus iunii, reclamantibus licet legatis Pontificis, *annatae* prohibitae sunt; sess. XXII, idibus octobris, damnatus Augustini de Roma libellus de Christo et Ecclesia; sess. XXIII, habita VIII° calendas aprilis 1436, varia decreta condita aut renovata de electione R. Pontificis, et sess. XXIV, postridie idus aprilis pacta cum Graecis inita de celebrando unionis gratia concilio confirmata sunt. Verum Pontificis legati decreta antea de electionibus, confirmationibus, *annatis*, aliisque ad deprimendam Pontificis auctoritatem edita, Apostolicae Sedi iniuriosa esse demonstrarunt. Eugenius quoque de iisdem decretis questus est in litteris ad principes christianos datis. Sess. XXV, habita nonis maii 1437, magna orta est dissensio de loco concilii ad procurandam Graecorum unionem; legati Pontificis et Patres plerique

---

[1] Vid. p. 118-119.

decreverunt, illud celebrandum Florentiae vel Utini; reliqua pars, fere e secundi ordinis sacerdotibus composita, duce cardinali Ludovico, Arelatensi, constituit, illud celebrandum Basileae aut Avenione vel in Sabaudia; Pontifex vero locum, a legatis suis cum sanioris partis assensu designatum, probavit, quod gratus esset Graecis et consentaneus pactis cum iis initis.

E dictis sat patet, cuncta Basileae contra ius facta et irrita esse quae contra dignitatem et auctoritatem pontificiam fuerunt tentata; multo clarius post sess. XXV omnis legitimi concilii auctoritas Basileensi concilio sublata conspicitur. Quum enim Basileensium factio accepisset, Eugenium IV decretum de translatione concilii probasse, adversus eum exarsit, et sess. XXVI, pridie calendas sextilis, reclamantibus Pontificis legatis et plerisque Patribus, Eugenium Pp. multorum criminum accusavit et intra 60 dies in ius vocavit. Eadem factio sess. XXVII, vi° calendas octobris, translationem concilii irritam dixit, et sess. XXVIII, calendis octobris, praeside Georgio episcopo Visensi in Hispania, Eugenium declaravit contumacem, quod intra constitutos dies non comparuisset. Verum ex quo tempore Basileense concilium in duas partes scissum est, Sigismundus imperator et alii principes plerique illius partes deseruerunt, eiusque decreta contra Eugenium IV improbarunt. Pontifex autem edita calendis octobris 1437 constitutione *Doctoris gentium*, concilium transtulit Ferrariam. Basileensium vero factio sessiones suas prosecuta, tandem schisma complevit, ut suo loco videbimus [1].

22. *Florentin. Concilium* (*an.* 1438)—Interim B. Nicolaus Albergati cardinalis, quem Eugenius Pp. Ferrariam ad concilium legaverat, vi° idus ianuarii 1438, ibidem in ecclesia maiori conventum habuit, praesentibus 5 archiepiscopis, 18 episcopis aliisque praelatis, in quo lectis Eugenii litteris, declaravit concilium Basilea translatum Ferrariam ad procurandam Graecorum cum Ecclesia et Apostolica Sede unionem. Id ipsum factum est in sessione habita iv° idus eiusdem mensis. Post 17 dies Ferrariam venit Eugenius Pp. pluresque cum cardinalibus, praelatis et doctoribus congregationes habuit, in quibus de Basileensibus modeste questus et innocentiam suam testatus, asseruit, se paratissimum esse ad delendum illorum dissidium; deinde nonnulla constituit, praesertim de ordine sedendi in concilio. Sess. II, praesidente Eugenio et praesentibus 72 episcopis, habita xv° calendas martias, irrita dicta sunt ea, quae a Basileensibus in R. Pontificis iniuriam fuerant decreta aut decernerentur, et declaratum, eos, qui in isto coetu perseveraverint, incidisse in poenas et censuras, in decreto translationis expressas. Hae duae sessiones in actis Romanis concilii Florentini non leguntur, quod in iis de principali negotio, nimirum de unione Graecorum, non fuerit actum. Posthaec Ferrariam advenerunt Ioannes Palaeologus II imperator Graecorum, Iosephus patriarcha Cp., Marcus metropolita Ephesinus, Bessarion Nicaeae et Isidorus Russiae archiepiscopi, aliique plures praelati Graeci et viri ecclesiastici. Tunc praecipuae Graecos inter et Latinos controversiae, nempe de processione Spiritus S., de pane eucharistico, de poenis Purgatorii et de R. Pontificis primatu, ab utriusque partis theologis pertractatae sunt. Deinde I^a Sessio, una cum Graecis praeside Eugenio Pp., habita fuit postridie nonas octobris, in qua Bessarion luculentissimam orationem fecit de magno Fidei negotio, omnesque ad constantiam in eo tractando hortatus est. Sess. II, v° idus octobris, Andreas archiepiscopus Rhodius nomine Latinorum orationem habuit, convenitque inter Patres, ut 6 utrimque electi viri de controversis articulis disputarent. Hae disputationes coeptae sunt sess. III pridie idus octobris, et continuatae 13 sessionibus sequentibus, ab idibus octobris usque ad iv^m idus ianuarii 1439 celebratis. Interim invalescente in urbe Ferraria pestilentia, Eugenius IV concilium transtulit Florentiam, ubi reliquae novem sessiones habitae sunt, et unde hoc concilium, quamvis Ferrariae coeptum, vulgo Florentinum appellatum est.

Sess. XVII et 8 sequentibus, a iv° calendas martii usque ad ix^m calendas aprilis habitis, disputationes fuerunt continuatae, post quas Graeci, uno Marco Ephesino excepto, cum Latinis consenserunt de articulis controversis, et sess. XXV, pridie nonas iulii, unionis decretum graece et latine exaratum, subscriptum atque lectum fuit, in quo 4 sequentes articuli ab omnibus Christianis credendi et suscipiendi definiuntur: 1°, Spiritum S. procedere ex Patre et Filio tanquam ab unico principio et unica spira-

[1] Labbe, *Concil.*, t. XII, p. 459; Raynald. et Spond ad an. 1431-37; Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 17; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 5; F. A Zaccar. *Antifebr.* par. II, l. 4, c. 3.

tione, vocemque *Filioque*, veritatis declarandae gratia et imminente necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse insertum; 2°, corpus Christi sive in azymo sive in fermentato pane triticeo vere confici, et alterutrum a sacerdotibus secundum Ecclesiae suae, sive occidentalis sive orientalis, consuetudinem adhibendum; 3°, animas eorum, qui in Dei caritate decesserint, sed pro peccatis suis non fecerint satis, poenis purgatoriis purgari, iisque animabus, ut ab eiusmodi poenis releventur, prodesse fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas et alia pietatis officia; illorum animas, qui post baptismum nulla peccati maculam contraxerint vel contractam plene purgarint, mox in coelum suscipi et clare intueri Deum pro meritorum diversitate; animas vero eorum, qui in actuali peccato mortali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas; 4° R. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum esse successorem B. Petri principis Apostolorum, verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse [1].

Posthaec imperator, episcopi, aliique Graeci Florentia digressi, in patriam suam redierunt. Paulo ante eorum discessum Florentiam advenerunt legati patriarchae Armenorum, unionem cum Romana ecclesia et Fidei rectitudinem postulantes. Quapropter Pontifex viros divini humanique iuris peritissimos nominavit, qui cum iis de rebus Fidei agerent. Post Graecorum discessum Eugenius Pp. concilium Florentiae continuavit usque ad vi^m calendas maias 1442, habuitque adhuc 5 sessiones; in quarum I^a, pridie nonas septembris 1439 Pontifex, approbante concilio, declaravit omnes, qui Basileae post translatum concilium Ferrariam actiones conciliares continuarint, esse excommunicatos, omni dignitate ac beneficio privatos, schismaticos et rebelles, eorumque acta et decreta, maxime in sess. XXXIII et XXXIV edita, irrita esse et perniciosa. Sess. II, x° calendas decembris, cum post diligentem inter Armenorum et Pontificis deputatos discussionem, consentientibus ipsis Armenis, visum esset conficere quoddam orthodoxae fidei, quam Romana profitebatur Ecclesia, compendium; amplissimum decretum pro unione et instructione Armenorum promulgatum et ab horum legatis dimisso animo susceptum est. Tunc Florentiam advenit Andreas abbas, quem Ioannes Iacobitarum seu Monophysitarum Ægypti patriarcha, ab Eugenio Pp. ad concilium invitatus, suo suorumque episcoporum nomine Florentiam legaverat cum litteris obedientiae plenissimis, quibus patriarcha unionem cum Romana Ecclesia et orthodoxam fidem postulabat. Sess. III, postridie calend. septembr. 1441, Andreas Iacobitarum legatus litteras patriarchae sui exhibuit, deinde suo et eorum, a quibus missus erat, nomine professus est, se credere et tenere quidquid docebat et tenebat Romana Ecclesia, atque reprobare quidquid ea reprobat; quo facto decretum fidei pro unione Iacobitarum promulgatum est, quod Andreas dimisse suscepit. Sess. IV, pridie nonas februarii 1442, lectae sunt litterae Nicomedi abbatis Æthiopum seu Abyssinorum, qui Hierosolymis commorabantur, quibus is significabat, Abyssinos eorumque regem nihil magis quam unionem cum Romana ecclesia desiderare; ipseque eorum rex Constantinus seu Zara Iacob litteras de eodem unionis negotio ad Eugenium scripsit et legatos Romam destinavit. Quae cum Pontifex sess. V, vi° calendas maias 1442 habita, concilio annuntiasset, illud transtulit Romam in basilica Lateranensi continuandum [1].

Quum Pontifex cum concilii Patribus Romam venisset, ibi excepit oratores regis Æthiopum seu Abyssinorum, unionem cum Romana ecclesia postulantes, iisque unionis et Fidei decretum seu compendium tradidit. Eodem tempore Ignatius, patriarcha Eutychianorum Syriae et Mesopotamiae, Romam legavit Abdalam archiepiscopum Edessenum, qui totius nationis nomine regulam Fidei, quam Romana ecclesia profitebatur, devote petiit. Eugenius Pp., habita pridie calendas octobris 1444 sessione, illos ad unionem admisit et Fidei decretum legato tradidit. Etiam Timotheus Tarsensis Chaldaeorum nestorianorum archiepiscopus Romam venit, et Elias Maronitarum monothelitarum episcopus legatum misit, quos pariter cum eorum subditis, post errorum eiurationem et fidei catholicae professionem, Eugenius Pp. sessione altera, habita vii°

[1] Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1-1182; Raynaldus et Spondanus, ad an. 1438-39.

[1] Labbe, loc. cit. p. 1182-1218.

idus augusti 1445, ad unitatem Fidei et communionem Romanae Ecclesiae admisit[1].

Sic demum concilium Florentinum, Ferrariae coeptum, Romae absolutum fuit. Illud esse vere oecumenicum et a RR. Pontificibus atque ab universa Ecclesia constanter pro oecumenico habitum, consentiunt omnes Catholici[2]. Nonnulli censent, Concilium Florentinum fuisse oecumenicum usque ad Graecorum discessum: ea deinde, quae postea acta sunt et Florentiae et Romae, cum illo nomine tantum non auctoritate connecti[3]; alii vero rectius concilium istud tum post tum ante Graecorum discessum oecumenicum dicunt[4]. Cum autem in hoc concilio damnati sint errores, quos haeretici saec. XVI instauraverunt, mirum non est, Mosheimium aliosque e protestantium haereticorum genere scriptores de auctoritate concilii Florentini detraxisse.

23. *Basileense schisma* — Postquam maior praelatorum pars cum legatis apostolicis, relicta Basilea, se contulisset Ferrariam, factiosi sessiones suas prosecuti sunt[5]. Sess. XXIX, IV° idus octobris 1437, Basileensis concilii dissolutionem et translationem irritam dixerunt, et Eugenio Pp. suspensionem atque depositionem minati sunt, nisi intra statos menses decretum suum revocaret. Sess. XXX, X° calendas ianuarii, declaraverunt, laicos et clericos non sacerdotes, non teneri ad communionem sub utraque specie. Sess. XXXI, IX° calendas februarii 1438, egerunt de nonnullis causis ad Romanam curiam non deferendis, prohibuerunt gratias, quae appellantur expectativae, et Eugenium Pp. suspensum atque pontificatus administrationem ad concilium devolutam declararunt. Sess. XXXII, habita IX° calendas aprilis, damnato concilio iam Ferrariae inchoato, Eugenium eius praesidem omnesque, qui eidem intererant, excommunicaverunt. Sessione XXXIII, postridie idus maias 1439, tanquam Fidei veritates definierunt has tres propositiones: Concilium generale, universam repraesentans Ecclesiam, est supra Papam; Papa non potest concilium legitime congregatum, sine eius assensu dissolvere vel suspendere vel transferre; haereticus est, qui has propositiones pertinaciter impugnat. Sess. XXXIV, habita VII° calendas quintilis, 8 vel 9 ex 30 episcopis, qui Basileae erant, Eugenium Pp. deponere ausi sunt, et sess. sequenti, VI° idus quintilis, constituerunt, novum pontificem post 60 dies a depositione Eugenii esse eligendum. Sess. XXXVI, XV° calendas octobris, sententia de immaculata B. V. M. conceptione declarata fuit pia, sancta, cultui ecclesiastico, rectae rationi et s. Scripturae consona. Sess. XXXVII-XLIV, habitis a XIII° calendas novembris 1439 usque ad VIII idus augusti 1441, postquam electionem novi pontificis tractassent, elegerunt Amadeum e duce Sabaudiae eremitam, quem Felicem V appellarunt, irrita dixerunt quaecumque ab Eugenio in contrarium edicenda; sententiam Eugenii contra antipapam Felicem nullam declaraverunt, festum Visitationis B. V. M. ad impetrandam, uti dicebant, Ecclesiae unionem, quotannis postridie calendas quintilis celebrandum decreverunt, mandaruntque, ut ii, qui ab Eugenio beneficiis fuerant privati, in integrum restituerentur. Sess. XLV, habita postridie idus maii 1443, mandante Friderico III imperatore, assenserunt quidem convocationi et celebrationi novi concilii generalis ad procurandam unionem, sed istud locum non habuit. Illi vero deinde profecti sunt Lausannam, ubi adhuc aliquot sessiones habuerunt, sed in his nihil memorabile actum est. Perduravit autem hoc schisma usque ad annum 1449, ut videbimus.

Non mirum est, Mosheimium, Febronium, iisque similes concilium Basileense nimis extulisse: quidquid enim Pontificis auctoritatem deprimit, iis haud displicere potest. Perperam etiam defensores Declarationis cleri Gallicani an. 1682 gloriantur decretis concilii Basileensis de potestate concilii oecumenici supra Papam, ante schisma editis et per constitutionem, ut aiunt, Eugenii IV, datam calendis augusti an. 1433, approbatis; nam ex ipsius concilii Basileensis historia apparet, omnia, quae in eo adversus auctoritatem pontificiam fuerunt tentata, contra ius esse peracta; et Eugenius Pp. per constitutionem *Dudum* continuationem quidem concilii, non vero eius decreta probavit, sicut aperte declaravit in epistola ad Franciscum Foscarini ducem Venetum his verbis: «Potius hanc Apostolicam dignitatem et vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse causam et initium, ut pontificalis dignitas et Sedis Apostolicae auctoritas submitteretur concilio contra canonicas omnes sanctiones; quod nunquam an-

[1] Labbe, loc. cit. p. 1218-28.
[2] Natal. Alex. *Hist. Eccl.* saec. XV, diss. 10.
[3] Ibid. a. 3.
[4] I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 6.
[5] Vid. p. 121-122.

tea neque aliquis nostrorum praedecessorum fecit, neque ab ullo exstitit requisitum [1] ». Testatur. Cardinalis de Turrecremata, qui concilio Florentino interfuit, Eugenium Pp. in hoc concilio de progressu concilii Basileensis ita fuisse locutum: «Nos quidem progressum concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut inceperat, non tamen approbavimus eius decreta [2] ».

24. *Sanctio pragmaticae Gallicanae* — Quum iam ante confectum schisma Basileenses decreta sua ad Carolum VII regem Galliae misissent, rex an. 1438 cleri et procerum conventum, cui ipse praesedit, habuit Avarici-Biturigum, in quo Basileensium decreta, reformationem ecclesiasticam spectantia, aliquibus temperatis, probata sunt, et ex iisdem confecta celebris sanctio pragmatica, in universo regno ab omnibus sub gravi poena observanda. Constabat haec sanctio 23 articulis [3]. Quum in his episcoporum electio committeretur collegio canonicorum, auctoritas concilii generalis praeponeretur auctoritati Pontificis, *annatae* et expectativae gratiae atque beneficiorum reservationes abrogarentur, appellationes ad Apostolicam Sedem limitarentur aliaque dignitati pontificiae adversa statuerentur, Eugenius Pp. sanctionem istam merito improbavit, litterasque ad regem scripsit, ut eadem abrogaret. At rex Pontificis votis restitit. Caeterum tum rex, tum Galli in obedientia Eugenii constanter permanserunt, et Basileensium schisma nunquam probaverunt. Eugenii successores, Nicolaus V, Callistus III et Pius II eundem regem ad abrogandam istam sanctionem hortati sunt. An. 1461 Ludovicus XI, Caroli VII filius et successor, precibus Pii Pp. II praedictam sanctionem ceu Pontifici eiusque Sedi infensam, et in seditione atque schismatis tempore natam abolevit. Verum quadriennio post suprema curia Parisiensis eidem regi obtulit defensionem libertatum, ut vocabant, ecclesiae Gallicanae, et declarare praesumpsit, ex abrogatione sanctionis pragmaticae innumera utrique reipublicae obvenire incommoda; ex quo tempore eadem sanctio, reclamantibus licet RR. Pontificibus, rursus vim legis in Gallia accepit usque ad concordatum, quod an. 1516 Leonem Pp. X et Franciscum regem I initum est.

25. *Ecclesiae status in Germania* — In Germania dissidium Basileenses inter et Eugenium Pp. maiorem confusionem excitavit. Anno 1438 post obitum Sigismundi principes electores pro electione novi imperatoris Francofordiae congregati, contestati sunt, se Eugenium Pp. una et concilium Basileense venerari, neutrius partis contra alteram decreta suscipere, et velle deliberare usque ad sextum mensem, cui parti esset adhaerendum: interea omnes permanerent in obedientia Sedis Apostolicae et praelati ecclesias sibi commissas iure ordinario gubernarent. Hoc fuit initium neutralitatis, ut appellatur, Germanicae, quae concordiae praetextu per sex menses instituta, perduravit octo annis, et tam a Basileensibus quam ab Eugenio Pp. reprobata fuit. Interim Germani ad Pontificem et ad Basileenses miserunt oratores postulatum, ut ad restituendam concordiam aliud indubitatum concilium convocaretur, ad quod Basileenses simul et Ferrarienses praesules convenirent [1].

Germanica natio iam a multo tempore se gravatam querebatur propter papales reservationes et collationes, propter *annatas* et taxas; quumque Basileenses plura contra reservationes, *annatas*, gratias expectativas et taxas sancivissent, haec decreta principes Germani an. 1439 in comitiis Moguntinis susceperunt, cum quibusdam tamen restrictionibus. Ea ipsa gravamina, ut dicebantur, animos Germanorum non parum ab Eugenio alienos, in Basileenses vero propensos reddiderunt. Quum autem an. 1445 Eugenius Theodoricum Coloniensem et Iacobum Trevirensem archiepiscopos electores, Felicis antipapae et schismaticorum Basileensium partibus addictissimos, deposuisset, caeteri principes electores commoti, ac si suae dignitati iniuriae fuisset illata, an. 1446 in comitiis Francofordiensibus arcana inierunt consilia suscipiendi obedientiam Felicis antipapae, nisi Eugenius praedictos archiepiscopos restitueret, rationis Germanicae gravamina tolleret, et auctoritatem conciliorum generalium e decreto Constantiensis concilii susciperet; sed Fridericus III imperator schismaticum eo-

---

[1] Exstat haec epistola apud Raynald. ad an. 1433, n. 19.

[2] *De Ecclesia*, l. II, c. 100. Cf Card. Sfondrat *Dissertat.* III *contra Mainburgum*; Marchetti, *Critique de l' Histoire eccl. de Fleury,* t. II, p. 147; F. A. Zaccaria, *Antifebron.* part. II, l. 4, c. 3; C. Roncaglia, *Animadversion.* in *Diss. VIII* Natal. Alex. *in saec. XV.*

[3] Apud Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1429.

[1] Labbe, loc. cit. p. 1550-1602; Raynaldus et Spondan. ad an. 1438-42.

rum concilium reprobavit, et ad componenda dissidia Romam legavit Æneam Sylvium. Hic multis rationibus Pontifici suasit, ut principum postulationibus satisfaceret, spondens, tunc omnes Germanos, abiecta neutralitate, ad eius obedientiam accessuros. Quapropter Eugenius ad principes Germanos legavit Thomam cardinalem episcopum Bononiensem et Ioannem de Carvajal, iisque adiunxit episcopum Leodiensem et Nicolaum de Cusa archidiaconum. Iisdem in litteris suis XIº calendas sextilis 1446 datis, significavit, se generalia concilia suis temporibus rite instituta atque canonice celebrata amplecti et venerari, non secus ac decessores sui facere consueverant: quare generalia concilia Constantiense et Basileense ab eius initio usque ad translationem per se factam, amplecti et venerari, tamen sine praeiudicio iuris, dignitatis et praeeminentiae S. Sedis Apostolicae et potestatis sibi et in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessae. In eadem epistola legatis suis potestatem dedit cognoscendi et approbandi decreta Basileensia, supra in comitiis Moguntinis a Germanis cum restrictionibus suscepta, modo resarcirentur detrimenta, quae inde pateretur Apostolica Sedes.

Pontificis legati cum principibus Germaniae convenerunt Francofordiam, et post longas utrimque contentiones et discussiones formula concordiae scripta, et Romam ad Eugenium Pp. perlata fuit. Ea formula ferebat 4 conditiones: 1ª, ut novum concilium generale tempore et loco designandis convocaretur; 2ª, ut doctrina de potestate, auctoritate, et praeeminentia conciliorum generalium, Ecclesiam catholicam repraesentantium, approbaretur; 3ª, ut nationi Germanicae nuper gravaminibus opportune provideretur; 4ª, ut quae in praeiudicium duorum archiepiscoporum, Coloniensis et Trevirensis, acta fuerant, clementer revocarentur.

Eugenius, infirmitate correptus, concordiae leges Cardinalibus commisit discutiendas; deinde supra dictos 4 articulos ratos habuit, ut sequitur: declaravit 1º, se postulationi de cogendo in Germania concilio consentire, etsi novo concilio opus non esset; 2º, se nunquam in dubium revocasse auctoritatem conciliorum generalium, seque antecessores suos imitatum, quorum vestigiis deviare non audet, concilium generale Constantiense, decretum eius *Frequens*, alia eius decreta, aeque ac caetera concilia, Ecclesiam catholicam repraesentantia, eorum potestatem, auctoritatem, honorem et eminentiam, amplecti et venerari; 3º, decreta Basileensia, a Germanis recepta, conservari posse, donec inter legatum, quem missurus erat, et principes de iis rebus conveniretur; 4º, se Coloniensis et Trevirensis archiepiscoporum restitutioni annuere, si ii, prius damnata perfidia, R. Pontifici obedientiam spoponderint. Ita habetur in bullis seu litteris, quas Pontifex de unoquoque concordiae articulo dedit. His factis, Germanorum principum oratores, abiecta neutralitate, Eugenio Pp. obedientiam professi sunt, et concordia inter Pontificem et nationem Germanicam Romae sub initium an. 1447 restituta fuit. Caeterum ne ea, quae necessitate et utilitate Ecclesiae exigentibus, Germanis fuerant indulta, quovis modo in detrimentum Apostolicae Sedis cederent, Eugenius Pp. statim aliis litteris contestatus est, quod cum propter imminentem sibi aegritudinem non potuisset omnia nationis Germanicae postulata ponderare cum ea integritate iudicii et consilii, quam rerum gravitas requirebat; ipse, responsis missis atque mittendis ad Germaniae principes populosque, nunquam animum habuisset derogandi ss. Patrum doctrinae aut Sedis Apostolicae privilegiis et auctoritati: imo habere pro non responsis et non concessis, si qua huiusmodi decrevisset [1].

Ne qua post obitum suum alendi veteris schismatis, aut nova conflandi oboriretur occasio, abrogatis iis, quae statuta fuerant *in Civitate Basileensi sub nomine Concilii generalis* Eugenius IV decrevit, successorem suum creandum esse ex legibus latis a Gregorio X in Lugdunensi, et Clemente V Viennensi Conciliis OEcumenicis [2].

Brevi post, anno 1447, VIIº calend. martii, febri consumtus est post annum Pontificatus fere decimum sextum, aetatis 66 vel 64, *integro sensu atque aspectu*, ut ait s. Antoninus [3], qui decubenti praesto fuit ad extremum.

Nicolaus V, eius successor, ad perficiendam concordiam in iis, quae nationis Germanicae gravamina circa Beneficiorum reservationes, provisiones, *annatas* specta-

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1446-47; F. A. Zaccaria, *Antifebronius*, t. III, p. 71, 86, 108, Lovan. 1829; Roncaglia, *Animadvers. in Dissert. VIII*; Natal. Alex. *in saec. XV*.

[2] Constit. *Etsi circa*, ap. Raynald. ad an. 1447, § 12.

[3] In *Chron.* p. III, tit. 22, c. 11, § 18.

bant, ad imperatorem et principes legavit cardinalem Ioannem de Carvajal, cuius opera an. 1448 Schaffnaburgi confectae sunt sequentes concordati leges: 1°, ut Sedi Apostolicae reservata esset collatio seu provisio omnium beneficiorum, quae in Romana curia et itineris duorum dierum circuitu vacarent; item eorum omnium, quae vacarent per depositionem, translationem, abdicationem, rescissionem electionis aut postulationis a Pontifice factam; 2°, ut extra hos casus episcopi et abbates eligerentur a Capitulis; Pontifex vero electiones, modo canonicae fuerint, confirmaret, qui etiam ex rationabili et evidenti causa electo digniorem et utiliorem substituere poterit; circa maiores vero dignitates post episcopales in cathedralibus et collegiatis ecclesiis servaretur modus antea usitatus; inferiora beneficia alternis mensibus a Pontifice et provisore ordinario conferrentur; 3°, ut *annatarum* loco de episcopatibus et abbatiis vacantibus e fructibus primi anni penderentur pecuniarum summae, taxatae in libris Camerae Apostolicae, quae servitia communia appellantur, et de aliis beneficiis solveretur dimidium *annatarum* seu fructuum primi anni. Hos concordati articulos Nicolaus V ratos habuit confirmavitque Bulla *Ad sacram* data anno 1448 [1].

26. *Nicolaus V Pontifex* (*an.* 1447) — Post Eugenii Pp. IV obitum a Cardinalibus ad summum Ecclesiae regimem pridie nonas martii an. 1447 evectus fuit Nicolaus V, antea Thomas Sarzanensis, cardinalis episcopus Bononiensis, theologica doctrina illustris, annos natus 48. Is, sicuti diximus, concordiam cum natione Germanica confecit; Basileense schisma exstinxit, ut mox videbimus, et restituta Ecclesiae pace an. 1450 Iubilaei indulgentias concessit omnibus, qui vere poenitentes et confessi ecclesiam principum Apostolorum, s. Ioannis Lateranensis et B. M. Maioris visitarent. — S. Laurentium Iustinianum ita dilexit, ut in illo ornando certaverit cum Eugenio IV. Nam sicut ille Episcopum, cum primum potuit, fecit; ita Nicolaus Patriarcham, cum primum oblata occasio est, creavit. Gradensi siquidem Patriarcha mortuo, Patriarchatum a Grado nobili quondam urbe transtulit Venetias, Laurentium simul et civitatem Venetiarum exornans [2]. — An. 1452 Fridericum III eiusque coniugem Romae augustos coronavit; Graecos ad unionem, in concilio Florentino initam, reducere, et Christianos principes ad ferendam iis contra Turcas opem confoederare conatus est; intestinas Italorum discordias composuit; litterarum et scientiarum studia fovit, viros eruditos dilexit, et post imperii graeci excidium, libros ex omni Graecia conquiri et in latinum verti curavit; profugasque et extorres Graeciae Musas amice et liberaliter excepit; publicum in monte Pessulano gymnasium instituit; veteribus et novis Codicibus ornatissimam Bibliothecam instruxit; Urbem Romam multis ac maximis aedificiis mirum in modum exornavit; Stephanum Porcarium, equitem Romanum, eiusque complices, seditionem in Urbe excitare tentantes, per Lavagnolum senatorem contrivit; aliaque praeclara gessit [1].

27. *Basileensis schismatis finis* (*an.* 1449) — Interim antipapa Felix V eiusque sectatores in schismate pertinaciter persistebant [2], quamvis eorum res ita essent collapsae, ut intra Sabaudiae fines constringerentur. Nicolaus V ad extinguendum schisma operam Caroli VII regis Galliae interpellavit, utque errantes ad unionem catholicam suaviter deduceret, omnibus ad sinceram Apostolicae Sedis obedientiam redituris summam benevolentiam et Felici V cardinalatus dignitatem et apostolicam legationem obtulit. Reipsa an. 1449 Felix pontificatum sponte dimisit, et a Nicolao V cardinalis episcopus Sabinensis atque legatus apostolicus in Sabaudia creatus fuit; qui has etiam dignitates paulo post abdicavit, et resumpta vita solitaria, an. 1451 pie obiit. Ii quoque, qui Felicem fuerant secuti ad obedientiam Nicolai V redierunt et conciliabulum suum Lausannense dissolverunt. Nicolaus redeuntes venia donavit, et pro pacis ac unionis bono e plenitudine potestatis rata habuit omnia, quae in obedientia Felicis pro contentioso et conscientiae foro fuerant peracta, eosque, qui sub Eugenio IV beneficiis fuerant privati, in integrum restituit [3].

28. *Scriptores ecclesiastici* — Priori autem huius saeculi dimidio praeter alios claruerunt scriptores, qui sequuntur: S. Vincentius Ferrerius, Hispanus, Ordinis FF. Praed., qui concionibus suis et miraculis multos Iudaeos et Mauros ad christianam

[1] Horix, *Concordata nationis Germanicae*, Francof. et Lips 1771; Raynaldus, ad an. 1447-48; Zaccaria, *Op. cit.* t. IV, p. 85.

[2] Bernardus Iustinianus in *Vita s. Laurentii Iustiniani*, c. 8, § 18, apud Bolland t. I ian p. 560.

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1447-55; I. B. Palma, *Praelect. Hist eccl.* t. IV, p. I, c. 7

[2] Vid p. 124. — [3] Raynald. ad an 1449.

fidem convertit, peccatores ad poenitentiam et virtutem perduxit, et aliquot scripta reliquit [1]. S. Bernardinus, cognomento Senensis, nobilis Hetruscus, Ord. Franc., qui plura monasteria ad rigidiorem regulae observantiam revocavit, scripsitque Sermones et varios Tractatus morales atque asceticos [2]. S. Laurentius Iustinianus, patricius Venetus et primus Venetiarum patriarcha, uti vidimus, reliquit Sermones et Tractatus asceticos [3]. S. Antoninus, Ord. Praed. et archiepiscopus Florentinus, scripsit Summam Theologicam, Summam confessionis et Chronicon tripartitum [4]. B. Ioannes Dominici, Florentinus, Ordinis Praed., a Gregorio XII cardinalis episcopus Ragusinus creatus et a Martino V in Bohemiam, Poloniam et Hungariam legatus, praeter alia scripsit commentarios in aliquot s. Scripturae libros. Paulus Burgensis, Hispanus, Burgensis episcopus, edidit additiones ad *Postillas* Nicolai de Lyra et scrutinium Scripturarum. Alphonsus Tostatus, Hispanus, episcopus Abulensis, reliquit commentaria diffusa in libros utriusque Testamenti [5]. Ioan. Marchesini, Reginensis, Ordin. s. Franc. composuit *Mammotrectum*, seu expositionem in singula s. Scripturae capitula. Petrus Card. de Alliaco, Compendiensis, in Pisano et Constantiensi conciliis extinguendo schismati, condemnandae haeresi et restituendae disciplinae operam navavit, reliquitque commentarios in IV libros *Sententiarum*, in Psalmos et in Cantica, librum de Ecclesiae et Cardinalium auctoritate, aliaque [6]. Ioannes Gerson, alias Charlier, sacrae Facultatis Parisiensis cancellarius, orationibus, quas in Pisano et Constantiensi conciliis de praesenti Ecclesiae statu habuit, celeber, edidit varia opera dogmatica, moralia, mystica, concionatoria, miscellanea [7]. Thomas Waldensis seu Netter, Anglus, Ordinis B. M. de Monte Carmelo, in concilio Constantiensi docte confutavit haereses Wicleffitarum et Hussitarum, scripsitque Doctrinale antiquitatum Fidei et Ecclesiae catholicae [8]. Nicolaus de Cusa, ex archidiacono Leodiensi et concilii Basileensis fautore defensor Eugenii IV et cardinalis episcopus Brixinensis, reliquit Tractatus theologicos de mysteriis, libros 3 de docta ignorantia, libros totidem Cribrationum Alcorani, Tractatus de mathesi, geometria, astronomia, aliisque [1]. Hieronymus a s. Fide, e iudaeo christianus, an. 1413 Geronae in Catalaunia cum Iudaeorum doctoribus publice disceptavit, scripsitque librum contra Iudaeorum errores et alterum contra eorum Talmud. Petrus de Ancharano, Bononiensis, edidit Commentaria in Decretales et in Clementinas. Franciscus Zabarella, Patavinus, sub Ioanne XXIII cardinalis episcopus Florentinus, inter alia scripsit commentaria in Decretales et in Clementinas; et tractatum de schismate, in quo liberius loquitur de Pontificibus et curia Romana. Aeneas Sylvius Piccolomini, Senensis, postea papa sub nomine Pii II; praeter alia edidit commentarios de gestis concilii Basileensis, historiam Bohemiae, res gestas Friderici III, cosmographiam [2]. Theodoricus de Niem, clericus Lucensis et litterarum apostolicarum Abbreviator, scripsit liberiori stylo, et in Pontifices istius temporis acerbiori modo, historiam schismatis Occidentalis. Nic. de Clemangis, Universitatis Parisiensis rector et Benedicto XIII aliquandiu a secretis, praeter alia reliquit librum de studiis theologicis; eidem nonnulli adscripserunt librum de ruina seu corrupto statu Ecclesiae, in quo clerus huius temporis exaggerata ratione carpitur; alii vero istum librum Ioanni de Chelm, aut alii adscribunt.

29. *Ecclesiae Graecae et Russiae status* — Unio autem Graecorum cum Romano-catholica Ecclesia, in concilio Florentino inita [3], optatum exitum non habuit. Unionis negotium maxime impedivit Marcus archiepiscopus Ephesinus, qui solus e Graecis eidem in concilio Florentino restiterat. Is concilium Florentinum eiusque decretum de Graecorum cum Romana ecclesia unione multis calumniis proscidit, Constantinopoli et alibi clerum et populum contra unitos excitavit, pravisque suis artibus effecit, ut patriarchae Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, quorum vicarii in Florentino concilio unioni subscripserant, eamdem suscipere noluerint. Pro unione vero egregie certarunt, eamque a schismaticorum di-

---

[1] Bolland. *Acta SS.* 5 april. Scripta eius edita sunt Valent. 1491 in-fol.

[2] Bolland. ibid. 20 maii. Opera eius edita sunt 1636 et 1757, 2 vol in-fol.

[3] Bolland. ibid. 8 ian. Scripta eius edita sunt Venet. 1751, 2 vol. in-fol. — [4] Bolland. loc. cit. 10 maii

[5] Venet. 1596, 13 vol.; Colon. 1612, 27 vol. in-fol.

[6] Liber eius de auctoritate Ecclesiae et Cardinalium extat inter Opera Gersonii t. I; alia edita sunt Argentorat. in-fol. — [7] Edita sunt ab E. Dupin 1706, 5 tom. in-fol.

[8] Venet. 1571, et 1757, 3 t. in-fol.

[1] Basil. 1565, 3 vol. in-fol.

[2] Helmstad. 1700 in-fol.

[3] Vide p. 122.

cteriis vindicarunt Bessarion, archiepiscopus Nicaenus, qui post concilium Florentinum Romae permansit et ab Eugenio IV cardinalis creatus est; Georgius Trapezuntinus; Iosephus episcopus Methonensis; Metrophanes ab an. 1440 usque ad an. 1443 patriarcha Cpnus; Gregorius e protosyncello et magno poenitentiario ad patriarchatum Cpnum evectus, qui propter suum pro unione studium multa perpessus, an. 1451 praedicta rebellibus divina vindicta, Romam confugit. RR. Pontifices Eugenius IV et Nicolaus V nihil intentatum reliquerunt, ut schismaticos Graecos ad unionem reducerent; litteris atque legationibus ad episcopos et ad imperatorem usi sunt, ut eosdem ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis obedientiam excitarent. Verum schismatici Graeci eo acrius in Latinos inflammati videbantur; quo eorum dissidii iniustitia post Florentinum concilium manifestior evaserat. Demum divina vindicta secuta est. An. 1453 Mahomet II, imperator Turcarum, Constantinopolim cepit et imperium Graecum evertit.

Unionis decreto in Concilio Florentino etiam subscripsit, ut diximus, Isidorus Russiae metropolita. Vidimus quis fuerit ecclesiae Russiae status usque ad initia saeculi XV [1]. An 1406 post obitum Cypriani metropolitae dissensio grandis orta est in Ecclesia Russica. Etenim Photius Graecus, pravis artibus metropoliticam dignitatem adeptus, se infensissimum Romanae Ecclesiae prodidit et catholicam unionem disrupit. An. 1414 episcopi Ruthaeni in synodo Kioviensi Photium deposuerunt, inque eius locum elegerunt Gregorium Zamblak, virum doctum et cum Romana Ecclesia unitum. Tunc Ecclesia Russica divisa fuit in duas metropoles, Kioviensem scilicet et Moscoviensem: prior, quae continebat episcopatus Russiae australis, obedivit praedicto Gregorio; posterior, quae complectebatur episcopatus Russiae septentrionalis, permansit in obedientia impii Photii. Gregorius eiusque successor Gerasimus non solum in unione cum Romana Ecclesia conservarunt metropolim Kioviensem, sed etiam revocandis ad eamdem unionem episcopis Russiae septentrionalis operam dederunt.

Anno 1437, post mortem Gerasimi Kioviensis et Photii Moscoviensis metropolitae, Iosephus patriarcha Cpnus, totius Russiae metropolitam nominavit Isidorum Thessalonicensem, virum pium et doctum, qui a Moscoviensibus bene exceptus, magnum ducem ad unionem hortatus est, et ab eo obtinuit, ut ad concilium pro unionis Graecorum cum Latinis negotio Ferrariae convocatum properaret. Isidorus in concilio Florentino unionis decreto subscripsit, rediensque in Russiam ab Eugenio Pp. IV Apostolicae sedis legatus creatus fuit. Kioviae a populo, clero et proceribus Poloniae ac Lithuaniae optime fuit exceptus, et unionis decretum ubique susceptum fuit. At quum Moscoviae praedictum decretum promulgabat, mandato magni ducis interceptus et monasterio inclusus fuit, e quo Romam confugit.

Anno 1444, Eugenius IV in locum Isidori totius Russiae metropolitam Romae consecravit Gregorium, qui Kioviae honorifice fuit susceptus; sed non obstantibus praecibus Casimiri III regis Poloniae et Casimiri II magni ducis Lithuaniae illum suscipere noluit magnus dux Moscoviae; et episcopi Russiae septentrionalis, ducis mandato an. 1447 Moscoviae congregati, metropolitam elegerunt Ionam, archiepiscopum Rezenensem. Gregorius eiusque in sede Kioviensi successores usque ad initia saeculi XVI, in unione catholica constanter perseverarunt. Ionas vero eiusque successores in schismate permanserunt, et contra episcopos unitos, veluti apostatas et desertores fidei, anathema fulminarunt [1].

Ab enuntiato imperii graeci excidio, quod Nicolaus Pp. V in suis ad Constantinum imperatorem litteris an. 1451 intra triennium eventurum significaverat [2], novam epocham inchoamus.

---

1) Vid. p. 70.

[1] Raynald. *Annal. eccl.*; Theiner, *Vicissitudes de l'Église cathol. des deux rites*, etc.

[2] Ex quo Graeci spernere coeperunt Episcopos Romanos, et obedientiam abiicere, coeptus ab eisdem divino spiritu tactis praenuntiari occasus Imperii eorum nisi redirent ad officium. Vates primus S. Leo, postea S. Gregorius, deinde alii, postremus Nicolaus V. Hic animadvertens, Constantinum Palaeologum a promulgandis decretis Concilii Florentini refugere, seque minus paratum ostendere ad servandam concordiam cum Latinis pactam iuratamque, eidem, nitaret in pactione, et schisma penitus aboleret, Constantinopolis expugnationem, eversionemque Imperii, uti dictum est, intra triennium denuntiavit. Vid. Vincent. Ludov. Gotti, t. I *Verae Ecclesiae* c. 7, § 3, n. 20.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DECIMA

AB EXCIDIO IMPERII GRAECI
VSQVE AD INITIA LVTHERI, AN. 1517.

PROOEMIVM

Veteres scriptores et ex ipsis Graecis prudentiores excidium imperii graeci imputarunt Graecorum discordiis religiosis et schismati ab Ecclesia. Ex quo tempore Graeci ab Ecclesia desciverunt, eorum res sacrae et civiles magis magisque inclinatae sunt; et quo pertinacius a Romanae ecclesiae iugo deficiebant, eo celerius eorum respublica Saracenorum et Turcarum incursionibus victoriisque imminuebatur: et tandem eversa fuit. Hinc factum ut, qui Romanae ecclesiae iusque Pontificis auctoritatem excusserunt, Turcarum servituti subderentur.

Ex hac imperii graeci ruina haud parva Latinae ecclesiae accessit utilitas: cum Graecorum doctissimi, Theodorus Gaza, Agyropolus, Ioannes Lascaris, Emmanuel Chrysolares, Georgius Trapezuntinus, Hemonimus Spartensis, Gregorius Tiphenas, aliique e patria sua pulsi, in Italiam venerint, volumina graeca sacra et profana in Occidentem transtulerint, quae ingenti litterarum bono in latinum versa sunt. Iidem viri docti a RR. Pontificibus et a principibus, maxime a Mediceis et Valesiis, humanissime et liberaliter excepti, litteras praecipue graecas summo cum plausu et auditorum frequentia docuerunt, et ex eorum scholis prodierunt viri ingenio, eruditione et eloquentia praestantissimi, quorum alii ad academiarum cathedras, alii ad episcopales infulas, alii ad purpuram, alii ad Pontificiam dignitatem evecti sunt.

Mahomet II, imperii et religionis mahometicae sede Constantinopoli collocata, universum Occidentem Corani legibus submittere tentavit. Cum Religione christiana nutare videbatur publica salus in universa Europa. At quemadmodum XI° et sequentibus saeculis ipsa mahometanam tyrannidem evasit, praesertim RR. Pontificum sollicitudine, ita etiam durante hac epocha Nicolai V eiusque in Pontificatu successorum curis audacia Turcarum fuit repressa, et Europae regiones a vastatione, Religio a discrimine, populus christianus a servitute liberatus fuit.

1. *Imperii graeci excidium* (*an.* 1453)— Mahomet II, imperii graeci destructor, anno 1451 patri suo Amurati II in imperio ottomannico successit; imperii, sub decessoribus suis per Asiam longe lateque aucti, fines protulit; an. 1452 cum ingenti exercitu Constantinopolim versus movit, fusis ubique Graecorum copiis urbem obsedit, et anno sequente post gravissima 10 mensium certamina eam expugnavit. Constantinus imperator, dum animo fractus fugam meditabatur, in urbis porta obtritus fuit. Sic imperium Cp. abhinc annis 1123 a Constantino M. fundatum, in altero Constantino eversum fuit, et Constantinopolis antea graeci, nunc ottomannici imperii regia facta est. Tristem urbis a barbaris captae faciem vivis coloribus depinxerunt Iosephus episcopus Methonensis, aliique scriptores aequales. Ab his accepimus templa fuisse eversa, altaria destructa, sacrosanctum Christi Corpus profanatum, Imagines confractas, vasa sacra direpta, Ssrum reliquias conculcatas, virgines violatas, viros ecclesiasticos, monachos aliosque acerbe exagitatos, venditos, aut interfectos, omnia perturbata pessum ivisse [1].

Quum Mahomet II urbem Constantinopolim propemodum civibus vacuam cerneret; omnes profugos et latentes ad reditum allexit, facta cuique potestate vivendi secundum propriae religionis ritus. Tunc Constantinopolitani, cum Gregorius IV patriarcha an. 1451 et urbi et sedi suae nuncium remisis-

[1] Cuperi, *Hist. patriarch. Cp.*

set, patriarcham elegerunt Gennadium, quem Mahomet patriarchatu Cp. investivit eadem pompa, qua utebantur imperatores graeci. Gennadius, antea Georgius Scholarius, adhuc laicus concilio Florentino interfuerat et unionem probaverat, sed deinde a Marco Ephesino in adversam partem perductus acerrimus unionis impugnator evasit. Eius et Marci Ephesini aliorumque opera effectum est, ut maxima pars Graecorum in schimate perseverarit; multis tamen ab unione non abeuntibus. Caeterum tristis erat Christianorum in imperio ottomannico conditio: in multis enim vexati religionis libertatem, admodum limitatam, gravibus tributis redimere cogebantur [1].

2. *Callistus III Pontifex* (*an.* 1455) — Quum primum imperii graeci excidium in Occidentem delatum est, omnis Europa contremuit. Nicolaus Pp. V litteris et legationibus principes et populos christianos ad bellum sacrum excitavit, ut coniunctis viribus Turcarum audaciam et progressiones reprimerent, clericisque pro expeditionis subsidio decimas imperavit. Verum hic Pontifex brevi post, nimirum ante IX^{m} calend. april. an. 1455, decessit [2]. In eius locum VI° idus eiusdem mensis electus fuit Callistus III, quemadmodum s. Vincentius Ferrerius vaticinans praenuntiaverat, antea appellatus Alphonsus Borgia, Hispanus [3], cardinalis Ssrum Quatuor Coronatorum, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1458.

Hic fuit pontifex optimus, in victu parcus, in sermone modestus, in pauperes liberalis, in christianos principes benevolus et munificus, ita tamen ut eorum postulationibus nunquam ab honesto abduci potuerit. In primis negotium belli sacri contra Turcas, a decessore suo coeptum, prosecutus est. Parisiensem academiam et Rothomagensis provinciae clerum, exactione decimae ex ecclesiasticis proventibus ratione belli sacri ad futurum concilium appellantes, ad revocandam appellationem per cardinalem Alanum, legatum suum, compulit. Osmundo Episcopo Saresberiensi et Vincentio Ferrerio Divorum cultum decrevit. Iniustas Germanorum expostulationes, ac si contra concordata, inter Apostolicam Sedem et nationem Germanicam inita, pecunias indebitas exigeret et praelatorum electiones confirmare nollet, diluit, datis ad Fridericum imperatorem litteris, quibus ostendit, se nullas percepisse pecunias praeter eas, de quibus in concordatis convenerat, nullasque reiecisse electiones canonice factas, quas solas ipsa concordata confirmandas declarabant [1]. Etiam simultates habuit cum Alphonso Aragoniae et Siciliae rege, quia hic quandoque episcopatus petebat pro iis, quibus vel propter aetatem vel propter ignorantiam committi non debebant. Quum Alphonsus an. 1458 obiisset, Callistus III Ferdinandum, eius nothum, ab occupando regno Siciliae, quod erat R. Ecclesiae feudum, deterruit, eumdemque repugnantem compescuisset, nisi senio et morbo confectus eodem anno postridie nonas augusti e vita migrasset [2].

3. *Pius II Pontifex* (*an.* 1458) — Post Callisti Pp. III obitum, VI° calendas septembris electus fuit Æneas Sylvius Piccolomineus, patria Senensis, cardinalis episcopus, litterarum, eloquentiae, eruditionis et ingenii laude conspicuus, qui nomen Pii II assumpsit et Ecclesiam rexit usque ad annum 1464. Vir undecumque doctissimus, litteris eloquentia, dexteritate et prudentia nulli secundus adeoque scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppressus ab eo cessare potuerit [3]. Is olim sacris Ordinibus necdum initiatus, cardinalem Capranicam ad concilium Basileense comitatus fuerat; et huic concilio tenacissime adhaerens, auctoritatem eius tum in dialogo tum in litteris, ad Universitatem Coloniensem scriptis, defenderat, atque Felici V antipapae obediverat; sed postea cognitum errorem suum correxerat, desertis antipapae partibus, se Eugenio IV submiserat, atque a Callisto III cardinalis creatus, post huius obitum ad summum pontificatum evectus fuit. Ne vero ea, quae quondam de Basileensi concilio contra dignitatem et auctoritatem Apostolicae Sedis egerat, dixerat aut scripserat, a se, iam facto pontifice, rata haberi censerentur, VI° calendas maias 1463 Bullam *In minoribus* ad Universitatem Coloniensem directam, dedit, qua anteriora

---

[1] Le Quien, *Oriens christian.*

[2] Huic *annorum* 8 atque *dierum* 19 Pontificatus fuit.

[3] Ciaconius, in Vita huius Pontificis, Mirandum, scribit, Hispanos ante hoc tempus nullum protulisse Pontificem Romanum, nisi Damasum et Ioannem Hadriani V successorem.

[1] Germanorum criminationes etiam diluit Æneas Sylvius cardinalis in *Epistola* 33ȝ et aliis ad M. Meyer, iurisconsultum et archiepiscopi Moguntini cancellarium.

[2] Raynald. ad. an. 1455-58.

[3] Spondan. ad an. 1458, n. 9, et 13. — Scripta eius supra retulimus p. 128.

*

sua scripta retractavit, emandavitque, inter alia haec memorabilia scribens: « Sequimini quae nunc dicimus, et seni magis quam iuveni credite; nec privatum hominem pluris facite quam Pontificem: Æneam reiicite, Pium recipite [1] ».

Pius ad decessorum suorum exemplum christianos principes ad conferenda contra Turcas arma hortatus est, et compositis Italiae rebus, regnoque Siciliae Ferdinando confirmato, an. 1459 principum conventum indixit, habuitque Mantuae. Multa quidem ibi de expeditione constituta sunt, quae Pontifex in Bulla *Ecclesiam Christi,* XVIII° calend. febr. 1459 data, explicavit; sed principum animis in alia conversis, nihil effectum fuit. Anno 1461 Pontifex prolixam epistolam scripsit ad ipsum Mahometem II, in qua de veritate Religionis christianae erudite disseruit, Christianos benignitati imperatoris commendavit, eumque ad eamdem Religionem suscipiendam hortatus est; verum surdis auribus cecinit: quapropter novis litteris episcopos, principes et populos ad parandum bellum sacrum hortatus est, seque cum militia christiana XVII° calendas iulias 1464 Ancona profecturum significavit. Reipsa magnanimus Pontifex Anconam profectus est; in eamdem urbem ingens militum numerus undique convenit; advenit etiam Christophorus Maurus, princeps Venetorum cum 10 triremibus. Verum Pius II morbo, quo antea affligebatur, ingravescente, ibidem postridie idus augusti 1464 obiit [2], exercitus ducum atque stipendiorum defectu dissolutus est [3].

Idem Pontifex in supra dicto conventu Mantuano edidit celebrem constitutionem *Execrabilis*, qua appellationes a censuris et sententiis R. Pontificis ad futurum generale concilium tanquam sacris canonibus oppositas, christianae reipublicae noxias, rebellionis in Apostolicam Sedem nutrices, ordinisque hierarchici destructivas prohibuit sub poena excommunicationis, a solo Pontifice extra mortis periculum absolvenda. « Irrepserat iam pridem, inquit Gobelinus, in Ecclesia Dei exitialis consuetudo adversus R. Pontificis censuras; victi enim damnatique apostolica sententia ad futurum concilium appellabant, iudicem, qui non erat, et superiorem R. Praesuli dabant, qui non invenitur in terris; et cum ipsi a suis sententiis appellari non sinerent, a Christi Vicario appellandum esse consentiebant. Consuluit Pius patres, qui aderant in conventu quid censerent. Hi communi voto responderunt, appellationes eiusmodi cum suis auctoribus damnandas esse. Atque ita decretum editum est [1] ».

Quum his temporibus controversia esset Franciscanos inter et Dominicanos de cultu Sanguinis Christi, in triduo passionis effusi, quem ab unione hypostatica excisum et proinde cultu latriae non adorandum contendebant Franciscani, Dominicanis contrariam sententiam acriter defendentibus, Pius II litem ad se evocavit, et sub poena anathematis utrique parti prohibuit, ne una alteri ullam censuram inferret, donec Sedes Apostolica rem definiisset [2]. S. Andreae Apostoli caput Patris Achaiae Urbe, in qua asservabatur, delatum Romam cura Thomae Palaeologi, reposuit in Basilicae s. Petri ara principe, in qua Apostolorum Principis corpus iacet [3]. Rogatus a suis civibus B. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi Virgines retulit. Pontifex a Georgio rege Bohemiae hortatus, ut Compactata, inita inter Bohemos et Basileense concilium [4] confirmaret, id facere recusavit, quum Apostolica Sedes illa non novisset, Bohemi ipsi ea non observarent, et rex praestito iuramento de compescendis haereticis Hussitis minime stetisset.

4. *Bellum sacrum contra Turcas*—Iam diximus, quanta cura Nicolaus Pp. V principes populosque christianos excitare conatus fuerit, ut coniunctis consiliis et armis Turcarum audaciam et progressiones reprimerent. Idem negotium prosecutus est Callistus III, illius successor, qui classem validam instrui curavit, novis legationibus principes europaeos ad consocianda arma hortatus est, et ad implorandam omnipotentis Dei opem trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiam concessit iis, qui ad meridianum campanae sonitum orationem Dominicam et salutationem Angelicam ter recitarent [5]. Pontifici egre-

[1] Apud Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1407.

[2] Corpus sepultum est Romae in sacello aedis Vaticanae.

[3] Raynald. ad an. 1459-64.

[1] *Commentarius rerum memorabil.* l. III. Cf I. B. Palma, *Praelect. Histor. eccles.*, t. IV, p. I, c. 8.

[2] Raynald. ad an. 1462; Benedict. XIV, *De beat. et canonizat.* l. II, c. 30, n. 1.

[3] Raynald. ad an. 1461, § 43; et ad an. 1462, § 5.

[4] Vid. p. 119.

[5] D. Antoninus, in *Chron.* part. 3, tit. 22, c. 14. Platina, qui Romae tunc agebat, in vita Callisti III scribit: « Mandavit ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis signum dari Fidelibus omnibus, ut Orationibus eos iuvarent, qui contra Turcas continuo dimicabant ». Eadem de causa, ad implorandum nempe

giam operam praestitit s. Ioannes de Capistrano, Ordinis s. Francisci, qui singulari ardore crucem praedicabat, populosque ad capessenda arma hortabatur.

Verum dum principes cum Friderico imperatore tempus tererent disceptando de expeditionis opibus, Mahomet II an. 1456 cum exercitu 160,000 virorum Hungariam invasit et Albam graecam seu Belgradum, christiani orbis propugnaculum, obsedit. Ioannes Corvinus Hunniades, et Transylvaniae vaivoda Hungariae gubernator, qui iam antea Amuratem II ad solvendam Belgradi obsidionem coëgerat, magnasque de Turcis victorias retulerat, rursus contra Mahometis II impetus Belgradum fortissime defendit; crucigerorum, quos cardinalis Ioannes de Carvajal, Apostolicae Sedis legatus, et s. Ioannes de Capistrano collegerant, adventu auctus, rem ineffabili virtute gessit; s. Ioanne de Capistrano christianorum militum ardorum excitante, Turcae an. 1456 victi, prostrati et post cruenta praelia finibus Hungariae eiecti sunt, multis eorum millibus caesis, innumeris ipsoque Mahomete sauciatis, tormentis bellicis interceptis [1].

Callistus Pp. III, ut pro parta victoria grates Deo haberentur, festum Transfigurationis Christi Domini, in quo victoria relata fuerat, novo Officio seipso composito et Indulgentiarum largitione celebrius reddidit [2]. Vidimus quae Pius Pp. II, Callisti successor, tentaverit, ut principes europaeos ad conterendas Turcarum vires atque invasiones excitarent. Idem negotium sollicite prosecuti sunt eius successores, ut infra patebit.

5. *Paulus II Pontifex* (*an.*1464)—Postquam Pius Pp. II e vita migrasset, III° calendas septembr. an. 1464 summo cardinalium consensu electus fuit Paulus II, Venetus, antea appellatus Petrus Barbus, Eugenii IV e sorore nepos, presbyter cardinalis. Ad tantam dignitatem perventurum, scribit Spondanus [3], B. Virgo paulo ante praedixerat quum domum eius Lauretanam pestilentia actus adiisset pro valetudine.

Is decessorum suorum exemplum secutus, mox a pontificatus sui exordio omnes curas suas intendit ad christianae Religionis defensionem contra Turcarum impetus; sed principes europaei conatus eius parum adiuvarunt. Quum Georgius, rex Bohemiae, Hussitis continuo faveret, catholicos vero vexaret, complures nobiles Bohemi, Moravi et Silesii se contra eum societatem inierunt; Paulus II eumdem tum Ecclesiae communione tum regno privatum declaravit an. 1466 atque Matthiam, regem Hungariae, ad occupandas eius terras excitavit. Matthias paulatim Moraviam, Silesiam et Lusatiam cepit, et anno 1469 a pluribus rex Bohemiae electus fuit. Tunc Georgius cum Paulo II de pace tractare coepit, sed rebus necdum compositis, ambo obierunt. Idem Pontifex Iubilaei gratiam ad quemque annum 25 extendit [1]; bona ecclesiastica alienari aut ultra triennium locari prohibuit; cavit etiam, ne Legati apostolici aut provinciarum ditionis pontificiae rectores munera acciperent; a Petro electo Antiocheno Maroniticae nationis patriarcha, consultus de catholicae doctrinae capitibus circa ss. Trinitatis et Incarnationis mysteria, succinctam de utroque mysterio expositionem ad eum misit, eumdemque in dignitate, ad quam electus fuerat, confirmavit. Rubro Cardinalium galero rubra Paulus Pp. II addidit capitia, quibus in sacris Caeremoniis, ubi non est usus galeri, secernerentur a Praelatis inferiorum Ordinum [2]; Basilicam s. Marci ornavit, porticum pulcherrimam addidit, et aedes magnificas iuxta construxit, in quas Pontifices tempore aestivo diverterе possent a Vaticano; eius Pontificatus anno quarto, Christi 1467, ars Typographica, iam ante alibi iuventa [3], primum Romae

---

divinam opem adversus Turcas, hanc orandi consuetudinem instauravit Alexander VI, uti ad ann. 1500 narrant Raynaldus § 4, et Spondanus § 5. Fusius hac de re loquitur Angelus Rocca, in Comment. *de Campan.* t. I, c. 17 et 18.

[1] Raynald. ad ann. 1456.

[2] Baron. *Annot.* ad *Martyrol. Roman.* VIII° idus augusti; Platina, *in Vita* Callisti III.

[3] Ad an. 1464, § 12 et 18.

---

[1] *Bullarii* t. I, Constitut. 7. Vide quoque §§ *Annus Iubilaei* pp. 83 et 99.

[2] Cf p. 65, nota 4. Iacobus Piccolomineus Card. Papiensis (*Commentar.* l. 2, p. 350) haec habet: «Cardinalibus, qui sacris induti vestibus a Praelatis inferiorum Ordinum praeterquam loco non noscebantur, usum mitrae sericeae damasceni operis rubraque capitia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur. Subsellia quoque tam ad senatus, quam ad sacrificiorum consessum altius elevavit. Aureos mensurnos centum singulis patrum instituit, quibus annua quatuor millia ex Sacerdotiis non provenirent. Quod, uti subdit Cohellius (in *Notitia Cardinalatus* c. 11), in praesentem usque diem servatur, et vulgo *il piatto di Cardinal povero* appellatur.

[3] Constat fere inter omnes anno circiter 1440 cogitari coeptum de arte Typographica invenienda, eamque anno 1457 prolatam in lucem. Si quid librorum ante hunc annum 1457 excusum est, id factum beneficio characterum tabulis ligneis insculptorum, non typis ex plumbo, stannoque conflatis. De loco autem, ubi primum utilissima ars inventa, ac de ipsis inventoribus

exerceri coepit; officium Abbreviatorum quo nomine designabantur qui Brevia Pontificia componebant, abrogavit, volens ut Apostolicae Sedis gratiae gratis concederentur; factum, quod cum Platina, unus ex istis Abbreviatoribus, petulanti calamo redarguisset, a Pontifice custodiae traditus fuit. Demum Paulus II ex apoplexia subito decessit VII° calendas augusti 1471. Pontificale munus gessit *ann.* 6, *mens.* 10, *dies* 26. Tam liberalis fuit, ut paucis egentium non donavit: tam iustus, ut furum, sicariorum, maleficorum nemini pepercerit: tam clemens, ut occidi neminem passus sit.

Nonnulli scriptores, inter quos supra dictus Platina, huic Pontifici iniuste detraxerunt, ac si viros litteratos male habuisset, leges in conclavi iuratas abrogasset, moribusque usus fuisset Pontifice indignis; sed Paulum II ab obtrectatorum dicteriis doctissime vindicavit cardinalis A. M. Quirini [1].

6. *Xystus IV Pontifex* (*an.* 1471) — In locum Pauli II, V° idus augusti 1471, suffectus fuit Xystus IV, Savonensis, antea appellatus Franciscus Roboreus, Ordinis FF. Minorum, presbyter cardinalis, vir in theologicis et canonicis disciplinis apprime eruditus. Prima eius cura fuit, ut Turcarum impetum ab europaeis regionibus propulsaret; in hunc finem principes et populos christianos ad bellum contra infideles excitavit. Regnum Bohemiae de quo cum Matthia rege Hungariae concertabat Uladislaus Casimiri regis Poloniae filius, priori, catholicorum partes contra Hussitas propugnanti, asseruit; et Bohemis, Silesiis, Moravisque prohibuit, ne Uladislao opem ferrent. Attamen bellum inter utrumque competitorem continuatum est usque ad an. 1479, quo pace inita Uladislaus Bohemiam retinuit. Idem Pontifex Ferdinando regi Neapolis tributum remisit, modo singulis annis equum album feudi nomine offerret, oram maritimam contra praedones tueretur, et Pontificem, si opus foret, milite iuvaret. An. 1475, secundum decessoris sui constitutionem, Romae Iubilaeum celebravit [2], plenissima Indulgentia concessa iis, qui poenitentes et confessi indicatas basilicas devote visitarent suspensis toto Iubilaei tempore cunctis ubique extra Urbem Indulgentiis [1]. Ad augendam christiani populi pietatem erga B. V. M. sine labe conceptam, huiusque opem contra Ecclesiae hostes implorandam, iis, qui officium Immaculatae Conceptionis, a L. de Nogarolis compositum, recitarent vel Horis canonicis aut missae in illius festo et octava interessent, easdem concessit Indulgentias, quas Urbanus IV aliique Pontifices concesserant pro festo Corporis Christi; anathema vero comminatus est iis, a quibus, celebrantes festum Immaculatae Conceptionis, erroris aut peccati incusarentur [2]. Fidei puritati invigilans, haereticas Petri Oxomensis propositiones, de quibus infra dicemus, confixit; controversiae inter Franciscanos et Dominicanos agitatae de sacris stigmatibus B. Catharinae Senensis silentium imperavit [3]. Urbem Romam aedificiis decoravit; et in his memoria dignus est pons eius nomine nuncupatus Tyberi impositus; bibliothecam Vaticanam multis antiquis monumentis librisque, arte typographica excusis, locupletavit auxitque proventibus, unde custodibus, librariis Latinis, Graecis, Hebraicis stipendia persolverentur [4]. Eidem Bibliothecae Platinam praeposuit. Confirmavit Ordinem *Minimorum* a B. Francisco de Paula, et Augustinianorum *Excalceatorum* a Baptista Poggio Genuensi institutum. Festum Visitationis B. M. Virginis, itemque Festum Omnium Sanctorum coli iussit per dies octo. Multas veteribus solemnitates adiunxit, ut Conceptionis, Oblationis Deiparae, Sanctorum Annae, Iosephi [5],

---

varias discrepantesque sententias peperit aemulatio. Videsis librum, *Histoire de l'origine et des premiers progrès de l'imprimèrie*, Hagae 1740; nec non M. Maittaire, *Annales typographici* etc.

[1] *Vita Pauli II e codice angel Biblioth desumpta*, praemissis vindiciis adversus Platinam aliosque obtrectatores, Romae 1740; item, *Tiara et purpura Veneta* ab an. 1379 usque ad 1759. Vid. etiam I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 9.

[2] Vide p. 133.

---

[1] *Extravag.* 4 *de Poenit. et remis.* int. Communes.

[2] *Extravag. De Reliquiis et venerat. SSrum.*

[3] Franciscani istud privilegium soli s. Francisco vindicabant; Dominicani illud etiam B. Catharinae concessum fuisse contendebant, quamvis in eius corpore sacra stigmata non apparuissent sicut in corpore s. Francisci. Eadem controversia instaurata fuit sub Clemente VIII, qui utrique parti silentium indixit. Tandem Urbanus VIII Officio s. Catharinae Senensis inseruit hanc lectionem: « Hanc gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, et cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse, cum Dei famula confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repraesentaretur, radios in imaginibus B. Catharinae ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expressit ». Cf Bened. XIV, *De beatif. et canon.* l. IV, c. 8, n. 8.

[4] De historia huius Bibliothecae, munificentiae RR. PP. omni tempore testimonia reddente, legenda est D. Zanelli elaborata scriptura, in effem. *La Scienza e La Fede*, voll. XXVII, XXVIII, XXXI, XXXIII, Napoli etc.

[5] Bened. XIV, *Ibid.* de festo S. Iosephi, notat: « Sed quia fortasse Decretum illud executione caruit, vel ce-

et Francisci, quas in Ecclesia celebrari iussit. Sanctorum cultum decrevit B. Ioanni Bono Mantuano ex Ordine Eremitarum, et B. Bonaventuram Episcopum Cardinalem intulit Sanctis et Ecclesiae Doctoribus. Idem primus, nulla habita ratione Decreti Concilii Basileensis, supra omnes praedecessores suos Cardinalium numerum maxime ampliavit, cuius exemplum optime secutus est Alexander Pp. VI [1].

Nonnulli scriptores iniuste accusarunt hunc Pontificem, quod odium inter Florentinas Mediceorum et Pazziorum familias foverit, horumque in illos coniurationi consenserit. Xystus IV erga Mediceos, praesertim erga Laurentium, indignatus fuit, quia in multis Apostolicae Sedis iuribus adversabantur: sed sine ullo eius consilio aut suasione Pazzii, familiae Mediceorum, a cuius nutu Florentina civitas pendebat, infensi, an. 1478 coniurationem excitaverunt, Iulianum Mediceum in ecclesia confoderunt, Laurentium fratrem eius vulnerarunt, populumque ad libertatem provocaverunt. Medicei vero Pazziis praevalentes, terribilem vindictam ediderunt; Riarius cardinalis legatus e templo in custodiam ductus est; Salviatus archiepiscopus Pisanus, qui tunc in urbe agebat, cum omnibus suis, sontibus et insontibus, ad curiae fenestras laqueo suspensus fuit; eodem supplicio necati sunt Franciscus et Iacobus Pazzii, Iacobus Salviatus et Iacobus Poggius, mortis Iuliani Medicei participes; multi presbyteri et ecclesiastici viri gladiis, fustibus, laqueo interfecti fuerunt. Quum Xystus IV tantam iniuriam ordini ecclesiastico ipsique Sedi Apostolicae in legato suo sine ulla iudicii forma illatam audivisset, in Mediceos et Florentinos eorum complices anathema, interdictum aliasque poenas fulminavit. Illi vero ad concilium generale provocantes, Pontificis censuras spreverunt. Brevi post grave bellum utramque partem exarsit, in quo Veneti, Mediolanenses et principes Mantuae atque Ferrariae se coniunxerunt cum Florentinis; Senenses vero et Ferdinandus rex Neapolis partes Pontificis defenderunt. Ludovicus XI, rex Galliae, in Florentinorum partes vocatus, missis Romam legatis Pontifici mala minitatus est, nisi censuras in Florentinos latas revocaret; sed Pontifex regis legatis graviter respondit, iustasque suae in Florentinos severitatis causas demonstravit. Anno autem 1480 Pontificem inter et Florentinos pax restituta est [1].

7. *S. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum* — Idem Pontifex approbavit, sicuti diximus, Ordinem monasticum, a s. Francisco de Paula institutum. Franciscus, a loco natali Calabriae dictus de Paula, anno aetatis suae 13 a parentibus missus ad monasterium FF. Minorum, horum regulam sponte, seu sine professione monastica, tanto cum rigore observabat, ut ferventissimos monachos vitae severitate superaret. Biennio post in quodam Calabriae eremo cavernam incolere coepit, solis herbis et radicibus victitans, duroque saxo incubans. Quum multi vitae austerae eius exemplum imitati sunt, pro his anno 1435 haud procul ab urbe Paula Franciscus plures cellas cum sacello extruxit, et an. 1454 Paterni primum suum monasterium aedificavit. Anno 1474 Xystus Pp. IV novum Ordinem sub nomine Congregationis eremitarum s. Francisci (Asisiensis) approbavit. Regula a sancto fundatore dictata in primis charitatem, poenitentiam, et humilitatem praescribebat, et plerasque alias regulas monasticas severitate superabat. Alteram regulam pro monialibus, atque tertiam pro laicis utriusque sexus scripsit s. Franciscus de Paula; unde laici, certa praescripta et pietatis exer-

---

lebrationem Festi *de praecepto* non significavit, anno tandem 1621, die 8 maii, Gregorius Pp. XV illius observantiam tamquam de praecepto imperavit. Quod confirmavit Urbanus VIII, *Const.* 291 *Bullarii* t. 5. Demum Pius Pp. IX die 8 decemb. 1870, satisfacere volens postulationibus omnium ferme Sacrorum Antistitum in Oecumenica etiam Vaticana Synodo manifestatis, Sanctum Patriarcham Iosephum, Deiparae Virginis Sponsum, declaravit Ecclesiae Catholicae Patronum. Vid. quoque *La Scienza e la Fede*, vol. LXXIX, p. 409.

[1] Onuphrius Panvinius, in libro *de Episcopatibus, Titulis et Diaconiis Cardinalium* (p. 18 apud Van Espen *Iuris Eccles. Universi* p. 1, t. 22, c. I, § 16), ubi subdit: « Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53 numerum excessit, ut essent videlicet plures quam 53, quum nec eum numerum attigerint: sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X, qui antiqui statuti ratione non habita, in magna illa 31 Cardinalium creatione veterem et antiquum atque a nullo unquam Romanorum Pontificum excessum numerum superavit. Nam sub Leone X plus minus 65 Cardinales simul viventes fuerunt, quod numquam alias contigerat post fundatam Romanam Ecclesiam. Eius exemplum secuti sunt Paulus III et Paulus IV. Prior enim ad 63 numerum Cardinales auxit, sequens ad 70, quem quoque numerum numquam fuisse satis constat. Vide Rigantium in *Reg.* 8 *Cancel.* § 2.

[1] Raynald. ad an. 1478-80. Xystum IV in hac re ab adversariorum detractionibus vindicavit cl. praesul Stephanus de Rossi in dissertatione erudita, quam VI° calend. aprilis 1841 Romae in academia Religionis catholicae recitavit. Vid. etiam I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. 1, c. 10.

citia observantes, et funiculum gestantes, Tertiarii dicti sunt. Alexander Pp. VI et Iulius Pp. II Ordinem approbarunt, et socios eiusdem appellari voluerunt Minimos fratres eremitas Francisci de Paula, qui breviter deinceps *Minimi* se nomarunt. S. Franciscus qui anno 1508 in Domino obdormivit, profetiae et miraculorum dono clarus, propterea Taumathurgi nomen acquisivit. Ordinem suum per Italiam, Galliam, Hispaniam et Germaniam propagatum vidit [1].

8. *Petrus de Osma, Ioan. de Wesel, Ioan. Wessel* — Interea quidam doctores, Patrum traditionem et Ecclesiae auctoritatem relinquentes, atque ss. Scripturas secundum proprios conceptus interpretantes, a catholica doctrina aberrarunt. In primis Petrus de Osma sive Oxomensis, in academia Salmanticensi s. Theologiae professor, in libro de Confessione asseruit peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam vitae futurae pertinet, sola cordis contritione remitti; pravas cogitationes deleri sola displicentia; confessionem peccatorum in particulari et in specie, non divino, sed ecclesiastico iure esse praeceptam; sola peccata occulta, non autem nota, esse confitenda, ideoque, confessionem sacramentalem non esse a Christo institutam, sed ab hominibus invectam. Eius errores scripto confutavit Ioannes Prexanus, nobilis huius aetatis theologus. Alphonsus Carillus, archiepiscopus Toletanus, convocatis anno 1479 Complutum viris doctissimis, atque re diligenter perpensa, et errores condemnavit, et auctorem ab iis non recedentem anathemati addixit; quam sententiam confirmavit Xystus IV. Petrus errores suos correxisse dicitur [2].

Ioannes ab urbe natali appellatus de Wesel seu Wesalia, in Universitate Erfordiensi s. Theologiae doctor, postea Wormatiae concionator, inter alia docuit, Evangelium a nemine, quam a Christo solo esse interpretandum; praelatos ecclesiasticos non habere potestatem ferendi leges; Ecclesiae praecepta non obligare sub peccato; Indulgentiis nullas poenas divinas, sed tantum canonicas remitti; et thesaurum meritorum, utpote in coelo repositum, nulli hominum ad dispensationem praesto esse; Sacerdotes non divino, sed humano tantum iure distingui ab Episcopis; praeceptum de continentia clericorum esse contrarium Evangelio; privilegium inerrantiae non Ecclesiae docenti, sed sanctae et immaculatae eius parti esse concessum; satisfactionem sacramentalem non esse consentaneam menti Christi, qui tantum emendationem postularit; excommunicationes et absolutiones sacerdotum nihil conferre ad condemnationem vel beatitudinem coelestem Christianorum utpote praedestinatorum. Praeterea doctorum ecclesiasticorum auctoritatem, instituta disciplinaria et liturgica, nominatim ieiunium, nihili habuit. Anno 1479 archiepiscopus Moguntinus Ioannem vocavit Moguntiam, ubi plures theologos Moguntinos, Colonienses et Heidelbergenses congregarat. Ioannes de doctrina sua interrogatus, nonnulla sibi obiecta negavit, alia in sensum catholicum explicare tentavit. Post diligens examen libri eius ad ignem damnati sunt; ipse vero errores suos abiurare iussus et monasticae custodiae mancipatus fuit [1].

Similes fere ac ille assertiones protulit Ioannes Wessèl, natus Groningae an. 1419 et mortuus an. 1489. Is variis in Universitatibus literas in primis philosophicas tradidit, scriptaque plura magnam partem theologica reliquit. In his, praeter alia legibus ecclesiasticis vis obligandi, excommunicationi effectus apud Deum valiturus, R. Pontifici potestas regendi universam Ecclesiam denegabantur; peccatorum remissio soli emendationi, reiecta confessionis et satisfactionis necessitate, adscribebatur; dicebatur praeterea purgatorium in nullis poenis, sed in ardenti Dei amore, peccatorum maculas pedetentim auferente, consistere; illosque etiam Christianos, qui a R. Pontifice essent separati, ad Ecclesiam catholicam pertinere. Propter hos aliosque errores scripta Ioannis Wesselii ad ignem condemnata sunt [2].

9. *Innocentius VIII Pontifex* (*an.* 1484) — Ante diem IV^m calend. septembris anno 1484 ad summum pontificatum evectus fuit Innocentius VIII, antea I. B. Cibo, Genuensis, presbyter cardinalis, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1492. Is, missis ad christianos principes legatis, eos ad mutuam pacem et ad coniungenda contra Turcas arma hortatus est. Inito cum cardinalibus et principum oratoribus consilio, ad tutanda

[1] Bolland. *Acta SS.* 2 april.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. IX, p. 426.

[2] Mariana, *Histor. Hispan.* c. 19; Spondanus, ad an. 1479.

[1] Spondan. ad an. 1479; Trithem. *Chron. Spanheim.*; D'Argentrè, *Collect. iudicior. de novis erroribus*, t. I, p. II.

[2] M. Adam, *Vitae philosph. theolog.*; G. H. Götze, *Commentat. de I. Wesselo.*

ab hostium incursionibus Italiae littora classem ingentem instruendam curavit. Ferdinando et Isabellae, Aragoniae et Castellae regibus, ad bellum contra Mauros Granatenses gerendum, decimas concessit, et dimicantibus atque subsidium ad bellum ferentibus Indulgentias largitus est. Ferdinandum reges Neapolis, Ecclesiae iura violantem et in apostolicae Sedis clientes tyrannidem exercentem, bello fregit et ad postulandam pacem compulit. Constitutiones promulgavit contra maleficos et contra reliquos in Bohemia Hussitas. Ordinem monialium Conceptionis B. M. V., quem Beatrix a Silva, nobilis virgo Lusitana, sub regula Ordinis Cisterciensis et obedientia episcoporum instituerat, confirmavit. Libellum nongentarum propositionum, quas Ioannes Picus Mirandulanus magni ingenii iuvenis, de re dialectica, physica, metaphysica, theologica, magica et cabalistica Romae publice propugnaverat, sub poena excommunicationis prohibuit [1]. Anno 1492, quum Zizimus, frater Bajazethis II imperatoris Turcarum, e custodia Gallica in Romanam fuisset translatus, Innocentius Pp. a Bajazethe II dono accepit partem lanceae, qua Salvatoris latus fuerat transfixum; spongiam item et cannam Passione Salvatoris consecratas [2]. Eodem anno Romae in Basilica s.Crucis, dum reficeretur, repertus fuit titulus Crucis Christi Domini. Innocentium VIII cum Norwegis dispensasse, ut in solo pane sine vino ss. Eucharistiam conficerent, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acesceret, falso scripsit Volaterranus [3]. Hoc Pontifice adnitente extincta sensim est Hussitarum haeresis, donec Lutherus eam hydram, uti loquitur Raynaldus [4], pluribus horrentem capitibus in Christianorum exitium suscitavit. Idem dicitur *Catholici* titulo decorasse Ferdinandum V Aragoniae et Castellae Regem, qui Granata Urbe potitus, deleverat vetustissimum Maurorum imperium in Hispania [1]. Innocentius VIII mortuus est ann. 1492 VIII° calend. augusti. Vixit ann. 60, regnavit septem, cum *mens.* 10, *dieb.* 27, novi Orbis, ut habet eius elogium, suo aevo inventi gloria [2].

[1] Has propositiones, inter quas nonnullae suspectae et haeresim sapientes repertae sunt, Ioannes Picus solum disputationis scholasticae gratia ediderat, atque Apostolicae Sedis iudicio subiecerat.

[2] Vid. Alexandr. VI Constit. 4, t. I *Bullarii.*

[3] Natalis Alexander (in *Hist. Eccles.* saec. XV et XVI, c. 1 a. 10) animadvertit, nullum Innocentii VIII ea de re decretum exstat, nec ulla apud alios auctores memoria. Bzovius vero (ad an. 1490) scribit, circa illud tempus nonnullos Sacerdotes, qui postea combusti sunt propter falsificata diplomata Pontificia, potuisse in illis partibus falsam aliquam dispensationem publicare. Vid. Gonetus, in *Clypeo Theol. Thomist.*, t. V, Disput. 3 *De Eucharistia,* art. 6, § 2, n.91.

[4] Ad an. 1486, § 42, 58.

10. *Bellum Turcicum* — Interea Mahomet II, expugnata an. 1453, ut vidimus, Constantinopoli, quidquid Graeci in Europa possidebant, occupavit: Serviam in provinciam Turcicam redegit, principatum Graecum in Peloponneso exstinxit, et universa Graecia, Trapezunte et Bosnia potitus est. Anno 1456 invasit Hungariam, sed inde eiectus fuit a Ioanne Corvino Hunniade [3]. Eodem tempore arma vertit contra fortissimum Scanderbeg, principem Epiri, qui Turcas saepius vicerat: sed cum an. 1466 hic obiisset, ex eo tempore Turcae Epirum occuparunt. Tunc Mahomet arma contulit in Occidentem. Diximus supra, qua cura Xystus Pp. IV principes et populos christianos al bellum contra infideles hortatus fuerit. Anno 1472 hic Pontifex cum Venetis et Ferdinando rege Neapolis classem comparavit, quae Smyrnam, opulentam Ioniae civitatem, cepit; sed caeterum nihil effecit, Turcis se Bosphoro et Hellesponto continentibus. Anno 1476 Mahomet cum ingenti exercitu irruit in Moldaviam. Restitit ei Stephanus vaivoda seu palatinus, tantaque clade hostes repulit, ut pauci eorum evaserint, signaque militaria amplius 100 perdiderint. Turcae nihil de furore suo in Christianos remittentes, Caffam, nobilissimam urbem Tauricae Chersonesi, Genuensibus eripuerunt; anno 1477 summa cum barbarie expugnarunt Albaniam; an. 1479 obsederunt insulam Rhodum, quae bellicosa virtute Petri Albussonii, Equitum s. Ioannis magistri, pulsis hostibus, servata fuit; eodem anno irruerunt in Transilvaniam, sed ab Hungaris reiecti fuerunt. Anno 1480 ingens Turcarum classis traiecto mari descendit in Calabriam, Hydruntum expugnavit stragemque horrendam in Christianos edidit. Tantus terror illatus est universae Italiae, ut magis de ea deserenda quam defendenda cogitaretur. Animis non cecidit Xystus Pp., principum oratores convocavit, ut omnes contra Religionis et patriae hostes coniunctis viribus insurgerent, foedus ad bellum sa-

[1] Raynald. ad an. 1496, n. 25.

[2] A Christophoro Columbo Genuensi an. 1492, et *Americae* nomine postea appellati, qui primus ex Europaeis in eius continentem ingressus est.

[3] Vid. p. 133.

crum inter eos constituit, et ad imploranda in tanto rei christianae discrimine coelitum suffragia festum omnium Ssrum per dies 8 celebrare iussit. Reipsa Christianorum classis Hydruntum a Turcarum tyrannide vindicavit; Mahomet, qui Christiani nominis excidium iuraverat, an. 1481 morte sublatus est, et Turcae audita eius morte, ex Italia discesserunt.

Principes vero christiani metu liberati, opportunam imminuendi turcici imperii occasionem neglexerunt. Unde sub Bajazethe II, qui Mahometi successit, Turcae irruerunt in Walachiam et Russiam, cuncta ferro et igne vastantes; sed frigore, gelu et nive attriti, pluribus millibus deperditis, regressi sunt in Moldaviam, ubi nova clade a Stephano palatino affecti, ad sua redierunt. Tunc inter Bajazethem et Caritheum sultanum Ægypti bellum ortum est; quapropter Innocentius Pp. VIII rursum cum principum oratoribus Romae contulit de bello contra Turcas; multa quidem decreta, sed pauca executioni mandata sunt. Anno 1499 Turcae bello illato Venetis, his Naupactum, vulgo Lepantum, eripuerunt, et usque Forum Iulii rapinas caedesque protulerunt. Alexander Pp. VI mox cum oratoribus principum concilium habuit, Venetorum, Gallorum et Rhodiorum confoederatorum classem instrui curavit, reges etiam Hungariae et Poloniae in belli societatem adlexit. Biennio bellum inter Turcas et Venetos vario marte gestum est; deinde Bajazethes, gravi articulorum dolore et adversa cum Sultano Ægypti pugna attritus, animum ad ineundam pacem flexit [1].

11. *Ecclesiae status in Hispania* — Interea in Hispania disciplina ecclesiastica multum erat collapsa. « Invaserat, inquit Mariana, pudenda literarum inscitia in sacerdotes Hispaniae, usque eo, ut pauci latine scirent, ventri gulaeque servientes. Avaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus iniecerat. Emere sacerdotia, olim simonia, tunc industria erat [2] ». Ad reparanda haec mala Carillus, archiepiscopus Toletanus, an. 1473 in oppido Aranda synodum coëgit, in qua 29 decreta maxime ad emendandam cleri disciplinam edita sunt [3]. In altero episcoporum et sacerdotum conventu sub Card. Rod. Borgia, Apost. Sedis in Hispania legato, eodem anno Matriti habito, ad informandum clerum debita scientia decretum est, ut e R. Pontificis consensu in ecclesiis cathedralibus duo canonicatus, unus theologo, alter iurisconsulto cederent [1]. Magnam ecclesiasticae rei cladem intulerant Mauri, qui, quamvis e multis provinciis eiecti, Granatae et in vicinis locis continuo imperabant. Praeterea Iudaei, per omnes ubique provincias diffusi et opibus potentissimi, Religionis et patriae securitati minitabantur. Haeretici etiam et apostatae in terris Maurorum et in regno Castellae, in quo sacra Inquisitio non exstabat, secure agebant.

Verum sub principatu Ferdinandi et Isabellae rerum status mutatus est. An. 1474 post mortem Henrici IV regnum Castellae accepit Isabella, eius soror; quae cum nupsisset Ferdinando regi Aragoniae, utrumque regnum in unam monarchiam coaluit. Sub his principibus Granata, Maurorum metropolis, capta et imperium Mauricum in Hispania deletum est an. 1492. Iidem principes ex auctoritate Xysti Pp. IV pro universa monarchia hispanica sacrae Inquisitionis tribunal an. 1478 formarunt, ita vero ut a solo rege dependeret, et is summum inquisitorem, hicque ministros sibi subiectos ex regis assensu eligeret. Unde effectum est, ut morum corruptelae fuerint excisae, seditionum pericula amolita, plura hominum millia a iudaismo, haeresi vel apostasia ad christianam fidem conversa, et aliis Hispaniam deserentibus, religio catholica sola in universo regno obtinuit [2].

12. *Alexander VI Pontifex* (*an.* 1492) — Quum Innocentius VIII vivere desiisset, Cardinales III° idus augusti anno 1492, unanimi consensu, in pontificem elegerunt Rodericum Borgia, Hispanum [3], qui nomen Alexandri VI assumpsit, rexitque Ecclesiam usque ad an. 1503. Is quondam, uti nonnulli volunt, militiam [4], vitamque lascivam secta-

[1] Hammer, *Histoire des Osmanes*; Raynaldus et Spondanus, *Annal. eccl*

[2] *Histor. Hispan.* l. XXIII, c. 18.

[3] Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1448.

[1] Labbe, ibid. p. 1464.

[2] Mariana, *Histor. Hispan.* l. XXIV-VI; L. de Paramo, *De origine et progressu Officii s. Inquisitionis, eique utilitate et dignitate* libri 3, Matrit. 1597, in-fol.; De Maistre, *Lettres à un gentilhomme russe sur l'Inquisit. espagnole*, Gand 1821, in-8°. Legere quoque iuvat in Ephem *La Scienza e la Fede*, voll. CIII-CXII, passim, *L'Inquisizione in Ispagna*, Napoli 1876-1878.

[3] Multi eum dicunt Rodericum *Llanzol* — italice *Lenzuoli* — et descendere opinant ex Borgia e parte matris. At unicum huius opinionis documentum est numisma a Bonanni in sua *Numismatica Pontificia* allatum; sed novum est in inscriptionibus RR. PP. memoratio nominis familiae. Vide Leonetti, *Papa Alessandro VI, secondo documenti e carteggio del tempo*, vol. I, § IV, p. 92 seqq., Bologna 1880.

[4] Monumenta contemporanea circa adolescentiam ac primam iuventutem Roderici solum nobis tradunt, ipsum

tus, deinde clericali militiae adscriptus, non obstante prioris vitae criminata inhonestate[1], ad primas Ecclesiae dignitates pervenit. A Callisto III avunculo suo cardinalis vicecancellarius creatus, sub Xysto IV legatione in Hispaniam perfunctus, tandem ad summum pontificatum evectus fuit. Hunc Pontificem scriptores multi teterrimis coloribus depinxerunt, Roderici vitia, tametsi vera, Alexandro pontifici attribuentes: multa etiam de eius electione moribusque, cum iam esset Pontifex, et mortis genere, ex hausto veneno, circumferuntur a Guicciardinio evulgata, quae prudentibus sanisque criticis non probantur; subiiciunt attamen, illum non caruisse virtutibus[2]. Ipse Voltaire reprehendit Guicciardinium, quod nimium suo in Alexandrum VI odio indulserit, et Europam universam deceperit. Eius ingenium, et in gubernanda Ecclesia dexteritatem evincunt praesertim Bullae, Epistolae, aliaque scripta ab ipso Pontificatus sui tempore evulgata.

studuisse iuri Bononiae sub celebri Gaspare Veronensi. De sua vita militari alte silent. Cf Leonetti, *Op. cit.* vol. I, § IV, p. 97 sqq.

[1] Recte observat Leonetti, documenta contemporanea, quae *nepotes* vocant qui appellantur Roderici filii, maiora esse numero illis quae eos *filios* dicunt; nec decentiae specie, cum praesertim in aliquibus, uti in litteris familiaribus, hoc supponi nullatenus posset. Saepe saepius documenta sibi invicem opponuntur, uti duo Brevia legitimationis Ioannis Borgiae data eodem die. Plurimi facere adnituntur hostes R. Ecclesiae epistolam Pii II ad Cardinalem Rodericum Borgia directam de choreis Senis habitis, cui is et alter Cardinalis interfuissent. At ex ea magis arguitur vitae honestas Cardinalis. Ex ipsa eruitur R. Pontifices hisce temporibus vigilasse supra honestatem Cardinalium, et si Papa tam severe loquitur propter simplicem praesentiam choreis, eos exprobrans uti de re indigna porporatis S. Ecclesiae, certe non siluisset de inhonesta consuetudine nec ei servasset primos honores in ecclesiastica hierarchia. Insuper Pius II in sua epistola affirmat quod *evulgatum fuerat* fuisse contrarium suis moribus, quod certe vitiosam vitam excludit. Denique ipse Gregorovius, infensissimus Ecclesiae Romanae hostis, confessus est, vitam intimam familiae Borgiae esse adhuc nobis incognitam. Et sane in hypothesi adversariorum concipi nequit, quomodo Alexander solemniter celebrasset matrimonium Lucretiae Borgiae in Vaticano cum interventu Cardinalium, patritiorum romanorum, atque oratorum Principum; nec possunt alia explicari quae inveniuntur ab historicis Pontificis huius relata. Omnibus tandem compertum est, nihili nunc habendus *Diarius* Burkardi, prima fons omnium calumniarum familiae Borgiae attributarum. Quapropter familiae Borgiae noxiae semper imminuuntur, cum exurgit scriptor honestus et antiquitatis severus investigator. Vide Leonetti, *Op. cit.* passim.

[2] Praeter Roscoè, *Vita Leonis X*; Jorry, *Historia Alexandri VI*, aliosque nuperrime huius Papae nomen a calumniis vindicarunt ephemerides *Dublin Review*, et *Nouvelles Annales de Philos. cathol.*; Rohrbacher, in sua *Hist. univers.*; Chântrel, in *Hist. populaire des Papes*; P. Ollivier, Ord. Praed., in op. *Le pape Alexandre VI et les Borgia*, Parisiis 1870.

Alexander VI sicariorum licentiam, quae hoc tempore in Urbe Roma maxima erat, repressit, per seipsum iustitiam administrando qualibet die martis; lites inter Ioannem Lusitaniae et Ferdinandum Hispaniae reges de partitione novi orbis seu detectarum regionum composuit[1], christianam fidem in novo orbe praedicandam curavit. An. 1500 Romae Iubilaeum seu plenissimam indulgentiam concessit, quam postea etiam impertivit extra Urbem iis, qui Romam venire non poterant. Benigne excepit Nilum monachum Basilianum, ut eum reciperet in Ecclesia et contra Saracenos convocaret principes Occidentis, quod Alexander peregit, adhortans Constantinum ad publici iuris faciendum in suis regionibus decretum de processione Spiritus Sancti et primatus R. Pontificis in universam Ecclesiam. Cum principum oratoribus contulit de parando bello contra Turcas [2]; instauravit pium morem a Callisto III institutum, ut meridie fideles pulsu campanae excitarentur ad recitandam orationem Dominicam et salutationem Angelicam pro impetrando, uti diximus, contra infedeles divino auxilio. Approbavit Ordinem monialium Annuntiationis B. V. M. a Ioanna Valesia institutum [3]; sanae et orthodoxae doctrinae conservandae studio typographis sub poena excommunicationis prohibuit, ne scripta aut libros typis mandarent sine Episcoporum licentia. Audaciam Bartholomei Floridi, secretarii Brevium, in ipsorum falsificatione energice repressit. In concistorio magno pietatis sensu egit de reformatione disciplinae ecclesiasticae, et ad eam reficiendam sex Cardinales destinavit[4]. Disciplinam vero restauravit in Flandriis. Baptismum non esse reiterandum Ruthenis conversis ad Ecclesiam sancivit. Energice repressit magos, qui maxime in Germania et Bohemia in foveis se dabant omnibus vitiis impuris. Obiit Alexander xv° calendas septembris 1503 ex febri ad septem dies continua, aetatis sue cir-

[1] Bellarminus (*de Rom. Pont.* l. 5, c. 2) haec habet: « Alexander VI divisit orbem nuper inventum regibus Hispaniae et Lusitaniae non ad eum finem, ut reges illi proficiscerentur ad debellandos reges infideles novi orbis, et eorum regna occupanda, sed solum ut eo adducerent Fidei Christianae praedicatores, et protegerent ac defenderent cum ipsos praedicatores, tum Christianos ab eis conversos; et simul ut impediret contentiones, et bella Principum Christianorum, qui in illis novis regionibus negotiari volebant ». Bellarminus hic secutus est Card. Cajetanum, qui vixit tempore Alexandri VI.

[2] Bolland. *Acta SS.* 4 febr.; Helyot, *Hist. de Ordres relig.* t. VII.

[3] Novaes, *in Vita Alexandri VI.*

[4] Vid. p. 138.

citer 72, cum in Pontificatu confecisset *ann.* 11, et *dies* 8 [1].

13. *Scriptores ecclesiastici* — Posteriori huius saeculi dimidio floruerunt scriptores, qui sequuntur: Dionysius Laewis, cognomento Carthusianus, natus Rykel in dioecesi Leodiensi, Ordinis Carthusianorum, vir magnae eruditionis; reliquit Commentaria in utriusque Testamenti libros, librum contra Alcoranum, aliaque nonnulla moralia et ascetica [2]. Iacobus Perezius, Hispanus, ex eremita s. Augustini episcopus Christopolitanus; scripsit commentarios in Psalmos et in Canticum Canticorum, atque librum de Christo reparatore contra Iudaeos [3]. Alphonsus Spina, Hispanus, Minorita; composuit *Fortalitium* Fidei contra Iudaeos, Mahometanos aliosque christianae fidei inimicos. Ioannes de Torquemada, dioeceseos Palentinae, vulgo de Turrecremata, Ordinis Praed., cardinalis episcopus Sabinensis; edidit Tractatum de Ecclesia et auctoritate R. Pontificis [4], Commentaria in Decretum Gratiani [5], aliaque. S. Ioannes de Capistrano, qui crucigeros ad repellendos infideles excitavit, multos Hussitas ad catholicam fidem reduxit, scripsitque tractatum de potestate Papae et Concilii. Iosephus episcopus Methonensis, Graecus; edidit librum, quo respondit ad calumnias Marci Ephesini contra concilium Florentinum et contra dogma catholicum de processione Spiritus S. a Patre et a Filio. Gregorius, ab an. 1446 usque ad 1452 patriarcha Cp., dedit apologiam concilii Florentini contra Marcum Ephesinum, apologiam definitionis eiusdem concilii et epistolam ad Alexium Comnenum de processione Spiritus S. et de voce *Filioque* symbolo addita. Bessarion Trapezuntinus, ex archiepiscopo Nicaeno cardinalis; scripsit tractatum de sacramento Eucharistiae, librum de Spiritu S. contra Marcum Ephesinum, aliumque adversus Alexandrum Lascarum. Isidorus Thessalonicensis, ex archiepiscopo Ruthenorum cardinalis; reliquit disputationes de processione Spiritus S. et aliquot Orationes. Georgius Trapezuntinus multa e graeco in latinum vertit, et praeter rethoricam reliquit aliquot scripta polemica pro Ecclesia latina contra Graecos [6]. Gabriel Biel, Spirensis, Universitatis Tubingensis professor; edidit commentarios in 4 libros Sententiarum et expositionem canonis Missae. B. Angelus de Clavasio, Ligur, Ord. s. Franc.; collegit Summam angelicam de casibus conscientiae [1]. Thomas a Kempis, dioecesis Coloniensis, Canonicus regularis s. Augustini prope Zwol in dioecesi Ultraiectensi, vir insignis pietatis; reliquit plura scripta ascetica, inter quae eminent libri 4 *de Imitatione Christi*, quos multi alii adiudicant [2]. Gobelinus, Pio Pp. II ab epistolis, sub cuius nomine prodierunt Commentarii rerum memorabilium, quae eiusdem Pontificis temporibus contigerunt, quorum ipsum Pium esse auctorem nonnullis persuasum est. Georgius Phranza, imperatoris graeci *protovestiarius;* scripsit Chronicon de rebus Byzantinis et Peloponesiacis [3]. Leonicus Chalcondilas, Atheniensis; edidit historiae Turcicae libros 10 [4]. Ambrosius Camaldulensis Florentinus, sui Ordinis decus, permulta scripta Patrum Graecorum in latinum vertit, Chronicon Cassinense et alia exaravit. Marsilius Ficinus, Florentinus, presbyter canonicus, varia scripta graeca in latinum vertit, pluraque de re philosophica scripsit [5]. Bartholomaeus Sacchi, dictus Platina, Cremonensis, a Pio II inter abbreviatores adscriptus, et post adversa fata sub Paulo II a Xysto IV bibliothecae Vaticanae praefectus; praeter alia scripsit vitas RR. Pontificum a B. Petro usque ad Xystum IV, quas usque ad S. Pium V continuavit Onuphrius Panvini [6]; Platina vero in nonnullis, maxime quae spectant Paulum II, pro suspectae fidei scriptore habendus est. Ioannes, a loco natali prope Treviros appellatus Trithemius, Ordinis s. Benedicti; reliquit librum de scriptoribus ecclesiasticis, chronica monasteriorum Wirceburgensis et Spanheimiensis,

---

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1492-1503; Berthier, *Hist. de l'Église Gall.* 1492-1503; Audin, *Hist. de Leon X*, t. I, c. 11.

[2] Colon. 1549, 21 vol. in-fol.

[3] Paris. 1518, in-fol. — [4] Venet. 1562, in-fol.

[5] Ibid. 1578, 5 tom. in-fol.

[6] Apud Allat., *Graecia orthodoxa.*

---

[1] Venet. 1489, in-fol.

[2] Cf I. B. Malou, Ep. Brugen. *Recherches hist. et critiq. sur le veritable auteur du livre de l'Imitation de Jésus Christ.* Tournai 1858. Ast inter eruditos quaestio iterum exagitata est circa auctorem huius libri. Camillus Mella (*Vita e scritti di G. Gersen*), Barth. Varatti (*Della Controversia Gerseniana*), Caelestinus Wolfsgruber, Bened. Viennae (*Giovanni Gerson, sein Leben und sein Werk « de Imitatione Christi »*, in 8º, 1880), et cum his permulti alii rationibus et documentis tenent et ostendunt Ioannem Gersen, abatem benedictinum Vercellensem saec. XIII esse verum auctorem libri de *Imitatione Christi.* Vid. *La Scienza e la Fede* voll. XCVI, pp. 265 sqq.; CIII, 172; CXXIV, 44; CXXVI, 103, et alibi passim.

[3] Venet. 1733, in-fol.

[4] Paris. graece et latine 1650, in-fol.

[5] Basil. 1561, 2 vol. in-fol.

[6] Lovanii 1572, in-fol.

Annales Hirsaugienses, aliaque. Albertus Krantz, Hamburgensis, ecclesiae huius civitatis decanus; edidit chronica Daniae, Sueciae, Norwegiae, item historias *Saxoniae, Wandaliae,* ecclesiae Hamburgensis, et Bremensis, atque episcopatuum in Westphalia et Saxonia inferiori [1]; quae fere omnia postea heterodoxa manu corrupta, relata sunt in Indicem librorum prohibitorum, *donec expurgentur.* Ioannes Longinus, alias Duglossus canonicus Cracoviensis; scripsit historiae Polonicae libros 12 et Vitam s. Stanislai episcopi Cracoviensis.

14. *Fidei propagatio in Africa, India et America* — Labente hoc saeculo latissimum stadium propagandae religioni christianae apertum est ex maritimis Europaeorum explorationibus et detectis insulis. Hae explorationes sub regum Lusitaniae et Hispaniae auspiciis factae, eorum dominationes in immensum auxerunt. Lusitani iam ante dimidium huius saeculi occuparant Maderam, insulam oceani Atlantici; post aliquot annos insulas promontorii — Viridis et Azoricas, magnamque partem littoris occidentalis Africae cognoverunt. Lusitanorum pervestigationes aemulati sunt Hispani, et Christophorus Columbus sub auspiciis Ferdinandi et Isabellae an. 1492, superatis vasti pelagi fluctibus, detexit primas novi orbis, Americae, insulas, quas Antillas vocant, et inter quas praecipuae sunt insula s. Dominici, Cuba, Jamaica, Portus — dives.

Quum autem inter reges Lusitaniae et Hispaniae ortum esset dissidium de exploratarum et explorandarum regionum novi orbis iure et possessione, Alexander Pp. VI an. 1493 per Bullam *Inter caetera* litem sic composuit, ut rex Hispaniae occidentalem, et rex Lusitaniae orientalem partem circuli indicati haberet: ea lege, tamen, ut ambo reges in occupatis regionibus catholicam fidem propagandam curarent. Anno sequente idem Pontifex regibus Hispaniae attribuit quascumque terras in regnis Algeriano et Tuneto contra infideles bello caperent, iis exceptis, quas reges Lusitaniae in regnis Fezzano, Miquenzano et Marochiano occupaverant aut occuparent [2].

Ex hoc tempore Lusitani et Hispani ardentius in pervestigandis et occupandis tum Africae et Asiae, tum novi orbis regionibus desudarunt. An. 1497 Lusitani, superato promontorio Bonae Spei, littora Indiae orientalis lustrarunt et Calecutium usque penetraverunt. Deinde Malacam, Molucas, aliasque Indiae insulas pervestigaverunt atque occuparunt. An. 1500 detexerunt et occupaverunt Brasiliam, vastissimam regionem Americae meridionalis. Interim Americus Vespucius an. 1497 pro rege Hispaniae vestigia Christophori Columbi premens, Mexicanum sinum, Pariam, Venetiolam, Novam Granatam, aliasque Terrae firmae regiones detexit, et praecursoris sui celebritatem tam superavit, ut hoc novum hemisphaerium ab eius nomine America appellatum fuerit.

Occasione harum pervestigationum religio christiana inter Africae, Asiae seu Indiae et Americae incolas propagata est, primo per missionarios, quos Hispani et Lusitani exploratores secum ducebant, deinde per alios, qui propagandi Evangelii studio e RR. Pontificum auctoritate et sub auspiciis regum Hispaniae et Lusitaniae in terras illas profecti sunt. Qua in re apostolicum ardorem prae se tulerunt viri religiosi Ordinum s. Francisci et s. Dominici. In primis, postquam Lusitani detexissent regnum Congum, in littore occidentali mediae Africae situm, regis legatus pluresque iuvenes cum illis in Lusitaniam venerunt, ibique baptizati an. 1490 cum missionariis Dominicanis in Congum reversi sunt. Missionarii ibidem tanto cum successu Evangelium annuntiarunt, ut rex regiaque familia, multi proceres et alii baptizati, abiectoque idolorum cultu, christianam fidem professi sint. An. 1493 Bernardus Boil, Ord. Minorum in Hispania vicarius generalis, cum 12 Ordinis sui presbyteris ex auctoritate Alexandri Pp. VI navigavit in insulas Antillas; illis non multo post alii tum Dominicani tum Franciscani successerunt, qui omnes ardore apostolico propagandae Religioni adlaborarunt. In sequenti epocha dicemus, quanto cum successu in Africae, Indiae et Americae regionibus Evangelium propagaverint Franciscani, Dominicani atque Iesuitae [1].

15. *Pius III, Iulius II, Pontifices (an. 1503)* — Post Alexandrum VI, x° calendas octobris pontifex electus fuit Pius III [2], antea Franciscus Tudeschinus Piccolomineus, cardinalis archiepiscopus Senensis. Vir prudentia et doctrina clarus; qui confestim disciplinam ecclesiasticam instaura-

[1] Argentor. 1546.
[2] *Bullar. Roman.* t. I; Raynald. ad an. 1493-96.

[1] Tellesius Sylvius, *De rebus gestis Ioannis regis Lusitaniae*; Orosius, *De rebus gestis Emmanuelis regis*; Mariana, *Hist. Hisp.* l. XXVI; De Barros, *Hist. Asiae et Indiar.* decad. I, l. 4; Maffei, *De rebus Ind.* l. I-II.
[2] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1503.

re, concilium generale cogere, bellumque contra Turcas excitare sibi proposuit. Sed multa ad Ecclesiae bonum animo volvens, vix post 26 dies a sua electione, XVI° calendas novembris, supremum diem obiit, vitiatae tibiae doloribus, anno aetatis 46.

In eius locum calendis novembris electus fuit Iulianus Roboreus, Ligur, cardinalis episcopus Ostiensis, qui nomen Iulii II assumpsit seditque usque ad an. 1513. Is constituit, ut electio Pontificis, facta simoniace, haberetur irrita, cardinales, istius criminis rei, dignitatibus suis et beneficiis forent privati, caeteri, hac labe puri, potestatem haberent peragendi novam electionem, et si necesse esset, cogendi concilium generale et etiam implorandi brachium saeculare. Certamina singularia, quae appellantur duella, in ditione ecclesiastica sub poena excommunicationis prohibuit; Ordinem Minimorum, a s. Francisco de Paula institutum, sicuti diximus, confirmavit; Henrico VIII regi Angliae per dispensationem indulsit, ut Catharinam, Ferdinandi et Isabellae Hispaniae principum filiam, fratrisque sui Arthuri viduam, uxorem duceret; Vaticanam basilicam a magno Constantino olim aedificatam, vetustate collabentem, instaurandam suscepit magnificentia, quae principe Apostolorum, totius Ecclesiae capite et loci maiestate digna esset, cunctisque ad id opus stipem conferentibus Indulgentias largitus est [1].

Factiosi ab Alexandro VI repressi, post huius mortem novos tumultus in territorio Romanae Ecclesiae excitarunt; feudatarii aliique magnates summum et a temporali Pontificis auctoritate independens dominium usurparunt: Balliones (*Baglioni*), Perusiae, Bentivoli, seu (*Bentivoglio*), Bononiae, alii alibi dominabantur; Veneti etiam plura R. Ecclesiae oppida et castra occupabant. Iulius Pp. II, cui a natura inerat celsitas animi, labores quosvis despicientis et ad difficillima negotia aggredienda comparati, fortitudinem necessariam sibi esse censuit ad superandas turbulentas sui pontificatus tempestates, et ad recuperandam ecclesiasticam ditionem, fere totam amissam. In primis Balliones Perusia, Bentivolos Bononia, aliosque iniustos civitatum detentores tum censuris tum armorum metu eiecit. Deinde Venetos monuit, ut Ecclesiae oppida et castra restituerent, illis facere abnuentibus, bullam adversus rempublicam Venetiarum indixit. Illi autem ad futurum generale concilium petulanter appellarunt. Iulium vero brachium saeculare adversus rebelles imploravit, et belli societatem iniit cum imperatore Maximiliano I et regibus Galliae atque Hispaniae: quae societas an. 1508 inita, nomen Foederis Cameracensis accepit. Veneti armis Ludovici XII regis Galliae, cui belli cura fuerat demandata, Ecclesiae statibus eiecti et ad tantas angustias redacti, ut de conservatione reipublicae desperarent, Pontificis gratiam implorarunt. Iulius II, cum iam terras a Venetis aliquandiu occupatas, recuperasset, probeque sciret, quanta auxilia Venetiarum respublica ad propulsandos Turcarum impetus conferre posset, an. 1510 concordiam cum illis sancivit, et a censuris absolutos in gratiam recepit.

Verum Ludovicus XII, rex Galliae, qui Venetae reipublicae destructionem, suaque in Italia dominationis incrementa quaerebat, inita hac inter Pontificem et Venetos concordia ita offensus fuit, ut copias suas in Italia consistere iusserit, nonnullas R. Ecclesiae terras occuparit, et Alphonso Atestino principi Ferrariensi, iniusto Comaclensium salinarum, quae ad R. Ecclesiam pertinebant, detentori, patrocinaretur. Quapropter Iulius II Ludovicum XII, prius admonitum et monita spernentem excommunicationi subdidit, et ad pellendas ex Italia Francorum copias foedus iniit cum Venetis, Helvetiis, regibusque Hispaniae et Angliae. Ludovicus XII exacerbatus, an. 1510 episcopos et doctores regni sui convocavit Turones; qui ad propositas sibi quaestiones secundum regis vota respondentes dixerunt, Pontificem primo per legatos esse monendum, ut a coeptis desisteret et concordiae viam ingrederetur; quod si audire nollet, esse interpellandum de convocando generali concilio libero secundum decreta Basileensia; quibus peractis et responso Pontificis accepto, providendum esse quod iuri consentaneum foret. Confestim Ludovicus cum Maximiliano imperatore contulit de cogendo concilio generali, a quo Iulius in ordinem redigeretur; sed Maximilianus, quamvis primo commotus in Iulium, quod misso foedere Cameracensi, novum iniisset foedus cum Venetis; brevi post melius edoctus, a schismaticis Ludovici conatibus recessit. Ludovicus vero non tantum quodvis commercium cum Romana curia Gallis prohibuit, sed a tribus cardinalibus, in Iulium rebellibus, obtinuit, ut postridie idus maii 1511 concilium generale indicerent, calendis septembris Pisis inchoandum, prae-

[1] Idem, ad an 1503-13.

texentes, quod Iulius promissam in conclavi generalis concilii convocationem negligeret, quum tamen illud tum ad reformandam disciplinam tum ad componendas inter christianos principes discordias esset necessarium.

Iulius Pp. ad retundendam tantam arrogantiam xv° calendas sextilis 1511 litteras gravissimas edidit, quibus horum cardinalium temeritatem, qua concilium generale, a solo Pontifice convocandum, indixerant, perstrinxit, eorum praetextus confutavit; omnibus, ne se conciliabuli Pisani participes redderent, prohibuit, ipseque concilium generale, anno sequenti XIII° calendas maias in aede Lateranensi inchoandum, indixit. Nihilominus 3 isti cardinales, 2 archiepiscopi, 14 episcopi, quorum numerus deinde auctus est ad 30, et aliquot abbates, omnes Galli, calendis novembris 1511 Pisas convenerunt, tresque sessiones habuerunt. Idibus decembris Iulius bullam contra auctores conciliabuli dedit, qua eos canonicas censuras incurrisse declaravit. Illi autem populi Pisani seditionem metuentes, conciliabulum suum transtulerunt Mediolanum, ubi pridie nonas ianuarii 1512 quartam, deinde caeteras usque ad octavam sessiones habuerunt. In his multa contra auctoritatem R. Pontificis summa cum arrogantia decreverunt, Iulium ceu notorium concilii perturbatorem, contumacem et schismatis auctorem, ab omni Ecclesiae regimine suspensum declararunt, omnibusque cuiusvis conditionis christianis, ne ei deinceps obedirent prohibuerunt. Huiusmodi schismaticum decretum Ludovicus rex XVI° calendas iulii 1512 in omni ditione sua observandum mandavit. Quapropter Iulius Pp. XII° calendas augusti universo Galliae regno sacris interdixit.

Interim Francorum res in Italia collabebantur, et conciliabuli auctores haud tutius Mediolani quam Pisis agentes, confugerunt Lugdunum. Brevi post Ludovicus rex, rebellesque cardinales et episcopi errorem suum agnoverunt, veniam a Pontifice postularunt, et a Leone X, qui anno 1513 Iulio successit, consecuti sunt. Mortuus est Iulius II IX° calend. martii an. 1513, annum aetatis agens 70, Pontificatus 9, mens. 3, dies 21 [1].

16. *Leo X Pontifex* (*an.* 1513) — Leonem X Florentinum Laurentii Medicei filium, cui Ioanni antea nomen, annum aetatis agentem 37, iuniores praesertim Cardinales v° idus martii an. 1513 in Pontificatu collocarunt. Vir eruditione, morum integritate, ingenii humanitate, liberalitate et magnificentia conspicuus, qui Ecclesiam sapientissime rexit usque ad an. 1521. Is priusquam e Conclavi exiret, Petrum Bellum, et Iacobum Sadoletum, qui Romae tunc erant, sibi ab epistolis adscivit. Regem Galliae et conciliabuli Pisani fautores, postquam errorem suum essent confessi, in gratiam recepit, et cum Francisco I, Ludovici XII successore, an. 1516 in locum sanctionis pragmaticae, supra concilii Basileensis tempore consarci-

---

[1] Raynald. *Annal. eccl.*; Mansi, *Annotat. ad Raynald.*; Audin, *Hist. de Léon X*, t. I, c. 12-16. Labem, quam huius Pontificatui imponunt aliqui propter bella, quae magno animi ardore suscepit, ursitque praesentia sua, absterget Bellarminus (*De potest. Sum. Pont. in rebus temporalibus* adversus Barclaium. c. 11), «admonitos *scribens*, lectores esse volo, Romanos Pontifices, qui, simul etiam Principes sunt temporales non contemnendi Imperii, non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quae Sedis Apostolicae sive Ecclesiae Romanae sunt, quam Principes caeteros. Quare quemadmodum Reges et Principes supremi ceteri pro defensione Regnorum suorum sive ditionum aliarum bella gerere possunt et debent, et si ad ea defendenda confoederatione cum aliis principibus opus habent, iure possunt cum sociis Principibus foedus inire, et coniunctis viribus hostem propulsare, quando iustam belli gerendi caussam habent; sic etiam Romani Pontifices, qua principes supremi sunt, omni iure possunt et debent populos sibi creditos armis protegere, et si res ita postulet, adversus hostes bella gerere, nec non ad auxilium, vel belli societatem principes alios evocare.—Nec primus fuit Iulius II, qui pro recuperandis Ecclesiae Romanae provinciis bella gessit, vel cum magnis principibus foedus percussit. Nam Pius II, multo antea exercitum armatum habuit, et bella cum hostibus cum laude gessit, ut Nauclerus et Platina referunt, et ante Pii II tempora Innocentius VI, vir prudentia et vitae innocentia clarus, per Legatum suum Albernotium Cardinalem Ecclesiasticam ditionem a tyrannis diversis occupatam felicissime armis recuperavit. Clemens IV qui Innocentium VI multis annis praecessit, et Pontifex sanctus est habitus, Carolum Andegavensem Ducem, S. Ludovici Regis Francorum fratrem e Galliis evocavit, ut Manfredum tyrannum e Regno Neapolitano, Ecclesiae Romanae feudo, armis expelleret, ipsumque Carolum Regem instituit, imposita quadraginta millia nummorum aureorum pensione quotannis solvenda in recognitionem feudi: testes sunt scriptores citati et alii ab ipsis relati.

« Sed ante haec tempora Leo IX, Pontifex non solum vitae probitate, sed etiam divinis miraculis clarus atque adeo in Sanctorum numerum relatus, adversus Normannos pro Beneventana Civitate recuperanda praesens ipse in exercitu armis decertavit, ut Hermannus Contractus (*in Chronico*) et Leo Hostiensis (*in Hist. Casin.* l. 2, c. 88) testes sunt. Ubi illud memorabile accidit, quod cum Pontifex a Normannis victus et captus fuisset, ea submissione et reverentia victores erga victum usi sunt, ut Pontifex victus et captus victoribus imperare ac dominari videretur. Porro Leo IV Pontifex, plus ducentis annis Leone IX antiquior, vir sanctissimus et miraculis clarus, teste Anastasio in eius vita, exercitum duxit adversus Saracenos, qui ad Ostia Tyberina cum ingenti classe appulsi, Romanam Urbem capere et spoliare cupiebant: et Oratione praemissa ad Deum, et exercitu Apostolica benedictione

natae [1], confecit concordatum, in quo praeter alia utrinque convenit, ut rex episcopos et abbates designaret, et Pontifex eos confirmaret; Pontifici conservati essent episcopatus et abbatiae; quorum possessores in Romana curia morerentur, ei etiam conservarentur *annatae* et causae maiores in iure canonico designatae [2]. Maximum etiam curam impendit Leo X, ut ubique inter principes et nationes christianas pax constitueretur, omnesque hortatus est ad propulsanda pericula, quae e Turcarum potentia et incursionibus quotidie graviora Europae imminebant; in eumdem finem Thomam cardinalem Strigoniensem legavit in Poloniam, Bohemiam et Hungariam, ut bellum sacrum contra Selimum I, Turcarum imperatorem, qui arma contra Hungaros converterat, promulgaret, pacem inter principes constitueret, et Bohemos, sublatis hussiticae haereseos reliquiis, cum Ecclesia conciliaret.

Quanto ardore Leo X propagandae et conservandae christianae fidei adlaboraverit, ostendunt instituti ab eo in America episcopatus, et epistola ab eo anno 1515 scripta ad Davidem regem Abyssinorum; etiam ad patriarcham Antiochenum Maronitarum montis Libani viros religiosos ex Ordine s. Francisci destinavit, qui illos in conservanda orthodoxa doctrina iuvarent; ad eumdem patriarcham responsa dedit circa doctrinae catholicae capita ibidem controversa et circa liturgiam praesertim in administratione Sacramentorum, quae patriarcha reverenter suscepit. Quanta eiusdem Pontificis cura fuerit, ut errores circa doctrinam profligarentur disciplina ecclesiastica custodiretur, moresque populi christiani recte informarentur, evincunt constitutiones concilii Lateranensis V et acta Pontificis in causa Lutheri. Instaurata Romae Academia, fovit studia bonarum artium, litterarum, litteratorumque fautor eximius paterno instituto, et quanta reapse sollicitudine Leo X id effecisset, monumenta testantur [1]. — Lavacrum Constantini Lateranense restituit, ac publica aedificia alia refecit, et sumptu magno ornavit.

17. *Concilium Lateranense V* (*an.* 1512-17) — Concilium Lateranense V, supra a Iulio Pp. II convocatum, tum adversus conciliabuli Pisani tentamina tum ad reformandos mores, ad procurandam inter christianos principes pacem et ad promovendum bellum contra Turcas, inchoatum est v° nonas maii 1512, et absolutum postridie idus martii 1517. Habitae sunt 12 sessiones, quarum 4 prioribus praesedit Iulius II, 5ae, Iulio infirmo, Riarius cardinalis episcopus Ostiensis, reliquis Leo X. Primae sessioni interfuerunt 15 cardinales, 2 patriarchae, Alexandrinus et Antiochenus, 77 archiepiscopi et episcopi, quorum numerus ita crevit, ut sessioni VIIIae adessent 25 cardinales et 112 episcopi. Adfuerunt praeterea multi doctores, generales ministri Ordinum religiosorum, oratores principum Christianorum aliique. Sess. Ia, habita vi° idus maii 1512, post sermonem Iulii Pp., peractae sunt caeremoniae et alia pro more. Sess. II, Thomas de Vio Caietanus, Ordinis Praed. Generalis, et deinde R. E. cardinalis, orationem habuit; sessiones prolatae sunt usque ad adventum legatorum nationum, et bulla lecta, qua conciliabulum Pisanum eiusque acta damnabantur, et irrita declarabantur. Posthaec advenerunt legati Germaniae, Daniae, Norwegiae, Hungariae, Scotiae, Angliae, Castellae, Aragoniae, Italiae, Sardiniae et utriusque Siciliae, qui nationum suarum nomine concilio adhaeserunt. Sess. III, episcopus Gurcensis, nomine Maximiliani imperatoris, acta conciliabuli Pisani reiecit, et quaecumque ab hoc principe pro isto conciliabulo gesta fuissent, revocavit. Sess. IV actum est de abrogatione pragmaticae sanctionis in Gallia. Sess. V, xiv° calend. martii 1513, lecta fuit constitutio Iulii II contra simoniacam R. Pontificis electionem. Sess. VI negotia de concilianda inter Christianos principes pace, de reformanda curia Romana et de abroganda pragmatica Gallorum

munito, memorabilem victoriam reportavit. Omitto confoederationem Zachariae, Stephani II, Hadriani, Leonis III aliorumque Pontificum cum Regibus Francorum pro recuperatione, et defensione provinciarum et civitatum, quae ad Romanam Ecclesiam pertinebant, adversus Longobardos et Graecos. Omitto etiam fortissimos Machabaeos, qui et Summi Sacerdotes et Principes erant, et pro patriae defensione gravissima bella gesserunt. Omitto denique Mosem Pontificem et Principem sapientissimum, qui adversus Amorrhaeos aliosque populi sui perturbatores armis decertare non dubitavit.

« Hos igitur clarissimos sacrosque viros Iulius II imitatus, eorumque virtutem et diligentiam aemulatus, partim armis propriis, partim auxilio foederatorum Regum Ecclesiasticam ditionem fere totam amissam magno labore recuperavit. Quod factum, qui reprehendere voluerit, oportebit etiam, ut industriam et virtutem sanctorum Pontificum, addo etiam Machabaeorum, et ipsius Mosis virtutem bellicam reprehendat ».

[1] Vid. p. 125.

[2] Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 358.

[1] Raynaldus et Spondanus, ad an. 1513-21; I.B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 12; Audin, *Histoire de Léon X*, Louvain 1846, 2 vol. in-8.°

sanctione selectis viris discutienda commissa fuerunt. Sess. VII cardinales, qui conciliabulo Pisano adhaeserant, post supplices preces veniam et pristinam dignitatem receperunt. Sess. VIII lecta fuit constitutio Leonis X contra asserentes, animam humanam esse mortalem et unicam in omnibus hominibus. Sess. IX, III° idus maii 1514, actum est de morum et curiae Romanae reformatione. Sess. X, IV° idus maii 1515, Leo X constitutionem edidit, qua Montes pietatis approbati confirmatique, confixit anathemate qui illorum usum damnare, deque usurae vitio insimulare auderent. Vetitum edi libros, qui probati non fuerint per Episcopum, Inquisitorem haereticae pravitatis. Sess. XI, 1516, XIV° calend. ianuarias, lectae fuerunt constitutiones de ratione praedicandi divinum verbum, de concordato inter Leonem X et Franciscum I, quod confirmatum est, de sanctione pragmatica, per illud abrogata, de religiosis Ordinibus eorumque privilegiis. Sess. XII et ultima, postridie idus martii 1517, excommunicatio lata est contra eos, qui in electione R. Pontificis cardinalium domos invaderent; ea quae in Concilio gesta et statuta erant, a Leone X confirmata fuerunt, et decimae pro expeditione contra Turcas ad triennium decretae [1].

Cum hoc concilio, quod oecumenicis conciliis legitimis adnumerandum est, praesentem epocham absolvimus, in sequentibus ultimam historiae ecclesiasticae periodum, ab initiis Lutheri usque ad nostram aetatem, tradituri.

[1] Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 1 seq.; card. Orsi, *De R. Pontif. potestate,* l. VI, c. 18; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 11.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE
EPOCHA VNDECIMA

AB INITIIS LVTHERI
VSQVE AD IANSENISTARVM EXORDIA, AN. 1640.

PROOEMIVM

Dissensiones et schismata, quae in praecedenti epocha narravimus, tetra Wicleffi et Hussii contra sacerdotii et imperii auctoritatem dogmata, hisque excitati adversus utramque potestatem animi, emortua in multis erga ecclesiasticam auctoritatem observantia, morum licentia in clero et in populo, magnum aliquod malum rei christianae protendebant. Reipsa in hac epocha Religionis unitas in Occidente rupta est et in varias sectas scissa christiana professio.

Morum reformationem exoptabant quicumque pii et docti; at superbi quidam et amarulenti animi specioso reformationis praetextu ipsam Ecclesiae doctrinam, auctoritatem, magisterium, instituta, omnibus retro saeculis sacra, oppugnarunt abieceruntque, et sola ea, quae sibi gratiora videbantur, retinuerunt. Inde christianae societatis divisiones, bella cruenta, aliaque mala ingentia, quibus Europeae regiones annis multis agitatae fuerunt.

Fucatae reformationis capita fuere Lutherus et Calvinus, geminae Occidentis faces, altera Germaniae, altera Galliis incendendis destinata. Ambo novatores, non minus sibi invicem quam Ecclesiae catholicae oppositi, in odio implacabili contra Romano-catholicam Ecclesiam consentiebant. Populos multos a R. Pontificis obsequio, ab Ecclesia, a religione catholica devellerunt, et ad suscipiendas haereticas suas novitates perduxerunt. Eorum sectis idem quod aliis omnibus, a legitima auctoritate et centro unitatis avulsis, obtigit, nimirum vix natae in diversas factiones abierunt, quae tamen, quamvis inter se discordes, in oppugnandis Catholicis concordabant.

Quapropter in hac epocha Ecclesia tempestates grandes atque pericula experta est, e quibus tamen victrix exsurrexit. Catholica et avita doctrina in Tridentino concilio clare definita est, eique oppositi novatorum errores proscripti. Disciplina in clero et populo in eodem concilio instaurata fuit. Pontifices et episcopi extiterunt pervigiles tum

in custodiendo Fidei deposito, tum in praescribendis ad emendandos mores saluberrimis statutis. Religiosa pietas per novos Ordines et per antiquorum reformationem instaurata fuit. Viri floruerunt quamplurimi, undequaque docti, qui emergentes haereses confutarunt, et catholica dogmata ab iisdem vindicarunt. Detrimenta vero, quae novatores Religioni in Germania, Gallia, Anglia aliisque Europae regionibus intulerunt, lucris maioribus reparata sunt, cum eodem tempore Religio in vastissimis novi orbis, Americae, regionibus, in India, Iaponia, in Sinis longe lateque fuerit propagata.

1. *M. Lutheri initia* (*an.* 1517)—Pseudo-reformationis agmen duxit Martinus Luther seu Lutherus. Is anno 1483 Islebiae in Thuringia infimo loco natus, cum humaniora studia peregisset Magdeburgi et Isenaci, an. 1501 in Universitate Erfordiensi dialecticae et deinde iuris studio se applicuit; an. 1505, morte sodalis ad latus suum fulmine icti perterritus, Augustinianorum monasterium Erfordiae ingressus est; biennio post ad vota solemnia et sacerdotium admissus, deinde in academia Wirtembergensi, a Friderico electore Saxoniae nuper erecta, doctoralem lauream et magisterium in s. Theologia accepit an. 1512. Quum Leo Pp. X ad prosequendam basilicae s. Petri structuram, a Iulio II coeptam, an. 1516 Indulgentias concessisset iis, qui contriti et confessi ad illud opus stipem conferrent, earumque praedicatio ab Alberto Brandeburgico, archiepiscopo Moguntino et Magdeburgensi, cui Pontifex negotium promulgandarum illarum indulgentiarum in Germania delegaverat, demandata fuisset FF. Praedicatoribus, praesertim Ioanni Tetzelio, concionatori fervido et Fidei Inquisitori, id non leviter excitavit invidiam Augustinianorum. Lutherus, cui a natura inerant impotens superbia, animusque inquietus, an. 1517 contra Indulgentiarum praedicatores, contra collectas, quae earum occasione fiebant, contra ipsas Indulgentias e suggestu declamare populumque excitare coepit.

Eodem anno, pridie festi omnium Sanctorum, Lutherus valvis ecclesiae collegiatae Wirtembergensis 95 theses disputationi destinatas affixit. In is plura orthodoxae doctrinae de Indulgentiis, de potestate remittendi peccata, de poenitentia, opposita asseruit, et sibi ipsi non semel contradixit. Ut invidiosum haeretici nomen a se arceret, in thesibus suis contestatus est, se nihil s. Scripturae, Ecclesiae Patribus, sacris canonibus aut Pontificum decretis adversum asserere velle, cunctasque suas assertiones superiorum iudicio subiicere. Quam parum sincera fuerat haec declaratio, eventus abunde docuit.

Lutheri theses, non minori varietate quam acumine propositae, brevi tempore per universam Germaniam propagatae et a multis avide exceptae sunt. Confestim plures theologi catholici theses eius confutandas susceperunt, inter alios supra nominatus Ioannes Tetzelius, Sylvester Prierias, etiam Dominicanus et s. Palatii Romae Magister, Iacobus Hoogstraten, eiusd. Ord. et s. Theologiae professor Coloniae, Ioannes Eckius, s. Theologiae in Universitate Ingolstadiensi vicecancellarius, Hieronymus Emser, e professore Lipsiensi concionator Dresdensis. Lutherus adversariis suis respondit dictione vehementi, conviciis et irrisionibus plena. In his responsis et in aliis maxime ad usum populi scriptis, praeter errores, in praefatis thesibus contentos, alios plures asseruit de auctoritate Romani Pontificis, de libero arbitrio, de gratia, de iustificatione, de bonis operibus, de aliis. Deinde contra adversarios ad R. Pontificem provocavit, et ad Leonem Pp. X epistolam submissionis plenam scripsit.

Leo X de turbis a Luthero excitatis aliunde certior factus, anno 1518 ei Romae diem dixit; deinde eidem concessit, ut se coram Legato suo cardinali Thoma Caietano Augustae Vindelicorum sisteret. Lutherus coram cardinali comparuit, sed ab eo secundum Pontificis mandatum rogatus, ut errores suos revocaret, id facere constanter recusavit, et a Papa male informato ad eundem melius informandum appellavit. Leo X, in bulla v° idus nov. 1518 data, catholicam doctrinam de Indulgentiis exposuit. Lutherus vero die 18 eiusdem mensis a Pontifice ad concilium generale provocavit. Pontifex errantem suaviter ad obedientiam catholicam reducendum confidens, hoc negotium demandavit Carolo de Miltitz Misniensi. Hic vero rem ignave gessit: Lutherus ei multa promisit, sed promissis non stetit [1].

2. *Disputatio Lipsiensis* (*an.* 1519) — Luthero ab initio adhaesit praeter alios Andreas Bodestein, a loco natali dictus Carolostadius, archidiaconus Wirtembergensis. Cum utroque doctissimus Eckius, professor

[1] I. Cochlaeus, *Comment. de actis et scriptis Lutheri*; Raynald. ad an. 1517-18; I. M. V. Audin, *Histoire de la vie, des écrits et des doctrines de M. Luther*, t. I, c. 1-11.

Ingolstadiensis, an. 1519 Lipsiae publice disputavit. Illi multa obiecerunt contra liberum hominis arbitrium, purgatorium, R. Pontificis primatum, traditionem, Patrum et Conciliorum auctoritatem. Eckius vero eorum obiectiones tanta eruditione confutavit, ut omnes uno ore ei victoriam de adversariis gratularentur.

Convenerat Eckium inter et Lutherum atque Carolostadium, ut disputationis istius exitus subiiceretur iudicio Universatum Erfordiensis et Parisiensis. Quae autem responderit Universitas Erfordiensis, non constat. Facultas vero Parisiensis an. 1521 ultra centum propositiones, e libris Lutheri excerptas, damnavit [1]. Iam an. 1519 Facultates Coloniensis et Lovaniensis plures propositiones, ex eiusdem novatoris scriptis desumptas, condemnaverant [2]. Inde Lutheri in doctores Universitatum ira, invidia et convicia.

Lutherus audiens, doctrinam suam brevi ab Apostolica Sede damnandam esse, ad Carolum V qui an. 1516 Ferdinando in regno Hispaniae, et an. 1519 Maximiliano in imperio suffectus fuerat, atque ad nobiles nationis Germanicae librum scripsit de reformatione Ecclesiae, in quo Romani Pontificis primatum, divinam Ecclesiae hierarchiam, Ordines mendicantes, coelibatum clericorum, ius canonicum, alia oppugnavit.

3. *Bulla Leonis contra Lutherum* (*an.* 1520) — An. 1520, XVII° calendas iulii, Leo X celeberrimam Bullam *Exurge Domine* edidit, qua 41 propositiones, e scriptis Lutheri excerptas, tanquam respective haereticas, scandalosas, falsas, piarum aurium offensivas, simplicium mentium seductivas et veritati catholicae obviantes, damnavit; omnia Lutheri scripta, in quibus errores illi aut eorum aliquis continebantur, proscripsit; Luthero praedicationis officio interdixit, eum nisi intra 60 dies errores suos revocarit, eiusque sectatores tanquam haereticos ab omnibus habendos esse declaravit.

4. *Lutheranorum progressus* — Lutherus errores suos non solum non revocavit sed auxit; nova scripta edidit, in quibus plura adhuc catholicae doctrinae capita reiecit, saepe sibi ipsi contradicens. In libro *de captivitate Babylonica*, Indulgentias fraudem, denegationem calicis Eucharistici impietatem dixit; admissa Christi praesentia in pane et vino, transubstantiationem reiecit; Eucharistiam esse sacrificium negavit; opera supererogatoria, speciatim vota monastica damnavit; Confirmationem, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium e Sacramentorum numero delevit. In libro *de libertate christiana*, hominem sola fide iustificari, adeoque bona opera ad salutem haud necessaria esse docuit. In alio scripto publico a Pontifice tanquam iniusto iudice, antichristo et s. Scripturae contemptore, provocavit ad generale concilium. In libello *adversus execrabilem Antichristi bullam*, auctorem Bullae *Exurge Domine* omnesque eam approbantes antichristos vocavit et satanae tradidit. Vindictam suam plane exsatiaturus, sub finem an. 1520 a multis litterarum studiosis stipatus, corpus iuris canonici cum Bulla pontificia et nonnullis adversariorum scriptis in rogum, ante moenia Wirtembergensia extructum, coniecit.

Leo X in nova bulla *Decet Romanum Pontificem*, data III° non. ian. 1521, Lutherum eiusque asseclas et protectores declaravit excommunicatos atque incurrisse poenas contra haereticos constitutas.

Carolus V, anno 1521, Lutherum ad comitia Wormatiensia vocavit, data ei fide publica seu *salvo-conducto*. Aderant illic cum imperatore septem electores, multique duces, marchiones et episcopi. Lutherus in comitiis interrogatus, an libros, eius nomine editos, reipsa scripsisset, et an errores in iis contentos revocare vellet, ad priorem quaestionem affirmavit, ad posteriorem post otium deliberationi concessum respondit, se nil revocaturum, nisi claris Scripturae verbis aut certis ratiociniis erroris convinceretur. Cum igitur huic declarationi pervicaciter inhaereret, et in privatis cum nonnullis principibus colloquiis tam imperii quam concilii generalis sententiam recusaret, imperator edixit, ut Lutherus ab omnibus tanquam schismaticus et haereticus haberetur, et, transactis reliquis 21 diebus *salvo-conducto* statutis, in eum prout haereticum procederetur, ubique deprehenderetur; eius autem libri ubique comburerentur. Elector Saxonicus, ne quid periculi Luthero obtingeret, eum in arce sua Wartbourg paucissimis notum custodiri curavit [1].

[1] D. Argentré, *Collect. iudicior.* t. I, p. II, p. 365.

[2] I. Latomus, *Articulorum doctrinae F. M. Lutheri per Theologos Lovanienses damnatorum ratio*, Antverp. 1521, in-4°. Cf P. E. F. X. De Ram, *Disquisitio historica de iis quae contra Lutherum Lovanienses Theologi egerunt anno MDXIX*, Bruxel. 1843, in *Nouveaux Mémoires de l' Académie*, t. XVI.

[1] Cochlaeus, *Comment. de actis et scriptis Lutheri*; Pallavicino, *Istor. del Concil. di Trento*, l. I; Au-

Eodem anno Henricus VIII rex Angliae, quum principes Germanos iam esset hortatus, ut Lutheri audaciam eiusque doctrinae propagationem reprimerent, contra eumdem edidit librum de septem Sacramentis, quae adversus Lutheri assertiones tam erudite defendit, ut a Leone Pp. titulo Defensoris Fidei ornatus fuerit [1].

Lutherus vero hoc et sequenti anno varios libellos edidit, in quibus confessionem secretam, missam privatam, vota monastica, continentiam, coelibatum clericorum, Ecclesiae praecepta et instituta, aliaque impugnavit. Ad propaganda eius placita, praesertim inter indoctum vulgus, valde contulit Germanica Bibliorum versio, quam inde ab an. 1522, quo N. Testamentum comparuit, typis vulgavit. Tunc enim quicumque Lutheranae factioni addicti erant, opifices etiam et mulieres, Biblia assidue legebant, palam cum Catholicis, sacerdotibus etiam et doctoribus, de rebus religiosis disputabant, et doctrinas Lutheri in Bibliorum versione, iisdem ab auctore plane accommodata, facile inveniebant.

Ad promovendam rem Lutheranam inter eruditiores maxime contulit opus dogmaticum, an. 1521 a Philippo Melanchthone editum. Is insigni ingenio praeditus, litterarum Graecarum in Universitate Wirtembergensi professor, Lutheri sectator et adiutor, compendium doctrinae lutheranae scripsit sub titulo, *Loci communes rerum theologicarum*; quod opus postea auctum quaquaversum propagatum et brevi tempore saepius typis editum fuit.

Pseudo-reformatoris asseclae secundum doctrinam ab eo praedicatam, primum Wirtembergae, deinde alibi agere coeperunt; postquam plebem concitassent, in ecclesias et monasteria irruerunt, in resistentes sibi saevierunt, imagines confregerunt, abrogata missa, coenam novo modo in lingua vulgari celebrarunt, et omnibus sine discrimine utramque speciem porrexerunt, sacerdotes, nominatim Carolostadius, uxores ducere coeperunt, quod an. 1525 quoque fecit ipse Lutherus, Catharinam Boraeam monialem sibi sacrilego coniugio copulans tresque ex ea liberos suscepit; monachi et moniales, Lutheri doctrina infatuati, monasteria deseruerunt et ad matrimonia convolarunt. En pseudo-reformationis primordia [2].

din, *Histoir. de la vie, des écrits et des doctrines de Luther*, t. I, c. 12 sqq.

[1] Raynald. ad an 1521.

[2] Cochlaeus et Audin, l. c.

5. *Leonis X obitus* (*an.* 1521) — Inopina morte anno 1521, calend. decembris, periit Leo X, quum paulo ante ingenti laetitia affectus esset Parma ac Placentia receptis. Confecit in Pontificatu *annos* ac *menses* 8, *diesque* 20.

6. *Hadrianus VI Pontifex* (*an.* 1522)— Leone Pp. X defuncto, v° idus ianuarii 1522 summo consensu in Pontificale fastigium provectus fuit Hadrianus VI, Batavus, « absens licet, subdit Spondanus, et in Hispania degens, Cardinalium plerisque ne de facie quidem notus [1] ». Is, Ultraiecti humili loco natus, studiorum curriculo in Universitate Lovaniensi confecto, Theologiae lauream et magisterium in ea consecutus est. Deinde eiusdem Universitatis cancellarius et Caroli Austriaci, postea imperatoris sub nomine Caroli V, praeceptor, a Ferdinando Hispaniae rege, apud quem legatione functus erat, episcopus Dertusensis, a Leone X cardinalis creatus fuit. Romam pervenit III° calend. septembr. maritimo itinere, coronatus die Dominica pridie calendas eiusdem mensis, haud magna populi frequentia, ob pestilentiam, quae urbem vexabat. Retento priori nomine Hadrianum se appellari voluit. Pontifex factus reformandae disciplinae et corrigendis abusibus, conterendae in Germania lutheranae haeresi, conciliandae inter principes christianos concordiae et repellendis Turcarum invasionibus animum applicuit. Sed in his omnibus multiplices obices expertus est. In conferendis ecclesiasticis dignitatibus cautus ac religiosus fuit, dicere solitus, ecclesias sacerdotibus, non sacerdotes ecclesiis ornare se velle. A ditandis consanguineis maxime extitit alienus. Ius elegendi ac nominandi episcopos, a decessore suo regibus Galliae collatum, ad Hispaniae reges extendit [2]. Lovanii magnificis sumptibus collegium exstruxit, quod etiamnum collegium Papae vocatur. Antoninum Antistitem Florentinorum, ac Bennonem Mismensium Episcopum in Sanctorum numerum retulit. Sigismundum Malatestam Arimino expulit. Ad propagandum inter novi orbis, Americae, incolas Evangelium, sacerdotes ex Ordine s. Francisci ad eos destinavit. Hadriani VI tempore (anno 1522) a Suleimanno capta est Rhodus insu-

[1] Ad an. 1522, § 2.

[2] Ioan. Mariana, *De rebus Hispaniae*, l. 26, c. 5. Hadrianus VI Carolo eiusque successoribus concessit ius praesentandi Episcopos Hispaniae, qui ante ad eorum supplicationem precario a Pontificibus Romanis instituebantur.

la, quam equites s. Ioannis Hierosolymitani una cum Christianis, anno 1291 a Palaestina eiecti, Turcis eripuerant anno 1310. Verum anno 1530 Carolus V, equitibus Hierosolymitanis, Rhodo a Suleimanno pulsis, Melitam insulam concessit, a qua equites *Melitenses* nunc appellantur. Obiit Hadrianus VI postridie idus septembris 1523, cum sedisset anno 1, mens. 8, ac diebus 6 [1].

7. *Clemens VII Pontifex* (*an.* 1523) — Post Hadriani mortem propter comitiorum dissidia Apostolica Sedes vacavit usque ad XIII[m] calend. decembris, qua die summo Cardinalium consensu electus fuit Iulius Mediceus, patruelis Leonis X, cardinalis presbyter et R. E. vicecancellarius, qui sub Clementis VII nomine Ecclesiam administravit usque ad annum 1534. Pontificis huius gesta suis locis referemus.

8. *Comitia Norimbergae* — Interea lutheranae novitates in Germania in dies magis propagabantur. Adrianus Pp. VI ad comitia, Carolo V agente in Hispania, an. 1522 Norimbergae celebrata, legavit Cheregatum episcopum Aprutinum: ei litteras dedit, quibus imperii Ordines monebat, ut Lutherum eiusque sectatores secundum edictum Wormatiense reprimerent; in alia, quam legatus ferebat, instructione spondebat, se ad reformandam Romanam Curiam, in quam graves abusus irrepsisse, maiori cum ingenuitate quam circumspectione fatebatur, ad concordata accurate servanda et in Germania beneficia non nisi dignis e natione Germanica conferenda esse paratum, rogabatque, ut ipsi Ordines medium reprimendi haeresim indicarent. Verum imperii Ordines inter quos non pauci novitatibus Lutheri favebant, Pontificis ingenuitate et promissione excitati responderunt: Wormatiensis edicti executioni obstare seditionem populi; rationem vero restituendi concordiam esse concilium liberum in aliqua Germaniae urbe intra annum convocandum; interea se curaturos, ne novae doctrinae propagarentur, sed purum Evangelium praedicaretur. Praeterea comitiorum nomine prodiit libellus centum gravaminum nationis Germanicae adversus Apostolicam Sedem. Ex eorum lectione compertum est, Lutheranis placitis deditos fuisse, qui illa conscripserunt. Haec Ordinum imperii agendi modus Adrianum Pp. magno dolore affecit, haereticorum sane audaciam auxit.

Anno 1524 Clemens Pp. VII ad comitia, rursum Norimbergae congregata, legavit cardinalem Campegium; qui docta et eleganti oratione principes Germanos ad urgendum decretum ibique Wormatiense, ad reprimendam haeresim et defendendam catholicam fidem hortatus est; plurium gravaminum, quae ad Apostolicam Sedem delata fuerant, iniustitiam ostendit; illam tamen correcturam promisit, quod prudentia emendandum suaserit. At comitia fere idem ac supra responderunt. Verumtamen principes catholici videntes, haereticos non tantum in Saxonia, sed etiam in regionibus vicinis numero augeri eodem anno convenerunt Ratisbonam. Aderant Ferdinandus archidux Austriae et frater imperatoris, duces Bavariae, archiepiscopi et episcopi Salisburgensis, Tridentinus, Bambergensis, Spirensis, Argentinensis, Constantiensis, Basileensis, Frisingensis. Ii communi consilio decreverunt, ut decretum Wormatiense observaretur, nihil in administratione Sacramentorum aut caeremoniis sacris innovaretur, in monachos apostatas et sacerdotes matrimonium contrahentes, secundum canonum rigorem animadverteretur. Verum principes quoque novae religioni dediti, pro eius defensione conventus habere coeperunt [1].

9. *Zwinglius Sacramentar.* — Eodem tempore Ulricus Zwinglius catholicam doctrinam oppugnabat, et religiosas novitates spargebat in Helvetia. Is an. 1484 in eadem terra natus, varios iam conceptus heterodoxos hauserat a Thoma Wittenbach, theologiae professore in Universitate Basileensi.

---

[1] Conditus est, ut ait Iovius (in Vita Hadriani VI, p. 149), in aede D. Petri cum hoc titulo: « Hadrianus VI hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret ». Ioannes Launoius vero (l. 4, ep. 7, t. 5, p. 1), eos, qui mediocrem fuisse Hadrianum asserunt, acriter reprehendit, et *veneratur* illum « prioris aevi Pontificem, qui lapsos Curialium mores erigere studuit, qui contra cupidos et avaros antistites patrimonia pauperum vindicare voluit, et consanguineos egenorum sumtibus locupletare noluit, qui sacros canones non sine urgenti et necessaria causa relaxare studuit, et Ecclesiam ad eorumdem canonum institutum regendam suscepit ».

Legesis P. Burmann. *Hadrian. VI*, Ultraiect. 1727, in-4°. — Extant Hadriani VI *Commentarius in LL. IV Sententiarum* (Paris. 1521 in fol.), et *Quaestiones Quodlibeticae* (1531 in-4°). In priori opere (*Q. de confirmatione* c. 9) dicit auctor, Papas plures in Fidei negotio errasse. Sed Hadrianus ea scripsit cum esset doctor Lovaniensis, et ex contextu colligitur, eum ibidem loqui de RR. Pontificibus tanquam doctoribus privatis. Opus illud quidem, loco eo non correcto, Romae editum fuit, sed inscio Pontifice, ut testatur editionis curator in Praefatione ad Ioannem Ruffinum. Cf Bellarminum, *De Romano Pontifice*, l. IV, c. 2; Melchior. Canum, l. VI, c. 1; Lud. Vinc. Gotti, t. I *Rer. Eccl.* c. 2.

[1] Cochlaeus, loc. cit.; Audin, *Op. cit.*, t. II, c. 5-6.

Anno 1516 eremi in civitate Suetiensi parochus, principium heterodoxum nil admittendi quod ex Scriptura sacra probari non possit, eique consentaneas opiniones admisit. Lutheri scripta avide suscepit, et etiam an. 1518 contra Bern. Samsonem ex Ordine s. Francisci, qui Indulgentias pontificias commendabat, declamavit. Eodem anno Tiguri ecclesiae collegiatae parochus constitutus et postea in ipsum Capitulum adscriptus, animos ad innovanda sacra ita excitavit, ut magistratus, multi e clero et laici plurimi catholicos ritus desererent. An.1532 ex auctoritate magistratus in publica disputatione 67 conclusiones seu theses defendit contra sacrificium Missae et praesentiam realem, contra legem coelibatus et votum castitatis, contra confessionem et satisfactionem sacramentalem, contra Purgatorium, contra potestatem Pontificis, episcoporum et aliorum clericorum aliaque. Quorum effectus fuit, ut magistratus Tigurinus Eucharistiae adorationem, expositionem, circumgestationem, et missae celebrationem interdixerit et proinde altaria, imagines atque reliquiae ex ecclesiis eiecta fuerint. Anno 1524 Zwinglius uxorem duxit. An. 1525 eius asseclae lutheranam Bibliorum versionem, hinc inde secundum sua placita mutatam, typis vulgarunt. Zwinglius vero commentarium de vera et falsa religione seu compendium religionis a se conflatae edidit. Multa dogmata cum Luthero habuit communia, in nonnullis tamen praesertim circa Eucharistiam, quam meram figuram Corporis et Sanguinis Christi eiusque mortis memoriale esse contendebat, ab illo dissensit.

Zwinglio Sacramentariorum antesignano se iunxerunt Carolostadius et OEcolampadius. Prior archidiaconus Wirtembergensis ab initio, ut vidimus, Luthero adhaesit, et ex apostatis sacerdotibus primus uxorem duxit. Paulo post propter suam cum Luthero de Eucharistia dissensionem, odiumque in Imagines ab eo Wirtemberga eiectus, transiit in Helvetiam, seque cum Zwinglio coniunxit. OEcolampadius, antea presbyter Ordinis s. Birgittae apud Augustam Vindelicorum, deinde monasterium et catholicam fidem deseruit, Zwinglium secutus est, uxorem duxit, haeresimque tum scripto tum sermone in Helvetia plurimum propagavit. Haeresim susceperunt Tigurini, quorum exemplum deinde secuti sunt Bernates, Basileenses, Schafhusiani, Sangallenses, Mulhusiani, multi Glaronenses et Abbatiscellenses. In catholica vero religione permanserunt Suetienses, Urienses, Sylvanienses, Tugienses, Lucernenses, Friburgenses et Solodurenses. Inde divisio et brevi post bellum inter catholicos et haereticos Helvetiae pagos [1].

10. *Anabaptistae*—Praeterea e Lutherana factione exorta est secta Anabaptistarum, qui secundum Lutheri doctrinam de explicanda a quovis Scriptura, de internis inspirationibus, de hominis per solam Fidem iustificationi et de libertate evangelica, asserebant, baptismum infantibus, utpote fidei incapacibus, non prodesse, proinde adultos esse rebaptizandos; omnes homines esse liberos et pares; bona esse communia; clericos, nobiles et magistratus esse extirpandos, novumque regnum instituendum. Sectae auctor fuit Nicolaus Storkius, antea Lutheri sectator; praecipuus vero promotor fuit Thomas Muncerus, e sacerdote catholico lutheranus, qui sicut ille, turbulentis concionibus et confictis inspirationibus divinis sectam propagare conatus est; contra Catholicos et Lutheranos declamavit, atque ingentem plebeiorum et facinorosorum multitudinem excitavit ad capessenda arma contra dominos ecclesiasticos ac civiles. Verum lantgravius Hassiae aliique principes collectis copiis seditiosos adorti, eos partim occiderunt, partim dissiparunt, ipso Muncero an. 1525 capto et decollato [2]. Post annos paucos haeretici resumptis viribus rursum, praesertim in Westphalia, exitiale bellum instaurarunt, ut videbimus.

11. *Bellum rusticorum* — Quod Adrianus Pp. et alii catholici praedixerant, novatorum nempe contra praepositos ecclesiasticos rebellionem ad civiles progressuram, et Ecclesia eversa, civitatem esse evertendam, modo inchoari visum fuit in bello rusticorum. Quum Lutherus libertatem a statutis humanis, a tyrannide, ut dicebat, Pontificis et universi cleri praedicaret; magna cum vehementia in omnes sibi adversantes inveheretur, Pontificem, clerum et principes conviciis proscinderet, rebellionem in opprimentes populo licere doceret; rustici in Germania dictis et factis novatoris excitati, arma contra dominos suos sive clericos, sive laicos converterunt. Cum seditiosis rusticis se mox coniunxerunt fanatici Anabaptistae, nominatim Muncerus, qui illos

---

[1] Audin, loc. cit. c. 23; Bossuet, *Histoire des variations des èglises protestantes*, l. II-III.

[2] Meshovius, *Historia Anabaptistarum*, l. I; F. Catrou, *Histoire du fanatisme dans la religion protestante*.

ad extirpandos clericos, nobiles, et magistratus incitarunt. Hoc rusticorum bellum an. 1524 primum in Suevia exarsit, et brevi tempore per alias Germaniae terras praecipue ad Rhenum et Moenum propagatum fuit, idque eo furore, ut ultra 300 monasteria arcesque nobilium destructa ferantur. Principibus arma coniungentibus, seditiosi partim occisi partim dispersi sunt [1].

12. *Lutherani in Saxonia* — Interim lutherana secta in Saxonia aliisque regionibus maiores progressiones fecit. Fridericus elector Saxonicus, quamvis Lutheri coeptis favisset, tamen catholicam religionem in terris suis non abrogavit. Is obiit an. 1525. Eius frater et successor Ioannes, abiecta doctrina catholica, lutheranam publice professus est, et consilio Lutheri, qui anno praecedente conculcatis monasticis votis et abitu abiecto, eodem anno uxorem duxit, in omni territorio suo monasteria adhuc residua, aliasque catholicae religionis reliquias tolli iussit; in locum missae catholicae novum divini cultus ordinem, a Luthero compositum, praescripsit; ecclesiarum visitatores instituit catholicos, praedicatores ex omnibus ecclesiis eiecit; instructiones dogmaticas et disciplinas, a Melanchthone conscriptas, binumque Lutheri catechismum, maiorem ad instructionem pastorum et cultiorum in populo et minorem ad usum rudium et parvulorum, omnibus imperavit, abrogata avita et catholica regiminis ecclesiastici forma. Ita res ecclesiastica secundum mentem Lutheri in terris electoris Saxonici ordinata est, eademque norma in aliis terris, ubi Lutheranismus obtinuit, suscepta fuit.

Borussia—Ex his fuit Borussia seu Prussia orientalis. Borussia obediebat Ordini equitum Teutonicorum; horum supremus magister erat Albertus, e familia marchionum Brandeburgicorum in Franconia oriundus. Is an. 1522 sermonibus Andreae Osiandri ipsius Lutheri consilio excitatus, ut religione catholica et ordine desertis, novam religionem assumeret, nuptias iniret et Borussiam tanquam ducatum saecularem sibi vindicaret, pravis consiliis cessit. An. 1523 concionatores lutheranos in Borussiam vocavit, Dorotheam Holsatiensem uxorem duxit, inito an. 1525 cum Sigismundo rege Poloniae foedere, se ducem Borussiae constituit, multos equites in partes suas adduxit, alios ducatu exire iussit, abrogata liturgia catholica ubique lutheranam praescripsit. Ex quo tempore Lutheranismus in Borussia firmatus est.

Suecia—In Suecia primo religionem novam intulerunt duo fratres Sueci, Olaus et Laurentius Petri; qui in Universitate Wirtembergensi Lutheri placita magno studio didicerant, et an. 1519 in patriam reversi, summo ardore propagarunt. Gustavus Wasa an. 1523 rex Sueciae electus, lutheranis novitatibus iam imbutus, bonisque ecclesiarum, monasteriorum et cleri, quae ei novatores adiudicabant, occupandis inhians, propagando in terris suis Lutheranismo impense favit, scripta Lutheranorum edenda curavit, apostatas praesertim clericos et monachos favoribus auxit, resistentes sibi variis modis vexavit. An. 1527 regni Ordinibus in partes suas pertractis, supremam in rebus ecclesiasticis potestatem, sicut possessiones et proventus ecclesiarum ac monasteriorum sibi vindicavit. Ex hoc tempore lutheranae religionis professio in Suecia lege publica firmata est, monasteria abolita, coelibatus ritusque catholici abrogati, nova liturgia in lingua vernacula introducta, et demum an. 1544 in comitiis Westeresiensibus cuiusque catholicae religionis vestigii decreta extinctio.

Dania—In Dania quoque nova religio potissimum ope regum propagata fuit. Christianus seu Christiernus rex II ei aperte patrocinabatur, eiusque doctores e Germania advocavit. Hi una cum aliquot indigenis, qui in Universitate Wirtembergensi Lutheri doctrinas susceperant, eas Danorum animis instillare conati sunt. An. 1523 Christiano propter saevitiam suam eiecto, rex Daniae electus fuit Fridericus I dux Holsatiae. Hic pariter novae religioni addictus erat. Quapropter pseudo-doctores illam magis magisque propagarunt; episcopi incassum renitentibus. An. 1527 rex habitis Ottiniae comitiis inter alia decernendum curavit, ut Lutheranis plena religionis libertas, idemque praesidium et ius competeret ac Catholicis; clericis et monachis matrimonia inire liceret; episcopi a canonicis electi, a solo rege, non vero a R. Pontifice confimarentur; bona ecclesiis ac monasteriis lege publica adimerentur. Quibus decretis quam profecerit nova religio, sat colligitur. Hinc Lutherani facti audaciores, contra Catholicos insurgere, ecclesias diripere, sacras imagines destruere, monachos e coenobiis pellere, omnisque generis violentiis novum evangelium ubique firmare coeperunt. Sub Christiano III, qui patri suo Friderico

[1] Audin, loc. cit. c. 9.

in regno Daniae an. 1533 successit, omnes episcopi, parochi et monachi, novum evangelium suscipere nolentes, depositi et eiecti sunt, bonis eorum in regis commodum occupatis. Anno 1539 nova regiminis ecclesiastici norma secundum lutherana instituta composita, in comitiis Ottiniensibus publice praescripta fuit, religio vero catholica abolita.

Norwegia — Annis 1536-37 Norwegiae pars meridionalis cum Christiani III dominio novam religionem admisit. In parte septentrionali Olaus, archiepiscopus Dronthemiensis, novatorum studiis aliquandiu restiterat, sed an. 1537, missis illuc a Christiano rege copiis, e Norwegia fugit. Tunc etiam huic Norwegiae parti novi evangelii professio praescripta fuit.

Germania — In Germania an. 1525 Philippus lantgravius Hassiae, princeps ambitiosus et augendarum opum cupidus, deserta catholica religione, lutheranam publice professus est, totisque viribus hanc defendendam suscepit, et ad eumdem finem foedera cum aliis principibus componere studuit. Eiusmodi foedus tunc an. 1526 iniit cum Ioanne electore Saxoniae, cui paulo post 4 duces Brunsvicenses, dux Megalopolitanus, princeps Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, et civitas Magdeburgensis accesserunt. Hoc foedus evangelicum postea auctum videbimus. Interea Philippus Hassiae omnibus suis subditis novam religionem violenter obtrusit, bona ecclesiastica, ut passim inter novatores factum est, sibi vindicavit, copiasque contra catholicos collegit. An. 1539 dignum pseudoreformatione spectaculum praebuit, dum e Lutheri, Melanchthonis et aliorum novi evangelii doctorum auctoritate uxorem duxit, adhuc vivente Christina Saxonica legitima coniuge. Anno 1526 in comitiis Spirensibus Ordines acatholici, cum temporum adiuncta eorum audaciam augerent, libertatem religiosam postularunt, et id saltem impetrarunt, ut sibi circa Religionem, usque ad concilium generale, observare liceret ea, quorum rationem coram Deo et imperatore redderent[1].

An. 1529 Carolus V, tum propter dissidia religiosa, tum propter incursionem Turcarum in Pannoniam, imperii Ordines Spiram convenire iussit. Catholici principes decreverunt, ut Wormatiense decretum in locis, in quibus receptum fuerat, observaretur et religio vetus sola exerceretur; ubi vero religio nova obtinebat, eiusque exercitium sine publica rerum perturbatione prohiberi non poterat, res ita persisteret usque ad futurum concilium generale; Missa ubique libere celebraretur; Evangelium exponeretur secundum patrum Ecclesiae doctrinam; Sacramentarii et Anabaptistae nusquam tolerarentur.

Verum contra hoc decretum protestati sunt et ad imperatorem et futurum concilium generale provocarunt Ioannes elector Saxoniae, Philippus lantgravius Hassiae, Ernestus dux Luneburgensis, Georgius marchio Brandeburgicus, Wolfgangus princeps Anhaltinus et 14 civitates imperiales, inter quas maiores erant Argentina, Ulma, Constantia, et Norimberga. Ab hac protestatione illi nomen Protestantium acceperunt, quo postea omnes Lutherani, deinde etiam Zwingliani et alii appellari consueverunt.

13. *Causae propagationis Lutheranismi* — Mirum non est, novam religionem brevi tempore fuisse tantopere propagatam; ad id quippe plurimum contulerunt temporum circumstantiae, quas supra in prooemio indicavimus; praesertim collapsa in multis provinciis cleri populique disciplina, novae religionis natura, quae cupiditatibus humanis adulabatur, et libertatem ab iis, quae in religione catholica homini videntur duriora, spondebat; propagationis modi, nimirum convicia et violentiae principum, ecclesiasticis bonis occupandis inhiantium, favor, protectio, arma. Eaedem causae postea promoverunt calvinianae religionis progressiones, ut dicemus. Etiam propagationi novitatum religiosarum in Germania non parum faverunt Caroli imperatoris V a Germania absentia, eiusque cum Francisco I rege Galliae bellum et cum ipso Pp. Clemente VII dissidia.

14. *Caroli V et Francisci I bellum* — Etenim post mortem Maximiliani an. 1519 imperium concupiverunt Carolus V, rex Hispaniae atque Neapolis et Franciscus I, rex Galliae. Prior, IV° calendas iulii 1519, Francofurti electus fuit, et III° idus octobr. anno sequenti Aquisgrani coronatus. Inde anno 1521 bellum inter Carolum V et Franciscum I ortum est et annis pluribus in Hispania, Gallia et Italia continuatum. Anno 1525 Franciscus I in pugna apud Ticinum captus et Madritum in Hispania abductus, anno sequenti conditionibus, Carolo admodum proficuis, libertatem recepit. Clemens

[1] Raynald. *Annal. eccl.*; Bozius, *Hist. eccl. Suecorum*; Audin, *Hist. de la vie etc. de Luther*, t. II, cc. 11-14, 30.

Pp. VII ex imperatoris victoriis et progressionibus Italiae libertati metuens, Franciscum I ab observatione pacis, cum Carolo initae, tanquam iniustae et vi extortae, absolvit, et cum eodem atque Henrico VIII rege Angliae, Francisco Sfortia duce Mediolanensi et Venetis foedus adversus Carolum pepigit. Quum id audivisset Carolus Borbonius, Caesarearum copiarum in Italia dux, illas adversus Pontificem an. 1527 Romam perduxit, eamque, spreta induciarum fide, obsedit; dumque impetum faciens cum exercitu primus conscendit muros, occisus est. Philibertus princeps Arausicanus, in eius locum copiarum imperio suscepto, Urbem cepit, eam militibus magna ex parte lutheranis diripienda reliquit[1], et Pontificem in arce s. Angeli obsessum, ad deditionem durissimis conditionibus compulit. Post septem menses Clemens sibi metuens ab astu Hispanorum, mentita veste, simulatoque mercatoris habitu, arce egressus confugit Urbevetum. Carolus V ubi ea in Hispania accepit, direptionem Romae et Pontificis captivitatem doluit, vestes lugubres induit, preces publicas postulavit, pacemque cum Pontifice tractare coepit. Pax inter utrumque an. 1529 Bononiae composita est, et die Festo s. Matthiae anno 1530 Clemens VII Carolum V solemni ritu imperatorem coronavit. Eodem anno Cameraci concordia redintegrata fuit inter Carolum et Franciscum I[2].

15. *Colloquium Marpurgi* — Imperator commemoratam protestationem et appellationem cum indignatione minisque reiecit. Quapropter lantgravius Hassiae et alii ad commune foedus inter Lutheranos et Sacramentarios contra imperatorem sanciendum eodem an. 1529 Marpurgi inter primarios utriusque partis theologos colloquium indixerunt. Adfuerunt e parte Sacramentariorum Zwinglius, OEcolampadius, Bucerus et Hedio; ex altera parte Lutherus, Melanchthon, Iustus Ionas, Osiander, Brentius et Agricola. Ad conciliandam concordiam utraque pars doctrinam suam emolliit; sed ubi ad quaestionem de Eucharistia seu s. Coena ventum est, omnis concordiae spes corruit, neque tum, neque postea unitas inter eos coalescere potuit. Hoc dissidium solum ostendit, quantum veri sit in eo, quod illi tantopere efferunt de perspicuitate s. Scripturae; idcirco evincitur, eam non esse solam credendorum regulam, neque ad dirimendas Fidei controversias sufficere absque legitimo iudice a Iesu Christo instituto[1].

16. *Comitia et confessio Augustana* (*an.* 1530) — Carolus V concordia cum Pontifice et cum Francorum rege composita, iter in Germaniam suscepit. An. 1530 imperii comitia, coram se Augustae Vindelicorum celebranda, indixit propter imminens a Turcis periculum et propter dissidia in Religionis negotio. Principes lutherani a theologis suis fidei articulos, seu confessiones, quos in comitiis professuri essent, conficiendos curarunt. Ex his confessionibus Melanchthon confecit librum, qui *Confessio Augustana* dictus est, et postea inter libros Lutheranorum, dictos symbolicos, susceptus. Complectebatur is 28 articulos, quorum 21 prioribus doctrinae lutheranae a catholicis diversae, exponebantur, in 7 posterioribus de abusibus religiosis agebatur. Quum haec Confessio in comitiis lecta fuisset, theologi catholici, ibidem praesentes, illius confutationem scripserunt, qua ad singulos articulos eodem ordine responderunt. Melanchthon vero apologiam Confessionis Augustanae scripsit, quae postea et ipsa libris symbolicis addita fuit. Imperator novatorum confessionem acceptare noluit; consensit tamen, ut selecti ex utraque parte theologi et iurisconsulti de unione religiosa tractarent. Variae, sed frustra, unionis viae propositae fuerunt. Demum Carolus V, iam a nonnullis catholicis nimiae moderationis erga contumaces haereticos accusatus, edictum promulgavit, ut avita et catholica religio sola in tota imperii latitudine exerceretur, quae fuerant circa eam innovata, in priscum ordinem restituerentur, et eorum quae corrigenda erant, reformatio differretur usque ad generale concilium, quod intra annum a R. Pontifice convocaretur.

17. *Foedus Schmalcaldense* — Hoc decretum Ordines lutheranos ad pangendum inter se foedus excitavit. An. 1531 elector Saxonicus, dux Luneburgensis, Philippus

---

[1] Roma sexies direpta est. Primum ab Alarico Gothorum rege an. 409, seu 410, Innocentio I Pontifice. Deinde a Genserico rege Wandalorum an. 455, Leone Magno regnante. Postea an. 546 a Totila rege Ostrogotorum, Ecclesiam administrante Vigilio. Rursus ab Aistulpho rege Longobardorum an. 755, in Pontificatu Stephani II. Praeterea a Saracenis Africae an. 846, Pontificatum gerente Sergio II Demum ab exercitu Caroli V an. 1527, sub Clemente VII, quae direptio fuit omnium saevissima. Vid. Bellarm. *De Rom. Pont.* l. 4, c. 4.

[2] Raynald. et Spondan. ad an. 1527-30; Pallavicino, *Istor. del Concil. di Trento.* l, II, c. 13-14; Ferreras, *Histoire générale de l' Espagne.*

[1] Raynald. ad an. 1529; Audin, *loc. cit.* c. 23; Cf Bossuet, *Hist. cit.* t. I; Moehler, *Symbolique*, c. 4.

Hassus, Wolfgangus Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, pluresque civitates Schmalcaldam convenerunt, et pro religionis suae defensione foedus inierunt in 6 annos, his elapsis in 10 alios prorogatum. Eidem foederi progressu temporis plures alii Ordines seu *Status* accesserunt.

Carolus V pro temporis circumstantiis, maxime quod ingentes Turcarum copiae Hungariae vicinisque terris Austriacis imminerent, tantisper cedendum ratus, an. 1532 Norimbergae cum Ordinibus lutheranis pacem composuit ea lege, ut edicta Wormatiense et Augustanum suspenderentur, et nova religio toleraretur, donec in proximo generali concilio vel in comitiis causa religiosa definiretur; illi autem mox imperatori auxilia contra Turcas ferrent [1]. Hac habita concessione, quae ab urbe, ubi facta est, pax religiosa Norimbergensis dicta fuit, Lutheranae factiones creverunt, attamen unionem religiosam minime curarunt.

18. *Anabaptistarum turbae* — Anabaptistarum vero secta, quamvis principum armis et legibus repressa et dispersa, ut supra vidimus [2], in variis regionibus, praesertim in Germania, Hollandia et Belgio permansit. An. 1534 Monasterii in Westphalia in quam paulo ante Lutherana doctrina illata fuerat duo anabaptistae Batavi, Ioannes Bockel sartor Lugduni Batavorum, et Ioannes Mathiesen pistor Harlemensis, fanaticis suis sermonibus tot asseclas nacti sunt, et tantam, etiam e locis vicinis, turbulentorum hominum multitudinem sibi conciliarunt, ut omnes eis non assentientes urbe fuerint eiecti, ecclesiae depraedatae, novumque regnum, quod divinum appellabant, in urbe institutum. Sed an. 1536 episcopus princeps Monasteriensis urbem recepit, seditionis auctores suppliciis affecit, totam turbam vesanam dissipavit.

Nihilominus secta exstincta non est. Eam instauravit Menno Frisius, a quo haeretici Mennonitae appellari consueverunt. Is an. 1536 a Fide et ordine presbyteratus apostata, et anno sequente ab Anabaptistis summus eorum director electus, inter pericula multa per Belgium, Hollandiam atque Germaniam sectarios instaurare, ab opinionibus fanaticis atque seditiosis avocare et ad meliorem normam reducere studuit [3].

[1] Cochlaeus, *Comment. de actis Lutheri*; Pallavicino, loc. cit. l. III; Chytraeus, *Hist. Confess. August.*; Audin, *loc. cit.* c. 24. — [2] P. 150.

[3] Meshovius, *Hist. Anabaptist.* l. VI-VII; H. Ott., *Annales Anabaptist.*

19. *Schisma Anglicanorum* — Hoc ipso tempore Henricus VIII rex Angliae, antea propter defensionem septem Sacramentorum contra Lutherum a Leone Pp. X titulo Defensoris Fidei honoratus [1], ecclesias regni sui a R. Pontificis obedientia et totius Ecclesiae communione divellit. Schismati causam dedit regis voluptas. Henricus e dispensatione Iulii Pp. II an. 1509 uxorem duxerat Catharinam Aragoniam, Arthuri fratris sui viduam; ea hactenus 18 prope annis ut coniuge pacifice usus fuerat pluresque liberos, e quibus Maria sola supererat, ex ea genuerat; at indomito in Annam Bolenam amore excitatus, an. 1527 matrimonium suum cum Catharina illegitimum contendit, et qua tale a R. Pontifice declarandum postulavit. Clemens Pp. VII rem discutiendam commisit theologis, qui responderunt, impedimentum, quod rex obiiciebat, e dispensatione Iulii II fuisse sublatum, et proinde illius cum Catharina matrimonium esse legitimum. Verumtamen Pontifex ne ex una parte Henricum regem, et ex altera Carolum V, qui pro Catharina, sua matertera, contra dissolutionem eius matrimonii graviter reclamarat, offenderet, sententiam distulit, ut Henricus rex interea ad saniorem mentem se converteret. Rex vero a variis academiis pecuniarum largitione impetrare tentavit responsa talia ac si naturali atque divino iure esset prohibitum, ne quis viduam fratris sui in uxorem duceret. Henricum prorsus ad perficienda prava consilia stimularunt praesertim Thomas Wolsaeus, Thomas Cromwell et Thomas Crammer. Wolsaeus ex infima classe ingenio suo et industria eo pervenerat, ut cardinalis archiepiscopus Eboracensis et regni administer esset creatus, sed post paucos annos pravi sui consilii fructum tulit, an. 1530 extinctus est. Cromwell, homo vafer et clam lutheranus, Annae Bolenae favore primas regni dignitates consecutus est. Crammer, theologus Cantabrigiensis, sed clam lutherana haeresi infectus et matrimonio iunctus, simulatione et perfidia nulli secundus, an. 1530 matrimonium regis cum Catharina nullum esse scripto propugnavit. Henricus VIII, morae impatiens, an. 1533 Catharinam relegavit, et occultum matrimonium cum Anna Bolena contraxit. Paulo post Thomas Crammer, ad archiepiscopatum Cantuariensem evectus, regis matrimonium cum Catharina nullum, illudque quod ante 5 menses clam inierat cum Anna

[1] Vide p. 148.

validum pronuntiavit. Re Romam perlata, Clemens VII sententiam Crammeri nullam declaravit, regemque sub poena excommunicationis Catharinam recipere et Annam dimittere iussit.

Ast vesanus rex neutrum praestitit: imo omnem cum R. Pontifice communionem abrupit, regnumque in tetrum schisma coniecit. Matrimonium suum cum Anna Bolena tanquam legitimum et Elisabetham ex ea genitam ceu veram regni haeredem ab omnibus haberi voluit; Mariam vero, e Catharina procreatam, veluti spuriam ad matrem relegavit; omnem R. Pontificis iurisdictionem in Anglos et Hibernos abrogavit, eius nomen ubique deleri iussit, cunctamque cum eo communionem severe interdixit. His violentiis et schismaticis regis decretis senatus et maxima ex parte clerus ac populus, aut blanditiis aut metu aut aliis artibus victi cesserunt; Henricum VIII supremum Ecclesiae Anglicanae caput dixerunt; eique et successoribus ius haereses et abusus ecclesiasticos cognoscendi et tollendi, *annatas* et decimas ecclesiasticas percipiendi, novos episcopatus erigendi et alia ad ecclesiasticum regimem spectantia peragendi adiudicarunt. Henricus summum Anglicanae ecclesiae caput constitutus, an. 1535 Thomam Cromwel, virum laicum, suum vicarium generalem in rebus ecclesiasticis constituit. Huius viri et senatus consilio rex monasteria, primo minora deinde caetera, numero 640, praeterea 110 hospitalia et 2344 sacella sustulit, eorumque bona partim fisco, partim aulicis, vel sibi deditis adiudicavit, partim exiguo pretio vendidit.

Quotquot iniquis et schismaticis Henrici decretis assentiri, eique ceu Ecclesiae capiti iusiurandum praestare recusabant, poena capitis damnabantur. Eorum, qui in hac persecutione suppliciis affecti fuerunt, praecipui sunt Ioannes Fisher episcopus Roffensis, et Thomas Morus regni cancellarius, viri eruditione ac morum integritate conspicui. Tantus fuit regis furor, ut ipsum s. Thomam, saec. XII archiepiscopum Cantuariensem, ab Anglis devotissime cultum ceu perduellionis reum in ius vocarit, e Ssrum albo eiecerit, eiusque ossa concremari et cineres dispergi iusserit.

Paulus Pp. III, Clementis VII successor, an. 1538 sententiam, quam iam ante 3 annos Henrico VIII minatus fuerat, sollemniter promulgavit: regem tanquam haereticum, moechum, innocentium interfectorem et pontificiae maiestatis reum, excommunicatum, regnum sacris interdictum et subditos a fidei officio solutos declaravit. Rex vero magis in catholicos saeviit. Nonnunquam etiam animadvertit in Lutheranos, qui favente Crammero in occulto serpebant, et contra eorum doctrinam an. 1539 sub poena capitis omnibus credendos definivit hos 6 articulos: in SS. Eucharistia panem et vinum substantialiter converti in Corpus et Sanguinem Christi; communionem sub una specie ad salutem sufficere; coelibatum clericorum retinendum; votum castitatis observandum; missae sacrificium pro vivis et defunctis offerendum; confessionem peccatorum coram sacerdote faciendam. Unde si schisma, et ea quae supra retulimus, excipias, exterior religionis forma sub Henrico VII, qui usquedum vixit, in Anglia vix immutata fuit [1].

Alia praeterea spectacula, schismaticae Ecclesiae capite digna, praebuit Henricus: an. 1536, paucis post Catharinae Aragoniae obitum diebus, Anna Bolena propter adulteria et incestum damnata et securi percussa, rex uxorem duxit Ioannam Seymouram, quam, Anna adhuc vivente, deperibat. Ioanna in partu, quo natus est Eduardus, defuncta, Henricus quartas nuptias iniit cum Anna Cliviensi; hanc autem post 6 menses repudiavit, et Thomam Cromwell, earum nuptiarum conciliatorem, ceu haereseos et aliorum criminum reum capite truncari iussit. Tunc rex quintum coniugium contraxit cum Catharina Howard. Haec cum an. 1542 propter infamia commercia fuisset capite plexa, Henricus sextas nuptias celebravit cum Catharina Parra, quae cum lutheranae doctrinae esset addicta, parum abfuit quin eadem ac praecedentes sorte uteretur: regnavit Henricus usque ad annum 1547.

20. *Paulus III Pontifex* (*an.* 1534) — Interea Clemens Pp. VII, VI° calendas octobris 1534, obiit. Prima die comitiorum, III° idus eiusdem mensis, concordibus suffragiis, Alexander Farnesius, Romanus, cardinalis episcopus Ostiensis, annum agens 67 cooptatus est, quem eximia atque inveterata virtus, et praecellentes litterae magnopere commendabant, adeo ut Clemens eum sibi successorem testamento scripturum affirmaret, si Pontificatus hereditate pararetur [2]. Paulum III se dici voluit, et III° nonas novembris coronatus est. Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1549.

---

[1] Sander. *De origine et progressu schismatis Anglicani.*

[2] Iovius lib. 32 *Historiae* sui temporis, p. 495.

Is, ut diximus, sententiam in Henricum VIII regem Angliae tulit. Praecipuas curas adhibuit in concilianda pace inter principes christianos, praesertim inter Carolum V imperatorem et Franciscum I regem Galliae in extirpanda haeresi et instauranda disciplina. Concilium generale indixit et post multa obstacula demum Tridenti inchoavit, ut videbimus. Constitutione *Licet ab initio* s. Inquisitionis Congregationem e 6 cardinalibus an. 1542 primus instituit, ad quam de Fidei negotiis ex omni orbe catholico referretur [1]. Ecclesiasticae disciplinae sanciendae Coetum instituit quatuor gravissimorum et doctissimorum Cardinalium qui offerrent capitulatim collecta libello ea quae praecipue emendatione digna viderentur [2]. Consuevit etiam super mensam praestantes philosophos atque theologos inducere et ipsemet ponere de quo disputarent; quibus rebus et agendi mores et veritatis indagandae ardentissimum studium significavit. Cum annos 15 et dies 28 regnasset, IV° idus novembris 1549 senio curisque confectus decessit. Alia huius Pontificis gesta suis locis narrabimus.

21. *Societates Clericorum Regularium* — Eodem sane tempore, quo haeretici specie reformationis Fidem corrumpebant, sanctissima Ecclesiae instituta abrogabant, et populos ad noxiam libertatem atque licentiam conducebant; alii religionis et salutis animarum studiosi, pias instituerunt clericorum societates, qui non tantum propriae perfectioni, sed etiam aliorum morali emendationi et saluti operam navarent. Prima ex his Clericorum societatibus originem suam debuit s. Caietano Thienaeo, nobili Vicentino et erudito presbytero; qui postquam cum I. P. Carafa, episcopo Theatino, postea Romano Pontifice sub Pauli IV nomine, de instauranda in clero pietate et emendandis moribus contulisset, hic dimisso episcopatu, cum 2 aliis viris se Caietano adiunxit ad erigendam Clericorum societatem, cuius finis esset, sub trium votorum monasticorum et strictissimae paupertatis nuncupatione, saluti animarum et provectioni pietatis christianae adlaborare, praesertim divini verbi praedicatione, Sacramentorum administratione, infirmorum consolatione, haeresum impugnatione. An. 1524 Clemens Pp. VII hanc societatem cuius initia praefati viri Romae constituerunt sub Clericorum regularium nomine approbavit. Primus societatis rector fuit Carafa, antea episcopus Theatinus, unde Theatinorum nomen societati adhaesit [1].

Similem societatem an. 1530 Mediolani instituerunt 3 sacerdotes saeculares, Iacobus Antonius Morigia, Bartholomaeus Ferrari et Antonius Maria Zaccaria. Eius etiam scopus fuit, ut socii, votis monasticis et vitae pauperi humilique adstricti, curae animarum, divino verbo praedicando, confessionibus excipiendis, iuventuti instituendae, seminariis regendis operam darent. Hanc Societatem Clemens VII an. 1532 approbavit. Eius alumni nominati sunt Clerici regulares s. Pauli, scilicet apostoli, quem sibi patronum et exemplar elegerunt, postea vulgo dicti sunt Barnabitae ab ecclesia s. Barnabae, quae eis Mediolani tradita fuit [2].

Hae Societates non tantum intra, sed etiam extra Italiam propagatae sunt. Similis illis fuit congregatio, quam fundavit s. Hieronymus Æmilianus, qui senatorio Venetorum genere ortus, primo militiam secutus, deinde se totum instituendis ad pietatem et litteras orphanis, erudiendis in religione pauperibus, et reducendis ad poenitentiam peccatoribus mancipavit. Postea in eumdem finem, adlectis sibi pluribus piis

---

[1] *Bullar. Roman.* t. IV, part. I. Iam vidimus (p. 61) officium Inquisitionis ab initio Ecclesiae exercitum fuisse. Paulus Pp. III primus instituit hanc Congregationem. Pontifices successores ad meliorem conditionem reduxerunt et eam confirmarunt. Sic Paulus Pp. IV, eamdem constabilivit, instituitque, ut eius Tribunalis caussae, quae delectorum Cardinalium auctoritate terminari solebant, coram Romano Pontifice die semel in hebdomada statuto cognoscerentur; atque statuit officium supremi Inquisitoris non deficere, Pontifice mortuo. Pius Pp. IV, Const. LXXIV *Pastoralis Officii* eam confirmavit, et motuproprio *Cum Nos* statuit validum esse quod a maiori parte Cardinalium huius Congregationis esset statutum. S. Pius Pp. V, Const. *Sanctissimus, Inter multiplices*, et *Cum Felicis* alias regulas et dispositiones emanavit. Sixtus Pp. V, Const. *Immensa*, confirmavit et corroboravit « Congregationem S. Inquisitionis, cui ob summam rei gravitatem, Pontifex praesidere solet, illius omnia instituta, omnesque et singulas facultates a RR. PP. Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem et potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi in omnibus causis, tam haeresim manifestam, quam schismata, apostasiam a Fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus, et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sapere viderentur, concernentibus non solum in Urbe, et Statu temporali S. Sedis, sed etiam in universo terrarum Orbe, ubi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et alios inferiores ac Inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint ». Confirmavit et eam ordinavit demum Benedictus XIV Bullis, *Sollicita* et *ad Supremum*.

[2] Vid. Natal. Alex. in *Hist. Eccl.* saec. XV et XVI, c. 1, a. 16.

[1] Helyot, *Histoire des Ordr. relig.* t. VII, p. 7.

[2] Ibid. t. IV, p. 110.

laicis et sacerdotibus, Societatem instituit Somaschae in agro Bergomensi, unde socii Somaschensium nomen acceperunt. Hanc Societatem an. 1540 approbavit Paulus III; et s. Pius V, praescripta ei regula s. Augustini, sub nomine Clericorum regularium S. Maioli, cui eorum ecclesia Ticini erat consecrata, an. 1568 inter Ordines religiosos retulit [1].

22. *Societas Iesu* — Praedictas clericorum Societates tum propagatione tum rerum effectarum magnitudine longe superavit Societas illa, quae a nomine Iesu appellata est. Eius auctor fuit s. Ignatius de Loyola, nobilis Hispanus. Is primum militiam secutus, quum e vulnere, an. 1521 in defendenda contra Gallos Pampelona accepto, decumberet, piorum librorum lectione ad Iesu Christi Sarumque vestigia sectanda excitatus fuit. Mox novae vitae rationem iniit, primo in Monte Serrato, deinde in Manresa se poenitentiae, pietatis et caritatis exercitiis devovit. Posthaec piam peregrinationem instituit in Terram sanctam. An. 1524 in Hispaniam redux, studia a grammatica latina Barcinone exorsus, eadem in Complutensi et Salmanticensi Universitatibus prosecutus est. Cum litterarum studiis opera pietatis et caritatis, praesertim instruendo plebeios et serviendo infirmis in xenodochiis, iungebat, ideo non semel vexationes expertus. An. 1528 profectus est Parisios, philosophiae et theologiae studia confecturus. An. 1534 cum 6 aliis studiorum sociis quos ad eadem secum consilia adlexerat, prima Societatis fundamenta posuit et in ecclesia Montis Martyrum prope Parisios vota de colenda paupertate et procuranda proximi salute emisit. Socii eius erant Petrus Le Fevre, Sabaudus, Franciscus Xaverius, nobilis Navarrensis, Iacobus Laynez, Alphonsus Salmeron, Nicolaus Bobadilla, tres Hispani, et Simon Rodriguez, nobilis Lusitanus. Post 3 annos, cum numerus eorum auctus esset, Ignatius cum P. Le Fevre et I. Laynez Romam profectus, sua suorumque opera Pontificis arbitrio obtulerunt. Paulus Pp. III duobus posterioribus munus docendi in Universitate Romana demandavit; Ignatium vero caeterosque socios, qui post eum Romam venerunt, divini verbi praedicationi et animarum curae gerendae destinavit. Ut vero Societas inter probatos ab Ecclesia Ordines reciperetur, eius constitutiones Pontificis iudicio subiecerant: quas cum Paulus III ad maiorem Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, Fidei propagationem, haeresum expugnationem, pietatis instaurationem et christianae iuventutis institutionem procurandam idoneas reperisset, an. 1540 eorum Congregationem sub nomine Societatis Iesu singulari Bulla approbavit [1], et sub Apostolicae Sedis praesidium constituit. Item, Pontifex librum Exercitiorum spiritualium a s. Ignatio compositum auctoritate Apostolica communivit. Primus generalis Societatis praepositus fuit s. Ignatius, qui eam ante obitum suum (1556) per Italiam, Lusitaniam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, Brasiliam, Indiam et Abyssiniam, vidit diffusam. Post s. Ignatium Societas non modo in iisdem terris continua incrementa cepit, sed etiam in Galliam aliasque Europae, Asiae et Americae regiones illata est. Societas ab initio et deinceps claruit viris pietate et eruditione conspicuis, quorum alii de Fidei defensione et propagatione, alii de errorum et haeresum expugnatione, alii de christianae iuventutis institutione, alii de litterarum et scientiarum cultura, alii de pietatis et morum instauratione optime meruerunt. Quapropter Paulus III aliique Pontifices ad tanta merita remuneranda et ad Iesuitarum labores conatusque promovendos, Societati Iesu privilegia amplissima et nulli hactenus Ordini concessa, largiti sunt [2].

23. *Capucini* — Monachorum etiam reformationes a viris regularis observantiae studiosis, e gremio ipsorum monachorum, effectae sunt. Ita Matthaeus dictus de Bassi a loco natali in ducatu Urbinatensi, frater laicus inter Franciscanos Observantes, an. 1525 a Clemente Pp. VII facultatem accepit instituendi novam sub s. Francisci regula Congregationem, cuius socii caputium acuminatum quale s. Franciscus gestasse dicebatur, et a quo ipsi *Capucini* appellati sunt, gererent, vitam eremiticam et priscis regulae s. Francisci austeritatibus consentaneam, ducerent. Matthaeus hoc vitae genus amplexus est in Marchia Anconitana, eique se multi alii sociarunt. An. 1528 idem Pontifex eos sub nomine Fratrum minorum conventualium de vita eremitica Capucinorum approbavit, iisdemque facultatem suscipiendi in Congregationem clericos et laicos, et omnia privilegia FF. Minorum concessit.

---

[1] Helyot, ibid. p. 233.

[1] Const. 25, t. I *Bull.* p. 738. Eamdem Societatem novis luculentissimis decretis confirmarunt Iulius III, *Const.* 9, t. I; Gregorius XIII, *Const* 89, t. 2 *Bull.* Gregorius XIV, *Const.* 10.

[2] Bartoli, *Historia Societatis Iesu*; Maffei et Bouhours, *Vita s. Ignatii.*

Anno sequenti Capucini, iam magno numero aucti, in Capitulo Matthaeum vicarium generalem, ministro generali Conventualium subiectum, elegerunt, et statuta pro Ordine suo condiderunt. Ordo ann. 1529 Romae, 1530 Neapoli, 1573 in Gallia, 1575 in Hispania, 1581 in Germania, deinde in aliis terris catholicis plurimum propagatus est. Progressu temporis vitam eremiticam cum monastica commutarunt, et anno 1619 a Paulo Pp. V facultatem acceperunt eligendi sibi proprium et independentem Ministrum generalem [1]. Benedictus Pp. XIV, Bulla *Religio Capucinorum*, VII° calend. april. 1733 pulpitum Apostolicum huic Ordini concessit.

24. *I. Calvinus* — Interim Sacramentariorum novitates religiosae, a Zwinglio et OEcolampadio per Helvetiam propagatae [2], incrementa multa ceperunt. Eas Lausannae, et in toto Vaudo atque Genevae propagarunt Guilielmus Farel et Petrus Viret. Illic etiam ecclesiae ab haereticis vi occupatae, altaria deiecta, imagines confractae, ritus catholici abrogati sunt. Post annos paucos civitas Geneva novae religionis quam reformatam dicunt, sedes et centrum evasit, ex quo nempe Ioannes Calvinus ibi primarius praedicator et rector ecclesiae constitutus est. Is anno 1509 Novioduni in Picardia natus, litteris humanioribus et philosophiae Parisiis, iurisprudentiae Aureliani et Biturigibus studuit. Tum hic tum illic religiosas novitates ab occultis Lutheranis et Zwinglianis qui, non obstantibus episcoporum et regis adversus sectarios conatibus et vigilantia, illas per Galliae provincias disseminabant, didicit suscepitque. Ex hoc tempore rebus theologicis, secundum Lutheri, Melanchthonis, Zwinglii, Oecolampadii, principia sententiasque, operam dedit. An. 1532 post obitum patris binum beneficium ecclesiasticum, simplex unum et curatum alterum, sibi cum adolesceret collatum, vendidit. Rebus suis compositis se contulit Parisios, ubi occultos sectarios frequentavit et nova dogmata clam disseminavit. Inde an. 1533 confugit Engolismam, ubi libros suos de institutionibus religionis christianae e Lutheri, Zwinglii, OEcolampadii, Melanchthonis, aliorumque novatorum scriptis colligere coepit [3]. Deinde petiit Germaniam, dogmata sua cum doctoribus lutheranis collaturus. Posthaec peragratis variis regionibus, an. 1541 sedem suam fixit Genevae, ubi tantam adeptus est auctoritatem, ut novae religionis, Sacramentariorum nimirum, caput et dux haberetur, legesque etiam in civilibus dictaret.

Introductum a Zwinglio religionis systema, quantum ad dogmata et regiminis formam spectat, plurimum expolivit reformavitque. Ad administrandam rem ecclesiasticam praescripsit consistoria, e praedicatore et senioribus composita, et inde presbyteria dicta. Secutus Zwinglium caeremonias in Ecclesia usitatas reiecit; sacramentis ceu meris symbolis, benevolas Dei promissiones obsignantibus, omnem vim conferendae gratiae abrogavit; realem praesentiam in Eucharistia negavit; docebat vero, pios in coenae usu per fidem fieri Corporis et Sanguinis Christi participes, et per vivam passionis et mortis Christi memoriam, quam panis et vini symbola excitarent, credentium animos ita pasci sicut cibo et potu corpus nutritur. Asserebat praeterea, liberum hominis arbitrium per peccatum esse penitus extinctum, ita ut homo malum necessario eligeret, ad bonum nullo modo cooperaretur, gratia sola id efficiente; Deum hominis lapsum non solum praevidisse, sed etiam decrevisse et praedestinasse, quatenus arbitraria aliorum salvatione et aliorum damnatione clementiae ac omnipotentiae suae thesauros manifestaret; omnibus fidelibus seu credentibus esse plenam et absolutam certitudinem suae iustificationis et praedestinationis; iustitiam esse propriam electorum et semel habitam non posse amitti. Quantum ad opera bona, satisfactionem, indulgentias et alia spectat, Calvinus fere eadem ac Lutherus docebat. Obiit Calvinus an. 1564 reliquitque plura exegetici, dogmatici et polemici generis scripta, inter quae celebrior est eius *Institutio religionis christianae* 4 libris contenta [1]. Exornatum autem ab eo religiosum systema, primo in Helvetia, deinde in Gallia, aliisque regionibus propagatum fuit.

25. *Scriptores ecclesiastici* — Divina Providentia, quae hoc saeculo Ecclesiam a tot hostibus oppugnari permittebat, plurimos etiam illius defensores suscitavit. Omnes, quos hoc saeculum peperit scriptores, recensere non possumus, indicabimus solum praestantiores. Inter eos qui ante saeculi

[1] Bover. *Annales Cupucinorum.*
[2] Vid. p. 149. — [3] Edidit Basileae 1536.

[1] Edita cura R. Stephani 1553 in-fol. Cf F. de Remond, *De ortu, progressu et inclinatione haeresum*, l. VIII; Audin, *Histoire de la vie, des ouvrages et des doctrines de Calvin*, Louvain 1844, 2 vol. in-8.

huius dimidium floruerunt, numerantur hi qui sequuntur:

Exponendis ss. Scripturis studuerunt, Augustinus Iustinianus, Genuensis, episcopus Nebiensis in Corsica, ss. Litterarum et linguarum peritissimus, edidit *Psalterium* octaplum, continens nempe 8 columnis textum hebraeum, graecum, arabicum, chaldaicum, versionem latinam vulgatam, duas alias et scholia [1]; F. Ximenes, Ord. Min., Card. archiepiscopus Toletanus, accitis viris doctissimis et conquisitis vetustissimis ac probatissimis codicibus manuscriptis, novam ss. Bibliorum editionem curavit, quae a numero linguarum Polyglotta, et a loco, ubi typis impressa sunt, *Complutensia* dicuntur [2]; Sanctes Pagninus, Lucensis, Ord. Praed., edidit novam utriusque Testamenti versionem latinam, item grammaticam et lexicon linguae sanctae, Isagogas ad ss. Litteras earumque sensus mysticos, Catenam argenteam in Pentateuchum et in Psalterium; Desiderius Erasmus, Roterodamens., presbyter Canonicus Regularis, philologus, criticus saepe iusto audentior, polygraphus, N. Testamenti interpres, paraphrastes et commentator, plurima diversorum argumentorum scripta reliquit, quorum nonnulla damnata, alia suspecta, omnia caute legenda sunt [3]; Xystus Senensis, e iudaeo christianus et Ord. s. Franc., ab haeresi in quam dilapsus erat, reductus et Ordini Praed. adscriptus, composuit *Bibliothecam sacram*, in qua protocanonicos, deuterocanonicos, apocryphos libros distinguit, biblicum exhibet dictionarium, regulas tradit intepretandi Scripturas et per maiorum commentaria ac explicationes discurrit [4]; Franc. Vatablus, Gallus, linguae hebraicae professor Parisiis, scripsit annotationes in s. Scripturam, quas cum haeretica manu corrupisset editor R. Stephanus, Salmanticenses theologi easdem an. 1584 correxerunt; Thomas de Vio, doctrina excellens, cardinalis episcopus Caietanus, reliquit commentaria in s. Scripturam [5]; Franc. Titelmanus, Hasseletanus, Capucinus, inter cuius scripta commendantur commentaria in Iob, in Psalmos, in Matthaeum, in Ioannem et in Epistolas; Iacobus Sadoletus, Mutinensis, R. E. cardinalis, styli Tulliani imitator, praeter alia varia elaboravit commentarios in Psalmos aliquot et in Epistolam D. Pauli ad Romanos; Ioannes Gagnaeus, Parisiensis, doctor Sorbonicus, edidit commentarios in N. Testamentum; s. Thomas de Villa-Nova, dioeceseos Toletanae oriundus, episcopus Valentinus, praeter Sermones edidit commentarium in Canticum Canticorum; Aloysius Lippomanus, Venetus, e Methonensi Veronensis episcopus, composuit Catenam in Genesim, Exodum et in Psalmos aliquot; Dominicus Soto, Hispanus, Ordinis Praed., doctor Salmanticensis, reliquit commentarium in Epistolam ad Romanos; Hieronymus Seripandus, Card. archiepiscopus Salernitanus, elaboravit commentarios in Epistolas Paulinas et Catholicas.

Inter theologos claruerunt praedicti Thomas Caietanus, qui composuit commentaria in Summam D. Thomae et Tractatus theologicos, ac D. Soto qui edidit commentarios in libros Sententiarum, et Tract. *De natura et Gratia* [1]; Paulus Cortezi, Hetruscus, episcopus Urbinatensis, reliquit commentarios in libros Sententiarum; Melchior Canus Ord. Praed., doctor Salmanticensis, scripsit de locis theologicis, in 12 libros distributis [2]; Ioan. Driedo, Turnhautanus, Universitatis Lovaniensis professor, adversus lutheranos errores scripsit de gratia et libero arbitrio, huiusque cum divina praedestinatione concordia, de captivitate et redemptione humani generis, de Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis [3]; Ioannes Fischerus, episcopus Roffensis, anno 1533 iussu Henrici VIII regis Angliae gladio necatus, reliquit eruditas lucubrationes contra Lutherum [4]; Ioannes Faber, Suevus episcopus Viennensis, dictus *Malleus haereticorum*, plura scripsit historico-polemico-pia [5]; Ioannes Eckius, Suevus, Universitatis Ingolstadiensis professor acerrimus Lutheranorum profligator, reliquit Tractatus de Sacrificio missae et de controversiis Fidei contra novatores; Albertus Pighius, Campensis Batavus, baccalaureus Lovaniensis et doctor Coloniensis, multa scripsit contra Lutherum, Melanchthonem, Bucerum et Calvinum, inter quae eminent As-

[1] Genuae 1516, in fol.
[2] 1514-17, 6 vol. in-fol.
[3] Edita Basil. cura Froben, 9 vol. in-fol., et Lugd. Batav. cura Clerici, 1703, 11 vol. in-fol. Cf P. F. X. De Ram, *Notice sur les rapports d'Erasme avec de Goés*; item, *Particularités sur le séjour d'Erasme à Bâle et ses derniers moments*, Bruxelles 1842, in *Nouveaux Memoires de l'Academie*.
[4] Neapol. 1742, 2 vol. in-fol.
[5] Lugdun. 1639, 5 vol. in-fol.

[1] Salmant. 1563 in-fol., Patav. 1727 in-4, et alibi.
[2] Paris 1549, in-4.°
[3] 1533, 4 vol, in-fol. et in 4.
[4] Virceburg. 1597, in-fol.
[5] Colon. 1527 et 1541, 3 vol. in-fol.

sertio hierarchiae ecclesiasticae [1], et tractatus de gratia et libero hominis arbitrio [2]; Iudocus Clichtoveus, Flander, doctor Parisiensis, cuius opus *Anti-Lutherus* prae ceteris laudatur [3]; Iacobus Latomus, Hanno, doctor Lovaniensis, in Fidei controversiis versatissimus, varia contra Lutherum eiusque sectatores scripsit [4]; Ioannes Cochlaeus, Norimbergensis, canonicus Uratislaviensis, inter alia polemica conscripsit commentaria de actis et scriptis Lutheri [5]; Alphonsus a Castro, Hispanus, Ord. s. Franc., inter eius scripta eminent tractatus contra haereses, libri 3 de iusta punitione haereticorum et 2 de potestate legis poenalis [6]; Ioannes Gropperus, archidiaconus Coloniensis, praeter alia elucubravit Enchiridion christianae religionis et librum de reali praesentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia [7]; Ruardus Tapperus, Enchusanus Batavus, doctor Lovaniensis, scripsit explicationem doctam seu vindicias articulorum Lovaniensium contra errores Lutheri [8], et Orationes cum corollario ad Carolum V et Ferdinandum I de causis et remediis calamitatum Belgii [9]; Petrus Galatinus, Italus, e iudaeo christianus, Ord. s. Francisci, scripsit arcana catholicae veritatis contra Iudaeos [10]; Petrus Soto, Ordinis Praed., doctor Dilingensis, reliquit Institutiones christianas et Compendium doctrinae lutheranae.

Ecclesiasticam historiam plures illustrarunt: I. Cochlaeus, iam commemoratus, qui edidit historiam Hussitarum [11]; Onuphrius Panvinus, Veronensis, Ordinis Eremitarum s. Augustini, dedit annotationes et supplementa ad Vitas RR. Pontificum, collectas a Platina; scripsit etiam de primatu Petri, de antiquo ritu baptizandi catechumenos, de veteribus Christianorum sepulturis et coemeteriis; Seripandus et Lipomanus supra commemorati, quorum prior edidit Epitomen chronicorum Ord. Eremit. s. Augustini [12], posterior Vitas Ssrum [13]; Iacobus Merlin, Lemovicensis, doctor Sorbonicus, et Petrus Crabbe, Mechliniensis, Ordinis FF. Min., ediderunt collectionem Conciliorum [1].

Christianae et asceticae vitae praecepta tradiderunt ss. Ignatius de Loyola, cuius librum *Exercitiorum Spiritualium*, sicuti diximus, auctoritate apostolica communivit Paulus III, Thomas de Villa-Nova, Franciscus de Borgia, Franciscus Xaverius, Petrus de Alcantara. Quibus accèdunt Ludovicus Blosius et Ioannes Avila, probitate et sapientia insignes.

26. *Convocatur Concilium generale* — Abhinc annis multis pii quique desiderabant concilii generalis convocationem, ad reprimendas haeresum progressiones, ad definiendas Fidei controversias et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam. Ipsi novatores, Lutherus aliique, continuo ad concilium generale provocabant. Obstabant vero dissidia et bella inter principes christianos, tergiversationes et mala fides novatorum. Quum Clemens Pp. VII cum Carolo imperatore V de cogendo concilio generali in aliqua urbe Italiae consensisset; novatores postularunt, ut concilium in Germania cogeretur, Pontifici nulla ratione subesset, res in eo secundum solam s. Scripturam definirentur, et suis quoque theologis suffragii ius daretur. His inauditis et absurdis conditionibus quum Pontifex acquiescere non posset, res dilata fuit. Paulus III anno 1534, Clementis VII in summo pontificatu successor, generalis concilii celebrationem maxime cordi habuit, legatosque ad Carolum imperatorem, ad Franciscum regem Galliae et ad alios principes misit, ut, pace composita, concilium libere celebraretur. Tandem generale concilium indixit, an. 1537 x° calendas iunii in urbe Mantua inchoandum. At cum Fridericus, dux Mantuae, non consentiret nisi sub conditionibus, quas Pontifex ab institutis maiorum suorum, a s. Sedis et ecclesiastici nominis dignitate atque libertate alienas iudicabat, Paulus III de alia idonea urbe eligenda cogitavit. Postquam Christianorum principum sententias de loco concilii explorasset, easque reperisset varias et incertas, elegit Vicentiam Venetiarum urbem, in qua Concilium calendis maii 1538 inchoaretur; at novis emergentibus obstaculis, illius celebratio prorogata fuit. Obstabant discordiae inter christianos principes, praesertim Carolum imperatorem inter et Franciscum regem Gal-

1 Colon. 1572, in-fol.
2 Ibid. 1542, in-fol.
3 Paris 1524, in-fol.
4 1550 in-fol.
5 1549 in-fol
6 Paris. 1578, 2 vol. in-fol.
7 Colon. 1560, in-4, et 1746, in-fol.
8 Lovan. 1555 et 1565, 2 vol. in-fol.
9 Colon. 1568, in fol
10 Francof. 1612, in-fol.
11 Mogunt. 1549, in-fol.
12 Romae 1586.
13 1568 in-fol.

1 Colon., 2 vol. in-fol.

liae, ad quas componendas omnem operam adhibuit Pontifex. In Germania novatores, maxime Lutherus, qui antea ad generale concilium continuo provocarant, nunc omni modo illud impedire conabantur. Tandem principes Germani an. 1542 in comitiis Spirensibus censuerunt cum Pontifice, ut concilium celebraretur Tridenti; attamen lutherani principes reclamarunt, neque concilii locum, neque pontificiam auctoritatem qua convocabatur, approbantes. Paulus III e cardinalium consilio XI° calendas iunias 1542 per Bullam *Initio nostri* episcopos et alios, quorum intererat, Tridentum convocavit. Causas convocati concilii in eadem bulla indicat Pontifex. « Quo melius, inquit, atque commodius quae ad integritatem et veritatem christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum, quae ad Christianorum inter se tam principum quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infedelium, quibus illi universam christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria ... agi in dicto sacro œcumenico concilio ... consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum et quam optime possint ». Verumtamen tum propter discordias bellumque inter Carolum V et Franciscum I, tum propter religiosas in Germania turbas Concilii celebratio denuo prorogata fuit usque ad annum 1545 [1].

27. *Declarationes Theologorum Parisiens. et Lovaniens.* — Interea religiosae novitates per Germaniam, Poloniam, Livoniam, Curoniam, Hungariam, Transylvaniam, Galliam, Belgium, aliasque terras disseminabantur. In Galliis Franciscus I, sincerus Religionis catholicae cultor, haeresum propagationem et progressionem in regno suo impedire conatus est. Eius mandato sacra Facultas Parisiensis ad conservandam catholicae fidei integritatem an. 1542 edidit 25 articulos, lutheranae et calvinianae haeresibus oppositos, ut essent veluti formula doctrinae catholicae. Sacra Facultas omnes suos doctores et baccalaureos ad subscribendum istis articulis adstrinxit, et rex omnibus parochis mandavit ut secundum eamdem catholicae doctrinae formulam fideles instruerent [2].

[1] Pallavicino, *Storia del Concilio di Trento*, l.I-IV; P F.X. De Ram, *Nonciature de Pierre Vandevorst d'Anvers, évêque d'Acqui, en Allemagne et dans les Pays-Bas en* 1536-37, Bruxell. 1839, in *Nouveaux Mémoires de l'Académie.* — [2] Fontanon, *Collect. Constit. reg.* t. IV.

Iisdem de causis, nimirum ad tutandam in populo christiano orthodoxae fidei custodiam contra Lutheranorum, Sacramentariorum et Anabaptistarum conamina, sacra Facultas Lovaniensis an. 1544 edidit 32 articulos, quorum 20 prioribus exponuntur ea, quae pertinent ad Ecclesiae sacramenta; 21^{s} et 5 sequentes agunt de perpetuitate et unitate Ecclesiae catholicae, de unico et summo eius Pastore, de natura et efficacia constitutionum ecclesiasticarum; 27^{s} et reliqui sunt de invocatione Ssrum, de libertate christiana et aliis doctrinae capitibus, quae tunc in controversiam venerant. Lovanienses theologi in his articulis praecipua orthodoxae fidei capita tam accurate proposuerunt, ut in multis praestruxisse videantur credendi agendique regulam, a Tridentino concilio post paucos annos praescriptam. Mandavit sacra Facultas omnibus suis alumnis, ne quid articulis illis contrarium assererent, sed eosdem fideliter tuerentur. Quo diligentius iidem articuli observarentur, Carolus V imperator illos praesidio suo communivit et decreto Bruxellis lato confirmavit [1].

28. *Concilii Tridentini Periodus I (an.* 1545 - 47) — Tandem post multifaria obstacula concilium generale Tridenti coeptum est idibus decembris 1545. Ab hac die ad postridie calendas iunii 1547 habitae sunt 10 sessiones, quae constituunt primam concilii Tridentini periodum. Praesederunt eis Pontificis nomine Maria de Monte, episcopus Praenestinus, Marcellus Cervinus et Reginaldus Polus, R. E. cardinales et Sedis Apostolicae legati. Sess. I^{a} quae celebrata fuit idibus decembris 1545, peractis sacris mysteriis et sollemnibus supplicationibus, Patres iam apertum atque incoeptum declararunt sacrum Tridentinum et generale concilium ad incrementum et exaltationem Fidei et religionis christianae, ad extirpationem haeresum, ad pacem et unionem Ecclesiae, ad reformationem cleri et populi christiani, et ad extinctionem hostium christiani nominis; lecta fuit admonitio legatorum Pontificis ad Patres et indicta sessio futura. Sess. II^{a}, habita VII° idus ianuarii 1546, editum est decretum de modo vivendi aliisque in concilio et eo durante servandis. Sess. III^{a}, celebrata pridie nonas februarii, recitatum fuit symbolum Fidei, quo Romana omnesque ecclesiae utuntur, tan-

[1] Cf P. F. X. De Ram, *Disquisitio de dogmatica declaratione a Theologis Lovaniensibus an.* 1544 *edita*, Bruxell. 1841, in *Nouveaux Mémoires de l'Académie.*

quam principium, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniant. In his 3 Sessionibus nihil magni momenti constitutum fuit, quia multi episcopi adhuc iter agerent et eorum adventus expectaretur ad Fidei morumque sanctiones definiendas. Sess. IV[a], habita VI[o] idus aprilis, edita sunt 2 decreta, unum de Scripturis canonicis, alterum de editione et usu ss. Librorum: in priori declaravit Concilium, se omnes libros utriusque Testamenti atque ss. Traditiones pari pietatis affectu suscipere, deinde Libros ss. recensuit prout ii in Ecclesia catholica legi consueverant et in veteri Vulgata editione habebantur; in posteriori decreto ex omnibus versionibus latinis Vulgata declarata fuit authentica, et prohibitum, ne quis contra eum sensum, quem tenuit et tenet Ecclesia, aut contra unanimem Patrum consensum s. Scripturam interpretari audeat; item ne libri de rebus sacris sine nomine auctoris et approbatione Ordinarii imprimantur. Sess. V[a], celebrata XV[o] calendas iulias, edita sunt 2 decreta, quorum prius 5 canonibus definit doctrinam de peccato originali; posterius, quod est de reformatione, decernit de constituendo in ecclesiis lectore s. Scripturae, de concionatoribus divini verbi et quaestoribus eleemosynariis. Sess. VI[a], habita idibus ianuarii 1547, pariter 2 decreta sancita sunt; prius continet 16 capita de iustificatione et 33 canones, quibus contrarii haereticorum errores damnantur; posterius complectitur 5 capita de residentia praelatorum et beneficiatorum, de corrigendis ab Ordinario loci excessibus saecularium clericorum et regularium extra monasteria degentium, de visitandis ecclesiis ab episcopis et aliis praelatis maioribus, de non exercendis pontificalibus aut conferendis Ordinibus ab episcopis in aliena dioecesi. Sess. VII[a], celebrata V[o] nonas martii, primo conditi sunt 13 canones de Sacramentis in genere, 14 de Baptismo et 3 de Confirmatione, quibus errores, catholicae doctrinae oppositi, cum anathemate reprobantur; dein editum est decretum reformationis, continens 15 capita, quibus prohibetur beneficiorum pluralitas, praescribuntur dotes eorum, qui ad beneficia promovendi sunt, aliaque constituuntur. Sess. VIII[a], habita V[o] idus martii, legati Pontificis propter contagiosum morbum, Tridenti grassantem, ex potestate sibi a Paulo III facta, concilium transtulerunt Bononiam. Hic 2 sessiones habitae sunt: IX[a], XI[o] calendas maias, et X[a], postridie calendas iunii, sed propter multorum praesulum absentiam nihil in iis fuit definitum. Postridie vero idus septembris in congregatione generali sessio futura prorogata fuit ad beneplacitum sacri Concilii. Paulo post praelati Bononia profecti sunt, et Concilii continuatio 4 annis suspensa [1].

29. *Religionis status in Germania* — Interea audacia protestantium in Germania magis magisque aucta est ex moderatione qua erga eos utendum esse censebat Carolus imperator propter bellum, quod sibi incumbebat cum rege Francorum, et propter imminentia pericula e Turcarum in Hungariam invasionibus. Schmalcaldico foederi quod principes lutherani an. 1531 pro religionis suae defensione inierant, novi deinde principes et civitates accesserunt. Iidem principes religionis libertatem, quam antea sibi petebant, nunc catholicis in terris suis denegabant, cunctis subditis suis novam religionem vi obtrudebant, etiam subditos principum catholicorum, in illam pronos, praesidio suo communiebant, variisque occasionibus significabant, consilium suum esse, ut in omni Germania, eliminata religione veteri, purum Dei verbum, ut Lutheri placita appellabant, stabiliretur [2]. An. 1540 imperator ad procurandam pacem religiosam rursus tentavit theologorum utriusque partis de religione collationem. Haec Wormatiae inchoata, anno sequenti in comitiis Ratisbonensibus frustra continuata fuit. Foederati Schmalcaldici iam concilium generale reiiciebant, plenam et perpetuam religionis suae libertatem poscebant; bellum minitabantur, et quo imperator eorum postulationibus indulgebat eo ipsi postulationes urgebant.

Anno 1546 Lutherus, malorum, quibus Germania agitabatur et agitanda erat, auctor, ad iusti iudicis tribunal adstitit. Islebiae XIII[o] cal. martii miseram animam efflavit, cum vespere bene potus cubitum isset, neque crapulam edormire potuisset [3]. Eodem anno pax, hactenus inter Catholicos et Protestantes aegre conservata, rupta est, et bellum inter imperatorem et foederatos Schmalcaldicos coeptum, quod ab illis Schmalcaldicum dictum fuit. Ambo belli duces, Fridericus elector Saxoniae et Philippus lantgravius Hassiae, ab imperatore capti sunt. Imperatoris victoria effecit, ut principes protestantes se concilio generali accessuros pro-

[1] Pallavicino, *Stor. del Concil. di Trento*; Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 726-92. — [2] Vid. quoque p. 151 sq.
[3] Audin, *Hist. de la vie etc. de Luther.*, t. II, c. 32.

mitterent. Cum illud esset suspensum, Carolus V, ne turbatus rerum status in Germania perduraret, an. 1548 in comitiis Augustanis proposuit formulam seu normam in religionis negotio servandam usque ad plenam dissidiorum compositionem per generale concilium. Ea formula dicta *Interim*, doctrinas controversas catholico sensu proponebat; supremam R. Pontificis potestatem, caeremonias, festa, nominatim Corporis Christi, benedictiones, ieiunia praescribebat; in favorem protestantium sacerdotibus, qui uxorem duxerant, matrimonium, et laicis calicem eucharisticum indulgebat [1]. Verum formula ista Catholicis ac Protestantibus displicuit. Catholici eam reprobarunt, quod a principe laico sine Ecclesiae auctoritate esset praescripta, catholicam doctrinam haud satis assereret, novatoribus clericorum coniugia et communionem sub utraque specie permitteret, et nec episcopis suam iurisdictionem, nec ecclesiis sua bona restitueret. Protestantes fere ubique eidem formulae ceu maxima ex parte catholicae renitebantur.

Theologi Wittenbergenses, quibus mortuo Luthero, praesidebat Melanchthon, novam formulam interimisticam, dictam Lipsiensem, ediderunt, in qua statuebant, de rebus adiaphoris, seu quae s. Scripturae non adversarentur, non esse contendendum sed eas observari posse atque ex ipsis suis dogmatibus nonnulla temperaverunt. Alii vero theologi, praesertim Thuringici, istam formulam reprobarunt; unde lis gravissima inter theologos lutheranos excitata est [2].

In Germania, rerum ecclesiasticarum ac publicarum status magis magisque turbabatur. Mauritius, dux et elector Saxoniae, abusus gratia Caroli V, quam sibi sua calliditate captarat, an. 1551 cum quibusdam principibus Germanicis et Henrico II rege Galliae, qui an. 1547 Francisco I patri suo successerat, belli societatem clam iniit contra Carolum V. Anno 1552 Mauritius exercitum, celeriter collectum, duxit contra imperatorem, Œniponte morantem, qui, nil tale suspicatus, ad fugam adactus est. Eodem tempore Henricus rex Galliae Lotharingiam armata manu invasit, et 3 episcopatus Lotharingicos, praemia auxilii protestantibus praestiti, tulit. Ferdinandus vero rex Hungariae, frater Caroli V, Turcarum armis ubique succumbebat.

30. *Pax Augustana*—In his angustiis imperator ad indecoram pacem cum protestantibus ineundam compulsus est. Primo quidem in transactione an. 1552 Passavii facta, statutum est, ut abhinc pax esset Catholicos inter et Protestantes, in proximis comitiis solemniter firmanda et usque ad perfectam dissensionis religiosae compositionem, vel, si ea effici non posset, perpetuo duratura. Demum an. 1555 in comitiis, Augustae-Vindelicorum habitis, protestantes votorum suorum compotes facti sunt. In iis enim statutum est, ut Confessionistae seu confessioni Augustanae addicti aeque ac Catholici plena religionis libertate et aequalibus iuribus gauderent, bona ecclesiastica, hactenus occupata, retinerent, et ab episcoporum iurisdictione essent immunes; ut qui in statibus ecclesiasticis confessioni Augustanae nunc adhaerebant, sive nobiles, sive urbes, sive aliae communitates, ad eam deserendam non compellerentur; ut in liberis imperii urbibus, in quibus hactenus utraque, vetus et nova religio viguerat, is status perduraret [1]. Hanc pacem, quae ab urbe in qua confecta est, Augustana dicitur, protestantes appellant religiosam, et velut libertatis suae columnam praedicant.

31. *Religionis status in Anglia* — In Anglia Henricus VIII in funesto schismati, quod excitavit, anno 1547 mortuus est. In testamento suo constituerat, ut sibi in regno succederet primo loco Eduardus, filius suus e Ioanna Seymour, secundo Maria, filia sua e Catharina Aragoniae prima coniuge, tertio Elisabetha, ex Anna Bolena suscepta. Secundum supremam hanc regis voluntatem regnum Angliae et Hiberniae accepit Eduardus VI, filius eius novennis, regnavitque usque ad 1553. Eius avunculus Eduardus Seymour, dux Somersetanus, qui protectoris nomine supremum regimen occupavit, una cum Crammero archiepiscopo Cantuariensi novam religionem Anglis obtrusit; hic Lutheranorum, ille Sacra-

[1] Goldast. *Constitut. imper.* t. I, p. 518. Spondanus, ad an. 1541, § 5, et 1548, § 4 et 5, notat plura fuisse huiusmodi *Interim* in Religionis rebus a Carolo hereticis Germaniae diversis temporibus, quousque celebraretur Concilium, concessa; sed hoc famosissimum, quod per antonomasiam id nominis obtinuit, factum est cum iam Concilium Tridentinum haberetur. Complectebatur autem capita 26 de praecipuis Religionis Christianae dogmatibus, de Sacramentis et oeconomia ac caeremoniis Ecclesiae uti dictum est. Istiusmodi formulam seu libellum a Pontifice improbatum, confutarunt scriptores tum Catholici, tum Haeretici, ut est apud eumdem Spondanum § 7, et Pallavicinum l. 10 *Stor. del Concil. di Trento*, c. 17.

[2] Cochlaeus, *Comment. de actis et script. Lutheri*; Raynald. et Spondan. *Annal. eccl.*

[1] Goldast. *Constitut. imper.* t. II, p. 566.

mentariorum placita probabat, sed facile in novam religionem, ex his et ex illis conflatam consenserunt. An. 1547 in comitiis seu curia regia sex articuli, sub Henrico VIII promulgati contra Lutheranorum doctrinam [1], abrogati sunt; supplicium supremum decretum contra eos, qui regem Anglicanae ecclesiae caput esse negarent; missae privatae interdictae; communio sub utraque specie praescripta. Anno sequente, reclamantibus multis episcopis, matrimonium clericis concessum est. Tunc etiam sacrae reliquiae et imagines, iam a novatoribus e pluribus ecclesiis eiectae, auctoritate publica sublatae sunt; liturgia mutata, usus linguae vernaculae in omnibus sacris functionibus imperatus; Calvini doctrina de Eucharistia proposita; altaria in mensas conversa; Extrema Unctio et Confirmatio, preces pro defunctis, Crucis signa abrogata. Qui autem a nova religione erant alieni, magisterio in scholis et ministerio verbi in ecclesiis privati sunt, et in eorum loca intrusi pseudo-doctores; qui se eidem religioni opponebant, carceri mancipati sunt. An. 1549 a multis rusticis, civibus, et nobilibus, priorem religionis statum poscentibus, seditio excitata fuit, sed brevi suppressa. Ita nova religio omnibus obtrusa est [2].

32. *Fidei propagatio in America, Africa et Indiis* — Ad magnum sane Catholicorum solamen accidit, ut Religio, in variis Europae provinciis depressa, in aliis orbis regionibus latissime propagaretur et incrementa magna caperet. Supra memoravimus, occasione pervestigationum, quas Lusitani et Hispani in Africam, Asiam et Americam saeculo elapso et praesenti fecerunt, fidem christianam in illas regiones illatam fuisse [3]. Inter missionarios, qui in occupatis ab Hispanis Americae terris Evangelium praedicarunt, celebris est Bartholomaeus de Las Casas, Hispalensis, Dominicanus, qui ineunte hoc saeculo in Americam profectus annis multis convertendis ad christianam religionem insulanis adlaboravit; nihil etiam omisit, ut illos a servitute, ad quam a gubernatoribus Hispanis redigebantur, liberaret; in hunc finem iteratis vicibus oceanum pernavigavit, ut coram Hispaniae rege insulanorum causam defenderet.

Postquam Hispani an. 1521 vastissimam regionem Mexicanam, et deinde Peruviam, Chilem [4], Paraguaiam occuparunt, amplissimus campus evangelico missionariorum ardori patuit. Missionarii, qui praesertim assumebantur e clero regulari, neque labori neque incommodis pepercerunt, ut indigenas populos ab idolorum cultu, a superstitiosis ritibus, ab inculta vivendi ratione ad veri Dei cultum et ad christianam atque humanam vitae disciplinam converterent. Iam an. 1524 in Mexico synodus celebrata legitur secundum formam canonicam, in qua polygamia aliaque vitia, inter indigenas communiora, fuerunt severe prohibita, et praeter alia, sive ad praeparandos ad baptismum neophytos, sive ad confirmandos in Fide baptizatos constituta, decretum est, ut viri baptismum petentes, uxores suas dimitterent, una excepta, quam ritu sacro ducerent. His missionibus reges Hispaniae opem ferebant, et quum iam non solum ex Europaeis, qui in illas terras transibant, sed etiam ex Americanis ecclesiastici coetus, fierent frequentiores, Paulus Pp. III, supplicante Carolo V, varios episcopatus et archiepiscopatus illic creavit.

Similiter in Brasilia aliisque Americae terris, quas Lusitani subegerunt, viri religiosi, Franciscani, Dominicani et Iesuitae, sub regis Lusitaniae auspiciis convertendis insulanis ad christianam fidem ardenter adlaborabant. Hic quoque ac illic Religionis propagationi multa obstabant, praecipue indigenarum barbaries, eorum a Lusitanis aversio et mos de loco ad locum migrandi. Verumtamen apostolico missionariorum ardore et constantia factum est, ut numerus conversorum, coetusque christiani magis magisque augerentur, et an. 1551 in civitate Salvatoris, quam Ioannes III rex Lusitaniae condendam curarat, episcopatus sit erectus [1].

In Africa quoque missionarii in terris, quas Europaei vel occuparunt vel mercaturae causa adibant, Evangelium annuntiarunt, sed coetus seu ecclesias stabiles non condiderunt, si Congum et adiacens Angola excipiantur; cum in his Lusitani dominium quoddam supremum exercerent, missionarii ibi coeptas exeunte saeculo praecedenti conversiones prosecuti sunt, auxeruntque [2].

In India latissime propagata fuit christiana fides a s. Francisco Xaverio. Iam ante eius illuc adventum Evangelium in ea Indiae parte insulisque Asiaticis, quas Lusi-

[1] Vid. p. 155. — [2] Sanderus, *De schismate Angl.*
[3] Vid. p. 141. — [4] Vulgo *Chili* dictam.

[1] Charlevoix, *Histoire de Saint Domingue*; De Solis, *Histoire des conquêtes de Cortez*; Touron, *Histoire de l' Amerique*; Raynald. *Annal. eccl.*

[2] Cavazzi, *Descrizione de' tre regni, Congo, Matapa e Angola*, gallice versum a Labat sub titulo: *Rélation historique de l'Ethiopie occidentale.*

tani occupaverant, fuerat praedicatum Goae, quae erat Indiae lusitanicae metropolis. Franciscani ethnicis et mahometanis Evangelium annuntiarant eo successu, ut episcopi quoque constituti fuerint et seminarium Goae erectum, in quo iuvenes e diversis gentibus Indicis in christiana fide instruerentur, et ad apostolicum et sacerdotale munus inter suos obeundum formarentur. Praeterea e gente Paravorum in Piscariae ora ad orientalem plagam promontorii Comorini, quam Lusitani a tyrannide principis mahometani liberarant, 20,000 circiter hominum baptismum susceperant. Etiam Malaccae et in aliis locis Peninsulae nominis, in quibus pariter Lusitani consederant, complures indigenarum ad christiana sacra transgressi fuerant [1].

33. *Iaponensis ecclesia. S. Franciscus Xaverius* — S. Franciscus Xaverius, postulante Ioanne III rege Lusitaniae, a Paulo Pp. III et s. Ignatio Societatis Iesu fundatore, cum 2 sociis in Indiam destinatus, an. 1542 Goam pervenit. Postquam urbis huius indigenis convertendis aliquandiu operam dedisset, eodem adhuc anno transiit ad Paravos, ubi integram stirpem, quae hactenus idolorum cultui pertinaciter adhaeserat, ad veri Dei cultum perduxit. Post haec Evangelii praedicationem continuavit felici successu inter Punicalenos in iisdem Indiae meridionalis plagis. Anno 1543 in promontorio Comorino multitudinem ingentem ad Christum convertit. In regno Travancorensi e regis assensu Evangelium annuntiavit tanto fructu, ut an. 1544 intra unum mensem 10,000 circiter hominum ad suscipiendum baptismum permoverit. Anno sequenti traiecit in Malaccam, ubi Christianos ad fervorem et pietatem excitavit, novisque conversionibus eorum numerum auxit. An. 1546 in insulis Moluccensibus, Amboina et Ternata, integram gentem, admodum barbaram, divini verbi praedicatione emollivit et ad christiana sacra perduxit. Similiter an. 1548 regem Candyensem in insula Ceylana Religioni Christianae conciliavit. Omnipotens Deus apostolicos eius labores linguarum et miraculorum donis roborabat. Anno 1549 s. Franciscus navigavit in Iaponiam, quia a viro Iaponensi, e patria profugo, quem ad Christi fidem converterat, spem propagandi inter eius populares fidem acceperat. Primo in provincia Saxumensi, permittente regulo, Evangelium annuntiavit eo eventu, ut intra paucos menses ultra 200 Iaponenses ad Christum converterit; inter quos erant 2 sacerdotes seu bonzi, quos ad seminarium Goanum misit, ut idonei pro sua gente missionarii redderentur. Post aliquod tempus tumultu a bonzis concitato, Franciscus cum sociis suis transiit in provinciam Firandensem, in qua maiori etiam successu Fidem praedicavit. An. 1551 petiit Meacum, totius Iaponiae metropolim, sed cum ibi nihil efficere potuisset, regressus est in urbem Amanguchi, in qua intra 2 menses 500 Iaponenses baptizavit. Posthaec ivit in regnum Bungum, ab ipso rege invitatus, ubi cum bonzi christianae Religionis propagationi resisterent, quod sapientes Sinenses eam nondum suscepissent, Franciscus consilium concepit tentandi Sinensium conversionem. An. 1552 Sinas navigio petiit, sed antequam eas attingeret, in insula Sancino morbo correptus, eodem anno animam Deo reddidit, postquam 10 annis propagandae inter nationes Asiaticas Fidei operam indefessam dedisset. Eius autem et sociorum, quos post eum s. Ignatius in Indiam destinavit, atque missionariorum, quos seminarium Goanum aluerat, laboribus Religio christiana in India ita propagata fuit, ut in pluribus urbibus, velut Cochini et Meliapuri, sedes episcopales, Goae vero metropolitica sint erectae [1].

34. *Iulius III Pontifex* (*an.* 1550) — Post mortem Pauli Pp. III, Sedes Apostolica propter diversas Cardinalium sententias vacavit usque ad VI^m idus februarii 1550, qua, contra spem omnium, electus fuit Ioannes Maria de Monte, Aretinus, cardinalis episcopus Praenestinus, qui sibi nomen Iulii III adscivit. Ut id praestaret quod inter Cardinales convenerat in ipso Conclavi, ante Pontificis electionem, Parmam Octavio Farnensi restituit. Is concilii Tridentini celebrationem, quae erat suspensa, instauravit; Anglos sub Maria regina, quae post Eduardum VI regnum accepit, ad Ecclesiae unionem reducere studuit; *Thalmud* librum Hebraeorum [2], et haereticorum li-

[1] I. P. Maffei, *Histor. delle Indiar. ll. XII.*

[1] S. Francisci Xaverii *Epistolarum ll. V*; H. Tursellinus, *Vita s. Francisci Xaverii*; I. P. Maffei, loc. cit.

[2] Vid. *Bullarii* t. I, Constitut. 24, ubi etiam addicit: *Hebraeos in memoriam Passionis Dominicae a sancta Matre Ecclesia tolerari, ut aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen, divino afflante Spiritu, convertantur.* Clemens quoque VIII, Const. 20, § 1, t. III *Bullarii*, approbavit, innovavitque Constit. Gregorii IX, Innocentii IV, Clementis IV, Honorii IV, Ioannis XXII, Iulii III, Pauli IV, et Gregorii XIII, qui saepius impium illud *Thalmud* nuncupatum et alia similia reprobata et detestanda scripta et volumina damnarunt et retineri prohibuerunt.

bros legi prohibuit sub poenis ecclesiasticis; Societatem Iesu confirmavit multisque privilegiis ornavit; Romae clericorum Germanorum collegium condidit, cui s. Ignatium praefecit, ut educati in eo Germani bonae indolis adolescentes, ac deinde Germaniae Ecclesiis praepositi, labantem in illa regione catholicam Fidem sustinerent, eversamque restituerent. Ecclesiam rexit usque ad annum 1555, quum x° calend. aprilis anni huius obiisset. Vixit annos amplius 67, Pontifex fuit annos 5, mensem, et dies 16 [1].

35. *Concilii Tridentini periodus II* (*an.* 1551-52) — Iulius III, postulante Carolo imperatore V, ad concilium generale in urbe Tridento instaurandum calendis decembris 1550 Romae bullam dedit; qua patriarchas, archiepiscopos, episcopos, omnesque alios qui de iure vel consuetudine vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, Tridentum convocavit ad resumendum ibi calendis maii 1551 generale concilium. Hac ipsa die Sess. XI^{a}, quae est I^{a} sub Iulio III, celebrata fuit praesidentibus vice Pontificis Marcello cardinali Crescentio, Sebastiano Pighino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi. In ea sessione lecta est Pontificis bulla de resumendo concilio, hocque legitime resumptum esse declaratum, deinde indicta fuit sessio futura pro calendis septembris. Sess. XII^{a}, habita praedicta die, concilium laudes Deo reddidit de archiepiscoporum electorum Moguntini et Trevirensis aliorumque inclytae nationis Germanicae episcoporum adventu; cumque plurimi alii tum Germanicae, tum aliarum nationum episcopi expectarentur, sessionem prorogavit usque ad v^{m} idus octobris. Sess. XIII^{a}, dicta die habita, edita sunt 2 decreta, quorum prius continet 8 capita de reali D. N. Iesu Christi in ss. Eucharistiae Sacramento praesentia, de institutione huius Sacramenti, de eius excellentia, de transsubstantiatione, de cultu et veneratione huius Sacramenti, de eius asservatione et ad infirmos delatione, de digna eiusdem perceptione et admirabili usu; deinde contrarii haereticorum errores 11 canonibus cum anathemate damnantur; posterius decretum de reformatione complectitur 8 capita, praesertim de clericorum et episcoporum causis. Praeterea cum protestantes Germaniae securum ad concilium accessum, et liberam in eo audientiam postulassent, concilii Patres, qui eorum adventum ante multos menses magno desiderio expectarant, omnibus et singulis universae Germaniae personis, cuiusvis status et conditionis, securum accessum ad concilium et libertatem in eo conferendi, proponendi et tractandi decreverunt. Sess. XIV^{a}, habita vii° calendas decembris, primo 9 capitibus exposita fuit Ecclesiae doctrina de necessitate Sacramenti poenitentiae, de illius cum Baptismo differentia, de eius partibus et fructu, de contritione, confessione, ministro et absolutione, de casuum reservatione, de necessitate, fructu et operibus satisfactionis; postea 3 capitibus declarata fuit doctrina de sacramento Extremae Unctionis, de illius institutione, effectu et ministro; haereticorum vero errores contra doctrinam catholicam de utroque sacramento 19 canonibus damnati sunt. Deinde editum fuit decretum reformationis continens 14 capita, quae ad initiandos sacris Ordinibus, clericorum habitum, beneficia ecclesiastica, ius patronatus, aliaque spectant. Quum autem Ordines protestantes Germaniae concilio supplicassent, ut decretorum de SS. Eucharistia publicationem differret usque ad theologorum suorum adventum, concilii Patres sessionem XV, habitam viii° calendas februarii 1552, prorogarunt usque ad xiv^{m} calendas aprilis, et novum atque ampliorem salvum-conductum omnibus ad concilium venturis confidentes fore ut protestantes propediem advenirent, seque decretis Concilii subiicerent. Spes concilium fefellit. Sess. XVI, celebrata iv° calendas maias, cum propter enatum in Germania bellum episcopi Germani, praesertim principes electores Tridentum deseruissent, concilii celebratio ad biennium suspensa fuit, quae suspensio 10 prope annis duravit [1].

36. *Marcellus II*, *Paulus IV*, *Pontifices* (*an.* 1555) — Anno 1555 v° idus aprilis in locum Iulii III defuncti, concordibus suffragiis ingentique bonorum omnium gaudio, Pontifex electus est Marcellus II, antea dictus Marcellus Cervinus [2], prudentia, doctrina ac morum integritate spectatissimus, fulgens adhuc legatione ad Concilium Tridentinum Pauli III nomine. At communem laetitiam magnamque spem, quam electio eius omnibus fecerat, abrupit praepropera mors, quam, apoplexia correptus, pridie calendas maias subiit. Nomen non mutaverat ductus pietate erga inclytum Pontificem et

---

[1] Raynald. et Spondan. ad an. 1550-55.

[1] Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 793-1133; Pallavicino, *Stor. del Conc. di Trento.* — [2] *Montis Politiani* in Hetruria.

martyrem s. Marcellum I [1]. Contestabatur se numquam permissurum, ut quibus demandata esset cura animarum, ii ab suis Ecclesiis abessent, aut politica munia obirent. Quare laicis mandare decreverat Reipublicae procurationem.

Marcello II Pontifici suffectus fuit Paulus IV, Neapolitanus, antea appellatus Ioannes Petrus cardinalis Carafa, episcopus Theatinus, a quo clerici Regulares quorum cum s. Caietano fuit institutor, Theatini cognominantur, ut supra diximus[2]. Is x° calendas iunii, festo Ascensionis Christi in Caelum, vicariam Eius in terris personam sustinere coepit. Aetatis erat iam exactae, annos natus 79; sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus.

Hic Pontifex conservandae et vindicandae in toto orbe christiano orthodoxae fidei summas curas impendit. In hunc finem ad diversos principes legationes misit; Congregationem S. Officii seu Inquisitionis, a Paulo III institutam, confirmavit et maiori auctoritate donavit [1]. Cum propter severitatem metui se nimium animadvertisset, initio lautum se ac magnificum praebuit, postea ita se gessit, ut et Cleri sapiens censor, et Cardinalium prudens emendator, ac deliciae Romani populi haberetur, atque ob eam causam ei statua poneretur in Capitolio [2]. Elaborandum curavit Indicem librorum prohibitorum seu perniciosorum, cuiusvis argumenti vel auctoris essent: eosque sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae et R. Pontifici reservatae, privationis omnium munerum et perpetuae infamiae, legi ac retineri vetuit [3]. Festum Romanae Cathedrae s. Petri iam exoletum revocavit, ac praecepit xv° calend. februarii celebrari, professus se id facere haereticis refellendis, qui negarent aliquando Romae fuisse Apostolorum Principem [4]. In India ecclesiam Goanam, hactenus Olisipponensis suffraganeam, dignitate et iuribus metropoliticis auxit; in Cochino aliisque urbibus episcopatus instituit et Goanae metropoli subiecit. In Belgio, postulante Philippo II, qui an. 1555 patri suo Carolo V in Hispaniae, Siciliae et Belgii regnis successerat, 14 novos episcopatus superaddidit 4 antiquis, Cameracensi, Ultraiectensi, Tornacensi et Atrebatensi; 3 creavit metropoles, nimirum Mechliniensem, quam etiam primatialem voluit, cuique Antverpiensem, Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Ruremundensem et Buscoducensem; Cameracensem, cui Tornacensem, Atrebatensem, Audomarensem, et Namurcensem; Ultraiectensem, cui Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Gronigensem et Middelburgensem episcopatus subiecit; ius nominandorum ad eas sedes episcoporum concessit Philippo regi eiusque successoribus. Ad reformandos mores et corrigendos abusus varias constitutiones edidit. Hebraeos in Ecclesiae ditione

---

[1] De usu mutandi nomina Pontificibus, sic Angelus de Nuce (in *Leonis Ostiensis Chron. Casin.*, l. 3, c. 66, n. 6, p. 476) tenet: «Christus novum Ecclesiae Pontificem Simonem constituens, *Petrum* vocari voluit, ex Augustino (*in Ioan. c. I*, tract. 7, § 14), ut inde mos iste originem derivare potuerit; eo etiam addito, quod nonnulli Pontifices nomina barbara prius haberent, quae Romanis auribus durum et ingratum quid sonabant; ideoque cum ex Germania et Gallia Gerbertus, Suidgerus, Poppo, Hildebrandus venissent, in Silvestrem, Clementem, Damasum, Gregorium mutati sunt.

Mabillonius (Praef. *ad saec. V Benedict.* § 1, n. 7) interdum scribit, Ioannem XII (an. 956) fuisse primum novati in Romano Pontifice nominis exemplum, et Baronius (ad an. 955), loquens de Ioanne XII, subdit: «Hic autem re vera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex Octaviano voluerit nominari Ioannes». Ast res in morem non erat, saltem usque ad Benedictum IX (an. 1012), ex quo tempore vix quempiam reperies, qui nomen non mutaverit. Nec fuit tantum Marcellus qui proprium retinuit nomen, nam paulo ante Marcellum II Hadrianus VI pristinum *Hadriani* nomen retinuit, ductus virtutibus et fama Pontificum eius nominis. Quare inepte P. Suavis miratur Marcellum suum non mutasse nomen, idque novum et inusitatum reputat. Ineptum quoque obtrectatorem se prodit, cum morem nominis mutandi, quem Romani Pontifices habent, ambitiosum dicit. Verum ipse ignorare haud poterat, *Fratres* ipsos, qui quidem *humilitatem* eximiam profitentur, eumdem morem sequi. Sane quidem advertit Baronius (ad an. 1009, § 3), et confirmat epitaphium Sergii IV, apud eundem Scriptorem, ad an. 1012, § 1, humilitate non superbia Romanos Pontifices nominis mutandi morem servasse. Profecto Sergius IV, an. 1009 cum Petrus appellaretur, nomen mutavit, eo quod non auderet, nomen gerere Apostoli Petri, quem Christus ipse primum suum in terris vicarium constituerat. Vide quoque vol. I, p. 264.

[2] P. 156.— Oldoinus (*addit. ad Ciaconium*, t. 3, p. 827) scribit: «Neapolitana Civitas ac Clerus novum Pontificem exorarunt, ut civitatem Antistite alio in eius locum provideret; at Paulus benigne respondit: Ecclesiam illam non vacare, vivere adhuc eorum Archiepiscopum: Nos, qui usque adhuc singulari prosecuti sumus amore patriam, ac Ecclesiam sponsam, Nos illi in posterum eodem affectu praeerimus». Videsis p. 44 in not.

[1] Vid. p. 156 in not.

[2] Quum in corrigendis abusibus Paulus IV quandoque severitate usus fuisset, post eius obitum hanc statuam deiecerunt improbi homines, ob confirmatum ab eo auctumque auctoritate tribunal Inquisitionis sacrae. Deiectam reposuit Clemens XI et basim sub ea collocavit, inscripsitque: *Paulo IV Pont. Max. scelerum vindici integerrimo, Catholicae Fidei acerrimo propugnatori.* Cf Raynald. et Spondan. ad an. 1555-59.

[3] Constit. 77, p. 108, t. II *Bullarii*; Spondan. ad an. 1557, § 5.

[4] Sandini, *Disputat. Historic.* III *De Cathedra D. Petri Romana.*

in secretum a Christianis locum oppidatim coegit, quaemadmodum a religiosissima Venetorum Republica acceperat. Voluit eosdem, viros quidem pileum, foeminas autem velum glauci coloris gerere, quo signo internoscerentur [1]. Adiecit, ne haberent nutrices, ancillas, famulosve Christianos, ne Dominicis festisque diebus munia sua publice obirent, neve luderent cum Christianis. Statuit etiam ut unicam solum in singulis civitatibus synagogam haberent [2]. Nepotes suos Carafas, insolentius Romae agentes, Urbe eiecit, lata in eosdem, si eam repeterent, perduellionis poena. Rexit Ecclesiam usque ad an. 1559, quo xv° calend. septembr. decessit, post *quadriennium*, mens. 2, dies 27, quam Pontifex esse coeperat.

37. *Antitrinitarii*—Quousque protestanticum principium de S. Scriptura, reiectis traditione et auctoritate Ecclesiae, ex se sola a quovis interpretanda, abducat, hoc enatae inter ipsos novatores factiones, praesertim Unitariorum, docuerunt. Hi principio illo utentes, textus sacros, hactenus de divinitate Christi et Spiritus S. intellectos, in alios sensus interpretati sunt, et dogma catholicum de ss. Trinitate negarunt; quamquam caeterum in eo, quid esset Christus et Spiritus S., inter se admodum dissentirent. Ex illis princeps fuit Michaël Servetus, an. 1509 Villaenovae in Aragonia natus, qui notionibus, quas sibi philosophicis, medicis et theologicis studiis compararat, inflatus, veram Christi religionem a se restituendam iactabat, et Galliae, Germaniae, Helvetiae atque Italiae regiones visitans, magna cum vehementia doctrinam de ss. Trinitate impugnavit. Viennae in Gallia propterea in carcerem coniectus est. Quum inde elapsus, per Genevam se reciperet in Italiam, iussu Calvini, quocum antea de eadem doctrina disputaverat, interceptus, et a magistratu Genevensi propter haereses et blasphemias igne damnatus est an. 1553. Similem sortem experti sunt aliquot alii eiusdem generis viri. Nonnulli, inter quos fuit Ochini, quondam generalis Capucinorum vicarius, confugerunt in Poloniam, ubi sub rege Sigismundo Augusto maior quam alibi religionis libertas vigebat. Illic plures in partes suas pertraxerent, qui postquam per aliquod tempus caeteris acatholicis, lutheranis et calvinistis, permixti fuissent, an. 1565 in conventu Petricoviensi se ab iis separarunt, et peculiarem abhinc coetum efformarunt. Eodem tempore impiam haeresim in Transylvaniam intulit Blandrata medicus. Quamvis isti a diversis urbibus, in quibus coetus habuerunt, diverse in Polonia appellati sint, ipsi tamen a primario suo dogmate de unica persona divina Unitarii dici maluerunt [1]. Postea hanc haeresim celebrius propagavit Faustus Socinus, a cuius nomine sectatores dicti sunt Sociniani.

38. *Religionis status in Anglia sub Maria* — Vidimus nuper, quis fuerit Religionis status in Anglia sub Eduardo rege VI[2]. Cum is an. 1553 obiisset, regnum accepit Maria, Henrici VIII e Catharina Aragoniae filia, quae a matre in catholica Religione educata, hanc in regno suo restituendam in primis curavit. Reginae studiis in abolendis haeresi et schismate supremus regni senatus obsecutus est. Confestim episcopi et proceres, Religionis causa exules vel carceribus detenti, restituti sunt; acatholicis potestas praedicandi librosque edendi adempta; omnes extranei, qui nec publicam personam gererent, nec regnicolarum iuribus donati essent, regno exire iussi, qua occasione plura haereticorum millia Angliam deseruerunt.

Iulius Pp. III a Maria regina pro reconciliandis Anglis cum Sede Apostolica interpellatus, an. 1554 ad eam cum plena potestate legavit Reginaldum Polum, regia Anglorum familia oriundum, qui sub Henrico VIII patriam relinquere coactus, propter obsequia abhinc Apostolicae Sedi praestita ad cardinalatus dignitatem fuerat evectus. Is in comitiis publicis nationi, per Ordines suos supplicanti et schisma ac haeresim abiicienti, solemnem absolutionem et reconciliationem cum Ecclesia impertivit; omnes leges, contra Religionem et Sedem Apostolicam latas, revocari mandavit; iniustos bonorum ecclesiasticorum possessores pro pacis et unionis bono promisit non fore inquietandos; episcopatus ab Henrico VIII erectos, sacras Ordinationes tempore meri schismatis peractas, matrimonia contra leges ecclesiasticas inita, rata habuit; quae omnia confirmavit Paulus Pp. IV.

Postquam in Ordinum comitiis veteres contra haereticos leges fuissent instauratae,

---

[1] Id statutum antea a Concilio Oecumenico XII Lateranensi IV, can. 68.

[2] Constit. 3, § 10, t. I *Bullarii*, quam confirmarunt Pius V, Const. 6, Gregorius XIII, Const. 68, et Clemens VIII, Const. 19.

[1] Raynald. *Annal. eccl.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XVI, c. 2, a. 13.

[2] P. 163-64.

ab an. 1555 severius in haereticos animadversum est, etiam ignis supplicio, quod inter alios Crammerus ceu perduellis et haereticus subiit an. 1556. Hanc tamen severitatem non probavit cardinalis Polus, qui primatiali ecclesiae Cantuariensi praefectus, magna cum prudentia mala Religioni illata reparare, disciplinam in clero et populo instaurare, Academias reformare, antiqua instituta et pias consuetudines restituere conatus est. Verum quo minus omnia ista restituendi Religioni priscum splendorem conamina plenum et stabilem effectum consequerentur, impedivit mors Mariae reginae et cardinalis Poli, qui ambo an. 1558 decesserunt [1].

39. *Religionis status in Gallia* — In Gallia, non obstante Francisci regis I, episcoporum et sacrae Facultatis Parisiensis sollicitudine de conservanda Fidei integritate, lutheranae et calvinianae novitates progressum fecerunt. Anno 1547 Francisco I successit Henricus II, filius eius, qui ad patris exemplum novitatum religiosarum progressiones edictis sat severis reprimere conatus est; sed haec non impedivere, quo minus calvinianae religionis sectatores continuo multiplicarentur. Profuit iis vicina Geneva, unde doctores et scripta affluebant; profuerunt etiam continua Henrici II cum regibus Angliae et Hispaniae bella, propter quae edicta contra haereticos negligentius executioni mandabantur. Ex ipsis regni proceribus plures novitatibus religiosis adhaeserunt, inter quos celebriores erant Antonius Borbonicus rex Navarrae, eius frater Ludovicus princeps Condaeus, Gasparus de Coligny praefectus classis navalis, eiusque frater Franciscus summus bellidux. Quamvis ab initio novatores in Gallia plerique sentirent cum Luthero, calviniana tamen placita praevaluerunt. Iam numero et viribus aucti, an. 1559 Parisiis synodum celebrarunt, in qua secundum Calvini placita fidei confessionem et ecclesiasticam disciplinam composuerunt. Eodem anno obiit Henricus rex II.

Sub Francisco II, qui Henrico patri suo successit, principe iuveni et infirmo, regimen maxima e parte fuit apud fratres Guisios, Franciscum ducem et Carolum cardinalem. Id aegre tulerunt principes Borbonici. Guisii pro studio, quo in religionem catholicam ferebantur, Hugonotis (hoc fuit Calvinistarum in Gallia nomen) sacros conventus severe interdixerunt. An. 1560 plurimi nobiles Hugonoti duce Ludovico principe Condaeo, Ambaciae coniurationem inierunt ad transferendum a Guisiis ad Borbonicos regimen et tutandam in universo regno novam religionem. Coniuratione detecta, multi eius participes debitas poenas luerunt; verumtamen propter nimis auctum haereticorum numerum poenae contra eos ab hoc tempore mitigatae fuerunt.

Francisco II, an. 1560 defuncto, successit Carolus IX, eius frater minorennis, regni vero curationem accepit regina mater, Catharina Medicea. Haec regiminis conservationem ipsius Religionis protectioni anteponens, utrique parti, Guisiis et Borbonicis, Catholicis ac Hugonotis, aeque favere voluit. Posteriores patrocinio, quod sibi obtigerat, iam adeo insolescebant, ut non tantum publicos conventus sacros agerent, consistoria et synodos instituerent, sed etiam Catholicis ecclesias vi eriperent, sacras Imagines et cruces destruerent, clericos domibus, fundis, aliisque bonis et reditibus privarent, magistratus catholicos in locis, ubi praevalebant, deponerent, suosque iis substituerent. Anno 1561 regina mater, secundum novatorum consilia, ad procurandam in Religionis negotio concordiam sollemne colloquium seu disputationem episcopos et doctores inter et pseudoreformationis ministros Poissiaci indixit. Ministri acatholici petierunt et impetrarunt, ut rex cum regina matre et regii sanguinis principibus colloquio praesideret, controversiae e sola Scriptura dirimerentur, episcopi non ut iudices, sed ut collocutores in eo sederent. Sacra Facultas Parisiensis et alii plures euismodi colloquium aegre tulerunt, quod in eo ministris errores suos defendendi summa daretur libertas, unde in multorum animis dubia de catholicis dogmatibus nasci possent. Colloquium habitum fuit mense septembri per plures dies. Adfuerunt, praeter regiam familiam et proceres, 6 cardinales, 40 circiter episcopi et selecti doctores, 12 ministri acatholici cum 22 calvinianae religionis deputatis. Inter theologos disputatores praecipui fuerunt Claudius Espencaeus, doctor Sorbonicus, ex parte Catholicorum, et Theodorus Beza e parte Hugonotorum. In hoc colloquio Catholica veritas quidem egregie fuit vindicata; sed haeretici errores suos non abiecerunt, imo eos maiori audacia propugnarunt.

Anno 1562 regina mater edicto, quod a mense, quo conditum est, Ianuarium nuncu-

---

[1] Sander., *De schismate Angl.*

patum fuit, Hugonotis concessit, ut extra urbes sacros conventus, conciones publicas, preces habere possent. Ista reginae indulgentia Catholicis graviter displicuit, neque Hugonotis, in dies plura et aequalia cum illis iura poscentibus, satisfaciebat. Eodem an. 1562 Ludovicus Borbonicus, princeps Condaeus, belli civilis classicum cecinit. Hugonoti, eo duce, arma capessiverunt, Aureliam, Rothomagum, Lugdunum, Turones, aliasque plures urbes occuparunt, in quibus sacrae aedes eversae et direptae, imagines confractae, Ssrum sepulcra violata et reliquiae exustae sunt. Catholicorum duces erant Franciscus dux Guisius, Annas Montmorentius magister equitum et Antonius Borbonicus rex Navarrae, ex hugonoto catholicus. Multa praelia commissa fuerunt, inter quae celebriora sunt Drocense an. 1562, Dionysiopolitanum 1567, Iarnacense et Monconturiense 1569. His praeliis victi quidem, sed non domiti fuerunt rebelles. Interim regina mater saepius concordiam inter utramque partem componere tentavit. Plures pacis tractatus editi sunt, sed neutri parti iis fiebat satis. Anno vero 1570, post praeclarissimam apud Monconturium in Pictonibus victoriam, a Catholicis de Hugonotis relatam, novus pacis tractatus in regio concilio confectus est, qui s. Pium V pontificem et Catholicos multum contristavit. Per istum enim tractatum praeter praeteritorum oblivionem calvinistis concessa sunt liberum religionis suae exercitium, iurium civilium cum Catholicis aequalitas, facultas omnibus muneribus publicis fungendi, et quatuor securitatis civitates, nimirum Rupella, Monsalbanus, Conacum et Charitas [1].

Hugonotis Galliae opem potentem tulit Ioanna Albretia, regina Navarrae, quae una cum coniuge suo Antonio Borbonico calvinianam religionem, relicta catholica, susceperat, sed mariti conversionem eius non est imitata; contra, filium suum Henricum, principem Beneharniae, ad haeresim amplectendam et bellum contra Catholicos Galliae prosequendum excitavit, catholicos Beneharnienses multis modis vexavit, sacerdotes et monachos eiecit, Religionis catholicae exercitium in omni Beneharnia proscripsit. Obiit anno 1572.

40. *Pius IV Pontifex* (*an.* 1559) — Interea Paulo IV mortuo, nocte sequenti diem Christi Domini Natalem, anno 1559, summo Cardinalium consensu pontifex creatus fuit Ioannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, presbyter cardinalis, vir aetate et usu doctus, qui sub nomine Pii IV die festo Epiphaniae coronatus est, atque Ecclesiam rexit usque ad annum 1565. Is concilium Tridentinum, per annos fere 10 intermissum, instauravit, data III° calend. decembris 1560 bulla *Ad Ecclesiae regimen*, qua illud in proximo Dominicae Resurrectionis festo Tridenti resumendum indixit, omnes patriarchas, episcopos aliosque qui de iure aut consuetudine concilio interesse debent, ad illud evocavit; reges quoque et principes, etiam acatholicos, ad idem invitavit, et novem sessionibus absolutum, emisso diplomate, confirmavit. Approbavit etiam Indicem librorum ab selectis eiusdem Oecumenici concilii Patribus confectum. Instituit Congregationem octo Cardinalium, qui eiusdem synodi decreta executioni mandanda curarent, eorumque interpretatione sibi reservata edixit, intentato anathemate, ne quis in ea ederet commentarios [1]. Ferdinando I, cui Carolus V an. 1556 imperium cesserat, quique a septemviris receptus, anno 1558 Francofurti fuerat inauguratus, dignitatem imperialem confirmavit. Sigismundum regem Poloniae, in qua haeretici libere agebant, et episcopos litteris excitavit, ut causam Fidei adversus novitates fortiter agerent. Maximilianum regem Bohemiae, in Fide fluctuantem, per doctissimum Hosium, episcopum Warmiensem, in eadem confirmavit. In America, propagata latius catholica fide, novos episcopatus instituit, quos congruis subsidiis donavit Philippus II rex Hispaniae. In Carafas, decessoris sui propinquos, ab ipso Paulo Pp. urbe eiectos, tanquam laesae maiestatis et perduellionis reos severe animadvertit. Constitutiones varias pro curiae et conclavis reformatione edidit [2]. Mortem obiit biennio

---

[1] Belcar. *Commentar.* l. 22-29; Fontanon, *Collect. edict. reg.* t. IV.

[1] Const. 81, p. 111, t. 2. *Bullar.* S Pius Pp. V confirmavit et ampliavit facultatem huius Congregationis. Sixtus V, Const. 71, eidem Congregationi potestatem fecit etiam interpretandi, sed ea dumtaxat, quae ad formationem morum, non quae ad sacra dogmata pertinerent (Vid. Zegeri Van-Espen, *Ius Ecclesiasticum*, p. I, tit. 22; Fagnano, *Comment. in 1m part. 1 lib. Decret.*). Benedictus XIV per litteras in forma *Brevis* huic Congregationi dedit facultatem scribendi nomine Papae.

[2] Raynald. et Spondan. ad an. 1559-65. De successore eius eligendo in Concilio, subdit Raynaldus (loc. cit.), Pius IV cavit, ne alibi quam Romae Summus Pontifex crearetur, neve ab aliis, quam a Cardinalibus, penes quos tantum esset ius Pontificem eligendi. Redintegrata insuper lege lata a Bonifacio II, decrevit, R. Pontificem non posse sibi successorem eligere, neque adiutorem sibi adsciscere postea successurum in locum suum, quamvis id Cardinales consentirent.

post Concilium Tridentinum, scilicet an. 1565, nocte, quae v^{m} idus decembr. subsequuta est, annos natus 66, post Pontificatum *quinquennii*, mens. 11 ac dierum 15. Morienti adfuere duo sanctissimi viri Philippus Nerius, et Carolus Cardinalis Borromaeus sororis filius, qui etiam Ecclesiae sacramenta ipsi administravit [1].

41. *Concilii Tridentini periodus III* (*an.* 1562-63)—Concilium Tridentinum ad diem festum Paschatis 1561 indictum, non nisi xv° calend. februarii 1562 fuit inchoatum. Hac die praesidentibus Pii IV legatis, Sessio XVII^a^ celebrata fuit, qua declaratum est, Concilium secundum bullam Pii Pp. IV, sublata quacumque suspensione, continuari, ad sedandas de Religione controversias, ad corrigendos depravatorum morum abusus et conciliandam Ecclesiae veram et christianam pacem. Sess. XVIII^a^, habita IV° calendas martii, ad avertenda mala, quae e perniciosis libris oriuntur, delecti sunt patres, qui, quod de iis constituendum esset, ad concilium referrent. Praeterea omnes, a communione Ecclesiae aberrantes, ad concilium et reconciliationem invitati sunt et publica securitas seu salvus-conductus eisdem concessus. Sess. XIX^a^, indicta pridie idus maii, prorogata fuit pridie nonas iunii. Sessio XX^a^, convocata pro hac die, pariter prorogata fuit postridie idus iulii, tum quod quorumdam principum, etiam protestantium, legati magnusque episcoporum Galliae numerus expectarentur, tum quod de reformationis obiectis quaestiones amplae essent exortae. Sess. XXI^a^, habita postridie idus iulii, duo edita sunt decreta: priori, quod continet 4 capita, declaratur, laicos et clericos non conficientes, non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie; Ecclesiam e gravibus et iustis causis approbasse consuetudinem communicandi sub unica specie; totum et integrum Christum verumque sacramentum sumi sub qualibet specie, ac propterea nulla gratia necessaria ad salutem defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt; parvulos, usu rationis carentes, ad communionem sacramentalem non obligari. Errores, huic doctrinae oppositi, 4 canonibus damnantur. Alterum decretum de reformatione continet 9 capita, quibus mandatur, ut sacri Ordines, dimissoriae et testimoniales litterae gratis conferantur; ordinandi habeant titulum beneficii aut patrimonii; beneficiati resideant; sacramenta a convenienti sacerdotum numero exhibeantur; imperitis rectoribus vicarii deputentur, et in scandalo perseverantes beneficiis priventur; ecclesiae, quae reparari nequeunt, cum oneribus transferantur; commendata monasteria, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecumque quotannis ab Ordinario visitentur; indulgentiae et gratiae spirituales publicentur ab Ordinariis. Sess. XXII^a^, celebrata xv° calendas octobris, editum est decretum dogmaticum de sacrificio Missae, nimirum de eius institutione, quod sit propitiatorium pro vivis et defunctis, de missis in honorem Ssrum, de canone missae, de sollemnibus missae caeremoniis, de missa in qua solus sacerdos communicat, de aqua vino miscenda, de missa non celebranda passim lingua vulgari, et de explicandis populo eius mysteriis. Errores contrarii 9 canonibus damnantur. Accedit decretum de observandis et evitandis in celebratione missae. Deinde pro reformatione editum est decretum continens 11 capita, nimirum de vita et honestate clericorum, de iis qui ad ecclesias cathedrales assumendi sunt, de quotidianis distributionibus, de iis qui vocem habent in Capitulo, de dispensationibus extra R. Curiam committendis episcopo, de circumspecta ultimarum voluntatum commutatione, de observando circa appellationes decreto Innocentii IV, de executione piarum dispositionum, de piorum locorum visitatione et administratione, de notariis, de occupatoribus bonorum ecclesiasticorum. Sess. XXIII^a^, habita idibus iulii 1563, doctrina catholica de sacramento Ordinis, de ecclesiastica hierarchia et ordinatione 4 capitibus exposita fuit, et errores contrarii 8 canonibus damnati. Deinde conditum est decretum reformationis continens 18 capita, in quibus rectorum ecclesiarum in residendo negligentia coërcetur et animarum curae providetur; praecipitur, ut praefecti ecclesiis intra 3 menses consecrentur; episcopi extra aegritudinem per se ss. Ordines conferant; decernitur, qui prima tonsura, qui sacris Ordinibus sint initiandi; quae aetas ad beneficium ecclesiasticum requiratur; qui privilegio fori gaudeant; qualiter examinandi sint ordinandi; quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat; quae interstitia, aetas et alia praecepta in susceptione

---

[1] Refert Spondanus, ad an. 1556, § 11, quod altero anno huius Pontificis mortuus est Mediolani Iosephus Fernensis ex Ordine Capuccinorum, quem fuisse volunt auctorem et institutorem utilissimae Orationis *Quadraginta Horarum*.

Ordinum sint observanda; praescribuntur varia de approbatione Ordinarii pro audiendis confessionibus et de ratione erigendi seminaria. Sess. XXIV[a], celebrata III° idus novembris, explicata fuit doctrina catholica de sacramento Matrimonii, et novatorum errores 12 canonibus damnati. Accedit decretum de reformatione matrimonii, de eius sollemnitatibus, impedimentis, libertate, tempore clauso, de raptoribus, vagis, concubinariis. Sequitur decretum de reformatione, continens 21 capita, scilicet de norma creandi episcopos et cardinales, de celebrandis synodis provincialibus et dioecesanis, de visitatione dioeceseon, de ratione praedicandi verbum Dei, de cognitione causarum, de episcoporum potestate in irregularitatum et suspensionum dispensatione et criminum absolutione, de poenitentiario in ecclesiis cathedralibus instituendo, de iis qui promovendi sunt ad dignitates et canonicatus ecclesiarum cathedralium, de modo consulendi tenuioribus ecclesiis cathedralibus et parochiis harumque circumscriptione, de ratione augendi tenues praebendas, de munere Capituli sede vacante, de modo conferendi beneficia et non retinendi plura, de nominando vicario pro parochia vacante et de forma examinandi parochos, de ratione tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. Sess. XXV[a] et ultima, coepta 3° et absoluta pridie nonas decembris, exposita fuit Ecclesiae doctrina de Purgatorio, de invocatione, veneratione et reliquiis Ssrum et de ss. Imaginibus. Deinde editum est decretum de reformatione regularium et monialium continens 22 capita, et aliud decretum de reformatione, quod complectitur 21 capita. Postremo condita sunt decreta de Indulgentiis, de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis, de Indice librorum prohibitorum, catechismo, breviario et missali, de loco oratorum, de recipiendis et observandis decretis concilii, de fine concilio imponendo et confirmatione petenda a Pontifice [1].

Ita concilium Tridentinum, idibus decembris 1545 sub Paulo III coeptum, pridie nonas decembris 1563 sub Pio IV confectum est. Pius Pp. IV, VII° calend februarii 1564 in solemni Cardinalium consistorio omnia et singula, quae in Tridentino Concilio tam sub decessoribus suis Paulo III et Iulio III, quam pontificatus sui tempore, decreta et definita fuerunt, apostolica auctoritate confirmavit, et ab omnibus Christifidelibus recipi et inviolabiliter observari mandavit. De qua confirmatione idem Pontifex eadem die bullam promulgavit, praecipiens, ut Concilii decreta ab omnibus observarentur, cavensque, ne quis sine Pontificis auctoritate ullos commentarios, glossas aut annotationes super eisdem decretis edere praesumeret. Altera bulla, edita XV° calendas augusti, declaravit tempus, quo Concilii decreta, ad reformationem et ius positivum dumtaxat spectantia, obligare inciperent. Praeterea instituit Congregationem 8 cardinalium, qui decreta Concilii executioni mandanda curarent. Approbavit etiam Indicem librorum prohibitorum, a selectis patribus, uti diximus, in concilio confectum [1].

Concilium Tridentinum, quantum ad Fidei definitiones spectat, ab omnibus ubique Catholicis unanimiter receptum est, et tanquam norma credendorum habitum. Quantum ad eius decreta de reformatione pertinet, ea etiam recepta et publicata sunt in Italia, Sicilia, Venetorum republica, Lusitania, Hispania, Belgio, in insulis subditis Lusitaniae et Hispaniae regibus, in catholicis Germaniae regionibus et provinciis haereditariis familiae Austriacae, in Polonia. In Gallia quidem legalis decretorum promulgatio locum non habuit, attamen pleraque in conciliis provincialibus recepta et promulgata fuerunt [2].

42. *S. Pius V Pontifex* (*an.* 1566) — Pio Pp. IV, e vivis sublato, VII° idus ianuarii anni 1556 subrogatus fuit Michaël Ghislerius, Insuber, Ordinis Praed., ex episcopo Nepesino et Sutrino archiepiscopus Montis-Regalis et R. E. cardinalis presbyter, qui nomen Pii V assumpsit. Hic Pontifex vitae

---

[1] Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 1134 seq.; Pallavicino, *Stor. del Concil. di Trento.*

[1] Labbe, loc. cit. p. 939-55.

De praelatis Belgicis et doctoribus Lovaniensibus, qui Concilio Tridentino interfuerunt, legi meretur dissertatio, quae inscripta est: *Mémoires sur la part que le clergé de la Belgique, et spécialement les docteurs de l'Université de Louvain, ont prise au Concile de Trente*, par P. F. X. de Ram, Bruxelles 1841, in *Nouveaux Mémoires de l'Academie.*

[2] Cf Pallavicino, *Op. cit*, l. 24; L. Selvag. *Institut. canon.* t. I, tit. IV *de Conciliis*, § 22. Pro Belgio videsis *Dissertationem de gemino opusculo circa iura Belgarum*, quod cl. p. Stockmans adscribitur, ad finem opusculi cui titulus: *Acta Z. B. Van Espen*, Mechlin. 1827; item, *Synodicon Belgicum* cura P. F. X. de Ram, t. I, p. 3-28. Pro Gallia cf *Dissertation sur la réception du Concile de Trente dans l'Église de France* par l'abbé Boyer, in suo *Examen du pouvoir législatif de l'Église sur le mariage*, Paris 1817; item, *Exposition de la conduite tenue par le clergé de France relativement a l'acceptation des decrets de discipline du Concile de Trente*, in *Echo des vrais principes*, t. II, p. 397.

sanctitate, catholicae religionis studio, rebusque praeclare gestis claruit. Renunciatum Pontificem stupor silentiumque defixit. Rogantibus caussam respondisse ferunt, *se in monasterio viventem sibi et Deo optime de aeterna salute sperasse, creatum Episcopum et Cardinalem coepisse timere,* electum Pontificem *poene desperare* [1]. Quibus verbis significavit, quam aegre susciperet datum sibi Sacerdotium summum.—Causam Carafarum, in quos Pius IV severe animadverterat, retractari iussit, et post diligentem illius discussionem eorum memoriam in integrum restituit. Curiam reformavit, pravasque consuetudines sustulit. Iudaeos ex ecclesiastica ditione, Roma et Ancona exceptis, discedere iussit. Omnem curam adhibuit, ut Tridentini concilii decreta ubique gentium reciperentur et executioni mandarentur. Catechismum e Tridentino decreto editum, Breviarium et Missale ex eiusdem Concilii praescripto emendata, approbavit, caeteris prohibitis, quorum usus a prima institutione a Sede Apostolica vel legitima consuetudine 200 annorum non esset approbatus. Latinis sacerdotibus graeco, et Graecis latino ritu sacrificare et divina officia peragere prohibuit. Constitutiones varias edidit de divino cultu, festorum observantia, monialium clausura, cambiis illicitis aliisque. Congregationum religiosarum reformationem promovit. Ordinem Humiliatorum, quorum emendationem tum ipse, tum s. Carolus Borromaeus, illius protector, frustra tentarant, suppressit. Michaëlis Baii propositiones, ut infra videbimus, damnavit. Mariam Stuart reginam Scotiae, quam Elisabetha Anglorum regina per summam iniuriam miserat in carcerem, paterno coluit affectu; Elisabetham vero quae etiam acriter catholicos vexabat, anathemate perculit, Equitibus Melitensibus, a Turcis ad angustias redactis, auxilia suppeditavit [2]. Bellum sacrum contra Turcas excitavit, de quibus an. 1571 insignis victoria ad Echinadas insulas a Christianis relata est (quam divinitus didicit eadem hora, qua parta est). Carolum IX, regem Galliae, adversus Calvinistas seu Hugonotos bellum gerentem, milite et pecunia iuvit. In Americam et Indias apostolicam sollicitudinem explicuit, lectissimosque Fidei praecones e Societate Iesu ad Iaponenses et Sinenses destinavit. — Anno 1568 Clericorum Regularium Somaschae Congregationem in Ordinum religiosorum numerum cooptavit. S. Thomam Aquinatem Ecclesiae Doctorem habendum iussit. Tandem vitam pie et caste traductam, sanctissimo fine clausit calendis maii 1572, a Clemente X Beatorum et a Clemente XI Ssrum numero adscriptus [1].

43. *Religionis status in Anglia sub Elisabetha* — In Anglia sub Maria regina catholicae Religionis exercitia restituta vidimus [2]. Verum illa an. 1558 sine liberis defuncta, Elisabetha, Henrici VIII ex Anna Bolena filia, regnum accepit, quae, proscripta catholica, novae religioni in Anglia stabiliendae 45 annos, quibus regnavit, consecravit. Artibus politicis instructa, quamvis a teneris unguiculis in nova religione instituta, ab episcopo Carleolensi ritu catholico inaugurari voluit, solitum iuramentum de fidei catholicae defensione, de privilegiorum et libertatum ecclesiasticarum conservatione praestitit, suamque inaugurationem Paulo Pp. IV significavit. Iam pridem Apostolicae Sedi infensa, magisque offensa responso Pontificis, questi, quod, non obstante natalium vitio, regnum occupasset, abolendae religioni catholicae manus adiecit.

Primo religionis seu cultuum libertatem subditis concessit, omnes acatholicos sub Maria prehensos dimisit exulesque revocavit. An. 1559 regni Ordines convocavit, qui mira animi abiectione in omnem principum suorum voluntatem proni cuncta Mariae reginae acta decreta pro catholica religione abrogarunt, novae religionis formam et liturgiam, sub Eduardo VI introductam, restituerunt; Elisabetham eiusque successores pronuntiarunt supremos Ecclesiae gubernatores; et plenissima in illa potestate instruxerunt, quam etiam per vicarios a se delectos exercere possent. Elisabetha e potestate sibi ab Ordinibus facta et ex eorum consensu creavit sic dictum altum tribunal ecclesiasticum, maxime e laicis compositum; episcopos, qui fere omnes ei tanquam supremo ecclesiae capiti obedientiam iurare recusabant, custodiae tradidit et paulo post deposuit, eorumque loca acatholicis dedit; novum credendorum symbolum, continens 39 articulos, an. 1562 in Londinensi synodo acceptandum curavit; liturgiam Eduardi VI

---

[1] Vid. Cornel. a Lapid. *in Ecclesiast. c. XXXII, 2,* et *in Apocalypsim III, 1.*

[2] Equites Hospitalarii s. Ioannis, ut vidimus p. 148-149 an. 1522 ex insula Rhodo eiecti, a Carolo V acceperunt insulam Melitam, unde Melitenses dicti sunt.

[1] H. Catena, *Vita del gloriosissimo Papa Pio V*; A. Gabutii, *De vita Pii V libri IV*; Bolland. *Acta SS.*, ad diem 5 maii.

[2] P. 168.

confirmavit. Caeterum Elisabethae symbolum erat calviniano symbolo simillimum; verumtamen hierarchiam archiepiscoporum, episcoporum, presbyterorum et diaconorum, canonicatus, archidiaconatus et decanatus conservavit; retinuit etiam festa Domini, Apostolorum et aliorum aliquot Ssrum, ieiunia, sacra clericorum vestimenta, externa Ecclesiae ornamenta, organa, cantum ecclesiasticum, aliosque nonnullos ritus catholicos; imo sacras Imagines et clericorum coelibatum aliquandiu conservavit: postea tamen in his communi novatorum desiderio cessit. Hanc religionis normam Elisabetha omnibus suis subditis obtrusit; in illos vero, qui avitae religioni inhaerebant, paulatim, etiam poenis severis, munerum ademptione, mulctis, carceribus, exilio, cruciatibus animadvertit; atque his modis maximam Anglorum partem ad novam religionem adegit.

Quum ea omnia audivisset s. Pius V, v° calendas martii 1570 bullam promulgavit *Regnans in excelsis*, qua declaravit, Elisabetham esse haereticam et usurpato regni Anglicani iure (erat quippe spuria) privatam, subditos omni obsequii et fidei debito solutos, eos vero, qui haereticis illius innovationibus adhaerebant, anathematis sententiam incurrisse et ab Ecclesiae unitate esse praecisos. Id Elisabethae furorem in Catholicos auxit. Multi Catholici e clericorum, monachorum, nobilium aliorumque statu et conditione, praeclara christianae constantiae specimina dederunt; plures patres Iesuitae, qui, Religioni suppetias laturi, in Angliam transierant, suppliciis necati sunt; et non vulgaria tantum supplicia, sed cruciatus, solis tyrannorum temporibus usitati, contra Catholicos exerciti fuerunt [1].

44. *Puritani*—Inter ipsos acatholicos nihilominus in Anglia scissio gravis orta est. Illi quippe, qui regnante Maria patriam reliquerant, et in Helvetia et alibi Calvinistarum placita adoptaverant, nunc in Angliam reduces, formam religionis et ecclesiae, ab Elisabetha inductam, improbabant, quod multa ex hierarchia, liturgia et disciplina catholica retinuisset; doctrinae calvinianae strictius inhaerentes, religionem ab illis inquinamentis purgandam esse contendebant; unde Puritani dicti sunt, et quia sacris, publica auctoritate introductis, se non conformabant, regimenque ecclesiasticum e solis presbyteris compositum vellent, etiam Nonconformistae et Presbyteriani appellati sunt. Elisabetha eos, quod sacra a se introducta negligerent et separatos conventus agerent, primo mulctae subiecit, deinde praedicationis officio interdixit, carceris et exilii poenas contra eosdem decrevit, quosdam morte affecit. Sed his omnibus illi ad unionem cum ecclesia dominante adduci non potuerunt: contra, dissidium, odium, postea etiam bellum illos inter et Episcopales seu Anglicanos aucta sunt [1].

45. *Religionis excidia in Scotia*—Eodem tempore, quo Elisabetha novam religionem in Anglia stabilivit, antiqua religio catholica e vicina Scotia eliminata fuit. In hanc terram anno circiter 1524 novarum doctrinarum rumor maxime ex Anglia pervenit. Eas propagare studuit Patricius Hamilton, abbas Fermensis, an. 1528 supplicio haereticis destinato affectus. Verumtamen seminatas ab eo novitates multi e clero inferiori, deinde etiam laici nobiles et viri litterati susceperunt. Quapropter David Beaton, an. 1539 ad regimen ecclesiae primatialis in Scotia, a s. Andrea compellatae, evectus, cum caeteris episcopis Iacobum regem V ad certum inquisitionis genus instituendum promovit. Iacobo rege an. 1542 defuncto, nova religio maiora incrementa cepit, quamvis Iacobus Hamilton, qui, Maria Stuarta, regis filia et haerede, adhuc infante, regnum administrabat, una cum Beatone archiepiscopo haereticorum conaminibus resisteret. Anno 1545 haereticorum machinationibus Iacobus Hamilton regni procurationem reginae matri, Mariae Lotharingiae, cedere coactus fuit. Ex hoc tempore calvinianae doctrinae sectatores, numero et viribus Catholicos superantes, sacros conventus palam egerunt, haereseos causa exules revocarunt, contra religionem catholicam summa vehementia declamarunt, in Ssrum et Christi crucifixi imagines, reliquias ipsosque sacerdotes frequenter violentas manus iniecerunt. An. 1559 praedicante et instigante Ioanne Knox, sacerdote apostata, in pluribus urbibus et in ipsa metropoli Edinburgo altaria, imagines, ornamenta ecclesiarum destructa, monasteria cum suis thesauris direpta, clerici, monachi aliique pessime habiti sunt. Quum Maria regni procuratrix his violentiis se opponeret, dignitate sua fuit exuta. Anno 1560 regni Ordines congregati

[1] Sanderi continuator, *De schismate Angl.*; G. Cambden, *Annal. Britann.*

[1] Pluquet, *Diction, des Hérés.*, art. *Angleterre* et *Presbytériens.*

confessionem fidei, sibi a novatoribus oblatam, approbarunt, religionis catholicae exercitium, abrogarunt, contra eos, qui ter missae interessent, extremum supplicium, et contra illos, qui cum R. Pontifice communicarent, proscriptionem et exilium statuerunt.

Maria Stuarta, Iacobi V filia et Scotiae regina, nupserat Francisco II, Henrici II regis Galliae filio et an. 1559 successori. An. 1561 post Francisci mortem Maria Stuarta in Scotiam rediit nupsitque Henrico cognato suo. Verum fanatici haeretici ne quidem permiserunt, ut in domestico reginae sacello missa celebraretur; Mariam continuis opprobriis vexarunt, et cum eamdem ad novam religionem suscipiendam perducere non possent, an. 1567 necis mariti sui falso accusatam deposuerunt, custodiae tradiderunt, Iacobum VI, eius filium, anno uno natum, regem crearunt, regnique administrationem dederunt Iacobo comiti Morraeo, reginae fratri spurio et haeresi studiosissimo. Maria Stuarta e custodia egressa, armis iura sua vindicari tentavit, sed superata, an. 1568 confugit in Angliam, ubi sub haeretica Elisabetha 18 annis in custodia detenta, an. 1587, variis criminibus ei suppositis, capite plexa fuit [1].

Abrogata catholicae religionis in Scotia professione, nova religio ubique secundum mentem formamque Calvini et Puritanorum seu Presbyterianorum introducta fuit [2].

46. *Religionis status in Germania et Belgio* — In Germania Lutherani post pacem Augustanam sacra sua libere exercuerunt [3]. Ferdinandus I, qui post fratris sui Caroli V abdicationem usque ad 1564 imperio potitus est, eiusque successor Maximilianus II, qui imperavit usque ad 1576, pacis studio novae religionis exercitium, quod impedire metuebant, tolerarunt. Protestantes horum principum indulgentia usi sunt ad religionis suae propagationem etiam in iis civitatibus, quae hactenus fidem catholicam conservarant. Viennae et in aliis Austriae urbibus conventus suos libere celebrarunt, multosque in sectam suam pertraxerunt. At Rudolphus II, qui post Maximiliani obitum ab an. 1576 usque ad 1612 imperavit, novae religionis progressiones in Austria cohibuit, praedicatores haereticos e Vienna aliisque urbibus exire iussit, conventus sacros haereticorum prohibuit, neminem inter cives suscipi praecepit, nisi perseverantiam in catholica religione promitteret, in Universitate Viennensi nullum ad gradus academicos promoveri voluit, nisi fidem catholicam professum. His aliisque modis Rudolphus protestantium progressus in Austria cohibuit [1].

In Belgio etiam sub Carolo V, non obstantibus huius principis edictis, protestantes multorum fidem corruperant. Philippus II, qui an. 1555 patri suo Carolo V in Hispania, Sicilia et Belgio successit, nullam haeresim in terris suis tolerans, mox patris sui leges contra haereticos in Belgio instauravit. Nihilominus eorum numerus continuo augebatur. Ex eorum cum vicinis Galliae Hugonotis seu Calvinistis relatione factum est, ut plerique a Lutheranismo ad Calvini placita deflexerint. Philippus, ad tutandam Religionem contra haereticorum progressiones, an. 1559 ex auctoritate Pauli Pp. IV 14 novos episcopatus in Belgio erexit. Eodem anno provinciarum Belgicarum procurationem commisit sorori suae Margaritae, quae Octavio duci Parmensi nupserat. Hoc aegerrime tulerunt Guilielmus princeps Arausicanus, copiarum dux et Hollandiae ac Zeelandiae praefectus, et comes de Egmont, Flandriae praefectus, qui procurationem Belgii ambiebant. Illi, plerisque ex ordine nobilium in partes suas pertractis, an. 1565 cum haereticis foedus adversus Philippum II sancierunt, Belgasque ad rebellionem excitarunt. Haeretici, maxime Calvinistae, in Belgium accurrentes, in Flandria, Artesia, Brabantia, aliisque provinciis populum contra religionem catholicam quasi idololatricam excitarunt, barbarica ferocia ecclesias et monasteria diripuerunt, altaria et imagines sacras destruxerunt, et sacros suos conventus in plures urbes introduxerunt.

Philippus II de statu provinciarum Belgicarum litteris Margaritae procuratricis certior factus, an. 1567 ducem Albanum cum magno exercitu ad eas destinavit. Catholici violentiis haereticorum offensi, iam a foedere recesserant. Princeps Arausicanus et alii multi ad adventum ducis Albani, cuius

---

[1] G. Stuart, *Apologie de Marie Stuart*; M. de Sevelinges, *Histoire de Marie Stuart*; item opuscula, *Martyre de la reine d'Écosse, douairiére de France*, Edimbourg in-8°, et *Recherches hist. et crit. sur les preuves de l'accusation intentée contre Marie Stuart*, Paris 1772, in 12°.

[2] G. Stuart, *Histoire de la réformation en Écosse*; item, *Histoire de l' Écosse depuis la réformation jusqu'à la mort de la reine Marie*, Londres 1786.

[3] Videsis p. 163.

[1] Raupach, *Evangelisches Oesterreich.*

severam indolem noverant, aufugerunt. Reipsa dux Albae ad domandos rebelles severitate usus est; comites de Egmont et de Hornes, aliosque ad caeterorum terrorem Bruxellis capitis supplicio affici iussit; rebelles, e provinciis meridionalibus fugatos, usque in septentrionales insecutus est; anno 1572 Harlemium, quod erat praecipuum illorum propugnaculum, expugnavit. Verum an. 1573 quum Belgae durum ducis Albani imperium aegre ferrent, Philippus II eum in Hispaniam revocavit. Quo factum est, ut rebelles haeretici, duce principe Arausicano, provincias septentrionales a iugo hispanico abstraxerint, suum imperium et novam religionem secundum Calvini placita in iisdem stabiliverint, bellumque in meridionalibus etiam provinciis instaurarint [1].

Porro in cunctis provinciis, praesertim in Hollandia, Zeelandia et Gueldria, in quibus calvinistae praevaluerunt, hi Catholicorum sacra perturbarunt, eorum ecclesias depraedati sunt, alias suae religioni addixerunt, monasteria destruxerunt, bona occuparunt pluresque Catholicos, praesertim sacerdotes et monachos, suppliciis affecerunt. Notissima est historia 19 martyrum Gorcomiensium, qui propter confessam constanter fidem de reali Christi praesentia in ss. Eucharistia, et de primatu R. Pontificis, an. 1572 horrendis suppliciis necati fuerunt [2].

47. *Michaël Baius eiusque systema* — Interea magnae animorum contentioni in theologicis Belgii scholis causam dedit Michaël Baius seu de Bay, Melini anno 1513 natus, in Universitate Lovaniensi an. 1550 s. Theologiae doctor et anno sequenti in eadem Universitate ss. Literarum interpres creatus. Cum occasione recentiorum haeresum circa gratiam, liberum hominis arbitrium et bona opera, de his quaestionibus in Scholis frequenter disceptaretur, Baius easdem secundum s. Augustini mentem tractare sibi proposuit; sed Africani praesulis sententiis male intellectis, in varios errores impegit. Doctrinam suam in primis persuasit Ioanni Hesselio, in eadem Universitate s. Theologiae professori. Cum ambo hi doctores essent ingenio morumque probitate conspicui, multi scholastici et alii sententias eorum probarunt. Contra Ruardus Tapperus, Iudocus Ravesteyn aliique doctores Lovanienses ab initio iisdem obstiterunt. Anno 1560 sacra Facultas Parisiensis 18 propositiones de Baii doctrina proscripsit. Adversus hanc censuram Baius edidit doctrinae suae apologiam, et acrius inter eius patronos et adversarios disceptatum est. Archiepiscopus Mechliniensis De Granvelle, propter Baii et Hesselii eruditionem et probitatem, prudentia et moderatione utendum esse ratus, utrique parti silentium praescripsit, et cum cardinali legato Commendonio egit, ut Baius et Hesselius cum aliis theologis ad concilium Tridentinum destinarentur, tum ut ibidem virorum doctorum colloquiis a sententiis suis revocarentur, tum ut disceptationes in Belgio sopirentur. Cum vero in ultima concilii Tridentini periodo, cui Baius et Hesselius interfuerunt, quaestiones, ad eorum sententias spectantes, non fuerint agitatae; cumque prudentiae sit, ardentibus cum hoste bellis, domesticorum litigia pacare, Baii doctrina in concilio non fuit discussa. Quapropter post illorum reditum contentiones in scholis recruduerunt.

Anno 1567 Pius Pp. V ad cardinalem De Granvelle, archiepiscopum Mechliniensem, Bullam dedit, in qua 79 propositiones, e scriptis Baii exceptas et Romam delatas, damnavit. Inter illas propositiones praecipuae sunt hae: 19ª, « opera catechumenorum, ut fides et poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae eternae merita »; 26ª, «omnia opera infidelium sunt peccata»; 27ª, « integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio »; 28ª, «liberum arbitrium sine gratiae Dei auxilio non nisi ad peccatum valet »; 38ª, «omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa caritas qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur »; 39ª, « quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit»; 41ª, «is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato »; 66ª, « sola violentia repugnat libertati hominis naturali »; 67ª, « homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit ».

Sacra Facultas Lovaniensis bullam Pontificis reverenter suscepit. Baius ipse primo tergiversatus, dein anno 1570 eidem sub-

---

[1] De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, t. I, Introduct.

[2] G. Estius, *Historia martyrum Gorcomiensium*, Duaci 1603, in 8; Bolland, *Acta SS* t. II iul. p. 736. Vid. quoque *La Scienza e la Fede*, vol. LXV, p. 401 sqq. Napoli 1867. Pius Pp. IX, in saecularia Sollemnia ob memoriam Principum Apostolorum martyrii, III calend. iulii an. 1867, in urbe acta, Gorcomienses Martyres, a Clemente X an. 1675 inter Beatos relatos, in Sanctorum Catalogo adscripsit.

scripsit; I. Hesselius iam an. 1566 Lovanii obierat. Verum non omnes Baii fautores eius submissionis exemplum secuti sunt; alii pontificiae bullae authentiam in dubium vocarunt, alii eam supposititiam, alii subreptitiam esse contenderunt; unde sopitae vix disceptationes recruduerunt. Quapropter Gregorius XIII an. 1579 alteram bullam per F. Toletum, S. I. presbyterum et postea R. E. cardinalem, ad Universitatem Lovaniensem dedit, qua decessoris sui bullam authenticam declaravit confirmavitque. Gregorii XIII bullam solemniter susceperunt Universitatis Lovaniensis doctores et ipse Baius, qui tanta submissione errores suos damnavit, ut Toletus diceret: *Fateor et fatebor, nihil me vidisse Baio doctius, nihil Baio humilius.* Baius in hac submissione usque ad obitum (1589) perseveravit [1]. Baianismus ita proscriptus, postmodum in Iansenismum transfusus est, ut videbimus.

48. *Scriptores ecclesiastici* — Iisdem cum M. Baio et I. Hesselio [2] temporibus floruerunt scriptores qui sequuntur: Iudocus Ravesteyn, Tiletanus, doctor Lovaniensis, scripsit praeter alia Apologiam decretorum concilii Tridentini de Sacramentis [3]. Claudius Espencaeus, doctor Parisiensis, reliquit commentarios in Epistolas s. Pauli ad Timotheum et Titum, pluresque tractatus de rebus Fidei [4]. Andreas Masius, Bruxellensis, graece, hebraice et syriace peritus, edidit Commentarium in librum Iosue [5], Dictionarium [6], et Grammaticam linguae syriacae [7]. Cornelius Jansen seu Iansenius, Hulstensis, doctor Lovaniensis et primus episcopus Gandavensis, composuit Concordiam Evangelicam et commentarios in plures s. Scripturae libros. Bartholomaeus Carranza, Navarrus, Ord. Praed., et archiepiscopus Toletanus, propter haereseos suspicionem aliquandiu custodiae mancipatus, dein absolutus, collegit Summam Conciliorum et RR. Pontificum a s. Petro usque ad Iulium III [8], et tractatum de residentia [9]. Didacus Covarruvias, episcopus Segobiensis, s. Theologiae, iuris et litterarum peritus, cuius plura extant opera [1]. Laurentius Surius, Ord. Carthusiani, inter alia reliquit collectionem Conciliorum [2] et Vitas Ssrum [3]. Stanislaus Hosius, Cracoviensis, episcopus Warmiensis et R. E. cardinalis, multa scripsit, inter quae eminent Confessio catholica fidei christianae, tractatus de communione sub utraque specie, de sacerdotum coniugio, de missa in lingua vulgari [4].

49. *S. Carolus Borromaeus* — Eruditione pariter ac vitae sanctitate floruit s. Carolus Borromaeus, qui an. 1538 in arce Aronae nobili genere natus, a pueritia insignem pietatem cum litterarum et scientiarum studio coniunxit; clericali militiae adscriptus, anno aetatis suae 23 a Pio IV cardinalis archiepiscopus Mediolanensis creatus fuit. Vix dici potest, quanta sollicitudine et quanto Ecclesiae bono omnes vigilantissimi pastoris partes expleverit. Resumendo et absolvendo Tridentino concilio potentem operam praestitit, illius decreta executioni mandavit, et secundum ea cleri, populi et regularium mores atque disciplinam emendavit, celebratis in hunc finem 6 provincialibus et 11 dioecesanis synodis. Seminaria clericorum, studiorum collegia, monasteria, pauperum et orphanorum domicilia erexit. Animarum saluti constanter intentus, a concionibus in ecclesia sua faciendis non destitit. Poenitentia admirabili et liberalitate ac caritate effusissima claruit, maxime dum pestis Mediolani grassabatur. Multa scripsit, ad instructionem episcoporum praesertim ac parochorum utilissima. Tandem magnis pro Ecclesia laboribus perfunctus, anno 1584 in coelum migravit [5].

50. *Bellum Turcarum* — In Oriente Turcarum imperio ab anno 1520 usque ad 1566 potitus est Solimanus II. Is reliquiis Mamalucorum in Ægypto deletis pactisque cum Sophi Persarum induciis, arma vertit in Christianos. An. 1521 Belgradum seu Albam-graecam expugnavit, et anno sequenti equites Hierosolymitanos ad deditionem Rhodi compulit. Quadriennio post commisso apud Amantiam (Mohatz) in Hungaria praelio, magnum Hungarorum stragem edidit, et anno

---

1 Pallavicino, *Stor. del Concil. di Trento*, l. XV, c. 7 et l. XXI, c. 7; Foppens, *Bibliotheca Belgica*, t. II, p. 658 et 888; Duchesne, *Histoire du Baianisme*, Douai 1731, in-4°.

2 Opera M. Baii a Quesnel et Gerberon collecta et edita an. 1696, Romae an. 1697 damnata sunt. Hesselius reliquit commentarios *in Evangelium s. Matthaei*, *in Epistolam I ad Timotheum*, *in II s. Petri* et *in I s. Ioannis*, item Catechismum et tractatus plures de controversiis. — 3 Colon. 1607, in 12°.

4 Paris. 1619, in-fol. — 5 Antuerp. 1574, in-fol.

6 Ibid. 1571, in-fol. — 7 Ibid. 1571, in-fol.

8 1681 in-4°. — 9 Venet. 1547, in 4°.

1 Genevae 1762, 5 voll. in-fol.

2 Colon. 1567, 4 voll. in-fol.

3 Ibid. 1617, 6 voll. in-fol.

4 Ibid. 1584, in-fol., et alibi saepe.

5 Vitam eius scripserunt A. Valerio, C. Bascape et P. Giussano, auctores aequales. — Opera edita sunt Mediolani 1747, 5 voll. in-fol.

1529 Budam Hungariae metropolim expugnavit. Inde Vindobonam usque venit, eamque obsedit; sed post 20 dies obsidionem solvere coactus est. Post haec expeditionem suscepit contra Persas. Deinde an. 1565 Melitam insulam, a Carolo V equitibus Hierosolymitanis concessam, oppugnavit, sed ab illis reiectus fuit. Anno sequenti insulam Chium in mari Ægeo, Genuensibus subditam, occupavit, et eodem anno dum Sigethum, firmissimum Hungariae oppidum, obsideret, apoplexia exstinctus est. Eum excepit Selimus II filius, qui an. 1567 cum Maximiliano imperatore II inducias 8 annorum pepigit, pacemque a patre cum Venetis initam confirmavit. Verum anno 1570, spretis pactionibus, bellum Venetis intulit, insulam Cyprum iis subditam occupavit, grandemque stragem edidit.

Interea Pius Pp. V cum Philippo II rege Hispaniae et Venetorum senatu ingentem classem instruxit, quae duce Ioanne Austriaco adversus Turcas movit, et an. 1571 ad Naupactum prope Echinadas insulas, non sine praesentissimo Dei auxilio, insignem et a saeculis inauditam victoriam de Turcis retulit; universa fere hostium classis in Christianorum potestatem venit, Turcarum prope 25 millia cum duce suo caesa, 10 millia capta, et mancipiorum christianorum plusquam 15,000 libertati reddita sunt.

Summus Pontifex hanc victoriam Deiparae Virgini acceptam referens, instituit commemorationem s. Mariae de Victoria quotannis nonis octobris recolendam, eiusdemque Virginis Litaniis addidit has voces: *Auxilium Christianorum*. Gregorius XIII in eiusdem victoriae memoriam instituit festum ss. Rosarii celebrandum prima dominica octobris in singulis ecclesiis, in quibus esset altare Rosarii: quod festum postea Clemens XI ad universam Ecclesiam extendit [1].

51. *Gregorius XIII Pontifex* (*an.* 1572) — Anno sequenti (1572) III° idus maii concordibus 25 cardinalium suffragiis in locum Pii V defuncti electus fuit Hugo Boncompagnus, Bononiensis, presbyter cardinalis, qui sub Gregorii XIII nomine Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1585. Is ubi Pontificatus insignia VIII° calend. iunii, die sacro Pentecostes rite suscepit, illico principes christianos hortatus est ad prosequendum bellum adversus Turcas, quos recens victoria nimis fregerat; sed obsteterunt principum discordia atque cunctatio.

Idem Pontifex Henricum III regem Galliae adversus perduelles Hugonotos seu Calvinistas milite et pecunia iuvit, clerique proceribus potestatem dedit alienandi etiam ecclesiarum bona immobilia, si id ad continuandum bellum pro Fidei conservatione contra haereticos esset necessarium. Ad propagandam in Iaponia Fidem, novos in eam praecones e Societate Iesu destinavit. Honorifice excepit oratores regum Iaponensium, obedientiae erga Apostolicam Sedem testimonia deferentes. Excepit pariter legatos Maronitarum, patriarchae sui confirmationem postulantes, et cum iis aliquot e Societate Iesu viros ad montem Libanum legavit, qui Maronitas recte instituerent. Maximo rei christianae emolumento Romae pro Maronitis, Graecis, Anglis, aliisque nationibus diversa collegia erexit et annuis reditibus dotavit. Romanum collegium Societatis Iesu, omnium gentium et nationum seminarium fundavit, magnisque beneficiis ac privilegiis auxit. Alia in aliis christiani orbis regionibus, etiam apud Indos, collegia et seminaria excitanda curavit et liberaliter iuvit. Optatam diu saepiusque tentatam calendarii ecclesiastici correctionem opera insignium astronomorum et mathematicorum praesertim Aloysii Lilii feliciter absolvit, et an. 1582 publici iuris fecit. Omnes fere nationes vel statim vel serius huic emendationi adeserunt Russia excepta quae adhuc veterem Calendarium retinet [1]. Ope-

[1] Gabut. et Catena in *Vita s. Pii V.*

[1] Iulianum Calendarium, quod Patres Nicaeni Concilii, Dionysius Exiguus, aliique secuti sunt praestituendo diem Paschae celebrando, annorum progressu vitio laborare compertum est. Positum enim erat pro certo, annum seu cursum Solis per Zodiacum diebus 365 et integris horis 6 definiri, cum tamen hisce horis 6 explendis deessent minuta amplius 11. Factum inde, ut ex minutis his ab emendatione Calendarii per Iulium Caesarem facta usque ad Pontificatum Gregorii XIII, et annum 1582, dies 10 constituerentur, et per totidem fere dies Aequinoctium Vernum anteverteret, nec amplius in diem 21 martii, sed 11 incideret. Ex quo sequebatur illud etiam, ut Pascha non amplius celebraretur, secundum Nicaenae Synodi decretum, die Dominico proxime sequente Lunam decimam quartam, quae in ipso, vel statim post ipsum Vernum Aequinoctium, et diem XII calend. april. illuxisset. Fecerat caussa haec multis antea desiderium emendationis. Concilium Constantiense anno 1414, Basileense anno 1439, et Lateranense anno 1516, ea de re agitarunt. Nicolaus pariter V in eam curam incubuit, et 30 post annis Xyxtus IV eadem de causa insignem mathematicum Ioannem Regiomontanum Romam accivit. Tandem Calendarii emendandi negotium a Concilio Tridentino datum est Pontifici Romano, quod virorum eruditorum opera Gregorius XIII feliciter absolvit. Siquidem 10 dierum suppressione Aequinoctium Vernum restituit in diem suum 21 martii, neve rursus labaret ratio temporum, regulas praescripsit deinceps servandas. Decem autem illi dies e mense

ra selectorum iuris peritorum inchoatam sub decessoribus suis Decreti Gratianaei, totiusque Corporis iuris canonici emendationem curavit [1]. Praeterea novae et correctae ss. Bibliorum editioni, quam secundum concilii Tridentini decretum Pius IV et s. Pius V susceperant, animum adiecit, varios codices mss. e diversis regionibus conquiri iussit, et congregationem virorum, linguarum peritia et theologicis scientiis insignium, ad id opus instituit, sed quominus hoc perficeret, mors impedivit [2]. Gregorius post susceptos Iaponiorum legatos, expletosque aetatis annos amplius 83, pituita spiritum intercludente consumtus est IV° idus aprilis 1585, *anno* 12, *mens.* 10, *dieb.* 28 Pontificatus [3].

52. *Disciplinae monasticae status* — Attamen monastica disciplina tum per reformationis decreta in concilio Tridentino edita, tum per novos Ordines religiosos refloruit.

S. Petrus de Alcantara — In primis s. Petrus de Alcantara, in Hispania nobilibus parentibus natus anno 1499, ab ineunte aetate sanctitatis semitam secutus, deinde Ordinem FF. Minorum ingressus, omnium virtutum exemplar fuit; divina ope et apostolica auctoritate fretus, s. Francisci Institutum ad primaevam formam revocare studuit, et an. 1555 iuxta Pedrosum Palenciae coenobio extructo, Ordinis reformationem incepit, quae brevi in multis Hispaniae et aliarum regionum monasteriis fuit suscepta. Obiit Petrus de Alcantara an. 1562, postea a Gregorio XV in Beatorum et a Clemente IX in Ssrum album relatus [4].

Reformationi inter Augustinianos eremitas occasionem dederunt octo huius Ordinis missionarii in Hispania, qui an. 1533 in Mexicum profecturi, nudipedes incedere et villosam vestem e rudiori lana textam inducere coeperunt. Eorum exemplum mox plures secuti, nova austeritate usi sunt: quod cum caeteri non susciperent, illi, facta separatione, novam Augustinianorum congregationem in Hispania constituerunt, an. 1585 a Xysto V approbatam, cuius membra Augustiniani discalceati nominari consueverunt [1].

S. Theresia — Similem reformationem, maiori abstinentia, rigidiori ieiunio, viliori vestitu, flagellatione, frequentioribus precibus auctam, inter Carmelitas promovit s. Theresia, an. 1515 Abulae in Castella nobili genere nata, et anno aetatis suae 20 Ordinem monialium Carmelitarum ingressa. Haec sororum suarum disciplinam a regula in multis degenerem dolens, cum omnes non posset, aliquot saltem melioris indolis permovit, ut in proprium coenobium, quod exstruxit, secum secederent, ibique secundum regulae rigorem viverent. Quam reformationem, a caeteris oppugnatam, cum Pius IV an. 1562 approbasset, plura alia eiusdem Ordinis monialium coenobia susceperunt [2]. Decessit s. Theresia an. 1582, relictis variis scriptis coelesti sapientia refertis; dein a Gregorio XV Ssrum Virginum fastis adscripta est [3].

S. Ioannes de Cruce — Theresia eamdem reformationem etiam inter monachos sui Ordinis introducere studuit, et reipsa opera potissimum s. Ioannis de Cruce complures ad illam admittendam adduxit, quorum exemplum successive tot alii imitati sunt, ut plura ab iis monasteria in Hispania implerentur. Iidem, quippe, qui inter caetera austeritatis studia nudipedes incedere solemne habebant, Discalceati dicti, postea etiam per Galliam, Italiam, aliasque regiones propagati sunt. Quum autem caeteri, qui reformationem respuebant, reformatis acriter adversarentur, Clemens VIII an. 1600, data his facultate eligendi sibi proprium Praepositum generalem, Ordinem in duas Congregationes separavit [4]. S. Ioannes de

---

octobri exempti sunt, et dies 5 pro 15 Romae an. 1582 habitus est, ut patet ex Gregorii XIII Const. 74. Vide de hac re *La Scienza e la Fede*, vol. CXXVII, p. 425 sqq, Napoli 1882.

[1] Tradunt nonnulli, Gratiani Decretum ab Eugenio III sub quo ille vixit, et a Gregorio XIII probatum fuisse, prorsus ut auctoritas eius tanta sit, quanta Decretalium Gregorii IX. Ast Benedictus XIV, *Const.* 113, § 9, p. 455, haec habet: « Gratiani Decretum, utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam Textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur ».

[2] Spondan. ad an. 1572-85; Ciacon. *Vitae RR. Pontif.*

[3] « Tempore Gregorii XIII, scribit laud. Bened. XIV (*De Servor. Dei Beat.* l. 4, p. 2, c. 27, n. 14), de S. Felicis II meritis disceptabatur. At lis acta fuit, cum an. 1582, pridie eius diei, quo in Ecclesia recolitur natalis dies eiusdem, in Diaconia SS. Cosmae et Damiani in Foro ad Templum Pacis posita inventum fuerit eiusdem S. Felicis corpus una cum lapideo laterculo hisce litteris exarato: *Corpus Sancti Felicis Papae, et Martyris, qui damnavit Constantium* ». Videsis *Hist.* huius p. 100 sqq vol. I. Caeterum, de Felicis sanctitate et martyrio fuse disceptatur in *Comment. critic.* ap. Bolland. in *Actis Ssrum* ad diem 29 Iulii.

[4] Helyot, *Hist. des Ordres relig.*; Waddingh., *Annal. Minor.* ad an. 1542.

---

[1] Helyot, loc. cit. — [2] Helyot, ibid.

[3] Vitam s. Theresiae, quam ipsa scripsit, aliaque eius scripta ex hispanico gallice vertit edidítque Arn. d'Andilly, 1670 in-4°. — Mutinae, recens, Typogr. Immaculat. Concept. V. M. dicata, 7 voll. magn. in-8°, eleganter prodiit, *Nuova Collezione delle Opere di S. Teresa fatte integralmente italiane col presidio de' mss. della Santa, con note e illustrazioni.*

[4] Helyot, *Op. cit.*

Cruce, Fontiberi in Hispania natus an. 1542 et reformatum Ordinem B. M. V. de Monte Carmelo professus, obiit an. 1591 relictis aliquot scriptis; postea a Benedicto XIII in Ssrum numero relatus est [1].

S. Ioannes de Deo—Novum Ordinem monasticum, curandis infirmis destinatum, fundavit s. Ioannes de Deo. Hic anno 1495 in Lusitania natus, et a laxiori vivendi ratione revocatus, ad expianda peccata sua et vitam aeternam promerendam anno 1540 Granatae in Hispania infirmos in domum a se conductam suscipere et curare coepit, et non modo eorum indigentiis corporalibus, sed etiam spiritualibus subveniebat. In hoc misericordiae opere a piis hominibus, ei stipem largientibus, in primis ab urbis archiepiscopo et ab episcopo Tudensi adiuvabatur; hic Ioannem, qui Dei misericordiam imitari studebat, *de Deo* appellavit, eique et omnibus, qui eius vestigia sectarentur, propriam vestitus formam praescripsit. Id reipsa plures fecerunt, qui post mortem s. Ioannis (1550) societatem regularem cum tribus votis monasticis et obligatione infirmos ex eleemosynis collectis curandi efformarunt, an. 1572 a S. Pio V inter Ordines religiosos relatam. Hic Ordo propter suam utilitatem per omnes terras catholicas propagatus est: eius membra ab opere suo Fratres misericordiae dici consueverunt; plerique laici erant, et paucos tantum presbyteros ad sacra domestica peragenda, et ad spirituales aegrotorum indigentias curandas inter se habebant [2].

S. Philippus Nerius—Ad promovendam in clero pietatem et ad subveniendum spiritualibus fidelium indigentiis novam Congregationem, scilicet Patrum Oratorii, instituit s. Philippus Nerius. Hic piis honestisque parentibus an. 1515 Florentiae natus, Romae litteras philosophicas et theologicas didicit, et iam tum singulari pietatis et salutis animarum studio flagrabat. Anno 1551 sacerdos factus, cum aliquot viris, quos in spiritualibus dirigebat, primum in cubiculo, deinde, aucto eorum numero, in ecclesiae oratorio quotidiana de rebus divinis colloquia instituit, iisque progressu temporis alia pietatis exercitia adiunxit. Salutaribus huius Instituti fructibus permotus anno 1575, annuente Gregorio XIII Summo Pontifice, illos, qui ex presbyteris sibi adhaerebant, in propria ecclesia sibi tradita B. Mariae Vallicellae regionis congregavit, ut ibidem, praeter publicum cultum divinum, exercitia spiritualia cum auditoribus instituerent; iamque etiam horum exercitiorum formam variis praescriptis, postea a Paulo V solemniter approbatis, ordinavit. Caeterum sacerdotes huic Congregationi adscripti, vestitum clericorum saecularium gestabant, singuli suis sumptibus vivebant, litteras theologicas colebant, praeposito obediebant, sed vota monastica non emittebant. Hoc Institutum etiam extra Romam ita placebat, ut in multas Italiae urbes introduceretur. Illud saeculo sequenti in Gallia imitatus est Petrus Berulle. S. Philippus vitae sanctitate et miraculis clarus obiit an. 1595, deinde a Gregorio XV Ssrum numero adscriptus [1].

53. *Lutheranorum doctrina a Graecis reprobata*—Conspeximus qualiter doctrinae novatorum huius saeculi ab universa Ecclesia catholica in Tridentino concilio fuerint condemnatae. Eaedem doctrinae ab Ecclesia Graeca reprobatae fuerunt.

Etenim theologi Protestantes, rati sectae suae interesse, ut doctrinae suae ab Ecclesia Graeca approbarentur, eius secum consensionem impetrare tentarunt. In hunc finem Melanchthon versionem graecam Confessionis Augustanae cum litteris misit ad Iosaphat II patriarcham Cpnum. Verum Patriarcha ne quidem ad litteras Melanchthonis respondit. An. 1574 theologi Tubingenses compendium theologiae Lutheranae, graece redditum, miserunt ad Ieremiam II patriarcham Cpnum, eiusque responsum de consensione Graecorum cum Protestantibus postularunt. Verum Patriarcha in prolixo ad illos responso, non tantum eorum doctrinas reprobavit, sed, cum Catholicis, praecipua dogmata, quae sectarii oppugnabant, confirmavit, inter alia asserens, hominem non sola fide iustificari, sed bona opera tum ad iustificationem tum ad salutem aeternam esse necessaria; septem esse Sacramenta divinitus instituta et gratiam sanctificantem conferentia; in Eucharistia fieri transsubstantiationem, μετουσιωσιν; singula peccata sacerdoti esse confitenda; ad remissionem peccatorum obtinendam etiam poenitentiae opera esse peragenda; pro defun-

[1] Vitam s. Ioannis de Cruce scripserunt Dositheus a s. Alexio, Paris. 1727, 2 voll in-4°, et Collet, Paris. 1769, in-12°. Scripta eius gallice edidit R. P. Maillard S. I., Paris. 1694.

[2] Helyot, *Op. cit.*; F. de Castro, *Vita s. Ioannis de Deo.*

[1] Galloni, *Vita s. Philippi Nerii*; Bolland. *Acta SS.* t. VI maii, p. 461. Superrime de hoc Sancto egregie scripsit A. Capecelatro, nunc illustris Archiepiscopus Capuanus, *Vita di s. Filippo Neri libri 3*, Napoli 1879.

ctis esse orandum; Sanctos invocandos; vitam monasticam esse perfectiorem; praeter s. Scripturam traditiones ss. Patrum tenendas. Arguit eosdem, quod veteris et novae Romae doctrinam oppugnantes, antiquis utriusque Ecclesiae theologis sua commenta anteponerent.

Tubingenses theologi in alio scripto, anno 1577 ad patriarcham dato, doctrinam lutheranam defendere conati sunt; sed eorum rationes patriarcha in rescripto confutavit. Cumque Wirtembergenses huic etiam refutationi nova argumenta opponerent, Ieremias in novo ad ea responso illos monuit, ne deinceps ad eum de rebus theologicis scriberent. Denique an. 1672 synodus Hierosolymitana Graecorum temeritatem theologorum Tubingensium detestata est[1].

Pari cum indignatione doctrinas Calvinistarum ab ecclesia Graeca fuisse reiectas, videbimus postea.

54. *Religiosa haereticorum dissidia* — Ad maiorem novatorum confusionem accidit, ut inter eos ipsos dissidia religiosa augerentur magnaque cum vehementia et mutua persecutione agitarentur. Ea ex eorum principio, de interpretatione s. Scripturae cuilibet fidelium tributa, necessario sequebantur, et luculenter confirmant, praeter s. Scripturam in Fidei rebus necessariam esse infallibilem Ecclesiae auctoritatem, qua controversiae dirimantur. Post plures lites, vivente Luthero, exortas, celebres sunt *Adiaphoristicae* et *Interimisticae*, quibus occasionem dedit norma religionis *Interim* dicta, anno 1548 a Carolo V praescripta [2]. Etenim theologi Wirtembergenses, quibus mortuo Luthero praesidebat Melanchthon, novam formulam Interimisticam ex Augustana confecerunt, in qua statuerunt, res *adiaphoras*, idest, quae s. Scripturae non adversarentur, pacis causa observari posse; plerasque doctrinas et caeremonias in *Interim* Caroli V exscriptas, attamen in sensum lutheranum explicatas, receperunt; aliquas vero ut transsubstantiationem, invocationem Ssrum, Purgatorium penitus omiserunt. Ea formula Lipsiae ab Ordinibus Saxonicis acceptata, gravissimas inter Lutheranos lites excitavit: siquidem alii theologi, praesertim Thuringici, illis defectionem a Lutheranismo cum conviciis exprobrarunt, quod in sua formula concederent, bona opera ad salutem esse necessaria, hominemque gratiae divinae aliquo modo cooperari posse et debere.

Praeterea I. Brentius contendit, corpus Christi non tantum in usu coenae, sed vi unionis hypostaticae ubique esse praesens, fuitque parens Ubiquistarum. Mathias Flacius Illyricus, in Universitate Ienensi theologiae professor, asseruit, peccatum originale esse hominis substantiam, eiusque asseclae ab adversariis dicti sunt *Substantialistae* seu *Flaciani*. Andreas Osiander, e praedicatore Norimbergensi professor Regiomontanus, doctrinam Lutheri de iustificatione ita mutavit, ut assereret, iustificationem consistere non tam in remissione peccatorum, quam in essentiali Dei iustitia, homini per fidem collata et immorante; unde sequeretur, Christum non secundum humanam, sed secundum solam divinam naturam esse iustitiae auctorem et humani generis salvatorem. Is instituit factionem Osiandristarum, ab aliis ut haereticam proscriptam.

Non minus notatu digna est defectio multorum theologorum aliorumque Lutheranorum ad Calvini placita de Eucharistia. Lis inter Lutherum et Zwinglium iam olim de ea re agitata, denuo efferbuit, et circa sexagesimum huius saeculi annum inter primarios utriusque partis theologos summa cum vehementia mutuisque more solito conviciis agitata fuit. Fridericus III elector Palatinus, quum de controversa materia a Melanchthone responsum accepisset, calvinianae potius quam lutheranae sententiae favens, lutheranos praedicatores et professores dimisit, et religionem calvinianam in terras suas introduxit. Hanc quidem Ludovicus, eius filius et an. 1576 successor, eliminavit; sed eo anno 1583 mortuo, Casimirus eamdem non sine violentia restituit; ex quo tempore Calvinismus in Palatinatu dominatum retinuit. Eodem tempore maior Bremensium pars relicto Lutheranismo, Calvinismum professa est. Etiam theologi Saxonici, Wirtembergenses scilicet et Lipsienses, sicut in doctrina de libero arbitrio et de bonis operibus, ita et circa Eucharistiam a Lutheri sententia defecerunt, secuti exemplum Philippi Melanchthonis; unde etiam Philippistae et Chripto-calvinistae dicti sunt a rigidioribus seu orthodoxis Lutheranis, qui eisdem haereseos notam inusserunt. Augustus elector Saxonicus consensum inter illos in conventu Dresdensi an. 1572 conciliare frustra tentavit. Wirtembergenses an. 1574 edito libro, cui titulus: *Exegesis perspicua controversiae de coena Domini*, non tantum Calvini sen-

---

[1] Schelstrate, *Acta Ecclesiae orientalis contra Calvini et Lutheri haereses*, Romae 1739.

[2] Vid. p. 162-163.

tentiam de Eucharistia nude exposuerunt, sed etiam lutheranam et argumenta, pro ea adferri solita, diserte reiecerunt. Elector Saxonicus ea re offensus, omnes Wirtembergenses et Lipsienses theologiae professores primo carceri tradidit, deinde muneribus suis privatos relegavit; alios etiam professores eis consentientes deposuit eorumque patronos ex aula eiecit. Iis exturbatis elector, consentientibus caeteris principibus lutheranis, theologos Saxonicos et extraneos an. 1576 convocavit Torgavium, ut omnes doctrinae, hactenus inter Lutheranos controversae, ad mentem Lutheri definirentur. Illi librum Concordiae confecerunt, contra quem tamen plura ob aliis obiecta sunt. Quapropter anno sequenti in conventu Bergensi prope Magdeburgum idem liber in nonnullis articulis emendatus et ad novam formam redactus fuit.

Novus hic liber symbolicus susceptus fuit ab omnibus civitatibus lutheranis in Germania, exceptis Hassia, Holsatia, Anhalto et pluribus urbibus liberis. In terris Brunsvicensibus et Brandeburgicis nunc susceptus, postmodum iterum reiectus fuit. Extra Germaniam, nominatim in Dania et Suecia, nunquam acceptatus est. At non obstante severitate Augusti electoris, fautores sententiae calvinianae in Saxonia magno numero augebant, et post mortem illius (1586) sub Christiano I munera praecipua tam ecclesiastica quam academica occuparunt. Sed sub Christiano II, qui an. 1591 electoratu potitus est, deiecti sunt, et omnibus munere publico fungentibus, liber Concordiae sub iureiurando praescriptus [1].

Non maior inter Calvinistas quam inter Lutheranos exstitit concordia. Idem principium de s. Scriptura, traditione et auctoritate Ecclesiae reiectis, ex se sola a quovis interpretanda, apud illos continuas controversias pluresque sibi invicem infensas factiones excitavit. Celebriores inter sectas calvinianas sunt hae quatuor: 1ª rigidorum Calvinistarum, qui pseudo-magistri sui doctrinae stricte inhaerebant, quales fuerunt Hugonoti in Gallia, Reformati in Helvetia, Puritani in Anglia et Scotia; 2ª Anglicanorum, qui ab illis tum in nonnullis doctrinae articulis tum in hierarchia et caeremoniis differebant; 3ª Piscatorianorum, qui auctore Ioanne Piscatore alias Fischer, Argentinensi, in doctrina de iustitia Christi, de satisfactione, praedestinatione, poenitentia et de coena adeo ab aliis dissentiebant, ut ab his inter haereticos recenserentur; 4ª Arminianorum in Hollandia, qui auctore Iacobo Arminio, theologiae professore, a Calvini sententiis de libero arbitrio, praedestinatione et reprobatione discesserunt, ut infra videbimus.

Praeterea in ipsis his sectis controversiae plures et factiones diversae progressu temporis exortae sunt, ut ex earum synodis, Sandomirensi an. 1570, Cracoviensi an. 1573 et Petricoviensi an. 1578 in Polonia, Rupellensi anno 1571 et Nemausensi anno sequenti in Gallia, aliisque patet. Inde etiam Calvinistarum uti et Lutheranorum tot libri symbolici, quibus, etiamsi humana auctoritate compositis, se iureiurando obstringere debebant. Sic novatores suam fidei libertatem, quam tantopere iactabant, longe infra catholicam, non nisi divinae auctoritati subditam, deprimebant [1].

55. *Religionis status in Polonia, Hungaria, Transylvania, et Suecia* — In Polonia primis annis Sigismundi regis II, qui anno 1548 regnare coepit, novae doctrinae latissima incrementa ceperunt. Illas multi aulici, senatores, proceres aliique libere profitebantur. Quamvis nulla lege novatoribus religionis libertas esset concessa, tamen et Lutherani et Calvinistae et Antitrinitarii et Hussitae seu Bohemi illic secure agebant, coetus instituebant, synodos celebrabant. Quin imo rex urbibus Borussis, Dantisco, Thorunio et Elbingae religionis libertatem sua auctoritate an. 1557 concessit. An. 1563 Pius Pp. IV in Poloniam legavit I. F. Commendonium, episcopum Zacynthensem, qui sua prudentia et eloquentia rei catholicae inter Polonos plurimum profuit, et inter alia effecit, ut, quamvis archiepiscopus Gnesnensis Uchansky, patriarchatum ecclesiae Polonicae intendens, novitatibus clam faveret, Ordines decreta Concilii Tridentini acceptarent. Postea quidem haereseon progressiones reprimere tentavit Sigismundus II, sed serius, illae iam nimis erant propagatae [2].

In Hungaria sub Ferdinando rege I in pluribus comitiis, iam inde ab an. 1548 celebratis, decreta plura contra novitates religiosas condita sunt, quibus tamen earum progressus non cohibiti fuerunt. Sub Maximiliano rege, qui anno 1564 patri suo

[1] Bossuet, *Histoire des variations des Èglises protestantes*; Hospinian. *De origine et progressu libri Concordiae.*

[1] Cf Bossuet, *Op. cit.* — [2] Spondan. *Annal. eccl.*

Ferdinando successit, nullasque ad reprimendos haereticos rationes iniit, eorum numerus magis auctus est. Nihil quoque iis adversis decrevit Rudolphus, an. 1576 Maximiliani successor. Turcarum enim invasiones reges cogebant, ut tranquillitatem internam et pacem domesticam conservarent.

In Transylvania novatores iam anno 1556 religionis libertatem, publica lege sancitam, nacti sunt, ansam dante politica mutatione per Turcas adducta. His enim minantibus, Transylvani, repudiato Ferdinando, principem elegerunt Ioannem Sigismundum, Ioannis de Zapolya filium, et in comitiis, hac in causa dicto anno habitis, statuerunt, ut omnium confessionum asseclae eadem libertate iisdemque iuribus gauderent. Praeterea omnia monasteria sublata et bona ecclesiastica fisco adiudicata sunt [1].

Ita post saeculi huius dimidium in Polonia, Hungaria et Transylvania Lutheranorum, Calvinistarum et Unitariorum seu Antitrinitariorum sectae plurimum auctae sunt. Caeteras numero superaverat secta Calvinistarum.

In Suecia catholicae religionis exercitia sub rege Gustavo Wasa proscripta, sub Ioanne III, eius filio, qui ab anno 1568 usque ad 1592 regnavit, aliquandiu restituta sunt. Hic quippe consiliis uxoris suae, regio Polonorum sanguine oriundae, Iesuitas in regnum admisit, coram A. Possevini, Iesuita et Gregorii Pp. XIII legato, lutheranam haeresim abiuravit, et catholicae religioni inter Suecos propagandae opem tulit. At post annum 1583 secundae uxoris et procerum consiliis ad Lutheranismum rediit, subditosque in eodem obfirmavit [2].

56. *Sociniani* — Antitrinitariorum seu Unitariorum haeresi [3] sub haec tempora novam formam indidit Faustus Socinus, an. 1539 Senis natus, cui adhuc iuveni patruus Laelius Socinus sententias antichristianas instillaverat. Has Faustus e Laelii scriptis magis excoluit, relictaque patria (1574), Basileae verbo et scripto aliis communicavit. A Calvinistis et Lutheranis reiectus, an. 1579 transiit in Poloniam, ubi eloquentia sua et dexteritate sensim omnes fere Unitarios ad suas sententias pertraxit, ita ut ab eo, an. 1604 mortuo, Socinianorum nomen acceperint. Quae esset Socinianorum doctrina, e Catechismo aliisque F. Socini scriptis intelligitur. Quamvis sacram Scripturam religionis suae fontem praedicarent, propriam tamen credendorum regulam statuebant rationem humanam, ad quam illius effata ita contorquebant, ut nihil nisi humano intellectui pervium docerent credendum. Hinc ss. Trinitatis aliisque mysteriis reiectis, docebant unum esse Deum, omnium creatorem: Christum esse merum hominem, qui, propter supernaturalem conceptionem, unigenitus Dei filius, et, propter altiores dotes, ad homines redimendos ei collatas, nonnusquam Deus in Scripturis dicebatur: Illum mortem pertulisse, non ut pro peccatis nostris satisfaceret, quae gratis a Deo remitterentur, sed ut morte sua uti et vitae sanctitate ac miraculis divinam suae doctrinae originem confirmaret, hominibus exemplum patientiae in adversis, et resurrectione sua certitudinem de futura eorum resurrectione et beatitudine praeberet: Spiritum S. in Scripturis proprie significare Evangelium Christi, sancta animi sensa in hominibus excitans, eos suaviter afficiens et quandoque certam vitae aeternae spem divinitus ingerens: Hominem a Deo mortalem esse creatum, nullamque naturae suae depravationem per peccatum esse passum: Nullam dari praedestinationem: Sacram coenam, quae non nisi ritus esset a Christo praescriptus, esse meram commemorationem mortis Christi.

Sociniani sese per magnam Poloniae, Lithuaniae et Transylvaniae partem propagarunt. Postea e Polonia eiecti, confugerunt in Hungariam, Moraviam, Silesiam, Borussiam, Hollandiam et Angliam, ubi inter alios haereticos delituerunt [1].

57. *Religionis status in Gallia*—In Gallia pacis tractatus an. 1570 cum Hugonotis confectus, Catholicis graviter displicuit, illorum vero audaciam auxit [2]. An. 1572 Carolus rex IX concordiam inter partes conciliare voluit nuptiis Margaritae sororis suae cum iuniori rege Navarrae Henrico Borbonico. Verum cum harum nuptiarum causa magnus Hugonotorum, praesertim nobilium, numerus Parisios convenisset, regi relatum est, illos in vitam eius coniurasse. Carolus hac relatione, vera aut falsa, exacerbatus, immane facinus imperavit; nimirum die 24 augusti, D. Bartholomaeo sacra, summo ma-

[1] Ibid.; item, *Historia ecclesiae reformatae in Hungaria et Transylvania.*

[2] Possevini, *Confutatio ministrorum*; Spondan. ad an. 1581 et 1587. — [3] Vid. p. 168.

[1] Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XVI, c. 11, a. 13; Pluquet, *Dictionn. des hérés.* art. *Socin.*; C. Sandius, *Bibliotheca Antitrinitariorum.*

[2] Vid. p. 170.

ne milites et cives in Hugonotos, viros, mulieres et infantes, nil tale suspicatos, irruerunt et plerosque interfecerunt. Haec caedes a die, qua contigit, dicta *San-Bartholomaea*, quamvis a rege pro sola urbe Parisiensi imperata, Parisiorum exemplo in nonnullis aliis urbibus, quae prae aliis belli tempore Hugonotorum furorem expertae erant, repetita fuit [1]. Hugonoti desperatione et furore agitati, in aliis urbibus, praecipue Rupella, Monte-Albano, Nemauso arma arripuerunt, seque ita defenderunt, ut rex earum urbium incolis et Hugonotorum nobilioribus liberum religionis exercitium concedere coactus sit. Illi vero limitata hac libertate non contenti, bellum instaurarunt, quo durante Carolus IX an. 1574 mortuus est.

Henricus III, Caroli frater et successor, Guisiorum consilio sub initia bellum contra Hugonotos prosecutus est: anno vero 1576 cum iisdem pacem composuit, qua iis plena religionis libertas facultas fungendi muneribus publicis, et octo urbes munitae, excluso regio praesidio, securitatis causa concessae sunt [2]. Haec pax fervidioribus Catholicis probrosa visa est et intolerabilis. Itaque paulo post Parisiis et in Picardia proceres caeterique nobiles, magistratus et cives ad Religionis regnique defensionem foedus nomine Ligae sacrae inierunt. Foederis scopus erat, impedire ne publica lege haereseos professio permitteretur, et ne princeps haereticus, quamvis regii sanguinis, Henrico sine liberis morienti succederet. Huic foederi mox alii multi per Galliam accesserunt; ipsi etiam Ordines publici, an. 1576 in comitiis Blesensibus congregati, decreverunt, ut sola religio catholica in regno exerceretur, ad quam omnes regni incolae, attamen sine armis, revocarentur; nulla vero iniuria inferretur haereticis, domi quiete agentibus. At Hugonoti cum haereticis Angliae, Germaniae, Sueciae, Daniae principibus, cum Sacramentariis Helvetiae foedere inito, bellum civile in Gallia instaurarunt. Rex nova edicta promulgavit, quae neque Hugonotis neque Catholicis foederatis erant accepta. Quum an. 1584 mortuo duce Alensonio, unico regis fratre, regnum secundum legem Salicam post mortem Henrici III, cui nulla erat proles, devolveretur ad Henricum regem Navarrae calvinistam, Catholici foederati duce Henrico Guisio iurarunt, se arma non depposituros, priusquam de catholico regis successore esset provisum et publica haereseos professio in regno proscripta; futurumque Henrici III successorem declararunt Carolum Borbonicum cardinalem. Anno sequenti rex novum edictum promulgavit, quo privilegia, alias haereticis concessa, revocabantur, et unius religionis catholicae exercitium in regno permittebatur [1]. Hinc bellum Catholicos inter et Hugonotos recruduit.

Quam deplorandus esset ecclesiarum in Gallia status, constat ex antistitum ad regem orationibus et expostulationibus: plures sedes episcopales praelatis et coenobia abbatibus erant orbatae, abbatiae feminis in dotem assignatae, beneficia in commendas laicas conversa, monasteria a laicis occupata; in Occitaniae et Aquitaniae provinciis tanta erat episcoporum penuries, ut a multis ecclesiis Pyrenaeorum iuga essent superanda ad sacrum chrisma ab Hispanis quaerendum [2].

Henricus III nunquam sibi constans, anno 1588 ambos Guisios, Henricum ducem et Ludovicum cardinalem, per subornatos satellites interfici iussit. Tunc provinciae et civitates, quae Guisios ceu Fidei defensores venerabantur, ab Henrico III defecerunt. Hic in angustiis positus, opem haeretici regis Navarrae imploravit, qui mox ei praesto fuit. At Henricus III post paucos menses (1589) e vulnere sibi a Iacobo Clemente, Ord. Praed., monacho fanatico, vel ab aliquo perduelli foederato, qui illius a se occisi habitum induerit [3], inflicto, exstinctus est. Ei secundum legem Salicam, ut diximus, succedebat Henricus rex Navarrae; at propter calvinianam religionem non tantum a foederatis, sed etiam a multis aliis belliducibus, gubernatoribus et urbibus repudiabatur. Unde bellum civile vario utrimque eventu continuatum est usque ad an. 1593, quo Henricus, abiecta haeresi, catholicam fidem suscepit [4].

[1] Deplorandum hoc facinus adversarii saepius obiecerunt Catholicis, illius adiuncta exaggerantes, perinde ac si longo consilio Religionis causa fuisset praeparatum, per omnem Galliam imperatum, et plura Calvinistarum millia coesa: alii 100,000, alii 60,000, alii 30,000 numerant. Constat vero, hanc caedem non religioso, sed politico fine, a rege et pro Parisiis tantum fuisse imperatam; clerum ab ea fuisse alienum, et interfectorum numerum ad summum fuisse 2,000 Vid Caveirac, *Dissertation sur la journée de la Saint-Barthélemy*; De Saint-Victor, *Tableau hist. et pictor. de Paris*, t. IV, p. 159, Louvain etc.

[2] Fontanon, *Collect. edict. reg.* t. IV, tit. 7.

[1] Fontanon, *Op.* et loc. cit.

[2] *Commentar. Cleri gallicani*, t. V, p. 7.

[3] Vide Ign. Hyac. Amat. de Graveson, *Hist eccl.* t. VII, colloq. I, ed. Io. Dom. Mansi, Bassani 1793, p. 19.

[4] Gabr. Daniel, *Histoire de France*, t. VI, in-4°.

58. *Religionis status in Belgio* — Vidimus supra, quis fuerit Religionis status in Belgio usque ad an. 1573, quo Philippus II ducem Albae ex eo in Hispaniam revocavit [1]. Ludovicus Requesenius seu de Requesens, cui Philippus procurationem provinciarum Belgicarum commisit, Catholicorum rex erexit, sed an. 1576 mortuus est. Eodem anno provinciarum Ordines, nonnullis Hispanicorum militum violentiis offensi, cum principe Arausicano, quem Ordines provinciarum septentrionalium gubernatorem suum creaverant, Gandavi foedus inierunt, quod pacificatio Gandavensis dictum est. Hoc foedere sibi mutuum auxilium ad pellendos Hispanicos milites promiserunt; quantum ad Religionem spectabat, statuerunt, ut fine isto obtento, Ordines generales congregarentur, in quibus Religionis negotium definiretur; interea religio catholica etiam in provinciis septentrionalibus libere exerceri posset. Hinc factum est, ut Belgarum imperium praevaluerit Hispanico, exceptis Namurco et aliquot civitatibus, quas Ioannes Austriacus, ab anno 1576 usque ad 1578 Belgii procurator, cepit.

Verum quominus concordia inter foederatos perduraret, obsteterunt Religionis diversitas et Calvinistarum intolerantia. Hi libero religionis suae exercitio non contenti, idem in locis, ubi etiam exiguo numero existebant, Catholicis denegare, horumque sacra abolere vi nitebantur. Sic anno 1578 Amstelodami, ubi maior incolarum pars avitae religioni adhuc inhaerebat, seditione excitata, ecclesias occuparunt, altaria et imagines confregerunt, et deposito magistratui catholico calvinianum substituerunt. Non multo post etiam Harlemii in Catholicos irruerunt, nonnullos interfecerunt, caeteros pessime tractarunt, ecclesias et monasteria expilarunt, et calviniano cultui tradiderunt. Similia in pluribus Flandriae, Gueldriae et aliarum provinciarum urbibus perpetrata sunt. Hinc factum est, ut provinciae meridionales, praesertim Wallonicae, quae constantius in antiqua religione perseverabant, a foedere Gandavensi discesserint, seque cum legitimo rege et duce Parmensi, Alexandro Farnesio, ab an. 1578 Belgii procuratore, reconciliarint.

Princeps Arausicanus provincias septentrionales, maxima ex parte calvinianas, arctius inter se coniuncturus, effecit, ut anno 1579 Hollandia, Zeelandia, Ultraiectum, Frisia et Gueldria foedus inirent Ultraiecti contra omne Hispanorum dominium; qua unione fundamentum reipublicae Belgii foederati positum est. Anno 1581 eaedem provinciae in comitiis Hagae celebratis, Hispaniae regem omni iure in Belgium exutum declararunt. Bellum annis multis inter Hispanos et foederatos Belgas continuatum est eo exitu, ut 5 praedictae provinciae, quibus accesserunt Transisalania et Groninga, independentem rempublicam constituerint; Hispani vero caeteras ad suum dominium et religionem catholicam reduxerint [1].

59. *Xystus V Pontifex* (*an.* 1585) — Quum Gregorius Pp. XIII decessisset, in eius locum VIII° calendas maias anno 1585 electus fuit Felix Peretti, humili loco in Piceno natus, Ord. Franciscanorum, et R. E. cardinalis, qui nomen Xysti V suscepit, et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1590. Is multa praeclare et magno animo constituit gessitque. Fuit litterarum et artium patronus, vitiorum insectator, cunctis, etiam summis imperantibus, diligendus aeque ac formidandus. Sicariorum et aliorum facinorosorum licentiam in Urbe et ditione ecclesiastica compescuit, et publicam securitatem restituit. Praeter Congregationem sacrae Inquisitionis, quam confirmavit, alias 14 Congregationes Cardinalium instituit ad faciliorem universae reipublicae christianae statusque ecclesiastici et Romanae Curiae negotiorum expeditionem; nimirum 1ª pro signatura gratiae, 2ª pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus, 3ª pro ubertate annonae in Statu ecclesiastico, 4ª pro sacris ritibus et caeremoniis, 5ª pro classe paranda et servanda ad defensionem Status ecclesiastici, 6ª pro Indice librorum prohibitorum, 7ª pro sublevandis gravaminibus, 8ª pro universitate studiorum, 9ª pro executione et interpretatione Concilii Tridentini, 10ª pro consultationibus Regularium, 11ª pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum, 12ª pro viis, pontibus et aquis, 13ª pro typographia Vaticana, 14ª pro consultatione negotiorum Status ecclesiastici. Idem Pontifex Cardinalium numerum praefinivit, mandans, ut crearentur septuaginta dumtaxat, sex Episcopi, Presbyteri quinquaginta et Diaconi quatuordecim, atque ex iis insignes viri in sacra Theologia magistri ex Regularibus, et Mendicantium Ordinibus, saltem

[1] Vid. p. 175.

[1] De Gerlache, *Hist. du royaume des Pays Bas*, Introduct.

quatuor, non pauciores [1]. Vulgatam Bibliorum versionem latinam et versionem graecam LXX ope virorum, ss. Scripturarum et linguarum peritorum, collatis mss. codicibus, hebraicis et graecis fontibus et Patrum commentariis consultis correxit. In Elisabetham reginam Angliae, quae Catholicos saeve persequebatur et Mariam Stuartam reginam Scotiae capitis damnarat, anathema integravit. Henricum Borbonicum regem Navarrae et Henricum principem Condaeum, Hugonotorum in Gallia duces, anathemate perculit, omnique iure successionis ad regnum exutos declaravit. Henricum III regem Galliae propter necem duci et Cardinali Guisiis illatam sacris interdixit [2]. Memoriam D. Bonaventurae a Xysto IV sanctis Doctoribus adscripti iussit pridie idus iulii celebrari Officio duplici; sicut etiam D. Antonii Patavini Festum, idibus iunii recolendum, ante decreverat.

Conversus hinc ad Dei cultum et Urbis decus augendum, utrumque praestitit fastigio imposito Basilicae s. Petri, Templis magnificentius instauratis [3], fontibus deductis, viis stratis, xenodochiis, obeliscis, statuis, columnis erectis [4]; Vaticana Typographia et Bibliotheca magnificentissime constructa et exornata. Hinc nova visa Urbis facies. In aede Liberiana sepulcrum s. Pio V, a quo in Cardinalium collegium cooptatus fuerat, beneficii, memor, operosum ac nobile exstruxit, corpusque eius ex Templo s. Petri intulit magna pompa. Palatium Quirinale, quo Pontifices per nimios aestus succedere consueverunt, ampliavit. His vero aliis operibus adeo sumptuosis tantum abest, ut aerarium hauserit Apostolicum, ut etiam 5,000,000 nummum aureorum reposuerit in arce Hadriana, praesidium ut essent in summis periculis adversus Christianae religionis hostes [5]. Hoc Pontifice nulla in Urbe, nulla extra Urbem latrocinia fuere, nullae rapinae, nullae caedes, nullae insidiae, tuta omnia; eratque illa rixosis et improbis hominibus communis vox: *Memento, Xyxtum adhuc vivere* [1]. Pontifici tanto aeneam statuam in Capitolio posuere Romani, fixeruntque sub ea tabulam, monumento ut esset rerum gestarum. Ecclesiam administravit *annos* 5, *mens.* 4, et *dies* 3. Excessit enim an. 1590, VI° calend. septembr. post annum vitae 69, Pontifex splendidissimi et severissimi imperii.

60. *Status Ecclesiae Graecae* — Interim ex quo tempore Turcae Constantinopoli potiti sunt, status ecclesiae Graecae intra eorum imperium continuo redditus est deterior. Graeci enim a Turcis variis modis vexabantur, religiosa eorum libertas admodum restricta erat, tributis gravibus, ludibriis et saepe iniuriis erant obnoxii, morum et litterarum cultura maximam partem eis erat praeclusa, nova templa exstruere aut collapsa restaurare nonnisi plurimi aeris praetio licebat. Hierarchia pristina inter eos conservabatur, perdurabantque 4 patriarchatus, Cpnus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, inter quos Cpnus summus erat. Antistes Cpnus veluti totius ecclesiae graecae caput et monarcha, cum synodo suo graviora universae Ecclesiae negotia administrabat. Caeterorum vero patriarcharum auctoritas continuo diminuebatur, et a Cpno dependens facta est. Ii plerosque suos suffraganeos amiserunt, ita ut Alexandrinus non nisi chorepiscopos, Antiochenus paucos episcopos, in Syria terrisque vicinis, Hierosolymitanus duos tantum episcopos, Nazarethi et Bethlehemi sub se haberet. Id effectum est partim multitudine Christianorum heterodoxorum in eorum patriarchatibus existentium, partim decremento urbium ad eosdem pertinentium. Cum etiam in patriarchatu Cpno multae urbes, olim florentes, ad conditionem vilium pagorum delaberentur, factum est, ut episcopatus, qui in eis erant, extinguerentur [2].

Quamvis autem unio ecclesiae Graecae cum Romana in concilio Florentino decreta, fructu suo maximam partem fuerit frustrata [3], complures tamen Graeci, etiam integri coetus, in ea perseverarunt. Eorum numerus progressu temporis, praesertim saeculo sequenti, multum auctus est opera mo-

---

[1] *Bullar.* t. II, Constitut. 50, § 9. Vid. quoque p. 135 in nota.

[2] Spondan. ad an. 1585-90; Ciacon. *Vitae RR. Pontif.* t. IV

[3] Laureti Templum B. M. Virgini religione frequens splendidissimum erexit, multisqui donaris et ornamentis decoravit. Vid. Const. 24, t. 2 *Bullarii.*

[4] Traiana et Antonina operis admirandi. Primae B. Petri, secundae B. Pauli statuas aereas auratasque imposuit. Duos equos insignes e Pario marmore, sed iniuria temporum ac caeli admodum mutilatos, qui inscriptionis Phidiae et Praxitelis nomina praeferunt, in monte Quirinali Pontifex rara artificum industria refici iussit. — [5] Sixti V Constitut. 31, 69, 80.

[1] Const. 6. Innovavit Constitutiones omnes a Pontificibus prioribus editas contra facinorosos homines, eorumque fautores.

[2] Le Quien, *Oriens christianus*; Ricaut, *État présent des églises de la Grèce et de l'Arménie*; R. Simon, *Histoire de la croyance et des coutumes des nations du Levant.*

[3] Vid. p. 128-129.

nachorum Latinorum, qui a temporibus cruciatarum expeditionum aliquot adhuc monasteria in imperio Turcico habebant, et missionariorum maxime Iesuitarum qui a RR. Pontificibus in imperium Turcicum ablegabantur. Maiori numero ad communionem R. Ecclesiae redierunt illi schismatici, qui extra imperium Turcicum erant. Multi quippe Graeci post invasionem Turcarum, praesertim post captam Constantinopolim, relicta patria, in Italiam, Hungariam aliasque terras migrarant. Qui in regionibus Italicis sedes posuerunt, communionem cum R. Ecclesia inierunt. Qui in Hungariam, Croatiam, Slavoniam et Transylvaniam sedes transtulerant, magna parte religioso clericorum Latinorum labore ad eamdem unionem adducti sunt.

61. *Status Ecclesiae Russicae* — In Russia Ecclesia vicissitudinibus variis fuit obnoxia [1], sub initia saeculi XVI schismatici omnis generis artibus viisque usi sunt, ut Ruthenos unitos ad schisma pertraherent; id, opera maxime Helenae filiae magni ducis Russorum, quae nupserat duci Lithuaniae, tanto cum ardore et successu prosecuti sunt, ut metropolis Kioviensis ab unione cum Romana Ecclesia ad sic dictam ecclesiam Russico-graecam transierit, et qui e Catholicis unitis a schismate abhorrebant, ad amplectendum ritum Latinum fuerint coacti, quorum magnum fuisse numerum, colligitur e bulla Alexandri Pp. VI data x° calendas septembr. 1501 ad episcopum Wilnensem fratresque Praedicatores et Franciscanos in Lithuania de recipiendis ad ritum Latinum Ruthenis [2].

Ioannes vulgo Iwan IV, magnus Russorum dux, infelici bello cum Polonis implicitus, Gregorii Pp. XIII interventum ad impetrandam pacem et cohibendas Polonorum victorias imploravit spemque fecit ecclesiae Russicae cum Romana uniendae. Pontifex anno 1581 ad Stephanum regem Poloniae et Ioannem Russorum ducem legavit Antoninum Possevinum Iesuitam, qui pacem inter eos conciliavit, et cum Ioanne saepius contulit de unionis ecclesiae Russicae cum Romana negotio; sed dux, pace constituta, unionis consilia abiecit [3].

Idem Russorum dux a Ieremia II patriarcha Cpno pretio consecutus est, ut ecclesia Russica proprium haberet patriarcham, Moscoviae residentem. Verum ecclesia Russica a Cpna libera, facta est serva summi Russorum principis.

Tunc episcopi metropolis Kioviensis, qui regis Poloniae magnique ducis Lithuaniae dominationi suberant, consilium inierunt obedienti potius Romano Pontifici, quam patriarchae Moscoviensi; anno 1593 sub Michaële Rahosa, metropolita Kioviensi, synodum habuerunt Brestae in Lithuania, in qua post maturam deliberationem unionis cum Romana Ecclesia decretum confecerunt Romamque miserunt per duos selectos episcopos. Clemens Pp. VIII eos laetus excepit, et catholicam fidem atque obedientiam Apostolicae sedi professos in communionem Ecclesiae admisit an. 1595; confirmavit etiam receptos apud illos ritus doctrinae catholicae non oppositos. Episcoporum ad unitatem catholicam reditum maxima pars cleri et populi secuta est. Patriarcha autem Moscoviensis atque subiecti ei episcopi, Moscoviae congregati, metropolitam Kioviensem et obedientes ei episcopos excommunicaverunt [1].

62. *Status ecclesiarum Orientalium* — Quod spectabat ad statum ecclesiarum Orientalium, a Graeca sic dicta orthodoxa separatarum, quae Nestorianorum et Monophysitarum nomina retinuerunt, quamvis saepius istis haeresibus renuntiassent, plures earum unionem cum R. Ecclesia, saeculis praecedentibus, praesertim tempore Concilii Florentini initam [2], sed diversis e causis aut interruptam aut languentem, durante hac epocha renovarunt, vel nunc primum inierunt. Anno 1553 Salaka, electus patriarcha Nestorianorum unitorum veteris Assyriae, Romam venit confirmationem suae electionis postulaturus, coram Iulio Pp. III primatum R. Ecclesiae eiusque Fidem suo suorumque nomine professus est, et litteras episcoporum suorum, observantiae erga R. Pontificem plenissimas, exhibuit. Quapropter Iulius eum patriarcham sacravit, pallio honoravit et cum novis missionariis ad propagandam in Oriente Fidem in Assyriam remisit. An. 1562 eorumdem populorum patriarcha Abd-Isu Romam venit sub Pio Pp. IV, ut electionis suae confirmationem et pallium a Pontifice impetraret; qua occasione tum sui tum cleri sui no-

---

[1] Vide p. 129.
[2] Raynald. ad an. 1501.
[3] A. Possevin. *Moscovia seu de rebus Moscoviticis.*

[1] Theiner, *Vicissitudes de l'Èglise catholique des deux rites en Pologne et en Russie*, Paris 1843, 2 voll. in 8°.
[2] Vid. p. 123.

mine catholicae fidei et obedientiae professionem edidit [1].

Praeterea quum Lusitani littus Malabaricum Indiae sibi subiecissent, Nestorianos, qui ibi 127 coetus efficiebant et patriarcham dictum Babylonicum, Mosulae residentem, tanquam caput suum ecclesiasticum venerabantur, etiam ad unionem cum R. Ecclesia perducere studuerunt. Hac in re Alexis de Menezes, archiepiscopus Goanus et in India Lusitanica regis munere fungens, effecit, ut in synodo Diamperi prope civitatem quae dicitur s. Thomae, an. 1599 habita, Nestoriani doctrinam et instituta catholica acceptarint; quo facto, eorum episcopus Romam missus est, ubi patriarchae Mosulensi renuntiavit, Pontifici obedientiam iuravit, et ab eo in communionem susceptus fuit [2].

Iisdem temporibus adlaboratum fuit reducendis ad unionem catholicam Æthiopibus seu Abyssiniis, qui errores Monophysitarum sub obedientia Alexandrini Coptorum patriarchae sectabantur. Postquam illi iam commercium et coniunctionem cum Lusitanis iniissent, David eorum rex, ut eo certius a Lusitanis militare auxilium contra vicinum regem, hostem suum, impetraret, Ioannem Bermudem, quem medicum suum legatus Lusitanus in Abyssinia reliquerat, Abyssiniorum episcopum creari curavit; quod hic ea tantum conditione admisit, si a R. Pontifice confirmaretur. Bermudes anno circiter 1538 Romam venit, et a Paulo Pp. III confirmatus, Ioannem III regem Lusitaniae adivit, a quo militaria auxilia pro rege Abyssiniorum impetravit. Quum Bermudes cum Lusitanis in Abyssiniam esset reversus, obierat David rex eique successerat Claudius filius, qui, cum Lusitanorum auxilio contra hostes indigeret, R. Pontifici obedientiam promisit; sed in regno firmatus, ad obedientiam patriarchae Alexandrini reversus est, Bermudem et Lusitanos pessime tractavit. Hi per provincias dispersi sunt, Bermudes vero in Europam rediit. Mox post Bermudis discessum in Abyssiniam venerunt plures Iesuitae, a Iulio Pp. III et rege Lusitaniae illuc ablegati; sed tam apud Claudium regem, non multo post in praelio occisum, quam apud eius successorem, an. 1562 mortuum, parum effecerunt. Maiori cum fructu laborarunt sub novo rege, qui reliquo saeculi huius tempore imperavit. Prioribus Iesuitis mortuis vel occisis venerunt alii, qui regem Seguedum religioni catholicae adeo conciliarunt, ut haereseos eutychianae professionem sub poena capitis proscriberet; quo facto, populus saepius quidem in seditionem prorupit, sed semper a rege repressus fuit. Postea Urbanus Pp. VIII Alphonsum Mendez, Iesuitam Lusitanum, episcopum et patriarcham Abyssiniae denominavit, qui an. 1625 in hanc terram venit. Tunc rex cum omnibus aulicis obedientiam R. Pontifici iuravit, praescripsitque, ut omnes Abyssinii Fidem et ritus Romanos sequerentur; sed cum multi, a monachis suis excitati, armata manu resisterent, Religionis optionem seu libertatem subditis restituit. Basilides vero, Seguedi an. 1632 mortui filius et successor, patriarcham aliosque Iesuitas expoliatos et male tractatos, misit in Indiam; caeteri qui remanserant, interfecti sunt, omnisque unio cum R. Ecclesia abrupta [1].

Tentata etiam fuit unio Monophysitarum in Ægypto, qui Copti dicuntur. Eorum patriarcha anno circiter 1560 Romam legatum misit, qui Pontifici desiderium eius de unione cum R. Ecclesia testatum faceret. Non multo post epistolam eiusdem argumenti ad Pontificem scripsit. Pius Pp. IV an. 1563 ad eum legavit aliquot Iesuitas dona ferentes, sed patriarcha iis acceptis respondit, se nonnisi consuetum urbanitatis obsequium Pontificis exhibere voluisse. Quum Gregorius Pp. XIII alios Iesuitas ad Coptorum patriarcham misisset, anno 1582 in metropoli Ægypti Cairo e regione veteris Memphis synodus congregata est, cui interfuerunt patriarcha, episcopi, coenobiorum superiores, viri primarii, et nomine R. Pontificis patres Iesuitae. Post multas disputationes de duabus Christi naturis, synodus confessa est, Christum habere duas naturas, divinam et humanam, et anathematis poenam proposuit, si quis Christum altera natura spoliaret. Verum quod confessi fuerunt, chirographo confirmare noluerunt. Obstitit maxime vicarius patriarchae, sperans fore ut ea ratione patriarchatum consequeretur. Obstitit etiam ipsius patriarchae mors. Iesuitae brevi post ceu proditores a Turcis, qui Cairo imperabant, in carcerem coniecti sunt, et non nisi magno pretio libertate redempta, Romam redierunt. An. 1594 Gabriel patriarcha Coptorum, rursus legatos

[1] Raynald. ad an. 1553 et 1562; Ciacon. *Vitae Iulii III* et *Pii IV*.

[2] Le Quien, *Op. cit*; Asseman. *Biblioth. orient.* t. III, p. II; Raynald. et Spondan. *Annal.*; Labbe, *Concil.* t. XV, p. 1528.

[1] Le Quien, *Oriens christ.*; Maffei, *Historia Ind.*; Ludolf. *Historia Æthiopica*.

Romam misit cum litteris ad Clementem VIII, in quibus Pontifici, quem patriarcharum principem appellabat, perfectam subiectionem promittebat fidemque R. Ecclesiae in omnibus acceptabat. Eamdem fidem et obedientiam coram Pontifice et cardinalibus professi sunt legati. Verumtamen unionis negotium parum durasse videtur[1].

63. *Ecclesia Iaponens* — In vastissimis Asiae et Americae insulis religio christiana magna habuit incrementa. In Iaponia post s. Francisci Xaverii discessum per relictos ibi ab eo Iesuitas, novosque his accedentes, Evangelium propagatum est eo successu, ut in ipsa imperii metropoli Meaco ecclesiae et scholae christianae erigerentur, et nondum elapsis 40 annis numerus Christianorum excederet 200,000, inter quos reges, aulici, belliduces aliique e nobilissimis familiis erant. Pontificatum gerente Gregorio XIII tres principes christiani Iaponiae, nimirum Franciscus Bongi, Protasius Arimae et Bartholomaeus Omurae reges, legatos Romam miserunt, qui Pontifici obsequium professi sunt, litteras suorum principum, summa observantia plenas, obtulerunt, novosque missionarios postularunt. Ipse imperator Nobunanga Christianis eorumque missionariis favebat, bonzos eorumque religionem irridebat et idolorum templa destrui permittebat.

Post Nobunangae mortem (1582) primo imperii procurationem, deinde ipsum imperium occupavit Taikosama. Hic etiam aliquandiu Christianis favit, sed postea eorum numerus continuo crescens metum, quem bonzi augebant, in eo excitavit, ne aliquando Europaei ope Christianorum imperio potirentur. Quare iam an. 1587 edixit, ut omnes missionarii Iaponia excederent; nullus Iaponensis religionem christianam susciperet, et Christianorum ecclesiae destruerentur. Missionarii procerum protectione potiti, magna ex parte in imperio clam manserunt, nonnulli eorum, pluresque Christiani suppliciis affecti sunt, et ex 150 ecclesiis 70 concrematae. Anno 1596 renovandae persecutioni ansam dedit incautus sermo ducis cuiusdam navis Hispanicae, administro imperii Iaponici dicentis, regem suum immensas terras non minus praedicatorum quam militum ope sibi subiecisse. Tunc Taikosama omnes missionarios comprehendi, plures interfici, reliquos imperio eiici iussit. Ex indigenis christianis haud pauci martyrio affecti sunt, quod constantia vere heroica pertulerunt.

Anno 1598 exstincto Taikosama, imperium accepit Fidejori, eius filius adhuc minorennis, sub tutela Ijejas. Confestim missionarii, praesertim Iesuitae, novo ardore colligendis ecclesiis, confirmandis fidelibus et convertendis aliis, adlaborarunt eo successu, ut ii, qui antea Evangelii gratiae restiterant, nunc constantia et patientia eorum, qui persecutionis tempore martyrium passi erant, permoti, Fidem susciperent, et duorum annorum 1599-1600 spatio plus quam 70 millia Iaponensium baptizata sint, pluresque ecclesiae extructae[1]. Post annos paucos persecutionem in Iaponia instauratam videbimus.

Eodem tempore Religio christiana in vastissimum imperium Sinarum et in regnum Maduranum introducta fuit, ut infra latius narrabimus.

64. *Synodi in America* — In America religio christiana admodum invalescebat. In Peruvia ita formatus erat ecclesiarum status, ut anno 1582 synodus celebrata legatur Limae, quae erat Peruviae metropolis; in qua Fidei dogmata fuerunt explicata et disciplina composita secundum concilii Tridentini definitiones et decreta[2]. Post 3 annos (1585) synodum celebratam fuisse legimus in Mexico, cui praeter archiepiscopum Mexicanum interfuerunt episcopi Guatemalensis, Mechoacanensis, Tlascalensis, Iucatanensis, Novae Galiciae seu Guadalaiarensis et Antequerensis. In ea ad uniforme rectumque ecclesiarum regimen plura decreta condita sunt, in 5 libros diversosque titulos distincta[3].

65. *Urbanus VII, Gregorius XIV, Pontifices* (*an.* 1590) — In Xyxti V locum XVII° calendas octobris an. 1590 electus fuit cardinalis Ioan. Bapt. Castaneus, patria Romanus, qui nomen Urbani VII assumpsit, sed die decima tertia ab electione obiit, aetatis suae ann. 70[4]. Quapropter ei nonis decembris suffectus fuit Gregorius XIV, Mediolanensis, antea appellatus Nicolaus Sfondratus. Hic paucorum mensium spatio multa de se

---

[1] Sacchini, *Historia Societatis Iesu*; Renaudot, *Historia patriarch. Alexandr. Iacobit.*; Labbe, *Concil.* t. XV, p. 882.

[1] Crasset, *Histoire du Japon*; Charlevoix, *Histoire et description du Japon*; Cordara, *Historia Soc. Iesu.*

[2] Spondan. ad an. 1583. — [3] Labbe, loc. cit. p. 1192.

[4] Cumulavit vitae laudem praeclara mors. Tanta enim fuit in morbo constantia, ut diem extremum adesse prospiciens, Urbanus, eum diem salutis appellaret, Deoque gratias ageret, quod eo tempore vocaretur, quo de gesto Pontificatu nondum esset rationem redditurus. Cf Spondan. ad an. 1590, § 20.

memoranda praebuit. Redintegravit Constitutionem Pii Pp. V de non abalienandis aut fiduciariis dandis Romanae Ecclesiae terris [1]. Sponsiones de vita, morte, electione Pontificis et de creatione cardinalium damnavit; biretum rubrum concessit etiam cardinalibus ex Ordinibus regularium, qui ad eam usque diem usi fuerant biretis eiusdem coloris cum veste sua; catholicae fidei in Gallia conservandae studio foederatos principes contra Henricum, Navarrae regem calvinistam, qui regnum Galliae adire tentabat milite iuvit, illumque iure succedendi privatum declaravit. Obiit idibus octobris 1591, quum menses ac dies 10 tenuisset Pontificatum ac vixisset annos 57.

66. *Innocentius IX* (*an.* 1591)—Altera comitiorum die, IV° cal. novembr. an. 1591, magna Cardinalium consensione Pontifex creatus est Ioannes Antonius Fachinettus, Bononiensis, annum aetatis agens 73, qui nomen Innocentii IX assumpsit. Dum Pontificio amictu indueretur, ante omnia Bullam *de non alienandis Ecclesiae bonis* confirmavit; eamque sibi praecipuam curam fore professus est, ut annonae esset in Urbe copia et laxitas, et tenuioris plebis egestati subveniretur. Idem statim, renovato pristino more, ad Patriarchas, Primates et Archiepiscopos, aliosque antistites litteras dedit de electione sua [2]. Summa hic vir integritate, pari in omnibus fere facultatibus eruditione, aetate insuper et usu doctus, Urbem totam erexerat in spem haud vanam egregii Pontificatus. Sed Pontificem corpore gracilem, et ieiuniis affectum, multa Catholicae Ecclesiae bono molientem cita mors extinxit IV° calend. ianuar. *altero* Pontificatus *mense* vix exacto [3].

67. *Clemens VIII* (*an.* 1592)—Post mortem Innocentii Pp. IX sedes Apostolica vacavit usque ad III^am calendas februarii 1592, qua in eam evectus fuit Clemens VIII, Florentinus e nobili Aldobrandina familia, presbyter cardinalis, nomine Hippolytus. Hic Gallos monuit, ne Henricum, regem Navarrae, susciperent, sed sibi eligerent regem catholicum qui ecclesiasticam et civilem rem contra Hugonotos tutaretur. Quum deinde Henricus IV, eiurata haeresi, fidem catholicam esset professus, Clemens eum a censuris absolvit et in integrum restituit. Anno 1595 Romae excepit legatos Ruthenorum et patriarchae Coptorum, ut supra diximus [1]. Anno 1600 Iubilaeum undecimum celebravit. Collegium Romae erexit Scotorum commodo et institutioni; aliud praeterea fundavit Illyricae inventuti, quod ab eo hodieque *Clementinum* appellatur. In gratiam episcoporum Latinorum, in quorum dioecesibus Graeci vel Albanenses, graeco ritu utentes degebant, Graecorum ritus licitos ab illicitis discrevit. Vulgatam ss. Bibliorum versionem diligentius emendandam curavit. Indicem librorum prohibitorum, a Pio IV editum, approbavit. Ferrariensem ducatum, mortuo Alphonso II duce Estensi, recuperavit [2]. Statuit, nemini licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem recipere. Plura constituit ad restituendam in coenobiis regularem disciplinam. Ad dirimendas lites de auxiliis divinae gratiae, quas inter Iesuitas et Dominicanos excitavit in Hispania Ludovici Molinae liber (*De Concordia liberi arbitrii cum donis divinae gratiae*), instituit Romae celebres Congregationes. Praefuit Ecclesiae usque ad ann. 1605 [3], et V° nonas martii correptus morbo naturae concessit post *ann.* 13, *mens.* 1 et *dies* 3, quam Pontifex creatus erat: vixit ann. 69. Viros doctos impense fovit, et summis in Ecclesia dignitatibus exornavit, inter quos fama pietatis et eruditionis eminent Baronius et Bellarminus.

68. *Scriptores ecclesiastici*— Post saeculi huius dimidium floruerunt scriptores quamplurimi: ex his alii in exponendis Scripturis, alii in exornanda theologia aut confutandis haeresibus; alii aliis lucubrationibus ecclesiasticis bene meruerunt.

Primi generis fuerunt supra indicati I. Hesselius, C. Espencaeus, A. Masius, C. Iansenius [4]. His accedunt Guilielmus Lindanus, Dordracensis, e doctore Lovaniensi primo Ruremundensis, deinde Gandavensis episcopus: scripsit librum de optimo genere interpretandi Scripturas [5], et Panopliam Evangelicam [6]; Gilbertus Genebrardus, Ord.

---

[1] Const. 1, t. 2 *Bull.* — [2] Thuanus, l. 102, § 10, t. V, p. 103. — [3] Sandini, *Vit. PP. RR.*, *Innocent. IX.*

[3] Pp. 186 et 188-189.

[2] Baronius, in *Epistola ad Clementem VIII*, praemissa *Annalium* t. VIII, scribit: « Accidit quasi miraculum a Deo (his libenter utar divinae Scripturae verbis, I *Reg.* XIV, 15), ut Ferraria ferrea plane civitas sine ferro fuerit expugnata, ipso totum id agente, qui dixit (Isaiae XLV, 2): *Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo, portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam*; ut plane idem, qui Petro (*Act.* XII, 10) aperuit portam ferream, Ferrariae portam Petri patefecerit Successori ».

[3] Spondan., ad an. 1592-1605. — [4] Vid. p. 177.

[5] Colon. 1558, in-8°. — [6] Ibid. 1590, in-fol.

s. Benedicti, archiepiscopus Aquensis, elucubravit chronologiam sacram et commentarios in Psalmos; Arias Montanus novam Bibliorum polyglottorum editionem curavit [1]; Flaminius Nobilius, Lucensis, graece et latine doctus, in edendis Bibliis Xysti V et corrigenda Vulgata versione ad testimonia ss. Patrum et LXX interpretum laboravit; Ioannes Maldonatus, Hispanus, Societatis Iesu, latine, graece et hebraice doctus, reliquit eruditos commentarios in Ieremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem [2], et in IV Evangelia [3]; Alphonsus Salmeron, Toletanus S. I., scripsit quaestiones et dissertationes in N. Testamentum, et tractatus multos polemicos [4]; Iacobus Pamelius, Brugensis, electus episcopus Audomarensis, praeter Liturgicam Latinorum [5], confecit Catalogum veterum commentariorum in ss. Scripturas [6]; Franciscus Ribera, Hispanus S. I., praeter alia composuit commentarios in Prophetas minores [7]; Franciscus Toletus, Cordubensis S. I., reliquit commentarios eruditos in aliquot N. T. libros; Emmanuel Sa, Lusitanus S. I., cuius Scholia in IV Evangelia et annotationes in universam Scripturam commendantur.

Inter theologos eiusdem aetatis, praeter commemoratos I. Ravesteyn, C. Espencaeum, I. Hesselium, S. Hosium [8], numerantur: Bartholomaeus Medina, Hispanus, Odinis Praed., confecit Commentarios in s. Thomam et Instructionem de Sacramento poenitentiae; supradictus F. Toletus composuit Summam casuum conscientiae [9]; I. Maldonatus, iam laudatus, edidit tractatus de Sacramentis, gratia, peccato originali et de aliis; Nicolaus Sanderus, anglus, edidit libros plures de coena Domini et reali praesentia in ss. Eucharistia, de typica et honoraria ss. Imaginum adoratione, de Ecclesia Christi et visibili eius monarchia; Ioannes Garetius, Lovaniensis, canonicus regularis s. Augustini, elucubravit libros de veritate Corporis Christi in Eucharistia, de mortuis vivorum precibus iuvandis, de sacrificio Missae, de Ssrum invocatione; Michaël de Medina, Hispanus, Ord. s. Francisci, inter cuius opera laudantur tractatus de Fide et de Purgatorio; Andreas Vega, Segoviensis, reliquit tractatus de Iustificatione, gratia, Fide, operibus et meritis; Thomas Stapleton, anglus, Universitatis Lovaniensis professor, elucubravit varia opera polemica et alia [1]; G. Lindanus elaboravit quoque plures tractatus de Controversiis; A. Salmeron, supra indicatus; B. Petrus Canisius, Neomagensis S. I., praeter alia composuit Summam doctrinae christianae.

Historiam ecclesiasticam illustrarunt: laudatus N. Sanderus, qui scripsit de schismate anglicano [2]; Ioannes Molanus, doctor Lovaniensis, edidit multisque auxit Martyrologium Usuardi, natales Ssrum Belgii, historiam ss. Imaginum; Arias Montanus, quem nuper commemoravimus, Antiquitates iudaicas libris 9 explanavit [3]; Petrus Opmeer, Amstelodamensis, praeter historiam martyrum Gorcomiensium, dedit Chronographiam a mundi exordio usque ad sua tempora; Florimundus Remondus, Gallus, scripsit de ortu, progressu et ruinis haeresum; L. Surius, supra indicatus [4]; G. Genebrardus, iam commemoratus; Alphonsus Ciaconius, Ordinis Praed., praeter alia collegit vitas et gesta RR. Pontificum et cardinalium [5]. Concilia collegerunt commemorati B. Carranza et L. Surius [6]. De ritibus Ecclesiae docte disseruit Ioannes Stephanus Durant, Tolosanus [7]. Sacrorum Canonum peritia claruerunt Antonius Augustinus, archiepiscopus Tarraconensis, inter cuius opera commendantur collectiones antiquae Decretalium, canones poenitentiales et epitome iuris pontificii; Didacus Covarruvias supra laudatus [8]; Ioannes Paulus Lancellottus, Perusinus, praeter Corpus iuris canonici edidit Institutiones iuris canonici. De instituenda christiana piaque vita libros scripserunt s. Carolus Borromaeus [9], Ludovicus Granatensis, Ord. Praed., Bartholomaeus de Martyribus, archiepiscopus Bracarensis, aliique.

69. *Controversiae de auxiliis divinae gratiae*—Per haec ipsa tempora in scholis Catholicorum ortae sunt controversiae de nonnullis quaestionibus, ab Ecclesia haud definitis. Controversiae istae praesertim pertinebant ad divinam Ssrum Librorum inspirationem, ad gratiam, hisque affinia.

---

[1] Antuerp. 1569-72, 8 voll. in-fol.
[2] 1609 in-4°.
[3] Mussipont. 1595, in fol.
[4] Matrit. 1601 et Colon. 1604, 16 voll. in-fol.
[5] Colon. 1676, 2 voll. in-4°.
[6] Antuerp. 1566, in-8°.
[7] Colon. 1599, in-fol.
[8] Vid. p. 177. — [9] Paris. 1619, in-4°.

---

[1] Paris. 1620, 4 voll. in-fol.
[2] Colon. 1628, in-8°.
[3] Lugd. Batav. 1596, in-4°.
[4] Vid. p. 177.
[5] Romae 1676, 4 voll. in fol.
[6] Vid. p. 177.
[7] Romae 1591, in-fol.
[8] Vid. p. 177. — [9] Vid. p. 177.

Consentiebant omnes, Libros tum Veteris tum Novi Testamenti esse divinitus inspiratos, hominem sub motione praevenientis gratiae esse liberum, eique libere cooperari, ex parte Dei dari certam et immutabilem electorum praedestinationem. Disputabant vero de modo, quo ss. Scriptores fuissent inspirati, de ratione conciliandi infallibilem gratiae efficaciam cum libera humanae voluntatis cooperatione, deque ratione praedestinationis, si spectetur in intentione seu mente divina.

In primis de his quaestionibus acriter disceptatum est Lovanii inter doctores Facultatis theologicae et patres Iesuitas. Illi an. 1587 e scriptis, quae pp. Lessius et Hamelius in collegio Societatis dictaverant, 34 propositiones excerptas acri censura notarunt. Earum propositionum summa haec erat: 1ª, ut aliquid sit Scriptura S., non est necessarium, ut singula eius verba sint a Spiritu S. inspirata, aut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu S. inspiratae; quin imo liber sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, in eo nihil esse falsum, efficitur s. Scriptura; 2ª, Deus post praevisum peccatum originale, omnibus hominibus dare consuevit et reipsa dat sufficientia auxilia ad obtinendam vitam aeternam; omnesque etiam infideles, ex parte Dei, seu in actu primo habent auxilium, sufficiens ad salutem; 3ª, praedestinatio est e praevisione operum seu meritorum. Lessius eiusque socii contra theologorum Lovaniensium censuram ediderunt doctrinae suae apologiam, cui an. 1588 Lovanienses opposuerunt censurae suae defensionem. Eodem anno sacra Facultas Duacensis easdem 34 propositiones acerrima censura perstrinxit.

Quum animorum contentiones utrimque crescerent, Xystus Pp. V interpellatus, rem ad se evocavit. Discussis per delegatos ad hoc opus theologos memoratis propositionibus, Lessii apologia atque censuris Lovaniensium et Duacensium theologorum, Pontifex quaestiones controversas non definivit, sed ad terminandas noxias contentiones sub poena excommunicationis partibus prohibuit, ne una alterius sententias censura notaret, donec auctoritate apostolica fuissent definitae. Quo apostolico mandato per Octavium Frangipani, Sedis Apostolicae apud Coloniam nuntium, Lovanium perlato, animorum contentio deferbuit [1].

[1] Cf. Livin de Meyer, *Historia Congregationum de auxiliis*, l. I; H. Serry, idem, l. I et V.

De iisdem pene quaestionibus eodem tempore acriter disceptatum est in Hispania. Ibi disputationibus ansam dedit liber, quem Ludovicus Molina, e S. I. et Eborae in Lusitania s. Theologiae professor, anno 1588 cum approbatione Inquisitoris Lusitani edidit de concordia liberi arbitrii cum divina gratia, praescientia et praedestinatione. Molina, ad conciliandum liberum hominis arbitrium cum divina gratia, docebat, hominem nativis suis viribus, seu generali Dei concursu, operari posse aliquid moraliter boni, quod quidem nullum supernaturale pretium et meritum pro salute habeat, quo tamen Deus moveatur ad gratiam suam homini, nativis suis viribus bene utenti, conferendam; per cooperationem hominis cum gratia fieri, ut gratia sufficiens fiat efficax, et homo usque in finem in bono perseveret. Liberum vero hominis arbitrium cum divina praescientia et praedestinatione conciliabat ope scientiae mediae, qua Deus praeviderit, quid homo, in his vel illis rerum adiunctis pro sua libertate acturus vel non acturus sit; qua praescientia actionum humanarum libertas minime tangeretur; quod homo non ideo ageret, quia Deus praevidit, sed potius Deus pro plenissima sua cuiusvis rei cognitione id praevideret, quod homo reipsa esset acturus. Ita pariter secundum Molinam Deus ad vitam aeternam praedestinavit eos, quos gratiae suae cooperaturos per scientiam mediam praevidit; quae praedestinatio, utpote non absoluta, sed hypothetica seu fundata in praevisa hominum cooperatione, libero eorum arbitrio minime officeret.

Verum multi, in primis Dom. Bannez aliique Ord. Praed. theologi, in Hispania, in librum Molinae invecti sunt, eumque ad Inquisitionem detulerunt. Illius vero defensionem susceperunt theologi Societatis Iesu. Utrimque ardentius disceptatum est. Brevi post eaedem controversiae non solum in Hispania, sed in aliarum etiam regionum scholas penetrarunt. Alii, qui in scholis dicti sunt Thomistae, quod se s. Thomae vestigia sententiasque sequi contenderent, gratiae efficaciam repetebant ex intrinseca eius vi, qua Deus independenter a quocumque consensu creato, seu physice praedeterminat voluntatem humanam ad actum eliciendum, ita ut homo, hac gratia determinatus, semper et infallibiliter agat; scientiam mediam reiiciebant, et praedestinationem non e praevisis meritis, sed gratuitam et absolutam esse contendebant. Alii, dicti Molinistae,

gratiam denominabant efficacem ab effectu, adeo ut gratiam, cui humana voluntas non cooperatur seu resistit, sufficientem, qua vero voluntas utitur et agit, efficacem vocarent; id tamen non sic intelligebant ac si gratia suam efficaciam acciperet a solo hominis assensu, sed, exclusa praedeterminatione physica, admittebant moralem gratiae influxum, quo voluntas praeveniatur, excitetur, adiuvetur ad actum eliciendum. Praeterea scientiam mediam et praedestinationem, e praevisis meritis defendebant.

Cum autem contentiones et turbae nimium ferverent, Clemens Pp. VIII an. 1596 causam ad se evocavit, utrique parti silentium de praesentibus controversiis praescripsit, omnes processus et scripta, simulque episcoporum, Universitatum et praecipuorum theologorum sententias de materia controversa exquisivit. Quum vero Dominicani iudicium Sedis Apostolicae urgerent, Pontifex anno sequenti Romae instituit celebres cardinalium et peritorum theologorum congregationes, a suo obiecto *De auxiliis divinae gratiae* appellatas, quatenus disputatae quaestiones dilucidarentur. In his utriusque partis, Dominicanorum nempe et Iesuitarum, theologi de controversis articulis acerrime disputarunt. Pontifex ipse his congregationibus interesse voluit, ut re magis explorata, controversiae finem constitueret. Congregationes, anno 1605 morte Clementis VIII interruptae, sub Paulo V eodem anno resumptae sunt. Tunc, cum Iesuitis etiam accusatorum partes fuissent concessae, ardentius disputatum est. Paulus V cernens, ambas partes in tuendis dogmatibus, ab Ecclesia definitis, et in detestandis haeresibus, ab ea damnatis, consentire, post 16 congregationes habitas nullum iudicium de articulis controversis ferendum censuit, et an. 1607 rem ita terminavit, ut utrique parti suam sententiam defendere liberum esset, sed neutra alteram aliqua censura notare praesumeret [1].

70. *Congregationes religiosae* — Interea praeter religiosas societates, supra laudatas [2], aliae eodem hoc saeculo institutae sunt. Nimirum Camillus de Lellis, an. 1550 Bucclanici in Aprutio honestis parentibus natus, primo militiam secutus est, et saeculi vitiis aliquandiu indulsit; deinde ad meliorem frugem conversus, Romae propter foedum ulcus, quo in tibia laborabat, in valetudinarium receptus fuit, cuius paulo post procurationem gessit. Postea sacerdotio initiatus, ad subsidium animarum in extremis periclitantium instituit Congregationem Clericorum regularium, quos quarto voto ministrandi infirmis, etiam peste infectis, obstrictos voluit. Congregationem approbavit Xystus Pp. V. Camillus vitae sanctitate clarus obiit an. 1614; postea a Benedicto XIV fastis Ssrum adscriptus [1].

Ei aequalis fuit Franciscus Caracciolo, an. 1563 nobili loco in oppido s. Mariae de Villa in Aprutio oriundus, qui a primis annis eximiae pietatis cultu enituit. Sacerdos factus, se totum devovit lucrandis Christo animabus; deinde una cum Ioanne Augustino presbytero aliisque instituit Congregationem Clericorum regularium minorum, qui tribus consuetis votis adderent quartum de non ambiendis dignitatibus ecclesiasticis. Congregationem approbavit Xystus V. Franciscus vitam sanctissimam pie terminavit an. 1608, deinde a Clemente XIV inter Beatos et a Pio VII inter Sanctos relatus [2].

In Gallia magno pietatis bono Congregationem Doctrinae christianae instituit Caesar de Bus, qui an. 1544 Cabillone natus, a laxiori vita, quam aliquandiu sectatus fuerat, revocatus, sacrae militiae nomen dedit. Sacerdotio initiatus, oppida et pagos catechizando et praedicando pertransiit. Multi eius exemplum secuti sunt, quibuscum an. 1593 Avenione initia Congregationis posuit, cuius socii se principaliter devoverent docendae pauperes doctrinae christianae. Congregationem approbavit Clemens VIII. Obiit venerabilis Caesar de Bus an. 1607 [3].

Ad christianam puellarum etiam institutionem hoc saeculo congregationes erectae sunt. Ex his fuit congregatio Sororum Angelicarum, quae etiam Guastallinae dictae sunt, quod earum fundatrix fuerit comitissa Guastallae. Haec institutum Barnabitarum imitata, socias suas primo moribus sexus sui emendandis, deinde puellis erudiendis et educandis destinavit, atque an. 1534 Congregationis suae approbationem ab Apostolica Sede accepit [4].

Talis etiam fuit congregatio Ursulinarum, quae ita dictae sunt, quod s. Angela Meri-

[1] Theodoricus Eleutherius seu Livinus de Meyer, *Historia controversiarum de divinae gratiae auxiliis.*
[2] P. 179-180.

[1] P. Citadello, *Vita s. Camilli*, ex italico in latinum versa a P. Halloix, Antuerp. 1662; Helyot, *Hist. des Ordr. relig.* t. IV, p. 263.
[2] A. Cencelli, *Vita di S. Francesco Caracciolo*, Romae 1805, in-4°.
[3] P. du Mas, *Vie de César de Bus*, Paris 1703, in 4°; I. Beauvais, idem, in 4°. — [4] Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

cia easdem sub patrocinium s. Ursulae constituisset. S. Angela an. 1470 in agro Brixiensi nata, primo an. 1535 plures pias virgines Brixiae permovit ad ineundam societatem, spiritualibus confraternitatibus similem, cuius finis esset, opera misericordiae corporalia et spiritualia exercere, speciatim puellas pie instituere. Illas ad vitam communem non congregavit, sed simplici voto castitatis adstrictas, in privatis aedibus habitare permisit. Post obitum s. Angelae (1540) eius confessarius et nobiles aliquot matronae memoratam Societatem protegendam susceperunt, et anno 1544 impetrarunt, ut Paulus Pp. III singulari bulla eam confirmarit, facta simul superioribus potestate constitutiones pro rerum adiunctis mutandi [1].

Demum hoc saeculo ad exemplum Fratrum misericordiae etiam Sorores misericordes ad infirmas sui sexus personas curandas in Congregationes coaluerunt [2].

71. *Annus Iubilaei* (*an.* 1600) — Quum iam proximus esset annus centesimus, Clemens Pp. VIII universo orbi christiano Iubilaeum indixit, plenissimam indulgentiam concedens iis, qui poenitentes et contriti Romae basilicas s. Petri in Vaticano, s. Pauli in via Ostiensi, s. Ioannis Lateranensis et S. M. Maioris devote visitarent. Omnes ad tantae gratiae consecutionem invitavit, principes hortatus est, ut erga peregrinos Romam profecturos beneficentiam exercerent, et quo magis fideles undique ad visitandas basilicas adliceret, cunctas ubique indulgentias per totum annum suspendit [3].

Tantus fuit numerus peregrinorum, qui anno 1600 ad lucrandam Iubilaei gratiam Romam venerunt, ut a ministris hospitalis ss. Trinitatis 500,000 fuerint excepti, non computata ingenti multitudine eorum, qui in propriis singularum nationum xenodochiis, in monasteriis et domibus privatis fuerunt suscepti; adeo ut in universum numerus eorum, qui toto hoc anno in Urbem venerunt, 3, 000, 000 credatur. Multi etiam haeretici, sive curiositate sive aliis causis adlecti, Romam venerunt, pluresque eorum spectatis pietatis, misericordiae aliarumque virtutum exemplis, quae Pontifex, clerus et populus Romanus exhibebant, opiniones, ex iniquis ministrorum suorum criminationibus contra Pontificem et ecclesiam Romanam praeconceptas, deposuerunt, haeresim eiurarunt et catholicam fidem amplexi sunt. Ex his fuit Stephanus Calvinus, haeresiarchae affinis, qui post conversionem suam Ordinem Carmelitarum discalceatorum ingressus, in eo insignis pietatis specimen praebuit usque ad obitum suum [1].

72. *Religionis status in Gallia sub Henrico IV* — In Gallia post Henrici III mortem (1589) bellum civile inter Henricum regem Navarrae et Catholicos foederatos continuatum est usque ad annum 1593 [2]. Hoc anno Henricus de suscipiendis catholicorum sacris serio cogitavit, collatisque cum doctissimis viris consiliis, haeresim abiuravit et catholicam fidem professus est. Ab haeresi absolutus, anno sequente Carnuti rex Galliae sub nomine Henrici IV sacratus est. Eodem anno Parisios ingressus, honorifice exceptus est, cunctisque praeteritorum omnium gratiam concessit. An. 1595 Clemens Pp. VIII absolutionem et reconciliationem Henrici IV confirmavit, eumque in integrum restituit.

Redeuntem in Gallia pacem graviter turbavit Ioannes Châtel, adolescens perditissimus, qui nefando consilio necandi regem inito, an. 1594 eum ictu cultri percussit, non tamen occidit. Châtel mox interceptus et supplicio affectus, sceleris sui poenas luit. Verum quum in quaestione respondisset, se olim annis 3 in scholis Iesuitarum studiis vacasse, horum adversarii, qui in senatu Parisiensi multi erant, Iesuitas criminis consiliarios fautoresque dixerunt; mox eorum domus explorata fuit, sed nihil repertum praeter libellum, contra Henricum IV ante eius cum Ecclesia reconciliationem editum, et a I. Guignard, Collegii Societatis bibliothecario, curiositatis causa, ut in similibus fit, conservatum. Nihilominus per senatus Parisiensis sententiam Guignard laqueo damnatus, omnesque Iesuitae ex universo regno proscripti sunt. Quam iniuste hac in re senatus contra Iesuitas processerit, ostendunt scriptores minime suspecti, testanturque, I. Châtel ad mortem usque constanter asseruisse, se proprio marte facinus commisisse, Iesuitas esse ab eo alienos, nullum eorum sibi illud suasisse, senatum vero spreto iuris ordine, partibus non auditis, nullaque praeteritorum et gratiae a rege concessae habita ratione, Iesuitas proscripsisse [3]. Unde Henricus IV intellecta opprobriorum,

[1] Helyot, *Op. cit.*
[2] Ibid.
[3] *Constit.* 58 in *Bullar. Roman.* t. III.

[1] Spondan. ad an. 1600. — [2] Vid. p. 184.
[3] Continuator Fleury, *Hist. eccl.* t. XXXVI, p. 489 et 502; S. Dupleix, *Histoire de Henri le Grand*, p. 163;

Iesuitis factorum, falsitate, anno 1604 iis redeundi in Galliam potestatem fecit, et brevi post facultatem theologicas et philosophicas litteras artesque liberales publice docendi concessit; ex quo tempore latius quam antea per Galliam propagati sunt [1].

Interim Henricus IV regni tranquillitati et prosperitati adlaboravit. Cum vero Calvinistarum numerus in Gallia nimium auctus esset, iique in arma proni, publicae paci continuo minitarentur, an. 1598 in eorum favorem Nanneti celebre edictum, ab hac urbe Nannetense appellatum, edidit, quo iis liberum religionis exercitium eademque cum Catholicis iura publica concessit. Clerus catholicus, Universitas Parisiensis, praesertim Sorbona, supremae denique curiae edicto Nannetensi multum inviderunt; senatus Parisiensis illud in catalogum legum referre diu recusavit, donec tandem anno 1599 rex ipse in curia praesens, gravi oratione eum ad hoc faciendum permoverit [2].

Henricus rerum gestarum praestantia et industria Magni nomen consecutus, regnavit usque ad an. 1610, quo a Francisco Ravaillac, Engolimensi, interfectus est [3]. Hoc parricidio adversarii Iesuitarum rursus contra eos usi sunt, et libellos accusationum plenos, adversus eosdem ceu auctores et defensores doctrinae de caede regum ac principum vulgarunt; senatus Parisiensis librum I. Marianae, iesuitae Hispani, *De rege et regis institutione*, igni damnavit, librumque R. Bellarmini, *De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus*, sub poena laesae maiestatis interdixit; sed Maria Medicea, regina vidua et regni procuratrix, interdicti istius promulgationem suspendit; librum Marianae iam ante Iesuitae ipsi improbarant, eiusque correctionem an. 1599 imperarat praepositus generalis Societatis. Quantum autem ad necem Henrici IV spectabat, Iesuitae se contra obtrectatores facile vindicarunt, et ipse Ravaillac, quaestionibus pressus, constanter asseruit, se solum esse criminis auctorem [4].

73. *Religionis status in Belgio* — Anno 1598 Philippum II regem Hispaniae defunctum excepit Philippus III, filius eius, qui usque ad an. 1621 regnavit. Fuit is princeps pius, humanis purisque moribus, sed gerendarum rerum expers. Philippus II paulo ante mortem suam provincias Belgicas et comitatum Burgundicum cesserat filiae suae Isabellae, quae Alberto archiduci, Maximiliani II filio, nupsit. Archiduces Albertus et Isabella an. 1599 summo Belgarum plausu excepti sunt, bellum adversus foederatas sub Mauritio Nassavio, principe Arausicano, provincias prosecuti sunt usque ad annum 1609, quo utrimque 12 annorum induciae sancitae fuerunt. Interim in provinciis meridionalibus mala, Religioni per bella civilia illata, reparata fuerunt. Piis principum studiis opem tulerunt Belgae. Plures ecclesiae et monasteria vel instaurata vel extructa sunt, bona ecclesiastica restituta, disciplina composita. In hunc finem Mathias Hovius, archiepiscopus Mechliniensis, anno 1607 provincialem synodum coegit, in qua decreta plura, in 26 articulos distributa, condita sunt de Fidei professione, Sacramentis, divini verbi praedicatione, clericorum et monachorum vita, scholis, seminariis aliisque. Quae decreta a Paulo Pp. V recognita et approbata fuerunt [1].

In foederatis vero provinciis, ab Hispanorum iugo separatis, calviniana religio ubique praevaluit. Qui autem in catholica religione perseverabant, vexis plurimis et persecutionibus fuerunt obnoxii. Postea vero Catholici qui tertiam fere partem incolarum in istis provinciis, vulgo Hollandia, efficiebant, civilem tolerantiam cum publico religionis suae exercitio, sed variis modis restricto, obtinuerunt.

Interim archiepiscopatus Ultraiactensis eiusque suffraganei episcopatus Harlemensis, Daventriensis, Leovardiensis, Groningensis, et Middelburgensis, anno 1559 a Paulo Pp. IV instituti, deperierunt. Quum post mortem Friderici Schenkii (1580), qui fuit primus et ultimus tunc archiepiscopus Ultraiectensis, capitulum huius Ecclesiae non elegisset vicarium capitularem, Gregorius Pp. XIII pro Dioecesis Ultraiectensis administratione vicarium apostolicum nominavit Sasboldum Vosmerum. An. 1583, quum caeteri quoque illic episcopatus pastoribus carerent, idem Pontifex eumdem Vosmerum pro ecclesiis totius foederati Belgii seu Hollandiae vicarium apostolicum constituit; et anno 1602 Clemens VIII eum Romae consecravit archiepiscopum *titularem*, uti nunc dicitur,

P. de l'Ètoile, *Journal du regne de Henri IV*, an. 1595; J. A. de Thou, *Histoire univers.* l. 132; P. Matthieu, *Hist. de France*, t. II. l. 1; P. V. Cayet, *Chronol* l. IV, p. 432; M. Sully, *Mémoires*, t. II, p. 457, edit. 1763.

[1] *Hist. Societatis Iesu.*

[2] Fontanon, *Collect. edictor. reg.* t. IV, tit. 7.

[3] Perefixe, *Histoire du roi Henri IV.*

[4] Spondan. ad an. 1610; Richeome, *Examen de l'Anti-Coton.*

[1] De Gerlache, *Hist. du royaume des Pays-Bas*, Introduct.; De Ram, *Synodicon Belgicum*, t. I.

*

Philippensem [1]. Ex hoc tempore ecclesiae in foederatis provinciis diu a Vicariis apostolicis administratae fuerunt.

74. *Arminiani in Hollandia* — In Hollandia etiam, sicut in aliis regionibus, nova religio inter ipsos sectarios controversiis, turbis et factionibus causam dedit. Iacobus Arminius, in Lugdunensi Batavorum Universitate theologiae professor, anno 1604 in publica disputatione inter alia, a Calvini doctrina aliena asseruit, Deum non absoluto decreto alios homines ad vitam, alios ad mortem aeternam praedestinasse, sed propter fidem Christo adhibitam aut denegatam; unde sequebatur, homines, quamvis fides sit donum Dei, tamen ad salutem accipiendam cooperari posse et debere. Eius assertiones mox palam impugnavit Franciscus Gomarus, Arminii collega. Cum vero Arminius inter litterarum studiosos, professores et praedicatores asseclis non careret, ortae sunt duae factiones, Arminianorum nempe et Gomaristarum, dictis et scriptis se mutuo impugnantes. Gomaristae, placitis Calvini strictius inhaerentes, ad publicam fidei confessionem et ad cathechismum Heidelbergensem, iussu Friderici III electoris Palatini, circa an. 1560 confectum, provocabant. Arminiani eiusmodi scripta symbolica de novo discutienda, corrigenda, imo potius abroganda esse, contendebant.

Potestas civilis litigantes, institutis inter eos colloquiis et imperata mutua tolerantia, ad pacem perducere frustra conabatur. Gomaristae contendebant, eiusmodi controversias non nisi a nationali synodo componi posse. Arminiani, numero et existimatione inferiores, synodum declinabant, et potestatis civilis praesidium quaerebant, ut saltem religiosa tolerantia ab ea decerneretur. Arminio an. 1609 mortuo, dissensio aucta et ad ipsam plebem propagata est, ita ut subinde turbae excitarentur. Anno sequenti Arminiani publicis Hollandiae Ordinibus obtulerunt libellum *Remonstrantiam* inscriptum, a quo ipsi *Remonstrantes* dicti sunt. In eo se a crimine depravatae religionis aliisque, sibi ad adversariis impactis, vindicarunt, et doctrinam suam de praedestinatione, aliisque 5 articulis proposuerunt. Eorum summa haec erat: Deus ab aeterno decrevit, ut in Christum credituri et in fide ac obedientia erga eum usque in finem perseveraturi, vitam aeternam consequerentur, infideles vero et peccatores non resipiscentes in aeternum damnarentur; ad fidem illam salvificam hominem quidem gratia Dei per Christum indigere, quae cuusa inchoatae, continuatae et perfectae salutis eius est, eam tamen nec solam nec irresistibiliter operari. His postea addiderunt, hominem per culpam suam gratia et fide in perpetuum excidere posse. Eorum libello Gomaristae alium *Contraremonstrantiae* opposuerunt, in quo doctrinam Calvini de praedestinatione ab adversariorum obiectionibus vindicarunt. Demum dissidiis et turbis crescentibus, et concordia institutis inter partes colloquiis frustra tentata, an. 1617 in generali Ordinum totius Belgii foederati congregatione decretum est, ut ad dirimendas controversias generalis synodus anno sequenti celebraretur Dordraci.

75. *Synodus Dordracensis* — Anno igitur 1618 synodus Dordraci habita est, cui praeter theologos Batavos adfuerunt multi extranei. Arminiani theologi synodum iudicem recusarunt, contenderuntque, litem non e libris symbolicis, sed e sola Scriptura colloquiis componendam, vel suprema magistratus civilis potestate definiendam. Synodus vero eos propterea increpavit, obstinatos abegit, iisque censuras intentavit. Deinde dogmatica decreta de praedestinatione et adiunctis materiis, a mente Calvini non parum aliena, sancivit; nam deserto horrendo eius commento de praedestinatione ante lapsum, eam post lapsum factam esse statuit. Praeterea theologos Arminianos seu Remonstrantes deposuit, alios aliis poenis subiecit, omnibusque, qui his decretis subscribere nollent, munere ecclesiastico interdixit.

Quum haec decreta ab Ordinibus generalibus essent confirmata, praedicatores Remonstrantium ubique depositi sunt, nonnulli relegati, multi in alias regiones transierunt; sacri eorum conventus interdicti, etiam armis dispersi sunt. In extraneis quoque seu extra Hollandiam existentibus, Calvinistarum ecclesiis, excepta Brandeburgica, decreta Dordracena acceptata fuere, nominatim in Gallicana, quae an. 1620 in synodo Alectensi statuit, ut omnes professores et praedicatores ea iuramento approbarent; munere ceciderunt, qui iuramentum detrectabant.

Anno 1625 mortuo Mauritio principe sub Friderico Henrico, fratre eius et successore, plures praedicatores Remonstrantium in patriam reversi sunt, sacros conventus publice agere coeperunt, et an. 1630 potestatem vivendi secundum suam confessionem acce-

perunt. Brevi tempore numero aucti sunt, sed exinde a characteristicis religionis christianae doctrinis magis magisque recedentes, et Socinianorum sententiis appropinquantes, consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti cum Patre, et peccatum originale negarunt; praeter paucas veritates religionis fundamentales, caeteras, quamvis in s. Scriptura exaratas, non esse ad salutem necessarias docuerunt; et pedetentim in rationalismum seu indifferentismum prolapsi sunt [1].

76. *Leo XI, Paulus V, Pontifices* (*an.* 1605) — Clementi Pp. VIII defuncto, calendis aprilis anno 1605, suffectus est Leo XI, antea vocatus Alexander Octavianus Mediceus, septuagenarius, cardinalis episcopus Florentinus. Antequam Cardinales ad Pontificis electionem concurrissent, iureiurando obligati convenere inter se, ut quicumque cooptaretur, is controversiam *de Auxiliis* dirimeret. Ast Leo XI post. 26 dies a sua electione, v° calend. maii 1605 morte oppressus non potuit praestare quod promiserat [2].

Post eum Cardinales comitia Pontificia habuerunt non sine contentione, et ante diem xvii^m calend. iunii an. 1605 elegerunt Camillum Cardinalem Burghesium, origine Senensem, qui Paulus V dici voluit.

Hic Pontifex gravissimam contentionem habuit cum Republica Venetorum. Anno quippe 1603 Reipublicae senatus duo consulta ediderat, quibus vetabatur, ne sine senatus licentia novae ecclesiae, monasteria aut alia aedificia ecclesiastica extruerentur, societates spirituales erigerentur, bona immobilia clero venderentur, donarentur aut testamento legarentur. Praeterea 2 clericos, criminum reos, nulla habita status eorum ratione, carceri manciparat. De his decretis et actis, tanquam ecclesiasticae libertati et immunitati contrariis, Paulus V apud senatum Venetum conquestus est, utque illa revocarentur et clerici sacerdotum iudicio redderentur, postulavit. Quum vero senatus per legatum suum decreta ea defenderet, Pontifex monitorias litteras ad Rempublicam dedit, quibus illa decreta irrita declaravit et sub excommunicationis poena revocari iussit. Senatus in sententia sua perstitit. Quare Paulus V, post iteratam admonitionem, an. 1606 scriptam sententiam contra Rempublicam fulminavit, qua senatus cum praeside et asseclis suis excommunicabatur, omnibus privilegiis, ab ecclesia Romana acceptis, privabatur, et si porro resisteret, tota Respublica sacro interdicto subiiciebatur. Senatus minime flexus, contestationem ad omnem clerum dedit, qua excommunicationem immeritam declaravit, et ne quis clericorum interdictum observaret, vetuit. Plerique senatui paruerunt; qui vero Pontifici obedire malebant, Iesuitae, Theatini, Capucini, aliique e ditione Veneta, discesserunt. Pacis sequester acceptus fuit Henricus IV rex Galliae, cuius legati, cardinalis De-Joyeuse apud senatum Venetum et cardinalis Du-Perron apud Pontificem, an. 1607 pacem ita composuerunt, ut hic censuras, ille decreta et acta sua revocaverit [1].

Damnavit quoque Paulus formulam iurisiurandi a Iacobo I Anglis catholicis propositam cuius summa erat, ut eum haberent pro rege Britanniae legitimo ac supremo, profitentes, ne Pontificem quidem Romanum posse ei regnum abrogare. Idem coortas in Lusitania de *Bulla Sabbathina* contentiones, et inde ad totum Christianum orbem diffusas, sapientissimo Decreto tandem diremit quod vel ipse probavit, collaudavitque Launoius [2]. Constitutioni, quam vocant *in Coena Domini*, Comaclum inseruit [3]. Franciscam Romanam et Carolum Cardinalem Borromaeum Sanctos esse definivit [4]. Ad pe-

---

[1] Natal. Alex. *Hist. Eccl.* saec. XVI, c. 11, a. 12; Pluquet, *Diction. des Hérés.* artt. *Arminius, Gomar, Hollande.*

[2] Baronius ad an. 1188, § 20; Augustinus le Blanc, *Hist. Congregat.* « *De Auxiliis divinae gratiae* », l. 4, c. 1.

---

[1] Spondan. ad an. 1606-1607; Andr. Mauroceni, *Hist. rer. Venet.* l. 17, et Ignatium Hiacynthum Amat de Graveson in *Hist. Eccl.* t. 8, colloq. 2.

[2] Harum contentionum historiam tradidit Paulus ab Omnibus-Sanctis, in *Clavi Aurea*, p. 2, c. 15. Vide quoque Bened. XIV, *de Festis B. M. V.* p. 2, § 77; Launoius Dissert. *De Carmelitani Scapularis sodalitio*, t. 2, p. 2, c. 2. « Decretum autem, subdit Lambertinus, habetur in *Bullario Carmelitano*, t. 1, p. 62, et t. 2, p. 601. Patribus Carmelitis permittatur praedicare, quod populus Christianus possit pie credere de adiutorio animarum Fratrum et Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciverint, Ecclesiae ieiunia observaverint, et Feria IV, et Sabbatho a carnibus abstinuerint; nisi ubi in iis diebus Nativitatis Domini Festum inciderit; suis intercessionibus continuis, suisque suffragiis et meritis, et speciali protectione post eorum transitum, praecipue in die Sabbathi (qui dies ab Ecclesia eidem B. Virgini dicatus est) adiuturam ». De hac re loquuti sumus p. 91 in not. Cf etiam Baillietus, *ad diem* 15 aug. § 6, n. 34. Verum laudati Lambertinus et Launoius (*Op. cit.*) Constitutionem, quae Sabbathina dicitur, suppositítiam existimant.

[3] *Const.* 63, § 20.

[4] *Const.* 45, § 39 et *Const.* 67, § 55.

titionem Mariae Francorum regina Congregationem instituit sub nomine Oratorii Iesu Christi Domini nostri; in honorem orationum, quas in diebus carnis suae fudit, « ut ii qui ipsam ingrederentur, eumdem Iesum Christum pro nobis in oratione positum, et pernoctantem revererentur, et colerent [1] ».

Idem Pontifex congregationibus « de auxiliis divinae gratiae » finem constituit, ut supra diximus [2]. Constitutiones Xysti IV et Pii V de immaculata B. V. Mariae conceptione innovavit, stricte prohibens, ne quis in lectionibus, conclusionibus aut aliis actibus publicis asserere praesumeret, B. V. Mariam in originali peccato fuisse conceptam [3]. Propagationi christianae religionis et omnium gentium saluti procurandae consulturus, constituit, ut in religiosorum gymnasiis, praeter latinas, graecae, hebraicae et arabicae litterae traderentur. Novos missionarios ad Congitanos, Persas, Indos, Iaponenses, Sinenses aliosque populos destinavit; Legatos regum Congi, Persidis et Iaponensium honorificentissime excepit. Vaticanam quoque Bibliothecam amplificavit ornavitque. In Basilica Liberiana sacellum splendidissimum aedificavit Virgini Deiparae, *Burghesium* postea dictum ab eius cognomine. Vias stravit, fluvios pontibus iunxit, et aquam in agro Braccianensi saluberrimis fontibus collectam, veteribus aquae Alsietinae ductibus restitutis, novisque adiectis, XXXV ab milliario duxit in Ianiculum; Urbemque *Leoninam*, aliaque Urbis aedificia ornavit et instauravit. Acquievit anno aetatis 69, Christi 1621, v° calend. februarii, post *annos* Pontificatus 15, *mens.* 8, *dies* 12 [4].

77. *Religionis status in Anglia sub Iacobo I* — Elisabetha, Anglorum regina, persecutione in Catholicos celebris, quum regnasset 45 annis, obiit an. 1603. Ei successit Iacobus I, rex Scotiae, Mariae Stuartae filius, qui Scotiam, Angliam et Hiberniam in unius regni formam redegit. Sub eo, matre invita, haeretice instituto, religionem catholicam e Scotia proscriptam vidimus [5]. Formula iuramenti ab ipso catholicis imposita a Paulo Pp. V, iam damnata diximus [6]. Iacobus, quamvis inter Puritanos in Scotia educatus, intelligens tamen principia eorum democratica de regimine ecclesiastico regiae quoque auctoritati esse inimica, illis relictis Episcopalium seu Anglicanorum sectae favit, episcopis ampliorem in rebus ecclesiasticis potestatem concessit, eosque in Scotia restituit. Catholicorum vero conditio fere eadem fuit sub Iacobo I ac sub Elisabetha. Eorum quippe adversarii imbellem regem omni via contra illos excitabant. Sic anno 1605 coniurationem pulveream, ita dictam a pulvere tormentario sub aede, in qua regni comitia celebrari solebant, ad regem proceresque perdendos occultato, universis Catholicis, praesertim sacerdotibus, Iesuitis et aliis, imputarunt. Unde factum est, ut diligentius in eos, maxime in sacerdotes, fuerit inquisitum, et ex his plusquam 30 suppliciis affecti sint. Constitit tamen, inter paucos, qui dictae coniurationis complices reperti sunt, alios catholicos, alios haereticos fuisse [1].

Ut vero sectarii Catholicos regi magis invisos redderent, eum perduxerunt ad praescribendam omnibus iuramenti formulam, in qua sub specie fidelitatis, quae principibus debetur a populis, saltem implicite ipsius catholicae fidei abnegatio continebatur. Paulus Pp. V, ab anglis catholicis, quorum alii illud iuramentum licitum, alii illicitum existimabant, interpellatus, respondit, illud tuta conscientia praestari non posse. Quum igitur plerique Catholici praedictum iuramentum praestare recusarent, in eos tanquam in regem rebelles persecutiones motae sunt. Regnavit Iacobus I usque ad annum 1625 [2].

78. *Religionis status in Polonia* — Vidimus iam, quantas progressiones sectae haereticorum, Lutheranorum, Calvinistarum et Antitrinitariorum, in Polonia vicinisque regionibus saeculo praecedenti fecerint [3]. In Polonia sub Sigismundo III, qui ab anno 1587 usque ad 1633 regnavit, religio catholica incrementa grandia cepit. Sigismundus III, filius Ioannis III regis Sueciae, a matre, quae erat e regia Polonorum familia, et Iesuitis in catholica religione institutus, illius stabiliendae et dilatandae in Polonia studiosissimus fuit. Quare haereticos paulatim e supremo senatu exclusit, et alia quoque munera ac dignitates publicas solis fere Catholicis contulit. Iesuitae tum ser-

[1] *Const.* 91, § 2.
[2] P. 193.
[3] Vid. p. 110
[4] Spondan ad an. 1608-21.
[5] P 174.
[6] P. 197.

[1] M. Higgons, *Coup d'oeil sur l'histoire d'Angleterre*, p. 252, La Haye 1727; Le Fèvre de la Broderie, tunc temporis regis Galliae in Anglia orator, in suis Commentariis, *Negociations*, edit. 1719.
[2] Spondan. ad an. 1604-21.
[3] Cf p. 182.

mone tum scripto catholicae religionis veritatem demonstrabant, haeresesque confutabant. Unde factum est, ut multi nobiles Poloni ad catholicam religionem reverterentur suosque etiam subditos multifariis modis ad exemplum suum sequendum promoverent.

Idem Sigismundus, an. 1592 patris sui in regno Sueciae successor, in ea quoque religionis catholicae exercitia restituere conatus est. At obstiterunt Suecorum proceres, praesertim Carolus Sigismundi patruus, fervidus lutheranus, qui, illo absente, Sueciam administrabat. Hic Suecis auctor extitit, ut religionis catholicae exercitium prohiberent, et regi, id non ferenti, armata manu resisterent. Inde bellum, in quo quum victus esset Sigismundus, Sueci an. 1599 ab eo postularunt, ut lutheranam religionem amplecteretur; hocque recusantem anno 1602 deposuerunt, et Carolum, patruum eius, regem crearunt.

Hungaria — In Hungaria sub Maximiliano et Rudolpho regibus, qui propter graves temporum circumstantias a vi contra haereticos adhibenda abstinendum censebant, Protestantes religionem suam libere exercueruut, plurimum auxerunt, variasque Catholicorum ecclesias occuparunt. In Transylvania iam an. 1556 religionis libertatem publica lege sancitam nacti sunt, ut vidimus [1]. Anno vero 1597 Rudolphus decretum de refraenandis in Hungaria haereticorum progressionibus edidit, quod an. 1604, ademptis eis ecclesiis pulsisque praedicatoribus, executioni dari coepit. Excitatis inde motibus Stephanus Botskay, qui facta seditione Transylvania potitus fuerat, usus est ad invadendam Hungariam. Ei maior protestantium pars se mox adiunxit. Cumque Turcae eodem anno imperatori Rudolpho bellum intulissent, an. 1606 pax cum rebellibus Hungaris Viennae confecta est, qua praeter alia nobilibus liberum religionis tum calvinianae, tum lutheranae exercitium concedebatur. Unde eorum res in Hungaria multum firmatae et auctae sunt. Verumtamen post paucos annos patres Iesuitae, praesertim Petrus Pazmany, an. 1615 a rege Mathia ad archiepiscopatum Strigoniensem electus, sermonibus et scriptis multos e magnatibus et nobilibus, ad religionem catholicam reduxerunt. Eorum labores Ferdinandus II adiuvit, munera et dignitates conferendo redeuntibus ab haeresi. Proceres suo exemplo etiam subditos suos ad Ecclesiam catholicam reduxerunt. Sub Ferdinando III protestantes a Georgio Ragoczy, calviniano principe Transylvaniae, adiuti, novam rebellionem excitarunt, illumque anno 1645 ad concedendam sibi religionis libertatem compulerunt.

Germania — In Germania dissidia Catholicos inter et protestantes erant continua. Hi res suas in illorum detrimentum ampliare, isti statum suum conservare suasque terras a doctrinis haereticis purgare conabantur. Id praecipue factum est in terris Austriacis. Anno 1578 Ordines Stiriae, Carinthiae et Carniolae, iam maiori ex parte novae religioni addicti, denegatis tributis ducem suum Carolum adegerunt, ut non tantum nobilibus in castris eorum, sed etiam civibus in 4 urbibus, Graecio, Iudenburgo, Clagenfurto et Labaco, liberum religionis exercitium concederet. Protestantes mox plura sibi indulgentes, non tantum in multis aliis oppidis et pagis ecclesias sibi extruxerunt, sed etiam in iis locis, in quibus ius patronatus duci vel clero competebat, exclusis parochis catholicis, pastores lutheranos constituerunt, pluraque alia, non tantum Ecclesiae, sed etiam principis iuribus contraria, sibi arrogarunt, ab ecclesiastica ad politicam libertatem progressi. Quapropter dux Carolus an. 1580 religionis eorum libertatem ad arces nobilium restrinxit; quam restrictionem illi parum curarunt. Ferdinandus, Caroli filius et an. 1597 successor, pro suo religionis catholicae studio subditos suos ad eam reducere constituit, ideoque anno sequenti decrevit, ut omnes praedicatores et laici, qui ad catholica sacra redire nolebant, emigrarent. Tunc alii ab haeresi discesserunt, alii emigrarunt, sicque nova religio e terris Ferdinandi exulavit.

Non multo post Rudolphus imperator II etiam in Bohemia acatholicos restringere coepit. Illic protestantes, sat numerosi, an. 1572 a Maximiliano II liberum religionis exercitium impetrarant, sed verbo tantum; quia Ordines catholici documentum scriptum acceptare recusabant. Anno 1602 Rudolphus II declaravit, religionis libertatem competere solis Utraquistis seu Calixtinis, qui *compactata* Pragensia seu Basileensia observarent. Verum post paucos annos protestantes Rudolphum, iam subtimidum et auxilio destitutum, improviso impetu ad religionis libertatem scripto iis concedendam adegerunt. In documento, an. 1609 de-

---

[1] P. 183.

super confecto, proprium Pragae consistorium, a quo eorum pastores ordinarentur, novarum ecclesiarum in fundis eorum extructio et defensorum libertatis concessae constitutio iis concedebantur. Eodem anno protestantes in Austria, dissidiis inter Rudolphum imperatorem et Mathiam fratrem eius usi, posteriorem, qui eorum ope adiutus, anno 1608 Rudolphum ad cedendam sibi Hungariam, Austriam et Moraviam adegerat; ad ampliandam priorem religionis libertatem, a Maximiliano concessam, sed a Rudolpho intra praefixos limites reductam, an. 1609 compulerunt.

79. *Unio evangelica. Liga catholica* (*an.* 1609) — In reliqua etiam Germania dissidia inter Catholicos et Protestantes subinde augebantur. Anno 1608 auctore Friderico, electore Palatinatus, principes protestantes novum foedus, quod Unio evangelica dictum est, inter se inierunt. Eius finem solam quidem libertatis suae politicae et religiosae defensionem esse dicebant, at brevi post sat ostenderunt, sibi de eo agi, ut praelati caeterique principes catholici terris suis privarentur. Huic unioni subscripserunt inter alios elector Palatinus, lantgravius Hassiae-Cassellae, dux Wirtembergensis, marchio Durlacensis, princeps Anhaltinus, pluresque civitates liberae.

Catholici hac confoederatione perterriti, societatem inter se ineundam putarunt: haec societas dicta fuit *Liga catholica.* Huic nomina dederunt Maximilianus dux Bavariae, tres imperii electores ecclesiastici, archiepiscopus Salisburgensis, episcopi Bambergensis, Wirceburgensis et Aichstadiensis, archiduces Austriae, pluresque alii principes tum extra, tum intra imperium [1]. Post annos paucos bellum inter confoederatos exortum est, quo Germania horrendum in modum fuit exagitata et universa Europa perturbata per annos 30 usque ad pacem Westphalicam, ut infra videbimus.

80. *S. Franciscus Salesius* — De conversione vero haereticorum ad catholicam fidem preclarissime meruit s. Franciscus Salesius, *inclytae sanctitatis exemplar, et verae piaeque doctrinae magister, qui ne dum voce, sed et scriptis immortalibus insurgentium errorum monstra confodit, fidem asseruit, vitiis eversis mores emendavit, cunctis pervium coelum ostendit* [2]. Is anno 1567 illustri loco prope Anecium in Sabaudia natus, a teneris annis insignia pietatis et ingenii specimina dedit; philosophiae et theologiae studiis Parisiis confectis, iuris lauream adeptus est Patavii. Sacerdotio et ecclesiae Genevensis praepositura auctus, a Granerio episcopo Genevensi, qui ex quo a Calvinistis religio catholica fuerat Genevae proscripta, degebat Anecii, ad convertendos Caballiacenses aliosque populos, Genevae finitimos, destinatus fuit. Laboriosam hanc missionem an. 1594 suscepit grandi animo. Adversa multa et aspera expertus, saepiusque ab haereticis ad necem quaesitus est, sed Dei ope protectus, tanta cum constantia et successu haeresim oppugnavit ac fidem catholicam praedicavit, ut paucorum annorum spatio plus quam 70millia haereticorum converterit. An. 1602 post Granerii obitum, Genevensis episcopus consecratus, maiori cum ardore haereticorum conversioni, divini verbi praedicationi, morum emendationi, disciplinae in clero et in coenobiis instaurationi adlaboravit: adeo ut Genevae et in locis finitimis religionis catholicae professio, pietas in clero, regularis disciplina in coenobiis, morum integritas in populo reflorescerent. An. 1610 novum sanctimonialium Ordinem instituit.

Magno in praetio Francisci doctrinam, dum in vivis ageret, habitam esse, vel ex eo colligere licet, quot e tot strenuis veritatis catholicae defensoribus, qui tunc florebant, unum Genevensem Praesulem Clemens VIII elegerit, quem adire iuberet Theodorum Bezam Calvinianae pestis propugnatorem acerrimum. Quod munus adeo eximie Franciscus, non sine vitae suae periculo, implevit, ut haereticus homo ex merito confutatus veritatem fassus sit, licet ex scelere, arcano Dei iudicio, indignus extiterit, qui ad Ecclesiae sinum rediret. Nec minori plane aestimatione s. Episcopum gavisum fuisse exinde constat, quod Paulus Pp. V dum celebris disceptatio *de auxiliis* Romae ageretur, huius praesulis sententiam ea super re exquiri voluerit, eiusque consilio obsecutus, subtilissimam ac periculi plenam quaestionem diu acriusque exagitatam, indicto partibus silentio consopiendam iudicaverit, uti diximus. Haec praecellentis doctrinae opinio post illius obitum imminuta non est, imo vehementer aucta, virique ex omni ordine clarissimi, ipsique summi Pontifices eminentem illius scientiam magnis laudibus extulerunt [1]. Plura scripta reliquit,

[1] Spondan, ad an. 1608-9.

[2] Pius PP IX *Litter. Apost.* 16 novembr. 1877, *Dives in misericordia.*

[1] Tempore Concilii Vaticani multi ex illis Patribus Pium Pp. IX enixis votis communi voce rogarunt, ut

quibus Doctoris Ecclesiae nomen adeptus est. Equidem 12 libris incomparabilem tractatum *de amore Dei*, docte subtiliter dilucideque complexus est. Maxime autem vivis coloribus virtutem alio opere, quod *Philotea* inscribitur, pinxit. Huc accedunt tractatus de rebus ad magisterium pietatis spectantibus, ipsaeque constitutiones, sapientia, discretione, ac suavitate conspicuae, quas pro Sanctimonialibus Ordinis Visitationis B. Mariae ab eo constituti scripsit. Uberrimam sane rei asceticae segetem Epistolae ipsius ad plurimos datae suppeditant, in quibus devoti cultus erga Ss. Cor Iesu semina miserit. In his lucubrationibus ac praesertim in interpretatione *Cantici Canticorum*, plura Scripturarum aenigmata, obscura, nova luce perfundit. Porro ad retundendam haereticorum sui temporis pervicaciam, confirmandosque Catholicos *Controversiarum* librum, in quo plena Catholicae fidei demonstratio est, aliosque tractatus, concionesque de veritatibus fidei, itemque *Vexillum Crucis* conscripsit, quibus adeo strenue pro Ecclesiae causa certavit, ut innumeram perditorum hominum multitudinem ad eius sinum reduxerit, fidemque in tota Caballiacensium provincia restituerit [1]. Obiit S. Franciscus Salesius an. 1622, postea ab Alexandro Pp. VII in Ssrum numerum relatus [2].

81. *Cardinalis Du-Perron* — S. Francisci ardorem in oppugnanda haeresi et convertendis errantibus in Gallia aemulatus est cardinalis Perronius seu Du-Perron. Is anno 1556 Bernae parentibus nobilibus sed calvinianis natus, litterarum et philosophiae studiis magna cum fama absolutis, haeresim abiuravit, statum clericalem amplexus est, et egregius fidei catholicae defensor ac haereseos debellator evasit. Ingenio sublimi et acuto, memoria tenacissima, christianae antiquitatis et s. Theologiae eruditione admirandus, doctrinam catholicam egregiis scriptis defendit, haereticos multos ad Ecclesiam reduxit. An. 1600 coram Henrico rege IV publicam disputationem habuit cum Mornaeo Plessaeo (Duplessis Mornay), celebri calvinista, quem tam luculenter confutavit, ut is pudore suffusus discesserit. Propter haec aliaque bene merita Du-Perron, iam ab anno 1593 episcopus Ebroicensis, ad archiepiscopatum Senonensem et cardinalatus dignitatem evectus est. Obiit an. 1618, pluraque scripta praesertim polemica reliquit [1].

82. *Scriptores ecclesiastici* — Praeter s. Franciscum Salesium et cardinalem Du-Perron ineunte hoc saeculo floruerunt scriptores, qui sequuntur:

In exponendis ss. Litteris claruerunt, Franciscus Feuardentius, Ordinis Minorum et doctor Sorbonicus; reliquit commentarios in plures s. Scripturae libros, Tractatus de controversiis, et aliquot Patrum opera edidit. Martinus Ant. Delrio, Antwerpiensis, Societatis Iesu; scripsit commentarios in Genesim, in Canticum et in Lamentationes, Adagia V. et N. Testamenti, Dilucidationes difficiliorum s. Scripturae locorum, atque Disquisitiones magicas. Nicolaus Serarius, Lotharingus, S. I.; praeter opuscula varia theologico-historica edidit prolegomena et commentarios in s. Scripturam [2]. Benedictus Pereira, Valentinus Hispanus, S. I.; reliquit commentarios in Genesim et Danielem [3]. Guilielmus Estius, Gorcomiensis, doctor Lovaniensis; praeter alia dedit annotationes in difficiliora s. Scripturae loca, commentarios in Epistolas s. Pauli, et commentarios in Magistrum Sententiarum. Franciscus Lucas, Brugensis, theologus Lovaniensis, graece, hebraice, syriace et chaldaice doctus; praeter alia exegetica composuit commentarios in IV Evangelia [4]. Iacobus Tirinus, Antwerpiensis, S. I.; composuit commentarium brevem solidumque in universam s. Scripturam. Benedictus Iustinianus, Genuensis, S. I.; elaboravit tria volumina Commentariorum in s. Scripturam. Ioannes de Pineda, Hispalensis, S. I.; edidit commentarios in aliquot s. Scripturae li-

---

S. Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraret. Quae quidem vota et S. R. E. Cardinales et plures ex toto orbe Antistites ingeminarunt; iis vero Canonicorum Collegia, Lycaeorum Doctores, scientiarum Academiae, Principes, ac nobiles proceres, ingens denique fidelium multitudo suis supplicationibus accesserunt. Tandem Pius Pp. IX ex Sacr. Rit. Congr. consulto, decreto Urbis et Orbis 19 iulii 1877, *universalis Ecclesiae Doctorem* Franciscum Salesium declaravit. Vid. *La Scienza e la Fede*, voll. CVII, p. 335 sqq; CVIII, 404; CIX, 49.

[1] Alexander VII in Bulla Canonizationis XIII° calend. maias 1665 et in allocutione consistoriali ante canonizationem. Clemens IX, Benedictus XIV, Const. *Pastoralis curae* 5 august. 1751.

[2] Marsollier, *Vie de s. François de Sales*, 2 voll. in-12° Opera s. Francisci edita sunt 2 voll. in-foll. Epistolae eius seorsim editae sunt Paris. 1758, 6 voll. in-12°, et 1821, 4 voll. in 8°. Introductio ad vitam devotam saepius et cunctis fere idiomatibus excusa fuit.

[1] Edita Paris. 1620, 3 tom. in fol. Accedit volumen Legationum, ibid. 1623.

[2] 16 voll. in-fol.

[3] Autwerp. in-fol.

[4] Lugduni Batav. 1712, 5 voll. in-fol.

bros, atque historiam ecclesiasticam. Cornelius a Lapide, Campinensis, S. I,; composuit commentarios vastissimos et eruditissimos in s. Scripturam [1]. Iacobus Bonfrerius, Dionantinus, S. I.; praeter commentarios in Pentateuchum, Iosue, Iudicum et Ruth, scripsit praeloquia in totam s. Scripturam, et Onomasticon urbium et locorum eiusdem. Iacobus Iansonius, Amstelodamus, doctor Lovaniensis; edidit commentarios in Psalmos, Cantica, Iob et Evangelium secundum s. Ioannem.

Inter theologos, praeter laudatos M. Delrio et G. Estium, claruerunt: Gregorius de Valentia, Hispanus, S. I., praeter Tractatus theologico-polemicos composuit commentarios in Summam s. Thomae [2]; Gabriel Vasquez, Bellomontanus Hispanus, S. I., dedit commentarios diffusos in Summam s. Thomae Aquinatis, et alia [3]; Dominicus Bannez, Mondragonensis Hispanus, Ordinis Praedicatorum, edidit commentarios in Summam s. Thomae [4]; Henricus Henriquez, Lusitanus, S. I., elaboravit summam theologiae moralis et tractatum de clavibus Ecclesiae; Ferdinandus Rebellus, Lusitanus S. I., disseruit de iustitia, religione et charitate et Probabilismum impugnavit. Paulus Comitolius, S. I., et ipse probabilismi impugnator, dedit Consilia moralia, aliaque; Franciscus Suarez, Granatensis, Hispanus, S. I., elucubravit commentationes et disputationes in Summam s. Thomae [5]; Leonardus Lessius, Brabantus, S. I., composuit libros 4 de iustitia et iure, tractatum de potestate summi Pontificis, alia; Paulus Laymann, Ænipontanus, S.I., elucubravit theologiam moralem [6], ius canonicum, alia; Martinus Becanus, Brabantus, S. I., scripsit theologiam scholasticam, analogiam V. et N. Testamenti, manuale Controversiarum; Thomas Sanchez, Cordubensis, S.I., edidit opus morale in praecepta Decalogi, et tractatum copiosum de Sacramento matrimonii; Adamus Tanner, Ænipontanus, S. I., concinnavit theologiam scholasticam et disputationes theologicas in omnes partes Summae D. Thomae; Ioannes Wiggers, Diesthemiensis, doctor Lovaniensis, elaboravit commentarios in Summam s. Thomae; Ioannes Malderus, doctor Lovaniensis, episcopus Antwerpiensis, scripsit in primam et secundam partem Summae s. Thomae; Didacus Alvarez, Hispanus, Ordinis Praed., composuit commentarium in Summam s. Thomae.

Stabiliendis Fidei dogmatibus et confutandis erroribus insudarunt laudati F. Feuardentius, Greg. de Valentia et M. Becanus; item Robertus Bellarminus, Montis Politiani in Hetruria, S. I., S. R. E. cardinalis, plurima scripta edidit, inter quae primum locum habet, eruditissimum opus Controversiarum christianae fidei adversus huius temporis haereticos [1]; Iacobus Gretserus, Suevus, S. I., multa opera reliquit, praesertim historico-apologetico-polemica, inter quae commemorantur defensio operis Bellarmini contra obiectiones Protestantium, et tractatus de Cruce [2]; Franciscus Coster, Mechliniensis, S. I., elaboravit Enchiridion controversiarum, eruditorum iudicio laudatum [3]; Petrus Coton, Gallus, S. I., composuit tractatum de Sacrificio missae et Institutionem catholicam contra haereses et superstitiones huius aevi; Nicolaus Coeffeteau, Cenomanus, Ordinis Praed., nominatus episcopus Massiliensis, praeter historiam Romanam ab Augusto usque ad Constantinum, composuit tractatus polemicos contra Iacobum regem Angliae, Duplessium Mornaeum et M. Antonium de Dominis; Marinus Mersenicus, Cenomanus, Ordinis Minimorum, vir multiplicis eruditionis, elaboravit quaestiones celebres in Genesim potissimum contra atheos et deistas [4]; Petrus Arrubal, Hispanus, S. I., reliquit duos libros de Deo uno et trino et de Angelis; Did. Alvarez, iam commemoratus, scripsit de auxiliis divinae gratiae et de concordia liberi arbitrii cum praedestinatione; Ægidius de Coninck, Bellanus Flander, S. I., erudite scripsit de Sacramentis [5], de Deo trino et incarnato [6]; Ludovicus Richeome, Gallus, S. I., reliquit tractatus de controversiis, asceticos et theologicos [7]; Iacobus Keller, Germanus, S. I., haereticos et pseudo-politicos variis libris exagitavit; Arnoldus Havensius, Sylvaeducensis, S. I., scripsit de auctoritate ss. Patrum in decernendis Fidei dogmatibus [8]; Andreas Duval, doctor

---

1 Antwerp. 1681, 11 voll. in-fol.
2 5 voll in-fol.
3 Lugdun. 1620, 10 tom. in-fol.
4 6 tom. in-fol.
5 Lugd. Mogunt. Venet. 1748, 23 voll. in-fol.
6 Paris. 1622 in-fol.

1 Paris et Pragae 1721, 4 tom. in-fol.
2 Ratisbon. 1734, 17 voll. in-fol.
3 Colon. 1590, in 8°.
4 In-fol.
5 Rothomag. 1630, in-fol.
6 Antwerp 1645, in-fol.
7 Paris. 1628, 2 voll. in-fol.
8 Colon. 1620, in 8°.

Sorbonicus, reliquit commentarium in s. Thomam, tractatum de suprema R. Pontificis potestate, et alia contra Richerium et Petrum Molinaeum.

In illustranda historia ecclesiastica sedulam operam impenderunt hi qui sequuntur: Caesar Baronius, Soranus e Campania, presbyter Oratorii s. Philippi Nerii et R. E. cardinalis, praeter annotationes ad Martyrologium, collegit Annales ecclesiasticos a Christo nato usque ad annum 1198 tanta cum nominis celebritate, ut parentis historicorum ecclesiasticorum recentioris aetatis nomen sit adeptus, et ex ipsis acatholicis non pauci fidem eius, eruditionem ac laborem laudarint [1]. Abraham Bzovius, Polonus, Ordinis Praed., Annales ecclesiasticos Baronii prosecutus est usque ad an. 1572 [2]. Henricus Spondanus, e calvinista catholicus et episcopus Apamiensis, annales Baronii in epitomen redegit [3] eosdem continuavit usque ad annum 1640 [4], addiditque annales V. Testamenti [5]. Augustinus Torniel-li, Novariensis, Barnabita, collegit annales sacros et profanos a mundi initio usque ad Christum natum [6]. Iacobus Salianus, Avenionensis, S. I., edidit annales V. Testamenti [7]. Heribertus Rosweydus, Ultraiectinus, S. I., collegit fastos Ssrum, vitas Patrum eremicolarum, primusque animo concepit consilium ingentis operis de Actis Ssrum, quod eiusdem Societatis viri, Bollandus aliique paulo post feliciter aggressi sunt [8]. Thomas Lemos, Hispanus, Ordinis Praed., collegit historiam congregationum de Auxiliis [9]. Eamdem historiam postea scripserunt Iacobus Hyacinthus Serry, Ordinis Praed. [10],

[1] 12 vol. in-fol. Baronius *Annales* suos opposuit *Centuriis* Magdeburgensibus, quas M. Flacius, I. Windus, aliique Lutherani saeculo praecedenti in lucem ederunt. Continent illae historiam ecclesiasticam 13 saeculorum, et prodierunt Basileae 1559-74, 13 voll. in-fol. — [2] 9 voll. in-fol. — [3] 2 voll. in-fol.

[4] 3 voll. in-fol. — [5] In-fol.

[6] Antwerp. 1620, 2 voll. in-fol.

[7] Paris. 1625, 6 voll. in-fol.

[8] Bollandus, unde Bollandistarum nomen, Acta Ssrum deduxit ad 5 volumina in-folio. Henschenius aliique Iesuitae opus prosecuti, ante suppressionem Societatis illud auxerunt ad 49 volumina. Extincta Societate C. Byens et I. Bueus Iesuitae una cum I. B. Fonsono Can. Regul., A. Bertholdo Benedictino, S. Dyckio, C. Goorio et M. Stalzio Praemonstratensibus 3 volumina addiderunt, quorum ultimum, nempe LII, excurrit usque ad 15 octobris. Operis continuationem postea resumpserunt Patres Societatis in Belgio. — Parisiis Victorius Palmè quinquagintaquatuor volumina *Actorum*, edit. Antuerpiae cum notis Papebrokii, nunc temporis typis exarare adnisus est; his addendo novorum Bollandistarum voll. LVm usque ad LXm.

[9] Lovan. sed Rhemis 1702, in-fol.

[10] Antwerp. 1709, in-fol.

et Livinus de Meyer S. I. [1]. Antonius Gallonius, presbyter Oratorii Romani, praeter alia scripsit de ss. Martyrum cruciatibus [2]. Paulus Aringhus, presbyter eiusdem Oratorii, latinitate donavit auxitque Romam subterraneam, opus posthumum A. Bosii [3]. H. Canisius, Noviamagus S. I., praeter summam iuris canonici, collegit antiquas lectiones seu thesaurum monumentorum ecclesiasticorum et historicorum [4]. A. Possevinus, Mantuanus S. I., edidit res Moscovitas, apparatum ad scriptores V. et N. Testamenti, et bibliothecam selectam de ratione studiorum. N. Orlandinus, Florentinus, S. I., scripsit historiam suae Societatis, deinde longius productam a Sachino, Iuventio et Cordara. I. P. Maffeius, S. I., scripsit vitam s. Ignatii et historiarum Indicarum libros 16. Thom. Malvendia, Ord. Praed., collegit Annales sui Ordinis [5]. Zacharias Boverius, Ordinis Capucinorum, edidit historiam sui Ordinis [6]. I. Mariana, Hispanus, S. I., narravit historiam patriae suae. Angelus Rocca, Italus, Augustinianus, dedit Bibliothecam Vaticanam illustratam, et Thesaurum pontificiarum antiquitatum, rituum ac caeremoniarum. Ioannes Chapeauville, Leodiens., collegit gesta Pontificum Leodiensium [7]. Ioannes Buzelinus, Cameracensis, S. I., cuius extant Annales Gallo-Flandriae [8] et Gallo-Flandria sacra et profana [9]. A. Havensius, iam laudatus, scripsit de erectione novorum episcopatuum in Belgio, et de crudelitate moribusque priscorum et recentiorum haereticorum.

Scriptoribus asceticis huius aetatis cum s. Francisco Salesio, de quo supra diximus, adnumerandi sunt cardinalis Berullus, fundator et superior Oratorii Gallicani; Carolus Condren, eius successor; Alphonsus Rodriguez, Vallisoletanus, S. I.; Ludovicus de Ponte, Hispanus; Hieremias Drexelius, Augustanus; Ioannes Busaeus, Noviomagen., eiusdem Societatis; aliique.

83. *Congregationes religiosae*—Vidimus saeculo precedente, quanto cum fructu s. Philippus Nerius in Italia instituerit Congregationem patrum Oratorii [10]. Illam in Gallia imitatus est Petrus Berullus. Hic an. 1575 in Campania gallicana patre senatore Parisiensi natus, presbyter et postea R. E. cardinalis factus, ad mores clericorum et laicorum emendandos an. 1611 plures sa-

[1] Ibid. 1705, in-fol. — [2] 1591 in-4°.

[3] Romae 1651, 2 voll. in-fol.

[4] Ingolstad. 1601, 6 vol. in-4°.

[5] Neapol. 1627, in-fol. — [6] 1632, 2 voll. in-fol.

[7] 1612, 3 voll. in-4°. — [8] Duaci 1624, in-fol.

[9] Ibid. 1625, in-fol. — [10] Vid. p. 180.

cerdotes in quodam suburbio Parisiensi congregavit, qui e patrimonio vel peculio vitam pauperem viverent, et sub episcoporum obedientia ministeria sacra sedulo peragerent. An. 1631 Paulus Pp. V hanc Congregationem approbavit sub nomine Oratorii Iesu, quae brevi per provincias Galliae propagata est. Quum deinde post fundatoris obitum (1629) socii etiam scholas et litterarum studia apud se introduxerint, multos in sua Congregatione habuerunt viros magni nominis [1].

Ad parvulos in pietate et litterarum rudimentis instituendos s. Iosephus Calasanctius fundavit Ordinem patrum Piarum Scholarum. Is nobili familia Aragoniae an. 1556 natus, postquam in patria decanus et episcopi Urgellitani vicarius generalis, emendandis moribus et restituendae disciplinae ecclesiasticae adlaborasset, an. 1591 Romam profectus est, ibique se totum pietatis et caritatis operibus dedicavit. Illic an. 1600, approbante Clemente Pp. VIII, adscitis sibi aliquot presbyteris, parvulos in litterarum elementis instruere simulque ad pietatem informare coepit. An. 1617 a Paulo V impetravit, ut societas sua in Congregationem regularem cum 3 votis monasticis sed simplicibus mutaretur. Post annos 4 Gregorius XV eam ad dignitatem Ordinis religiosi cum votis solemnibus evexit, regulasque a Iosepho compositas approbavit. Obiit Iosephus Calasanctius an. 1648, postea a Benedicto XIV inter Beatos et a Clemente XIII inter Sanctos relatus. Eius Institutum, cuius socii progressu temporis etiam latinas et hinc inde ipsas philosophicas litteras tradendas susceperunt, per Italiam, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam et Germaniam propagatum fuit [2].

Alterius Congregationis initia an. 1624 Parisiis posuit s. Vincentius de Paulo. Is Podii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania humili genere natus an. 1576, litteras humanas Aquis, theologicas Tolosae didicit. Sacerdotio initiatus cum an. 1605 Massilia rediret Tolosam, a mahometanis interceptus et in Africam abductus est. Inde cum domino suo, quem ad catholicam fidem converterat, aufugiens in Galliam rediit. Anno 1619 a Ludovico rege XIII primarius sacrorum minister in Galliae triremibus constitutus, summo ardore et mira caritate ducum et remigum saluti adlaboravit. Anno 1624 comite Joigny eiusque uxore et fratre et episcopo Parisiensi opem ferentibus, Parisiis instituit Congregationem sacerdotum, qui sacras missiones per Galliae pagos exercerent. Hanc Societatem an. 1632 Urbanus VIII approbavit sub nomine Congregationis Missionis. Eius socii etiam dicti sunt Lazaristae, quum primaria eorum sedes esset apud Ecclesiam s. Lazari. Erant ii sacerdotes, qui post duos probationis annos 3 vota monastica simpliciter emittebant, praeposito suo subditi functiones sacras, non nisi concedentibus episcopis, exercebant, in pagis missiones sacras instituentes, populum sacris sermonibus instruentes, ad poenitentiam et confessionem adiicientes, discordias componentes, egenis atque infirmis subsidium adferentes. Susceperunt etiam missiones ad propagandum Evangelium inter infideles, nominatim in Sinis, ad redimendos Christianos e servitute piratarum Africanorum, ad dirigendas paedagogias et seminaria. Propter labores tam salutares non tantum per Galliam, sed etiam per Sabaudiam, Pedemontium, Genuam, Hispaniam aliasque terras propagati sunt [1].

Iisdem temporibus Ordo s. Benedicti nonnullas reformationes subiit, e quibus praestantissima est ea, quam an. 1618 aliquot cordati huius Ordinis monachi in Gallia effecerunt sub nomine Congregationis s. Mauri, quamque RR. Pontifices Gregorius XV et Urbanus VIII approbarunt. Eius socii non solum accuratiori regulae s. Benedicti exercitio et propriae perfectioni, sed etiam aliorum saluti promovendae adlaborabant. Alii in suis ecclesiis divinum verbum praedicabant, confessiones excipiebant, aliasque functiones sacras obibant; alii in paedagogiis, quae in suis monasteriis erigebant, iuvenes, praecipue nobiles, erudiebant; alii in scholis inferioribus parvulos in litterarum rudimentis, aut in superioribus monachos tyrones in disciplinis philosophicis et theologicis instruebant. Unde multos viros eruditione celeberrimos, de historia litteraria, ecclesiastica, patristica, diplomatica optime meritos inter se habuerunt. Quae Maurinorum studia Benedictinis in Gallia adeo probabantur, ut pleraque horum monasteria illi reformatae Congregationi accederent [2].

Parisios etiam sub saeculi huius initia

[1] Habert de Cerisi, *Vie du Cardinal de Berulle*, Paris 1646; Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2] Alexander a Conceptione, *Vita s. Iosephi Calasanctii*; Helyot, *Op. cit.* t. IV, p. 281.

[1] Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2] Ibid.; *Gallia christiana*, t. VIII; Le Cerf, *Bibliothèque hist. et crit. des auteurs de la Congregation de s. Maur*; Tassin, *Hist. litt. de la Congregation de s. Maur*.

Magdalena L' Huillier induxit Ursulinarum Institutum, cuius originem supra vidimus [1]. Anno 1612 Ursulinae Parisienses ex concessa olim a Paulo III potestate in societatem monasticam cum 3 votis sollemnibus coiverunt. Hae Ursulinae coenobiticae, quae propter adoptatam a se vitae rationem ad instituendas puellas potissimum adstrictae erant, per omnes fere terras catholicas propagatae sunt. Caeterae etiam, quae in aedibus privatis, partim singulae, partim congregatae, et solo castitatis voto adstrictae, vivebant, in diversis urbibus perdurarunt [2].

Aliam monialium Congregationem instituit s. Franciscus Salesius, episcopus Genevensis sed Anecii residens [3]. Is primum an. 1610 Anecii fundavit societatem pro feminis, quas vel propter corporis debilitatem, vel propter paupertatem aut quod essent viduae, alii Ordines religiosi suscipere abnuerent. Eas neque rigori corporali, neque votis sollemnibus, sed simplicibus votis castitatis et obedientiae adstrinxit, praecepitque, ut neglecta rerum externarum cura, praescriptam uniformis vitae rationem atque ordinem servarent; et caritati, humilitati ac propriae voluntatis abnegationi studerent, infirmosque visitarent et curarent. Primam huius Societatis curam suscepit s. Ioanna Francisca Fremiot, vidua baronis de Châtal, quae s. Francisco conscientiae suae moderatore utebatur. Similes societates, quarum utilitas elucescebat, paulo post formatae sunt in aliis urbibus. Tunc s. Franciscus consilio cardinalis archiepiscopi Lugdunensis ipsiusque R. Pontificis Congregationem suam transmutavit in Ordinem monasticum cum 3 votis sollemnibus sub regula s. Augustini et peculiaribus praescriptis atque monitis, quem iam an. 1618 Paulus Pp. V approbavit sub nomine Ordinis de Visitatione B. M. V. Quum propter hanc mutationem moniales, quae vulgo Salesianae vocabantur, infirmos visitare non possent, puellas hinc inde educandas susceperunt. Earum Ordo progressu temporis per Italiam, Germaniam, aliasque regiones propagatus est [4].

84. *Gregorius XV Pontifex* (*an.* 1621)— In Pauli V locum, v° idus februarii 1621, electus fuit cardinalis Alexander Ludovisius, Bononiensis, annum natus 67, vir animi candore et rebus praeclare gestis omnibus acceptus, qui sub nomine Gregorii XV Ecclesiam rexit usque ad annum 1623. Is initio pontificatus sui Iubilaeum indixit, quo divinum auxilium sibi pro felici Ecclesiae regimine compararet. Rationem comitiorum de electione pontificis per suffragia secreta praescripsit [1]; Decessoris sui decretum de Immaculata B. M. V. Conceptione ampliavit prohibens, ne quis etiam in privatis sermonibus aut scriptis assereret, eam cum originali peccato fuisse conceptam, donec aliter a s. Sede foret definitum. Ad promovendos religionis christianae progressus instituit Congregationem de propaganda Fide, e 13 cardinalibus, 3 praelatis et 1 secretario compositam, cuius esset curare omnia ad propagandam et conservandam ubique catholicam fidem pertinentia. Integrata Clementis VIII Constitutione, ne Itali extorres manerent in locis, ubi haud liber catholicae religionis cultus esset, aliam adversus haereticos in Italia commorantes promulgavit [2]. A Maximiliano duce Bavariae accepit bibliothecam Palatinam, e multis Hebraeorum, Caldaeorum, Arabum, Graecorum, Latinorum, Italorum et Germanorum scriptorum codicibus manuscriptis, librisque typis editis compositam eamque Vaticanae adiecit, quae vere dici poterat christianae eruditionis armamentarium. Sigismundo regi Poloniae adversus Turcas et Ferdinando imperatori contra haereticos bellum gerentibus, pecunia et milite praesto fuit. Parisiensem ecclesiam, a Senonensi distractam, in metropolim erexit, eique suffraganeas assignavit ecclesias Cartonensem, Aurelianensem et Meldensem [3]. Festum s. Annae sicut alia Festa de praecepto celebrari iussit; Theresiam, Philippum Nerium [4], Ignatium Loyolam, Franciscum Xa-

[1] P. 193. — [2] Helyot, *Op. cit.* — [3] Vid. p. 200.

[4] Cf Marsollier, *Vies de s. François de Sales, et de s. Jéanne Françoise Frèmiot de Chântal.*

[1] Const. 13 et 19, quas Urbanus VIII, eius successor, confirmavit *Const.* 47. Tres praescribuntur rationes eligendi Pontificem Romanum, quae servantur ad hodiernam diem: 1ª *per scrutinium*, sive *scrutinium et accessum*, 2ª *per compromissum*, 3ª *per quasi inspirationem*. Primo modo fit electio, si ex partibus tribus suffragiorum duae ferantur. Hoc modo suffragia laturi Cardinales conveniunt bis in singulos dies, mane post Missae sacrum et vespere post hymnum *Veni Creator Spiritus*. Secundo modo fit cum Cardinales de eligendo Pontifice discrepantes unum vel plures eligunt ex Ordine suo, quorum ad arbitrium iudiciumque electio redeat. Tertio modo, cum Cardinales quasi Spiritus S. numine afflati, aliquem unanimiter et una voce, nullo penitus dissentiente, pronuntiant Summum Pontificem.

[2] Const. 28, t. III *Bullar.*— [3] Spond. ad an. 1621-23.

[4] Vid. p. 180. Inter laudes divo Philippo tributas, in Constit. de Ipsius Canonizat. ab Urbano VIII, promulgata, haec leguntur: *Ecce de Novatoribus revincendis, vel ad Romanam Ecclesiam reducendis maxime*

verium, et Isidorum Agricolam una eademque celebritate Ssrum catalogo accensuit. Obiit VIII° idus iulii 1623. Huic biennii ac mensium quinque Pontificatus fuit.

85. *Urbanus VIII Pontifex* (*an.* 1623) — Post Gregorii XV obitum, VIII° idus augusti 1623 electus est Urbanus VIII, Florentinus, antea appellatus Maphaeus Barberinus, ann. 56 natus, litteris apprime excultus, nec infimi inter poetas nominis, pietate, eruditione, rebus gestis commendandus. Hic an. 1625 Iubilaeum duodecimum celebravit. Congregationem de Propaganda Fide reditibus auxit et magnis privilegiis instruxit, eique adiunxit a fundamentis erectum collegium de Propaganda, *Urbanum* inde appellatum, in quo diversarum nationum Asiaticarum et Africanarum, velut Georgianorum, Nestorianorum, Armenianorum, Coptorum, Æthiopum iuvenes in linguis orientalibus et s. Theologia instituerentur, qui studiorum confecto curriculo, in patriam suam aut aliam in terram, a Congregatione de Propaganda Fide assignandam, reverterentur ad propagandam catholicam religionem. Primus RR. PP. a regibus Congi per oratorem Ioan. Baptistam. Vives solemne Christianae obedientiae iuramentum accepit. Audito, Ducem Urbinatem Franc. M. Robertum decrevisse, post mortem unici filii, principatum restituere Apostolicae Sedi, unde fiduciarium diu obtinuerat, eius possessionem adivit, et loca praesidiis firmavit. Arcem in Bononiensium finibus condidit, quam *Urbanam* a suo nomine dixit. Archigymnasium Romanum, quod Sapientiam appellant, ampliavit ornavitque. Vaticanam bibliothecam mss. codicibus graecis locupletavit; Aedemque in amplissimi templi formam a Pontificibus prioribus redactam consecravit. Sepulcrum Apostolicum aerea mole decoravit. Pontificale, Breviarium, Rituale et Martyrologium sua actoritate recognita et emendata publici iuris fecit. Cardinales Eminentiae titulo auxit. Varios dies festos abrogavit, tum ut pauperum inopiae, tum ut populorum, per eos dies vitiis potius quam piis exercitiis vacantium, licentiae occurreret. Ecclesiam rexit usque ad annum 1644 [1], quum mors eum abstulisset IV° calend. august. ipsius, anni post expletos in Pontificatu annos 21 novem minus diebus.

87. *Edmundus Richerius* — Interea Parisiis graves disceptationes excitavit Edmundus Richerius, Lingonensis, Facultatis theologicae Parisiensis syndicus. Is thesim, quam an. 1611 quidam Dominicanus de R. Pontificis infallibilitate et supra concilium generale auctoritate defenderat, eodem anno confutandam suscepit in libello, quem inscripsit: *De ecclesiastica et politica potestate.* In eo non tantum R. Pontificis infallibilitatem et auctoritatem, sed ipsum primatum et divinam Ecclesiae constitutionem inpugnavit. Hoc posuit principium: Deum et naturam prius utque cominus ad totum suppositum quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere; proinde omnem communitatem seu societatem perfectam, etiam civilem, ius habere, ut sibi leges imponat, seipsam gubernet; hoc ius in prima sua origine ad ipsammet societatem pertinere, et quidem modo magis proprio, singulari et *immediato*, quam ad alium quemlibet privatum, cum in ipso iure divino ac naturali fundamentum haberet, adversus quod nec annorum tractu, nec locorum privilegiis, nec personarum dignitate praescribi unquam possit. Ex quo concludebat, Christum, fundando Ecclesiam, claves seu iurisdictionem prius, *immediatius* et *essentialius* dedisse toti Ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis; iurisdictionem ecclesiasticam proprie, primario et *essentialiter* convenire toti Ecclesiae, Papae vero et episcopis prout instrumentis, seu ministris eam exercentibus; Papam esse visibile Ecclesiae caput symbolicum, ministeriale, accidentale, non essentiale, quocum Ecclesia facere possit divortium. Anno 1612 Richerii liber a synodis provincialibus, Senonensi et Aquensi, damnatus est tanquam multas assertiones falsas, scandalosas, schismaticas et haereticas continens. Ipse autem regia auctoritate et Facultatis theologicae decreto syndici officio privatus fuit. An. 1629 declarationem, suo nomine signatam, tradidit cardinali Richelieu, qua librum suum R. Ecclesiae iudicio subiecit, omnesque in illo exaratas propositiones, eiusdem Ecclesiae doctrinae contrarias, improbavit damnavitque. Hanc declarationem non fuisse vi extortam et postea a Richerio revocatam, ut aliqui contendunt, sed libere ab eo editam, constat e publicis tabulis et instrumentis [1].

risus est fuisse solicitus, cum b. m. Caesarem Presbyterum Cardinalem Baronium adhuc in minoribus constitutum, ad opus Annalium per tot annos urgere non destitit, et ipsemet postea Cardinalis scripserit, non se Annalium, sed Philippum auctorem extitisse.

[1] Spondan. ad an. 1623-11.

[1] Moreri, *Diction.* art. *Richerius*; Tournely, *De Ecclesia,* t. I, q. 4, a. 2; *Mém. de Trevoux*, janv. 1703.

Obiit Richerius an. 1631. Eius systema, quod Richerismus appellari consuevit, postea instaurarunt Iansenistae, inter quos Quesnellus, et nec canonistae Germani, inter quos Febronius primas partes tenet.

Eodem fere tempore, quo Richerius, veram de Ecclesiae regimine et constitutione doctrinam impugnavit Marcus Antonius de Dominis, qui relicta Societate Iesu, in qua plures annos exegerat, adeptus est episcopatum Seguiensem, deinde archiepiscopatum Spalatensem in Dalmatia. Anno 1616 pro innata sibi inquietudine, relicto archiepiscopatu, transfugit in Angliam, ubi in lucem dedit opus inscriptum: *De republica ecclesiastica* [1]. Is contendit, regimen Ecclesiae e sua institutione esse aristocraticum; Petrum non fuisse principem Apostolorum, sed his aequalem; Papam non habere potestatem in episcopos; quemlibet episcopum in sua dioecesi esse monarcham; plebem christianam ex institutione divina habere ius eligendi sacros ministros, eiusque consensum in eligendo episcopo esse requirendum. Hoc opus Facultas theologica Parisiensis an. 1617 censura perstrinxit. Eius auctor post paucos annos Londini palam detestatus est quidquid contra Ecclesiam dixisset atque scripsisset. Deinde Romam profectus, an. 1623 coram Gregorio Pp. XV errores suos abiuravit, libros damnavit, veniamque accepit. Cum vero brevi post interceptae litterae suspectam redderent eius palinodiam, Urbani VIII mandato arci Hadrianae inclusus fuit, in qua ad meliorem frugem se recepit, et an. 1625 decessit [2].

87. *Galileus* — Iisdem temporibus cum S. Inquisitionis Officio negotium habuit Galileus, florentinus, scientiarum mathematicarum et physicarum magister, quod systema Copernici de quotidiano et annuo terrae motu tanquam veritatem, ss. Scripturis consentaneam et naturae phoenomenis demonstratam, defenderet. Huiusmodi assertiones pro statu scientiarum huius temporis saltem erant confidentiores, quum plerique viri astronomiae et rei physicae periti systema Copernici impugnarent et ss. Scripturis dissonum existimarent. Quapropter S. Inquisitionis Congregatio an. 1616 Galileo mandavit, ut a defendenda eiusmodi doctrina abstineret. Dicitur praeterea, s. Congregationem prohibuisse libros doctrinam Copernici continentes, ipsamque doctrinam declarasse falsam et s. Scripturae

[1] 3 voll. in-fol.
[2] D. Bernin. *Historia haeresum* saec. XVII, c. 1.

contrariam; ita tamen ut eadem Congregatio an. 1620 illam doctrinam ut meram hypothesim tradi permiserit; quo supposito, s. Congregatio communem hoc tempore peritorum de praesenti quaestione opinionem fuisse secuta. Quum vero an. 1632 Galileus, contra s. Inquisitionis mandatum, in Dialogo de duobus praecipuis mundi systematibus, sententias suas iterum propugnasset, et Cardinales in priori suo negotio iudices ipsumque Urbanum Pp. VIII offendisset, a s. Inquisitionis Officio Romam vocatus, damnatus et custodiae traditus fuit; sed post quinque menses libere dimissus est [1].

88.— *Ecclesiae orientalis status* — Vidimus supra quantum sub Ottomannico imperio status Ecclesiae Graecae a prisco splendore dilapsus sit [2]. Hoc saeculo Constantinopoli aliisque in civitatibus numerus Graecorum, cum Apostolica Sede unitorum, plurimum auctus est opera missionariorum, praesertim Iesuitarum, qui sub praesidio oratorum principum Occidentalium, maxime Francorum, suffulti, schismaticorum et haereticorum conversioni per imperium magno cum successu adlaborarunt.

Anno 1614 duo patres Iesuitae Constantinopoli transierunt in Mingreliam, antiquam Colchidem, cuius incolae christiana sacra, sed erroribus deformata, conservarant. Illi, non obstante populi ruditate, non sine fructu missionem auspicati sunt.

Nestoriani uniti veteris Assyriae, de quorum statu praecedenti saeculo diximus [3], prioribus huius saeculi annis nova unionis suae cum Apostolica Sede argumenta dederunt. Eorum quippe patriarcha Elias, qui sedem suam habebat Urmiae in Persia, dum schismaticorum patriarcha residebat Mosulae, per oratores Romam missos subiectionem suam Paulo V, qui ei munera et Fidei professionem destinarat, patefecit et omnes, qui R. Ecclesiam ceu communem omnium matrem non agnoscerent, excommunicatos pronuntiavit.

Etiam Iacobitae non pauci in unione cum R. Ecclesia perseverarunt. Eo nomine appellari consueverunt Monophysitae in antiqua Babylonia, Mesopotamia et Syria, qui

[1] Catholicorum adversarii de causa Galilei multa commenti sunt in S. Inquisitionis probrum; contra quos videsis De Feller, *Journal hist. et litt.* 1785, p. 112; Bergier, *Diction. theol.* art. *Sciences*; Mallet du Pan, *Dissert.* 1784; I. B. Venturi, *Memorie e lettere inedite finora o disperse di Galileo Galilei*, Venez. 1818, 2 voll. in fol. E recentioribus scriptis legesis ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. LVIII, Neapoli 1865; ubi omnes calumniae adversariorum recentium explanantur.
[2] Vid. p. 186. — [3] Vid. p. 187.

illic erant magno numero, et praeter episcopos atque archiepiscopos habebant patriarcham dictum Antiochenum, sed Amidae seu Diarbekirii residentem. Ex his quosdam hoc saeculo ad unionem catholicam reduxit Andreas Achigian, Romae institutus et a Pontifice patriarcha Antiochenus ordinatus. Quum eius successor a Turcis, agente patriarcha monophysita, in exilium esset relegatus, Iacobitarum-unitorum status quidem decrevit, sed non extinctus est.

Idem fere valet de Armenis, praesertim in remotioribus Turciae asiaticae provinciis, in quibus plures Armenorum unitorum coetus formati sunt. Ex ipsis Armenorum patriarchis Cp. nonnulli missionariis Romanis aure praebuerunt, plerique tamen iis adversati sunt. Qui vero in Polonia morabantur Armenis, an. 1667 ad obedientiam R. Pontificis transierunt; quod etiam fecerunt habitantes Venetiis [1].

89. *Religionis status in America* — In subactis Hispanorum et Lusitanorum imperio vastissimis Americae regionibus, nimirum in Mexico seu Nova Hispania, Peruvia, Nova Granata, Brasilia, religio catholica dominabatur; ecclesiae illic formatae sunt sicut in Europa, pluresque archiepiscopatus et episcopatus instituti, collegia, seminaria et monasteria erecta. Praeterea plures missiones institutae sunt inter indigenas, qui ad vitandum Europaeorum iugum in interiores terrarum partes confugerant.

Inter has missiones, quarum curam prae aliis missionariis susceperunt Iesuitae, celeberrima fuit Paraquariensis. Has Americae meridionalis terras Hispani inde ab an. 1536 occupare coeperunt. Initio missionarii in convertendis indigenis parum profecerunt, partim propter eorum feritatem, qui sine stabili sede per sylvas vagabantur, partim propter alienum eorumdem ab Hispanis animum. Anno circiter 1581 duo Franciscani ecclesiasticum indigenarum coetum efformarunt. Istis post 5 annos successerunt Iesuitae, qui e vicina Brasilia et Peruvia in Paraquariam progressi, in convertendis incolis feliciori opera usi sunt. Conversos ad stabiles eligendas sedes hortati sunt, et brevi tempore effecerunt, ut ii in 4 pagos, quos *Reductiones* vocabant, coirent. Quum autem amplioribus Religionis progressionibus potissimum obstarent iniuriae, quibus indigenae afficiebantur ab Hispanis, horumque prava exempla, Iesuitae an. 1610 a Philippo III, rege Hispaniae, impetrarunt ut omnes Europaei e Paraquaria excluderentur. Tunc Iesuitae tanto successu incolas ad deserendas sylvas, ad figenda domicilia et ad suscipiendam Religionem christianam permoverunt, ut numerus *Reductionum* ad 30 incresceret. Hos novos Christianos patres Iesuitae non tantum in sacris, sed etiam in civilibus rebus dirigebant: eos ad colendas terras, ad exercenda opificia et artes, quibus idonei erant, instituebant, ac fructuum, quos Paraquarienses e suis laboribus et mercatura percipiebant, supremam rationem gerebant. A supremo regimine ecclesiastico episcopi non erant exclusi, hi enim *Reductiones* saepe visitabant; quod idem pro rege Hispaniae faciebat gubernator civilis. Inde effectum est, ut missio Paraquariensis non tantum laetissime effloruerit, sed etiam vitiis et malis, quae inde oriri solent, caruerit; summa inter Christianos vigebat concordia pluresque eorum ad sanctitatis fastigium pervenerunt.

Inde a praecedenti saeculo Hispani et Franci in vastissimas Americae septentrionalis regiones, Floridam et Canadam, penetrarunt, sedesque in iis figere et colonias instituere coeperunt, quae hoc saeculo magis magisque auctae sunt. Floridam incoluerunt Hispani, Franci vero Canadam, quae inde nomen Novae Franciae accepit. Per hos colonos religio christiana, quam ii profitebantur, in easdem regiones illata est. Confestim in easdem terras Iesuitae aliorumque religiosorum Ordinum missionarii profecti sunt, qui non tantum colonos Europaeos in conservanda Fide firmabant, sed nil periculi veriti, ad diversas indigenarum tribus se transferebant, iis Evangelium annuntiabant, sacrasque missiones inter easdem instituebant. Verumtamen his missionariis pericula gravia et obstacula multa erant superanda; nonnulli ex iis supplicia et mortem subierunt.

Interim formando in iis terris ecclesiarum statui et promovendis missionibus reges Hispaniae et Galliae opem atque subsidia contulerunt; aliique etiam fideles magna liberalitate ad Fidei propagationem illic contribuerunt. Innocentius Pp. X rei ecclesiasticae in Canada prospecturus, an. 1657 Franciscum de Laval Montmorency de Montigny, qui se speciatim propagando

[1] Le Quien, *Oriens christianus*; Assemani, *Biblioth. oriental.* t. III; R. Simon, *Histoire de la croyance et des coutumes des nations du Levant*; P. Ricaut, *L'état present des eglises grecque et arménienne.*

Evangelio devoverat, creavit pro Canada seu Nova-Francia vicarium apostolicum cum titulo episcopi Petreae. Hic maximo ardore munere suo functus, an. 1663 Quebeci civitatis metropolis seminarium excitavit ad formandum clerum, qui pietatem in colonia Francica foveret et conversioni barbarorum, per sylvas errantium, intenderet. Anno 1674, postulante et dotante Ludovico rege XIV, erecta est Quebeci sedes episcopalis, cuius primus titularis fuit idem de Laval Montmorency, qui ecclesiam Quebecensem rexit usque ad an. 1685, atque fervore vere apostolico propagandae Fidei, formando et augendo ecclesiarum statui, instituendo clero, fovendae inter populum pietati et creandis in variis locis Novae Franciae, in Acadia et Mississipi missionibus adlaboravit [1].

90. *Religionis status in Africa* — In Africa missionarii apostolicos labores, iam pridem coeptos, praesertim in Congo et adiacente Angola [2], hoc saeculo continuarunt. Praeterea Evangelium praedicarunt ad promontorium-Viride, ad fluvium Senegal, ad montes Leoninos, in promontorio Bonae-Spei, in Monomotapa, in littore Zanguebarico, in insula Madagascar. Multi quidem in his terris ad christianam fidem conversi sunt, verumtamen incolarum idololatria et feritas aliaque impediverunt, quominus integrae ecclesiae, longiori saltem tempore durantes, fundari potuerint [3].

91. *Religionis propagatio in India* — In India insulisque Asiaticis christiana religio hoc saeculo ingentia cepit incrementa. In Iaponia quidem post cruentam persecutionem proscripta est, ut mox videbimus; sed in regnis Madurano, Mayssurensi, Carnatensi, in vastissimo Sinarum imperio aliisque terris magno successu propagata fuit. In regno Madurano, quod in angulo meridionali anterioris peninsulae Indicae situm est, iam s. Franciscus Xaverius aliique, tum e Societate Iesu tum ex Ordinibus Mendicantibus, missionarii Evangelium annuntiarant; sed cum discrimen inter diversas hominum classes, Indis inviolabile, non observarent, Parreas etiam, qui infimam caeterisque despectam classem apud eos constituunt, ad christiana sacra admitterent, et cum eisdem conversarentur, factum est, ut classes superiores religionem christianam refugerent, missionarii ab Indis contemnerentur, Evangelium parum progrederetur, et Franciscani non nisi ex inferioribus incolis in urbe Madura collectam ecclesiam haberent.

Ad istud impedimentum removendum an. 1606 Robertus Nobili, Romano genere natus et S. I. missionarius, se praeconceptis Indorum opinionibus ita accommodavit, ut Braminorum vestes gestiens, omnem cum Parreis et Europaeis conversationem fugiens, Indorum ritus, nempe discrimen inter diversas classes, gestationem fasciae rubrae, unctionem frontis, crebras corporis lotiones aliaque observans, et quasi Braminus extraneus prodiens, Braminorum gratiam sibi conciliarit, suaque eloquentia et eruditione effecit, ut brevi tempore 70 Bramini et ipse eorum praepositus christiana sacra susciperent. Horum exemplum progressu temporis quam plurimi e reliquis etiam classibus secuti sunt. Robertus conversis usum rituum Indicorum, quos et ipse observabat, concessit. Verum cum hi ritus quodammodo cum Indorum religione connecterentur, alii missionarii, et inter hos nonnulli etiam Iesuitae, illorum usum aeque ac rationem, qua Robertus utebatur, improbarunt. Lis desuper orta Romam delata est. Quapropter Praepositus generalis S. I. Robertum ad caute agendum summopere excitavit, et an. 1623 Gregorius Pp. XV Constitutione, *Romanae sedis antistes*, ritus istos, qui Malabarici appellari consueverunt, non nisi magnis cum restrictionibus et provisorio modo Indis conversis indulsit.

Robertus, qui an. 1656 Meliapuri obiit, aliique Iesuitae opus conversionis per saeculi huius decursum continuarunt eo successu, ut ad eius finem ecclesia Madurana ultra 150,000 christianos adnumeraret. Pari successu Religio propagata est in finitimis regnis Mayssurensi et Carnatensi [1].

92. *In Sinis* — In Sinarum imperio religio christiana latissime propagabatur. Hanc missionem incepit Matthaeus Ricci Iesuita una cum Rogerio et Pasione ex eadem Societate. Ricci Maceratae in Marchia Anconitana natus, morum modestia, patien-

[1] *Lettres édifiantes*; Charlevoix, *Histoire de l'île de Saint-Domingue*, et *Histoire générale de la Nouvelle France*; Muratori, *Il Cristianesimo felice nelle missioni de' Padri della Compagnia di Gesù nel Paraguay*; De la Tour, *Vie de F. de Laval Montmorency*, in-12°.

[2] Vid. p. 164.

[3] Labat (Cavazzi), *Rèlation hist. de l' Afrique occidentale.*

[1] Jouvency, *Historia Societatis Iesu*, p. V.

tia singulari et magna eruditione praeditus, atque in scientiis mathematicis versatissimus, an. 1582, occasione legationis Lusitanicae, in Sinas venit. Primo annos plures in addiscendis lingua, litteris et caeremoniis Sinensium transegit, deinde summam doctrinae christianae seu catechismum lingua eorum conscripsit. Quum iam morum suorum modestia et eruditione, praesertim scientiis mathematicis, quas Sinenses prae caeteris pluris faciunt, eos sibi conciliasset, multi, etiam ex illustribus et litteratis, adiuvantibus sociis eius, christiana sacra susceperunt. Post 20 circiter a suo in Sinas adventu annos Ricci, cuius in rebus mathematicis eruditionis fama ad aulam delata erat, aditum ad imperatorem impetravit, eiusque benevolentiam, oblatis ei Christi et Mariae imagine et horologio, sibi conciliavit. Ex hoc tempore multo plures ex omnibus imperii ordinibus ad christianam religionem convertebantur. Confestim novi missionarii Iesuitae, Dominicani aliique, in Sinas profecti sunt, quorum opera numerus credentium et ecclesiarum in omnibus provinciis continuo augebatur. Ipsi Sinenses conversi inter populares suos religionem christianam propagare studebant, in quo studio omnibus palmam praeripuit nobilis quaedam femina, in baptismo Candida nominata. Haec enim maritum suum ad christianam fidem adduxit; in provincia, in qua degebat, 30 ecclesias exstruxit, in alia per missionarios 90 ecclesias et 45 oratoria exstrui curavit; plurimos parvulos, a pauperibus parentibus pro more in Sinis vigente expositos, collegit et in christiana religione educavit, plures etiam libros religiosos, in linguam Sinensem versos, edendos curavit.

Progressu temporis, non obstante bonzorum et mandarinorum invidia, religio christiana ita aucta est in Sinis, ut circa dimidium huius saeculi ipsa mater imperatoris Yung-lie, primaria eius uxor, unus e filiis eius et 50 feminae aulicae baptismum susceperint. Imperator Cun-tschi, qui non multo post in solium evectus est, religionem christianam plurimum venerabatur; Adamo Schall, patria Coloniensi, Iesuitae doctissimo, ita favebat, ut ei praesidium tribunalis mathematici demandarit, et in urbe metropoli Pekino aliisque ecclesias aedificari permiserit [1].

[1] P. Orleans, *Vie de Ricci*; A. Schall, *Narratio de initio et progressu missionis S. I. in regno Chinensi*; P. Trigault, *De christiana expeditione apud Sinenses*; Du Halde, *Descript. de la Chine et de la Tartarie chin.*

Interea non modicae lites inter missionarios ortae sunt de quibusdam ritibus Sinensium. Hi nempe in propriis aedium suarum cubiculis tabulas in honorem maiorum suorum defunctorum appensas habebant cum hac inscriptione: *Sedes animae huius* aut *illius defuncti*. Coram his tabulis stato tempore prosternebantur, luminaria accendebant, thus concremabant, in mensis appositis flores, fructus, panificia aliaque offerebant, imo animalia mactabant. Eosdem honores litterati Confucio exhibere solebant. Praeterea Sinenses ante cadavera consanguineorum se prosternere, luminaria et thus accendere et alia iam memorata offerre consueverant. Cum Sinenses his essent ritibus addictissimi, et alienari possent a suscipienda christiana religione, iis prohibitis, visum est Iesuitis eos tolerare, tamquam mere politicos atque civiles. In hanc iverunt Iesuitae sententiam his freti momentis: quia hos ritus observabant Mahometani in Sinis commorantes; quia ibi in usu fuerant, antequam introduceretur idololatria; demum quia Sinensibus animus numquam fuerit colendi Confucium et defunctos tamquam deos aut sanctos. At Morales, dominicanus Hispanus, aliique religiosi missionarii, qui inde ab an. 1630 propagandi Evangelii causa in Sinas venerunt, illos ritus iudicarunt religiosos, ideoque, utpote superstitionem ethnicam sapientes, a christianis esse omittendos.

P. Morales in Europam reversus, an. 1643 contra ritus sinenses libellum obtulit s. Congregationi de Propaganda Fide, in quo illos ut superstitiosos et idololatricos exposuit. Postquam accusationis libellus et capita in ea tractata, fuissent discussa, sacra Congregatio ritus sinenses superstitione inquinatos censuit, et Sinensibus christianis interdixit anno 1645; quod interdictum Innocentius Pp. X eodem anno confirmavit « donec sibi et Apostolicae Sedi aliter visum non esset ». Ex his postremis verbis conspicitur, Congregationem et Pontificem ritus sinenses interdixisse, prout illos exposuerat p. Morales. Hic anno 1649 in Sinas redux, s. Congregationis responsa, in sinicam linguam versa, vulgavit.

Iesuitae existimantes, ritus istos longe aliter quam re ipsa essent, fuisse Pontifici expositos, anno 1651 Romam legarunt p. Martini, qui post annos fere 4 eo pervenit, et s. Congregationi librum obtulit, in quo partim e classicis Sinensium libris, partim ex eorum, qui ab an. 1581 missione sa-

cra in Sinis perfuncti fuerant aliorumque testimoniis ea quae fuerant a p. Morales exposita, ita confutavit, et res controversas sic exposuit, ut post multas disceptationes an. 1656 Alexander Pp. VII e s. Congregationis et Cardinalium iudicio declararit, Christianis permitti posse caeremonias, quae fiebant in aula Confucii, quum ex allatis videretur cultus esse mere civilis et politicus; item secundum proposita tolerari posse, ut Sinenses conversi adhiberent caeremonias suas erga suos defunctos, etiam cum gentilibus, sublatis tamen superstitiosis; etiam assisterent tantum cum gentilibus, quando hi agunt superstitiosa, praesertim facta fidei protestatione et cessante periculo perversionis, et deficientibus viis ceteris, quibus odia et inimicitiae vitari possint.

Quum an. 1669 a s. Inquisitionis Officio postulassent Dominicani, cuinam decreto pontificio obediendum, Innocentii X, an Alexandri VII, responsum est, utrumque decretum, secundum quaesita, circumstantias et omnia, in dubiis exposita, esse servandum, adeoque vitandos ritus superstitiosos, permittendos civiles et politicos. Ex hoc tempore controversia sopita fuit usque ad an. 1693. Missionarii christianis ritus istos haud absolute prohibebant, sed prudenter et cum magna tolerantia istos ab his abducere studebant [1].

93. *Religionis interitus in Iaponia*—In Iaponia, non obstante persecutione, quam ibi Christiani sub finem praecedentis saeculi experti sunt [2], eorum numerus magnopere auctus est. Initio huius saeculi praeter missionarios Dominicanos, Franciscanos et alios, in Iaponia numerabantur 120 Iesuitae. Anno vero 1612 novae persecutioni causam praebuerunt calumniae cuiusdam ducis navis Hollandicae, pristinam suspicionem ethnicorum Iaponensium de imperio ope missionariorum et Christianorum ad Hispanos transferendo excitantis. Ex his calumniis in multis locis magnae calamitates Christianis enatae sunt. Quamvis iuvenis imperator Fide-Jori Christianis faveret, et ipse clandestinus christianus existimaretur, Ijejas alias Dayfusama, eius tutor et imperii regens, se iis infensum exhibuit; et an. 1614 interfecto iuvene imperatore, Imperium usurpans, legem promulgavit, qua omnes missionarios sub poena mortis imperio exire et Iaponenses ad cultum patrium redire iussit. Quum ethnici mandarini legem imperatoris contra Christianos urgerent, cruenta persecutio secuta est, multique eorum martyrium pertulerunt. Anno 1616 Fide-Tadda alias Xogunsama, Dayfusamae filius et successor, patrem crudelitate vicit et severiora contra Christianos edicta promulgavit. Tunc per totum imperium persecutio in eos aucta est, supplicia atrocissima et horrenda in eosdem, sine sexus, aetatis aut conditionis discrimine, exercita, et plura Christianorum millia interfecta sunt. Anno 1622 Xogunsama imperium cessit Toxogunsamae, filio suo, qui paternae crudelitatis haeres, persecutionem in Christianos continuavit, qua durante, innumera eorum multitudo cruentissimis suppliciis interfecta, res et nomen christianum in Iaponia deleta sunt.

Imperatoris saevitiam stimularunt Hollandi, qui Hispanis et Lusitanis commercii Iaponici quaestum invidentes, et Religionis, quam ipsi in Europa cum Hispanorum dominio excusserant, progressus aegre ferentes, an. 1637 aulae Iaponicae exhibuerunt litteras, a se confictas, quasi a centurione quodam Lusitano, nato Iaponensi, scriptas, in quibus sermo erat de coniuratione contra imperatorem, a Christianis ope Lusitanorum excitanda. Tunc Toxogunsama maiori crudelitate in Christianos saeviendum mandavit, novaque lege an. 1639 cunctis alienigenis, etiam commercii causa, aditu in imperium sub poena mortis in perpetuum interdixit; solis Hollandis in quodam insulae Desimensis loco mercaturam cum Iaponensibus facere concessit. Persecutionem ita prosecutus est, ut post eius mortem (1650) paucissimi superessent Christiani: quibus sub eius successore vel interfectis vel mortuis, christianae religionis cultores in Iaponia defecerunt [1].

94. *Ecclesiae status in Gallia*—In Gallia post Henricum IV, an. 1610 exstinctum, regnavit Ludovicus XIII, filius eius, usque ad annum 1643. Sub eius principatu et civilis et ecclesiastica prosperitas perturbata fuit, tum contrariis studiis Henrici Condei et aliorum, qui Mariae Mediceae reginae matris regimen, adhuc impubere rege, et Concini d'Ancre in concilio regio violentiam aegre ferebant, tum rebellionibus Hugonoto-

[1] P. du Halde, *Description de la Chine et de la Tartarie chinoise*; *Lettres édifiantes*; G. Pray, *Historia controversiarum de ritibus Sinicis*. Pestini 1789, in-8⁰.
[2] Vid. p. 189.

[1] Charlevoix, *Hist. et descript. du Japon*; Crasset, *Histoire du Japon*; Trigault, *De christianis apud Iaponicos triumphis*; Sardino, *Catalogus regularium et saecularium, qui in Iaponia sub quatuor tyrannis in odium Fidei violenta morte sublati sunt.*

rum. Benearnenses catholici ab acatholicis graviter oppressi, ecclesiis suis et Religionis exercitio orbati, Ludovici XIII iustitiam interpellarunt. Is an. 1617 magistratui Benearnensi mandavit, ut religionis catholicae exercitia restituerentur, et ablata clero bona redderentur. Quod cum ille executioni mandare negligeret, rex ipse an. 1620 in Benearneam profectus, ecclesias Catholicis, bona ecclesiastica et honores pristinos ecclesiasticis restituit, et Benearneam coronae Francicae adiunxit. Hugonoti hac re offensi, bellum civile instaurarunt; sed ab exercitu regio superati, plerasque urbes et castra, in quibus rebellionis signa explicarant, reddere, et an. 1623 pacem postulare coacti sunt. Verum semper inquieti, rursum in urbe Rupella rebellionem et bellum civile instauraverunt. Ex hac urbe, tum loci natura, tum manu et arte munita, se tutabantur, militem conscribebant, pecunias imperabant, regisque auctoritatem spernebant. Rex e consilio cardinalis Richelieu, ministri sui, Rupellam, calvinianae sectae propugnaculum, oppugnare constituit. Primo classem 120 navium, quam Angli in Hugonotorum auxilium destinarant, ad insulam Rheam destruxit, deinde Rupellam munitionibus et stupendis molibus circumsepsit, et an. 1628 famis horroribus pressam, in deditionem accepit. Ex hoc tempore attrita fuit Hugonotorum audacia, rebelles civitates ad regis obsequium redierunt, ubique et in ipsa urbe Rupella catholicae religionis exercitia fuerunt restituta. Haeretici tamen secundum Nannetense edictum religionis liberum exercitium conservarunt.

95. *In Belgio* — In Belgio an. 1621 decessit princeps Albertus, post cuius obitum Isabella provinciarum Hispanis subditarum procurationem continuavit usque ad annum 1633. Eodem anno, quo obiit Albertus, provinciae foederatae seu rebelles bellum instaurarunt. Rem pro Hispanis fortiter gessit Spinola bellidux, sed eo in Hispaniam revocato, Fridericus Henricus Arausicanus, qui an. 1625 Mauritio in provinciarum foederatarum regimine successit, victorias plures retulit; an. 1629 Silvam-ducis, seu Buscoducum, et anno sequenti Traiectum ad Mosam cepit. Post Isabellae obitum provinciarum Belgicarum procuratio demandata fuit Ferdinando, cardinali archiepiscopo Toletano, Philippi IV regis Hispaniae fratri, qui illam gessit usque ad an. 1641. Interim publica rerum tranquillitas atque prosperitas perturbabantur non tantum Hollandorum sed etiam Gallorum, propter bellum inter Ludovicum XIII Galliae et Philippum IV Hispaniae reges, aggressionibus. His malis accesserunt brevi post lites et turbae Iansenisticae, ut videbimus.

96. *Bellum 30 annorum in Germania*— In Germania dissidia Catholicos inter et Protestantes propter religionem et mutua gravamina, hos ad unionem evangelicam, illos ad *ligam catholicam* conficiendam adduxerunt, ut supra diximus [1]. Brevi post inter utramque partem bellum secutus est, quod annis 30 usque ad pacem Westphalicam, anno 1648 compositam, perduravit, et quo Germania horrendum in modum exagitata omnisque Europa turbata fuit, dissidentibus inter se principibus, et quibusdam uni, ceteris alteri parti adhaerentibus. Bello ansam dederunt haeretici Bohemi, qui indultam sibi religiosam libertatem arbitrarie extendere coeperunt in detrimentum Catholicorum. Quum imperator Mathias an. 1618 eorum audaciam litteris minatoriis coarguisset, illi, incentore potissimum comite Mathia de Thurn, arma sumpserunt, et in palatium regium Pragae irruentes, duos urbis gubernatores e fenestra deiecerunt; deinde constitutis 30 ducibus, totum regimen ad se traxerunt, aes publicum sibi vindicarunt, milites conduxerunt, atque omnem fere Bohemiam occuparunt. Mathias imperator eorum rebellioni arma opposuit. Protestantici vero principes, unionis evangelicae participes, auxiliares copias rebellibus destinarunt. Bohemi ita adiuti, non tantum contra caesareum exercitum dimicarunt, sed mox Moraviam, Silesiam et Lusatiam ope protestantium, ubique numerosorum et in seditionem pronorum, ad communem secum rebellionem permoverunt; et qui tantum ad defendendum religionis suae exercitium se arma sumpsisse dictitabant, Iesuitas Bohemia eiecerunt, et Catholicos dure opprimebant.

Anno 1619 Mathia imperatore Viennae defuncto, regimen adiit Ferdinandus II, dux Stiriae, cui iam antea Mathias regna Hungariae et Bohemiae cesserat; sed eum propter Religionis catholicae studium protestantici Bohemiae Ordines acceptare recusabant. Rebelles Bohemi, de ope Protestantium in Austria certi, exercitum in eam duxerunt, et Viennam usque penetrarunt. Eodem tempore protestantici Ordines seu Status, tum infra tum supra Anasum, arma

[1] Vid. p. 200.

contra Ferdinandum sumebant. Ferdinandus, medius inter hostes et humano auxilio destitutus, sed pia in Deum fiducia impavidus stabat; cum subito 500 equites, a summo copiarum duce missi, Viennam ingressi insolentes Ordinum deputatos terrore perculerunt, atque fugarunt. Eodem tempore idem copiarum dux rebelles in Bohemia ingenti clade affecit, qua audita Bohemi, qui in Austriam irruerant, maturato itinere ad Pragam defendendam reversi sunt. Tunc Ferdinandus ad comitia, Francofordiae pro novi imperatoris electione congregata, profectus est, et coronam caesaream retulit. Maximilianus, dux Bavariae et foederis catholici auctor, exercitum in Austriam duxit, ut protestanticos Ordines ad obedientiam Ferdinando II praestandam compelleret. Ordines infra Anasum, accepta privilegiorum suorum religiosorum et politicorum confirmatione, illud iam praestiterant. Ordines supra Anasum ad id faciendum a Maximiliano compulsi sunt.

Tranquillitate in Austria restituta, Maximilianus, iunctis sibi copiis caesareis, penetravit in Bohemiam. Bohemi, reiecto Ferdinando, Fridericum V, electorem Palatinum, sibi regem crearant. Verum Maximilianus an. 1620 prope Pragam rebellium exercitum ita fudit, ut Fridericus e Bohemia fugerit, et brevi tempore Bohemia et ad eam relatae provinciae Ferdinando II penitus subiectae sint. Ferdinandus, proscripto Friderico, electoratum eius terrasque cisrhenanas contulit Maximiliano, duci Bavariae. Aliquot belliduces et principes Germanici bellum continuarunt, sed confoederatorum catholicorum armis succubuerunt. Anno 1625 complures Ordines circuli Saxonici inferioris duce Christiano IV, rege Daniae, qui in eodem circulo ducatum Holsatiae possidebat, sive quod rebus suis timerent, sive quod imperatoris et catholicorum potentiam infringere cuperent, arma ceperunt. Verum continuo devicti, post 2 annos pacem petierunt et impetrarunt.

Interea Ferdinandus II, permotus partim religionis catholicae studio, partim molestiis, sibi et decessoribus suis a subditis protestanticis, ubi praevaluerant, suscitatis, eorum sacra in terris suis haereditariis suppressit. Iam an. 1621 praedicatores haereticos, et an. 1627 omnes, qui catholica sacra amplecti recusarent, Bohemia et Moravia emigrare iussit. Anno sequenti idem decrevit pro Austria. Protestantes supra Anasum religionis suae libertatem quidem armata manu tueri conati sunt, sed a copiis caesareis in pluribus praeliis victi, ad subiectionem adacti sunt. Pro Silesia et Lusatia elector Saxoniae, qui has terras pro auxilio Ferdinando praestito acceperat, religionis libertatem impetravit. Aliam praeterea legem dedit Ferdinandus, ut omnia bona ecclesiastica, a Protestantibus post pacificationem Augustanam (1555) occupata, restituerentur. Quae restitutio in Germania exteriori protestantium animos vehementer quidem perculit: attamen debilitati, ei armatam manum opponere ausi non sunt, priusquam belli classicum cecinisset rex Sueciae.

Gustavus Adolphus rex Sueciae, motus partim studio succurrendi periclitanti rei protestanticae, partim cupidine acquirendi gloriam terrasque, an. 1630 fortissimum exercitum, belli molestiis et victoriis assuetum, in Germaniam duxit. Ei Ordines protestantici, alii post alios, se adiunxerunt. Ipsi Galli sub Ludovico XIII, Domum Austriacam diminutam cupientes, illis auxilia suppeditabant. Quibus adiutus Gustavus victorias plures de caesareis retulit brevique tempore magnam Germaniae partem occupavit. Vix dici potest, quanta mala rei catholicae, ecclesiis et monasteriis ab hostibus illata sint in omnibus locis, quae occuparunt. An. 1632 Gustavus in praelio apud Lutzen in Saxonia occisus est; verumtamen bellum continuatum fuit varia utrimque fortuna. Ferdinandus II rem magno animo agens, an. 1634 magnam victoriam de hostibus retulit apud Nortlingam. Anno sequenti Pragae pacem composuit cum I. Georgio, electore Saxoniae, qui exinde imperatori auxilium tulit contra hostes.

Ferdinando II, an. 1637 defuncto, successit Ferdinandus III, filius eius, iam an. 1625 Hungariae, an. 1627 Bohemiae, et an. 1636 Romanorum rex creatus. Sub eo bellum acriter continuatum est. Ferdinandus victorias nonnullas de Suecis retulit. Sed brevi post hi, Bernardi ducis Weimarae et Ludovici regis Galliae armis adiuti, fere ubique superiores extiterunt. Imperator medius inter hostes, Gallis ex una, Suecis aliisque ex altera parte eum impetentibus, pacem cum adversariis tractare coepit. De hac pace, quae an. 1648 in Westphalia conclusa est, suo loco dicimus [1].

97. *Lites inter Hugonotos* — Conspexi-

[1] G. H. Bougeant, *Histoire des guerres et des négociations, qui précédèrent le traité de Westphalie*, 2 voll. in-12°.

mus supra lites in Hollandia inter Arminianos et Gomaristas calvinistas exortas earumque effectus [1]. In Gallia etiam per haec tempora controversiae graves inter Hugonotos excitatae sunt. Anno 1620 in synodo Alectensi decreta Dordracena suscepta et omnibus praescripta fuerant. Anno vero 1634 Moses Amyraldus, theologiae in schola Salmuriensi professor, ad conciliandos Arminianos cum aliis Calvinistis, dictis orthodoxis, librum edidit de praedestinatione, circa quam praesertim Arminiani ab aliis dissentiebant. Is docuit, Deum decreto absoluto neminem ad aeternam poenam praedestinasse, sed potius omnes salvare decrevisse, ea tamen conditione, si in Christum essent credituri. Hinc eius doctrina Universalismus hypotheticus dicta est. Illam vero conditionem non, sicut Arminiani, aliqua ex parte in hominis potestate posuit, sed totam a Dei arbitrio derivavit, ita ut illi soli ad fidem et proinde ad salutem pervenire possent, quos Deus peculiari decreto ad eam elegerit facultatem, ut vocant, moralem, capiendi fidem iis tribuens, simulque eam in iis producens. Amyraldi doctrinam in peculiari libro, qui *Irenicus* inscribebatur, exposuit defenditque Paulus Testardus, praedicator Blesensis. Quamvis vero universalismus hypotheticus a particularismo Dordraceno reipsa non differret, nova tamen forma, sub qua propositus erat, pluribus displicuit, qui eum parum ab Arminiana sententia distare putabant. Cum utrimque contentio cresceret, an. 1637 synodus Alensonii in Normannia indicta Amyraldum et Testardum ad reddendam rationem vocavit. Ii mentem suam ita explicarunt, ut honorifice fuerint dimissi solumque rogati, ut a quibusdam locutionibus abstinerent. Nihilominus plures theologi calvinistae sententias Amyraldi veluti arminianas et semipelagianas impugnabant, quibus is, insignes iam doctrinae suae patronos et defensores nactus, respondere non omisit. Quapropter an. 1644 synodus Carentonii habita, utrique parti silentium de materia controversa praescripsit. Eo tamen lites non suppressae sunt[2].

Alias lites excitavit Iosue Placaeus, et ipse Salmuriensis theologus, qui in dissertatione an. 1640 edita, contendit, peccatum originale non in ipso actu inobedientiae protoparentum, quem posteri in eis participaverint, sed in vitiositate naturae humanae moralis, ex illo orta et ad posteros derivata, consistere; seu, ut ipse postea exposuit, peccatum Adami non immediate, sed mediate posteris eius imputari. Hanc assertionem synodus nationalis, an. 1654 Carentonii habita, veluti erroneam damnavit omnibusque praedicatoribus et professoribus eam tradere vetuit. Imo Genevenses, agente Francisco Turretino, theologiae apud eos professore, an. 1675 omnibus sententiam Placaei tradituris, depositionem intentarunt. Attamen is non tantum plures asseclas inter eruditos Calvinistas nactus est, verum etiam nonnullae synodi decretum Carentonianum executioni mandare detrectarunt[1].

98. *Calvinismus ab ecclesia Graeca proscriptus* — Maiorem confusionem subierunt Calvinistae ex parte ecclesiae Graecae. Quemadmodum Lutherani[2], ita et Calvinistae impetrare conati sunt, ut sua doctrina ab Ecclesia Graeca approbaretur, huiusque secum consensum contra Catholicos iactare possent. Ad hanc rem iis opportunus erat Cyrillus Lucaris, Cretensis, qui cum Patavii litteris vacasset, varias Europae terras peragrarat, et speciatim Genevae calvinisticae doctrinae capita didicerat. In Graeciam redux, et an. 1602 factus patriarcha Alexandrinus, initam antea cum doctoribus calvinistis amicitiam litteris continuavit. Anno 1621 ad patriarchatum Cp. evectus calvinisticas suas sententias audacius manifestavit, unde tantum Graecorum odium in se concitavit, ut in exilium fuerit eiectus. Postea restitutus, an. 1629 fidei confessionem, doctrinae calvinisticae prorsus conformem, dedit oratori Hollandiae apud aulam Turcicam; quam confessionem latine redditam typisque mandatam, veluti Ecclesiae Graecae fidem et doctrinam, Calvinistae per Belgium aliasque terras venditarunt. Verum Cyrillus Lucaris propter hoc facinus et propter haeresim confestim a suis depositus fuit. Quamquam pecuniae vi et oratoris Hollandiae ope sedem patriarchicam adhuc recuperaverit, tamen anno 1638 ea iterum privatus, et iussu sultani propter seditiosas machinationes laqueo necatus fuit. Eodem anno Cyrillus Beroeensis, illius in sede Cp. successor, cum patriarchis Alexandrino et Hierosolymitano et

[1] Vid p. 196.
[2] Blondel, *Actes authentiques des églises réformées*; Walch, *Einleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der evangelisch-lutherischen Kirche.*

[1] Jablonschy, *Institut. hist. eccl. christ. recent.*
[2] Vid. p. 180.

23 episcopis Constantinopoli synodum habuit, in qua calvinisticae confessioni eiusque auctori, Cyrillo Lucari, anathema dictum est. Eadem confessio damnata fuit in altera synodo Cp. an. 1642 sub Parthenio patriarcha habita.

Hac occasione etiam Petrus Mogilas, metropolita Chiovensis, una cum suffraganeis suis et theologis fidem ecclesiae Russicae testatus est in symbolico libro, cui titulus: *Declaratio fidei Russorum.* Qui liber an. 1643 a Cpno aliisque patriarchis Graecis subscriptus, orthodoxa fides omnium Graecorum dictus, et postea in pluribus synodis approbatus, in universa ecclesia Graeca auctoritatem consecutus est.

Nihilominus Calvinistae, praesertim in Gallia, duce Claudio, consensum doctrinae suae cum ecclesiae Graecae doctrina contra Catholicos etiam scriptis iactare non erubescebant. Hinc Nectarius, patriarcha Cp., ad convicia et calumnias Claudii responsum dedit, in quo doctrinas Lutheri et Calvini duxit absurdas, quae totum Occidentem perturbarint, et ab ecclesia Graeca nunquam probatae fuerint. Quoniam vero Hugonoti ad consensum Orientalium, speciatim circa Eucharistiam, provocare non cessarent, an. 1672 Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, synodum convocavit, in qua nova fidei confessio edita est quae in confutandis Calvini erroribus fuse versatur, et sub titulo innotuit *Clypeus orthodoxae fidei*, seu apologia adversus haereticos calvinistas. Tandem cum Ioannes Caryophylles, logotheta Ecclesiae Cp., calvinisticos errores Cyrilli Lucaris resuscitasset et transsubstantiationem impugnasset, Callinicus patriarcha Cp. an. 1691 synodum coëgit, in quo definitum fuit, doctrinam de conversione vera et substantiali panis et vini in Corpus et in Sanguinem Christi ab Apostolis traditam fuisse et semper in Ecclesia conservatam, atque ad eam exacte exprimendam vocabulum μετȣσίωσις, quod Latinorum *transsubstantiationi* respondet, iam a longiori tempore Graecis usitatum, publica auctoritate sancitum esse.

Quae omnia monumenta non parum conferunt ad vindicandam catholicam doctrinam contra criminationes novatorum, qui eam medio aevo a Scholasticis, monachis et pontificibus adulteratam fuisse effutiunt [1].

---

[1] Cf L. Allat. *De Ecclesiae Occident. et Orient. perpetua consensione*; Le Quien, *Oriens christianus*; Schelstrat. *Acta ecclesiae orientalis contra Calvini et Lutheri haeres.*; Opus inscriptum, *La perpetuité de la foi de l'Église catholique touchant l' Eucharistie.*

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DVODECIMA

A LITIBVS IANSENISTICIS
VSQVE AD PVBLICAM RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONEM, AN. 1789.

PROOEMIVM

Novam Epocham inchoamus a litibus, quas in Ecclesia agitarunt Iansenistae, quo quidem nomine appellati sunt, qui damnatae Cornelii Iansenii doctrinae inhaerebant. Ii graves et diuturnas turbas in Ecclesia excitarunt, eo periculosiores, quo earum auctores singularem morum severitatem ostentarent, Ecclesiae fidem et communionem se revereri profiterentur et, ementito erga Apostolicam Sedem obsequio, eius auctoritatem convellerent.

Exsurrexit praeterea, durante hac epocha, perditissimum hominum genus, qui omnem prorsus religionem, ipsiusque Dei existentiam impugnarunt, et propterea *athei* dicti sunt. Acerrima quoque certamina Ecclesiae intulit incredulorum schola, qui specioso philosophorum nomine religionem christianam oppugnarunt, omnem revelationem abiecerunt, et quamdam religionem naturalem, ut vocabant, seu deismum adstruxerunt. Haec autem saeculi XVIII incredulitas seu pseudo-philosophia erat effectus et prava progenies pseudo-reformationis saec. XVI. Etenim novatores saec. XVI solam Scripturam, quam, reiecta Ecclesiae auctoritate, secundum privati sui spiritus dictamen interpretabantur, esse Fidei regulam contendentes, ipsam hominis rationem credendorum iudicem constituebant. Huiusmodi doctrinam ad incertum scepticismum et indifferentiam in religionis negotio ducere, compertum est. Eadem enim libertate seu licentia, qua Lutherus et Calvinus nonnullas Scripturae partes et varia dogmata, quae Ecclesia ab apostolicis temporibus constanti traditione conservaverat et docuerat, abnegarunt; ita alii alia dogmata, et tandem pseudo-philosophi omnem Scripturam et revelationem reiecerunt.

Accesserunt societates occultae, dictae *Liberorum coementariorum* (seu *de' liberi muratori*; gall. *Francs-Maçons*), quae mala multigena et Ecclesiae et Societati intulerunt, et in generalibus rerum civicarum ac ecclesiasticarum conflagrationibus partem haud modicam habuerunt. Praeterea novitates litesque Richeristicas instauravit larvatus Febronius, seu Ioannes Nicolaus de Hontheim.

Ex his sat liquet, Ecclesiae statum, durante hac epocha, graviter fuisse concussum. Continuo ei certandum fuit cum infensis adversariis. At divina Providentia periclitanti Ecclesiae non defuit; dedit ei Pontifices pios, doctos, prudentes et vigiles, qui Petri naviculam in mediis iactati maris undis gubernarunt: excitavit scriptores egregios, qui doctissimis libris Religionem defenderunt: novos populos eidem Ecclesiae aggregavit, multosque ab ea extorres in sinum eius reduxit.

1. *C. Iansenius eiusque* AVGVSTINVS (*an.* 1640) — Lites, ineunte hac epocha in Ecclesia excitatae, nomen acceperunt a Cornelio Iansenio. Is anno 1585 in Accoy prope Leerdamum in Hollandia catholicis parentibus natus, humanioribus litteris Ultraiecti, philosophiae et theologiae Lovanii studuit. Emenso theologiae curriculo, valetudinis causa petiit Gallias, ubi singulari amicitia usus est cum Ioanne Du-Verger-de-Hauranne, dein abbate monasterii Benedictini ad S. Cyranum, antea suo in studiis Lovanii socio. Anno 1617 Lovanium redux, post biennium s. Theologiae doctor in Universitate Lovaniensi renunciatus, et an. 1630 s. Scripturae interpres creatus fuit. Anno 1633

librum scripsit, cui titulus *Mars Gallicus*, in quo ardenti stilo Gallorum foedera cum principibus protestanticis redarguit, et Austriacae familiae iura in Belgium contra illorum machinationes defendit. Hoc libro meruit favorem Philippi IV, regis Hispaniae, a quo an. 1635 episcopus Iprensis renunciatus fuit. Anno sequenti consecratus, mortuus est anno 1638.

Praeter commemoratum librum reliquit Iansenius commentarios in Pentateuchum, Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Sophoniam et in Evangelia, et infaustum opus, cui titulus *Augustinus*, seu Doctrina s. Augustini de naturae humanae sanitate, aegritudine, medicina, adversus Pelagianos et Massilienses. In prima parte huius libri exponitur haeresis Pelagiana; in secunda status humanae naturae ante et post lapsum, adeoque peccatum originale eiusque mali effectus, speciatim defectus liberi arbitrii; in tertia parte systema s. Augustini de auxilio gratiae medicinalis et de praedestinatione; ubique sententiae molinisticae, veluti semipelagianis affines, refutantur.

Iansenius in exarando hoc opere 22 annis laborasse dicitur; sed ipsius auctoris mens de doctrina in libro suo tradita, non parum suspecta redditur ex epistolis eiusdem ad ab. Sancyranum. In iis scribit: « Non audeo dicere quid sentio de praedestinatione et gratia, ne forte antequam omnia parata et maturata sint, mihi quod aliis accidat, Romae damner, sicut damnatus fuerat Baius ». Addit, doctrinam, quam in *Augustino* exponebat, plerisque stuporem incussuram; futurum facile, ut tamquam delirus et somniator insignis audiat; magna prudentia, circumspectione, praesertim procerum et religiosorum coetuum praesidio opus esse. Sibi obiiciens bullas Pii V et Gregorii XIII contra assertiones Baii, exclamat: « Haereo, fateor, sed quid ad doctrinam s. Augustini? [1] » Nihilominus paulo ante mortem suam in scripto testamento suam erga Sedem Romanam et Ecclesiam obedientiam professus est, opusque, vix dum absolutum, legavit Reginaldo Lameo, capellano suo, ut illud e consilio Liberti Fromondi, ss. Litterarum in Universitate Lovaniensi interpretis, et Henrici Caleni, canonici, deinde archidiaconi Mechliniensis, typis mandandum curaret. En eius verba: « Ego Cornelius, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Iprensis, de mea libera voluntate dono omnia mea scripta, ad explicationem s. Augustini spectantia, capellano meo Reginaldo Lameo, partim quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine originali copia corrigi non potest. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris, magnifico domino Liberto Fromondo et reverendo domino Henrico Caleno canonico Mechliniensi, conferat et disponat de editione quam fidelissime. Sentio enim aliquid difficulter mutari posse; si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita postrema mea voluntas est. Actum sexta mai 1638 ». Simile huic submissionis argumentum continet epistola a Iansenio paulo ante obitum scripta ad Urbanum Pp. VIII, et postea Ipris reperta. Fertur praeterea, eum, morti proximum, mandasse sanctimoniali, quae aegrotanti ministrabat, adferre librum nondum typis editum, in ignem, ut creditur, coniiciendum, sed hunc non fuisse repertum.

[1] Vid. *Naissance du Jansénisme découverte*, ou *Lettres de Jansenius à l'abbé de Saint-Cyran*, Louvain 1654.

2. *Lites Iansenianae* — Anno 1640 infelix liber *Augustinus* Lovanii in lucem prodiit. Mox plures adversarios, sed etiam defensores habuit. Nonnulli eum veluti ipsum Augustinum, ad debellandam Molinistarum doctrinam, e coelo delapsum laudabant. Alii, sanae doctrinae addicti, praesertim Iesuitae, illum praedestinatiana lue, in Baii propositionibus damnata, infectum impugnabant. Contentio continuo crevit. Interim liber *Augustinus* Romam delatus, an. 1642 ab Urbano Pp. VIII Bulla, *In eminenti*, sub gravibus poenis et censuris, extra mortis articulum Apostolicae Sedi reservatis, prohibitus fuit, tum quod contra Pauli V constitutionem, ne qui libri, de auxiliis divinae gratiae tractantes, sine Sedis Apostolicae facultate ederentur, fuisset typis mandatus, tum quod contineret plures propositiones, iam Pii V et Gregorii XIII Bullis condemnatas. Verum contentiones non sunt sopitae. Ianseniani libri defensores constitutionem Urbani aut obreptitiam aut subreptitiam vel supposititiam esse dicebant, et conversi ad Pontificem et ad regem Hispaniae, impetrare satagebant, ne ad acceptandam bullam adigerentur, contendentes, in libro Iansenii non nisi s. Augustini doctrinam esse expositam.

Eadem animorum contentio visa est in Gallia, ubi Du-Verger, abbas Sancyranus,

eiusque discipulus Antonius Arnauld theologiae doctor specioso reformationis et sanctionis disciplinae praetextu multorum, praesertim eorum, qui pietatem colebant, animos corrumpebant et ad suscipiendum Iansenii librum veluti veram s. Augustini doctrinam excitabant. Ideo Urbanus Pp. bullam suam quoque in Galliam transmisit, ubi etiam ac in Belgio eius publicatio atque acceptatio obstacula varia experta est.

Interim Pontifex litteris ad nuncios suos in Gallia et apud Coloniam atque ad internuncium Bruxellensem, ad episcopos Belgii, ad Universitates Lovaniensem, et Duacensem datis, constitutionis suae publicationem et acceptationem urgebat. In Gallia an.1644 Pontificis bulla in concilio regio acceptata, transmissa est ad Sorbonam; quae quidem notavit propositiones, quae tamquam a prioribus Pontificibus iam damnatae in ea allegabantur, omnibusque ad se pertinentibus de iis disputare prohibuit; quoad alias bullae clausulas spectabat, sententiam suam suspendit. Innocentius X, qui an. 1644 Urbano VIII successit, tum apud regem Hispaniae tum apud Leopoldum archiducem Austriacum, Belgii procuratorem, egit, ut refractarios in Belgio ad acceptandam Urbani bullam compellerent. Tandem utriusque potestatis, pontificiae et regiae, mandatis effectum est, ut anno1651 Bullam receperint ii, qui in Belgio hactenus abnuerant.

Ex hoc tempore Iansenianae lites in Belgio sopitae sunt. In Gallia vero magis efferbuerunt. Ianseniani libri defensores illius doctrinam omni via propagare studuerunt. Cum autem prae aliis Iesuitas sibi oppositos experirentur, omnia tentarunt, ut eos invisos redderent. Hinc famosi libelli, in quibus Iesuitae satyrica et maledica ratione proscindebantur. Tanta erat animorum contentio, ut in sermonibus, scriptis, scholis et suggestibus in utramque partem disceptaretur.

Anno 1649 N. Cornet, doctor Parisiensis et facultatis theologicae syndicus, 7 propositiones ex *Augustino* Iansenii excerptas ad Sorbonam detulit. Sorbonistarum alii iudicium recusarunt, alii eas haereticas et ss. Scripturae contrarias iudicarunt. Tunc de excerptis propositionibus ardentius disceptatum fuit.

3. *Quinque propositiones Iansenii* — Anno 1650 res delata est ad comitia cleri Gallicani, Parisiis congregata. Episcopi numero 85 e propositionibus, a Sorbona censuratis, selegerunt 5, de quibus maxime disputabatur, et quae, consentientibus ipsis hoc tempore Iansenistis, summam doctrinae in libro Iansenii explicatae constituebant. Praesules Galli eas Romam transmiserunt, et Pontificem Innocentium X obtestati sunt ut easdem diligenter expenderet, et de singulis perspicuam certamque sententiam ferret. Contra alii 11 episcopi Galli, Iansenii doctrinae faventes, Pontificem a ferenda sententia dehortati sunt.

Quinque istae propositiones sic sonabant: 1ª, Aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant; 2ª, Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur; 3ª, Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione; 4ª, Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; 5ª, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Has propositiones Pontifex in congregationibus, ad hoc institutis, coram 4 cardinalibus et 13 peritissimis sacr. Theologiae consultoribus, ex omni ordine electis, mature expendi iussit. Postquam hoc negotium diligentia, qua maiori desiderari non posset, esset discussum, et ii etiam, quos praedictae doctrinae asseclae in causae suae patrocinium Romam legarant, fuissent auditi, Innocentius X pridie calendas iunii an. 1653 Constitutionem edidit, *Cum occasione*, qua commemoratas 5 propositiones, e Iansenii libro excerptas, damnavit, et unicuique earum particularem damnationis notam seu censuram inussit: 1ªm declaravit temerariam, impiam, blasphemam, anathemate notatam et haereticam, et ut talem damnavit; 2ªm declaravit haereticam et ut talem damnavit; 3ªm pariter declaravit haereticam, et ut talem damnavit; 4ªm declaravit falsam, et haereticam, atque ut talem damnavit; 5ªm declaravit falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, haereticam, et ut talem damnavit. Mandavit omnibus Christifidelibus

sub poenis et censuris, contra haereticos eorumque fautores in iure expressis, ne de dictis propositionibus aliter sentire, docere aut praedicare praesumerent, quam in presenti declaratione continebatur. Praecepit omnibus Episcopis, locorum Ordinariis et haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut quosvis contradictores et rebelles censuris poenisque ecclesiasticis, implorato etiam brachii saecularis auxilio, si opus fuerit, compescerent. Addidit praeterea, se per hanc de 5 propositionibus declarationem nullatenus approbare alias propositiones, in libro Iansenii habitas.

Innocentii Bulla non tantum in Belgio ab Episcopis, Universitatibus et Ordinibus religiosis sine contradictione acceptata est, sed etiam in Gallia ab omnibus fere episcopis et a Sorbona lubenti animo admissa fuit. Ipsi iansenisticae causae patroni fatebantur, 5 propositiones esse merito damnatas; verumtamen doctrinae suae praefracte adhaerentes, aciem mutarunt, et ad versutias ac cavillationes conversi, dixerunt, illas propositiones nec quoad verbum nec quoad sensum a Pontifice intentum, in libro Iansenii contineri, proinde huius doctrinam minime esse condemnatam. Episcopi Galli, an. 1654 consueta comitia Parisiis celebrantes, praedictas propositiones cum libro Iansenii diligentissime contulerunt, discusserunt etiam quaecumque ab adversariis ad eludendam bullae pontificiae sententiam obiiciebantur, declararuntque, istas 5 propositiones in libro Iansenii contineri, et in proprio verborum sensu atque eo ipso, quo a Iansenio asseruntur, esse damnatas. Hanc declarationem praesules Galli transmiserunt ad Innocentium X, qui per rescriptum, III° calend. octobris 1654 datum, eam confirmavit, expressisque verbis asseruit, per suam constitutionem, pridie calendas iunias 1653 editam, in 5 propositionibus damnatam esse doctrinam Cornelii Iansenii, in eius libro, cui titulus *Augustinus*, expositam.

Attamen error minime finitus est. Cumque primarii inter refractarios, Antonius Arnauld, Blasius Pascal, Petrus Nicole, eruditione, ingenii acumine, facundia, libris ingeniose et eleganter scriptis, morum severitate excellerent, multos in partes suas pertraxerunt [1].

[1] P. d'Avrigny, *Mémoires chronologiques et dogmatiques pour servir à l'histoire eccl. depuis* 1600 *jusqu'en* 1716; H. Dumas. *Histoire des cinq propositions de Jansenius*; P. Deschamps, *De haeresi Ianseniana ab Apostolica Sede merito damnata*; Tournely, *Tractatus de Gratia*.

4. *Innocentius X Pontifex* (*an.* 1644)— Post Urbanum Pp. VIII, postridie idus septembris an. 1644 Pontifex inauguratus est Ioannes Baptista Pamphilius, Romanus, cardinalis tituli s. Eusebii, qui sub Innocentii X nomine Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1655. Is pietate, defendendae et propagandae Religionis ardore, iustitia, prudentia, liberalitate, aliisque virtutibus claruit. Venetis et Equitibus Melitensibus contra Turcarum impetus in bello Cretico, quod per annos 25 perduravit, triremes et pecunias subministravit, ac Iubilaeum pro re hac induxit. Uladislao etiam, Hungariae regi, bellum adversus christiani nominis hostes paranti, auxilia dedit. Ad catholicos Hibernos, ab haereticis oppressos legavit I. B. Rinuccinum, archiepiscopum Firmanum, ut illorum inopiam auro et argento sublevaret, eosque ad agendam fortiter causam contra persecutores hortaretur. Pacem, an. 1648 Monasterii in Westphalia inter principes catholicos et protestantes compositam, tanquam Ecclesiae et imperio noxiam ac probrosam, improbavit. Multa coenobia, in quibus propter parvum religiosorum numerum disciplina regularis servari non posset, in Italia et insulis adiacentibus suppressit, facta episcopis locorum potestate eorum bona in alios usus sacros convertendi. Damnavit libellum anonymum, *De magnitudine Romanae Ecclesiae et ss. Petri et Pauli pontificatu*, cuius auctor, aequalem utriusque Apostoli potestatem propugnando, unitatem capitis et primatus evertebat. Nec satis habuit damnasse insanam doctrinam; sed etiam praecepit viris doctis, ut eam scriptis labefactarent [1]. Damnavit etiam, ut vidimus, 5 propositiones e libro Iansenii excerptas. Idem ratum iussit decretum s. Congregationis Caeremoniarum, praecipiens Cardinalibus etiam quacumque natalium praecellentium, aut aliarum dignitatum praerogativa insignitis, quod solo nomine *Cardinalis*, absque ullo saecularis dignitatis additamento contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti possint, quam « Eminentissimi » et « Reverendissimi », nec non « Eminentiae Reverendissimae [2] ». Anno 1650 magnum Iubilaeum tertium decimum celebravit, et quinto post anno 1655 VII° idus ianuarii decessit, fun-

[1] Spondan. ad an. 1644-55; Ciacon. *Vitae RR. Pontific.*

[2] Const. 2, § 1, t. 4 *Bullarii*.

ctus Pontificatu per *annos* 10, *mens.* 3 *diesque* 23.

5. *Mennonitarum fata* — Interea secta Anabaptistarum, qui et Mennonitae a Mennone Frisio dicti sunt [1], variis fatis et dissidiis exagitata est. Post mortem Mennonis in pluribus terris incrementa non exigua ceperant. In Hollandia, quae fuit principalis eorum sedes, iam posteriori saeculi praecedentis tempore Guilielmi principis Arausicani, quem collata ad bellum pecunia sibi conciliaverant, et quorumdam magistratuum favore tolerari coeperunt. Anno 1626 ibidem publica Ordinum lege plenam religionis libertatem consecuti, numerum suum auxerunt. In Germania diversa sorte usi sunt. Ferdinandus I eos an. 1548 ex Austria, in qua erant frequentes, expulit. Nihilominus post multos annos magnus eorum numerus deprehensus est praesertim in regionibus Moraviae conterminis, quos Rudolphus II an. 1601 sub poena capitis inde excedere iussit. Plerique eorum, concesserunt in Moraviam meridionalem, ubi coetus suos plurimum auxerunt, donec eamdem sortem, quam Ferdinandus II omnibus acatholicis in terris suis Germanicis constituit, experti sunt. Tunc multi eorum, qui catholica sacra amplecti nolebant, migrarunt in Transylvaniam. In reliqua Germania Mennonitae coetus habebant in Holsatia, Frisia orientali, in principatu Mindensi, in Palatinatu superiori et inferiori, in ducatibus Iuliacensi et Cliviensi, in quibus, sicut in Polonia et Borussia Polonis subiecta, iis tolerantia indulta est. In Helvetia minime tolerabantur, ubi a Calvinistis, potissimum ab an. 1536, exilium, bonorum ademptio et verbera contra eos decreta et frequenter effectui data sunt. Omnium severissime in illos animadvertebant Bernenses, qui an. 1659 in eos inquiri iusserunt, et, non obstante Hollandorum intercessione, anno 1693 illos, qui ex exilio reversi deprehendebantur, ergastulis nauticis, stigmatibus ipsique morti addixerunt.

Mennonitae caeteros imitati haereticos in dogmatibus suis parum constantes fuerunt. Plures quidem fidei confessiones ediderunt, sed nullam eis auctoritatem symbolicam tribuebant. Secundum istas confessiones doctrina eorum a doctrinis caeterorum acatholicorum praesertim differebat in his: Hominis iustitiam, fide obtinendam, ex eius regeneratione oriri dicebant; baptismum non nisi credentibus et poenitentibus esse conferendum; homini in id nitendum esse, ut Christus in eo habitet, se ei revelet, eum perficiat et divinae suae naturae participem faciat; coenam esse memoriale Christi, et panem ac vinum esse summi boni symbola, quorum perceptione homines moneantur, ut illud a Deo efflagitent; abstinendum esse a vocibus *consubstantialis*, *persona divina*, *Trinitas*, quum in s. Scriptura non occurrant; Ecclesiam e solis sanctificatis consistere; excommunicationem peccatoribus contumacibus diligenter infligendam, qua etiam a Deo separentur; magistratum a vero christiano non gerendum; arma aut bellum gerere et iusiurandum emittere, a Christo prohibitum; matrimonium cum alienae religionis asseclis inire, esse illicitum. Quum vero in his ipsis aliisque ne omnes quidem Mennonitae idem sentirent, in plures factiones scissi sunt. Praecipuae eorum factiones erant Mitiorum seu Grossorum et Severiorum seu Subtilium, quod illi de excommunicatione aliisque nonnullis mitius, hi severius sentirent. Posteriores iterum propter habitum, liturgiam et alia in plures factiones separati sunt. Mitiores etiam an. 1664 in duas partes, nimirum Galenistarum et Apostolorum separari coeperunt. Galenistae, auctore Abrahamo Galeno, medico et praedicatore Amstelodamensi, docebant, summam religionis consistere in observatione praeceptorum moralium, parumque interesse, quid quis de dogmatibus credat; unde reiectis fidei confessionibus, ad sententias socinianas inclinarunt. Apostoli, auctore Samuele Apostool, item medico et Amstelodamensi praedicatore, illorum principia reprobantes, ab iisdem secesserunt [1].

6. *Pax Westphalica* (*an.* 1648) — Post bellum diuturnum, in Germania catholicos inter et protestantes principes gestum [2], ab utriusque partis oratoribus de componenda pace actum fuit. Inter alia, de quibus agebatur, maxime arduum erat negotium religionis. Principes protestantici non tantum religionis suae libertatem, sed et plura alia in catholicae rei detrimentum petebant, et fere ubique victores, pacis conditiones dictabant. Ferdinandus imperator III iis diu restitit, tandem Suecorum et Gallorum armis acessitus, pacis conditionibus, an. 1648 inter principum oratores pactis, assensit. Haec est celebris pax dicta Westphalica,

[1] Vid. p. 154.

[1] F. Catrou, *Histoire du fanatisme dans la religion protestante*; I. B. Starck, *Geschichte der Taufe und der Taufgesinnten.* — [2] Vid. p. 212.

quod Monasterii et Osnabrugae in Westphalia fuerit confecta. Per eam quidem restituta est Germaniae tranquillitas, et a bellis civilibus cessatum, sed non exigua detrimenta catholicae rei illata sunt. In primis pax Augustana, quam anno 1555 Carolus V cum protestantibus confecit [1], confirmata est, et etiam ad Calvinistas extensa, atque in universum absoluta Catholicorum, Lutheranorum et Calvinistarum aequalitas, tum in religionis negotio, tum in rebus politicis et civilibus, decreta. Constitutum est, ut in omnibus locis, extra terras Austriacas, omnis ea religio publicum exercitium conservaret, quae illud obtinebat calend. ianuar. 1624; et omnes ecclesiae, episcopatus, abbatiae, capitula, collegia, xenodochia, monasteria, cum suis iuribus et bonis, essent eorum, sive Protestantium sive Catholicorum, apud quos erant iisdem calend. ianuar. 1624. In ecclesiis et capitulis mixtis, in quibus alii veterem, alii novam religionem profitebantur, decretus est aequalis titularium et canonicorum utriusque religionis numerus. Praeterea compensandorum sumptuum bellicorum causa, plures episcopatus cum abbatiis in ducatus et principatus saeculares conversi et principibus haereticis concessi sunt. Sic rex Suecorum, praeter Pomeraniam, episcopatus Bremensem et Verdensem; marchio seu elector Brandeburgicus episcopatus Magdeburgensem, Halberstadiensem, Mindensem et Caminensem; duces Brunsvico-Lunaebergenses alternis vicibus episcopatum Osnabrugensem; dux Megalopolitanus Suerinensem et Raceburgensem; lantgravius Hasso-Cassellanus abbatiam Hersfeldensem; duces Brunopolitani monasteria de-Walkenried et Groëningen retulerunt. Qui principes religionis catholicae reliquias, in illis terris superstites, brevi tempore deleverunt. Innocentius Pp. X huiusmodi pacis conditionibus merito reclamavit, eamque ad posterorum memoriam edito diplomate improbavit. Verumtamen pax Westphalica recepta est, et deinceps in societate europaea ius publicum seu systema politicum constituit [2].

7. *Religionis status in Anglia* — In Anglia post Iacobum I, qui obiit an. 1625, regnavit Carolus I, filius eius, qui eodem anno Henricam Franciae, Henrici IV filiam, uxorem duxit. Haec cum esset catholica, apud regem effecit, ut Catholicorum conditio in Anglia aliquantulum proficeret. At post aliquod tempus ex dissidiis religiosis politica secuta sunt, regnum bellis civilibus exagitatum est, ipseque rex an. 1649 a senatu capitis damnatus.

Etenim, praeter Episcopalium seu Anglicanorum et Presbyterianorum seu Puritanorum sectas, in Anglia enata est secta Independentium. Haec inter Puritanos circa an. 1581, auctore Roberto Brownio, praedicatore in comitatu Norvicensi, initium cepit. Brownistae principiis democraticis anarchica substituerunt; non tantum episcoporum, sed etiam presbyterorum et synodorum auctoritatem reiiciebant; docebant, quemvis coetum ecclesiasticum a reliquis omnibus prorsus independentem esse; praedicatores a singulis cuiusvis coetus membris votorum pluralitate constituendos et pro arbitrio destituendos, et praeter eos cuivis, sine sexus et conditionis discrimine, ius esse annuntiandi divinum verbum, modo se ad illud a Spiritu S. afflari sentiret. Unde paulo post *Independentes* appellati sunt. Praeterea caeteras ecclesiastici regiminis formas ardore fanatico detestabantur, ad quas abrogandas etiam vim in Episcopales adhibebant et in ipsam reginam Elisabetham invehebantur. Quapropter nonnulli eorum morte mulctati sunt, alii in Belgium foederatum confugerunt. An. 1610 Ioannes Robinson, Lugduni Batavorum apud coetum illorum praedicator, offensus, quod sui omnem principiorum Brownisticorum mitigationem reiicerent, in Angliam rediit, et Londini primum coetum Independentium condidit. Hi Brownisti in eo erant mitiores, quod ecclesias, a sua regiminis forma alienas, non adeo ac illi impeterent, neque cuivis pro concione dicendi potestatem facerent.

Porro Independentes aeque ac Puritani propter doctrinas suas a supremo regimine coërcebantur. Carolus I patris sui exemplo Episcopalibus favit, eorumque potestatem auxit. Ut ecclesiastica eorum forma etiam in Scotia praevaleret, non tantum episcopis, ibi constitutis, publica munera eaque amplissima contulit, sed etiam an. 1637 liturgiam anglicanam introducere conatus est. Verum populus in seditionem prorumpens, id impedivit, et anno sequenti Ordines Scoti in unum congregati, episcopos et omnia, a Iacobo et Carolo ad firmandum eorum regimen introducta, abrogarunt. Ca-

---

[1] Vid. p. 163.

[2] Adam, *Arcana pacis Westphalicae*, Francof. 1693; alias, *Historica relatio de pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi*, 1737; G. H. Bougeant, *Histoire du Traité de Westphalie.*

rolus rex Scotos iam armis ad obedientiam adigere conabatur; sed bellum, inde enatum, an. 1640 adversum regi exitum habuit. Interea democratica Puritanorum principia etiam inter Episcopales probari coeperant, et quo magis eorum factio a regibus reprimebatur, eo amplius aucta fuerat. Independentes vero ita multiplicati erant, ut caeteros Puritanos et numero et viribus superarent.

Interim Carolus I Ordines publicos convocavit. At a populo ad comitia deputati, erant maxima parte regi infesti; adeo ut qui *Cameram*, ut dicitur, *inferam* constituebant, plerique sive puritani sive independentes essent. Hi iam pro summo odio, quo in episcopos flagrabant, primo archiepiscopum Cantuariensem Laud, deinde caeteros episcopos plerosque in vincula coniici mandarunt. Hoc facto, legem proposuerunt, qua episcopi comitiis publicis excluderentur, et tum regem tum *Cameram superiorem*, iam omni auctoritate carentes, an. 1642 ad illam legem approbandam compulerunt. *Camera* inferior continuo ulterius progrediens, an. 1645 archiepiscopum Laud capite plecti iussit, et anno sequenti episcopis penitus abrogatis, calvinianam regiminis ecclesiastici formam, presbyteriis, classibus, synodis provincialibus et nationalibus distinctam, in Angliam introduxit.

Brevi e democraticis et independentibus ecclesiasticis facti sunt politici, suaque principia ab episcopis ad regem transtulerunt; unde bella cruenta et caedes secuta sunt. Carolus contra iniquos *Camerae* inferioris et democraticorum conatus exercitum collegit, seque armis defendere tentavit: initio haud infeliciter pugnavit; at iunctae Scotorum et Anglorum vires sub duce Oliverio Cromwell, qui milites suos fanatismo religioso implere noverat, Carolum regem ad tantas redegerunt angustias, ut se Scotorum fidei committeret. Ab is rex traditus Anglis, in vincula coniectus est, et agente eodem Cromwell, laesae religionis et libertatis publicae accusatus, anno 1649 capite plexus fuit. Novae reipublicae, nunc in locum monarchiae introductae, specioso protectoris titulo praesedit Cromwell, qui maiori, ac unquam reges, potestate, potius tyrannide usus est usque ad mortem suam, quae accidit anno 1658. Sub eo Puritanorum, e quibus is erat, religio et potestas praevaluerunt. Cuivis tamen liberum erat eam profiteri religionem, quae sibi verior videretur. Soli catholici hac libertatis lege erant exclusi.

Catholici vero Hiberni iniquissimae et durissimae sorti addicti sunt. Iam Henricus VIII, Eduardus VI et Elisabetha iis Hibernis, quos sub potestate sua habebant, novitates religiosas vi et crudelitate obtrudere conati fuerant. Deinde sub Iacobo I universa Hibernia subacta fuit. Anglis vero, qui in ea ad morem colonorum consederant, maxima privilegia in detrimentum indigenarum concessa sunt. His omnibus irritati Hiberni, quorum plerique religioni catholicae fideliter inhaerebant, regnante Carolo I, arma arripuerunt pro patriae et Religionis libertate atque defensione. In bello inde exorto Cromwell ita praevaluit, ut cunctos Catholicos ex universa terra in unam provinciam coëgerit, cuivis eius limites transgressuro mortem minitatus. Quo facto, omnibus, qui bellum participarant, fundi, qui ferme ad tertiam terrae partem protendebantur, adempti et colonis acatholicis ex Anglia venditi sunt. Ita catholici in Hibernia ad paupertatem redacti fuerunt, simulque inextirpabile turbarum semen sparsum [1].

8. *Quakeri* — Hoc ipso tempore, quo Presbyterianis et Episcopalibus inter se pugnantibus, res ecclesiastica in Anglia admodum perturbata esset, ibidem orta est secta Quakerorum. Horum auctor fuit Georgius Fox, professione sutor, natura severus et morosus, animo intenso et phantasia vivida; qui se ad emendandum moralem et religiosum statum divinitus excitatum contendit. An. 1647 revelationes, quas sibi divinitus obtingere dicebat, primo quidem amicis, dein omnibus sibi obviis proponere coepit. Earum summa in eo consistebat, ut homines ad lumen divinum, eorum animis a Deo inditum, attenderent eiusque inspirationes sequerentur. Quum hoc tempore in Anglia maxima esset in religionis negotio licentia, Fox multos e rudioribus asseclas sibi conciliavit, quibus progressu temporis etiam plures e viris litteratis et nobilibus accesserunt. Inter hos notatu digniores erant Samuel Fisher, Georgius Keith, Robertus Barclay et Guilielmus Penn, qui confusas magistri ideas scriptis illustrarunt et in quoddam systema redegerunt. Illius summa fere haec erat: Omnes posteri Adami peccato corrupti et ad rectam Dei agnitionem inepti sunt; sed Deus pro im-

[1] P. d'Orléans, *Histoire des révolutions d'Angleterre*; D'Avrigny, *Mémoires pour servir à l'histoire de l'Eglise, et de l'Europe*; T. Burnet, *Histoire de la réformation de l'Église d'Angleterre.*

menso suo in homines amore, cuiusvis, sive christiani, sive iudaei, sive gentilis, animum aliquo saltem vitae tempore illustrat et movet ad bonum cognoscendum et faciendum, quatenus ei indidit particulam divini luminis, quod, quum Dei voluntatem aperiat, vocatur verbum internum, et quum a Christo descendat et ab eo non possit separari, ita ut is in homine quasi habitet, appellatur Christus internus. Istud lumen recensione a rebus externis et attentione interna studiose excitandum est, quia quamvis illud nemini denegetur, a multis tamen propter eorum negligentiam non percipitur. Hoc lumine duce omnes homines, ethnici ac christiani, ad salutem pervenire possunt et omni tempore potuerunt. Ex hoc verbo interno sacri Christianorum libri manarunt, qui secundum illud, utpote revelationis factae, perdurantis et semper duraturae fontem, sunt explanandi. Ea sola luminis divini eloquia habenda sunt, quae neque sanae rationis, neque s. Scripturae (de cuius auctoritate minime conveniebant) dictaminibus sint contraria. Praeterea Quakeri mysteriosas christianae religionis doctrinas et sacramenta reiiciebant, et in quemdam Deismum tendebant. In doctrina morali ab aliis haereticis differebant praecipue, quod iuramentum et bellum, alios salutare et aliter quam vocibus secundae personae singularis alloqui, caput denudare, aliosve honores cuiquam, ipso rege non excepto, exhibere, illicitum haberent; quod oblectationes, pompas et luxum in vestitu et supellectili tanquam res, sensualitatem nutrientes animumque distrahentes, evitare praeciperent. Eorum constitutio ecclesiastica his principiis erat conformis. Quum enim lumen internum cuivis hominis esset inditum, non habebant inter se qui doctrinam theologicam colerent, neque peculiarem praedicatorum ordinem. Duplicis tamen generis ministros habebant, apostolos nempe, qui ad propagandam sectam alio abibant, et seniores, qui pauperes et infirmos curabant et ordini in sacris conventibus invigilabant. Eorum sacra in eo solo consistebant, quod prout quis a spiritu interno excitabatur, nudato capite vel ad dicendum surgeret vel ad orandum in genua procumberet, caeteris surgentibus et viris caput denudantibus. Dum nemini quid in mentem veniebat, totus coetus, ne verbo quidem audito, discedebat. Quantum spectat ad nomen Quakerorum, quod in lingua anglicana *trementes* denotat, alii dicunt, eos id primum accepisse a quodam iudice, qui, cum Fox eum ad verbum Dei tremere iuberet, hunc eiusque asseclas ludibrii causa vocarit trementes; alii putant, eos ita appellatos fuisse, quod in verbum Dei intendentes, tremere solerent. Ipsi se confessores lucis et amicos vocare consueverunt.

Porro Fox ad propagandam sectam suam non tantum Angliae provincias peragravit, sed etiam in Scotiam, Americam septentrionalem, Anglis subiectam, Hollandiam et Germaniam profectus est. Secundum eius exemplum asseclae eiusdem fanatico ardore sectam propagare studuerunt, quorum multi, etiam feminae, Angliam peragrabant, lumen internum annuntiantes, hominesque ad deserendam religionem corruptam et suscipienda sua placita excitantes. Nonnulli in Americam, Hollandiam, Germaniam, Galliam, Italiam aliasque regiones studio faciendi proselytos profecti sunt. Copiosos coetus formarunt in septentrionalibus Angliae provinciis, pauciores in reliquis, in Scotia et Hibernia. In America principalis eorum sedes fuit Pensylvania. Extra Angliam et subiectas ei terras paucos asseclas habuerunt. In ipsa Anglia propter importunam conversionis methodum, propter convicia in ecclesiam et clerum, propter iusiurandum et decimas denegatas, saepe cum privatis, clericis et magistratibus collidebantur, saepiusque dura et incerta fuit eorum conditio [1].

9. *Peyrerius Praeadamita* — Alium errorem in lucem protulit Isaac Peyrerius, qui Burdigalae in Gallia an. 1594 parentibus calvinistis natus, an. 1655 duos libros edidit, quorum prior erat inscriptus: «Praeadamitae, sive exercitationes super vers. 12 13 et 14 cap. V Epist. ad Romanos»; alter: «Systema theologicum ex Praeadamitarum hypothesi exornatum». In his libris contendebat Peyrerius, Adamum non esse universorum hominum, sed tantum Iudaeorum parentem, et ante eum alios extitisse homines, a Deo conditos, quos neque Adami praevaricatio perdidisset, neque universale diluvium delevisset. Absurdum commentum a Calvinistis aeque ac catholicis reprobatum est. Illud hoc ipso tempore scripto confutavit e catholicis Philip. Le-Prieur seu Priorius [2], e lutheranis I. C. Danhawer [3]. Peyrerius in Belgio interceptus et

[1] Natal. Alexand. *Histor. eccles.* Supplem. part. II.

[2] *Animadversiones in librum Praeadamitarum* (sub nomine Eusebii Romani) Paris. 1656, in-8°.

[3] *Praeadamita Utis, sive Fabula primorum hominum ante Adamum conditorum explosa.*

custodiae mancipatus, ad saniorem mentem rediit. Romam profectus, coram Alexandro Pp. VII et Calvinistarum et Praeadamitarum haeresim abiuravit.

10. *Alexander VII Pontifex* (*an.* 1655) — Mortuo Innocentio X, quum aliquandiu inter Cardinales Pontifici creando congregatos certatum esset sententiis adversis, VII° idus aprilis 1655 Pontifex renuntiatur Fabius Ghisius Senensis, qui Alexandri VII nomen sibi imposuit. Is ab initio omnibus Catholicis spem magnam fecit: nam adhuc cardinali, propter res praeclare gestas principibus et populis gratissimus erat. Pontifex factus nihil omisit quod ad officii sui munus pertinere arbitrabatur. Principes christianos litteris hortatus est ad communem concordiam, ut Turcas, eorum dissidiis elatos et intento in Europae iugulum gladio furentes, coniunctis viribus coërcerent. Propositiones 5 depromptas ex libro Iansenii supra memorato iterum exsecratus est; proscripsitque quoque Iansenistarum effugia contra decessoris sui Constitutiones, uti videbimus. Multas propositiones mollioris ethices et Apologiam casuistarum, quae sub nomin Pirotii prodierat, condemnavit [1]. Isaacum Peyrerium simul Calvini sectam, simul librum de *Praeadamitis*, quem paullo ante ediderat, damnantem, et veniam suppliciter deposcentem, admisit in communione Ecclesiae [2]. Venetis et Hungaris ad repellendos Turcarum impetus pecunia et milite adiuvit. Auxilia quoque destinavit regi Poloniae, armis Suecorum pene oppresso, et Carolo Emmanueli, duci Sabaudiae, ad reprimendos in Alpinis vallibus Waldensium ausus. Christinam, reginam Suecorum, quae abdicato regno et abiurata Bruxellis haeresi, Romam venit, debito honore excepit. Ad compescendam audaciam quorumdam, de Immaculata B. V. M. conceptione disputantium, superiorum Pontificum constitutiones in hac re instauravit confirmavitque [3]. Urbem aedificiis et molibus ornavit. Viros litteratos impense fovit. Thomam de Villanova et Franciscum de Sales Ssrum catalogo adscripsit [4]. Venetam Rempublicam bello Cretico laborantem adiuvit pecunia et milite. Post annum aetatis 69, Pontificatus 12, *mens.* 1 et *dies* 15, an. 1667, XI° calend. iunii, Alexander mortem oppetiit, cuius monumentum, feretrum ipsum, in eodem, in quo degebat, cubiculo vivens habere voluit.

11. *Lites Iansenisticae*—Iansenistae porro, seu haereseos iansenianae defensores, non obstantibus episcoporum Gallorum et Innocentii Pp. X declarationibus et sententiis [1], continuo contendebant, 5 propositiones, ab Apostolica Sede damnatas, in libro Iansenii non reperiri vel saltem non habere eum sensum in quo fuerant damnatae, proinde iansenianam haeresim qua insimulabantur, esse adversariorum commentum. Alexander Pp. VII, ab episcopis Galliae interpellatus, an. 1656 novam Constitutionem *Ad sacram* edidit, in qua decessoris sui constitutionem et declarationem confirmavit, et inter alia haec decrevit: « Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii praedictas 5 propositiones in libro Iansenii praedicto non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse, vel etiam sensu, ab eodem intento, damnatas non esse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non formident, Nos... praefatam Innocentii Praedecessoris Nostri declarationem, Constitutionem ac definitionem harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, et 5 illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii... excerptas ac in sensu, ab eodem Cornelio Iansenio intento, damnatas fuisse, declaramus ac definimus, ac ut tales iterum damnamus ». Hanc Constitutionem episcopi Galliae in comitiis generalibus an. 1657 summa cum veneratione acceptarunt, statueruntque, ut ea in omnibus Galliae dioecesibus promulgaretur. Praeterea condiderunt fidei formulam ab omnibus clericis subscribendam, qua declarabant, quod se sincero animo subiicerent Constitutioni Innocentii X, datae pridie calendas iunias 1653, secundum verum eius sensum per Constitutionem Alexandri VII, editam postridie idus octobris 1656, declaratum, seque ore et animo condemnare 5 propositiones Cornelii Iansenii, in libro eius contentas et ab utroque Pontifice damnatas.

Tunc Iansenistarum factio instar colubri

---

[1] Const. 28, § 1; Const. 162, § 1; Const. 167, § 1, t. 5 *Bullar.*

[2] Peyrerium confutavit quoque Natalis Alexander in *Hist. Eccl. Veteris Testamenti*, t. I, Diss. 3, a. 1.

[3] Const. 117, § 1, t. 5 *Bullar*

[4] Lambertinus, l. I *de Serv. Dei Beatif.* etc. c. 24, n. 5, ait: « Prima solemnis Beatificatio, facta in Basilica Vaticana, fuit Servi Dei, nunc S. Francisci Salesii; et expleta fuit die 8 jan. 1662 ». Capellus, Ceremoniarum Magister, alias deinceps solemnes Beatificationes enumerat ex ordine, in sua Collectione typis Romae edita. De SSrum canonizatione diximus p. 265 vol. I, nec non in nott. p. 37 et 98 voluminis huius. Praeterea legere iuvat *La Scienza e La Fede*, vol. XLV, p. 342 sqq, Napoli 1862.

[1] Vid. p. 218.

tortuosi, cuius caput attritum est, per gyros et cavillationum deflexus auctoritatem, qua damnabatur, effugere conata, excogitavit celebrem distinctionem iuris et facti. Asseruerunt, Ecclesiam quidem esse infallibilem in quaestionibus iuris, sitne haec aut illa doctrina orthodoxa an haeretica, non vero in quaestionibus facti, an ea doctrina in hoc vel illo libro contineatur nec ne, aut quis sit libri eiusque auctoris sensus. Unde contenderunt, assensum fidei quidem esse praestandum Ecclesiae iudicio de 5 propositionibus in se spectatis, non vero relate ad librum Iansenii. Sic rem novis quaestionibus involvere et implicare studuerunt. Tanta fuit factiosorum contra pontificias constitutiones audacia, ut rex Galliae, Ludovicus XIV, an. 1660 episcopos comitiorum cleri praesides admonuerit, ut istud scandalum efficaci via tollerent et rebelles reprimerent. Quapropter in comitiis decretum est, ut qui contra constitutiones pontificias in causa iansenistica scripserant, doctrinam suam retractarent, et qui e clericis saecularibus et regularibus supra memoratae fidei formulae subscribere renuerent, ceu haeretici haberentur. Nihilominus, praeter caeteros Iansenistas, ex ipsis episcopis quatuor subscriptionem recusarunt, nimirum Pavillon Alectensis, Choart de Buzenval Bellovacensis, Caulet Apamiensis et Arnauld Andegavensis. Unde contentiones motusque inter clerum Gallicanum augebantur.

Praecipuum Iansenistarum receptaculum erat coenobium monialium Ordinis Cisterciensis, quod Portus-regius dicebatur, haud procul a Parisiis situm. Huc Antonius Arnauld, Nicole, Pascal aliique Iansenistarum duces, et plures aliae utriusque sexus personae, pleraeque nobiles, diverterant, iuxta coenobium domicilia elegerant, et vitae asceticae rationem sectabantur. Omnes una cum monialibus iansenisticae causae erant addicti. Quum autem moniales Portus-regii commemoratae formulae subscribere recusarent, anno 1664 ab archiepiscopo Parisiensi Sacramentorum usu prohibitae sunt; pleraeque tamen contumaciter in sua rebellione perseverarunt.

Ludovicus XIV rex Galliae existimans, Iansenistas Pontifici citius obedituros, ab Alexandro Pp. VII petiit, ut ipse certam fidei formulam subscribendam praescriberet, qua iis medium eludendi apostolicas constitutiones eriperetur. Pontifex igitur XVI° calend. mart. anni 1664 novam constitutionem, *Regiminis apostolici*, edidit, qua omnibus ecclesiasticis, archiepiscopis, episcopis, aliis quibuscumque ecclesiastici Ordinis, tam regularibus quam saecularibus, etiam monialibus, doctoribus, licentiatis aliisque collegiorum rectoribus et magistris sub poenarum canonicarum comminatione praecepit subscribendam hanc fidei formulam: «Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X datae die 31 maii an. 1653, et Constitutioni Alexandri VII datae die 16 octobris an. 1656 summorum Pontificum, me subiicio, et 5 propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutione Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, et ita iuro: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia». Ludovicus XIV secundum Pontificis mandatum praescripsit, ut omnes ad quos spectabat, in toto regno suo Alexandri formulae subscriberent. Eamdem subscriptionem episcopi, exceptis 4 supra commemoratis, in suis dioecesibus imperarunt.

Verumtamen neque hac via refractarii ad catholicam obedientiam reducti sunt. Alii aperta fronte repugnarunt, asserentes, Alexandrinae formulae simpliciter subscribi non posse absque periurio ab iis, quibus non erat persuasum, 5 propositiones in libro Iansenii contineri, et ad vitandum periurium in subscriptione exprimendam esse distinctionem iuris et facti. Inter hos praecipuus erat A. Arnauld, propter suam in errore pertinaciam a Falcultate Parisiensi e numero Doctorum expunctus. Alii, qui molliores vocabantur, dicebant, praedictae formulae simpliciter subscribi posse, etiam ab iis, qui animo persuasum haberent, nullam doctrinam haereticam in libro Iansenii reperiri, vel sensum, a Iansenio intentum, non esse haereticum. Horum ratio erat, quod subscriptio ex se ipsa solum referretur ad ius et non ad factum, vel quod subscribens neque assereret neque negaret, 5 propositiones in sensu Iansenii esse haereticas, sed solum affirmaret, eas in hoc sensu esse a RR. Pontificibus damnatas. En quos flexus et obliquos meatus probarint ii ipsi, qui adversarios suos laxioris moralis et pravarum restrictionum accusare solebant. Episcopi Alectensis, Bellovacensis, Apamiensis et Andegavensis simplicem seu absolutam formulae Alexandrinae subscriptionem denegarunt, et in litteris suis pastoralibus contenderunt, Constitutionibus apostolicis, quantum ad ius seu dogma spectabat, prae-

standum esse assensum fidei; quantum vero ad factum pertinebat, sufficere obsequiosum silentium. Haecque sententia inter refractarios communiter recepta est.

Ex hoc tempore non tam de 5 propositionibus et libro Iansenii, quam de infallibilitate et auctoritate Ecclesiae et Pontificis quantum ad facta dogmatica spectat, disceptatum fuit, ad quam deprimendam adversarii maligne confundebant facta mere humana seu historica cum dogmaticis.

Interim Pontificis et regis mandato adversus 4 rebelles episcopos iudicium canonicum institutum est. Hi vero tum fictis et fraudulentis submissionis testificationibus, tum amicorum, quos in episcopatu, aula, magistratu, et in monasteriis habebant patrocinio, impendens sibi periculum declinarunt. Interea obiit Alexander Pp. VII. Eius successor Clemens IX causam contra 4 episcopos prosequendam mandavit. Episcopi 19 quorum caput erat de Goudrin, archiepiscopus Senonensis, datis ad Clementem Pp. et Ludovicum regem litteris, pro illis intercesserunt; deinde apud Nuntium apostolicum causam inter Pontificem et 4 episcopos ita composuerunt, ut hi ad retractandas priores suas litteras pastorales non compellerentur, sed sincere formulae Alexandrinae subscriberent, idemque faciendum imperarent dioecesanis suis. Tunc 4 episcopi novam formulae subscriptionem confecerunt, sed quae in actis secretis conservata est; et ad Clementem Pp. litteras dederunt, quibus significabant, se ad exemplum caeterorum Galliae episcoporum formulae Alexandrinae subscripsisse et ecclesiasticis suis in synodis idem praescripsisse, seque eamdem constitutionibus apostolicis obedientiam imperasse, quam caeteri episcopi imperarant. Haec omnia ab iis sincere peracta esse, ad Pontificem scripserunt episcopi pacis mediatores. Clemens IX his testimoniis persuasus, 4 istos episcopos sincere et proinde sine restrictione aut distinctione subscripsisse, et 5 propositiones damnasse in omni sensu, quo ab Ecclesia damnatae erant, XIV° calendas februarii 1669 gratulatorias ad eos litteras scripsit, iisdem pacem reddidit, coeptumque contra eos iudicium absolvit. Tunc etiam moniales Portus-regii in integrum restitutae motusque sopiti sunt.

De hac pace, quam Clementinam vocarunt, postea gloriati sunt Iansenistae dicentes, quatuor istos episcopos in sua subscriptione, quae in actis verbalibus continebatur, distinxisse inter ius et factum, et tamen a Clemente IX receptos fuisse. Verum quamvis ista distinctio reperta fuerit in actis secretis, certum est, eam Pontificem latuisse, eumque existimasse, illos episcopos sincere, sine ulla distinctione vel restrictione, et secundum Litterarum Apostolicarum praescriptum egisse. Id tum ex ipsorum episcoporum et moderatorum pacis, tum ex Pontificis ad illos et ad regem litteris confirmatur [1].

12. *Scriptores ecclesiastici* — Inter scriptores ecclesiasticos, qui circa huius saeculi dimidium floruerunt, exponendis et illustrandis ss. Litteris adlaborarunt: Simon Muisius seu de Muis, Aurelianensis, archidiaconus Suessionensis, linguarum orientalium peritissimus, scripsit inter alia laudatissimum Commentarium litteralem et historicum in Psalmos [2]. Ioannes Stephanus Menochius, Papiensis, S. I., edidit Institutiones politicas et oeconomicas, e s. Scriptura depromptas, tractatum de republica Hebraeorum, et commentarium seu Scholia in universam Scripturam [3]. Ioannes Morinus, Blesensis, e calvinista catholicus et presbyter Oratorii, in linguis orientalibus versatus, edidit Versionem LXX Interpretum una cum Versione latina Nobilii, praefatione et prolegomenis [4], exercitationes biblicas in textum hebraeum [5], exercitationes ecclesiasticas in utrumque Samaritanorum Pentateuchum [6]. Libertus Fromondus, Eburo, in Universitate Lovaniensi ss. Litterarum professor, reliquit commentarios in Epistolas, in Canticum Canticorum, in Actus Apostolorum et in Apocalypsim, in quibus nonnulla habentur, quae Iansenisticam doctrinam sapiunt. Petrus Possinus, Narbonensis, S. I., elucubravit Catenam Patrum Graecorum in s. Marcum, Spicilegium Evangelicum et explanationem in Apocalypsim. Ludovicus Ferrandus, Telonensis, edidit Psalmos cum argumentis, paraphrasi et annotationibus eruditis magis quam solidis. Ioannes de la Haye, Parisiensis, Ord. Min., edidit Biblia magna in 5, et Biblia maxima in 19 volumina in-folio distributa, quae tamen haud magni fiunt. Guido Mi-

---

1 Cf D' Avrigny et alios p. 219 in nota citatos.

2 Edidit cum triplici Psalmorum versione latina et Scholiis Bossuetii I. N. Paquot, Lovan. 1770, 2 voll. in-4°.

3 Paris. 1719, 2 voll. in-fol.; Alost. 1825, 15 voll. in-8°.

4 Paris. 1628, 3 voll. in-fol.

5 Ibid. 1660, in-fol. — 6 Ibid. 1631, in-4.°

chaël Le Jay, Parisiensis, curavit editionem Bibliorum polyglottorum [1].

Inter theologos claruerunt: Franciscus Sylvius, in Universitate Duacensi s. Theologiae professor; reliquit lauditissimos commentarios in Summam D. Thomae, praeterea scripsit in 4 priores libros Pentateuchi, item de controversiis fidei et contra nascentem Iansenismum [2]. Guilielmus Herincx, Helmondanus, Ord. Min., episcopus Iprensis, auctor est Cursus theologici, scholastici et moralis. Vincentius Contenson, Condomensis, Ord. Praed., dedit theologiam dogmatico-moralem mentis et cordis. Ioannes de Lugo, Iesuita Hispanus, et R. E. cardinalis, reliquit tractatum de virtute et sacramento poenitentiae aliosque scholastico-morales [3]. Franciscus de Lugo, eius frater, pariter Iesuita, edidit Commentarium in D. Thomam Aquinatem, tractatum de Sacramentis et alios. Antonius Diana, Panormitanus, Ord. Clericorum Theatinorum, collegit Summam seu partes 12 Resolutionum moralium [4]. Hermannus Busenbaum, S. I., cuius extat Medulla theologiae moralis. Nicolaus Isambertus, Aurelianensis, doctor Sorbonicus, composuit commentarium in Summam D. Thomae. Dionysius Petavius, Aurelianensis, S. I., docte scripsit de dogmatibus theologicis [5], et de hierarchia ecclesiastica [6]. Ioannes Morinus, iam laudatus, edidit Tractatus de sacris Ordinationibus et de poenitentia. Franc. Hallerius, Carnotensis, doctor Sorbonicus et episcopus Cabellionensis, reliquit libros de sacris electionibus et ordinationibus, de hierarchia, et opuscula contra Iansenistas. Amandus de Richelieu, Parisiensis, episcopus Lucionensis, cardinalis et regni administer, scripsit methodum controversiarum Fidei, defensionem fidei catholicae aliaque. Adrianus et Petrus de Wallemburch, fratres Roderotamens. episcopi suffraganei, hic Moguntini, ille Coloniensis archiepiscopi, composuerunt egregios tractatus generales et speciales de controversiis Fidei. Franciscus Veronius, Parisiensis, inter alia opera polemica edidit librum praestantissimum de regula Fidei. Henricus Holden, anglus, dedit analysim Fidei.

In historia et antiquitate ecclesiastica illustrandam operam impenderunt supra indicatus Dionysius Petavius, qui exaravit Doctrinam et Rationarium temporum. Odericus Raynaldus, presbyter Oratorii, Annales ecclesiasticos Baronii perduxit ab anno 1199 usque ad an. 1565 [1]. Antonius Godeau, episcopus Venciensis et Grassensis, scripsit gallice Historiam ecclesiasticam novem priorum saeculorum. Philippus Labbeus, Bituricensis, S. I., dedit Catalogum scriptorum historiae Byzantinae, Bibliothecam manuscriptorum, Bibliothecam bibliothecarum, Bibliothecam anti-iansenianam, dissertationes de scriptoribus ecclesiasticis, collectionem Conciliorum aliaque. Iacobus Sirmondus, S. I., praeter opuscula contra Gothofredum, Salmasium, Richerium, Sancyranum, et alia [2], edidit Concilia Galliae [3]. Sfortia Pallavicino Romanus, S. I. et R. E. cardinalis, dedit accuratam historiam Concilii Tridentini contra pseudo-historiam Pauli Sarpi. Aubertus Miraeus, Bruxellensis, canonicus Antwerpiensis, collegit Elogia illustrium Belgii scriptorum, Bibliothecam ecclesiasticam aliaque chronologico-historico-diplomatica. Ferdinandus Ughelli, Florentinus, Ord. Cisterciensis, edidit Italiam sacram. Matthaeus Raderus, Iesuita Tirolensis, auctor est Bavariae sanctae et piae et Viridarii Ssrum. Antonius Sanderus, canonicus Iprensis, inter alia reliquit Flandriam illustratam et Chronographiam sacram Brabantiae. Abraham Ecchellensis, Maronita, syriacarum et arabicarum litterarum professor Parisiis, praeter alia dedit Concordiam nationum christianarum orientalium in fidei catholicae dogmatibus. Petrus Arcudius, presbyter Corcyrensis, Graecus, scripsit de concordiae ecclesiae Orientalis et Occidentalis in septem Sacramentorum administratione, de purgatorio igne et de processione Spiritus S.—Leo Allatius, Chiensis, Graecus, Biblioth. Vaticanae custos, plura scripsit ad Graecorum doctrinam, disciplinam, et antiquitates spectantia. Petrus de Marca, archiepisc. Tolosanus, designatus Parisiensis, inter alia plurima dedit Concordiam sacerdotii et imperii, in qua nonnulla a Sede Apostolica reprobata sunt. Ioannes Bona, Pedemontanus, Ord. Cisterciensis, Abbas Generalis in Italia, et R. E. cardinalis, perdocta edidit Opera, praesertim, De Divina Psalmodia; De rebus liturgicis; De Discretione spirituum; Horologium Asce-

---

[1] Paris. 1628-45, 10 voll. in-fol.
[2] Antwerp. 1698, 6 voll. in-fol. Desiderantur in hac editione opuscula contra Iansenismum.
[3] Lugdun. 1633, 7 voll. in-fol.
[4] Antwerp. 1656, 8 voll. in-fol.
[5] Paris. 1644, 5 voll. in-fol. et Venet. opera F. A. Zaccaria, 1757, 6 tom. in fol.
[6] 1643 in-fol.

[1] Rom. 1646-77, 9 voll. in-fol.
[2] Paris. 1696, 5 voll. in-fol.
[3] Ibid. 1629, 3 voll. in-fol.

ticum; Epistolas, caeteraque opuscula admo res informandos, vitiaque corrigenda utilissima. Bartholomaeus Gavantus, Mediolanensis, Barnabita, praeter tractatum de synodis dioecesanis et Manuale episcoporum, edidit commentarium in rubricas Missalis et Breviarii, a C. M. Merati saeculo sequenti auctum [1]. Iac. Goar, Parisiensis, Ord. Praed., inter alia reliquit commentarium in Euchologium seu Rituale Graecorum; Lucas Holstenius, Hamburgensis, composuit Codicem regularum monasticarum et canonicarum [2]. Angelus Manriquez, Hispanus, Ord. Cisterciensis, et episcopus Badaiocensis, edidit Annales Ordinis Cisterciensis. Lucas Wadinghus, Hibernus, Ord. Minorum, collegit Annales Ord. s. Francisci [3] et Bibliothecam scriptorum eiusdem Ordinis [4]. Philippus Alegambe, Bruxellensis, et Nathanael Sotwell, anglus, Iesuitae, continuarunt Bibliothecam Scriptorum S. I., incoeptam a Petro Ribadeneira [5]. Franciscus Combefis, Aquitanus, Ord. Praed., auxit Bibliothecam Patrum Graecorum, ediditque Bibliothecam Patrum concionatoriam.

In iurisprudentia ecclesiastica sibi nomen pepererunt: Augustinus Barbosa, Lusitanus, episcopus Ugentinus, multa scripsit ad ius canonicum spectantia, quorum quaedam in Indicem librorum prohibitorum relata sunt [6]. Prosper Fagnanus, Italus, claruit commentario in Decretales [7]. Franciscus Zypaeus, archidiaconus Antwerpiensis, dedit analysim iuris Pontificii, consultationes canonicas et notitiam iuris Belgici. Valerius Andreas, Brabantus, in Universitate Lovaniensi iuris interpres, edidit fastos huius Academiae, bibliothecam Belgicam et synopsim iuris canonici. Em. Gonsalez Tellez, Hispanus, reliquit Commentaria in singulos textus 5 librorum Decretalium [8]. Andreas Vallensis, Ardanensis, iuris canonici professor Lovanii, erudite scripsit in Decretales. Christophorus Iustellus, Parisiensis, praeter codicem canonum Ecclesiae universalis, publicavit una cum Guilielmo Voëllo Bibliothecam iuris canonici veteris [9].

Scriptoribus asceticis huius aetatis adnumerandi sunt: Ioannes Iacobus Olier, institutor Seminarii s. Sulpitii Parisiis; Armandus Ioannes le Bouthillier de Rancè, ante conversionem suam Iansenistis addictus, aliique plures.

13. *Scriptores Porturegienses* — Praeter commemoratos scriptores floruerunt hac aetate alii, eruditione haud vulgari praediti, sed iansenisticis partibus addicti. Communiter appellantur scriptores Porturegienses. Ex his fuerunt Antonius Arnauld, Parisiensis, propter pertinaciam suam in defendenda doctrina ianseniana doctorum Sorbonicorum albo expunctus, ab an. 1679 usque ad 1694, quo mortuus est, in Belgio, exul. Plurima scripta reliquit de re litteraria, in favorem doctrinae iansenisticae, contra Calvinistas, contra patres Iesuitas; quaedam relata sunt in Indicem librorum prohibitorum; sed commendatur opus de perpetua fide Ecclesiae catholicae circa Eucharistiam [1]. Blasius Pascal Arvernus, subtilis ingenii mathematicus, praeter commentationes (*Pensèes*) de religione christiana et alia scripsit gallice litteras Provinciales, in quibus multa falsa Societati Iesu attribuit, ut eamdem risui et contemptui exponeret; quapropter ab Apostolica Sede iuste damnatae sunt. Petrus Nicole, Carnotensis, clericus, hebraice, graece et latine doctus, cuius scripta partim sunt moralia, partim polemica contra Calvinistas, partim in favorem Iansenistarum. Ludovicus Isaac le-Maistre de Sacy, Parisiensis, sacerdos, vulgavit versionem gallicam Bibliorum cum interpretatione sensus spiritualis et litteralis, quae caute legenda est. Ludovicus Sebastianus Nain de Tillemont, Parisiensis presbyter, praeter historiam Romanorum imperatorum, gallice edidit Commentarios ad ecclesiasticam sex priorum saeculorum historiam.

14. *Reformatio Trappensium* — Iansenistarum partibus etiam aliquandiu favit, sed deinde ab iisdem discessit Ioannes Bouthillier de Rancè, ut supra diximus. Is a status sacerdotalis sanctitate, ad saecularia oblectamenta et Iansenistarum factionem delapsus, sed anno 1663 inde ad saniorem mentem et vivendi rationem revocatus, monasticum habitum Ordinis Cisterciensis suscepit. Anno sequenti coenobii, dicti *la Trappe*, abbas factus, monachos suos ad primaevam regulae, a s. Benedicto compositae et a D. Bernardo restitutae, austeritatem re-

[1] August. Taurin. 1736-49, 5 voll. in-4°.
[2] August. Vindel. 1759, 6 voll. in-fol.
[3] Rom. 1731, 17 voll. in-fol.
[4] 1650 in-fol.
[5] Rom. 1676, in-fol.
[6] Lugdun. 1716, 16 voll. in-fol.
[7] Rom. 1661, 3 voll. in-fol.
[8] 1693, 4 voll. in-fol.
[9] Paris. 1661, 2 voll. in-fol.

[1] *La perpétuité de la foi de l' Église catholique touchant l' Eucharistie*, Paris 1670, 3 voll. in-4.° Opus postea 2 tomis auctum a Renaudotio.

vocavit. Inter rigidissima instituta, ad quae monachos suos permovit, erat separatio ab omni caeterorum hominum consortio, perpetuum silentium, victus vilissimus, in solis oleribus et fructibus consistens, preces diu noctuque in choro recitandae, durus manuum labor, cubile durissimum, perpetua poenitentiae ac mortis memoria. De Rancé in continuis poenitentiae exercitiis reliquam vitam egit usque ad an. 1700, quo placidissime obiit. Reliquit plura scripta ad confovendam pietatem et disciplinam perutilia. Concertavit etiam cum I. Mabillonio de studiis monasticis [1].

15. *S. Vincentius de Paulo* — De instituta a s. Vincentio de Paulo Congregatione Missionis supra diximus [2]. Idem praeterea instituit Congregationem puellarum Charitatis, quae ministrarent pauperibus infirmis. Alia creavit sodalitia ad sequioris sexus educationem, ad colligendos infantes expositos, aliasque hominum inopias et calamitates sublevandas. Post mortem Ludovici XIII ab Anna Austriaca, Ludovici XIV matre, in sanctius concilium accitus, pro viribus adlaboravit, ut leges ecclesiasticae et civiles observarentur, Apostolicae Sedis sententiis debita obedientia ab omnibus praestaretur, ecclesiis et monasteriis digniores praeficerentur. Demum laboribus et senio attritus, an. 1660 aeternam mercedem consecutus est, postea a Benedicto XIII inter Beatos, et a Clemente XII inter Sanctos relatus [3].

16. *Religionis status in Sinis* — Vidimus, quanto cum successu religio christiana primo a Iesuitis, deinde etiam a Dominicanis aliisque missionariis in vastissimo Sinarum imperio fuerit propagata [4]. Res bene processit usque ad an. 1661, quo mortuus est imperator Cun-tschi. Huic in imperio successit Cang-hi filius eius minorennis, cuius tutores gravem persecutionem contra Christianos excitarunt. Etenim eruditus quidam Sinensis illis persuaserat, Christianos esse proditores et in seditionem pronos. Illi primo aliquot mandarinos christianos et omnes missionarios ipsumque patrem Schall, summo honore ab imperatore Cun-tschi habitum, vinculis onerari, deinde in Canton relegari iusserunt. An. 1665 decreverunt, religionem christianam esse erroneam et noxiam eiusque doctores morte afficiendos. Anno 1669 rerum status mutatus est, quum iuvenis Cang-hi ipse regimen suscepisset. Huic Iesuitae libellum supplicem obtulerunt, quo Christianorum religionem et disciplinam ab adversariorum calumniis vindicarunt, postularuntque, ut missionariis in Canton relegatis, libertas redderetur. Imperator eorum libellum pro more misit ad supremum rituum tribunal, cuius iudices in proposito suo perstantes, responderunt, religionem christianam esse pravam et in imperio tolerari non posse. Verumtamen in comitiis imperii decretum est, religionis christianae professionem neque pravam esse, neque ad defectiones aut perturbationes publicas vergere; iis, qui illam sequebantur, secundum priscum morem esse liberum eam profiteri, sic tamen, ut nec coetus novos instituerent, nec ulterius suam religionem propagarent; missionarios, in Canton relegatos, ad ecclesias suas redire posse; mandarinis christianis adempta munera esse restituenda. Cang-hi ad patris sui exemplum Iesuitas magni fecit. Ferdinandum Verbiest, Belgam, in locum. A. Schall iam mortui, preasidem tribunalis mathematici constituit; et quamvis supra commemorata lege esset prohibitum, ne Sinenses ad christianam religionem transirent, ista tamen lex tam parum observabatur, ut eodem an. 1671, quo data fuit, ultra 20,000 Sinenses, et anno sequenti etiam princeps quidam, imperatoris consanguineus, et unus e supremis belliducibus Christo nomen dederint.

Post paucos annos, qui regis vices tenebat in provincia Che-kiang novam persecutionem excitavit; Prosperum Intorcettam aliosque Iesuitas e sua ecclesia, domo et ipsa provincia exturbari iussit, atque religionem christianam, ceu plenam erroribus, vetitam esse declaravit. Verum Thoma Pereira, qui F. Verbiest in praesidio tribunalis mathematici successerat, aliisque Iesuitis, qui Pekini agebant, supplicantibus, an. 1692 imperator et supremum rituum collegium seu tribunal, commemoratam prohibitionem revocarunt, mandaruntque, ut in omnibus provinciis templa Christianorum, quum hi nihil omnino mali operarentur, conservarentur et cunctis permitteretur religionem christianam profiteri et templa adire. Praeterea omnibus provinciarum praefectis mandatum est, ut isti decreto morem gererent illud caeteris *mandarinis* patefacerent, curarentque, ut ab omnibus confestim accurate servaretur, et si quid a quoquam secus fieret, ad aulam referrent. Ex quo tempore

[1] Marsollier, *Vie de dom Rancé, abbé et réformateur de la Trappe;* Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*
[2] Vid. p. 204.
[3] Collet et Abelly, *Vie de s. Vincent de Paul;* Helyot, *Op. cit.* t. VIII.
[4] Vid. p. 209.

religio christiana grandia coepit incrementa, novis missionariis praesertim Iesuitis, ex Europa in Sinas transeuntibus [1].

17. *Religionis propagatio in Indiis posterioribus* — Hoc ipso saeculo in nonnulla Indiae posterioris regna Evangelium missionariorum studio illatum est. Iam anno 1626 Iesuitae venerunt in Tongkinum. Inter eos erat Alexander de Rhodes, qui pro auctore Ecclesiae Tongkinensis habetur. Is eiusque socii et qui post hos in Tongkinum venerunt, tam prosperum laborum suorum habuerunt successum, ut an. 1639 iam plus quam 80,000 Christiani in isto regno numerarentur. Saepius quidem persecutiones aut vexationes contra eos excitabantur; imo anno 1666 sub gravi poena religionem christianam amplecti Tongkinensibus interdictum est. His non obstantibus ea ulteriores continuo progressus fecit; ita ut posterioribus huius saeculi annis maior pars regni sacris christianis esset addicta.

In Cochinchinam pariter post dimidium huius saeculi religio christiana auctoribus Iesuitis introducta brevique tempore a multis incolis suscepta est.

In regnum Siamense missionarii Dominicani iam saeculo elapso fidem christianam introducere conati sunt; sed resistentibus Mahometanis, quorum ibi magnus erat numerus, parvum habuerunt successum. Posteriori vero huius saeculi tempore religio christiana in hoc regno maiora cepit incrementa.

Quum in his regionibus persecutiones Christianorum essent frequentes, iisque durantibus missionarii Europaei expelli solerent, A. de Rhodes, Iesuita, postquam annis multis in Sinis, Tongkino et Cochinchina Evangelium praedicasset, Romam redux, Innocentio Pp. X edixit necessitatem mittendi in has orientales plagas episcopos, qui clerum in singulis nationibus ex indigenis formarent. Pium consilium probavit Innocentius, et executioni edidit Alexander VII, eius successor, qui tres vicarios apostolicos, natione Gallos, in commemoratas terras destinavit, nimirum Franciscum Pallu, episcopum Heliopolis et vicarium apostolicum Tongkini et 5 viciniorum provinciarum Sinensium; Petrum de la Mothe Lambert, episcopum Berytensem et vicarium apostolicum Cochinchinae, regni de Laos et 5 provinciarum Sinensium; Ignatium Cotolendy, episcopum Metellopolis et vicarium apostolicum Nankini et caeterarum provinciarum Sinensium. Postremus in itinere obiit. Duo priores e Pontificis consensu resederunt in regno Siamensi, ubi non procul ab urbe metropoli Siamo basilicam, seminarium et collegium pro iuvenibus Siami, Tongkini, Cochinchinae, Sinarum aliarumque regionum extruxerunt, ut ita missionarii indigenae pro singulis nationibus formarentur [1].

Ad has aliasque missiones promovendas efficacia auxilia tulit Congregatio de Propaganda Fide, Romae a Gregorio XV, uti vidimus, instituta, item Congregatio sacerdotum pro missionibus exteris, an. 1663 Parisiis regia auctoritate fundata cum seminario sub episcoporum et theologorum quorumdam auspiciis, in quo ex omnibus fere Ordinibus religiosis futuri Fidei inter ethnicos praecones instituebantur, magnoque numero hoc et sequenti saeculo inde prodierunt.

18. *Clemens IX Pontifex* (*an.* 1667)— Iulius Rospigliosi, Pistoriensis, annos natus 69, XII° calend. iulii 1667 deligitur praeses summus gentium Christianorum, appellaturque Clemens IX. Ei statim gravis est adversaria parata incredibilis quaedam expectatio, quam non solum sustinuit, sed etiam vicit. Nam pietate fuit singulari, omnes facile admisit, in Vaticana aede Sacramentum Poenitentiae administravit, totus caussarum non hominum, iustitiam lenitate temperantem servavit, tantasque virtutes sequentem gloriam despexit. Liberalitate quoque erga pauperes, aliisque virtutibus claruit. Inter Sanctos adscivit Petrum de Alcantara ex familia s. Francisci, et Mariam Magdalenam de Pazzis, Florentinam, Ordinis Carmelitarum. Quid egerit in causa Iansenistarum, iam diximus [2]. Venetis, bello Cretensi attritis, et milite et pecunia praesto fuit. Turcis totam pene insulam Cretam seu Candiam invadentibus, principes christianos hortatus est, ut, concordia inter se inita, arma coniungerent contra communem hostem et periclitanti Candiae suppetias ferrent. Ubi autem Clemens audivit, insulam a Turcis captam, iam aegritudine decumbens, dolori succubuit V° idus decembris

---

[1] P. du Halde, aliique in nota p. 210, indicati.

[1] P. D. Rhodes, *Relazione de' progressi del Vangelo nel Tonchino*; C. Borri, *Relazione della missione nel regno della Concincina*; *Rélation des missions des evêques français aux royaumes de Siam, de la Cochinchine, de Camboy et de Tonquin*; Cerry, *Etat présent de l'Eglise romaine dans toutes les parties du monde.*

[2] Vid. p. 226.

an. 1669, quum *ann.* 2, *mens.* 5 et *dies* 19 Pontificatum obtinuisset.

19. *Clemens X Pontifex* (*an.* 1670) — Quem Clemens IX vaticinatus fuerat moriens fore successorem suum, is post extracta in quintum mensem comitia III° calend. maii an. 1670 Pontifex eligitur, Æmilius Altieri, Romanus. Annos 80 fere natus erat. Pontificatum ob aetatem excusanti Cardinales vix demum persuasere, ut pateretur se Pontificem pronuntiari. Is nomen Clementis X assumpsit, memor beneficii accepti a Clemente IX, a quo quinque ante mensibus in Cardinalium Ordinem adscriptus fuerat. Curam intendit ad stabiliendam disciplinam ecclesiasticam, et absolvendam inchoatam a decessore suo basilicae Liberianae seu s. Mariae Maioris instaurationem; martyribus, dictis Gorcomiensibus ab loco necis illatae, sacros Beatorum honores decrevit. Ipsi superiori saeculo, uti dictum est, apud Belgas mortem obierant, vario suppliciorum genere affecti, quod confirmarent Primatum Romani Pontificis, et assererent verum Christi corpus in Eucharistia contineri [1]. Rosam Virginem Limanam, Ludovicum Bertrandum, Caietanum Thienaeum, Philippum Benitium, et Franciscum Borgiam inter Sanctos retulit; Lusitano regi, ut ad imitationem aliorum regum oratorem in Urbe haberet, indulsit; dissidia, inter principum oratores orta, composuit; Moscoviae duci nomen Caesaris, quod per legatos Romam missos petierat, conferre recusavit; Polonos hortatus est, ut, depositis mutuis odiis, vires suas contra Turcarum impetus coniungerent, iisque auxilia misit; an. 1675 solemni cum pompa magnaque populorum, ex omnibus regionibus in Urbem concurrentium, pietate Iubilaeum decimum quartum celebravit. Regnare desiit anno insequenti, XI° calend. augusti, *sexennio, mens.* 2, *dieb.* 23 quam D. Petri sedem tenere coeperat.

20. *Religionis status in Anglia* — Diximus, quis fuerit religionis, et reipublicae status in Anglia, Scotia et Hibernia sub saevo Cromwell.[2] Eo anno 1658 exstincto, Richardus, filius eius, protector populi acclamatus est. Verum an. 1660 Carolus II, Caroli I filius, in Angliam revocatus et in paternum solium evectus est, regnavitque usque ad an. 1685. Is confestim in Anglia et Scotia episcopos restituit. Tunc in senatu et magistratu praevaluerunt Anglicani seu Episcopales; et quamvis rex an. 1672 edictum tolerantiae in favorem *Non-conformistarum* promulgasset, magistratus tamen insistentes potius legibus, inde ab Elisabetha latis, magnum illorum numerum carcere aliisque poenis mulctarunt. Rex Carolus II Catholicis favit, quinimo in eorum communione obiisse dicitur; at, non obstante eius benevolentia, illi haereticorum odium et invidiam subierunt, pluresque, inter quos Olivierus Plunquet, archiepiscopus Armachanus in Hibernia, aut vi legum, antea contra Catholicos latarum, aut propter conficta crimina, suppliciis affecti sunt.

Anno 1685 Carolo II in Angliae, Scotiae et Hiberniae regno successit Iacobus II, frater eius. Hic ab adolescentia sua catholicam fidem professus fuerat, et in solium evectus nihil antiquius habuit, quam ut subditis suis catholicis meliorem sortem pararet. Nam, non obstantibus persecutionibus, quas Catholici multis retro annis perpessi fuerant, ii tamen magno erant numero in Anglia. In ipsa Scotia multi in avita religione perseverarant. Hiberni maxima parte in catholica fide constanter permanserant. Iacobus II liberum religionis catholicae exercitium restituit; religiosam libertatem Non-conformistis ac Conformistis indulsit; nemini religionis causa vim aut molestiam intulit; leges, quibus Catholici a muneribus publicis arcebantur, abolevit; cum Innocentio Pp. XI, seu eius nuncio, de formando ecclesiarum in Anglia statu contulit. Pontifex Angliam in 4 *districtus* divisit, et unicuique episcopum, vicarii apostolici potestate instructum, praefecit. Ita aurora felicior Catholicis illuxit.

Verum haeretici, Conformistae et Non-conformistae, Iacobi II erga Catholicos studium aegerrime tulerunt, suamque religionem sub principe catholico deperdi conclamantes, populum in regem concitarunt. Rebellionis initia quidem repressit rex, sed an. 1688, quum inopinato filius regi natus esset, rebellionem instaurarunt, et Guilielmum principem Arausicanum, Hollandiae seu foederati Belgii gubernatorem, Iacobi II generum, evocarunt. Hic, regnandi cupiditate non minus quam religionis novae studio incitatus, eodem adhuc anno cum classe, copiis instructa, in Angliam appulit. Cum plerique ad eum convolarent, Iacobo, ab omnibus deserto, facile praevaluit eumque in captivitatem redegit. Iacobus e captivitate elapsus, cum regina coniuge filioque suo, principe Walliae, in Gallia exulavit, ubi Lu-

[1] Lambertinus, l. I, *de Servorum Dei Beatif.* etc. c. 24, n. 10, et Append. 6, Vid. quoque p. 176.
[2] P. 221-222.

dovici XIV benevolentia usus est usque ad annum 1701, quo decessit.

Princeps Arausicanus Angliae, Scotiae et Hiberniae rex acclamatus fuit dictusque Guilielmus III. Is anno 1689 Ordinibus auctor extitit, ut omnibus Non-conformistis qui iam dissidentes appellari consueverunt, exceptis Catholicis et Socinianis, edictum tolerantiae concederent, quo liberum religionis exercitium indultum omnesque leges, inde ab Elisabethae temporibus contra eos latae, abrogatae sunt, excepta ea, quae Testatio dicitur: vi cuius nemo ad munus publicum admittebatur, nisi qui ecclesiasticam regis auctoritatem iureiurando esset contestatus, et Eucharistiam apud Episcopales percepisset; qua lege proinde non solum Catholici, sed etiam Non-conformistae a muneribus publicis arcebantur. Universim Guilielmus rex, quamvis in secta Presbyterianorum institutus et moratus, constitutionem episcopalem tuitus est; tamen impedire non potuit, quominus ea in Scotia an. 1690 a regni Ordinibus abrogaretur. Dura fuit Catholicorum conditio, praesertim in Hibernia. Hiberni sicut in vera fide ita et in legitimi regis obedientia constantes, arma pro Iacobo II capessiverant. Guilielmus cum exercitu in Hiberniam profectus, eos ad internecionem persecutus est. Quo facto, plura Hibernorum millia e patria pulsa sunt, reliquis omnes fundi, quos adhuc habebant, adempti, et durissimae leges contra eos latae, quibus non tantum ab omni munere publico et loco inter Ordines exclusi, sed plerisque etiam iuribus civilibus privati sunt [1].

21. *Ecclesiae status in Gallia sub Ludovico XIV* — In Gallia an. 1643 regnare coepit Ludovicus XIV sub tutela Annae Austriacae, matris suae; qui, tutela cessata, solus imperavit usque ad ann. 1715. Is plura et fere continua cum Hispanis, Germanis et Hollandis bella gessit; prospero marte usus, praeclaras victorias retulit, regnique sui limites praesertim in Belgium et Germaniam protulit. Religioni catholicae fuit addictissimus, sed mores aliquandiu sectatus est, christiano principe indignos. Plura in favorem Ecclesiae edixit. Missionibus, Constantinopoli et Syria institutis, praeclaram opem tulit, et Christianos illic atque missionarios protexit. RR. Pontificum constitutiones contra rebelles Iansenistas servari iussit. Sopitis post an. 1669 iansenisticis litibus, reducendi Hugonotos in Ecclesiae sinum, omnesque subditos suos in unius religionis catholicae professione coniungendi, studium suscepit, praesertim cum eo tempore insignis bellidux de Turenne pluresque praedicatores ad catholica sacra transiissent. Id ut sine violentia efficeret, plura edicta dedit ad removenda conversionis eorum obstacula et ad eamdem promovendam; missionibus sacris, quae ad convertendos sectarios per provincias instituebantur, insigniter favit effecitque, ut plura millia ad catholica sacra transirent. Quum vero ii, qui in haeresi erant obstinati, praesertim ministri, audacius Catholicis obloquerentur, libellosque calumniis contra religionem catholicam refertos vulgarent, in nonnullis locis arma pro religionis suae defensione capesserent; rex ut omnes vires haereseos, qua tot ante annis Gallia fuerat perturbata, evelleret, anno 1685 celebre edictum Nannetense, ab Henrico IV in favorem Hugonotorum concessum [1], revocavit, sacros Hugonotorum conventus, privatos et publicos, interdixit, eorum templa vel destrui vel catholico cultui reddi mandavit, omnes praedicatores seu ministros, qui haeresim abiurare nollent, intra 15 dies regno exire iussit, aliis vero, ne ministros suos secuti, in errore perseverarent, e regno emigrare prohibuit. Quo facto obstinatiores in Helvetiam, Germaniam, Hollandiam aut Angliam confugerunt, alii ad catholicae religionis sinum redierunt, et Gallia a turbis Hugonotorum ad rebellionem proclivium quievit [2].

Verum idem rex magnae fuit molestiae RR. Pontificibus; eadem potestate absoluta, qua in civilibus, etiam in ecclesiasticis rebus imperare voluit, et dissidiis turbisque magnis inter Romanam curiam et regnum Gallicanum causam dedit. Priusquam vero haec dissidia eorumque effectus referamus, quaedam de libertatibus, sic dictis, ecclesiae Gallicanae praemittenda censemus.

22. *Libertas Ecclesiae Gallicanae* — Iurisconsulti Galli tam varie tamque indefinite de libertatibus, quae dicuntur ecclesiae Gallicanae loquuntur, ut earum neque originem neque conditiones aut modum facile quis assequatur. Sunt qui harum libertatum fundamentum ponunt in sanctione pragma-

[1] P. d'Orleans, *Histoire des révolutions d'Angleterre*; D'Avrigny, *Mémoires*, etc.

[1] Vid. p. 195.

[2] P. Soullier, *Abrégé des édits de Louis XIV contre ceux de la religion prétendue réformée*; item, *Mémoire du Dauphin duc de Bourgogne*, in eius *Vita*, t. II, p. 98.

ticas. Ludovici; sed eruditi hanc sanctionem censent esse supposititiam [1]. Alii eas firmatas dixerunt per sanctionem pragmaticam, an. 1438 a Carolo VII e decretis Basileensibus confectam [2]; at haec sanctio an. 1516 per concordatum inter Leonem Pp. X et Franciscum regem I abolita est, « et praesules, ait Spondanus (ipse Gallus), hac pragmatica in libertatem se asserere arbitrantes, in servitutem saecularium iudicum redacti sunt [3]». Alii has libertates ipsi Ecclesiae coaevas esse volunt. Claudius Fleury easdem his 2 principiis superstruxit: 1°, quod potestas a Christo Ecclesiae concessa, sit mere spiritualis, nec ullo modo directo aut indirecto, ad res huius saeculi trahenda; 2°, quod plenitudo potestatis, quae est penes R. Pontificem, tanquam Ecclesiae caput, ex praescripto canonum, ab universa Ecclesia receptorum, sit exercenda, ipseque Pontifex iudicio concilii generalis secundum Constantiensia decreta sit subiectus. Ex his principiis quot conclusiones elicueris, inquit, tot libertatis nostrae monumenta habebis [4]. Idem scriptor e praedictis principiis inter alias deducit conclusiones seu libertates, quae sequuntur: Regem ita habere potestatem suam a Deo, ut nulli alii iudici sit obnoxius, et nemo de regni administratione iure postulare possit, ut rationem reddat; Pontificem non posse in Galliam ablegare nuncium, nisi rogatus a rege vel ex eius consensu, neque eleemosynas a populo aut censum a clero exigere, nisi permittente rege et assentiente clero, nullique extraneo munus aliquod ecclesiasticum aut beneficium in Gallia conferre; Pontificis potestatem esse circumscriptam conciliorum canonibus in Gallia acceptatis; bullas pontificias non esse publicandas aut executioni mandandas, nisi de regis mandato et senatus approbatione; neque Pontificem neque eius legatum causas ecclesiasticas in primo iurisdictionis gradu iudicare posse, et si ad eum fuerit provocatum, debere constituere iudices indigenas; nullum episcopum, etiam a Pontifice evocatum, sine regis venia regno exire posse; clerum non posse sine regis consensu conventus agere [5]. Verum opus huius scriptoris decreto Sedis Apostolicae, dato XI° calendas maias 1693, proscriptum est.

Dudum antehac nonnulli iurisconsulti Galli libertates istas ita explicaverant et extenderant, ut potius servitutes quam libertates ecclesiae Gallicanae essent appellandae. Illae quippe, prout a Pithaeo (Pithou) an. 1594 in libro *de iuribus et libertatibus ecclesiae Gallicanae* [1], et post paucos annos a p. Puteano (Dupuy), in libro *de probationibus libertatum ecclesiae Gallicanae* [2], fuerunt expositae. Sedem Apostolicam legitimis iuribus suis exuunt, ecclesiam Gallicanam de ea detrahunt, et in servilem potestatis temporalis subiectionem redigunt. Utriusque auctoris libri, in unum grande opus redacti [3], non tantum Apostolicae Sedis decreto damnati, sed a 22 episcopis Gallis, an. 1639 congregatis, et ab ipsius aulae sanctiori concilio proscripti fuerunt. « Nusquam (inquiunt laudati episcopi in censura sua dicti operis) fidei christianae, Ecclesiae catholicae, ecclesiasticae disciplinae, regis ac regni saluti nocentioribus dogmatibus quisquam adversatus est quam iis, quae istis voluminibus sub tam leni titulo recluduntur.... Compilator ille multis pessimis bona quaedam immiscuit, et inter falsas et haereticas, quas detestamur, ecclesiae Gallicanae adscriptas servitutes potius quam libertates, vera quaedam... exponit [4] ». Hoc tamen opere ab Apostolica Sede, ab ecclesia Gallicana et a sanctiori concilio regis proscripto, tanquam fonte usi sunt L. E. du Pin aliique deinceps libertatum Gallicanarum patroni, quos parlamentarios vocant, et nuperrime an. 1845 Dupin, causarum regiarum actor [5], ad procudendos suos de ecclesiastica potestate, disciplina, libertate libellos.

Certe libertates istae, prout a sic dictis parlamentariis explicatae sunt, conducebant ad destruendam ecclesiarum Galliae cum Apostolica Sede unionem. Tristem servitutem, in quam ecclesiae in Gallia, praetextu libertatum, a curiis redactae fuerunt, non tantum Fénélon [6], sed Fleury ipse, libertatum ecclesiae Gallicanae defensor, in scriptis posthumis deploravit [7].

23. *Lites Ludovici XIV cum RR. Pontificibus* — Interim aula Gallicana sic dictis libertatibus ecclesiae Gallicanae tunc insi-

[1] Vid. p. 70-71.
[2] Vid. p. 125.
[3] *Annales eccl.* ad an. 1438.
[4] *Institution au droit ecclésiastique*, part. III, c. 25.
[5] *Op.* cit. ibid.

[1] *Traités des droits et libertés de l' Église Gallicane.*
[2] *Preuves des libertés de l'Église Gallicane.*
[3] *Traité sur les libertés* etc. Paris 1731, 4 vol. in-fol.
[4] *Procès-verbaux du clergé*, t. III, Documenta, n. 1.
[5] *Manuel du droit public ecclésiastique français*, Paris 1845.
[6] *Mém. de Fénélon* in sua *Hist.* t. III, *Pièces just.* VII, p. 482.
[7] *Opuscul.* p. 89, 95, 97, 110, et 113. Cf Card. Sfondrati, *Gallia vindicata* A. Charlas, *Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae*, Rom. 1720, 3 voll. in-4°. De Maistre, *De l' Église gall. dans son rapport avec le Souver Pontife*, c. 13-17.

stebat, quando cum Sede Pontificia collidebatur. Id speciatim factum est, cum Innocentius Pp. XI regaliae, a Ludovico XIV temere extensae, se opponeret. Hic rex, ut iam diximus, dissidia magna cum RR. Pontificibus habuit. In primis eius legatus apud Alexandrum Pp. VII se erga Pontificis cognatos insolenter gerebat, militesque Galli et horum duces, qui cum legato erant, praetorianos seu pontificios milites, natione Corsos, diversis modis vexabant et impetebant, tandemque an. 1662 unum eorum occiderunt. Corsi inde irati, ante palatium legati concurrunt, Gallos adoriuntur, horumque plures in pugna vitam amittunt. Legatus illico Romam deseruit. Rex non tantum nuncium pontificium per milites Gallia eduxit, sed gravissimam etiam a Pontifice satisfactionem postulavit, Avenionem militari manu occupavit, et adversus Romam ipsam copias misit. Alexander VII, qui potiori quam Ludovicus XIV iure satisfactionem exigere poterat, resistendo impar, inflexibilis regis voluntati satisfacere coactus fuit. Quo facto, is Avenionem Pontifici restituit.

Idem rex pari imperio se gessit in venerabilem Innocentium XI, qui anno 1676 Clementi X successit. Etenim reges Galliae, tolerantibus RR. Pontificibus, consueverant percipere fructus multorum episcopatuum vacantium et conferre illo tempore omnia eorumdem episcopatuum beneficia non curata; quod vocabant ius regaliae. Ludovicus XIV regaliam, certis limitibus conscriptam, ad omnes totius ditionis suae dioeceses extendere voluit. Initio episcopi, quorum ecclesiae hactenus ab ea fuerant liberae, regiis edictis restiterunt; deinde regis et curiae iussionibus minisque cesserunt, exceptis Alectensi et Apamiensi, qui Innocentium Pp. XI appellarunt. Pontifex horum appellationem suscepit, eosque ad defendendam ecclesiarum suarum libertatem hortatus est; regem vero monuit, ut ab extendenda regalia abstineret. Inde dissidium inter Innocentium XI et Ludovicum XIV. Pontifex, datis pluribus ad regem litteris, ei ostendit, maiores eius tolerabili magis quam legitima ratione regaliam exercuisse, et proinde nullum ei esse ius eamdem extendendi. Regi etiam ob oculos posuit noxias regaliae effectus. Reipsa nemo non videt, quanta detrimenta princeps malevolus specioso regaliae titulo Ecclesiae inferre posset. Verum Ludovicus XIV, qui nullam etiam maxime iustam contradictionem ferebat, Pontificis consilia et monita sprevit. Et quod dolendum est, non tantum suprema curia, sed multi etiam antistites Galli cum rege contra Pontificem consenserunt. Anno 1681 praesules 34, secundum alios 40, a rege Parisios convocati, litteras seu Brevia Pontificis ad regem improbarunt; ius regaliae non tantum ab Alexandro III aliisque deinceps Pontificibus et conciliis approbatum, sed regi Francorum innatum, et nulli ecclesiastico tribunali, disciplinae aut politiae obnoxium esse, contenderunt; iis etiam ecclesiis, quae antea ab onere regaliae fuerant liberae, pro bono pacis voluntati regis esse cedendum, dixerunt. Praeterea regi suaserunt nationalis synodi vel generalium comitiorum convocationem, quae Romanam curiam ad satisfaciendum regis et ecclesiae Gallicanae querelis cogeret. Quanta praesulum ad supremam principis voluntatem subiectio! Meminisse debuissent, in praesenti dissidio potius de ecclesiarum suarum libertate, quam de regis iuribus agi.

Rex secundum eorum consilium generalia cleri comitia Parisiis indixit. Ea coepta sunt v° idus novembris 1681 et per plures menses anni sequentis protracta. Orationem ad congregatos praelatos habuit Iacobus Benignus Bossuet, episc. Meldensis, in qua multa dixit de obedientiae Apostolicae Sedi debita, de Ecclesiae unitate, de meritis regum Francorum in protegenda Ecclesia, de libertatibus, quas vocabant, ecclesiae Gallicanae. Multum disceptatum est de Pontificis et regis potestate, deque ecclesiae Gallicanae libertatibus. Demum vii° idus martii 1682 secundum duo principia, quae, ut supra diximus, Cl. Fleury libertatum Gallicanarum cardines vocat, ediderunt celebrem Declarationem, qua R. Pontificis potestatem restrinxerunt, et specioso libertatum nomine ecclesiam Gallicanam in maiorem regis et curiae (*Parlément*) subiectionem coniecerunt. Declarationem hic propriis suis verbis referendam duximus:

« Ecclesiae Gallicanae decreta, et libertates a maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, sacris canonibus et Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu primatum beati Petri eiusque successorum, Romanorum Pontificum, a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt,

quo eam potestatem qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae matris Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos archiepiscopi et episcopi, Parisiis mandato regio congregati, ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, haec sancienda et declaranda esse duximus:

I, « Beato Petro eiusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo,* et iterum: *Reddite ergo quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo*; ac proinde stare apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo*; *quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Ssrum exemplis consonam omnino retinendam. — II, Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi Constantiensis, a Sede Apostolica comprobata, ipsoque RR. Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita, decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sess. IV et V continentur; nec probari a Gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant. — III, Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones, Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores et instituta, a regno et ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta, et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.—IV, In Fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium nisi Ecclesiae consensus accesserit.

« Quae accepta a Patribus ad omnes ecclesias Gallicanas atque episcopos, iis Spiritu Sancto auctore praesidentes, mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia ».—Subscripserunt 34 episcopi et 35 deputati.

Quum Innocentius Pp. hanc Declarationem cognovisset, per litteras in forma Brevis, datas postridie calendas aprilis eodem anno 1682, omnia, quae in istis comitiis acta fuerant, rescidit, improbavit, delevit et perpetuo irrita ac inania declaravit.

Ludovicus XIV interea mandatum dederat, ut ista declaratio eiusque articuli ab omnibus curiis, balliviis et universitatibus susciperentur; omnes scientiarum ecclesiasticarum professores iisdem subscriberent, et 4 istos articulos seu propositiones docerent; nullus ad licentiatus aut doctoratus gradum admitteretur, nisi prius eamdem doctrinam in thesibus defendisset: omnes episcopi in suis dioecesibus hanc ipsam doctrinam tradendam curarent; nullusque, sive saecularis sive regularis Ordinis, quicquam ei contrarium verbo aut scripto assereret. Quorum omnium executionem syndicis et decanis facultatem districte imperavit [1].

Verum ex 130 episcopis, quos ecclesia Gallicana numerabat, 30 tantum vel ad summum 40 conventui Parisiensi interfuerunt, quorum Declaratio dici nequit decisio seu definitio ecclesiae Gallicanae. Episcopi isti magis timore regis, quam animi persuasione permoti fuerunt. Doctrina in articulis declarationis contenta pugnat cum doctrina in ipsa Gallia antehac, et extra Galliam ubique constanter recepta. Praeterea quaecumque in supra dictis comitiis seu cleri conventu acta atque decreta fuerunt, Romani Pontifices Innocentius XI, per litteras in forma Brevis III° idus aprilis 1682, Alexander VIII, in constitutione *Inter multiplices* pridie nonas august. 1690, Pius VI, in Bulla *Auctorem fi-*

[1] *Continuat. de l'Hist. univers. de Bossuet*, t. II; Card. Sfondrati, *Gallia vindicata*; A. Charlas, *Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae*; item, *Causa regaliae contra Natal. Alexandrum*; F. A. Zaccaria, *Anti-Febronius*, t. I, c. 1; Card. Litta, *Lettres sur les quatre articles dits du Clergé de France*; De Maistre, *De l'Église Gallicane dans son rapport avec le Souverain Pontife.*

dei an. 1794, improbarunt, cassarunt, et irrita declararunt [1].

Novam molestiam Ludovicus XIV paulo post intulit Innocentio XI, quum hic abusum, quo principum catholicorum legati, Romae residentes, in suis palatiis, imo in eorum circuitu, maleficis asylum concederent, abrogatum voluit. Cum ea asyla in summum tranquillitatis et salutis publicae detrimentum vergerent, reges ab iis extirpandis dissentire non poterant. Solus rex Francorum restitit, et novo legato, Carolo Lavardino, quem an. 1687 Romam misit, 1,000 circiter milites addidit, quibus is totam urbis regionem, per quam asylum Gallicum valuerat, occupavit; putabatque terrore obiecto possessionem retinere iuris antiqui. Sed non fregere minae Innocentium, qui illas adeo neglexit, ut Lavardinum neque ut legatum agnovit, neque in conspectum suum admisit, cardinalibus et nobilibus cum eo conversari vetuit, ecclesiam s. Ludovici, quam Galli Romaè habebant, interdicto subiecit. Ludovicus XIV iratus, rursum Avenionem per milites occupavit, et nuncium pontificium, ab Innocentio Parisis evocatum, militari manu retinuit. Dissidium ita auctum est, ut de Harlay, generalis causarum regiarum procurator, et Toulon, earumdem causarum generalis actor, ab Innocentio XI ad primum generale concilium, tanquam ab abusu potestatis pontificiae, appellationem instituerint [2].

Is erat dissidiorum status, quum Innocentius XI an. 1689 e vita discessit. Alexander VIII, eius successor, dissidia cum Francorum rege componere studuit. Ludovicus asyli iuri renuntiavit, et Avenionem Pontifici restituit, sed celebrem Declarationem an. 1682 tueri pergebat. Quapropter Alexander VIII solemni constitutione, *Inter multiplices*, data pridie nonas augusti 1690, omnia et singula, quae in comitiis an. 1682, tam quoad extensionem regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica et 4 propositiones in ea statutas, acta et gesta fuerant, cum omnibus et singulis mandatis, edictis, sententiis, a quacumque persona publicatis, motu proprio et ex certa scientia atque plenitudine potestatis nulla ipso iure, irrita, invalida, et inania ab initio fuisse, esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum, etsi iuramento promissa, observationem teneri, declaravit, rursumque omnia et singula improbavit, cassavit, irritavit, annullavit. Praeterea ad decessoris sui exemplum iis, qui dictis comitiis interfuerant et ad episcopales sedes a rege nominati erant, confirmationis seu institutionis bullas denegavit.

Anno 1691 Alexandro VIII in summo pontificatu successit Innocentius XII. Sub eo dissidia tandem composita sunt. Anno 1693 episcopi 35, a rege nominati, sed nondum a Pontifice instituti, litteras secundum formulam, de qua inter pontificem et regem convenerat, ad Innocentium XII dederunt, in quibus, sententiam pristinam retractantes, dicebant: « Ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti, profitemur et declaramus, nos vehementer et supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis praedictis, quae Sanctitati Vestrae eiusque praedecessoribus summopere displicuerunt. Ac proinde quidquid in eisdem comitiis circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus et habendum esse declaramus ». Rex ipse, qui antea declarationem an. 1682 ab omnibus teneri et tradi iusserat, in litteris VIII° calendas octobris 1693 ad Innocentium XII scriptis, testatus est, se mandasse, ut edictum, quo pro temporum circumstantiis omnes ad declarationem servandam coëgerat, deinceps nullum haberet effectum. « Et quia animo statui, inquit, qua maxima ratione possum, id ipsum Sanctitati Vestrae testatum facere; latere eam nolo, iam a me provisum esse, ut edictum, quo Parisiensium comitiorum declaratio an. 1682 die 2 martii munita fuerat, quodque eorum temporum conditio a me expresserat, effectu deinceps careat suspensumque censeatur ». Quo facto, nominati episcopi bullas institutionis a Pontifice acceperunt, et concordia inter Apostolicam Sedem regnumque Gallicanum restituta fuit [1]. Sed ad historicum aliarum rerum gestarum ordinem regrediamur.

24. *Innocentius XI Pontifex* (*an.* 1676) —Post Clementem Pp. X, XI° calend. octobris an. 1676 Ecclesiae regimen, approbantibus cunctis, demandatum est Innocentio XI, antea Benedicto Odescalchi, patria Comensi et R. E. cardinali. Is vitae integritate, pietate, animique constantia in difficilibus et periculosis reipublicae christianae temporibus

---

[1] Vid. Scriptor. in not. 7 p. 233 citt.

[2] Card. Sfondrati, *De immunitatibus districtuum oratorum regum in Urbe Roma.*

[1] Ibid.

claruit. Pontificatu inito edixit palam, se novos regum Oratores non admissurum, nisi ius abdicarent immunitatis. Quae cum Ludovico XIV, rege Francorum, negotia habuerit, iam retulimus. Leopoldo imperatori I, qui patri suo Ferdinando III, an. 1657 mortuo, successerat, regi Poloniae et Venetis, contra Turcarum impetus foederatis, pecunia, milite fusisque ad Deum precibus subvenit, maxime in periculosissima Viennae obsidione; qua, patrocinante, ut merito creditum est, Deipara Virgine, cum ingenti hostium strage an. 1683 soluta, praecepit, ut tantae victoriae memoria quotannis, die B.V. Mariae Nomini consecrata ab universa Ecclesia recoleretur [1]; et Ioanni Sobieski, regi Poloniae, cuius praesertim virtute res peracta fuerat, ensem et galerum, principis de christiana re bene meriti munus, misit. Omnes curas applicuit ad corrigendos abusus et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam; Regulares, a pio fervore deflectentes, ad severiorem regularum observationem revocavit; renovato Alexandri VII decreto, ad sacros Ordines accessuris spiritualem 10 dierum secessum praescripsit; 65 propositiones, e variis laxioris disciplinae moralis casuistarum libris excerptas et ab episcopis Gallis ad se delatas, damnavit; proscripsit etiam pravos errores Michaëlis Molinos, de quo infra. Feminas cultum vestium lasciviorem affectantes templis amovit. Post haec et alia praeclare gesta, pridie idus augusti 1689 ex hac vita migravit, aetatis suae an. 78. Per *annos* 12, *mens.* 10, *dies* 22 Pontifex fuit exempli recti domi forisque, et pro causa Ecclesiae expertae virtutis, dignusque habitus, quem haeretici ipsi ferrent laudibus.

25. *Alexander VIII Pontifex* (*an.* 1689) — Pridie nonas octobris 1689 ad curam Ecclesiae admotus est, sub nomine Alexandri VIII, Petrus Ottoboni, Venetus, cardinalis presbyter, genere atque prudentia et constantia in rebus gerendis commendandus. Is Leopoldo I et Venetis contra Turcas, qui quamvis saepius victi, bellum in Christianos continuo instaurabant, opem tulit. Decessoris sui vestigia, quantum ad dissidium cum rege Francorum spectabat, pressit, ut diximus. B. Laurentium Iustinianum, primum Venetiarum Patriarcham, in Sanctos adscripsit, quo honore auxit etiam Ioannem a s. Facundo, Ioannem a Capistrano, Paschalem Baylon et Ioannem de Deo, *Hospitalariorum* Ordinis auctorem. Omnes Molinosismi reliquias, nulla habita personarum ratione, delendas curavit, ut videbimus. Damnavit doctrinam de peccato, quod vocabant philosophicum, aliasque 31 propositiones, inter quas 29ª haec erat: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate ». Hoc unum obiicitur venerabili seni, a suis adversariis, quod a praedilectione nepotum et popularium suorum non satis sibi cavisse videatur. Decessit calendis februarii 1691, annum aetatis agens 81, circumactis Pontificatus *mensib.* 15, *dieb.* 26.

26. *Molinos pseudo-mysticismus* — Michaël Molinos, quem in praecedenti numero nominavimus, mysticismum docuit ab Ecclesia damnatum. Is natus an. 1627 Caesaraugustae in Hispania et sacerdotio initiatus, an. 1669 Romam venit, ubi piis moribus et solertia in moderandis conscientiis multorum aestimationem sibi comparavit. An. 1675 librum hispanice edidit sub titulo, *Manuductio spiritualis*; qui mox in linguam italicam, postea etiam in gallicam et latinam versus fuit. In isto libro crassissimus mysticismus continebatur, attamen pietatis velo obtectus. Anno 1685 liber ad Officium s. Inquisitionis delatus et diligenter discussus fuit, pluresque et periculosi errores in eodem reperti sunt, quorum summa haec erat: Animam posse in hac vita ad tantam cum Deo unionem pervenire, ut, suae prorsus expers et quasi annihilata, Deum intueatur, et cum eo substantialiter unum sit: Animae in idipsum continuo esse nitendum, idque potissimum effici oratione passiva, in eo consistente, ut anima prorsus nihil velit, agat aut sentiat, sed in sancto quodam silentio et quiete (unde nomen *Quietistarum*) se Dei operationi committat: Tentationes pessimas, quibus anima ab omnibus passionibus et affectibus sit purganda, ut ad plenam in Deo quietem perveniat, esse spernendas et non nisi passive iis resistendum, quod magis a Deo ametur qui patitur, quam qui bonum facit: Confessarii praescriptis esse obsequendum, etiamsi Dei mandatis adversentur: Hominem de peccatis suis non debere esse inquietum: Vota esse perfectionis impedimenta: Quidquam petere a Deo esse imperfectionis: Non oportere lucrari Indulgentias, quum melius sit divinae iustitiae satisfacere, quam misericordiae participem fieri velle: Res spiri-

[1] Benedictus XIV, *Institut.* 79, p. 380.

tuales fastidire bonum esse, quod id ad sui amorem minuendum conferat. Anno 1687 Innocentius Pp. XI in singulari bulla 68 propositiones, in libro Molinosii contentas, tanquam haereticas, erroneas, suspectas, scandalosas, blasphemas, damnavit. Eodem anno Molinos errores suos solemniter abiuravit, et absolutionem accepit; verumtamen usque ad obitum suum (1696) in custodia monastica detentus fuit [1].

27. *Ioanna de Guyon et Fénélon*—Eodem tempore in Gallia pseudo-mysticismum propagare conata est Ioanna de Guyon, vidua nobilis, ad eum perducta a confessario suo Francisco Lacombe, Barnabita, cuius liber« Analysis orationis mentalis », gallice scriptus, an.1688 ab Apostolica Sede damnatus est.Ioanna primum Annecii, deinde Gratianopoli et postremo inde ab an. 1687 Parisiis in privatis conventibus doctrinas, quibus erat imbuta, de puro Dei amore, de indifferentia, quantum ad vitam, mortem, coelum et infernum spectat, de annihilatione animae, de plena animae quiete, aliis persuadere conata est. Varios etiam libros de eadem re mystica scripsit [2]. Quam ob rem Annecio et Gratianopoli, curantibus episcopis, discedere coacta, Parisiis an. 1687 mandato regis monasticæ custodiae tradita est. Intercedentibus potentibus, quas nacta erat, patronabus, brevi e custodia est dimissa. Cum esset morum pietate insigni, praeter alios sibi conciliavit Franciscum de Salignac de la Motte Fénélon, magnae pietatis presbyterum, ab an. 1689 regiorum nepotum paedagogum, et an. 1695 archiepiscopum Cameracensem. Quum autem nonnulli episcopi contra mystica Ioannae studia commoverentur, ea, consilio Fenelonii, scripta sua submisit iudicio Bossuetii, episcopi Meldensis. Hic, discussis eius libris, an. 1695 declarationem, quae 34 articulos continebat, ei proposuit, cui illa demisse subscripsit. Postea rursum accusata, quod priores sententias docere pergeret, iterum regis iussu custodiae tradita est; at innocentiam suam et obedientiam testata, libertati reddita fuit. Anno vero 1717 post humilem claramque fidei professionem Blesis obiit.

Haec ipsa res in causa fuit cur inter Bossuetium, episcopum Meldensem, et Fenelonium, archiepiscopum Cameracensem, concertatio non levis excitaretur. Ille sententias e scriptis Ioannae excerptas damnavit, et hunc, antea suum discipulum, nunc aemulum, ut idem faceret, rogavit. Hic vero Ioannam potius in ratione exponendae doctrinae mysticae, quam in hac ipsa errasse existimans, eius sententias de contemplatione, statu passivo, spirituali animae morte, transformatione et unione substantiali cum Deo, aliisque in sanum sensum,et potissimum de puro Dei amore,quem defendebat,explicare studuit in libro, an. 1697 gallice scripto, de Sententiis sanctorum circa vitam interiorem [1]. At Bossuetius illas sententias, utut explicatas, acriter impugnavit. Lis inter utrumque antistitem agitata, Romam delata est. Innocentius Pp. XII, re diligenter discussa, anno 1699 litteras dedit, in quibus 23 propositiones, e libro Fenelonii excerptas, de puro Dei amore, de perfecta animi quiete, de exiguo pretio orationis vocalis, de praestantia contemplationis prae meditatione, de passivo modo resistendi tentationibus aliisque damnavit. Fènèlon egregio humilitatis et submissionis exemplo censuram pontificiam non tantum approbavit, sed etiam conscenso in ecclesia sua metropolitana suggestu, praelegit, auditores, ut eidem obtemperarent, admonuit, idemque fecit in litteris ad clerum suum datis [2].

28. *Atheorum et Deistarum magistri*—Vidimus, qualiter Lutherus aliique pseudoreformationis auctores, spretis Ecclesiae magisterio et traditione, plura dogmata et instituta in Ecclesia omnibus retro saeculis sacra reiecerint, quod ea in S. Scriptura, cuius interpretandae ius cuivis spiritui privato inesse dicebant, non reperirentur, et hac ratione privatam cuiusque rationem constituerent fidei iudicem. Illorum audacia contulit, ut alii ulterius progredientes, vel ea dogmata, quae illi retinuerant, abiicerent, quod neque haec in S. Scriptura continerentur, vel omnes doctrinas revelatas seu mysteriosas expungerent, quod S. Scripturae effata ad trutinam rationis humanae vocantes, nihil nisi quod humano intellectui esset accommodatum ac pervium, in illa contineretur, vel etiam S. Scripturam reiicerent, quod et ipsa ab Ecclesia esset tradita. Igitur pseudo-reformationis auctores

[1] D' Argentrè, *Collectio iudiciorum de novis erroribus*; Fénélon, *Oeuvres*, t. IV, edit. Le-Bel.

[2] *Torrens spirituels*; *Moyen court et trés facile de faire l' oraison*; *Le Cantique des Cantiques expliqué*, etc.

[1] *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure.*

[2] D'Argentrè et Fénélon, loc. citt.

iure dixeris rationalistarum, deistarum atque incredulorum parentes.

Conspeximus etiam, quod Unitarii et Sociniani, principio protestantico de S. Scriptura utentes, dogmata de SS. Trinitate et divinitate Christi Domini, atque universe doctrinam mysteriorum reiecerint [1].

Hos secuti sunt alii, qui vel omnem revelationem impugnarunt, et quamdam religionem, quam naturalem dicebant, adstruxerunt, vel indifferentiam in religionis negotio docuerunt, vel in scepticismum, materialismum, atque atheismum propendebant, ideoque deistae, increduli et athei appellati sunt.

Iam sub exitum saeculi praecedentis Iordanus Brunus, Nolanus, deserto FF. Praedicatorum Ordine, modo Calvini, modo Lutheri placita, reipsa vero pantheismum impium professus est; diu per Galliam, Helvetiam, Germaniam, et Angliam errans, deinde in Italiam redux, an. 1600 Romae, in impietate pertinax, flammis traditus fuit. Post eum Cosmas Ruggieri, Florentinus, quo ut astrologo Catharina Medicea, regina Galliae, utebatur, et vivens et moriens (1615) atheismum professus est. Lucilius Vanini, Neapolitanus, a sacerdotio et a fide apostata, postquam varias terras oberrasset, Tolosae philosophicas, theologicas et medicas praelectiones habuit; non tantum revelatam, sed etiam naturalem religionem, Dei existentiam, animae immortalitatem, aliaque impugnavit in suis Dialogis de admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis; an. 1619 senatus Tolosani decreto propter impiam doctrinam igni traditus fuit. Ex Gallis saec. XVI atheismum docuit Stephanus Dolet. Thomas Hobbes, anglus, communiter dictus philosophus Malmesbyriensis, an. 1679 Harvici mortuus; omnem religionem abiecit in scriptis suis, inter quae celebrior est *Leviathan* sive « De materia, forma et potestate civitatis ecclesiasticae et civilis »; omnes religiones e timore, consuetudine et ignorantia derivavit; cunctos affectus et animi motus atque ex iis nascentes actiones in se et extra societatem civilem esse indifferentes, moraleque discrimen inter bonum et malum e definitione potestatis civilis descendere, contendit. Benedictus Spinoza, Amstelodamus, an. 1677 Hagae Comitis mortuus, prius revelatae, postea omnis religionis adversarium se exhibuit; religionem revelatam impugnavit in tractatu theologico-politico, summamque religionis ad hoc reduxit: Deum esse aeternum, omnipraesentem, omnium rerum dominatorem et dominum, iustitiae et amoris exercitio colendum; eos, qui id fecerint, beatitudinem coelestem consecuturos. Omnem vero religionem impugnavit in opere, post eius mortem in lucem edito quod inscribitur « Ethica more geometrico demonstrata »; in eo secundum Xenophanis commentum, « Unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse verum Deum», contendit, non esse nisi unicam substantiam, quae est ipse Deus, extensione et vi cogitandi infinitam, ex infinito tempore existentem et necessaria lege se modificantem; omnia quae existunt, et fiunt, non esse nisi modificationes illius unius substantiae; proinde cuncta esse in Deo et ad Deum pertinere. Quo systemate libertatem humanarum actionum negavit. Petrus Bayle, an. 1647 Cartilati in Gallia natus, prius Sedani in Campania, postea Roterodami in Batavia philosophiam docuit, obiitque an. 1706; inter alia opera reliquit commentarium philosophicum ad hunc Evangelii locum: *Compelle intrare*; commentationes de cometa anni 1680; Dictionarium historico-criticum. Is eo collineavit, ut multiplicibus sophismatibus et captiosis obiectionibus omnem religionem incertam redderet, eique scepticismum superstrueret. Franciscus Pajot de Liniere, poeta Gallus, mortuus an. 1704, propter irreligiosam suam sentiendi, dicendi et vivendi licentiam atheus de Sylvanecto vocari meruit. Ei simillimus fuit Theophilus, alias Viaud, qui in suis poësibus religionem et honestatem despexit. Mathias Knutzen, Slesvicensis, Ienae et in aliis urbibus propagare tentavit societatem Conscientiariorum, idest libere de religione sentientium et suam solummodo conscientiam sequentium; in scriptis suis ipsius Dei existentiam et animae immortalitatem impugnavit. Guilielmus Stosch, Berolinus, mortuus anno 1707, in libro, cui titulus: *Concordia rationis et fidei*, seu harmonia philosophiae moralis et religionis christianae, doctrinas Spinozae, et Hobbesio proprias propugnavit.

Alii oppugnantes christianam revelationem, adstruxerunt religionem, quam vocant naturalem, et communiter deistae dicuntur. Naturalismum iam saeculo praecedenti propugnavit Ioannes Bodin, iurisconsultus Gallus, mortuus an. 1596, qui praesertim in suo *Heptaplomerone* de abditis rerum sublimium arcanis, Religionem christianam vilipendit, et inter omnes religiones, Deo gra-

[1] Vid. pp. 168 et 183.

tas, optimam esse contendit antiquissimam, quam Deus cum sana ratione humano animo indidit. Eduardus Herbert baro de Cherbury, anglus, mortuus an. 1648, in libro *De veritate* systema quoddam deismi seu religionis naturalis proposuit, docens, revelationem neque necessariam neque utilem esse, et veram religionem totam comprehendi 5 propositionibus, quas conceptus generales vocavit, quum in omni religione et apud omnes omnium temporum viros cultiores deprehendantur. Erant autem sequentes: 1ª, Est Deus, summe potens, summe beatus, omnium rerum finis, bonorum omnium auctor, aeternus, infinite bonus, iustus et sapiens; 2ª, Ei cultus religiosus exhibendus est, ad quem pertinent preces, gratiarum actiones, oblationes, ecclesiae et proprii religionis ministri; 3ª, Optima pars adorationis Deo debitae consistit in recta virium hominis spiritualium conformatione; 4ª, Omnia vitia et crimina poenitentia expiantur; 5ª, Post hanc vitam praemia et poenae erunt. Carolus Blount, nobilis anglus, qui, cum nuptias a legibus vetitas cum sorore defunctae coniugis inire non posset, an. 1693 se interemit; primo, ut originem religionis christianae suspectam redderet, edidit vitam Apollonii Thyanensis, a Philostrato conscriptam, lectores suos ad Apollonium cum Christo comparandum inducens; deinde in epistola ad se ipsum directa, repetiit systema religionis naturalis, ab Herberto de Cherbury propositum, huiusque 5 propositionibus addidit has duas: Deum providum esse mundi rectorem; Obedientiam erga eum consistere in observandis sanae rationis dictaminibus. In aliis quoque scriptis, puta de anima mundi, de oraculis rationis, doctrinas religioni christianae adversas tradidit. Ioannes Toland, Hibernus, deserta religione catholica, plura irreligiose scripsit: in libro « De Religione christiana non mysteriosa », ostendere conatus est, nihil in Scriptura S. contineri, quod humanum intellectum excedat; dein occasione scriptorum Ioannis Milton, a se editorum, genuinitatem librorum N. Testamenti in dubium vocavit; reliqua, quibus Religioni insultavit, sequenti saeculo indicabimus.

Porro hi aliique omissi scriptores athei et deistae effecerunt, ut non exiguus numerus virorum, maxime sciolorum, a religione christiana fuerit abstractus, viamque pararunt, qua sequenti saeculo longe maior ab eadem deficeret. Ad hos irreligionis progressus cohibendos non tantum a potestate ecclesiastica, sed etiam civili varii tentati sunt modi, pluresque viri eruditi scripta apologetico-polemica composuerunt.

29. *Scriptores ecclesiastici* — E scriptoribus vero ecclesiasticis, qui postremo huius saeculi tempore floruerunt, in exponendis ss. Scripturis claruerunt: Iacobus Benignus Bossuet, Divionensis, e Condomensi et praeceptore Delphini episcopus Meldensis, vir doctissimus; praeter Scholia in Psalmos et in libros Sapientiales, commentarium in Apocalypsim et alia; sacras Litteras et sanctorum Patrum traditiones vindicavit contra prava molimina Richardi Simon; extitit etiam fortissimus debellator haereticorum, contra quos scripsit Historiam variationum ecclesiarum protestanticarum aliaque; reliquit praeterea Sermonem egregium in historiam universam, aliaque plurima profundae suae eruditionis et fervoris pro sana et catholica doctrina illustria documenta [1]. Ludovicus de Carrieres, Andegavensis, presbyter Oratorii, dedit commentarium litterale s. Scripturae, insertum versioni eius gallicae [2], cuius novam editionem additis analysibus et dissertationibus, paulo post curavit Henricus Franciscus de Vence, doctor Sorbonicus et praepositus Nanceiensis; earum plures Bibliis Avenionensibus inseruit Rondet, unde haec subinde vocantur Biblia de Vence [3]. Ioannes Baptista Duhamel, doctor Parisiensis, edidit Biblia Vulgata cum annotationibus, prolegomenis, novis tabulis chronologicis, historicis et geographicis illustrata [4]; scripsit praeterea Theologiam speculativam et practicam [5], aliaque historica, philosophica, mathematica. Paulus Pezron, Ordinis Cisterciensis, doctor Parisiensis, inter alia dedit gallice Antiquitatem temporum restitutam eiusque vindicias, specimen commentarii in Prophetas, et Historiam Evangelicam e Iudaica et Romana confirmatam. Robertus Guerard, Rothomagensis, e Congregatione s. Mauri, edidit gallice synopsim s. Scripturae, quam latinitate donavit Silvester Van Ey, presbyter Antwerpiensis [6]. Ioannes le Pelletier, Rothomagensis, reliquit dissertationes doctissimas de arca Noë, de ponderibus et mensuris veterum, de coma Absalonis, de templo Salomonis et Ezechie-

[1] *Oeuvres de Bossuet*, 1815-20, 43 voll. in-8°.
[2] *Commentaire littéral inséré dans la traduction française avec le texte latin à la marge*, Paris 1701-16, 24 voll. in-12°.
[3] Avignon, 1767-73, 17 voll. in-4°; item 25 in-8°.
[4] Paris. 1706, in-fol.
[5] 1691, 7 voll. in-8°.
[6] 3 voll. in-8°.

lis. Henricus de Bukentop, Franciscanus Antwerpiensis, dedit Dictionarium vocum difficilioris significationis in Vulgata, canones pro intelligentia s. Scripturae, examen versionis Embricensis, et librum, qui inscriptus est: *Lux de luce*, in quo agit de Vulgatae latinae ambiguis locutionibus, variis ac dubiis lectionibus, et de editionibus Sixtina atque Clementina. Martin. Harney, Amstelodam. Ord. Praed. scripsit de s. Scriptura linguis vulgaribus legenda[1]. Ioachim Trotti de-la-Chetardie, baccalaureus Sorbonicus et parochus s. Sulpitii, Parisiis, praeter alia gallice scripsit expositionem Apocalypsis per historiam ecclesiasticam. Bernardinus a Piconio, de Picquigny, Picardus, Ord. Capucinorum, reliquit Commentar. in Evangelia et expositionem triplicem Epistolarum s. Pauli. Michäel Mauduit, presb. Oratorii, scripsit gallice analyses et dissertationes in N. Testamentum, item tractatum de Religione contra atheos, deistas et recentes Pyrrhonianos.

In scientia theologica excelluerunt: Martinus Grandin, doctor Sorbonicus, cuius opera theologica in pretio sunt[2]. Martinus Steyaert, Flander, prof. Lovanien. reliquit theologiae practicae aphorismos, annotationes in propositiones damnatas, positiones de R. Pontifice eiusque auctoritate, alia polemica contra mollioris et rigidioris ethices sectatores. Gaspar Juenin, presbyter Oratorii, inter alia dedit Institutiones theologicas ad usum Seminar. propter latentem tamen Iansenismum damnatas. Eiusdem labis suspicionem etiam subiit theologia Gratianopolitana, quam gallice scripsit Franciscus Genet, episcopus Vasionensis, et postea latine reddidit frater eius. Idem esto iudicium de theologia Ssrum seu Ethica amoris, cuius auctor est Henricus a s. Ignatio, Carmelita Athensis. Eadem de causa cauté non sine cautione legantur Carolus Witasse et Ludovicus Habert, doctores Sorbonici. Ioannes Baptista Gonet, Dominicanus Biterrensis, praeter Manuale Thomistarum et Dissertationem theologicam de Probabilismo, edidit *Clypeum* theologiae Thomisticae[3]. Ludovicus Abelly, episcopus Rhodensis, praeter alia composuit Medullam theologicam. Antonius Massoulié, Tolosanus, Ord. Praed., scripsit de praemotione physica, gratia et praedestinatione librum, cui titulus: *Divus Thomas sui interpres*[1]. Claudius Frassen, Picardus, Ordinis Min. et doctor Sorbonicus, reliquit praeter disquisitiones biblicas[2], Theologiam scholasticam[3]. Iacobus Boudart, ecclesiae collegiatae s. Petri Insulis canonicus, dedit Theologiam[4]. Claudius Lacroix, Limburgen., S. I., lucubravit commentarium in Medullam theologiae moralis H. Busembaum[5]. Florentius de Cocq, Ord. Praemonstr. canonicus Antwerpiensis, reliquit principia totius Theologiae moralis et speculativae[6]. Nicolaus Pauwels, professor Lovaniensis, reliquit theologiam practicam[7]. Augustinus de Bussy de Lamet et Germanus Fromageau, doctores Sorbonae, collegerunt Lexicon gallicum casuum conscientiae, quod accuratius elaboravit Ioannes Pontas[8]. Praetermittimus autem plures, qui theologicas synopses aut tractatus singulares ediderunt.

In polemicis post fortissimum haereticorum debellatorem Bossuetium memorandi sunt hi qui sequuntur: Franciscus de-Salignac-de-la-Motte Fénélon, archiepiscopus Cameracensis, virtutis et doctrinae laude clarissimus, plurima gallice scripsit de existentia Dei, pro bulla *Unigenitus* de qua infra, deque aliis argumentis. Morinus Groteste des-Mahis, e ministro pseudo-reformato catholicus et canonicus Aurelianensis, contra errores haereticorum gallice scripsit de schismate Protestantium, de praesentia reali Corporis I. C. in Eucharistia, de veritate religionis catholicae, e Scriptura S. probata. Isaac Papin, Blesensis, e calvinista catholicus, contra Jurieu scripsit Tractatum de tolerantia Protestantium et de auctoritate Ecclesiae, in quo expendit duas vias, in negotio Religionis sibi oppositas: privatum scilicet examen et pondus auctoritatis. Ioannes Dez, Iesuita Gallus, scripsit gallice de fide christiana et catholica adversus Deistas, Iudaeos, Mahometanos, Socinianos, aliosque haereticos vindicata[9]. Franciscus Lami, Gallus, e Congregatione s. Mauri, praeter alia plura gallice dedit novum atheismum destructum, et Incredulum ad Religionem adductum per rationem. Iacobus le-Fevre, doctor Sorbonicus, gallice scripsit de ratione

---

1 Lovanii 1692, in-12°.
2 1710-12, 6 voll. in-4°.
3 Lugdun. 1681, 5 voll. in-fol.

1 2 voll. in-fol.
2 Lucae 1764, 2 voll. in-fol.
3 Paris. 1672, 4 voll. in-fol.
4 Lovan. 1706, 6 voll. in-8°.
5 Colon. 1719, 2 voll. in-fol.
6 Colon. 1682, 3 voll. in-8°.
7 Lovan. 1715, 5 voll. in-12°.
8 3 voll. in-fol. — 9 Paris. 1714, 8 voll. in-12°.

certissime vincendi haereticos pseudo-reformatos, et de causis eorum defectionis. Coelestinus Sfondrati, Mediolanensis, Ord. s. Benedicti et R. E. cardinalis, praeter nodum praedestinationis dissolutum et tractatum de immunitatibus oratorum regiorum Romae, scripsit contra Gallicanos Declarationis anni 1682 defensores librum qui inscribitur: *Gallia vindicata.* Antonius Charlas, presbyter Consoranus, reliquit Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae, de primatu R. Pontificis, de auctoritate Ecclesiae, et de causa regaliae.

In illustranda ecclesiastica historia et iurisprudentia operam impenderunt: Henricus Valesius, Parisiensis, qui historias ecclesiasticas Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Evagrii e graeco in latinum vertit notisque illustravit [1]. Antonius Pagi, e Rogne Provinciae oppidulo et Ord. Min., scripsit criticam historico-chronologicam in Annales ecclesiasticos Baronii [2]. Franciscus Pagi, eiusdem Ord. exaravit Breviarium historico-chronologico-criticum RR. Pontificum [3]. Emmanuel a Schelstrate, Antwerpiensis, Vaticanae Bibliothecae custos, edidit antiquitates Ecclesiae illustratas [4], histor. Eccles. African. sub primatu Carthaginensi [5], acta concilii Constantien. [6], acta ecclesiae Orientalis contra Lutheranam et Calvinianam haereses [7], dissertationem de disciplina arcani. Ioannes Baptista Cotelerius, Nemausensis, collegit Patres aevi apostolici [8], et monumenta ecclesiae Graecae [9]. Lucas de Achery, Picardus, Congregat. s. Mauri, dedit Spicilegium veter. scriptorum [10]. Theodoricus Ruinart, Rhemensis, Congregat. s. Mauri, edidit Acta sincera ss. Martyrum, historiam persecutionis Vandalicae et alia. Andreas Baillet, Bellovacensis, vulgavit gallice vitas Ssrum per annum et iudicia doctorum de praecipuis scriptorum operibus, sed nonnunquam limites moderatae critices transgressus est. Petrus Coustant, Compendiensis, eiusdem Congregationis s. Mauri, collegit Decretales veterum Pontificum a Clemente I usque ad Innocentium I. Ioannes Garnier, Parisien. S. I., publici iuris fecit Librum diurnum RR. Pontificum, notis et dissertationibus illustratum. Carolus Le-Cointe, presbyter Oratorii, collegit Annales ecclesiasticos Francorum ab an. 235 usque ad 835. Gerardus du Bois, presbyter Oratorii, scripsit historiam ecclesiae Parisiensis. Henricus Noris, Veronensis, eremita Augustinianus et R. E. cardinalis, reliquit historiam donatisticam et pelagianam, atque dissertationem de concilio oecumenico V.—Ludovicus Bulteau, Rothomagensis, gallice scripsit Historiam monasticam Orientis et epitomen Historiae Ordinis s. Benedicti. Iacobus Quetif, Parisiensis, Ord. Praedicatorum, edendam suscepit Bibliothecam scriptorum sui Ordinis, quam absolvit socius eius Iacobus Echard, Rothomagensis [1]. Ioannes Mabillon, Congregationis s. Mauri, collegit Acta Sanctorum Ordinis s. Benedicti [2], Annales eiusdem Ordinis [3], Musaeum Italicum, Analecta; scripsit etiam de re diplomatica, de studiis monasticis, aliisque. Ludovicus Torelli, Ord. s. Augustini, edidit italice historiam general. sui Ordinis [4]. Christianus Lupus, Iprensis, Ord. s. Augustini et doctor Lovaniensis, reliquit commentaria in historiam et canones Conciliorum, tractatum de appellationibus, aliaque posthuma. Iosephus Saenz de Auguire, Hispanus, Ord. s. Benedicti et R. E. cardinalis, collegit concilia Hispaniae [5], scripsitque defensionem cathedrae Petri contra declarationem cleri Gallicani [6]. Ioannes Baptista de Luca, R. E. cardinalis, dedit annotationes in concilium Tridentinum et Theatrum iustitiae et veritatis. Ioannes Cabassutius, Aquensis, presbyter Oratorii, auctor est notitiae ecclesiasticae Conciliorum, Canonum et veterum Ecclesiae rituum, et theoriae ac praxis iuris canonici. Henricus Pirringh, Germanus, S. I., edidit ius canonicum, nova methodo explicatum, et facilem ac succinctam Ssrum canonum doctrinam. Ludovicus Thomassinus, Aquensis, presbyter Oratorii, praeter dogmata theologica [7], dedit disciplinam ecclesiasticam de beneficiis et beneficiatis [8]. Ioannes Douiat, Tolosanus, reliquit praenotiones canonicas, et civiles, et historiam iuris canonici. Prosper Fagnani, Italus, claruit ex commentario in Decretales [9]. Claudius de-

[1] August. Taurin. 1746, 3 voll. in-fol.
[2] Antwerp. 1672, 4 voll. in-fol.
[3] 1717, 4 voll. in-4°.
[4] Romae 1692-97, 2 voll. in-fol.
[5] Antwerp. 1679 in-4°.
[6] In-4°.
[7] Rom. in-fol.
[8] Paris. 1672, 2 voll. in-fol.
[9] 1677, 3 voll. in-4°.
[10] 13 voll. in-4° et 3 in-fol.

[1] Paris. 1719-21, 2 voll. in-fol.
[2] Paris. 1648 sq, 9 voll. in-fol.
[3] 6 tom. in-fol. aucti a Ruinart et Thuillier.
[4] 1659, 8 voll. in-fol.
[5] Romae 1753, 6 voll. in-fol.
[6] Salmant. 1683, in-fol.—[7] 1680, 3 voll. in fol.
[8] 1678, 3 voll. in-fol.—[9] Romae 1661, 3 vol. in fol.

Vert, Parisiensis, Ord. Cluniacensis, scripsit gallice expositionem litteralem et historicam sacrarum caeremoniarum.

Inter asceticos et praedicatores huius aetatis notissimi sunt : Franciscus Guillore, Britannus, Paulus Segneri, inter sacros Italiae oratores haud dubie princeps, Ioannes Petrus Pinamonti, Pistoriensis, Ioannes Baptista Saint-Jure, Metensis, Franciscus Nepveu, omnes e Societate Iesu ; Ludovicus Abelly, supra laudatus ; Matthaeus Beuvelet, Gallus; Henricus Maria Boudon, archidiaconus Ebroicensis; Antonius Viera, Lusitanus, S. I.; Claudius de la Colombière, Timoleon Cheminais, Iacobus Giroust, Ludovicus Bourdaloue, Iesuitae Galli; Ioannes Le-Jeune, Poliniacensis, Oratorii Gallicani; Spiritus Flechier, episcopus Nemausensis, alii quos brevitatis studio praetermittimus.

30. *Innocentius XII, Pontifex* (*an.* 1691) — Post Alexandri Pp. VIII mortem, menses amplius 5 discordia tenuit Cardinales collectos in comitiis Pontifici creando. Tandem IV° idus iul. an. 1691 suffragia cuncta consensere in Antonium Pignatelli, archiepisc. Neapolitan. illustri ibidem genere natum; qui sub Innocentii XII nomine Pontifex renunciatus est, et Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1700. Is spem, quam de seipso excitarat, dum apud Imperatorem et regis apostolici nuntii officiis fungebatur, nunc summae potestatis particeps cumulatissime implevit. Beneficentissimus fuit in pauperes. Constitutione, *Romanum decet Pontificem*, abusum, quem vocant Nepotismum, a curia pontificia proscripsit, districte prohibens, ne Pontificum consanguinei Ecclesiae bonis ditarentur. Alias plures constitutiones edidit tum ad promovendam ecclesiasticam et regularem disciplinam, tum ad corrigendos abusus. Coërcuit iustitiae ministros, ne munera acciperent. Contra latrones et malefactores, qui, Sede vacante, multum invaluerant, severitatem legum indixit. Ecclesiasticas dignitates non nisi dignis contulit. Quum universa Europa bello arderet, binum Iubilaeum concessit ad efflagitandam pacem, et avertendam coelestem iram; nihil omisit ad restituendam pacem publicam; ad imperatorem, reges et principes litteras dedit, eloquentia, prudentia ac gravitate refertas, ut eorumdem animos deliniret et dissidia componeret. Gravate tulit, ducem Hannoverensem heterodoxum a caesare constitutum imperii electorem. Disceptationi de origine ordinis Carmelitarum usque a prophetis Elia et Eliseo, quae inter nonnullos acrius agitabatur, silentium imperavit sub poena excommunicationis latae sententiae[1]. Cum Ludovico XIV, rege Galliae, pacem iniit, gratiam suam restituit praelatis, qui comitiis anni 1682 interfuerant, accepta prius tum ab his tum a rege satisfactione[2]. Compescuit etiam aliquot lites exortas in Belgio, ubi nonnulli alios ut Iansenistas traducebant, quamvis a iansenianis erroribus alienos, et quidam episcopi ad maiorem cautelam contra fraudes Iansenistarum aliquot additiones formulario Alexandri VII fecerant. In hanc rem anno 1694 ad archiepiscopum Mechliniensem et episcopos Antwerpiensem, Brugensem, Gandavensem et Ruremundensem diploma dedit, quo prohibuit, ne praeter formularium iuramenti, ad damnandas 5 propositiones Iansenii in sensu obvio, quem tam ipsius formularii quam propositionum verba prae se ferunt, aliam declarationem, interpretationem aut explicationem exigerent; voluit insuper ut neminem vaga ista accusatione et invidioso nomine Iansenismi traduci aut nuncupari sinerent, nisi prius suspicionem dedisset, quod aliquam e 5 propositionibus docuerit aut tenuerit; demum statuit, ne quemquam sub hoc praetextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, vel alia quacumque functione ecclesiastica permitterent, nisi servato iuris ordine, hunc eam poenam commeruisse, probatum fuerit. Quum vero Iansenistae verba Pontificis *in sensu obvio*, quem tam ipsius formularii quam propositionum verba *prae se ferunt*, in alienum sensum detorquerent, perinde ac si propositiones solum damnandae forent in sensu suo obvio, nulla habita mentione vel respectu ad sensum Iansenii, Pontifex hunc vanum eorum trium-

[1] Const. 173, § 1, p. 496, t. 9 *Bullarii*. S. Hieronymus initio Vitae S. Pauli primi Eremitae scribit: « Inter multos saepe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum eremus habitari coepta sit. Quidam enim altius repetentes a b. Elia et Ioanne sumpsere principium; quorum et Elias plus nobis videtur Propheta fuisse, quam Monachus: et Ioannes ante prophetare coepisse, quam natus sit. Alii autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi caput, quod ex parte verum est; non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero et Macarius, discipuli Antonii, e quibus superior magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebaeum principem istius rei fuisse, non nominis; quam opinionem nos quoque probamus ». Vid. etiam Bellarminum l. 2 *de Monachis*, c. 39, et quod diximus p. 78 in nota et p. 40 sqq.

[2] Vid. p. 236.

phum repressit altero Brevi, ad eosdem Belgii episcopos dato anno 1696.— Praeterea Innocentius XII confirmavit decretum Congregationis Concilii super obligatione Parochorum applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis. Novos Sacramenti Poenitentiae ministros, et Parochos iussit tanto se muneri parare continuata per dies denos contemplatione rerum aeternarum. Faciles ad eum aditus, pauperibus vero ita benignae aures, ut qui maximus omnium erat dignitate, par infimis videretur humanitate.—Urbem variis ornamentis, aedificiis, nosocomiis, praesidiis, munitionibus decoravit, munivit, auxitque. Mortuus est anno 85 aetatis, v° calend. octobr. 1700, cum magni consilii Pontifex, et spectatae probitatis fuisset *annos* 9, *menses* 2, et *dies* 15.

31. *Conatus irenici pro unione religiosa*— Quantum autem religiosis dissidiis, quibus a pseudo-reformationis temporibus Europa fuit perturbata, animi ab invicem alieni essent, satis ostendunt ipsa unionis conamina, hoc saeculo tum inter Catholicos et Protestantes, tum inter Lutheranos et Calvinistas instituta. In hunc finem tum colloquia de materiis controversis habita, tum scripta ad animos conciliandos composita, seu *irenica,* tum methodi efficiendae unionis propositae sunt.

E colloquiis, unionis gratia inter Catholicos et Protestantes institutis, notatu dignum est illud, quod Uladislaus IV, rex Poloniae, anno 1645 indixit inter theologos catholicos, lutheranos et calvinistas, non tam ut disputarent, quam ut materias controversas examinarent et amice determinarent; unde istud colloquium charitativum vel etiam fraterna collatio dictum est. Verum quantum ad unionem pertinet, nihil effectum est. Anno 1651 Ernestus, comes provincialis seu landgravius Hasso Rheinfelsensis, Valerianum Magni, nobilem Mediolanensem et Ordinis Capucinorum ministrum generalem, ab Alexandro Pp. VIII apostolicis missionibus per Germaniam, Poloniam et Hungariam praefectum, et duos theologos Giesenses in arce sua Rheinfels congregavit, ut, se praesente, de criteriis et infallibilitate verae Ecclesiae disputarent; quod eo eventu factum est, ut comes provincialis ad catholica sacra transiret.

Prae aliis unionem Protestantium cum Catholicis tentavit Christophorus Rojas de Spinola, Hispanus, uxoris Leopoldi imperatoris I confessarius, et Tinano in Croatia Neostadiensis in Austria episcopus, rei theologicae et polemicae valde peritus. Is magno unionis studio animatus, multa ad eam tentandam itinera ab anno 1675 usque ad 1695 praecipue per Germaniam et Hungariam suscepit, ab Imperatore et comitiis imperii litteris commendatus et necessaria facultate instructus. Eius tamen conamina optatum effectum non habuerunt. Praesertim de unionis negotio disseruit cum Molano, theologo lutherano et consistoriorum Hannoverensium rectore. Iis brevi post accesserunt doctissimus Bossuetius, episcopus Meldensis, et Guilielm. Leibnitius, Lipsiensis, inter Lutheranos eruditissimus. Illi plura sibi invicem de praesenti negotio consilia communicarunt litterasque transmiserunt et diversas unionis conciliandae vias proposuerunt. At maior erat principiorum utriusque partis ad invicem distantia, quam ut ad propositum sibi finem pervenirent [1].

Alii in eumdem finem scripta polemico-conciliatoria ediderunt, qui novas paucis dirimendi rem controversam methodos proponebant; ideoque methodistae dici consueverunt. Iacobus Gretserus S. I., in Universitate Ingolstadiensi professor, multa scripta polemica reliquit. Adamus Contzen, ab an. 1642 Coloniae edidit discursuum theologico-politicorum libros 3, quorum primus pacificator Germaniae sive Irenicum de vera pace et concordia in Germania ineunda; alter pacificator orbis christiani sive de vera et falsa pace; tertius de concordia et pace Germaniae et de concilio generali instituendo inscriptus est. I. Massenius an. 1662 Coloniae edidit meditatam concordiam Protestantium cum Catholicis in una confessione fidei e s. Scriptura, et an. 1664 novem praxim orthodoxae fidei, sacris per octo dies exercitationibus discernendae, et amplectendae. Dionysius Werlensis, Capucinus scripsit viam pacis inter homines per Germaniam in Fide dissentientes, an. 1686 Heldesiae in lucem emissam. De eadem re scripserunt Bertholdus Nihusius, Brunsvicensis, anno 1622 e lutherano catholicus, postea archiepiscopi Moguntini suffraganeus; Adrianus et Petrus fratres de Wallenburch Episcopi suffraganei, hic Moguntini, ille Coloniensis; quorum tractatus generales et speciales de controversiis Fidei plurimum laudantur; Franciscus Veronius, Iesuita Gallus [2]; Card. de Richelieu, primarius Ludovici XIII regis Galliae administer; Paulus Pelis-

[1] Bossuet, *Œuvres posthumes*, t. I, edit. 1742; Picot, *Mém. pour l'hist. eccl. du XVIII° siècle.*
[2] Videsis p. 227.

son, Gallus, e calvinista catholicus qui cum Leibnitio litteras aliquot de unione religiosa communicavit, et gallice scripsit reflexiones de controversiis religiosis. Iam laudatus Bossuetius, cuius expositio doctrinae catholicae in materiis controversis, gallice scripta et plurium cardinalium aliorumque praelatorum et ipsius Innocentii XI approbationibus decorata, haud paucos protestantes ad suscipienda catholica sacra permovit.

Quamvis autem instituta de unionis negotio colloquia editaque in hanc rem scripta intento fine caruerint, omni tamen fructu non fuerunt destituta. Inde enim effectum est, ut Protestantes catholicas doctrinas rectius cognoverint, multas opiniones male conceptas contra Ecclesiae doctrinas abiecerint, maiori tolerantia erga Catholicos usi sint multique eorum, etiam viri docti et principes, ad Ecclesiam catholicam se converterint.

Praeter commemoratos Bertholdum Nihusium et Paulum Pelisson, alii plures hoc saeculo, relicta haeresi, ad catholicam fidem transierunt. Varii etiam viri principes ad Ecclesiae gremium reversi sunt, inter quos numerantur Wolfangus Guilielmus, dux Neoburgensis; iam commemoratus Ernestus, comes provincialis Hasso-Rheinfelsensis; Christianus Augustus, elector Palatinus, cuius exemplum sorores praeclarissimae secutae sunt; Christina regina Sueciae; Fridericus Augustus, elector Saxoniae et anno 1697 rex Poloniae.

Ad conciliandam unionem inter Lutheranos et Calvinistas ardenter laboravit Ioannes Duraeus, natione Scotus et Elbingae in Borussia Scotorum et Anglorum praedicator, qui ab anno 1634 usque ad 1674 ad eam unionem promovendam multa itinera suscepit per Germaniam, Helvetiam, Hollandiam, Daniam, Sueciam, aliasque terras; non tantum cum theologis, sed etiam cum principibus eorumque administris de unionis negotio contulit, et diversa scripta de hac re edidit. Haec illi erat mens, ut missis controversiis, doctrinae, in quibus utraque pars conveniebat, coniungerentur in commune symbolum, cui omnes acquiescerent. At irrita fuere Duraei conamina; quin imo multorum, maxime Lutheranorum, odium in se concitavit.

Inter Lutheranos nemo magis in unionem Ecclesiarum dissidentium propendebat, quam Georgius Calixtus, proprie Calisson, an. 1586 natus in ducatu Slesvicensi et in religione lutherana institutus. Is post plura per terras catholicas et calvinianas itinera, e quibus eorum religiones accuratius cognovit, anno 1614 in Universitate Helmstadiensi theologiae professor factus, plura scripta theologica in lucem dedit, in quibus varias sententias a Lutheranis doctrinis diversas, magnamque propensionem in unionem ecclesiarum dissidentium manifestavit.

Contra, Ioannes Hulseman, theologus Lipsiensis, edito an. 1654 libro, contendit Calvinianas ecclesias cum Lutheranis non posse conciliari.

32. *Lites syncretisticae inter Lutheranos*—Georgius Calixtus ansam dedit celebribus litibus inter Lutheranos, quae *Syncretisticae* appellatae sunt. Is quippe in pluribus doctrinis magis cum Calvinistis et Catholicis quam cum Lutheranis consentiebat. Docuit praeter s. Scripturam, traditionem, seu consensum Patrum quinque aut sex priorum Ecclesiae saeculorum, ceu normam credendorum et definiendarum fidei controversiarum tenendam esse; Pontifici Romano ex iure humano primatum in Ecclesia et supremam iurisdictionem in omnes patriarchas competere; Missam verum sacrificium tam pro defunctis quam pro vivis dici posse; hominem non sola fide iustificari; bona opera ad salutem esse necessaria, et hominibus quodammodo vitam aeternam promoveri; Deum non nisi indirecte, seu per accidens, auctorem peccati dici posse; omnes ecclesias, quae tria antiquissima symbola et definitiones septem priorum conciliorum generalium accipiant, in fidei fundamento convenire, cum fundamentales fidei articuli omnes in istis symbolis et conciliis continerentur; haereses et discrepantes sententias, postea exortas, quamvis non contemnendas, tamen non magni esse momenti, proinde coniunctioni ecclesiarum dissidentium obesse non posse. Alia nonnulla asseruit, a Calvinistarum et Catholicorum aeque ac Lutheranorum sententiis aliena. Hanc Calixti libertatem non tantum theologi, sed etiam caeteri professores Helmstadienses susceperunt; contra plerique Lutherani, sic dicti orthodoxi, Calixtum eiusque asseclas ceu indifferentistas impugnarunt, et Syncretistas appellarunt, quo nomine intelligebantur ii, qui, neglecta aut violata religionis veritate, ecclesias dissidentes unire tentabant. Lites vehementes et quandoque turbae graves, inter Calixti defensores, eiusque adversarios enatae, et per dimidium saeculum agitatae sunt, adeo ut meliores inter ipsos Protestantes agnoscerent praeter S. Scripturam, ne-

cessarium esse supremum iudicem controversiarum fidei[1].

33. *Lites Pietistarum. Spenerus* — Aliis litibus et motibus inter Lutheranos posterioribus huius saeculi annis ansam dedit Philippus Iacobus Spenerus, anno 1635 in Alsatia natus, et post munera scholastica atque ecclesiastica Argentini gesta, an. 1666 Francufurti ad Moenum senior ministerii evangelici factus. Quum enim inter Lutheranos magna esset morum corruptela, pietas passim negligeretur, et plerique in fide theoretica externisque divini cultus actibus quiescerent; quum praedicatores etiam a pietate longe remoti, illa sola urgerent et in concionibus non nisi dogmatice et polemice versarentur, quod cum in Universitatibus ea tantum edocti fuissent, quae dogmaticam, polemicam ac homileticam respiciunt theologiam; Spenerus omnium horum reformationem desiderans, in sermonibus praeter consuetum morem s. Scripturae loca dictioni simplici accommodare et ad practicos vitae usus transferre coepit. Ab an. 1670 plurium desiderio satisfaciens privatos domi suae conventus, deinde in ecclesia instituit, in quibus eadem ratione textus biblicos explanabat, viris praesentibus facultatem concedens suas desuper cogitationes et quaestiones proponendi. Quae omnia cum ad excitanda pia animi sensa fierent, isti conventus collegia pietatis dicti sunt. Anno 1675 librum vulgavit, qui inscriptus erat: *Pia desideria*. In eo non tantum descripsit praedictam morum corruptionem, sed etiam rationem, qua reformari posset, proposuit, nimirum emendationem institutionis theologicae et studii biblici, quod non tantum in apparatu philologico-critico-archaeologico, sed potius in meditatione et applicatione ad vitae usus consisteret; addidit, fidem theoreticam non sufficere, sed religionis caput in observandis mandatis consistere; instituenda esse collegia pietatis, qualia ipse formarat; praeter ordinatos praedicatores cuivis fideli, ingruente indigentia, munera spiritualia, praesertim institutionis, adhortationis, consolationis esse concedenda.

Speneri consilia multorum approbationem nacta sunt; isque an. 1686 praedicator aulicus et consiliarius ecclesiasticus Dresdae factus, effecit, ut illa executioni mandarentur. In Universitatibus praelectiones biblicae ad normam ipsius institutae sunt, pluraque pietatis collegia formata, quae a multis centenis theologis et civibus frequentabantur. Hi, cum se a caeteris sic distinguerentur, singulari Pietistarum nomine compellebantur.

Verum haec Speneri reformatio acres et diuturnas inter Lutheranos lites et scissiones excitavit. Quum anno 1689 in Universitate Lipsiensi tres magistri N. Testamentum ad normam Speneri praelegere caepissent, eorum adversarii effecerunt, ut edictis publicis illi fuerint proscripti, et instituta collegia pietatis prohibita.

Spenerus an. 1691 relicta Dresda, ivit Berolinum, ubi praepositus apud ecclesiam s. Nicolai et assessor consistorii factus, tum per se tum per imbutos a se discipulos, longe lateque reformationem pietisticam propagare studuit. Id passim Lutheranorum, praesertim Universitatum Saxonicarum, indignationem et invidiam in Spenerum eiusque sequaces excitavit, maxime quod Spenerus in scriptis suis alia nonnulla nova protulisset, auctoritatem etiam librorum symbolicorum deprimeret, quodque inter Pietistas non pauci vel animo vel phantasia excitati, ad excessus graves et errores absurdos progrederentur. Sic in nonnullis collegiis ex licentia loquendi, omnibus data, turbae et contentiones acciderunt. In aliis Pietistae e superba suae sanctitatis opinione cum caeteris sacra frequentare nolebant. Nonnulli omnem doctrinam et constitutionem ecclesiae lutheranae mutatam volebant. Alii instaurato chiliasmo, novum regnum a Christo in terris condendum annuntiabant. Alii sacra publica, munus praedicatorum, philosophiam, theologiam omnemque eruditionem, tanquam res verae pietati adversas, reiiciebant. An. 1696 Facultas theologica Wirtembergensis 264 assertiones, scriptis Speneri excerptas, tamquam errores notavit. Hinc lites utrimque motae sunt et usque in sequens saeculum protractae eo eventu, ut Speneri consilia, attamen non omnia nec tota secundum eius mentem, paulatim effectui darentur; unde Lutheranismus in Germania novam faciem, a priori multum dissimilem, induerit[1].

34. *Status ecclesiae Russicae* — Quantum ad statum ecclesiae Russicae pertinebat, is, qualem superius compositum descripsimus[2], deinceps perduravit. Subiecta erat

[1] Hofman, *Lexicon haeresum*; Stockman, *Bibliotheca Germanica*; Walch, *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangelisch-lutherischen-Kirche*.

[1] Vid. Scriptores praecedenti paginae citatos.

[2] Pag. 187.

Ecclesia Russica patriarchae Moscoviensi, qui a nullo alio dependebat et summa potestate rem ecclesiasticam gubernabat. Magna autem morum corruptela et ignorantia crassa apud Russos invaluerant, non tantum inter laicos, sed etiam inter clericos. Nulla apud eos habebantur colloquia de materiis religiosis, conciones nullae. Exceptis aliquot monachis et episcopis, quorum nonnulli pauca aliquot scripta, de religione tractantia, et non nisi minoris momenti composuerant, caeteri fere omnes litterarum expertes erant, nihilque in iis requirebantur, nisi ut expedite legere et ritus sacros dextere peragere scirent. Inter laicos quam plurimi erant, qui ne quidem orationem Dominicam et symbolum Apostolicum memoria tenerent. Quum temporis lapsu in eorum libros sacros et liturgicos ignorantia aut oscitantia librariorum multa menda irrepsissent, patriarcha Nicon an. 1655 Moscoviae synodum congregavit, quae, adhibitis et collatis inter se quam pluribus vetustis codicibus, ex ecclesia Graeca allatis, libros sacros et liturgicos emendaret. Opus inde coeptum et sedulo continuatum, tandem an. 1666 in synodo generali absolutum est.

Hanc generalem synodum Alexius imperator celebrandam curavit contra patriarchae Niconis conamina ad regendas etiam res civiles. Congregata ea est ex omni clero ecclesiae Russicae, advocatis etiam tribus patriarchis ecclesiae Graecae, multis archiepiscopis et aliis praelatis. In hac synodo Nicon depositus et in coenobium relegatus fuit. Praeterea decretum est, ut deinceps patriarcha Russorum non a solis archiepiscopis, episcopis et clero, sed simul cum iis ab Imperatore et senatu eligeretur, et, si patriarcha officio suo deesset, ab Imperatore et senatu iudicaretur et debite castigaretur; ut patriarcha novos episcopos aut novas fundationes non crearet sine Imperatoris et senatus consensu; ut nemo deinceps bona sua monasteriis aut clericis venderet, donaret aut legaret. Quum neque his decretis ambitio patriarcharum Moscoviensium intra limites cohiberetur, primis annis saeculi sequentis caesar, Petrus I, cognomine Magnus, dignitatem patriarchicam an. 1721 abolevit et in eius locum pro regimine ecclesiastico instituit synodum dirigentem. Haec synodus composita est e praeside, quae dignitas reservata est caesari, vice praeside archiepiscopo, sex consiliariis episcopis, decem assessoribus archimandritis et pluribus laicis. Imperator diversas Europae regiones visitans, an. 1717 Parisios venerat, ubi doctores Sorbonici cum eo contulerunt de unione ecclesiae Russicae cum Romana, eique libellum de hoc negotio obtulerunt. Is quidem promissa varia dedit, sed nihil effecit.

Porro occasione correctionis, sub Nicone patriarcha factae in libris sacris et ritibus, multi tum clerici tum laici se ab ecclesia, sic dicta orthodoxa, separarunt; ipsam religionem ab eo corruptam et veram ecclesiam apud se solos esse contendebant; omne commercium cum caeteris vitabant; conventus sacros privatim agebant; seipsos Starobriosos, idest homines antiquae fidei addictos, appellabant; ab orthodoxis vero Rascolnicae, idest schismatici, appellabantur. Orthodoxi graves persecutiones contra eos excitarunt, ut eosdem vel ad ecclesiam reducerent, vel extirparent; sed neutrum consecuti sunt. Rascolnicae potius in rabiem acti, in scelera prorumpebant. Quum regnante Petro caesare I, 300 eorum, ne comprehensi ad ecclesiam compellerentur, cum aede, in quam confugerant, se concremassent, ille ab eisdem vexandis abstinuit. Isti schismatici in Siberia erant frequentissimi; Cosaci ad Tanaim sedentes, fere omnes ad eos pertinebant; sed cum apud illos magna esset ignorantia, morum barbaries et superstitio, brevi in plures sectas abierunt.

Idem Imperator Catholicis sive latini sive graeci ritus ac Armenis in terris suis liberum religionis suae exercitium, patribus Capucinis et Iesuitis in imperio degere, ecclesias aedificare, iuventutem instruere, concessit, et nonnumquam unionis cum Romana Ecclesia desiderium significavit [1].

Metropolita Kioviensis, eiusque episcopi cum clero populoque in inita an. 1595 cum Ecclesia Romano-catholica unione [2] perseverarunt. An. 1720, postulante Leone Kiska, archiepiscopo Kioviensi et Graecorum unitorum totius Russiae metropolita, et annuente Clemente XI, Hieronymus Grimaldi, archiepiscopus Edessenus et Apostolicae Sedis in Polonia legatus, Zamoscii in Russia-rubra synodum Graecorum-unitorum coëgit, cui praeter legatum, synodi prae-

---

[1] A. de Mayerberg, *Iter in Moscoviam anno 1661*, in-fol.; Bergius, *Exercitatio historico-theologica de statu ecclesiae et religionis Moscoviticae*. Theiner, *Vicissitudes de l'Eglise cath. en Pologne et en Russie*.

[2] Cf p. 187.

sidem, et Kiskam metropolitam, interfuerunt 7 episcopi, 8 archimandritae et plusquam 100 sacerdotes, regulares et saeculares. In ea post factam Fidei professionem, ab Urbano VIII pro Orientalibus editam, damnati sunt errores cuiusdam Philippi, hicque excommunicatus. Is inter alia docebat, personas divinas inter se esse essentialiter diversas; baptismum, nisi immersione collatum, non valere; praeter baptismum non dari Sacramentum, nec Eucharistiam esse Sacrificium; non conficiendas cruces Salvatoris ex argento, quum Christus in lignea mortuus esset. Praeterea in eadem synodo plura decreta sunt de praedicatione divini verbi, de catechismo, de administratione Sacramentorum, de morum reformatione aliisque ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus. Quae omnia an. 1724 a Benedicto Pp. XIII confirmata sunt [1].

35. *Clemens XI*, *Pontifex* (*an.* 1700) — Post Innocentii Pp. XII obitum, Apostolica Sedes vacavit usque ad IX calend. decembris, qua die ad eam electus est Clemens XI, Urbinas, antea appellatus Ioannes Franciscus cardinalis Albani, qui delatum sibi honorem prae humilitate toto triduo recusavit, donec divino illo, qui Ecclesiae suae semper adest, spiritu tactus studiis omnium cessit. Vir fuit genere, pietate, eruditione, animique constantia spectatissimus, qualem postulabat Ecclesiae status propter tot bellorum strepitus, quibus Europa agitabatur, et inter haereticorum molimina, quibus Ecclesiae doctrina vel auctoritas oppugnabatur. Eximiam eius virtutem admirati sunt heterodoxi ipsi Norimbergenses, celebraruntque aureis argenteisque numismatibus nomine ipsius inscriptis [2].

In primis Clemens XI nihil non conatus est, ut dissidia gravissima inter principes christianos exorta, quae mox in exitiale diuturnumque bellum exarserunt, componeret. Universa quippe Europa dissidiis inter domum Austriacam et Borbonicam de regno Hispanico et regionibus ad illud pertinentibus ab anno 1700 post obitum Caroli regis II agitata fuit, et principes inter se commissi. Anno quidem 1713 pax Ultraiecti conciliata et anno sequenti Rastadii confirmata est, qua Philippo V Borbonico Hispania cum Indiis, Carolo VI imperatori regnum Neapolitanum cum ducatu Mediolanensi et provinciis Belgicis adscriptum fuit; sed an. 1717 Philippus V bellum instauravit. An. 1725 iterum pax sancita fuit foedere Viennensi; at an. 1733 bellum resumptum est usque ad 1738, quo rursus pax confecta fuit Viennae. Clemens Pp. omnibus principibus ad pacem et concordiam hortator esse non destitit; plures inter se dissidentes, ultro saepe electus arbiter, conciliavit vel aliis placatiores reddidit; quorumdam vero amaritudinem, quorum desiderio ob plurium inter se pugnantium dissidentia vota satisfacere non potuit, patienter tulit.

Cum Leopoldo imperatore I expostulavit quod contra fidem datam occasione belli, inter eum et Ludovicum XIV et Philippum V de regno Siciliae exorti, milites caesarei in provincias ditionis pontificiae irrupissent pluraque mala earum incolis intulissent. Deinde ad refraenandam illorum licentiam exercitum conscriptum destinavit. Maiora litigia habuit cum Iosepho I, Leopoldi filio et an. 1705 successore. Hic edictum tulerat, quo omnes, qui iure conferendi beneficia ecclesiastica pollebant, adegit ad ea conferenda personis a se commendatis; resistentibus, praeter gravem indignationem, omnium privilegiorum et gratiarum privationem comminatus. Clemens Pp. contra noxias huiusmodi novitates reclamavit, datisque ad episcopos et capitula ecclesiarum Germaniae litteris ostendit, huiusmodi ius, quod *preces primarias* vocabant, nequaquam Imperatori competere, et concordatis, inter Nicolaum V et nationem Germanicam initis, esse contrarium. Alias praeterea doloris causas Iosephus I Pontifici praebuit. Eius copiae, Neapolim tendentes vel inde redeuntes, in provincias ditionis pontificiae irruerunt, easque oneribus et tributis gravarunt. Confestim Clemens Pp. datis ad Iosephum I litteris de hac re questus est. Imperator vero R. Ecclesiae omne ius feudale in ducatus Parmae et Placentiae denegavit, easque civitates, sicut etiam Comaclum, imperii feuda esse contendit. Pontifex, admonitionis et comminationis via frustra tentata, iura sua armis defendere constituit. Sed pluribus viris principibus se concordiae sequestres interponentibus, an. 1709 pax confecta est his legibus, ut imperator edicta adversus R. Pontificis iura refigeret, milites caesarei e provinciis R. Ecclesiae discederent, Pontifex exercitum nuper conscriptum dimitteret, Carolum archi-

[1] *Synodus provincialis Ruthenorum*, Romae 1848, in-8°.

[2] Vid. *De vita et rebus gestis Clementis XI P.M.* libr. sex, l. I, § 53.

ducem, Iosephi fratrem, Hispanorum regem agnosceret, dissidia de Parma, Placentia et Comaclo a selectis utriusque partis viris pro rationum et monumentorum pondere ac praestantia componerentur. Clemens his conditionibus assensit secundum normam Constitutionis Clementis V caventis: « Si quem summus Pontifex sub titulo cuiuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel litteris nominet, honoret seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur aut quidquam ei tribuere novi iuris ». Iosepho I an. 1711 defuncto, imperator electus est Carolus VI, eius frater, qui concordiam cum R. Pontifice integravit huiusque elogium meruit.

Idem Pontifex aegre tulit dignitatem electoris imperii concessam haeretico duci Hannoverensi, et imperii consultum ea de re datum, ceu religioni catholicae et Apostolicae Sedis iuribus adversum, improbavit. Gravate etiam tulit, Fridericum III, electorem Brandeburgicum, ex imperatoris et principum consensu Borussiam in regnum erexisse, sibique insignia et titulum regis arrogasse; quod factum, tanquam iniuriosum Apostolicae Sedi et ordini Teutonico, ad quem antiquo iure Borussia pertinebat, tum in Cardinalium consistorio tum in litteris ad christianos principes improbavit. Partes Friderici Augusti II, electoris Saxoniae et regis Poloniae, pro viribus defendit contra Carolum XII, regem Suecorum, qui Polonos ad deiiciendum Augustum, et eligendum Stanislaum Leczinsky, palatinum Posnaniae, excitabat, et Poloniam in bellum civile, quod annis multis duravit, coniecit. Iacobo II, Anglorum regi, propter catholicae religionis studium ab Anglis eiecto et in Gallia exuli, ampla munera misit eiusque anno 1701 mortui viduam Mariam et filium Iacobum Walliae principem magno studio complexus est, huic consentaneam regio generi institutionem nuptiasque cum Clementina, regis Poloniae e filio nepte, procuravit, et nuptis, praeter dignum Romae palatium, annuum 12,000 aureorum proventum ex aerario Apostolico largitus est.

Quum Achemet Turcarum sultanus anno 1715 bellum contra christianos principes, praesertim contra Venetos in Peloponneso et Hungaros instaurasset, Clemens XI et litteris et legationibus usus est, ut principes Europaeos ad coniungenda arma contra communem hostem et ad conservandam a iugo Ottomannico Europam excitaret. Confoederatis imperatori Carolo VI et Venetis ingentia pecuniarum et militum auxilia procuravit. Anno 1716 Eugenius, princeps Sabaudus, Austriaci exercitus dux, ingenti praelio apud Petrovaradinum Turcas vicit et usque ad internecionem profligavit. Anno sequenti idem Eugenius alteram de iisdem victoriam retulit apud Taurunum, ubi Turcarum circiter 30,000 caesa sunt, ingens captivorum numerus, aerarium, plurima vexilla et tormenta bellica in potestatem Christianorum venerunt. Post quae Achmet pacem postulavit, quae anno 1718 inter imperatorem, Venetos et sultanum conciliata fuit foedere Passarovitzico. Invicta Eugenii principis virtus a Clemente Pp. non tantum laudibus celebrata fuit, sed etiam galea et ense, solemniter benedictis, cumulata secundum morem, quo RR. Pontifices ornare consueverunt egregios duces et christianae reipublicae defensores.

Praeter haec Clemens XI catholicae fidei per omnes etiam remotissimas orbis plagas propagandae, muniendae ac defendendae indefessus incubuit; haereticorum vero et schismaticorum contra Catholicos molimina in Germania, Hollandia, Gallia, Anglia, Syria, Moscovia et alibi praevertit et irrita reddidit. In pacificatione Ryswicensi, an. 1697 inter imperatorem, imperium, Hollandiam, Galliae, Angliae et Hispaniae reges inita, sancitum fuerat, ut religio catholica in imperii provinciis deinceps maneret integra in eo statu, quo tunc vigebat. Haeretici vero in Germania imperatorem improbe sollicitabant ad abrogandum istum pacificationis articulum. Eorum conatibus impigre restitit Pontifex. Id ipsum et alia plura in detrimentum catholicae rei tentarunt haeretici in comitiis, anno 1713 Ultraiecti inter principes Europaeos institutis ad stabiliendam inter se concordiam. Illic etiam Clemens, tum litteris ad orthodoxos principes tum legatione ad ipsa comitia, illorum molimina inania reddidit. Anno sequenti in comitiis Badensibus pro stabilienda pace inter Ludovicum XIV regem Galliae et Carolum VI imperatorem habitis, Pontifex opera Dominici Passionaei, legati sui, novos haereticorum conatus repressit. In hac pacificatione non solum confirmati sunt articuli Ryswicenses, sed etiam Clementi archiepiscopo Coloniensi et Maximiliano Emmanueli utriusque Bavariae duci, S. R. I. principibus electoribus, pristina iura restituta; quaecumque occasione belli in catholicam religionem, Ecclesiae libertatem et

R. Pontificis potestatem attentari contigerat, abrogata; episcopatus Hildensis restitutus archiepiscopo Coloniensi cum omnibus suis praerogativis et iuribus, ut ea ante bellum episcopi eius praedecessores possederant, pactumque, ut in regionibus, urbibus et locis, quae a rege Galliae cedebantur imperatori, universa, ad catholicam religionem spectantia, in eo statu, quo ante bellum fuerant, immutata permanerent.

Nihil etiam intentatum reliquit Clemens XI, ut catholicorum conditionem in terris haereticorum allevaret. Honorifice excepit legatum Petri Magni, Russorum imperatoris, ei significantem, liberum et publicum religionis catholicae exercitium a caesare in universis amplissimae ditionis suae provinciis esse indultum; concessum etiam fuisse Capucinis, ut in urbe Moscua Ordinis sui monasterium fundarent; Iesuitis, ut templum domumque cum gymnasiis ad erudiendam litteris et christianis moribus iuventutem construerent, et R. Ecclesiae missionariis, ut per Russiam libere tutoque in Sinarum imperium et alia orientalium Indiarum regna transirent. Pontifex, ut prospiceret Ruthenorum catholicorum utilitati, Leopoli in celeberrimo Russiae australis emporio domicilium extruendum curavit, in quo adolescentes sinceris doctrinis et moribus imbuti, in patriis deinde regionibus de catholicae fidei propagatione ac conservatione utili opera bene mererentur. Quum anno 1703 Dublini in Hibernia multa, tum civicis tum sacris, Hibernorum catholicorum iuribus contraria fuissent decreta, iuramenta iniqua praescripta, Pontifex maximorum principum officiis omnique conatu usus est, ne Anna Stuart, Iacobi II filia sed haeretica, quae an. 1702 in solium fuerat evecta, iniquas leges confirmaret; idque consecutus est, ut novarum legum rigor sensim mitesceret, eaeque pedetentim negligerentur. Cum in ducatu Barrensi et in Lotharingia Leopoldus Iosephus, utriusque regionis dux, novarum legum codicem, dictum Leopoldinum, praescripsisset, in quo plura continebantur, quibus ecclesiastica iurisdictio et libertas ipsaque suprema R. Pontificis potestas manifeste violabantur et evertebantur; Pontifex post diligentem istius codicis discussionem, eumdem damnavit. episcopos Barri ac Lotharingiae vehementer hortatus est, ut inflictis Ecclesiae vulneribus mederentur, sacrasque immunitates et iura strenue tuerentur; demum a Leopoldo duce impetravit, ut emendato codice, res in pristinum statum restituerentur. Petente Ioanne V, rege Lusitaniae, archiepiscopatum Ulyssiponensem in duos divisit, orientalem et occidentalem, posteriorem ad gradum patriarchatus cum multis praerogativis et honoribus evexit, eique tres Lusitaniae archiepiscopatus, Ulyssiponensem orientalem, Bracarensem et Eburianum subordinavit. Qua autem ratione Clemens XI libertatem ecclesiasticam defenderit in Sicilia, dicemus infra. Suis etiam locis videbimus quae egerit in causa Iansenistarum et in controversia de ritibus Sinensibus.

Interim in omnes etiam remotissimas regiones apostolicam sollicitudinem extendebat. In Perside catholicae fidei praecones peculiaribus litteris commendavit regi Hosaino, quem *Schiach* et *Sultan* vocant, et ab eodem Persis catholicis liberam religionis suae professionem impetravit. Uberes sibi evangelicae praedicationis fructus pollicitus in recens detectis vastissimi Sinarum oceani insulis, quas Palaosicas appellant, Philippum Hispaniae et Ludovicum Galliae reges hortatus est, ut missionariis, in eas insulas profecturis, navigia, commeatum aliaque, huic missioni necessaria, impertirentur. In imperium etiam magni Mogolis et in Tartariam sinensem Evangelii praecones misit. Monitus, in Chaldaeorum tractu, qui non exiguam Asiae maioris partem occupabant, latissimum propagandae orthodoxae fidei patere campum, multos, praesertim e Praedicatorum Ordine, viros, qui optata perficerent, eo destinavit. Selectos quoque orthodoxae fidei doctores misit in Ægyptum ad tentandam Coptorum seu Monophysitarum conversionem. Alios direxit in Æthiopiam. In Guineam itidem viros Ord. Praedicatorum, pietate et propagandae Fidei ardore repletos, destinavit, quorum opera ibi res catholica multifariam aucta est. Quum per adventum Francisci Ticinensis, Ordinis Capucinorum, qui in regno Congitano diuturnam apostolicis ministeriis operam impenderat, religionis catholicae statum et incrementa in Congo et finitimis provinciis audivisset, Petro, supremo Congi domino, de ea re bene merito, regium diadema pretiosis ornatum gemmis misit. Brasiliensium aliorumque Americae populorum nunquam immemor, per certa annorum intervalla lectos ex Hispania et Lusitania viros ad illos destinavit, quo res christianae meliori semper loco starent.

Praeterea Clemens XI Pium Pp. V, Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio et

Catharinam Bononiensem inter Sanctos retulit; festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. in tota Ecclesia de praecepto servari et celebrari mandavit [1], eiusque sponsum s. Iosephum novo Officio decoravit, quod ex aptis ss. Librorum verbis ipse composuit [2]. Gnomone astronomico ad usum Kalendarii constructo aptavit saecula Verbo Dei, formataque linea, uti vocant meridiana, quae cursum Solis ostenderet, effecit, ut temporum ratio Paschae celebrando constituta a Synodo Nicaena et a Gregorio XIII emendata nosceretur facile et serveretur probe [3].

Urbem quoque multimodis ornavit. Graecae Latinaeque linguae peritia praestabat, veteresque imitatus Pontifices, laudatissimas homilias habuit ad populum, in quibus s. Leonis M. patroni sui gravem et robustam expressit eloquentiam, quae una cum suis allocutionibus consistorialibus, epistolis et Brevibus, studio cardinalis Albani nepotis eius edita sunt [4]. Hinc magna in eo fuit non Religionis modo, sed etiam literarum cura. Nam et Vaticanam bibliothecam auxit manuscriptis linguarum exoticarum, exemplis undique petitis, et liberalium artium professores coluit, fovit patrocinio, decoravit honoribus Urbini quoque instituit publicam bibliothecam in coenobio Conventualium. Illud quoque memoria dignum, quod pro Tribunali in aede Vaticana excepit Confessiones sacras, quod Nosocomia obivit, quod licet incommoda plerumque uteretur valetudine, omnes facile admisit, et infimis etiam patientes aures praebuit dicere solitus, *Principis esse omnia scire, non omnia exequi*. Qua facilitate urbanos, externosque magistratus continuit in officio, atque effecit, ut nullo respectu rerum privatarum, quae semper offecere publicis, ius suum cuique tribuerent. Tandem xiv° calend. aprilis an. 1721 obiit, cum regnasset per *ann.* 20, *mens.* 3, *dies* 25, aetatis suae 72, ab omnibus, solis Iansenistis exceptis, communi praeconio celebratus, ut optimo etiam succedenti Pontifici difficilis aemulatio foret [5].

---

[1] Const. *Commissi Nobis divinitus*, 120, t. 10 p. I *Bullarii*. Vid. quoque p. 109.
[2] Lambertinus, *De Serv. Dei Beat.* etc. l. 4, p. 2, c. 20, n. 5. De Institutione vero festi S. Ioseph legesis p. 134, not. 5.
[3] De Linea meridiana Clementina multi ad hanc diem scripsere; inter quos vid. *De vita et rebus gestis Clementis XI*, cit., l. II, § 38.
[4] Romae 1729, 2 voll. in-fol.
[5] P. F. Lafiteau, *Histoire de Clément XI*, 2 voll. in-12°; S. Reboulet, idem, 2 voll. in-4°.

36. *Monarchia Sicula*—Pontificatum gerente Clemente XI, lis acris agitata est de apostolica regni Siculi legatione, quam *Monarchiam Siculam* vocabant. Contenderunt reges Siciliae, se vi diplomatis, ab Urbano Pp. II dati, esse Sedis Apostolicae legatos natos et omnia posse, quae sunt de iure Legatorum a latere [1]. Ista Monarchia seu praesumpta legatio a rege translata est in regios ministros, qui illius tribunal componebant. Hoc tribunal sibi ius arrogabat causas et personas ecclesiasticas iudicandi et puniendi, excommunicandi et absolvendi quosvis, laicos, monachos et clericos cuiuscumque dignitatis etiam episcopalis, impediendi appellationes ad Apostolicam Sedem, non admittendi eiusdem Sedis nuncios, neque ipsam Apostolicam Sedem respectu iurisdictionis ecclesiasticae recognoscendi, nisi in casu praeventionis. Eiusmodi res non minus clero et episcopis Siculis, quam Apostolicae Sedi iniuriosa et invidiosa erat. Iam cardinalis Baronius aliique deinceps viri eruditi multis animadversionibus diploma Urbani II, quod an. 1513 I. L. Barberius primus in lucem protulit, suspectum reddiderunt; atque, admissa etiam eius authentia, ostenderunt, illud tantum fuisse concessum Rogerio comiti eiusque filiis seu haeredibus, proinde cessasse, dum regnum Siculum ad aliam transiit familiam; illud nullum vestigium dicendi iuris sacri et ecclesiastici prae se ferre, sed eas tantum partes, quae sunt principis Ecclesiae filii, Rogerio demandare, ut pro sua in Ecclesiam reverentia apostolicorum iussorum executionem curaret; post Urbani II aetatem praecipuas R. Ecclesiae legationes in Sicilia a viris sacris fuisse peractas, et Siculos more consueto ad Apostolicam Sedem provocationes instituisse [2].

Quum autem anno 1711 N. M. Tudeschi, episcopus Liparensis, quosdam officiales propter violatam immunitatem ecclesiasticam excommunicasset, et regii ministri praetextu Monarchiae Siculae excommunicatos absolvissent, Clemens XI, ab episcopo Liparensi interpellatus, impertitam a regiis ministris absolutionem propter defectum iurisdictionis nullam declaravit. Ii vero in sententia sua persistentes, carcere aliisque modis saevierunt in clericos Liparenses, qui excommunicatos ad sacra admittere nolebant. Pontifex huiusmodi causa indigne fe-

---

[1] Cf not. 4 ad calcem p. 13, col. 2.
[2] Vid. *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia*, Rom. 1715.

rens, eorum auctores et cooperatores excommunicatione fulminavit. Administri regii his minime flexi, episcopos et alios, qui Pontifici parebant, carcere, contumeliis, exilio affecerunt. Quum igitur magistratus Siculi, Monarchiae praetextu, Apostolicae Sedis potestatem conculcare pergerent, Clemens XI, x° calendas martii 1714 Constitutione, *Romanus Pontifex*, praesumptam Monarchiam Siculam eiusque tribunal abolevit, litterasque ad episcopos Siculos dedit, quibus normam dirimendi deinceps causas, ad ecclesiasticum forum spectantes, praescripsit. Ab hac constitutione regii fisci procurator ad Pontificem melius instruendum et ad Apostolicam Sedem appellationem instituit. Anno 1718 Philippus V, rex Hispaniae, maxima Siciliae parte occupata, petentibus Siculis, cum Clemente Pp. XI consensit, ut omnes, qui propter obedientiam Apostolicae Sedi praestitam, exilio aut munerum privatione fuerant affecti, restituerentur; censuris apostolicis perstricti post poenitentiam absolverentur, et ecclesiae sacris interdictae, his redderentur. Quum postea regnum Siciliae recuperasset Carolus VI imperator, Benedictus Pp. XIII ad pacem et concordiam in eo firmandam Constitutione, *Fideli ac prudenti*, data III° calendas septembris 1728, apostolicam legationem in Sicilia principi, de Apostolica Sede et universa christiana republica bene merito, restituit, praecisis abusibus, propter quos a Clemente XI fuerat abolita, eiusque usu ad iuris et rationis modum sapienter contracto[1]. Gregorius Pp. XVI, Breve *Iamdiu* die 3 martii 1846, instante Ferdinando II utriusque Siciliae piissimo rege, salute animarum et publica tranquillitate nonnullos abusus huius tribunalis reparavit, approbans matrimonia contracta vi despensationis immerito datae, atque declarans quid in posterum de hac agendum erit. Pius Pp. IX vero, Breve *Peculiaribus adductus* die 26 ianuar. 1856, in testimonium benevolentiae erga eumdem Principem novas favore Siciliae concessiones Monarchiae dicto tribunali tribuit, regulasque habendas in causis peragendis sive de matrimoniali dispensatione, sive de nullitate religiosae professionis, sive de restitutione in integrum tradidit. Ast rebus et temporibus mutatis et Sicilia in dominium *italici regni*, auctoritatem Romani Pontificis factis respuentis, dolose lanquente, ipse Pontifex Pius IX suis apostolicis litteris, *Suprema universi*, v° calend. febr. 1864 datis, publicatis autem VI° idus octobr. an. 1867 et *Multis gravissimis* eiusdem mensis et anni, quum experientia demonstraret maxima orta esse et oriri damna ex hisce concessionibus, easque omnis generis corruptelis et abusibus aditum aperire, et Ecclesiae et saluti animarum maxime adversari, auctoritate sua Apostolica eamdem Apostolicam Legationem et Monarchiam suppressit, extinxit, et abolevit; insuper omnia eius intuitu Siciliae regibus concessa prorsus delevit, facta per decennium illius regionis Episcopis facultate diversimode occurrendi fidelium necessitatibus[1].

37. *Ritus Sinenses et Malabarici*—Altera de ritibus Sinensibus his temporibus resuscitata est controversia, cuius originem praecedenti saeculo exposuimus[2]. Post Alexandri Pp. VII decretum concordia inter missionarios restituta fuerat, et perduravit usque ad annum 1693, quo Carolus Maigrot, seminarii Parisiensis, quod exterarum missionum vocant, alumnus, qui an. 1684 cum aliquot sociis in Sinas venerat et deinde Vicarius apostolicus provinciae Fokiensis creatus fuerat, contra ritus Sinenses mandatum dedit. In hoc mandato vicarius apostolicus praecipiebat, ut vocibus *Tien* (coelum) et *Xang-ti* (supremus imperator) proscriptis, Deus voce *Tien-chu* (coeli dominus) appellaretur; ut e cunctis ecclesiis auferrentur tabellae, quibus voces *King-tien* (coelum colito) erant inscriptae; declarabat, quaesita Alexandro Pp. VII proposita in multis rebus non esse veridica, proinde missionarios iis niti non posse ad permittendum usitatum apud Sinas Confucii et progenitorum cultum; prohibebat, ne missionarii ulla de causa permitterent Christianis praeesse aut interesse solemnibus caeremoniis, quae bis quotannis ad honorem Confucii et defunctorum progenitorum fiebant; missionarios vero, qui his regulis morem gerere detractarent, post duos menses facultatibus, a se vel quocumque alio vicario aut provicario concessis, privatos fore declarabat.

Tunc, rupta concordia, lis inter missionarios renata est. Maigrot mandatum suum Romam misit cum litteris ad R. Pontificem quibus ea, quae illo edicto prohibuerat, ceu superstitiosa, et idololatrica exposuit.

[1] Guarnacci, *Vitae et gesta RR. Pontificum*.

[1] Cf cit. not. 4 ad calcem p. 13, nec non ephem. *La Scienza e la Fede*, voll. XXXII, p. 150 sqq, et LXVII, 114, 128.

[2] Cf p. 210.

Quum hoc cognovissent Iesuitae, confestim Pontifici obtulerunt libellum supplicem, in quo declarabant et contestabantur, missionarios suos in Sinis nunquam Christianis novellis permisisse usum caeremoniarum cum circumstantiis in mandato et litteris Maigrotii expositis, sed solummodo prout illae fuerant expositae et permissae in decreto s. Congregationis, dato anno 1656. Ex hoc tempore lis de eadem re in ipsa Europa acriter agitata est. Societatis Iesu hostes hanc ansam deprimendi et proscindendi eam avide arripuerunt, praecipue Iansenistae; qui id maxime efficere conabantur, ut irritato Alexandri VII de ritibus Sinensibus decreto, alterum etiam de Iansenii doctrina antiquaretur.

Innocentius XII an. 1699 novam rei controversae discussionem commisit selectis viris s. Officii seu Inquisitionis. Interim Iesuitae, qui Pekini degebant, ab ipso imperatore clarum et expressum testimonium postularunt de ratione, qua Sinenses Confucium et progenitores defunctos colerent, coelo litamen facerent et vocibus *Tien*, *Xang-ti*, *King-tien*, uterentur. Is declaravit, Confucio cultum exhiberi, non ad petenda ab eo bona, ingenium aut dignitatem, sed dumtaxat propter praeclara, quae ut hominum magister reliquerat, vitae documenta; caeremonias fieri erga maiores defunctos ad significandum suum erga parentes amorem et filialem observantiam, non vero ad postulandum aliquod auxilium; defunctorum tabellas erigi, non ea mente ut eorum animae in istis tabellis residere crederentur, sed ut hoc signo exteriori eis gratiae agerentur et eorum memoria refricaretur, perinde ac si praesentes essent; ritum litaminis, quod erga coelum fiebat in suburbano terrae aggere, haud tribui coelo coeruleo ac materiali, sed primo coeli, terrae ac omnium rerum principio, domino ac rectori seu Xang-ti, huncque modo Xangti, coeli dominum, modo Tien, coelum vocari; non secus ac imperator et *summus dominus*, et *imperialis aula*, et aliis nominibus apud Sinas vocari consuevit: quare nominibus variis una et eadem res significabantur, huncque esse verum sensum vocum King-tien. Hanc imperatoris declarationem principes e *colaorum* ordine et primi in imperio ministri suo testimonio confirmarunt. Praeterea episcopi Nankinensis, Ascalonensis, Andrevillanus et Macaënsis, considerantes, in quantum discrimen religio christiana proscriptis ritibus, in Sina coniiceretur, Romam legarunt F. Noël et C. Castner, Iesuitas, qui eorum nomine accusationibus a Maigrotio excitatis satisfacerent.

Isti Romam venerunt an. 1700, quo Innocentio XII successit Clemens XI. Hic controversiae discussionem, sub decessore suo coeptam, prosecutus est. Quaestionibus formandis praeerant quatuor, ut aiunt, qualificatores, omnes aut generales aut commissarii religiosorum Ordinum. Praeterea Clemens XI an. 1702 C. Th. Maillard du Tournon, Pedemontanum, creavit patriarcham Antiochenum, commissarium et Visitatorem apostolicum cum potestate legati a latere in Sinis et Indiis orientalibus. Is anno sequenti, priusquam s. Officium sententiam de ritibus dedisset, Roma profectus, quum in Malabariam venisset, an. 1704 IX° calendas iulii Pondicherii, auditis et consultis missionariis Iesuitis, decretum dedit de ritibus et usibus Malabaricis, in quo constituit, ut in administrando baptismo non omitterentur sacramentalia; baptizato imponeretur nomen alicuius Sancti; collatio baptismi infantibus non protraheretur; matrimonia non permitterentur contrahi inter infantes 6 vel 7 annorum, ut moris erat; mulieres in signum matrimonii ex collo pendentem non deferrent Tally seu auream tesseram, quae prae se ferebat imaginem Pyllaiaris, idoli nuptiis praepositi, neque funiculum centum et octo filorum; nuptiarum ritus ab omni superstitione expurgarentur; mulieres causa menstruorum non arcerentur a Sacramentis; omnibus, etiam pareis seu infimae conditionis hominibus, spiritualia subsidia etiam in eorum domibus praestarentur; Constitutioni Gregorii XV circa lavacra et ablutiones ipsi obnoxii essent missionarii; Christiani tibiis aliisve musices instrumentis, nec in pagodiis nec extra, occasione sacrificiorum aut alterius solemnitatis superstitionem sapientis sonarent vel canerent. Huius decreti exempla Tournonius misit ad patrem provincialem aliosque superiores Iesuitarum in Madurensi, Carnatensi, aliisque Indiarum orientalium regnis, illudque observandum mandavit sub poena excommunicationis quantum ad provinciales et superiores, et suspensionis quantum ad subditos spectabat, donec aliter ab Apostolica Sede vel a se eiusdem auctoritate fuerit provisum. Eiusdem decreti exemplum misit ad Clementem XI, qui illud in generali congregatione, VII° idus ianuarii 1706 habita, ratum habuit et in omnibus observandum mandavit, hac tamen addita clau-

sula: « Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerint ».

Tournonius, rebus in Malabaria constitutis, Pondicherio solvens, sub finem an. 1704 in Sinas contendit, et vi° idus aprilis anni sequentis Cantonem appulit, ubi integro anno moratus est. Iesuitae Pekinenses ad eum transmiserunt libellum, in quo totius controversiae initium, progressus et causas, imperatoris characterem, palatinorum ingenia, gentis mores, et qua ratione cum eis agendum esset, exposuerunt. Ascalonensis etiam episcopus eidem significavit quanta detrimenta christianae religioni e proscriptis ritibus obvenirent. Legatus opera Iesuitarum facultate veniendi Pekinum ad imperatoris praesentiam accepta, sub finem anni 1705 eo pervenit. Imperator legatum honorifice excepit; at ubi eum caeremoniis imperii contrarium novit, eumdem abiecit; C. Maigrot, vicarium apostolicum provinciae Fokiensis, qui antea ritus Sinenses prohibuerat, imperio exire iussit, legemque dedit, qua omnes missionarii, qui legibus seu ritibus istis adversarentur, imperio exire iubebantur; legatum vero dimisit Nankinum.

Interea sacrae Inquisitionis Officium, post plures congregationes et discussiones de praesenti controversia, secundum mandati Maigrotii articulos respondit, repulsis vocibus *Tien* et *Xang-ti*, vocem *Tien-chu* ad significandum Deum esse retinendam; prohibendum esse usum tabellarum cum inscriptione: *King-tien*; non licere Christianis praeesse, ministrare aut interesse solemnibus oblationibus, quibus in utroque anni aequinoctio Confucium et defunctos honorabant; neque iis caeremoniis, quae eidem Confucio a mandarinis et litteratis exhiberi solebant; non permittendum Christianis, ut coram progenitorum tabellis, aedibus aut sepulcris oblationes aliosve ritus aut caeremonias, ut in quaesitis expositum erat, peragerent, aut eis interessent; non vetari tamen Christianis praesentiam seu assistentiam mere materialem, dum gentiles eas caeremonias peragerent, citra ullam gestorum approbationem et omni excluso ministerio, quum aliter odia et inimicitiae vitari non possent, facta tamen fidei protestatione et cessante subversionis periculo; similiter non vetari, quominus erga defunctos peragerent ea, quae vere superstitiosa non essent nec superstitionis speciem prae se ferrent, quae patriarchae Antiocheni et episcoporum atque vicariorum apostolicorum istarum partium iudicio discernenda erant. Haec responsa Clemens Pp. XI xii° calendas decembris 1704 confirmavit, et Tournonio, patriarchae Antiocheno, commissario et visitatori apostolico in Sinis et Indiis orientalibus, transmitti mandavit una cum congrua Instructione, ut tum ipse tum reliqui archiepiscopi, episcopi, aliique, sive visitatoris, delegati seu vicarii apostoloci munere fungentes, laudata responsa ab omnibus cuiusvis Ordinis missionariis, et universis Christifidelibus servari curarent.

Tournonius viii° calend. febr. 1707 decisionem Apostolicae Sedis promulgavit, addito decreto, quo eius observantiam ab omnibus episcopis, vicariis apostolicis, missionariis et presbyteris, sub poena excommunicationis exigebat. Missionarii saeculares et Dominicani decreto legati apostolici subscripserunt; episcopi vero Ascalonensis et Macaonensis, vicarius apostolicus Nankinensis et missionarii Iesuitae ab eo appellarunt Romanum Pontificem. Imperator offensus, Tournonium legatum relegavit Macaum, ubi hic a Lusitanis custodiae traditus et ab episcopo omni potestatis ecclesiasticae exercitio interdictus an. 1710 obiit. Omnibus etiam missionariis, qui decretum Tournonii observabant, ut imperio exirent, praeceptum est. Episcopi et vicarii apostolici a legati decreto appellantes Apostolicam Sedem, miserunt Romam p. Provanam iesuitam, qui an. 1709 Clementi XI duos libellos supplices obtulit. Pontifex, utroque libello Officio Inquisitionis tradito, auditisque cardinalium sententiis, vii° calendas octobris 1710 decrevit et declaravit, responsa s. Congregationis, a se xii° calendas decembris 1704 approbata, et decretum a legato suo Tournonio viii° calendas februarii 1707 editum, ab omnibus et singulis, ad quos spectabat, sub censuris et poenis, in eo expressis, inviolabiliter esse observanda.

Tunc ne qui Societatem Iesu inobedientiae in praesenti negotio simularent, M. A. Tamburinus, generalis Societatis praepositus, una cum assistentibus nationum et procuratoribus provinciarum, coram Clemente XI, nomine totius Societatis, contestatus et professus est constantissimam fidem in observandis his ipsis sicut aliis Apostolicae Sedis decretis.

Priusquam decreta, a Clemente XI anno 1710 data, in Sinas essent perlata, rumor varius de iisdem sub finem anni 1712 ibidem ortus est: alii dicebant, responsa s. Congre-

gationis, an. 1704 data, a R. Pontifice esse suspensa; alii minus legitime promulgata; alii conditioni obnoxia, ideoque obligationem non inducentia antequam conditiones compertae haberentur; alii spem novae ac lenioris declarationis pontificiae praetexebant; alii tam diu expectandum suadebant, donec decreta Roma forent adlata.

Quum haec accepisset Clemens XI, xiv° calendas aprilis 1715 Constitutionem edidit, *Ex illa die*, qua ad tollenda e medio cuncta subterfugia, tergiversationes et praetextus, omnibus et singulis episcopis, vicariis apostolicis, missionariis saecularibus ac regularibus in Sinensi imperio et regnis ac provinciis finitimis sub poenis gravissimis, sibi reservatis, praecepit, ut responsa data an. 1704, quae recenset, inconcusse et integre observarent, atque ab eis, quorum cura ad illos spectabat, observari curarent; omnibus contraveniendi praetextibus, titulis aut coloribus reiectis. Sub eisdem poenis praescripsit cunctis missionariis, in istas regiones transituris, iuramenti formulam, qua se hanc constitutionem eiusque praescripta exacte observaturos promitterent. Hanc constitutionem cum Castoranus, Ord. s. Francisci missionarius et episcopi Pekinensis vicarius, in tribus ecclesiis Pekini perlegisset, in vincula coniectus fuit, ulterior istius constitutionis publicatio prohibita, religio christiana in discrimen adducta, discordia inter missionarios continuata. In hoc rerum statu Clemens XI an. 1719 Ambrosium *Mezzabarbam* seu Mediobarbum creavit patriarcham Alexandrinum et Visitatorem apostolicum cum potestate legati a latere pro Sinarum imperio aliisque finitimis Indiarum orientalium regnis. Hic quum anno 1721 Pekinum pervenisset, ab imperatore petiit, ut Sinensibus christianis decreta pontificia, ad ritus pertinentia, observare, sibique supremam missionariorum directionem gerere liceret. Utrumque negavit imperator. Unde Mezzabarba, relicto Pekino, reditum in Europam suscepit. Cum Macaum esset regressus, ut afflictis rebus christianis aliquam adferret medelam, pridie nonas novembris 1721 litteras pastorales condidit, quibus se Constitutionem pontificiam anno 1715 in suo vigore relinquere, quaedam tamen, propter dubia circa quosdam caeremonias peragi consuetas inter missionarios orta, Sinensibus christianis permittere, declaravit.

Anno 1722 obiit imperator Cang-hi. Eius filius et successor Yong-tching, qui alioquin Christianis parum favebat, a prorege provinciae Fokiensis, aliisque excitatus secundum arbitrium supremi rituum tribunalis in toto imperio religionis christianae exercitium proscripsit, missionarios, exceptis Iesuitis qui in aulae obsequiis erant, Macaum relegavit, principes christianos, eodem secum sanguine procreatos, bonis spoliavit, in exilium et carceres coniecit. Cum mandarini legem imperatoris severe urgerent, Christiani multifariam vexati sunt, eorum ecclesiae vel destructae vel profanatae, non pauci a Fide defecerunt, plures ad eamdem suscipiendam parati, id efficere metuerunt. Iesuitae Pekinenses perperam tentarunt imperatorem ad benigniorem in Christianos animum revocare. Quum is praecipue Christianis exprobraret, quod consuetudinibus imperii adversarentur et progenitorum suorum essent immemores, varii missionarii temperamentis seu concessionibus Mezzabarbae legati usi sunt. Quin imo episcopus Pekinensis anno 1733 cunctis missionariis, qui adhuc in sua dioecesi clam agebant, earumdem concessionum usum sub depositionis poena praescripsit. Alii vero cum Castorano, episcopi Pekinensis Vicario generali, illas concessiones, utpote Constitutioni *Ex illa die* adversas improbabant. Clemens Pp. XII de his missionariorum dissidiis certior factus, vi° calendas octobris 1735 Apostolico Brevi mandatum episcopi Pekinensis irritum declaravit, sibique et S. Sedi reservavit iudicium de iis aliisque ad huiusmodi materiam spectantibus, negotium S. Inquisitioni demandans. Sed morte praeventus, illud absolvere non potuit.

Interim quamdiu imperavit Yong-tching, missionariis Macaum relegatis, exceptis paucis, qui in latibulis manere cogebantur, aditus in Imperium diligenter interclusus est. Nec sub Kien-long, qui illi an. 1735 in imperio successit, Christiani eorumque missionarii melius habiti sunt; contra multigenis modis exagitabantur; ipsi Iesuitae Pekinenses clausis templorum ianuis Religionis mysteria celebrare cogebantur; caeteri vero missionarii, qui aut latebant aut Macao clam in suas provincias penetrare potuerant, interdiu absconditi, noctu collectis tacite Christianis in vilissimis ergastulis aut navibus sacra ministrabant; comprehensi longo carcerum squalore, postea etiam morte afficiebantur; ubi vero de eorum praesentia erat suspicio aut indicium, praefecti Christianos promiscue in iudicium

vocabant, quaestionibus, verberibus et cruciatibus afficiebant, ut Religionis ministros proderent. Haec persecutio quamvis multos in Fide roboraret, multis etiam ab ea deficiendi occasio extitit; nec ulla quidem erat ex imperii provinciis, quae non referret tristissima accisae rei christianae vestigia.

Talis fuit Religionis status in Sinis usque ad annum 1742, quo Benedictus Pp. XIV edita Bulla, *Ex quo singulari* (11 iulii) post expositam totius controversiae originem et progressionem, ritus Sinenses et permissiones a Mezzabarba concessas, solemni verborum forma proscripsit, et ad excludendas tergiversationes ac subterfugia, omnibus, qui sacris missionibus in Sinis operam darent et deinceps daturi essent, novam iurisiurandi formulam de hac sua constitutione integre et inviolabiliter observanda sub gravissimis poenis praescripsit. Sic tandem lis Apostolicae Sedis iudicio finem accepit. Sed persecutio in Sinenses christianos iam excitata, vehementius exarsit, ut postea videbimus.

Praeter controversiam de ritibus Sinensibus, altera diu agitata fuit de ritibus Malabaricis. Eius originem iam indicavimus [1]. Quum Carolus Thomas de Tournon, a Clemente XI in Sinas et Indias orientales legatus [2], Pondicherium venisset, et cognovisset certos ritus seu caeremonias inter Christianos ab aliis missionariis tolerari et observari, ab aliis vero improbari et prohiberi, VIII° idus iulii 1704 decretum publicavit, quo plures ex istis ritibus sub gravibus poenis censurisque prohibuit, donec aliter a Sede Apostolica vel a se eius auctoritate fuisset provisum. Hoc decretum in Congregatione S. Officii rite perpensum, Clemens XI VII° idus ianuarii 1706 approbavit et observandum mandavit, hac tamen addita clausula : « Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerint ».

Verum falsus rumor per Indias increbuit, Pontificem decretum legati sui revocasse et nonnullas e caeremoniis in eo proscriptis approbasse. Quapropter Pontifex an. 1712 authenticum exemplum decreti sui cum litteris in forma Brevis misit ad episcopum Meliapurensem, ut ei aliisque episcopis et missionariis constaret, quae eo usque esset Apostolicae Sedis mens de Tournonii decreto. Quum tamen plures litteras ex Indiis contra decreti Tournonii rigorem accepisset, varios etiam missionarios audivisset, controversiam ab origine repetendam et discutiendam iudicavit, hocque negotium commendavit doctissimo Lambertini, s. Generalis Inquisitionis consultori. Rem prosecutus est eius successor, Innocentius XIII, sed et ipse, priusquam ea esset perfecta, obiit. Benedictus XIII, illius successor, controversiae finem constituit per litteras in forma Brevis, sub finem an. 1727 ad universos episcopos et missionarios regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis datas, quibus decretum Tournonii confirmavit et observandum praecepit.

Verum qui ab initio Tournonii decreto adversati fuerant, Clementi XII, qui an. 1730 Benedicto XIII successerat, declararunt, nihil sibi aut episcopis et missionariis Indiarum de confirmatione et litteris Benedicti Pp. XIII fuisse legitime denunciatum, impetraruntque, ut causa rursus s. Officii examini et cognitioni subiiceretur. Post plures Congregationes, in quibus utriusque sententiae patroni auditi sunt, s. Officium Tournonii decretum maiori parte confirmandum, nunnulla moderanda, explicanda aut aliqua ex parte remittenda censuit. Has sententias Clemens XII IX° calend. septembr. 1734 confirmavit, inseruitque litteris apostolicis in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus et Carnatensibus episcopis ac missionariis mandavit, ut lata a se decreta tum ipsi religiose observarent, tum ab aliis omnibus diligenter observari curarent.

Pontificis litterae in Indiarum regnis publicatae et a missionariis subscriptae sunt. Cum tamen audivisset Clemens XII, quod quidam contra facere auderent, III° idus maii 1739 aliis litteris iisdem episcopis et missionariis in regnis Indiarum orientalium datis sub gravioribus poenis praecepit, ut decreta sua ab omnibus observarentur, nullusque apostolico munere fungeretur, qui iureiurando, cuius formulas praescribebat, se eis obtemperaturum non promiserit. Omnes episcopi et missionarii imperatis a Pontifice obtemperarunt. Quod cum e certis documentis cognovisset Benedictus XIV, Clementis XII successor, pridie idus septembris 1744 Constitutionem edidit, *Omnium sollicitudinum*, in qua controversiae origine, progressu, Tournonii suorumque decessorum decretis expositis, ad reliquas adhuc

[1] Vid. p. 209.
[2] Vid. p. 233 sq

dubitationes et propositas quaestiones dedit resolutiones et responsiones congruas[1].

38. *Lites Iansenisticae* — Lites autem Iansenisticae, ab annis aliquot in Gallia sopitae, ineunte hoc saeculo revixerunt. Quidam sacerdos 40 doctoribus Sorbonicis proposuit casum conscientiae, a Iansenistis, ut dicitur, confictum: quo quaerebatur an in sacro confessionis tribunali absolvere liceret clericum, qui confiteretur, se 5 propositiones Iansenii damnare, quemadmodum eas damnarat Ecclesia; quantum autem ad factum spectat, an eae sensu damnato in libro Iansenii contineantur, se non nisi religiosum observare silentium. Doctores Sorbonici responderunt, huiusmodi clericum esse absolvendum. Hoc responsum, an. 1702 typis vulgatum, Iansenistarum audaciam auxit eoque ad eludendas Constitutiones Apostolicas usi sunt. Clemens Pp. XI an. 1703 sententiam Sorbonistarum proscripsit. Eamdem sententiam Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, aliique multi episcopi Galliae, theologi etiam Duacenses et Lovanienses censuris variis notarunt. Ipsi doctores Sorbonici a Ludovico rege XIV decisionem suam revocare coacti sunt, quod reipsa, uno excepto Petitpied, fecerunt.

Quum vero Iansenistae continuo contenderent, circa factum sufficere religiosum seu obsequiosum silentium hacque via Constitutiones apostolicas eluderent, doctrinam Iansenianam in corde suo retinebant et clam disseminabant. Clemens XI, a Galliae rege et episcopis nonnullis rogatus, an. 1705 Bullam edidit, *Vineam Domini Sabaoth*, in qua Constitutiones Innocentii X et Alexandri VII confirmavit, litteras Clementis IX et Innocentii XII, in forma Brevis datas, a falsis Iansenistarum interpretationibus vindicavit, doctrinam in relato casu conscientiae expressam damnavit, declaravitque, « obedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisferi; sed damnatum in 5 praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christifidelibus ut haereticum, non ore solum, sed et corde reiici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supra dictae formulae subscribi licite posse ». Haec Bulla eodem anno a clero Gallicano in comitiis generalibus et a Sorbona acceptata, a curiis regni in catalogum legum publicarum relata, et ab episcopis, uno excepto Pontiopolensi (Saint-Pons), publicata est. Eadem bulla subscribenda proposita fuit monialibus Portus-Regii, quarum coenobium erat praecipua refractariorum sedes et quasi centrum. Cum vero istae moniales in sua contra Constitutiones apostolicas rebellione pertinaces, bullae Clementis non nisi cum restrictione, salvis nempe iis, quae pro se in pace Clementina fuerant decreta, subscribere vellent, earum monasterium regis mandato et archiepiscopi Parisiensis, Cardinalis de Noailles, assensu, anno 1709 abolitum et destructum est; ipsae vero per diversa coenobia dispersae sunt, in quibus melius edoctae intra 4 annos, una excepta, se Constitutionibus apostolicae Sedis submiserunt.

Quum autem Ludovicus XIV neminem Constitutionibus apostolicis aperte refragari ferret, plures refractarii, maxime eorum coryphaei, confugerunt in Belgium; neque in eo secure agentes, transierunt in Bataviam seu Hollandiam, ubi triste schisma inter Catholicos excitarunt. — In hac regione Catholici hactenus praeclara exempla constantiae in Fide ac pietatis et reverentiae in Apostolicam Sedem dederant. Prima schismatis semina sparsit Ioannes de Neercassel, Gorcomiensis, Oratorii Parisiensis presbyter et ab an. 1663 episcopus Castoriensis atque vicarius Apostolicus in Hollandia; qui quamvis Romae formulario Alexandri VII subscripsisset, Iansenianae factionis coryphaeis familiariter usus est. Schisma consummatum fuit sub eius successore, Petro Coddeo seu Codde, qui Amstelodami natus, e presbytero Oratorii an. 1686 archiepiscopus Sebastenus et Ioannis de Neercassel in Vicariatu apostolico successor, cum Iansenistis in has regiones profugis, praesertim cum P. Quesnel singularem amicitiam coluit, formulario Alexandri VII subscribere renuit, illorum novitates, doctrinam et disciplinam suscepit, et tum in clero tum in populo firmare studuit. Romam vocatus, anno 1702 ab officio vicarii apostolici suspensus et 3 april. 1704 depositus fuit. Attamen iam multi e Catholicis, etiam e clero, erant Iansenismo infecti, qui Coddeum, etsi depositum et interdictum, tanquam episcopum suum venerati sunt. Novus vero Vicarius apostolicus, quem R. Pontifex in locum Coddei constituerat, a magistratu civili muneris sui exercitio prohibitus, imo postea ex Hollandia relegatus est. Coddeus impoenitens

[1] Natal. Alexand., *Hist. eccl.*, Supplem. t. II, Diss. 4; Georg. Pray, *Hist. controvers. de ritibus Sinicis*; Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.* l. II.

obiit an. 1710, sed cum eo schisma minime extinctum est, uti mox dicturi sumus[1].

Inter refractarios modo in Hollandiam profugos notissimi sunt Ægidius de Witte et Paschasius Quesnel. Prior patria Gandavensis et iam B. M. Mechliniae pastor, coeco furore causam Iansenianam propugnavit, et in Constitutiones apostolicas, praesertim in Bullam, *Vineam Domini*, invectus est. Testantur id scripta eius, inter quae praecipua sunt Panegyris ianseniana et Denunciatio Bullae *Vineam Domini Sabaoth*, facta universae Ecclesiae[2]. Quesnel Parisiensis et Oratorii Parisiensis presbyter, quum fidei formulae, a sua Congregatione iansenianis erroribus oppositae, subscribere nollet, ad deserendam patriam compulsus, anno 1685 confugit Bruxellas in Belgio. Hic quidem occulte, in Hollandia liberius rem iansenisticam promovere, clerum et populum a debita Sedi Apostolicae et episcopis obedientia abstrahere et calamo et opere conatus est. Anno 1703 iussu Philippi V, regis Hispaniae, et Humberti de Precipiano, archiepiscopi Mechliniensis, interceptus, custodiae mancipatus est. Non multo post amicorum ope e custodia ereptus, confugit in Hollandiam, ubi an. 1719 decessit[3].

39. *Bulla Unigenitus* (*an.* 1713) – Gravissimis porro litibus et motibus causam dedit liber Quesnelli, gallice scriptus sub titulo: *Novum Testamentum cum annotationibus moralibus super quemlibet versum*[4]. Opus primum comparuit an. 1671, multisque propter pietatis speciem et dictionis elegantiam placuit. Prae caeteris de Noailles, tunc episcopus Catalaunensis, illud tum clero tum populo commendaverat. Alii vero in eodem libro haud paucas assertiones erroneas et noxias, speciatim Iansenismo affines, deprehendebant. Lis aucta est, quum de Noailles, factus archiepiscopus Parisiensis, an. 1699 librum Quesnelli, a se correctum, denuo typis mandari curavit. Contra episcopus Vapincensis an. 1703 illud dioecesanis suis prohibuit. Crescente lite, Clemens Pp. XI opus a selectis censoribus discuti iussit, et an. 1708 secundum unanimem eorum sententiam Breve, *Universi*, emisit, quo librum Quesnelli damnabat, et ne quis eum legeret aut venderet, sub poena excommunicationis maioris interdicebat, affirmans in eo doctrinas et propositiones seditiosas, temerarias, perniciosas, erroneas, iam damnatas et haeresim Iansenisticam manifeste sapientes, passim occurrere. Secundum Pontificis Breve anno 1710 episcopi Rupellensis et Lucionensis iunctis consiliis litteras pastorales ediderunt, quibus Quesnelli liber ut perniciosus proscribebatur. Contra, Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, mandatum edidit, quo Litteras pastorales duorum istorum episcoporum censuris notavit, earumque lectionem suis interdixit. Ludovicus XIV aliique summae auctoritatis viri utramque partem inter se conciliare frustra conati sunt.

Clemens XI, pastoralis curae suae stimulis, frequentibus orthodoxae fidei zelatorum querelis, complurium episcoporum Galliae ipsiusque regis litteris et precibus permotus, dissidiis obviam ire decrevit. Nihil opportunius ac salubrius a se praestari posse arbitratus, quam ut fallacem libri doctrinam, antea generatim dumtaxat indicatam, pluribus ex eo singulatim excerptis propositionibus distinctius explicaret, rem commisit congregationi 5 Cardinalium et 6 theologorum ac iurisconsultorum. Haec 101 propositiones, e libro Quesnelli excerptas, maxima diligentia ac maturitate, omnique studio ac labore, prout rei gravitas exposcebat, multis anno 1712 et sequenti habitis consultationibus, discussas et cum ipso libri textu accuratissime collatas, reprobandas sub variis respective censuris censuit. Quapropter Clemens XI, VI° idus septembris 1713, edidit Bullam *Unigenitus Dei Filius*, qua propositiones illas, verbotenus allegatas, in globo sub variis respective censuris, quarum saltem aliquam singulae mererentur, damnavit, scilicet tamquam respective falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae eiusque praxi iniuriosas, etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi ac haeresim ipsam sapientes, haeresibus et schismati faventes, haereticas, variasque haereses, potissimum eas, quae in famosis Iansenii propositionibus continebantur, manifeste innovantes.

Pontificis bullam omnes ubique episcopi

---

[1] P. 265.

[2] Reliquit praeterea versionem flandricam N. Testamenti, quae multorum censuram meruit.

[3] D' Avrigny, *Mémoires pour servir à l' Hist. eccl.*; Hoynk van Papendrecht, *Historia eccl. Ultraiectinae a tempore mutatae religionis in foederato Belgio*, Mechlin. 1725, in-fol.; L. Mozzi, *Histoire des révolutions dans l' èglise d' Utrecht*, traduite de l'italien, Gand 1828, 3 voll. in-8°.

[4] *Le Nouveau Testament en français, avec des reflexions morales sur chaque verset.*

debita cum obedientia et tanquam dogmaticum Ecclesiae iudicium susceperunt. In sola Gallia pauci eidem refragati sunt, quorum haesitatio vel pertinacia novatorum animos ita extulit, ut incredibili audacia constitutionem pontificiam perverse interpretari et incessere, pravaeque etiam doctrinae et errorum insimulare non erubuerint. Ludovicus XIV Bullam eodem anno, quo edita est, proposuit 48 episcopis Parisiis congregatis, eamque 40 ex iis incunctanter acceptarunt; reliqui 8, quorum dux erat Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, contestati sunt se, quum propositiones damnatae etiam in bonum sensum accipi possent, non nisi sub certis conditionibus, quibus perversus earum sensus definiretur, Bullam acceptare posse; litterasque ad Pontificem dederunt, ut ipse eiusmodi explicationes ederet, et simul singulis propositionibus convenientem censuram adiungeret. His 8 episcopis deinceps 6 aut 7 alii se iunxerunt. Contra, praeter dictos 40 Parisiis congregatos, alii 70 bullam acceptarunt et promulgaverunt. Ipse etiam senatus Parisiensis secundum regis mandatum Bullam sine haesitatione inter leges publicas retulit; Sorbona quoque eamdem acceptavit et regestis inscripsit; pauci vero doctores, qui illam acceptare detrectarunt, partim e Facultate eiecti, partim Parisiis relegati sunt. Ludovicus XIV conditionatam paucorum, vel haesitantium vel rebellium antistitum subscriptionem reiecit; eosque facile in ordinem redegisset, sed dum hac de re cum R. Pontifice agebat, anno 1715 mortuus est [1].

Ludovico XIV in regno successit Ludovicus XV, eius pronepos quinquennis, pro quo usque ad an. 1722 regni administrationem gessit Philippus, dux Aurelianensis, vir moribus corruptus et religionis expers, qui, magno Francorum scandalo, corruptionem in aula fovit, regiae et ecclesiasticae auctoritatis osoribus audaciam, iansenianae et quesnellianae factionibus et pullulanti incredulorum societati vires addidit [2].

In primis post Ludovici XIV obitum Iansenistae, hactenus repressi, animos suos extulerunt. Illorum partes adversarii Constitutionis *Unigenitus* Clemens Pp. XI Cardinali de Noailles litteras transmisit, quibus ei praeter alia ademptionem cardinalitiae dignitatis minabatur, nisi Bullam acceptaret. Verum de Noailles iam ducem Aurelianensem, regni administrum, sibi conciliaverat, qui relegatis reditum indulsit, omnibusque suam de Bulla mentem libere manifestandi facultatem concessit. Tunc lites auctae sunt. Ipsi doctores Sorbonici, aliquot reclamantibus, contestati sunt, se non libere Bullam acceptasse, deinde illius acceptatione e regestis deleta, mentiti sunt, eam numquam a Facultate fuisse receptam. Episcopi plerique Bullam fortiter defendebant, et in clericos suos, eam reprobantes, animadvertebant. Alii novas Bullae declarationes aut damnatarum propositionum explicationes petebant. Iansenistae in ipsam Bullam acerrime invehebantur. Varia ad pacem et concordiam restituendam tentata sunt, sed frustra. Clemens XI Cardinalem de Noailles, factionis principem, nunc amicis, nunc minacibus litteris ad absolutam Bullae acceptationem promovere conatus est. Is vero in sententia sua perstitit; quin imo an. 1717 declaravit, se suosque nunquam acceptaturos bullam, quum inter propositiones damnatas ad minimum 26 essent, quae nullam prorsus censuram mererentur. Haec Noaillii declaratio factiosorum audaciam auxit, et appellationibus ad futurum concilium generale, quas hactenus soli haeretici et schismatici in materia fidei instituerant, ansam dedit [1].

40. *Appellantes a Bulla Unigenitus* (*an.* 1717) — Primi inter appellantes fuerunt hi 4 episcopi, P. de la Broue Mirapicensis, I. Soanen Sanitiensis, C. I. Colbert Montispessulan. et P. de Langle Boloniensis, qui a Constitutione *Unigenitus* ad futurum concilium generale appellarunt, suamque appellationem, calendis martii 1717 scriptam, Romam miserunt. Eorum exemplum secuti sunt doctores Sorbonici, clerici et alii, omnis generis et conditionis, viri et feminae; ad quod efficiendum adversarii memoratae Constitutionis nec labori, nec pecuniae pepercerunt. Accessit etiam Cardinalis de Noailles, qui in appellationis suae documento, quod Pontifici significavit, a Papa male informato ad melius informandum, et ad Concilium generale provocavit. Eius exemplum secuti sunt 12 episcopi.

Clemens XI de his certior redditus, XI° cal. mart. 1718 documentum appellationis 4 episcop. schismaticum et haereticum, illud

---

[1] P. F. Lafiteau, *Histoire de la Constitution* Unigenitus, 2 voll. in-4°, et 3 in-8°; D' Avrigny, *Mémoires* etc.

[2] De Saint-Victor, *Tableau hist. et pittor. de Paris*,. t. IV, part. 2.

[1] Lafiteau, et D'Avrigny, *Opp. citt.*

Card. de Noailles vero schismaticum et haeresim sapiens pronuntiavit. Paulo post appellantibus terminum praescripsit, intra quem appellationem suam revocarent. Eo elapso, v° calendas septembris eiusdem anni litteras, *Officii pastoralis*, ad universos fideles dedit, quibus cum ingenti cordis moerore palam edixit ac declaravit, eos omnes, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis essent, qui laudatae saepius Bullae debitam et omnimodam obedientiam praestare hactenus recusaverint, vel in posterum recusaturi essent, a sua et S. R. Ecclesiae caritate prorsus segregatos habitum iri, nullamque deinceps sibi vel R. Ecclesiae cum illis communionem ecclesiasticam extituram, donec reiecta penitus refragandi audacia, per exhibitionem verae obedientiae resipiscerent.

Cardinalis de Noailles non solum non se subiecit, sed appellationem suam etiam ad excommunicationem pontificiam extendit, et hanc non a Papa ad Papam, sed simpliciter et unice ad generale concilium provocavit. Eius exemplum secuti sunt plures eius clerici, Sorbona, totaque appellantium factio. Ipsa curia (*senatus*) Parisiensis nunc a Bulla tanquam ab abusu Pontificiae potestatis appellavit, et ne litterae Pontificis, ad eam pertinentes, acceptarentur, interdixit.

Verum episcopi Galliae, si 16 vel 17 excipias, cum caeteris per orbem christianum episcopis Constitutionem *Unigenitus*, ut legem dogmaticam et indubitatam fidei regulam sine contradictione susceperunt. Id paulo post ad maiorem obsistentium confusionem litteris testati sunt episcopi Italiae, Germaniae, Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Belgii, Hispaniae, Lusitaniae, Angliae aliarumque regionum. Perperam proinde refractarii ad concilium generale provocabant, quum universa Ecclesia Bullae assentiret.

Interim factiosi Appellantes quorum ad Concilium generale appellationi vel ipsa illa universae Ecclesiae assensio notam inurebat, in ecclesiis Galliae turbas graves excitabant. Cumque episcopi acceptantes in suos clericos rebelles secundum ius animadverterent, hi praesidium magistratus civilis implorarunt, et regni curiae seu *parlamenta* in episcopos diversis poenis, praesertim suspensione proventuum temporalium et combustione litterarum pastoralium, animadverterunt. Turbae ita auctae sunt, ut dux Aurelianensis, regni administer, ad consulendum tranquillitati publicae, vetuerit, ne scripta contra saepe memoratam Bullam prelo committerentur aut venderentur, et ne quid contra reverentiam Apostolicae Sedi debitam scriberetur aut diceretur; curiis, ne Appellantes protegerent, interdixit; episcopos contra magistratus civiles protexit mandavitque, ut utraque pars de bulla ista et materiis ad eam spectantibus usque ad futurum concilium generale silentium servaret, quod minime factum est.

In uniendis quidem dissidentibus haud pauci e summis viris tum in Gallia tum Romae laborarunt; Clemens XI etiam nihil omisit, ut refractarios ad officium reduceret; attamen eius vota frustrata sunt [1]. Porro Appellantium facta sub Clementis XI successoribus suis locis referemus.—Clemens XI ad laborum suorum et virtutum praemia e vivis evocatus est xiv° calend. april. 1721, annum aetatis agens 72, quum per *ann.* 20 *mens.* 3, *dies* 25 regnasset: titulo tanti honoris semper fuit, ut optimo etiam succedenti Pontifici difficilis aemulatio foret.

41. *Innocentius XIII, Pontifex* (*an.* 1721) — Post Clementem Pp. XI, postridie nonas maii an. 1721 pontifex creatus fuit Innocentius XIII, antea Michäel Angelus de Comitibus, romanus, quem praeter claritatem generis, e quo plures Pontifices nati sunt, munera quoque domi forisque gesta supremo honore dignum faciebant. In Apostolica Sede collocatus, prudenti consilio optimos sibi administros elegit. Mitissimo ingenio praeditus, *nec mansuetudo integritatem corrupit*, *nec integritas mansuetudini repugnavit* [2]. Ut divinam opem pro salutari Ecclesiae regimine consequeretur, Iubilaeum indixit et publicas supplicationes decrevit. Festum ss. Nominis Iesu dominica II post Epiphaniam ab universa Ecclesia quotannis celebrari voluit. — Cultum immemorabilem B. Andreae de Comitibus, Alexandri IV fratris filio, Ordinis Minorum, approbavit. — Disciplinam ecclesiasticam in regno Hispaniae composuit Constitutione *Apostolici ministerii*, quam Benedictus XIII in Romana synodo an. 1725 ad totum orbem extendit. Carolo imperatori VI investituram regni utriusque Siciliae et Hierosolymitani contulit. Nullum praetermisit officium, ut principes christianos excitaret ad opem ferendam equitibus Hierosolymitanis seu Melitensibus adversus Turcas, insulam Melitam terra marique oppugnare minitan-

---

[1] Lafiteau, loc. cit.

[2] S. August. *Epist.* 43 alias 162, c. 5, § 16.

tes, ipsis equitibus 20,000 nummorum e proprio aerario misit, sacrumque Cardinalium coetum gravi oratione commovit, ut quisque secundum vires suas subsidia conferret ad redimendos ab imminenti periculo fratres. Adversus Appellantium in Gallia conamina decessoris sui vestigiis inhaesit, ut infra videbimus. Obiit nonis martii an. 1724 aetatis 69, quum supra *biennium* regnasset, *mens.* 9, et *dies* 29.

42. *Benedictus XIII, Pontifex* (*an.* 1724) — Post obitum Innocentii XIII, suffragantibus omnibus cardinalibus, IV° calendas iunii Pontifex renunciatus est Benedictus XIII, antea Vincentius Maria Ursinus, Ordinis Praedicatorum, cardinalis archiepiscopus Beneventanus, vitae sanctimonia, sapientia et zelo pro domo Dei conspicuus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1730. Is omnia solliciti pontificis officia explevit. Anno 1725 Romae in aede Lateranensi provincialem synodum celebravit, cui interfuerunt 32 cardinales, 5 archiepiscopi, 39 episcopi, 3 abbates, 31 episcoporum et abbatum absentium procuratores. Habitae sunt 8 sessiones, in quarum prima 10 articuli, ad fidem et mores spectantes, conditi sunt; Constit. *Unigenitus*, quae fidei regula appellata est, omnimodam obedientiam esse exhibendam, definitum, et proscripti quicumque contra eam editi libri. In aliis sessionibus actum est de clericis, de festis, de sacramentorum administratione, de ecclesiarum immunitate, de monachis et eremitis, de confraternitatibus laicorum, de puellarum reclusoriis, de sepulturis, seminariis aliisque ad optimum ecclesiarum regimen pertinentibus [1]. Eodem anno Benedictus XIII Romae Iubilaeum celebravit, cuius lucrandi causa innumerus peregrinorum numerus in Urbe visus est. In eadem Lateranensi Basilica Pontifex Sacramentum Poenitentiae administravit, ac summi Poenitentiarii munere functus est. Durante Iubilaeo laetum nuncium accepit de firmata inter Carolum imperatorem VI et Philippum V regem Hispaniae pace, et restituta R. Ecclesiae civitate Comaclo, 17 annis a caesareanis intercepta. Attamen concepta e pacis nuncio laetitia turbata fuit: in ea enim Carolo principi, e secundis Philippi V cum Elisabetha Farnesia nuptiis primogenito, successio Parmae et Placentiae, quas Farnesii principes beneficiario iure ab Apostolica Sede tenebant, adiudicata est. Quapropter Benedictus XIII in consistorio coram cardinalibus Apostolicae Sedis iura in Parmam et Placentiam contestatus est.

Idem Pontifex S. Ioseph posuit in Litaniis post S. Ioannem Baptistam [1]. Plures unica Canonizatione descripsit in Sanctos; in his B. Ioannem Nepomucenum, cuius lingua perinde atque illa D. Antonii Patavini, non integra modo, sed recentissima specie, post ab hinc annis 382 conspiciebatur [2]; huius quidem, quod ita dixit, ut divinas laudes, divinamque doctrinam mirifice amplificaverit; illius vero, quod ita tacuit, ut secreta sibi administranti Sacramentum Poenitentiae commissa inter varia gravissimaque tormentorum genera perpetuo religiosoque silentio compresserit. Lateranensem basilicam, novis operibus restitutam, solemni ritu consecravit. Academiam theologicam, sub Clemente XI institutam, singulari amore et benignitate prosecutus est. Caeremoniarum librum, quo utuntur episcopi, correxit. Episcopis mandavit ut Clericis educandis erudiendisque Seminariorum erectionem promoverent, congregationem instituens de rebus ad ea pertinentibus consulendam [3]. Quum ab Ordinibus regni Po-

[1] Contenderunt aliqui, Constitutionem *Unigenitus* nunquam a synodi patribus *regulam fidei* fuisse appellatam, eaque verba illius actis esse inserta. At hanc opinionem inter alios refellendam suscepit Zaccaria in opere, quod inscribitur, *Difesa di tre Sommi Pontefici*, p. 41.

[1] Benedictus XIV, *De Servor. Dei Beatif.* etc. l. IV, part. 2, c. 20, n. 5, 7 sqq.—Fidelibus omnibus, qui ad pulsationem Campanae hora meridiana et post solis occasum Orationem Angelicam (*Angelus Domini* etc.) flexis recitarent genibus, cum addito trium *Ave Maria*, Benedictus Pp. XIII (die 26 septembris 1724) concessit plenariam Indulgentiam, ac remissionem omnium peccatorum, dummodo aliqua die cuiuslibet mensis ad beneplacitum Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae receperint, ac oraverint pro pace et concordia inter Principes christianos, Haeresum extirpatione et S. Ecclesiae exaltatione. Itemque Fidelibus vere contritis, quoties Salutationem eam Angelicam devote recitarent, centum dies Indulgentiae impartitus fuit. Iam an. 1455 Callistus Pp. III, ut est in *Chron. S. Anton.* (p. 3, t. 22, c. 14) mandaverat per solemnes litteras Apostolicas ubique terrarum fidelium singulis diebus inter Nonam et Vesperas pulsari in omnibus ecclesiis ad *Ave Maria* ter. In qua pulsatione quicumque diceret genibus flexis ter *Ave Maria* et *Pater Noster*, consequeretur indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum. Vide quoque p. 91, not. 2.—De Auctore et de tempore *Ave Maria* recitationis fusius in Effemerid. *La Scienza e la Fede* vol. cxv, Napoli 1879.

[2] Lambert. *Op. cit.* l. IV, part. 1, c. 30, n. 15.

[3] Constit. *Creditae nobis divinitus*, 67, in t. II *Bullarii*.

lonici anno 1726 in comitiis Grodnensibus nova lex sancita fuisset, nuntio apostolico Vincentio Santinio et iurisdictioni Apostolicae iniuriosa, ad propulsandam iniuriam et litteris et ablegatione extraordinaria usus est. Monita eius effecerunt, ut rex et Ordines quidem a legis executione temperarent, acta tamen non rescinderent; quapropter Pontifex, ne auctoritas Apostolica et libertas ecclesiastica quidquam detrimenti acciperent, legem damnavit, et quae inde facta fuerant, abolevit. An. 1729 invisens ecclesiam suam Beneventanam, provincialem synodum in ea celebravit, convenientibus non solum provinciae episcopis, sed et aliis e diversis regionibus praelatis, tum ut Pontificem venerarentur, tum ut de negotiis ecclesiasticis cum eo conferrent. Plura de ecclesiastica disciplina constituit. Inhibuit, ne quis, inconsulto R. Pontifice, e religiosis claustris transiret ad alium quemque Ordinem religiosum, in quo claustralis observantia non vigeret. Decrevit etiam, ut qui e monasticis aliisque regularibus Ordinibus ad episcopatum assumerentur, si apud ecclesias sibi commissas non commorarentur, aut si eas dimitterent, ad claustra sui Ordinis reverterentur. Quae autem egerit in causa Appellantium in Gallia et schismatis Ultraiectensis in Hollandia, suis locis dicemus.

Simultatem gravem habuit cum Victore Amadeo, rege Sardiniae. Is quippe, quum adhuc esset dux Sabaudiae, nixus privilegio, quod Nicolaus Pp. V an. 1451 Ludovico Amadeo, duci Sabaudiae, concesserat, nimirum ut in eius terris beneficia maiora, quae vocant consistorialia, non conferrentur, nisi habitis prius per Pontificem intentione et consensu ducis de personis idoneis, sibi ius asseruit episcopatus, abbatias et alia beneficia conferendi in Sabaudia, Pedemontio aliisque terris, quarum imperium tenebat. Contra haec et alia a duce adversus Ecclesiae immunitatem et Pontificis auctoritatem gesta et decreta, fortiter restiterat et reclamaverat Clemens Pp. XI; unde gravis Pontificem inter et ducem dissensio, quae neque sub Innocentio XIII, Clementis successore, composita est. Quum idem dux, an. 1720 ab imperatore Carolo VI rex Sardiniae creatus, Pontifici, qui hanc insulam R. Ecclesiae feudum vindicabat, hominium praestare nollet, et quarumdam civitatum, quas in Pedemontio ut feuda pontificia possidebat, dominium supremum sibi assereret, dissidia aucta sunt, omnisque utrimque communicatio interrupta. Cum RR. Pontifices, durante discordia, eos, quos rex ad beneficia in Sardinia et caeteris suis terris nominarat, confirmare nollent, multi episcopatus, abbatiae et alia beneficia ibidem vacabant. Benedictus XIII omnia, sed frustra, tentavit, ut regem a praesumptis iuribus reduceret. Demum an. 1727 cum eo conventionem iniit, qua, praeter alia, nominatio ad episcopatus, ad abbatias et alia beneficia regi concedebatur. Verum discordiam sub Clemente XII resuscitatam videbimus. Quid egerit in causa tribunalis Monarchiae siculae iam diximus. Benedictus tanta fuit moderatione, ut in fastigio summo dignitatis, non privatim modo, sed etiam publicae et in orbis totius conspectu monachum potius, quam Pontificem ageret. Tali modo cum annos aetatis 81 ac dies 19 complesset, atque ad extremam senectutem prospera usus valetudine, nullis pro Ecclesia laboribus pepercisset, nactus est morbum pituitae, quo obstruente spiritum, e mortalium numero ereptus est, ut immortali vita frueretur, quam sibi innocentissimis moribus comparaverat. Id accidit anno 1730, IX° calendas martii, post *quinquennium*, ac *menses*, 8, *dies* 23, quam Pontificatum obtinuerat.

43. *Lis de Ordinationibus Anglicanis* — In Gallia novam controversiam excitavit Petrus Franc. Le Courrayer, Rothomagensis, canonicus regularis s. Augustini s. Genovevae Parisiis, qui non solum Appellantium, sed ipsorum Anglicanorum partes defendit. Anno 1723 librum gallice edidit de valore Ordinationum anglicanarum, in quo contendebat, episcopos Anglicanos esse legitimos et veri nominis episcopos [1]. Eius assertiones, communi theologorum sententiae adversas, praeter I. Harduinum aliosque, mox confutandas suscepit Mich. Le Quien [2]. Probant hi, ipsum Matthaeum Parkerum, an. 1559 creatum archiepiscopum Cantuariensem, a quo caeteri episcopi Anglicani suam originem ducunt, non fuisse valide ordinatum; item formam in rituali, ab Eduardo rege VI confecto et in pseudo-synodo Londinensi an. 1562 approbato, praescriptam, secundum quam episcopi Anglicani ordinantur, esse insufficientem, secundum se ambiguam, et ex adiunctis circumstantiis aperte haereticam.

[1] *Dissertation sur la validité des Ordinations anglicanes*, Bruxell. 1723, 2 voll. in-12°.

[2] *Nullité des Ordinations anglicanes*, 4 voll. in-12°.

Tantum abfuit, ut Courrayer assertiones suas revocaret, ut contra ad easdem defendendas alterum librum an. 1726 emiserit, in quo praeterea de primatu R. Pontificis, episcoporum auctoritate, Eucharistiae sacramento et sacrificio, anglicana magis quam catholica ratione disseruit [1]. Ludovicus rex XV utrumque Courrayerii librum denuntiavit episcopis an. 1727 Parisiis agentibus. Hi numero 20 apud cardinalem de Bissy, episcopum Meldensem, congregati, 37 propositiones, e libris Courrayerii excerptas, variis censuris notarunt. Proinde regii consilii decreto iidem libri proscripti sunt. Eosdem libros eodem anno damnavit provincialis synodus Ebrodunensis, et Benedictus Pp. XIII decreto vii° cal. iulias 1728 dato. His conformis est Ecclesiae praxis, quae mandat, ut quoties minister aliquis anglicanus ad catholicam fidem redeat, si dignus sit qui in clerum cooptetur, tanquam merus laicus omnes Ordines suscipiat. Courrayer an. 1728 e Gallia confugit in Angliam, ubi vulgatis aliquot scriptis, ab Apostolica Sede damnatis, an. 1776 impoenitens decessit.

44. *Appellantium status in Gallia* — Dictum est supra de statu factionis Ianseniano-Quesnellianae, seu Appellantium a Bulla *Unigenitus*, usque ad obitum Clementis XI [2]. Post huius Pontificis mortem (1721) blandiebantur sibi factiosi, fore ut plus favoris aut praesidii causae suae, iam desperatae, in eius successore reperirent. Quapropter septem episcopi Galli vii° idus iulii 1721 ausi sunt litteras, prorsus schismaticas, in felle amaritudinis exaratas, Innocentio Pp. XIII inscribere, in quibus Clementis XI memoria sempiternis laudibus digna, proscindebatur, apostolica eius constitutio calumniose traducebatur, utraque potestas impudenter contemnebatur, divina atque humana haeretico spiritu confundebantur. Et ne quid temeritatis argumento et cumulo deesset, auctoritatem novi Pontificis in partem et praesidium suae perversitatis vocare non erubuerunt. Hae litterae et Apostolicae Sedis et concilii regii decreto proscriptae sunt. Eaque occasione Innocentius XIII, ix° calendas aprilis 1722 litteras, apostolici spiritus et vigoris plenas, dedit ad Ludovicum XV et Philippum ducem Aurelianensem, quibus refractariorum audaciam pro merito castigavit atque coërcuit.

[1] *Défense de la Dissertation sur la validité des Ordinations anglicanes*, 1726, 4 voll. in-12°.

[2] Vid. p. 259-260.

Benedictus XIII, Innocentii successor, anno 1725 in Romana synodo, iam enunciata, praecepit, ut constitutio Clementis XI ab omnibus, cuiusvis conditionis aut gradus, omnimoda cum obedientia observaretur; et, si quem cognovissent episcopi in suis dioecesibus de praedicta constitutione male sentire aut loqui, pro pastorali sua potestate in eum animadverterent; pervicaces vero ad Apostolicam Sedem deferrent; libros etiam, contra ipsam constitutionem editos, aut falsas doctrinas in ea damnatas propugnantes, diligenter perquirerent, sibique tradi mandarent, Apostolicae Sedi dein denunciandos.

Similiter clerus Gallicanus in comitiis generalibus, anno 1723, 1725 et 1726 habitis, plurimum questus est de licentia, qua refractarii contra Apostolicae Sedis et episcoporum auctoritatem declamabant, et de molestiis, quas curiae saeculares episcopis eorumque iurisdictionis exercitio inferebant, datisque ad Ludovicum XV, qui iam summam regiminis susceperat, litteris tristem ecclesiarum statum exposuit. Rex cleri expostulationes suscepit, opemque ad corrigenda mala spopondit. Anno vero 1726 Soanen, episcopus Sanitiensis, unus e quatuor primis episcopis appellantibus, emisit Instructionem pastoralem, in qua Quesnelli librum commendabat, Clementem XI eiusque successores et assentientes iis episcopos proscindebat, appellantium causam defendebat suosque dioecesanos hortabatur, ut in accepta a se doctrina constanter perseverarent.

Ad reprimendam tantam audaciam de Guerin de Tencin, archiepiscopus Ebrodunensis et episcopi Sanitiensis metropolita, xvii° calendas septembris 1727 provincialem synodum in sua metropoli coëgit, ad quam etiam invitavit episcopus finitimarum provinciarum. Convenerunt 14 episcopi pluresque presbyteri. Soanen ad synodum citatus comparuit, sed contra congregatos patres, quasi iudices incompetentes, excepit, depositaque reclamatione, discessit. Synodus huiusmodi reclamationis nullam rationem habuit; pastoralem Instructionem Soanen. ceu temerariam, scandalosam, seditiosam, iniuriosam Ecclesiae, episcopis et regiae auctoritati, schismaticam et erroribus plenam, damnavit; illum ab omni iurisdictione et officio episcopali ac sacerdotali suspendit, et Sanitiensis ecclesiae administrationem commendavit Ioan. de Saleon qua vicario generali. Praeterea con-

stitutionem *Unigenitus* declaravit dogmaticum, definitivum et irretractabile Ecclesiae iudicium; omnem ab ea ad generale concilium appellationem et celebre Iansenistarum silentium obsequiosum damnavit; constituit, ut nemo ad ordines sacros, confessiones audiendas, munus concionatoris aut beneficia admitteretur, nisi prius Innocentii X, Alexandri VII et Clementis XI constitutionibus sinceram obedientiam praestitisset; denique declaravit, omnes, qui prohibitos libellos, contra praedictas constitutiones editos, legere, describere aut apud se retinere ausi fuerint, excommunicationis vinculo esse ipso facto innodatos. Soanen quidem contra synodi sententiam reclamavit; 12 episcopi pro eo apud regem intercesserunt, et 50 advocati Parisienses synodi gesta improbarunt. At praestantiores Galliae episcopi et Benedictus Pp. XIII synodi decreta rata habuerunt. Eadem decreta Ludovicus XV sua auctoritate communivit, et contumacem Soanen in abbatia *Casae-Dei* relegavit [1].

Ea Sanitiensis episcopi sors, repetita Benedicti Pp. et Ludovici regis monita, decrescensque appellantium episcoporum numerus effecerunt, ut Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, tandem ad resipiscentiam se converteret. Anno 1728 litteras pastorales edidit, quibus constitutionem *Unigenitus* demisse et pure acceptavit, omnesque litteras, instructiones aut explicationes, quas de illa constitutione antea dederat, revocavit. Ita appellantes praecipuum suum fulcrum amiserunt. Eodem tempore episcopi plures, improbatis suis appellationibus, bullam *Unigenitus* demisse acceptarunt. De Vintimille, Noaillii anno sequenti mortui successor, plerosque ecclesiae suae canonicos ad sinceram Bullae acceptationem permovit. Eodem anno 1729 Sorbona ferme universali suffragio declaravit, decretum, quo bullam anno 1714 acceptarat, esse authenticum, eam iterum tanquam dogmaticum universae Ecclesiae iudicium acceptavit, suamque appellationem et alia contra praedictam bullam acta, revocavit. Denique anno 1730 Ludovicus XV senatum Parisiensem, adhuc renitentem, adegit, ut bullam denuo inter leges publicas referret, quo facto nemini impune licebat eam publice impugnare aut ab ea appellare. Sic factio appellantium, quorum multi confugerunt in Hollandiam, quidem valde imminuta, non tamen exstincta est.

Tunc Appellantes seu Iansenistae, nam illi cum his coaluerunt, ad corroborandam sectam suam vulgare coeperunt miracula, quorumdam appellantium defunctorum intercessione, ut dicebant, patrata. Maxime venditarunt miracula Francisci Paris, diaconi Parisiensis, an. 1727 defuncti et in coemeterio s. Medardi sepulti. Huius sanctitatem alta tuba cecinere sectarii. Plurimi ad implorandam eius intercessionem ad sepulcrum eiusdem accurrebant, et desumptam inde terram, ceu curandis morbis salutarem, asportabant. Brevi tempore rumor de morbis, Francisci intercessione curatis, curiositas, pecunia ab haereticis distributa effecerunt, ut concurrentium ad sepulcrum eius multitudo in dies augeretur. Ab an. 1731 nova et singularia phaenomena in coemeterio s. Medardi dederunt hi superbi et stultissimi rebelles: illi scilicet, qui sepulcro Francisci incumbebant, vehementibus convulsionibus corripiebantur, quae, corpore inde amoto, confestim cessabant, quibusque se a morbis sanatos dicebant; nonnulli, convulsionibus correpti, verba adhortatoria vel consolatoria ad circumstantes faciebant, aut contra bullam *Unigenitus* declamabant aut vaticinabantur. Quibus omnibus cum turbae haud exiguae excitarentur, an. 1732 aditus ad coemeterium s. Medardi iussu regis interclusus est. Id tamen non impedivit, quominus fanatici contenderent, reliquias Francisci aut terram sepulcri eius in alia loca translatas, ubi se insulsis saltibus, saevis membrorum et nervorum contractionibus, aliisque excessibus dabant, eadem prodigia patrare. Quapropter rex an. 1733 tum privatos tum publicos conventus istorum spasticorum seu convulsiones habentium severe prohibuit.

Interim tum e confessionibus eorum, qui miraculose sanati dicebantur, tum e testimoniis medicorum, qui alios ante vel post vulgata miracula curarunt, tum ex assertionibus testium oculatorum et auritorum, aliisque argumentis appellantium fraudes patefactae sunt. Iactata Francisci miracula praeter alios refellerunt Guil. de Vintimille Parisiens. et Ioan. Ios. Languet Senonen. archiepiscopi in litteris pastoralibus, et Lud. La Taste, Ordinis s. Benedicti, in litteris

---

[1] Sanitiensis episcopi fautores synodi Ebrodunensis historiam vulgarunt, in qua eius acta vellicarunt. Contra quos videsis librum P. F. Lafiteau, episcopi Sistaricensis, qui fuit unus e synodi patribus, gallice inscriptum: *Réfutation d'un ouvrage intitulé, Histoire de la condamnation de M. l'évêque de Senez par les prélats assemblés à Embrun.*

theologicis gallice scriptis [1]. Haec ipsa res haud paucos a Iansenistis et Appellantibus abalienavit. Ex ipsis haereticis multi fanaticam aliorum agendi rationem improbarunt, et ab iisdem schisma fecerunt.

Verumtamen sectarii patronos potentes habebant in curiis. Anno 1732 senatus Parisiensis litteras, quibus de Vintimille, archiepiscopus Parisiensis, ephemerides, quae *Nouvelles ecclèsiastiques* inscribebantur, dioecesanis suis legere prohibebat, suppressas voluit, quum Iansenistae et Appellantes in iis acriter perstringerentur. Rex vero obsistentium senatorum alios custodiae tradidit, alios ex urbe relegavit, et senatui potestatem de rebus ecclesiasticis decernendi ademit; quo facto, 166 senatores muneri suo renuntiarunt. Post mensem invitati ad resumendum munus, id quidem fecerunt, sed edictum regium, quo potestas ista senatui adimebatur, in regesta referre noluerunt; quapropter omnes Parisiis excedere iussi sunt. Non multo post iterum revocati et audaciores facti, molestias frequentes tum regiae, tum ecclesiasticae auctoritati intulerunt [2].

45. *Schisma Ultraiectinum* — In Hollandia Iansenistae tetrum schisma, quod hactenus, quamvis plurimum diminutum, perdurat, inter Catholicos excitarunt. Ut vero falsum sit quod hostes Apostolicae Sedis contendunt, evincitur ex eo quod Hollandia saeculo VII fidem ab Apostolica Sede recepit. S. Sergius I in Ecclesia s. Caeciliae die 22 novembr. an. 696 sacravit s. Willibrordum in Archiepiscopum Frisonum, qui Sedi Ultraiectensi respondet. Vita s. Bonifacii, illius successoris, mirifica exhibet specimina ab Apostolica Sede dependentiae dioecesis Ultraiectensis. Quae filialis devotio in sequentia saecula ipsa prosecuta est non solum in rebus fidei et moribus, verum etiam in ecclesiastica disciplina; in qua praecipuum locum obtinebat electio principis-episcopi, quum Sedi Ultraiectensi temporale dominium adauctum fuit. Electio vel designatio principis-episcopi saeculo XII fiebat a Romanis Imperatoribus, et Conradus III per suum diploma 18 octobris 1145, Eugenio Pp. III approbante, hac facultate donabat Capitula s. Martini et s. Salvatoris Ultraiectensium. At in huius iuris exercitio cum experirentur multa incommoda an. 1528 Capitulares Carolo V Duci Brabantis et Hollandiae Comitis illud de facto reddiderunt, se obligantes semper ab eo designatum eligere. Eodem tempore Episcopus temporale dominium pro ipso Carolo abdicavit, et Capitula ratum habuerunt; quae adprobata et confirmata fuerunt a Clemente Pp. VII, die 20 augusti 1529. Tandem Paulus IV an. 1559 Ultraiecti in metropolim erexit pro Suffraganeis ei attribuens Sedes Harlemanensem, Gronigensem, Leovardiensem, Middelburgensem et Daventriensem. Bulla erectionis non Capitulis sed Papae designandi episcopos privilegium Philippo II eiusque successoribus conferebat. Unde iam a saec. XVI Canonici nullo iure gaudebant in Ultraiectensis archiepiscopi designatione. Exeunte saec. XVI potiti sunt Hollandiae protestantes et expulsi rectores hispani; quam vero multa Catholici passi sint, alibi dictum est. Funera Archiepiscopi Friderici Schenk profanata usque fuere calvinistarum psalmis; et novi electi in possessionem suae Sedis venire nunquam potuerunt. Quae cum ita essent, quum novi Hollandiae rectores Episcopos ab Hispania designatos acceptare noluissent, Sedes Apostolica ne Philippum privilegium praesentationis privaret, illas regiones per Vicarios Apostolicos ad modum missionum infidelium regere statuit. Hinc primis Vicarius Apostolicus fuit Sasbold Vosmeer mortuus Coloniae die 3 maii 1614, cui successit Philippus Rovenius, Baldovinus Catz, Ioannes Neercassel: is ianuas Hollandiae aperuit Arnauld, du Vancel, Quesnel aliisque, qui sub Ludovico rege in Gallia constitutionibus apostolicis impune non refragarentur [1].

Deposito Petro Codde, sicuti vidimus [2], officium vicarii apostolici commissum fuit Gerardo Potcamp, parocho in urbe Lugduno Batava, et post huius obitum Adamo Daemen, archiepiscopo Adrianopolitano *in partibus*, qui quum anno 1717 obiisset, vicarius apostolicus constitutus fuit Ioannes Van Bylevelt. Verum Iansenistae, quorum factio aucta erat, praefatos vicarios apostolicos recipere noluerunt, gubernium contra illos excitarunt, et Ecclesiarum administrationem penes praetensum Capitulum Ultraiectense eiusque vicarium generalem esse contenderunt. Iamdudum Capi-

[1] *Lettres thèologiques aux écrivains dèfenseurs des convulsions et autres prétendus miracles du temps*, 2 voll. in-4°.

[2] Lafiteau, *Histoire de la Constitution* Unigenitus.

[1] Vid. p. 257, nec non *La Scienza e la Fede*, vol. XCVIII, pp. 5 sqq., Napoli 1875.

[2] P. 257.

tulum Ultraiectense erat extinctum, iique qui in vicinis locis parochorum officio fungentes, se canonicos Ultraiectenses dicebant, verum legitimumque Capitulum minime constituebant. Post paucos annos isti sic dicti canonici Ultraiectenses, consiliis Bernardi Zegeri Van Espen doctoris Lovaniensis, et quorumdam doctorum Parisiensium e factione Appellantium corroborati, sibi ius esse contenderunt eligendi archiepiscopum Ultraiectensem, et v° calend. mai. 1723 Cornelium Steenhoven, qui iam apud illos vicarii generalis munere fungebatur, elegerunt archiepiscopum, hancque electionem significarunt Romano Pontifici, ut eam confirmaret.

Innocentius Pp. XIII ad petulantes eorum litteras respondere dedignatus est. Post eius obitum sacrum Cardinalium collegium, Sede vacante, per litteras, vi° idus aprilis 1724, datas ad Internuncium Bruxellis agentem, omnibus episcopis vicinis prohibuit, ne Cornelio Steenhoven, cuius electio evidenter erat nulla, manus imponerent. Id vero facere ausus est Dominicus M. Varlet, episcopum Ascalonen. *i. p. i.* Is e praesbytero missionum exterarum Parisiis an. 1718 creatus coadiutor episcopi Babyloniensis, quum per Hollandiam transiret in Persidem, Amstelodami apud Ianseniano-Quesnellistas, quibus deditus erat, moras traxit, iisque postulantibus Sacramentum Confirmationis contulerat. Res summo Pontifici innotuit, qui, re perpensa, eum an. 1720 per episcopum Ispahanensem in Perside omnibus functionibus episcopalibus interdixit. Varlet, relicta Asia, rediit in Hollandiam, ubi se cum Iansenistis coniunxit; xv° calendas martias 1723 a Bulla *Unigenitus*, et a censuris contra se fulminatis, appellavit, et anno sequenti, idibus octobris, quamvis suspensus, interdictus et excommunicatus, Cornelium Steenhoven, assistentibus 2 presbyteris refractariis, consecravit archiepiscopum Ultraiectinum.

Benedictus Pp. XIII datis ix° calendas martii 1725 ad universos Catholicos, in Hollandia commorantes, litteris, electionem C. Steenhoven omnino nullam, eiusque consecrationem sacrilegam declaravit, eum omnibus functionibus sacris interdixit, divinamque indignationem refractariis ob oculos posuit. Cornelius Steenhoven iii° calendas aprilis a Pontificis sententia ad generale concilium appellavit; at post 4 dies, iii° nonas aprilis, ad divinum iudicium evocatus fuit. Eo extincto, Catholici, qui magno numero superabant schismaticos, ab Ordinibus publicis postularunt, ut Vicarios apostolicos, a R. Pontifice electos, apud se habere possent, ita ut obtinuerant ante schisma. Verum schismatici effecerunt, ut illorum preces reiicerentur, et idibus maii 1725 in locum C. Steenhoven mortui elegerunt Cornelium Ioannem Barchman Wuytiers, presbyterum appellantem, qui 30 septembris ab eodem Varlet consecratus est.

Tanta temeritate permotus Benedictus XIII, viii° idus decembris novas ad Catholicos Hollandiae litteras dedit, quibus non solum electionem Cornelii Ioan. Barchman omnino nullam eiusque consecrationem sacrilegam declaravit, reiecit ac detestatus est, sed et ipsum Cornelium Ioannem et qui, ementito canonicorum Ultraiectensium nomine, eum elegerant, item qui sacrilegae consecrationi operam commodarant, et quicumque iisdem adhaesissent, eorumque partes secuti, opem, favorem, auxilium aut consensum praebuissent, auctoritate omnipotentis Dei excommunicavit et anathematizavit, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse declaravit atque mandavit. Illi vero in schismate obstinati, paternae benignitatis monita spreverunt, et in maiorem pervicaciam prolapsi sunt. Barchman eiusque pseudo-canonici ad concilium generale appellarunt, cui appellationi deinde subscripserunt alii 64 presbyteri ex Hollandia et 40 transfugae Galli.

Post mortem Ioannis Barchman, quae incidit iii° idus maii 1733, pseudo-canonici Ultraiectenses xi° calendas sextilis in eius locum elegerunt Theodorum Van der Croon, pastorem Goudanum et iactati Capituli canonicum, eumque v° calendas novembris 1734 consecrandum curarunt ab eodem Varlet, qui Steenhoven et Barchman sacrilegas manus imposuerat. Clemens Pp. XII litteris in forma Brevis, datis iii° calendas martii 1735, rursus Theodorum Van der Croon, eius electores eorumque sectatores declaravit excommunicatos et schismaticos. Van der Croon decessorum suorum more ad concilium generale provocavit suaeque appellationis exemplum cum litteris misit ad vicinos episcopos Belgas; sed Card. de Alsatia, archiepiscopus Mechlinien. rescribens, pseudo-archiepiscopo eiusque sectatoribus larvam detraxit, et eorum impudentiam ac schisma nervose confutavit. Mortuo v° idus iunii 1730 Theodoro Van

der Croon, postridie calend. iulii electus et xvº calend. novembris ab eodem semper Varlet consecratus est Ioannes Meindarts, pastor Leovardiensis. Cuius electionem atque consecrationem Clemens Pp. XII eiusque successor, Benedictus XIV, execrati sunt, quemadmodum eorum decessores electionem et consecrationem praedecessorum Ioannis Meindarts condemnaverant. Meindarts vero, ad decessorum suorum exemplum, ad generale concilium provocavit [1].

A schismatis autem huius temporibus Romani Pontifices administrationem ecclesiarum in Hollandia demandarunt nunciis suis Bruxellis residentibus. Quid vero in posterius schismatici egissent postea videbimus.

46. *Clemens XII*, *Pontifex* (*an.* 1730) — Post mortem Benedicti XIII, quinque fere mensium spatio per irritas contentiones absumto, tandem ivº idus quintilis Pontifex creatur Laurentius Corsinus Florentinus, annum aetatis agens 79, qui ad renovandam memoriam, et aemulandam virtutem Clementis XI, a quo in Cardinalium Ordinem adscriptus fuerat, Clemens XII appellari voluit. Is auspicandi regiminis causa Iubilaeum indixit et supplicationes decrevit, quibus ipse, quo caeteros suo exemplo excitaret, interesse voluit. In eos, qui decessoris sui bonitate abusi, Urbis quietem turbarant, animadvertit. Discordiis in Helvetia exortis inter nuncium apostolicum Dom. Passionaeum, archiepiscopum Ephesinum, et magistratum Lucernensem, qui, illius auctoritate decretisque posthabitis, ecclesiasticos viros suo tribunali subiicere et in eosdem animadvertere contendebat, finem constituit, a magistratu, ut a sententia sua recederet, impetravit, et Passionaeum Lucernam, qua ab ortis dissidiis discesserat, redire iussit.

Dolebat vehementer, per conventionem inter decessorem suum et regem Sardiniae initam, varia fuisse concessa in detrimentum iuris pontificii, auctoritatis episcopalis et iurisdictionis ecclesiasticae [2]; quapropter, cum Victor Amadeus anno 1730 regnum Sardiniae cessisset filio suo Emmanueli, ad novum regem misit legatum, quatenus, rescissa illa conventione, de constituenda stabili concordia ageretur. At legatus pontificius in Sardiniam non fuit admissus, eodemque tempore orator regis Roma discessit. In hoc negotio Clemens XII cardinalium sententiam postulavit, qui omnes unanimiter responderunt, conventionem istam non esse servandam, quum consueta sollemnia in ea fuissent praetermissa, et praesertim quum Benedictus XIII, quem omnes noverant summo semper studio Ecclesiae iura defendisse, non plene informatus ad eam ineundam accesserit, atque paucorum tantum arbitrio fuisset confecta. Quibus perpensis, Clemens XII commemoratam conventionem rescidit, propensissimum tamen se praebuit ad novam cum rege Sardiniae concordiam sanciendam. Inde acerbiores discordiae regem inter et Pontificem secutae sunt. Postea inter regis legatum et Pontificis cardinales Romae de componendis litibus actum est iamque spes erat, fore ut concordia restitueretur, quum Clemens XII mortuus est. Eius vero successor Benedictus XIV an. 1741 dissensiones sustulit, regi concedens, ut ad episcopatus aliaque beneficia viros nominaret, et feuda pontificia, nomine vicariatus Apostolicae Sedis, possideret ea conditione, ut quotannis ad Cameram apostolicam mitteret calicem aureum, mille aureis aequivalentem.

Quamvis Clemens XII in defendendis Ecclesiae iuribus esset diligentissimus, simul tamen fovendae cum christianis principibus concordiae magnopere studuit. Nihil omisit, ut Ioannem V, regem Lusitaniae, in gratiam cum Apostolica Sede reduceret. Hic rex a Clemente XI postularat, ut Vincentium Bichi, qui Ulyssipone nuntiaturam obibat, avocaret, adfirmans eum plura, quae nec munus nec dignitatem eius decebant, commisisse. Clemens XI nuntium obiurgavit, sed non avocavit. Innocentius XIII, eius successor, Bichi revocavit, aliumque in eius locum destinavit. Tunc vero rex postulavit, ut Bichi abiturus, purpura ornaretur; Pontifice eum tanta dignitate haud dignum iudicante, idque denegante, ne tale privilegium regi concedere videretur; rex antiquo nuntio abitum et novo aditum in regnum suum prohibuit. Quum Benedictus XIII decessoris suae sententiae inhaereret, rex an. 1720 subditis suis omnem cum R. Curia communicationem prohibuit. Quibus dissidiis ut finis fieret, Clemens XII Vincentium Bichi, qui iam a rege dimissus diluerat ea, de quibus apud superiores Pontifices incusatus fuerat, an. 1731 in consistorio cardinalem creavit. Eadem dignitate honoravit Iosephum Firraum, eius in nunciatura succes-

[1] Hoynck van Papendrecht, *Historia ecclesiae Ultraiectinae* etc.; L. Mozzi, *Histoire des révolutions de l'Église d' Utrecht.*

[2] Vid. p. 262.

sorem, quamvis hic propter iratum regem munere suo fungi non potuerit. Quo facto, rex superius suum decretum revocavit, et Caietanum de Cavaleriis novum Apostolicae Sedis nuntium admisit.

Idem Pontifex, quum audivisset, in Palatinatu inferiori et ducatu Neoburgensi complures haereticos, abiuratis erroribus lutheranis, ad R. Ecclesiae communionem rediisse, aliosque eorum exemplum secuturos fore, nisi metu amittendi bona ecclesiastica, maioribus suis a tempore mutatae in iis regionibus Religionis occupata et retenta, et secuturae inde inopiae retinerentur; ne id eorum ab haeresi conversioni obstaret, concessit, ut eadem bona ab iis ut propria possiderentur. Pari modo Saxonibus, qui ad catholicam fidem redierant, ut eos in hac firmaret, caeterosque ad eamdem suscipiendam excitaret, potestatem fecit retinendi ecclesiastica bona, a tempore grassantis haereseos occupata. In oppido Ulani dioecesis Bisinianensis seminarium seu Collegium instituit, in quo pueri ritus graeci, in regionibus Calabriae et Siciliae dispersi, non modo litteras, sed et multo magis pietatem veramque religionem addiscerent; qui rectis imbuti doctrinis, apud suos et eos, qui terras ab Oriente colebant, de catholica fide et Apostolica Sede bene mererentur. Ob id Collegium Italo-Graecum *Corsinianum* nomen sibi adscivit. Praeterea approbavit collegium quod Neapoli excitandum curavit Matthaeus Ripa, Neapolitanus, in quo adolescentes Sinenses et Indi litteris et christianae religionis praeceptis instituerentur, ut ita comparati, propagandae inter suas gentes Evangelii luci operam navare possent. Ssrum numero adscripsit Vincentium a Paulo, Franciscum Regis, Iulianam de Falconeriis et Catharinam Fliscam Adurnam [1]. Societates occultas *Liberorum Coementariorum* vulgo dicti *de' liberi muratori* (gallice *des Francs-Maçons*), de quibus infra dicemns, sub poena excommunicationis proscripsit. Plurima in Urbe et in reliqua ditione Pontificia ad publicam utilitatem constituit; inter alia Capitolium ad sculptorum, pictorum et eruditorum commodum decoravit omnigenae antiquitatis monumentis [1]. Frontem Basilicae Lateranensis aedificavit, atque intus in ea sacellum s. Andreae Corsinio splendidissimum atque ditissimum, in quo sibi posuit mausoleum porphyreticum. Ecclesias Pueri Iesu ac ss. Celsi et Iuliani refecit; an. 1730 vias Urbis stravit lapide quadrato, vias quoque consulares ferentes Romam munivit. An. 1732 Palatii Quirinalis equile ab Innocentio XIII coeptum absolvit, et latus terminavit, Familiae Pontificiae domicilio novis aedibus amplificato. Latiorem viam, Romanique fori prospectum, aperuit. Domum administris Pontificiae ditionis negotiis consultandis, atque brevioribus Epistolis, levis armaturae, et thoracatorum equitum turmis, a fundamentis extruxit. Aquam Virgineam copia et salubritate commendatam ornatu magnifico decoravit. In eo etiam insignem laudem adeptus est, quod ad avertendas ab Ravenna, eiusque agro inundationes, Bedesim fluvium, cataracta multiplicis usus extructa, in novum alveum deduxit, in eumdemque Vitim immisit: quod Romanam viam eo alveo interruptam magnifici operis ponte commisit: quod ab Urbe ad mare per septem millia CCLXVIII passus fossam perduxit, in eamque corrivatis aquis faciliori mercium transvectioni prospexit. Portum Anconae paravit, et valetudinaria; Vaticanam quoque Bibliothecam locupletavit.

Desiit Clemens agere inter homines an. 1740, VIII° idus februar. Pontificatum per *annos* 9, *mens.* 6, et *dies* 25, ita peregit, ut habitus fuerit in sontes salubriter rigidus, severiore lege sancita iustissimus, in populis audiendis facilis, in egenos liberalis, in supplices clemens, et potius quam poena, correctione contentus [2].

47. *Synodi Maronitae et Albanenses* — Clemens XII ad Maronitas seu christianos montis Libani incolas ablegavit doctissimum praelatum Iosephum Simonem As-

---

[1] In hac Canonizatione mos oblationis Turturum, Columbarum et Avium, qui usurpari coeperat in Canonizatione s. Brigittae, resumtus est. Benedictus enim XIII huiusmodi avium oblationem fieri noluit in solemni Canonizatione octo Sanctorum, quam habuit in Basilica Vaticana sub finem anni 1726, et initio 1727. (Vid. Lambertin. *De Serv. Dei Beat.* l. I, c. 36, § 12, n. 35.) Eodem anno 1736 die 14 augusti Clemens XII dier. 100 indulgentiam impertivit omnibus, qui prima noctis hora ad pulsum campanae, flexis genibus, Psalmum *De profundis* recitaverint, aut Orationem Dominicam cum Salutatione Angelica addito versiculo *Requiem aeternam*. Si id per annum integrum fiat plenaria Indulgentia conceditur. (Lambertinus, *Inst.* 61, p. 304.)

[1] Guarnacci, *Vitae et gesta RR. Pontif.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* Supplem. part. II, diss. I.

[2] Ita inscriptum erat in pegmate funebri extructo in Basilica s. Petri solemnibus exequiis eius celebrandis.

semani, qui et ipse erat Maronita. Maronitae, non obstantibus temporum iniuriis, in fide catholica et in unione cum R. Ecclesia raro constantiae exemplo perseverarunt. Eorum clerici plerique Romae in collegio, quod ibi ab an. 1584 habent, erudiuntur, deinde in patriam remittuntur. Liturgiam et ritus proprios habent, in quibus peragendis lingua antiqua syriaca utuntur. Praeter clerum indigenam habent missionarios europaeos. Praecipua eorum sedes est Libanus, cuius partem Kesruan dictam ipsi soli incolunt. Ibi in monasterio Cannobin residet supremus eorum episcopus, qui titulum patriarchae Antiocheni gerit, et semper a R. Pontifice constituitur. Plura eorum millia degunt in 80 pagis regionis Libanum circumiacentis. Iidem, sed modico numero, reperiuntur Damasci, Aleppi seu Beroeae, Tripoli Palaestinensi et in insula Cypro. Ad corrigendos aliquot abusus, qui circa disciplinam apud eos invaluerant, Clemens XII ad eosdem ablegavit praedictum Assemanum, cuius consilio anno 1736 synodus congregata est. Interfuerunt, praeter ablegatum apostolicum, Gazenus patriarcha, 14 episcopi Maronitae, duo Syri, totidem Armeni, abbates, sacerdotes et missionarii plures. Propositis et receptis Congregationis de Propaganda Fide decretis, quae ablegatus ferebat, varia constituta sunt de numero, limitibus et divisione dioeceseon, de contributione erogari solita episcopis in collatione ss. Ordinum et distributione Oleorum, deque aliis ad ecclesiasticum pro ista regione negotium spectantibus. Synodi acta, ab Assemano collecta et conscripta, Benedictus Pp. XIV anno 1741 approbavit, novumque ablegatum ad Maronitas destinavit, qui eorumdem decretorum exequutionem curaret [1].

In Albania, quae est provincia Turciae europaeae, inter Macedoniam et mare Adriaticum sita, anno 1703 synodum celebravit Vincentius Zmajevic, archiepiscopus Antibarensis, totius Serviae primas et apostolicus ecclesiarum Moesiae ac Epiri Visitator. Interfuerunt praeter Visitatorem apostolicum, synodi praesidem, archiepiscopi Dyrrachiensis et Scopiensis, episcopi Sappensis, Scotrensis, Alexiensis et Polensis, atque praefecti Missionum Macedoniae et Albaniae. Multa bono ecclesiarum in iis terris opportuna fuerunt decreta, scilicet, de ratione praedicandae, propagandae et conservandae Fidei inter Turcas et haereticos, de Sacramentis et rebus sacris, de clericorum moribus et corrigendis certis abusibus. Inter alia cavetur, ne infideles aut schismatici assumantur in patrinos baptismi; ne deinceps toleretur abusus, quo adulti non nisi post 16, 18 aut 20 aetatis annos ad Sacramentum poenitentiae accedebant. Actum etiam est de limitibus dioeceseon, de quibus erat controversia, et certa singulis loca asserta sunt. Synodi decreta iudicio Clementis XI, tunc temporis Papae, submisit Zmajevic archiepiscopus, simulque Pontificem docuit statum ecclesiarum moresque populorum in istis locis. Clemens XI cuncta, quae in synodo acta fuerant, probavit. Utque ibidem catholicae fidei et ecclesiasticae disciplinae conservationi ac propagationi praesidium adiiceret, adolescentibus istius nationis Romae in collegio de Propaganda Fide locum et congruam dotem constituit, quatenus sic orthodoxa doctrina et recta disciplina instituti, deinde apud suos sacro ministerio fungerentur [1].

48. *Christianorum status in Turcia, Perside et Africa* — Non tantum in Albania, sed in aliis etiam Turciae europaeae provinciis, Macedonia, Bosnia, Bulgaria, Moldavia, Wallachia, Servia, Iania, Livadia, Morea et in insulis Archipelagi, numerosissimi erant Christiani, quorum multi erant Catholici seu cum Apost. Sede uniti, reliqui aut schismate graeco aut haeresi ab ea separati. Anno 1701 Constantinopoli plus quam 12,000 Catholicorum numerabantur. In Turcia asiatica Mahometani numero superabant Christianos; hi erant diversarum confessionum, catholici, graeci, armeni, iacobitae, nestoriani. Durus erat Christianorum in terris Turcicis status; universim gravibus tributis et praefectorum exactionibus opprimebantur; Turcarum procacitati et vexationibus erant obnoxii; religionis suae exercitium variis limitibus constrictum; Mahometanos ad christiana sacra convertere vel admittere severe erat interdictum. Hinc missionarii catholici, per imperium Ottomannicum dispersi, non Turcarum, sed haereticorum et schismaticorum conversioni operam navabant, atque hoc et praecedenti saeculo

[1] *Synodus provincialis nationis Syrorum-Maronitarum*, Romae 1820, in-4°.

[1] Mansi, *Concil.* Supplem. t. VI, p. 215; Polidor. *Vita Clementis XI*, l. II, p. 102.

innumeros a schismate ad unitatem et ab haeresi ad veritatem catholicam perduxerunt. His missionibus potentem opem ferebant catholici principes Europae, praesertim reges Galliae, quorum oratores apud aulam ottomannicam catholicorum causam contra Turcarum, haereticorum et schismaticorum molimina protegebant.

In Perside etiam numerosi erant diversarum confessionum Christiani. Inter catholicas ibidem missiones praecipue erant Ispahanensis, Sirvanensis et Erivanensis Illic ante dimidium saeculi praecedentis Sedes Apostolica, sumptus largiente pia quadam muliere e Gallia, appellata du-Guè-de-Bagnols, vidua Ricourt, novum episcopatum sub titulo Babylonis erexit, primusque Babylonis episcopus fuit Bernardus a s. Theresia, Ordinis Carmelitarum, qui multos infideles, plurimosque schismaticos, quos Armenos, Iacobitas et Nestorianos vocant, ad catholicam fidem convertit. Primis huius saeculi annis Clemens Pp. XI peculiaribus litteris missionarios commendavit Hosaino, Persidis regi seu sultano, et ab eodem subditis Catholicis liberam religionis suae professionem impetravit.

In Africa, ubi olim religio christiana tantopere floruerat, missiones catholicae neque numerosae neque frequentes erant. In Ægypto plurimi diversarum confessionum Christiani numerabantur, sed maxima parte erant Coptorum seu Monophysitarum. In variis civitatibus Barbariae, Tripolitana, Tunetana, Iulia Caesarea, aliisque Catholici aliquot, vel indigenae vel mercatores et consules europaei vel servi, degebant. In insulis, quas Hispani, Lusitani aut Galli possidebant, religio catholica dominabatur. Sic incolae Ceutae, quam ad littus Barbariae possidebant Hispani, plerique erant catholici, episcopum habentes. In insulis Azoricis, Canariis, Madera, Portu-Sancto et in Promontorio-Viridi omnes incolae catholicam fidem profitebantur et episcopos habebant. Florebat etiam religio catholica in insulis Gorea, Senegalia, Guinensibus, item in regnis, quae ad Guineam inferiorem referuntur, nimirum Loango, Congo, Angola et Benguela. Rex Congi ipse cum aulicis suis religioni catholicae erat addictus [1].

[1] *Lettres édifiantes*; Cerry, *État présent de l' Église romaine dans toutes les parties du monde*; Demanet, *Nouvelle histoire de l' Afrique française*

His aliisque in haereticorum aut infidelium terris missionibus multi Europaei ex laicorum numero pia largitate subveniebant, imitantes primos Christianos, qui pro ecclesiis pauperibus et fratribus egentibus collectas faciebant: pari studio his temporibus Christiani divites ad instituendas, sustinendas et promovendas missiones subsidia conferebant.

49. *Catholicorum status in terris haereticis* — In haereticis Europae terris cruentae in Catholicos persecutiones intermissae fuerant; dura tamen in plerisque erat eorum conditio: nam non modo iuribus civilibus et publico religionis suae exercitio erant orbati, sed saepius etiam vel populi vel magistratus acatholici vexationibus obnoxii.

In *Anglia* et *Scotia* leges, a temporibus mutatae ibidem religionis contra Catholicos latae, quibus omni civitatis iure et religionis libertate erant privati, per maximam huius saeculi partem viguerunt et frequenter executioni mandatae sunt. Magnus erat Catholicorum numerus, non in Anglia tantum, sed etiam in Scotia, praesertim in regionibus septentrionalibus. In Hibernia, cuius incolae maxima parte catholicam religionem profitebantur, Catholici quidem publice sacra sua exercebant, sed muneribus publicis iuribusque civilibus erant exclusi; archiepiscopos, et episcopos proprios habebant; in Anglia vero a Vicariis apostolicis regebantur. Quum autem tum in Hibernia, tum in Anglia et Scotia Catholici neque collegia neque seminaria formare possent, in exteris regionibus, Italia, Gallia, Hispania et Belgio, varia ad usum Anglorum, Scotorum ac Hibernorum collegia, seminaria atque monasteria excitata sunt, in quibus eorum clerus, saecularis ac regularis, formaretur.

In *Hollandia* seu Batavia Catholici, qui tertiam fere incolarum partem efficiebant, publico religionis exercitio, sed variis modis restricto, et tolerantia civili fruebantur. In acatholicis Helvetiae pagis, in Borussia, Suecia, Dania aliisque terris haereticis publicum religionis catholicae exercitium erat proscriptum; quique in hac religione perseverarant aut ad eamdem transierant, in oratoriis privatis sua sacra exercebant.

Posterioribus autem huius saeculi annis, sors Catholicorum in plerisque regionibus acatholicis mitigata fuit, iisque et religionis suae exercitium et sic dicta tolerantia

fuere concessa; quod partim mitioribus temporis moribus, partim indifferentismo religioso, partim rationibus politicis adscribendum est.

Quemadmodum praecedenti, ita etiam hoc saeculo multi, tum principes tum litterati viri, e coetu Protestantium ad R. Ecclesiam transierunt. Celebrem hac in re consultationem anno 1707 ediderunt doctores lutherani academiae Helmestadiensis. Etenim Ludovicus Rodulphus, dux Brunopoli-Guelpherbitensis, ab iis postulavit, utrum filia sua Elisabetha sine salutis discrimine ad religionem catholicam transire posset, ut nuptiis potiretur Caroli, archiducis Austriae et postea imperatoris. Illi post maturam rei discussionem responderunt, id fieri posse, quum Ecclesia catholica nullum, quantum ad fidei christianae essentiam spectat, errorem doceret, eiusque membra ad veram Christi Ecclesiam pertineant, et proinde salutem in ea consequi possint. Haec consultatio[1], quum egregium pro catholica veritate testimonium praeberet, ubique Lutheranorum indignationem in Helmestadienses theologos concitavit; quapropter hi anno sequenti ad revocandam suam declarationem coacti sunt.

Interim Elisabetha anno 1707 haeresim lutheranam abiuravit et catholicam fidem suscepit. Elisabethae exemplum anno 1710 secutus est avus eius Antonius Ulricus, dux regens Brunopoli-Guelpherbitensis, qui cum filia sua Henrica Christina, abbatissa lutherana Gandersheimensi, sacra catholica amplexus est. Proselytorum e viris principibus censum auxerunt, Christianus Augustus, e familia ducum Saxonicorum, qui principatum Zizensem tenebant; is anno 1717 catholicam fidem amplexus, clericali militiae nomen dedit, postea factus archiepiscopus Strigoniensis in Hungaria et R. E. cardinalis, obiit anno 1725; Mauritius Adolphus Carolus, dux Zizensis, qui mox laudati Christiani Augusti, patrui sui, exemplum secutus, Ordines sacros suscepit, et episcopus Reginae-Gradeciensis in Bohemia factus est; Fridericus Augustus, electoris Saxoniae eiusdem nominis filius et successor; Carolus Alexander, e familia ducum Wurtembergensium, qui, cum esset bellidux caesareo-austriacus, factus catholicus, postea fratri suo in regimine ducatus Wurtembergensis successit; huius filius natu secundus Eugenius; Gustavus et Christianus IV, duces Bipontini, atque Fridericus princeps, posterioris frater; Fridericus, filius primogenitus et postea successor Guilielmi landgravii Hasso-Casselensis; Fridericus Guilielmus et Carolus Ludovicus, duces Holsatienses; Ferdinandus dux Curlandiae; tres principes Darmstadienses, aliique[1].

E viris, ingenio et eruditione praestantibus, qui abiurata haeresi, ad catholicam religionem transierunt, mentionem merentur, Ludovicus Kuster, criticus et hellenista; Ioannes Georgius Eckart, Leibnitio amicus, in antiquitatibus ecclesiasticis apprime versatus; Ioannes Otter, Suecus, linguarum orientalium valde peritus.

50. *Tentamina irenica Lutheranor. et Calvinistarum* — Unio iam saeculis praecedentibus Lutheranos inter et Calvinistas frustra tentata[2], etiam hoc saeculo agitata fuit. Unionis negotium praecipue tractatum est in Borussia. Anno 1703 Fridericus rex I aliquot theologis lutheranis et calvinistis, ut in unum congressi de unione deliberarent, mandavit. Sed haec coepta brevi post irrita facta sunt. Unus enim e deliberantibus, Iosephus Winkler, concionator apud ecclesiam cathedralem Magdeburgensem, eam unionis rationem suaserat, ut munus praedicatoris ubique theologis, Halae institutis, paulatim reservaretur; accessus ad Eucharistiam sine praevia peccatorum confessione permitteretur; vestimenta sacra, luminaria, exorcismi in baptismo et plerique dies festi, adhuc residui, abrogarentur; de fidei autem doctrinis cuivis parti libertas sentiendi concederetur. Haec vero consilia Lutheranis, orthodoxiae suae studiosis, displicuerunt, eorumque plures scripta contra unionem intentam ediderunt. His responderunt varii theologi calvinistae, in universum ad unionem proniores; et ad eam efficiendam suadebant, ut in primis unio externa iniretur, doctrinae vero inter utramque partem controversae silentio premerentur. Rex ad conciliandam unionem, in nonnullis urbibus ecclesiam unionis designavit, in qua catechismi Lutheri et Heidelbergensis in eadem mensa collocarentur, et cultus divinus pro utraque parte celebraretur; orphanotrophia Berolinense et Regiomontanum utriusque confessionis pupillis accommodavit, et a facultate theologica Francofordii ad Viadrum theologos lutheranos do-

[1] Extat apud Heiss, *Histoire de l'empire*, t. I.

[1] Legesis, Theiner, *Stor. del ritorno alla Chiesa catt. di varie Case regnanti della Germania nel sec.* XVII e XVIII, Napoli 1850. — [2] Cf p. 245.

ctores creari curavit. Verum qui ab unione alieni erant, ea omnia quasi praepropere facta et coacta improbabant. Unde rege anno 1713 mortuo, totum hoc unionis negotium elanguit.

An. 1719 Christianus Klemm, in Universitate Tubigensi theologiae professor, edito libro unionis negotium tractavit, et ostendere conatus est, errores Calvinistarum minime evertere fundamentum fidei christianae, ut contendebant Lutherani, unionis adversarii. Eius consilia collegium Evangelicorum, quod Ratisbonae residebat, probavit, et 15 articulos constituit, secundum quos unio externa introduceretur, nimirum, ut Lutherani et Calvinistae se invicem velut fratres in Christo considerarent, de doctrinis, inter se controversis, silerent, Eucharistiam modo apud hos, modo apud illos perciperent, et sibi invicem plenam iurium ac praerogativarum aequalitatem concederent. Verum istos articulos adversarii unionis, nominatim Erdmannus Neumeister, praedicator Hamburgensis, vehementer improbarunt. Praeterea Christophorus Matthaeus Pfaff, in eadem Universitate Tubingensi theologiae professor, in pluribus scriptis, ab anno 1720 editis, conatus est doctrinas Calvinistarum mitigare vel excusare, et ostendere eas nec verae fidei nec morum honestati, ac proinde nec unioni officere. Fridericus Guilielmus I, rex Borussiae, ad promovendam in terris suis unionem, ab una parte doctrinam Calvini de absoluta praedestinatione scripto impugnari curavit, ab altera parte sacros aliquot ritus, quibus Calvinistae offendebantur, interdixit. Verum Erdmannus Neumeister praedicator Hamburgensis, Ernestus Salomon Cyprian consisiliarius consistorialis Gothanus, aliique plures propositas unionis rationes vehementer impugnarunt. Igitur cuncta ista unionis conamina effectu caruerunt [1].

50. *Lites inter Lutheranos*—In ipsis vero novatorum sectis seu confessionibus dissidia, factiones et turbae increbuerunt. In primis lites, saeculo praecedenti a Spenero eiusque asseclis inter Lutheranos excitatae, perdurarunt, et inter Pietistas atque sic dictos orthodoxos acriter disceptatum est de lutheranae ecclesiae reformatione. Ipsi Pietistae in diversas factiones se diviserunt. Multi, sententias Speneri pervertentes, in mysticismum, chiliasmum, prophetismum, separatismum aut fanatismum abierunt, totamque ecclesiam et religionem lutheranam inversam volebant. Godefridus Arnold, inspector ecclesiae Perlebergensis in Brandeburgo, mortuus anno 1714, pluribus editis libris mysticismum inter Lutheranos propagare conatus est. I. G. Petersen, variis in locis praedicator, postea depositus et anno 1727 mortuus, chiliasmum seu millenarium Christi in terris regnum propugnavit. C. Dippel, mortuus anno 1734, sub nomine christiani Democriti plura scripta, conviciis in lutheranam ecclesiam plena, edidit, in quibus redemptionem per Christi mortem negavit, sacramentis omnem virtutem ademit, et veram ecclesiam e solis iustis, ut ut inter Iudaeos, Mahometanos aut Ethnicos sint, constare asseruit. I. Tennhart, Norimbergensis, an. 1704 se coelesti voce provocatum affirmavit, ut omnium hominum ordinibus, praecipue clericis, veritatem annuntiaret, eorumque corruptelam iisdem exprobraret. Similiter I. G. Rosenbach, Heidelbergensis, ab an. 1701 visionibus motibusque se impelli asseruit ad praedicandam poenitentiam, et sicut Tennhart, non paucos, etiam theologos quosdam, nactus est asseclas. Ab anno 1713 secta quaedam prophetarum, qui Cemmenii dicti sunt, Berolini aliisque in urbibus, Borussiae regi subiectis, item in terris ad Rhenum sitis et in Suevia, diversi generis homines commentis suis conciliavit, quae potissimum consistebant in inspirationibus divinis, et expectatione novae oeconomiae Spiritus S., in qua status ecclesiae emendandus donumque prophetiae omnibus communicandum esset. Post dimidium huius saeculi quidam Rosenfeld, inter alia insana, se novum Messiam venditavit, et tum in Borussia tum in Saxonia et Megalopoli sectatores habuit. Eodem tempore in ducatu Wurtembergensi complures rustici et plebeii se ab Ecclesia separarunt, inde dicti *Separatistae*, quorum numerus sub finem huius saeculi admodum crevit. Hi quoque divinas inspirationes, quas lumen internum vocabant, venditabant, ecclesiam, a qua se separaverant, Babylonem vocabant, regnumque Christi in his terris millenarium et novam auream Ierosolimam praestolabantur.

51. *Herrenhuthani* — E litibus pietisticis, praeter Mysticorum, Separatistarum, Chiliastarum et Prophetistarum factiones[1], ex-

[1] I. G. Walch, *Enleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der lutherischen Kirche*; Schlegel, *Kirchengeschichte des 18 Jharhundertes.*

[1] Walch et Schlegel, citt.; Henke, *Religions-Annalen.*

orta est celebris secta Herrenhuthanorum, quam vigesimis huius saeculi annis (ann. circiter 1721) instituit Nicolaus Ludovicus comes de Zinzendorf. Is Halae-Saxonum doctrinis pietisticis institutus, aliquot fratres Moravos, e terris suis emigrantes, collegit in monte prope Bertholdsdorf in Lusatia, cuius nomen Hutberg ansam dedit, ut illi se sub tutela Domini constitutos dicerent, et locum istum appellarent Herrenhuth. Montis huius incolas comes de Zinzendorf ad pietatem informabat, eorumque coetus, novis e Moravia et aliunde incolis advenientibus, mox auctus est. Quum vero alii ex iis lutheranas, alii calvinianas, alii alias doctrinas profiterentur, comes de Zinzendorf unitatis religiosae statuta conscripsit, quae an. 1727, post sumptam sacram coenam, ab omnibus Herrenhuthi incolis solemniter suscepta atque adfirmata sunt.

Ab hoc tempore Herrenhuthanae sectae praecones in varias Germaniae provincias, deinde in Daniam, Sueciam, Russiam, Livoniam, Helvetiam, Hollandiam, Angliam, aliasque terras Americae, Asiae et Africae extraneas, profecti sunt et coetus in illis formarunt.

Herrenhuthani praeter S. Scripturam, quam ut fundamentum et principium divinae revelationis habent, admittunt divinas inspirationes, quibus revelationem in suis coetibus continuo renovari et evolvi dicunt. Piis animi sensis magis, quam theoreticae christianarum veritatum fidei student. Diversas Christianorum professiones parvi pendentes, Ecclesiam e piis quibuscumque constare asserunt. Doctrinam de cruenta Christi morte expiatoria maximi faciunt. De doctrinis, in quibus christianae sectae a se invicem dissentiunt, cuique pro arbitrio suo sentire licitum dicunt; unde tres inter eos formatae sunt classes, quas tropos appellant, nempe tropus Moravicus, Lutheranus et Reformatus.

Quivis eorum coetus divisus est in sic dictos choros puerorum, iuvenum, puellarum, coniugum, viduorum et viduarum, quibus praepositi sunt inspectores et inspectrices. Habent episcopos, praedicatores, diaconos et diaconissas. Supremum societatis regimen est penes conferentiam seniorum. Per singula quinquennia convocant synodum generalem, quae de rebus gravioribus decernit. Cultus divinus potissimum consistit, in precibus, cantu, homiliis, et sacra Coena cum agapa. Eorum mores alii laudant, alii suspectos habent [1].

52. *Lites inter Calvinistas* — Quemadmodum inter Lutheranos, ita etiam inter Calvinistas dissensiones graves et factiones variae excitatae sunt. Sic Helvetii iam primis huius saeculi annis formulam, quae dicebatur *Consensus*, magis magisque spreverunt. Anno 1716 senatus Bernensis, postulante academia Lausanensi, concessit, ut formula ista non ut fidei, sed tantum ut doctrinae norma consideraretur. An. 1722 effectum est, ut formulae istius subscriptio ab invitis non exigeretur, et temporis progressu ea fere omni auctoritate excidit. In Gallia et alibi, non obstante synodo Dordracensi, multi Universalismum seu generalem hominum ad salutem destinationem in saeculo praecedenti propagatum defenderunt, quorum numerus saeculo XVIII in Hollandia, Palatinatu et alibi continuo auctus est; aliis Particularismum Calvini vindicantibus, quem etiam anno 1746 synodus in Transylvania celebrata confirmavit; sed progressu temporis Calvinistae plerique eum deseruerunt. In Hollandia prioribus huius saeculi annis Frid. de Leenhoff, Pontianus de Hattem, Paulus Maty varia dogmata, omnibus diversarum confessionum Christianis probata, scriptis impugnarunt. Posterioribus huius saeculi annis permulti e Calvinistis, sicut e Lutheranis, ad deismum sive per naturalismum, sive per rationalismum deflexerunt [2].

Praeterea inter Calvinistas non minus inter Lutheranos diversis in locis Separatistae, Mystici et Phantasiastae orti sunt. Anno 1730 in Scotia complures in sectam coaluerunt, qui ab auctore suo Ioanne Glass dicti sunt primo Glassitae, deinde Sandemanniani a Sandemanno, qui post huius saeculi dimidium magnam inter eos auctoritatem consecutus est. Supremum autem principium, quo a caeteris Calvinistis differebant, erat: Non tantum omnia praecepta moralia, quae in N. Testamento occurrunt, strictissime ad litteram esse observanda, sed etiam quae Christus, Apostoli et primaevi christiani egisse in eo leguntur, quantum fieri possit, imitanda. Ex ecclesia Anglicana, quae etiam Episcopalis

---

[1] Cranz, *Alte und neue Brüderhistorie*; Spangenberg, *Leben des Grafen von Zinzendorf*; Fresenius, *Bewährte Nachrichten von herrnhuthischen Sachen*; Moehler, *La Symbolique*, vers., l. II.

[2] Walch, lib. cit., p. 245; Jablonsky, *Inst. histor. christ. recentioris.*

dicitur, quam plurimi secuti genium aetatis, a doctrinis revelatis abhorrentem et tot scriptis in Anglia nutritum, ad arianismum, socinianismum, naturalismum, indifferentismum et scepticismum deflexerunt. Inter ipsos clericos anglicanos haud pauci erant hoc tempore, qui doctrinas orthodoxiae statutae oppositas defenderent. Praeter alios Daniel Whitby, praedicator Sarisberiensis, in libro anno 1711 edito, peccatum originale negavit, et in alio posthumo arianismum professus est. Samuel Clarke, parochus Londinensis et praedicator aulicus, in libro an. 1712 edito, docuit, solum Patrem proprium et verum esse Deum; Filium autem et Spiritum S. virtutibus quidem divinis instructos esse, quas tamen non ex se ipsis haberent, sed a Patre actu eius voluntario accepissent. Eodem tempore Guil. Whiston, parochus Suffolciensis, arianismum, quasi a Christo ipso et Apostolis traditum atque a plerisque Christianis usque ad concilium Nicaenum creditum, in sermonibus, catechesibus litterisque propugnavit; novum etiam Christi in terras adventum regnumque ab eo condendum docuit; narrationem Geneseos de lapsu protoparentum allegorice interpretatus est. Beniaminus Hoadley, episcopus Wincestriens., omnes gratias supernaturales negavit, nullique hominum ius condendi praescripta religionis, formulas fidei aut leges ecclesiasticas, quae alios obligent, competere asseruit. Sykesius, theologiae doctor et praedicator Londinensis, in libro anno 1737 edito contendit, daemoniacos Evangelii non a diabolo obsessos, sed insania, epilepsi, aut aliis morbis correptos fuisse. Praeterea plures, et inter hos etiam episcopi, librorum symbolicorum et speciatim 39 articulorum auctoritati detraxerunt, illos vel abrogandos, vel saltem non ut fidei, sed doctrinae tantum normam habendos esse contenderunt[1].

53. *Methodistae* — Cum sic plerique clerici anglicani circa positiva Fidei dogmata tepescerent, nonnulli inter eos surrexerunt, qui ea resuscitare, frequenter ac graviter inculcare conati sunt. Id fecerunt praedicatores Methodistarum, qui originem suam potissimum debent Ioanni Wesley. Hic circa annum 1729 in Universitate Oxoniensi litteris vacans, cum aliquot studiorum sociis societatem iniit ad varia pietatis exercitia frequentanda. Eorum condiscipuli novam ab eis christianae vitae methodum observari iocabantur, eosque propterea Methodistas appellabant, quod nomen ii adoptarunt et postea ad omnes suos asseclas transtulerunt. Anno 1732 eis accessit Georgius Whitefield, qui incredibili dicendi vi praeditus, in sacris concionibus materias dogmaticas, a plerisque praedicatoribus neglectas, de peccato originali, de redemptione, de fide in Christum, de regeneratione, de studio pietatis aliisque omni eloquentiae vi et frequenti locorum biblicorum usu pertractabat, omniumque oculos et animos in se convertebat. Eamdem methodum Wesley caeterique praedicatores Methodistae secuti sunt. Mox plures e populo eis arctius adhaeserunt, quos Wesley an. 1738 Londini in unam societatem coniunxit certisque regulis, ut plurimum pietatis exercitia praescribentibus, instruxit. Eorum numerus continuo augebatur; cumque praedicatores Methodistae ab ecclesiis excluderentur, anno 1739 propria oratoria extruere coeperunt, et ab hoc tempore distinctam ab aliis sectam effecerunt.

Methodistae in dogmate vix ab ecclesia Episcopali dissentiebant; singulari studio positivis christianae religionis doctrinis, supra indicatis, adhaerebant; eosdem cum ecclesia Episcopali ritus conservabant, quos maiori cum devotione peragebant; a religiosis phantasiis non erant liberi; immediatas Spiritus divini in hominem operationes sensibus percipi docebant, iisque suspiria, singultus aliosque corporis motus, quibus in sacris suis conventibus afficiebantur, attribuebant; morum severitatem, habitum devotum ac simplicem vivendi rationem prae se ferebant. Qui autem ad eos accedebant, ecclesiae suae renuntiare non tenebantur, hacque ratione omnium sectarum homines ad eos pertinere poterant et reipsa pertinebant, quemadmodum Lutherani et Calvinistae pertinere poterant ad Herrenhuthanos. Eorum secta in Anglia, Hibernia et America septentrionali latissime propagata est[1].

54. *Irreligiositatis progressus in Anglia* — Vidimus iampridem tetra certamina, quae irreligiosi scriptores Christianismo et religioni revelatae in universum intu-

[1] Bellamy, *Geschichte aller Religionen*; Stäudlin, *Kirchliche Geographie und Statistik*; Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*; Alberti, *Briefe über den allerneuesten Zustand der Religion und Wissenschaften in Grossbritanien*.

[1] Southey, *Vie de Jean Wesley, de l'origine et de la propagation du Méthodisme*, trad. de l'anglais; Burkhards, *Vollständige Geschichte der Methodisten in England*; Moehler, *La Symbolique*, vers. l. II.

lerunt[1]. Eiusmodi scriptorum numerus hoc saeculo valde auctus est; quorum alii Christianismum, alii omnem revelationem, alii Religionem in universum impugnarunt, vel simpliciter negando reiiciendo, vel ratiociniis et disquisitionibus philosophicis ac historicis utendo vel, ut plerique faciebant, irrisiones, convicia atque calumnias in auxilium vocando. In Anglia maximus erat scriptorum irreligiosorum numerus inter quos eminebant Antonius Ashley-Cooper comes de Shaftbesury, discipulus Lockii; Ioannes Toland, Hibernus, qui iam praecedenti saeculo Religionem impetierat, nunc in libro *Adeisidemon* religionem christianam ut superstitionem, ipso atheismo nocentiorem, proposuit; in libro *Nazarenus* protulit quoddam evangelium, Barnabae suppositum, e quo doctrinas Nazaraeorum et Ebionitarum, pseudo Barnaba propositas, Christi doctrinas fuisse contendit; in libro *Panteisticon*, anno 1720 edito, pantheismum explicavit commendavitque. Antonius Collins, iurisconsultus, in tractatu de libertate cogitandi, anno 1713 edito, non tantum cunctis hominum sententiis, quae ad religionem publicam pertinent, contradixit, sed omnem religionem superstitionem, cultum divinum histrioniam, sacerdotes impostores et fatuos appellavit; in tractatu de rationibus et probationibus religionis christianae, an. 1724 in lucem emisso, argumentum, quod pro religionis christianae veritate petitur e prophetiis, adversatus est. Thomas Woolston in 6 tractatibus de miraculis Christi, ab an. 1729 editis, impugnavit argumentum pro christiana religione desumptum a miraculis. Matthaeus Tindal et ipse iurisconsultus praeter librum de iuribus ecclesiae christianae, in quo omnem religionem et Ecclesiam inter instituta mere politica, a civitate in cunctis dependentia, detrusit, anno 1730 edidit librum: *Christianismus mundo coaevus*, in quo revelationis existentiam, possibilitatem et necessitatem negavit, doctrinas positivas christianae religionis sacerdotum inventa dixit, aliasque irreligiosas assertiones protulit. Thomas Morgan plerasque Tindali sententias secutus est, in hoc tamen eo mitior, quod revelationis possibilitatem non negavit; et nunquam sibi constans, primo arianismum, deinde quakerismum defendit, denique in pluribus scriptis, praecipue in libro inscripto: *Philosophus moralis*, qui an. 1737 editus est, universam christianam, imo omnem revelatam religionem oppugnavit. Thomas Chubb in pluribus tractatibus, inde ab an. 1715 editis, dogmati de ss. Trinitate adversatus est, rationem in materia Religionis sufficere contendit, et christianam religionem diversimode redarguit. Alii alia scripta vulgarunt, quibus religio naturalis commendabatur, christiana vero probris et conviciis impetebatur. Henricus vicecomes de Bolingbroke in pluribus scriptis omnem religionem, naturalem et revelatam, cunctasque Dei proprietates morales negavit, et homini, cuius rationem non nisi instinctum, plus minus exercitatum dicebat, non alium quam animalem finem attribuit. Similiter David Hume omnem religionem, maxime christianam, insectatus est, animae immortalitatem ipsiusque Dei existentiam in dubium vocavit, morales Dei proprietates et providentiam negavit, et morale humanarum actionum discrimen non ratione, sed communi hominum opinione inniti contendit.

Plerique hi aliique scriptores, qui theoreticam christianae religionis doctrinam conviciati sunt, etiam practicam impugnarunt. In hanc finem vel actiones immorales, in Scripturis narratas, urgebant quasi ad exemplum propositas, vel s. Scripturae effata sinistre interpretabantur, vel totum genium moralis Christi doctrinae in invidiosam lucem collocabant. Omnium impudentissime, non tantum contra christianam, sed contra omnem ethicam scripserunt Bernardus Mandeville et Albertus Radicati.

Huiusmodi scriptis contra Religionem vulgatis, irreligio, et ex hac, ceu prono alveo fluens, morum perversitas, latissime per Angliam propagata est. Scripta ista irreligiosa non tantum ab Apostolica Sede fuerunt proscripta, sed etiam a scriptoribus apologeticis confutata, qui vel singulos adversariorum libros refutarunt, vel veritatem et divinitatem religionis christianae in universum propugnarunt. Ipse magistratus civilis nonnunquam impudentiora scripta publice damnavit et concremari iussit, vel eorum auctores poena carceris affecit, quod Woolstonio et Radicato accidit. Verum irreligiosa scripta avidius et a pluribus legebantur quam apologetica; documenta fallacia, quae subiectionem deiiciebant, et libertatem quidlibet sentiendi in negotia Religionis fovebant; nimium inter

[1] Vid. p. 238-239.

Anglos invaluerant; et in ipsis curiis haud pauci erant increduli.

In alias etiam regiones irreligiosae doctrinae progressu temporis illatae sunt, praesertim in Galliam, in qua, ut suis locis videbimus, longe maiores progressus fecerunt, gravioresque effectus produxerunt.

55. *Scriptores ecclesiastici*—Iisdem tamen temporibus floruerunt eruditi Religionis defensores. Inter scriptores ecclesiasticos, qui priori huius saeculi dimidio vixerunt, ac in primis studio biblico praeter alios operam navarunt, hi qui sequuntur, numerantur: Petrus Guarin, Bened. e Congr. s. Mauri, praeter Grammaticam hebraicam et chaldaicam confecit Lexicon hebraico-chaldaico-biblicum [1]. Iacobus le-Long, Parisiensis, presbyter Oratorii Gallicani, concinnavit Discursum historicum de Bibliis polyglottis variisque eorum editionibus, et Bibliothecam sacram, quae continet catalogum Bibliorum manuscriptorum et textuum originalium, eorum editionum et versionum, auctorum qui de Scriptura sacra scripserunt eorumque operum [2]. Petrus Sabbatier, Pictaviensis, Ord. s. Benedicti e Congr. s. Mauri, adornavit Bibliorum Sacrorum antiquas versiones latinas, cum Vulgata latina et textu graeco comparatas, adiectis praefationibus, observationibus notisque [3]. Iosephus Bianchini, presbyter Oratorii Romani, publicavit Vindicias Scripturarum canonicarum vulgatae editionis [4], et Evangeliarium quadruplex latinae versionis antiquae [5]. Petrus Daniel Huet, Cadomensis, ex abbate Alunensi episcopus Abrincensis, vir grandis eruditionis, reliquit plurima scripta, inter quae eminent *Demonstratio Evangelica* [6], liber de claris interpretibus et de optimo genere interpretandi, *Quaestiones Alnetanae* de concordia rationis et Fidei, liber de situ paradisi terrestris. Augustinus Calmet, Lotharingus, Ord. s. Benedicti, abbas Senonensis, scripsit gallice commentarium litteralem in omnes utriusque Testamenti libros, adiectis multis dissertationibus [7], Historiam V. et N. Testamenti [8], Dictionarium historicum, criticum, geographicum Bibliorum [9], Historiam universalem sacro-profanam [1], Commentarium litteralem, historicum et moralem in regulam s. Benedicti [2] et alia. Iac. Ios. Duguet, Brisomontanus, presbyter Oratorii Gallicani, dedit gallice explicationes in Genesim, Iob, Psalmos 75, Isaiam, Ionam et Habacuc, in libros Regum, Esdrae et Nehemiae, in Cantica Canticorum et Sapientiam, aliaque plurima, inter quae nonnulla in favorem factionis iansenisticae, cui se devoverat. Ioannes Vittement, rector Universitatis Parisiensis, scripsit Commentarios in plures V. T. libros. Iacobus Philippus Lallemant, Picardus, S. I., praeter varia contra Iansenistas opuscula, edidit gallice Psalmorum sensum proprium et litteralem, et Considerationes morales et notas in N. Testamentum, quesnellianis oppositas [3]. Ioannes Gerardus Kerkherdere, Lovanii professor historiae, scripsit Systema apocalypticum; de monarchia Romae paganae secundum concordiam inter Danielem et Ioannem; Prodromum Danielicum sive conatus historico-criticos in difficultates historicas V. Testamenti, praecipue in Danielem prophetam; de situ paradisi terrestris; de Cepha reprehenso. Natalis Alexander, Rothomagensis, Ord. Praed. et doctor Sorbonicus, publicavit commentarios in Evangelia et in Epistolas D. Pauli [4].

Eruditione theologica claruerunt permulti. Nominatus Natalis Alexander, cuius extat Theologia dogmatica et moralis [5]. Honoratus Tournely, doctor Sorbonicus, edidit Praelectiones theologicas optimas [6]. Gislenus Daëlman, doctor Lovaniensis, reliquit Theologiam scholastico-moralem [7]. Nicolaus l'Herminier, doctor Sorbonicus et archidiaconus Cenomanensis, composuit Theologiam ad usum scholarum accommodatam [8]. Paulus Gabriel Antoine, Lotharingus, S. I., scripsit Theologiam universam dogmaticam [9] et Theologiam moralem [10]. Edmundus Simonet, Lingonensis, S. I., redegit Institutiones theologicas ad usum Seminariorum [11]. Renatus Billuart, Revinsensis, Ord. Praed., concin-

[1] 1746, 2 voll. in-4°.
[2] 1723, 2 voll. in fol.
[3] Rhemis 1743, 3 voll. in fol.
[4] Romae 1740, in fol.
[5] Ibid. 1749, in fol.
[6] Paris. 1679 et 1690, in fol.
[7] 1707-15, 23 voll. in 4°.
[8] Paris. 1716, 2 voll. in 4°.
[9] Ibid. 1630, 4 voll. in fol.

[1] 14 voll. in 4°.
[2] 2 voll. in 4°.
[3] 1713, 12 voll. in-12°.
[4] Paris. 1703, 2 voll. in-fol.
[5] 11 voll. in-8°, et 2 in-fol.
[6] 16 voll. in-8°.
[7] 9 tom. in-12°.
[8] 1709, 7 voll. in-8°.
[9] Paris. 1740, 7 voll. in-12°.
[10] Ibid. 1744, 4 voll. in-12°.
[11] Nancei 1721, 11 voll. in-12°; Venet. 1731, 3 voll. in-fol.

navit Cursum theologiae universae secundum mentem D. Thomae [1]. Vincentius Ludovicus Gotti, Bononiensis, Ord. Praed. et R. E. cardinalis, inter eius opera eminent Theologia scholastico-dogmatica [2], Tractatus de vera Christi Ecclesia [3], Veritas religionis christianae contra atheos, polytheos, Mahometanos, ethnicos et Iudaeos [4], Colloquia theologico-polemica, Tractatus de eligenda inter Christianos dissidentes sententia. Daniel Concina, Foroiuliensis, Ord. Praedicat., praeter alia reliquit Theologiam christianam dogmatico-moralem [5], Dissertationes theologicas, morales et criticas de probabilismo et rigorismo [6], Tractatum de Religione revelata contra atheos et deistas [7]. Iordanus Preinguee, Ord. Praed., doctor Lovaniensis, auctor est Theologiae speculativae et moralis [8]. Petrus Ludovicus Danes, Flander, doctor Lovaniensis, composuit Institutiones doctrinae christianae sive Compendium theologiae dogmaticae et moralis; Tractatus theologicos de fide, spe et charitate, de virtutibus cardinalibus, de peccato originali, legibus et gratia, deque aliis; generalem temporum Notionem, productam postea et suppletam a Ioanne Natali Paquot. Ioannes Laurentius Semelier, Parisiensis, presbyter Congreg. Doctrinae christianae, redegit Collationes theologicas de matrimonio, usura, peccatis et decalogo. Franciscus Babin, Andegavensis, S. T. doctor, edidit Collationes ecclesiasticas Andegavenses. Carolus Franciscus Dubos publicavit Collationes Lucenses.

Inter polemicos numerantur hi qui sequuntur: Vitus Pichler, Germanus, S. I., in Universitatibus Diligensi et Ingolstadiensi professor, concinnavit Theologiam polemicam, in qua generalia theologiae controvertisticae fundamenta et principia, e quibus infideles haeretici et sectarii manifesti erroris convincantur, et materiae particulares cum protestantibus et recentioribus haereticorum sectis controversae et ab Ecclesia catholica contra eosdem decisae, traduntur [9]; Ius canonicum secundum 5 Decretalium titulos Gregorii Pp. IX explicatum, cura et studio F. A. Zaccariae editum [1], epitome Iuris canonici secundum decreta [2]. V. L. Gotti et D. Concina, supra indicati. Eusebius Renaudot, Parisiensis in ecclesiastica Orientalium historia, eorumque dogmatum scientia versatissimus, opus Ant. Arnauld de perpetua fide ecclesiae catholicae circa Eucharistiam duobus voluminibus auxit, in quibus constantem Ecclesiae doctrinam de Sacramentis aliisque Religionis et disciplinae articulis contra haereticos protestantes comprobavit per ecclesiarum Orientalium consensum; dedit praeterea Defensionem istius operis contra falsitates et calumnias libri inscripti: *Monumenta authentica religionis Graecorum*; item reliquit Historiam patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum [3]; Collectionem Liturgiarum Orientalium [4]. Ioannes Iacobus Scheffmacher, Alsatiensis, S. I., cuius epistolae ad nobilem quemdam protestantem de sex salutis obstaculis, quae habentur in religione lutherana [5], aliisque de controversis Catholicos inter et Protestantes doctrinis, multos ex his ad Ecclesiam catholicam perduxerunt [6]. Franciscus Seedorff, Friburgenis, S. I., exornavit epistolas 12 pro instructione principis Friderici, comitis Palatini, de reditu ad R. Ecclesiam deliberantis. Renatus Drouin, Ord. Praed., composuit tractatum de re sacramentaria contra haereticos [7]. Ioachim le Grand, Brioverensis, impugnavit Burneti historiam reformationis Anglicanae, vindicavitque Bossuetii historiam Variationum protestanticarum. Iacob. le Fevre, doctor Sorbonicus, edidit Motiva apta ad convincendos protestantes; Instructiones pro neo-conversis; Concordiam contradictionum apparentium s. Scripturae. Iacob. de la Fontaine, Winocibergensis, S. I., multa scripsit ad defendendam constitutionem *Unigenitus* [8]. Franciscus Ilharat de la Chambre, doctor Sorbonicus, scripsit de veritate Religionis, de Ecclesia, de gratia, de formulario, aliisque contra Baii, Iansenii et Quesnelli asseclas. Matthaeus Petit-Didier, Ord. Bened., abbas Senonen., episcopus Macren., ex apologista epistolarum Provincialium a Blasio

[1] Leodii 1746, 19 voll. in 8°; Venet. et Wirceburg. 3 voll. in-fol.
[2] Bonon. 16 voll. in-4°; et Venet. 1750, 3 voll. in-fol.
[3] 3 voll.
[4] Romae 1735, 12 voll. in-4°.
[5] 1746, 12 voll. in-4°.
[6] Lucae 1743, 2 voll. in-4°.
[7] Venet. 1754, in-4°.
[8] Gandavi 1744, 13 voll. in-8°
[9] August. Vindel. 1752, 2 voll. in-4°.

[1] Venet. 1758, 2 voll. in-fol.
[2] August. Vindel., 1749, 2 voll. in-12°.
[3] Paris 1713, in-4°.—[4] Ibid. 1716, 2 voll-in-4°.
[5] Argentin. 1748, 2 voll. in-4°.
[6] Videsis p. 244.—[7] Venetiis 1737, 2 voll. in fol.; Paris. 1795, 9 voll. in-12°.
[8] 4 voll. in fol.

Pascal concriptarum, factus strenuus constitutionis *Unigenitus* defensor, vindicavit doctrinam moralem et disciplinam R. Ecclesiae contra librum gallice scriptum, cui titulus : « Relatio inter doctrinam moralem paganorum et Iesuitarum »; scripsit praeterea dissertationem de mente concilii Constantiensis circa auctoritatem R. Pontificis, et observationes in Bibliothecam ecclesiasticam Ludovici Ellies Dupin. Vincentius Thuillier, Codiacensis, Bened. Congreg. s. Mauri, primo Bullae *Unigenitus* adversatus, postea variis scriptis eamdem defendit. Ioannes Vittement, supra laudatus, praeter Tractatus de gratia, de Bulla *Unigenitus*, aliisque quaestionibus theologicis, reliquit refutationem systematis Spinosae. Ignatius Laubrussel, Verodunensis, S. I., scripsit tractatum de abusibus critices in negotio Religionis contra haereticos et incredulos [1]. Renatus de Breil de Pontbriand, e Britannia minori, abbas s. Mariani, dedit Incredulum errore levatum et Christianum in fide sua firmatum [2]. Melchior de Polignac, Podiensis, R. E. cardinalis, composuit poëma cui titulus, *Antilucretius*. Claudius Franc. Houteville, Parisiensis, veritatem religionis christianae probavit e factis [3]. Ioannes Franc. Baltus, Metensis, S. I., ss. Patres vindicavit ab afficto iis Platonismo [4]; defendit etiam prophetias christianae religionis [5]; huiusque veritatem demonstravit ex impletis vaticiniis [6]; dedit praeterea sententias ss. Patrum de doctrina morali philosophorum ethnicorum [7]. Iacobus le Febvre, Hanno, S. I., cui debetur examen criticum operum Baylii [8], et sola Religio vera demonstrata contra atheos, deistas et haereticos [9]. Victor Amedeus Soardi, Taurinensis, presbyter Congreg. s. Lazari, auctor est libri cui titulus : *De suprema R. Pontificis auctoritate hodierna ecclesiae Gallicanae doctrina* [10]. F. I. Augustinus Orsi, Hetruscus, Ord. Praed. et R. E. Cardinalis, tractavit de infallibilitate R. Pontificis contra articulos declarationis cleri Gallicani [11]. Renatus Iosephus de Tournemine, Rhedonensis, S. I., adlaboravit ephemeridibus Trivoltianis; redegit dissertationes plures de atheismo, de libertate sentiendi in negotio Religionis, de immortalitate animae et causis incredulitatis, deque aliis argumentis; praeterea edidit commentarios Menochii in s. Scripturam, adiectis doctis dissertationibus.

[1] Paris. 1710, 2 voll. in-12°.
[2] 1752 in-8°.
[3] 1722 in-4°; 1741, 4 voll. in-12°.
[4] 1711 in-4°.
[5] 1737, 3 voll. in-12°.
[6] 1728 in-4°.
[7] Argentin. 1719, in-4°.
[8] Paris. 1747, in-12°.
[9] Ibid. 1744, in-8°.
[10] Avenion. 1747, in-4°, et Heidelberg. 1793.
[11] 1741, 3 voll. in-4°.

Historiam ecclesiasticam pertractavit Iacobus Laderchi, presbyter Oratorii Romani, qui Annales Baroniano-Raynaldianos ab an. 1566 usque ad 1572 tribus voll. in-folio continuavit; Acta Ssrum Christi martyrum vindicavit [1], aliaque varia scripsit. Insuper, Claudius Fleury, prior Argentoliensis, academiae Parisiensis socius, plura ingenii sui monumenta reliquit, inter quae habentur Historia ecclesiastica usque ad an. 1414 [2], Mores Israëlitarum et Christianorum, Institutiones iuris ecclesiastici, et Catechismus historicus: opera omnia in quibusdam castiganda. Natalis Alexander, auctor est Historiae ecclesiasticae V. et N. Testamenti, passim non legendae sine notis et animadversionibus Constantini Roncaglia et Ioan. Dominici Mansi. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, Ord. Praed., praeter opuscula de gratia efficaci, de praedestinatione, de vita et mysteriis D. N. Iesu Christi, dedit Historiam V. Testamenti [3] et Historiam ecclesiasticam variis colloquiis digestam [4]. Franciscus Timoleon de Choisy, decanus ecclesiae cathedralis Baiocensis, scripsit Historiam ecclesiasticam, quae tamen parvi ducitur [5]. Cardinalis Orsi, iam laudatus, auctor est Historiae ecclesiasticae usque ad ann. 600 [6], a quo eam prosecutus est Phil. Angelus Becchetti, Ord. Praed. Iacob. Longueval, S. I., scribere coepit historiam ecclesiae Gallicanae, quam continuarunt socii eius, Fontenay, Brumoy et Berthier [7]. Franc. Ignat. Dunod de Charnage scripsit Historiam archiepiscopatus Vesuntini; Cornelius Van Gestel historiam archiepiscopatus Mechliensis; Philippus Andreas Grandidier gesta ecclesiarum Argentinensis et

[1] Romae 1723, 2 voll. in-4°.
[2] 20 voll. in-12°, et 12 vel 13 in-4°. Cum historia ecclesiastica Fleurii, qui in R. Pontificis dignitatem irreverentem se praebuit, conferendae sunt Observationes, quas scripserunt Honoratus a s. Maria, Balduinus Housta, Muzzarelli et Marchetti.
[3] Bassan. 1791, in-4°.
[4] Ibid. cum notis et continuatione D. Mansi 1793, 3 voll. in-4°.
[5] 11 voll. in-4° et 12°.
[6] 20 voll. in-4° et 8°.
[7] Nimes 1781, 18 voll. in-8°.

Alsatiensis. Ioannes Franc. Foppens tractavit de ecclesiis Antwerpiensi et Sylvaeducensi, de Chronologia episcoporum Belgii ab an. 1561 usque ad 1761, deque Bibliotheca belgica. Corn. Paulus Hoynck Van Papendrecht concinnavit historiam Ecclesiae Ultraiectinae, Epistolas 6 de haeresi et schismate aliquot presbyterorum Ultraiectensium, tractatum historicum de Capitulo cathedrali ecclesiae metropolitanae Ultraiectinae, et Analecta belgica. Ioannes Bertholet scripsit Historiam ecclesiasticam et civilem ducatus Limburgens. et comitatus Chiniensis, atque historiam festi Corporis Christi. Dionysius Sammarthanus Bened. Congr. s. Mauri, praeter tractatum de confessione auriculari et alia, edidit 3 prima volumina Galliae Christianae, post mortem eius auctae usque ad 13 voll. in-folio. Iacob. Villotte, S. I., edidit Armeniam christianam [1]. Inter huius saeculi ecclesiasticos historicos etiam adnumerantur: Michaël le-Quien, Boloniensis, Ord. Praed., cui debentur *Oriens christianus* in quator patriarchatus digestus [2], Panoplia contra schisma Graecorum, Defensio textus hebraei contra Pezronium, et Tractatus de ordinationibus Anglicanis adversus P. F. Le Courrayer. Eusebius Renaudot, cuius opera supra indicavimus. Petrus Charlevoix, S. I., exaravit historias Iaponiae [3], Paraguariae [4], Insulae s. Dominici [5], et Novae Franciae [6]. Franciscus Bianchini, Veronensis, Can. s. Laurent. in Damaso Romae, Vitas RR. Pontificum Anastasii bibliothecarii, seu Pontificale, notis et prolegomenis auxit [7]; scripsit etiam de calendario et cyclo Caesaris atque de Paschali canone s. Hyppoliti martyris dissertationes duas [8]. Antonius Sandini, professor in seminario Patavino, praeter historias Familiae sacrae et Apostolorum, edidit Vitas RR. Pontificum et Disputationes 20 ex Historia ecclesiastica. Stephanus Baluzius, Tutelensis, collegit Vitas RR. Pontificum qui Avenione morati sunt [9]; multa etiam veterum ecclesiasticorum scriptorum opera et capitularia regum Francorum auctiora et emendatiora edidit. Georgius Iosephus Eggs, Can. Rhenofeld. auctor est Pontificii docti et Purpurae doctae seu biographiae episcoporum et cardinalium [1]. Hilarius Dumas, D.r Sorbonicus, dedit Historiam quinque propositionum Iansenii [2]. Petrus Franc. Lafiteau, episcopus Sistaricensis, praeter alia scripsit Vitam Clementis Pp. XI et Historiam constitutionis *Unigenitus*. Carol. de Decker, canonicus Mechliniensis, dedit Historias breves Baianismi et Iansenismi. Carolus du-Plessis d'Argentrè, doctor Sorbonicus et episcopus Tutelensis, collegit iudicia de novis erroribus, qui ab initio saec. XII usque ad annum 1725 in Ecclesia proscripti et notati sunt [3]. Hippolytus Helyot, Parisiensis, Ord. s. Francisci, concinnavit historiam prolixam Ordinum monasticorum, religiosorum, equestrium [4]. Ioseph Jouvency, Parisiens. Iesuita, continuavit historiam Societatis Iesu. Carolus Ludovicus Hugo, Lotharingus, Ord. Praemonstratensis et episcopus Ptolemaidis, collegit Annales sui Ordinis [5], et sacrae antiquitatis monumenta historico-dogmatica [6]. Iosephus Bourgoin de Villefore, Parisiensis, collegit Vitas ss. Patrum deserti Orientis et Occidentis. Marcus Battaglini, Ariminensis, ex episcopo Nocerino Caesenatensis, dedit Historiam universalem Conciliorum [7], et Annales sacerdotii et imperii saec. XVII [8]. Ioannes Harduinus, Corisopitensis, S. I., vir magni ingenii, sed in multis singularis, curavit novam Conciliorum editionem [9], variaque scripta reliquit. Iosephus Hartzheim, Coloniensis, S. I., praeter alia plura dedit collectionem Conciliorum Germaniae, deinde ab aliis auctam et continuatam. Edmundus Martene, Bened. s. Mauri, edidit Collectionem amplissimam veterum scriptorum et monumentorum [10], Thesaurum novum anecdotorum [11], tractatus de antiquis monachorum ritibus, de antiquis Ecclesiae ritibus in re sacramentaria et in celebrandis divinis officiis; commentarium in regulam sancti Benedicti. Bernardus de Montfaucon, Congr. sancti Mauri, collegit Analecta graeca [12]; Monumenta veterum Graeco-

[1] Romae 1714, in-fol.
[2] Paris. 1740, 3 voll. in-fol.
[3] 6 voll. in 12°, et 2 in-4°.
[4] 6 voll. in-12°. — [5] 2 voll. in-4°, et 4 in-12°.
[6] 4 voll. in-12°.
[7] Romae 1718, 4 voll. in-fol.
[8] Ibid. 1703, in fol.
[9] 2 voll. in-4°. Opus insertum Indici librorum prohibitorum.

[1] Monachii 1714, 4 voll. in-fol.
[2] Trevolt. 1702, 3 voll. in-12°.
[3] Paris. 1728, 3 voll. in-fol.
[4] Paris. 1714, 8 voll. in-4°.
[5] Nancei 1736, 2 voll. in-fol.
[6] 1725, 2 voll. in-fol.
[7] 1686 in-fol. — [8] 1701, 4 voll. in-fol.
[9] 1705, 12 voll. in-fol.
[10] Paris. 9 voll. in-fol.
[11] 1717, 5 voll. in-fol.
[12] 1688, in-4°.

rum[1]; Palaeographiam graecam[2]; Hexaplorum Origenis fragmenta[3]; Diarium Italicum[4]; Bibliothecam bibliothecarum manuscriptorum novam[5]; Monumenta monarchiae Francicae[6]. Ludovicus Antonius Muratori, primo Ambrosianae Mediolanensis, dein Atestinorum principum bibliothecae praefectus, vir magnae eruditionis et foecundi ingenii, inter cuius opera eminent Anecdota latina[7], Anecdota graeca[8], collectio Scriptorum rerum Italicarum[9], Antiquitates Italicae medii aevi[10], Annales Italiae ab initio aerae vulgaris usque ad annum 1500[11], Thesaurus novus veterum inscriptionum[12], Liturgia Romana vetus[13], aliaque plura. Ludovicus Ellies Dupin, Parisiensis, sacrae Facultatis doctor, multa scripsit, at non omnia recte: plura enim ab Apostolica Sede notata sunt, propterea quod auctor nimis studiosus novitatis et intemperantis criticae sectator fuerit; praeter alia composuit Bibliothecam scriptorum ecclesiasticorum, dissertationes de antiqua Ecclesiae disciplina, tractatus de potestate ecclesiastica et civili, criticen historiae Apollonii Tyanaei, tractatum historicum de excommunicationibus, methodum studii theologici, et cetera. Nicoalus le Nourry, Dieppensis, Congregationis s. Mauri, redegit Apparatum ad Bibliothecam Patrum et dissertationem in Lactantii librum *De mortibus persecutorum*. P. le-Brun, Brignoniensis, presbyter Oratorii Gallicani dedit Historiam criticam usuum superstitiosorum et Explicationem Missae atque liturgiarum ecclesiasticarum. Ioan. Grancolas, Parisiensis, doctor Sorbonicus, publicavit tractatum liturgicum, vetus Sacramentarium ecclesiasticum, commentarium historicum in Breviarium romanum, alia. Iosephus M. Tommasi, Theatin. R. E. cardinalis, anno 1803 a Pio Pp. VII inter Venerabiles relatus, praeter alia edidit Codices Sacramentorum, nongentis annis vetustiores, antiquos libros Missarum R. E., sacrorum Bibliorum veteres Titulos, ante mille ann. in Occidente usitatos, Institutiones theologicas antiquorum Patrum.

Iurisprudentiam excoluerunt commemorati Claudius Fleury et Vitus Pichler. Zegerus Bernardus Van Espen, Lovaniensis, sectae Iansenisticae addictus, in lucem dedit ius ecclesiasticum universum. Ioan. Petrus Gibert, doctor Aquensis, praeter observationes in ius ecclesiasticum Z. Bern. Van Espen, reliquit Institutiones ecclesiasticas et beneficiales, Corpus iuris canonici, Consultationes canonicas de Sacramentis, Traditionem Ecclesiae circa Sacramentum matrimonii. Ignatius Schwartz, Suevus, S. I., concinnavit Institutiones et Collegia historica, atque Institutiones iuris publici universalis, naturae et gentium. Anacletus Reiffenstuel, Germanus, Ord. Min., praeter tractatum de probabilismo, et Theologiam moralem, reliquit ius canonicum universum cum tractatu de regulis iuris [1]. Ioannes Bapt. Rigantius, Neapolitanus, composuit commentarium in Regulas Cancellariae apostolicae.

Brevitatis studio praetermittimus concionatores et asceticos scriptores, quorum numerus adeo hoc saeculo excrevit, ut paucis referri nequeat.

56. *Benedictus XIV, Pontifex* (*an.* 1740) — Benedictus Pp. XIV antea appellatus *Prosper Lambertini*, civis Bononiensis ex ordine primo, munere Promotoris Fidei, Congregationis Concilii Secretarii, aliisque Romae perfunctus est; tum Anconae Episcopus datus, Cardinalis a Benedicto XIII creatus, et a Clemente XII patriae Archiepiscopus; demum annos natus 65, unus ex omnibus, post dissidium mensium amplius sex, dignissimus est habitus, qui ad Sacerdotii sublime fastigium instinctu plane divino proveheretur. Provectus est autem an. 1740 xvi° calend. septembris, et xii° calend. mensis eiusdem Pontificali Tiara die Dominico coronatus. Vir omni doctrina eruditus, quem singularis sacrae theologiae, sacrorum canonum et historiae ecclesiasticae peritia, necnon res praeclare gestae, tanto honore dignum reddebant. Pontificis huius eruditionem praeclara scripta ostendunt. Voluminibus magnis quatuor totam *de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* explicavit sententiam: quibus mirum quantum Ecclesiasticae historiae, Critices, eruditionis, praeter quaestiones Theologicas, Philoso-

1 1706, 2 voll. in-fol.
2 1708, in-fol.
3 1713, 2 voll. in-fol.
4 1702, in-4°.
5 1739, 2 voll. in-fol.
6 1729, 5 voll. in-fol.
7 Mediolan. 1697, 2 voll. in-4°.
8 Patav. 1709, 3 voll. in-4°.
9 1723, 27 voll. in-fol.
10 12 voll. in-4°.
11 1738, 6 voll. in-fol.
12 Mediolan. 1739, 6 voll. in-fol.
13 Venet. 1748, 2 voll.

1 6 voll. in-fol.

phicas, Physicas, Medicinales, et Legales contineatur [1]. Eruditione consimili et critica scripsit *de Iesu Christi*, *Matrisque eius Festis*, et *de Missae Sacrificio*, *de Sanctis* item, qui divino Officio Bononiae coluntur; quo etiam modo edidit *Institutiones Ecclesiasticas*, et *Tractatum de Synodo* [2]. *Bullarii* quoque sui Tomum primum emisit; et benevolus patriae, et illustrium Pontificum Innocentii III, Honorii III, Gregorii IX ac Bonifacii VIII, cum librum sextum Decretalium, et Ioannis XXII cum Decretales Clementis V ederent, exemplis adductus, Doctoribus et Scholaribus universis Bononiae commorantibus inscripsit. Etiam Martyrologium Romanum auctius edendum curavit: de qua emissione ponderosam scripsit epistolam ad Ioannem V Regem Lusitanorum, cuius impensis editio curata est. Quae omnia efficiunt multa et magna volumina [3]. Breviter in christiana ethica, in iure canonico, in disciplina ecclesiastica tam arduum, tam controversum, tam reconditum, nihil est quod non eruditissime explanarit ac definierit; adeo ut ex eius libris antistites, theologi, canonistae et ecclesiastici singuli rerum agendarum regulas percipere queant.

Initio pontificatus sui Iubilaeum indixit, totusque inde in Ecclesiae regimen et curam intentus, vix dici potest, quanta aggressus sit perfeceritque. Tribunalia curiae Romanae reformavit, iudicumque auctoritatem et singulorum iurisdictionem definivit. Congregationem particularem instituit super promovendis ad episcopatum, ut quantum fieri posset, non nisi viri, morum integritate, sacra doctrina et vero salutis animarum studio praediti, ad regendas ecclesias assumerentur. Iurisdictionem episcoporum, quoad ecclesias parochiales regularium, et ad personas, curam animarum subditorum saecularium in iis exercentes, spectat, stabilivit. Plura sancivit de appellationibus concedendis vel denegandis, deque concursu et examine pro collatione ecclesiarum parochialium. Alia constituit contra confessarios sollicitantes, absolventes complicem, aut inquirentes nomen complicis. Abusus, qui in observantiam ieiunii Quadragesimalis irrepserant, sustulit. Praescripsit, quo ordine ac forma causarum matrimonialium vel professionis religiosae iudicia sint peragenda; exposuit, quibus, quomodo, quibusque cautelis matrimonia occulta permitti queant; de dubiis propositis circa matrimonia, in Hollandia et contracta et contrahenda, declarationem dedit; episcopos Polonos graviter admonuit, ut in admittendis coniugiorum dissolutionibus caute procederent. Clausuram monasteriorum mulierum et virorum optimis legibus firmavit. Anno 1750 alterum Iubilaeum indixit, qua occasione celeberrimam dedit Epistolam encyclicam de operibus ad lucrandum Iubilaeum iniunctis, de facultatibus confessariis concessis earumque usu. Plures alias de diversis capitibus exortas controversias luculenter ac perspicue explanavit.

Decreta de ritibus Graecorum Melchitarum patriarchatus Antiocheni, de iurisdictione patriarchae et episcoporum eiusdem nationis, de disciplina monachorum et monialium, aliaque de pluribus disciplinae capitibus pro incolis regni Serviae et finitimarum regionum in unum collecta, promulgavit. Nationalem synodum Maronitarum, anno 1736 in monte Libano habitam, confirmavit; eorum episcopis certas sedes assignavit, et patriarchae annuum caritativum subsidium attribuit, abrogata consuetudine colligendi praestationes pecuniarias in distributione sacrorum Oleorum. Iurisdictionem in Ægyptios et alios ad ritus Copticos pertinentes, atque ad Ecclesiam catholicam conversos, cuiuscumque essent dioecesis, confirmavit episcopo Hierosolymitano eiusdem ritus; super dubiis, ad ritus ecclesiae et nationis Coptorum pertinentibus, praeclaram constitutionem publicavit, et pro Coptis catholicis indultum concessit recipiendi sacramentum Confirmationis a presbytero missionis praefecto. Fratri ex Ordine Minorum de Observan-

---

[1] Hoc opus elaboravit postquam ultra viginti annos in munere Promotoris Fidei versatus fuerit, ut certam ac tutam methodum traderet dirigendi seriem causarum Beatificationis, et Canonizationis, quae ob varias opiniones Scriptorum, qui in negotiis Congregationis ss. Rituum non satis versati fuerant, aliquo modo involuta ac perturbata videbatur, atque omnium oculis pateret, quam caute ac diligenter Apostolica Sedes in huiusmodi causarum examine se gereret. Cf Const. 141, § 4, p. 560, t. I *Bullarii*.

[2] Libros *De Servor. Dei beatif.* etc., *De Iesu Christi Matrisque eius Festis*, *De Missae Sacrificio*, *De Sanctis* etc. edidit cum adhuc Ecclesiae Bononiensi praeesset, quos factus Pontifex, additionibus locupletatos, iterum emisit typis Seminarii Patavini. *Institutiones Ecclesiasticae*, vulgo *Notificazioni*, sub suo Archiepiscopatu editae, ipso Pontifice in latinam linguam translatae sunt. Latine etiam redditi fuere libri *de Iesu Christi* etc., et *de Sacrificio Missae*. Tractatum *de Synodo* protulit gerens Pontificatum.

[3] Venet. 1767, 19 voll. in-fol.

tia, dicto *Guardiano*, qui pro tempore regeret familiam s. Sepulcri, facultatem dedit, ut, absentibus episcopis ritus Latini, conferre posset sacramentum Confirmationis cum oleo et chrismate ab Episcopo catholico benedictis. In regnum Batgaum magni Thibeti, postulante ipso rege, apostolicos missionarios destinavit. Controversias circa regimen missionum in regno Cochinchinae existentium harumque limites diremit. Litibus de ritibus Sinensibus et Malabaricis finem constituit, ut supra vidimus [1]. A Syriacis et Armenis, in ecclesiis Latinorum sacra peragentibus, proprium ritum servari praecepit, monuitque missionarios, ut in convertendis populis Orientalibus hos ab errore et schismate revocarent, ritus vero eorum probatos permitterent. Ecclesiasticis viris ritus Slavo-latini mandavit, ut in missis et officiis divinis litterale idioma slavum cum characteribus Hieronymianis retinerent, uterenturque missalibus et breviariis, typis Congregationis de Propaganda Fide editis. Presbyteris ritus latini, in Russia Polonica degentibus, permisit in Ruthenorum-unitorum ecclesiis, deficientibus altaribus lapideis seu tabulis consecratis et calicibus aureis sive argenteis, missarum sacrificia celebrare super Ruthenorum antimensiis et cum calicibus e stanno. Unionem omnium monasteriorum Ordinis s. Basilii in Lithuania et Russia in unam Congregationem, e duabus provinciis compositam, confirmavit. Vicariis apostolicis et missionariis, saecularibus ac regularibus, regulas in missionibus Anglicanis observandas praescripsit, litemque, iam dudum agitatam inter missionarios regulares et vicarios apostolicos, a quorum auctoritate illi se vi privilegiorum, a Sede Apostolica acceptorum, exemptos contendebant, diremit. Patriarchatum Aquileiensem, propter lites inter Domum Austriae et Rempublicam Venetiarum de iure nominandi patriarcham, quae decessores suos fatigaverant, suppressit, eiusque loco duas substituit sedes archiepiscopales, Utinensem scilicet et Goritiensem.

Idem Pontifex de omnibus officii sui partibus sollicitus, plura incredulorum huius temporis scripta damnavit, regulasque, prudentia et sapientia refertas, librorum censoribus praescripsit. Latas adversus singularia certamina seu duella leges renovavit, earum rigorem auxit, et quinque propositiones, duellorum furori faventes, condemnavit. Theses condemnavit quoque, quas Parisiis propugnandas exposuerat Martinus de Prado, qui ut catholicum virum decuit, eas publice abnuit ac retractavit. Electiones Ioannis Petri Meindarts in archiepiscopum Ultraiectinum, Hieronymi de Bock et Ioannis Van Stiphout in episcopos Harlemenses atque Barth. Ioan. Byeveld in Daventriensem schismaticas nullasque esse pronuntiavit. Publicis et notoriis refractariis constitutioni *Unigenitus* sacrum viaticum iure denegari declaravit, datis ad Galliae episcopos litteris [1].

De praecedentibus Pontificibus verba facientes diximus, nonnullos principes saeculares pontificiae potestatis exercitium in regnis suis limitare, aut certa iura sacra sibi arrogare conatos esse: unde magnae saepius inter eos et Romanam curiam discordiae secutae sunt. Eiusmodi lites RR. Pontifices, pro virili parte, componere conati sunt initis concordatis seu conventionibus cum summis imperantibus. Benedictus XIV, pacis studiosissimus, cum variis imperantibus civilibus huiusmodi conventiones iniit, nimirum anno 1740 cum Ioanne V, rege Lusitaniae, cui ius concessit nominandi ad omnes episcopatus et abbatias terrarum suarum; anno 1741 cum Carolo rege utriusque Siciliae, cui 26 episcopatus conferendos dedit; praeterea inter utrumque convenit, ut tribunal erigeretur e praeside clerico et 4 assessoribus, 2 clericis a Pontifice et 2 laicis a rege designandis, compositum, quod certas aliquot causas definiret, et observationi eorum, de quibus convenerat inter partes, invigilaret: eodem anno cum Carolo Emmanuele, rege Sardiniae, cui, sicuti diximus, ius nominandi ad episcopatus, aliaque in terris suis, concessit ea conditione, ut rex quotannis calicem 1,000 aureorum ad Cameram apostolicam mitteret; anno 1753 cum Ferdinando VI, rege Hispaniae, cui ius, quo RR. Pontifices per 8 menses ad beneficia episcopatibus minora nominabant et vacantium episcopatuum fructus percipiebant, cessit ea

---

[1] P. 252 sqq.

[1] Anno 1756 postr. idus octobr. Encyclicam admodum gravem ad Galliae Episcopos Benedictus XIV misit, qui conventum a rege indictum componebant, seque illius Ecclesiae nomine consuluerant, qua nixus rex Christianissimus Quesnellianos coercuit, et confirmatis proavi sui adversus illos decretis, Constitutionem *Unigenitus* Ecclesiae totius, regnique legem esse declaravit, cui nemo sine lesae maiestatis crimine resistere posset. Vid. inferius sub § 59.

lege, ut isti fructus dispensarentur secundum canonum statuta; sibi tamen 52 beneficia reservavit; et rex ad resarcienda detrimenta, quae inde patiebatur curia Romana', ei certam pecuniae summam asseruit. Sed cum republica Veneta grave certamen habuit. Ea quippe anno 1754 vetuit, ne litterae pontificiae effectui darentur, nisi prius a regimine civili cognitae, neque in posterum indulgentiae, privilegia altarium, variique generis dispensationes et concessiones a Pontifice peterentur aut acciperentur, nisi sub certis conditionibus. Benedictus XIV Rempublicam gravibus monitis permovere conatus est ad decreta ista revocanda. Senatus Venetus, licet contestatus sit, sibi minime in animo fuisse auctoritatem pontificiam suae subiicere, decreta tamen non revocavit. Quapropter Pontifex omnes conventiones commerciales inter suos et Reipublicae subditos sustulit, et mercibus venetianis maiora vectigalia constituit. Clemens vero XIII, eius successor, natione Venetus, a Republica impetravit, ut decreta ista revocaret.

Praeterea Benedictus XIV Beatificationes et Canonizationes SSrum statuit peragendas esse in aede Principis Apostolorum. Elisabetham Aragoniae, Ioannam Franciscam Fremiot de Chantal, institutricem Monialium a Visitatione s. Mariae, Alexandrum Saulium, Hieronymum Æmilianum Patritium Venetum, fundatorem Congr. Somaschae, Iosephum a Matre Dei, fundatorem Scholarum Piarum, Iosephum a Cupertino Sacerdotem Conventualium in Beatorum Catalogum retulit; inter Sanctos vero Fidelem a Sigmaringa, Capucin. Protomartyrem S. C. de Propag. Fide, Camillum de Lellis[1], Petrum Regalatum de Min. Obs., Iosephum a Leonissa Capucin. et Catharinam de Ricciis Dominicanam, inscripsit. Ratum quoque iussit cultum publicum *ab immemorabili* exhibitum B. Ioannae Valesiae Francor. Regin. et b. Nicolao Albergato Cartusian. S. R. E. Card., Bononiens. Antist., b. Benedicto a s. Philadelphio, Francisc. laico, vulgo dicto *il Santo nero*, e parentibus ex Aethiopia natus in servitutem in insulam Siciliae abductis. Confirmavit indulgentias a Benedicto XIII concessas iis, qui antiphonam *Angelus Domini* mane, meridie ac vespere recitarent, simulque praecepit, ut diebus Dominicis stando dicerent; tempore autem Paschali singulis diebus stando recitarent *Regina Coeli* cum vers. et propria oratione. Pontificale correxit, et de emendando Breviario serio cogitavit. Diem natalem ss. Apost. Petri et Pauli per totam octavam solemniter celebrari mandavit, ordinemque et modum in diversis Urbis ecclesiis celebrandi praescripsit Constitutione *Admirabilis Sapientiae*. S. Leonis I cognomento *Magni* Officium Missamque ritu Doctorum celebrari iussit; s. Franciscum Xaverium in omnibus Indiarum regionibus principem patronum haberi voluit. Lusitaniae sacerdotibus, quemadmodum et Hispanis, permisit ter Missae Sacrificium facere die Commemorationis omnium fidelium defunctorum [1]. Regulas et constitutiones admisit Clericorum Discalceatorum Passionis Iesu Christi; militiamque s. Ianuarii confirmavit ab utriusque Siciliae Rege institutam. Salutaria multa decrevit ad rectam totius Pontificiae ditionis gubernationem, amplificato commercio, iudiciisque rectius ordinatis [2].

Carolum Borbonium utriusque Siciliae Regem Veletris, quo in oppido belli causa diu fuerat, anno 1744 Romam ex improviso profectum, pedibus suis oscula figere cupientem, paterna omnino benevolentia excepit, et quam maxima potuit per id horarum, quibus in Urbe mansit, liberalitate prosequutus est. Lusitano Regi Ioanni V de Catholica Religione, et Apostolica Sede praeclare merito, et successoribus eius *Fidelissimi* titulum concessit. Magno Magistro Melitensium equitum *ensem* misit et *galenum* praemia fortium virorum et insignium propugnatione ac defensione rei christianae [3]. Quos *Liberos Coementatores*

---

[1] De quo vid. p. 193.

[1] Bona, *Rerum liturgic.* l. I, c. 18, § 7.

[2] Sapientissimae Constitutiones, quas variis temporibus Benedictus XIV edidit, in unum corpus collectae, 4 magnis voluminibus vulgatae typis Romanis elegantissimis fuere.

[3] Unde et quando natum initium mittendi ad imperatores optime de propugnata religione Christiana meritos insignia memorata, quae nocte Christi Domini a Summo Pontifice consecrantur, haud satis compertum. Quidam originem ducunt a Litteris sacris; alii inventum existimant Pontificum Romanorum. Sixtus Pp. IV vocat *approbatam ss. patrum*, hoc est Pontificum, *consuetudinem*, uti tenet Christoph. Marcellus (l. I *Sacr. Cerem.* Sess. 7, c. 7, ap. Theoph. Raynaud, *De Gladio et Pileo a Pontifice initiatis*, sect. 1, § 3). Ibi exprimit significationem mysticam ensis, subiicitque verborum formulam, qua Pontifex illnm tradere consuevit. Franc. Pagi in *Vita* Urbani VI, § 58 subdit: « Nunc haec (*ensis et pilei*) benedictio fit in quocumque festo solemni;

(*liberi muratori*) vocant, Ecclesiae civilisque societatis hostes teterrimos, Societatesque occultas, nova Constitutione proscripsit. Ad fovenda studia plures aut erexit aut instauravit academias, seminaria construxit, litteratorum societates adamavit, aedes Capitolinas signis, anaglyhis, aliisque antiquitatis monumentis locupletavit, musaeum ad christianas antiquitates servandas aptissimum Bibliothecae Vaticanae adiunxit, publicam delineandi scholam instituit et largo censu ditavit. Romanum Achigymnasium, *Sapientiam* nuncupatum, novis Cathedris amplificavit. Summi Pontificatus onere minime passus, doctrinae studia haud intermisit, et singulis lunae diebus conventum apud se celebrabat virorum eruditorum, in quo de Catholicae Ecclesiae historia, Conciliis, ac rebus Liturgicis disputationes habebantur.

Multa sunt huius Pontificis merita egregia, quibus Urbis ornamentum, et totius orbis utilitas continetur. Liberianae Basilicae porticum refecit, atque adeo novam lectissimis lapidibus, et columnis ornatam excitavit; primariam item eius frontem extruxit marmoreo opere, ac statuis insignivit; superque eam porticum alteram erexit, unde Festo Assumptionis B. M. V. apostolicam benedictionem populo solemni ritu impertiret; alia denique a solo erecta aedificia ad totius aedis formam exegit. Antonini Pii columnae sustinendae stylobatem collocavit e regione Curiae Innocentianae; Solis Obeliscum ex Campo Martio extraxit. Lauretanae B. M. V. Domui turrim addidit, porticumque amplificavit.

Parum abfuit quin totum renovaret sacrum Cardinalium collegium, cum 54 Cardinales crearet tantae dignitati pares.

Longo debilitatus morbo, cum Missae sacrificium stans peragere non posset, pulcherrima praemissa de hac re dissertatione (quae iterum ac saepius edita typis est) sibi indulsit, ut suae erga mysterium hoc longe omnium augustissimum pietati ac devotioni sedens satisfaceret. Obiit v° nonas maii 1757, annos natus 83, post *annos* Pontificatus 17, *mens.* 7, *dies* 16, quum paucis ante diebus ad Goanum Archiepiscopum mira prudentia et eruditione respondisset de matrimonii impedimentis et effugiis quibusdam, ad Concilii Tridentini decreta declinanda, in ea regione quaesitis. Postremum hoc maius est quiddam in summae senectutis homine perpetuis laboribus fracto et bis lethali morbo ad extremam usque sacram Unctionem afflicto et prostrato, quam ut exprimi verbis possit. Profecto talis fuit Pontifex, qui cum summa vitae innocentia tantam doctrinae copiam coniunxit, ut ad veteres Ecclesiae Patres ac Doctores proxime accessisse videatur [1]. Eius laudes ipsi protestantes cecinere, inter quos Matthaeus Pfaffius, doctrinae praestantiam admiratus, eum uti talem virum celebrat, *quo per multa saecula non sedit eruditior alter.*

57. *Religionis status in Sinis, Indiis et Insulis*—Postquam Benedictus XIV dissidia de ritibus Sinensibus diremisset et concordiam inter missionarios restituisset, persecutio, iam contra Christianos in imperio Sinensi coepta, aucta est. Qui enim Christianos oderant, eosdem accusabant, quod ritus legesque imperii contemnerent. In provincia Fokiensi 5 missionarii Dominicani, quorum unus, Petrus Martyrius Sanz, Hispanus, erat episcopus et vicarius apostolicus, an. 1747 post quaestiones, tormenta et carceres occisi fuerunt. Anno sequenti 3 Iesuitae eamdem sortem experti sunt. Non in solos missionarios, sed etiam in Christianos saevitum est, qui ad quaestionem vocati, tormentis subiecti, verberibus affecti, bonis spoliati, in carcerem coniecti aut in exilium relegati sunt; ecclesiae in multis provinciis destructae; pastores ad fugam compulsi. Anno 1750 persecutio vehementius exarsit; plures quam 70 missionarii in carceres coniecti, et Christiani quam plurimi bonis ipsaque vita privati fuerunt. Multi quidem tormentorum vi Fidei renunciarunt, sed multi etiam egregia christianae constantiae exempla dederunt. Anno demum 1753 legatus a rege Lusitaniae ad imperatorem et mandarinos cum muneribus missus, Christianis pacem impetravit, postquam eorum numerus multorum enecatione ac variorum defectione multum erat imminutus. Tunc plerique eorum, qui durante persecutione Fide defecerant, veniam postularunt et crimen suum per poenitentiam expiarunt. Missionarii mala Religioni illata repararunt, ecclesias restituerunt, novoque ardore propagandae Fidei

---

anno enim 1716 Clemens XI quum *ensem et pileum* ad Principem Eugenium de Sabaudia misisset, ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatum, eos benedixerat in Ecclesia s. Mariae de Populo die 8 septembris.

[1] Vitam huius Pontificis exaravit, sed calamo leviori D. Caraccioli, Paris. 1783 in-12°. Cf Natal. Alexand. *Hist. eccl.* Supplem. t. II.

adlaborarunt. Quum autem exurgentibus hic illic persecutionibus et vexis praesertim obnoxii essent missionarii Europaei, tum in Sinis tum in seminario Siamensi adlaboratum est formandis missionariis indigenis.

Pax, quam rex Lusitaniae sua intercessione Christianis Sinensibus impetrarat, hoc ipso saeculo saepe interrupta est ob persecutiones in variis locis motas. Anno 1770 nova contra eos persecutio exarsit, quae aliquandiu post sopita, an. 1784 vehementius saeviit. Ea durante Christiani multi crudeliter torti et post tormenta relegati aut servituti mancipati sunt; multi missionarii, inter quos 3 episcopi, in carceres coniecti, in quibus maior pars eorum periit. Anno 1787 persecutione sopita, missionarii superstites apostolicos labores ea, qua opus erat, prudentia, resumpserunt, et illata Religioni detrimenta restaurare conati sunt.

Quod attinet ad caeteras terras in ditione imperii Sinensis positas, vel ab eo dependentes, anno 1712 Clemens Pp. XI 12 Capucinos e Marchia Anconitana in regnum Thibetanum ad praedicandum Evangelium ablegavit; qui accepta ab utroque regni capite, politico et religioso, licentia, munere suo apostolico functi sunt eo successu, ut in metropoli Lasta et in aliis locis plurimi, imo ex ipsis sacerdotibus seu lamis haud pauci baptismum reciperent. Anno 1744 Benedictus XIV alios 12 Capucinos in Thibetum destinavit, qui opus, ab antecessoribus coeptum, successu non minus prospero continuarunt. In peninsulam Coream posterioribus huius saeculi annis religio catholica illata est a iuvene quodam Coreensi, nomine Ly, qui Pekini a Iesuitis sacris christianis institutus et in patriam redux, suo exemplo et sermone atque librorum, quos a missionariis Pekinensibus acceperat, distributione, multos, tum e proceribus tum e plebe, ad fidem christianam et baptismum perduxit. Hi veluti totidem missionarii seu catechistae, alios ad eamdem fidem alliciebant, adeo ut intra 5 annorum spatium circiter 4,000 Coreenses in Christum crederent. Novae religionis propagatio persecutioni ansam dedit; anno 1791 duo fratres christiani capitis damnati sunt, pluresque alii deprehensi, in carceres coniecti. Hac tempestate post biennium sopita, Govea, episcopus Pekinensis, in Coream misit Iacobum Velloz, presbyterum Sinensem, qui Christianorum numerum illic plurimum auxit, non obstantibus vexis et persecutionibus, quibus saepius erant subiecti.

In regnis Indiarum orientalium, Madurensi, Mayssurensi, Carnatensi et Tanschaurensi, religio catholica saeculo praecedenti laete floruerat et continua fere incrementa ceperat; hoc vero saeculo, tum persecutionibus hinc inde exortis, tum dissensionibus missionariorum de ritibus dictis Malabaricis, nonnulla decrementa subiit. Anno 1701 in regno Tanschaurensi omnes Christiani, qui ad religionem patriam reverti recusabant, vel verberibus affecti et in carceres coniecti, vel regno exire coacti sunt; eorum ecclesiae destructae omneque religionis christianae exercitium interdictum. Annis huius saeculi XVIII sexagesimis et deinceps missio Carnatensis, cuius prima sedes erat Pondicherium, etiam decrevit revolutionibus ibidem exortis, et bello Anglos inter et Gallos de Pondicherio excitato. In regno Mayssurensi Tipuzahebus, qui illic ab an. 1787 ad 1799 praefuit, multa Christianorum millia vario mortis genere sustulit; in alienis etiam provinciis, quas invasit, contra illos saeviit, multas ecclesias, seminaria, domosque missionariorum destruxit. Post eius mortem Christianis pax rediit; ecclesiae restitutae sunt, et credentium numerus mox auctus est. In littore Malabarico missionarii numerum Christianorum continuo augebant. In regno Travancorensi res christianae prospera sorte fruebantur; ibidem Paulinus missionarius Ramavarmerum regem ita religioni catholicae conciliavit, ut rex Christianos variis beneficiis ornaverit, et epistolas aliquot cum Clemente XIV et Pio VI PP. communicarit.

In Tongkino, in quo Religio saeculo praecedenti plurimum propagata fuerat [1], hoc saeculo novae eaeque graves persecutiones contra Christianos excitatae sunt, praesertim an. 1721 et 1736, quibus eorum numerus haud parum minutus est; multae ecclesiae destructae, varii missionarii capitis damnati, Christiani multi in carceres coniecti, verberibus atque suppliciis affecti. Posteriori vero tempore, pace Christianis concessa, eorum numerus continuo fere crevit.

In Cochinchina religio christiana a posterioribus saeculi praecedentis annis valde propagabatur, quum anno 1700 gravis persecutio contra illius sectatores exardesceret. Post paucos annos tranquillitate parta, Religio maiora incrementa cepit, praesertim ab anno 1739, quo Iesuitae, mathesis

---

[1] Vid. p. 230.

et artis medicae periti, familiarem ad aulam accessum nacti sunt. Verumtamen anno 1748 rex eiusque ministri pravam contra fidelitatem Christianorum suspicionem admiserunt, et persecutionem contra eos excitarunt, in qua missionarii relegati et ecclesiae destructae sunt. Perduravit persecutio usque ad ann. 1774, quo rex, mitioribus erga Christianos consiliis conceptis, servituti aut captivitati mancipatos libertati restituit, eisque liberum Religionis exercitium concessit; quo facto, 30 Iesuitae in hoc regnum venerunt et Evangelium prospero cum successu propagarunt.

In regno Siamensi extranei, Lusitani et Cochinchinenses religionem christianam libere profitebantur. Ibidem, ut supra dictum est, Vicarii apostolici seminarium et collegium erexerunt ad formandum clerum indigenam pro Siamo, Tongkino et Cochinchina[1]. In convertendis vero indigenis magna missionariis opus erat prudentia, quum id non semel edictis regiis fuisset prohibitum. Post annum autem sexagesimum huius saeculi Religio ibidem haud exiguum decrementum subiit per Birmannos Peguenses, qui Siamum saepius invaserunt, dire vastarunt magnamque eius partem sibi subiecerunt. Tranquillitate restituta, religio christiana paulatim refloruit; rex, qui post revolutionem, an. 1780 effectam, thronum conscendit, ei favit, episcopum in metropolim vocavit, et missionariis facultatem praedicandi ubique Evangelium dedit.

In Iaponia summa cum severitate excludebantur et amovebantur omnia, quae vel minimum religionis christianae vestigium prodebant. In insulis Philippinis, quas inde ab anno 1564 occuparunt Hispani, religio catholica dominabatur; ecclesiae ibidem ex archiepiscopo, qui sedebat Manilae, episcopis et reliquo clero, perinde ac in Europa, formatae erant; Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitae, Iesuitae illic domicilia seu monasteria excitarant. In insulis Marianis ab anno 1665, quo Iesuitae in eas ab Hispanis destinati sunt, Evangelium late propagatum est et Christianorum numerus continuo auctus. In insulam Formosam Dominicani, Franciscani aliique ecclesiastici viri Fidem intulerant; sed deinde Batavorum in Catholicos odio horum res imminutae ac pene deletae fuerunt. In insulis vero Iava, Malaca, Ceylano, Maldibis, Moluccis aliisque, in quibus prius Hispani et Lusitani, deinde Batavi et Angli dominati sunt, saeculo XVI missionarii catholici, protegentibus eos Hispanis et Lusitanis, longe lateque Evangelium propagarant; sed ex quo tempore in illis insulis dominium nacti sunt Batavi et Angli, res catholicae ibidem declinarunt, et in multis interieruut. Tunc enim non solum obstacula multifaria catholicis missionibus suscitata sunt, sed acatholici etiam ministri insulares ad sua sacra pertrahere studuerunt, eumque in finem Biblia sua, catechismos aliosque libros religiosos, in linguas asiaticas versos, inter illos divulgarunt, scholas ad instruendos parvulos, et seminaria ad formandos concionatores instituerunt. Eosdem conversionis modos ministri acatholici tentarunt in terris Indiae anterioris, Danorum et Anglorum dominio subiectis[1].

58. *Religionis status in America* — In America prosper ecclesiarum ac missionum status perdurabat[2]. In America septentrionali religio catholica dominabatur in coloniis, quas illic Hispani et Galli creaverant. Plures praeterea inter ipsos indigenas institutae fuerunt a religiosis viris missiones, inter quas celebris erat Californiensis. Hanc anno 1697 inceperunt Iesuitae, qui ad peninsulae huius populos huc illuc dispersos et sine fixis sedibus vagantes, progressi, impigro labore et non absque multis periculis eos ad christianam religionem simulque ad vitam civicam adduxerunt eo cum successu, ut anno 1745 indigenae conversi 53 reductiones seu pagos efficerent.

Praeter Hispanos et Gallos, etiam Angli inde a saeculo praecedenti colonias plures in America septentrionali condiderunt, a quibus hodiernae provinciae confoederatae seu *Status-Uniti* originem ducunt. Tales fuerunt Virginia, Nova-Anglia, Marilandia, Novum-Eboracum, Pensilvania, Carolina, aliae. Hae coloniae coaluerunt ex Anglis, Batavis et Germanis, maxima parte acatholicis. Ministri, qui sacris in his coloniis praeerant, praesertim herrenhuthani et methodistae, etiam indigenas ad praetensam suam reformationem convertere studebant. In

---

[1] Vid. p. 230.

---

[1] *Lettres édifiantes et curieuses*; *Nouvelles des missions orientales*; *Auszüge aus Originalbriefen von den apostolischen Vicarien und Missionarien in China, Tonkin, Cochinchina etc.* Wien 1811; *Relazione del principio e stato presente della missione del vasto regno del Tibet*, Roma 1742; Paulinus a s. Bartholomaeo, *India orientalis christiana*.

[2] Vid. p. 208.

plerisque tamen coloniis etiam Catholici tolerabantur, quorum multi, ex Anglia et Hibernia oriundi, sedes fixerant in Marilandia; hos in spiritualibus dirigebant Iesuitae Angli, quorum primus Andreas Withe illuc transiit anno 1607. Post annos 13 alter Iesuita, Grayton, missionem instituit in Pensilvania. Quamdiu provinciae confoederatae seu *Status-Uniti* Anglis paruere, Catholicorum in iis conditio multifariis vexationibus fuit obnoxia; mitior illa reddita fuit ex quo tempore *Status-Uniti* suam nacti sunt *independentiam*, quam anno 1783 Angli ratam habuerunt[1].

59. *Iansenistarum curiarum in Gallia turbae* — In Gallia autem a dimidio huius saeculi factio quesnelliano-iasenistica seu potius curiae, ei faventes, turbas novas excitarunt. Quum enim Appellantes seu adversarii Bullae *Unigenitus* inter clericos saeculares et regulares, inter monachos et moniales, inter doctores et laicos, in occulto perdurarent, episcopi parochis mandarant, ut priusquam aegrotis, quos Bullae adversantes novissent, vel suspectos hac in re haberent, sacramenta administrarent, ab iisdem testimonium confessionis exigerent, quo de eorum fide constaret. Iansenistae parochos, episcoporum suorum mandatis obedientes accusarunt apud curias saeculares, quae hanc ansam immiscendi se rebus sacris et deprimendi auctoritatem ecclesiasticam arripientes, in parochos,qui aegrotis confessionis testimonium exhibere recusantibus sacrum viaticum denegaverant, variis poenis, praesertim pecuniae mulctis, animadvertere coeperunt, non obstantibus contrariis regis declarationibus, iussis et minis. Anno 1752 curia seu senatus Parisiensis decretum edidit, quo vetabatur, ne cui sacramenta denegarentur, propterea quod testimonium confessionis exhibere aut nomen confessarii sui indicare aut Bullam *Unigenitus* acceptare recusaret. Hoc ipsum decretum pleraeque curiae in provinciis adoptarunt.

De tanta curiarum saecularium audacia episcopi datis ad Ludovicum regem XV litteris iuste conquesti sunt, eorumque plures, praesertim Christophorus de-Beaumont, Archiepiscopus Parisiensis, litteras pastorales ediderunt, in quibus Ecclesiae auctoritatem et iura, maxime in iis, quae ad fidei doctrinam et sacramentorum administrationem spectant, contra curiarum usurpationes defenderunt. Curiae vero his omnibus posthabitis in episcopos et obedientes eis clericos variis poenis animadverterunt, eorum litteras pastorales et reclamationes suppresserunt, alios, inter quos fuere de-Beaumont Parisiensis et de-Brancas Aquensis archiepiscopi, relegarunt, alios custodiae manciparunt, alios bonis suis, beneficiis et functionibus privarunt. Rex quidem curiarum audaciae restitit, earumque acta saepius rescidit; sed carebat ea constantia et auctoritate, quas temporum adiuncta postulabant.

Quum igitur dissensiones et turbae augerentur, Benedictus Pp. XIV, a clero Gallicano interpellatus, anno 1756 litteras in forma Brevis, *Ex omnibus*, ad cardinales, archiepiscopos et episcopos regni Galliae in comitiis congregatos, dedit, in quibus declaravit, tantam esse in Ecclesia Dei auctoritatem Constitutionis apostolicae *Unigenitus*, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga eam subiectione se subducere aut eidem ullo modo refragari; proinde publicis et notoriis praedictae Constitutioni refractariis SS. Corporis Christi Viaticum esse denegandum secundum communem regulam, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad Eucharistiae participationem admitti, sive eam publice sive privatim requirat. Deinde exposuit, qui tanquam publici et notorii refractarii essent habendi, regulasque in hac re observandas praescripsit. Contra has Pontificis litteras, quamvis magna moderatione conceptas haeretici et nonnullae curiae quidem reclamarunt, sed rex constantius eorum audaciam repressit[1].

Quanto autem detrimento haec dissidia fuerint non modo ecclesiasticae, sed etiam regiae auctoritati, patet vel a solis confessionibus et declarationibus Francisci Damiens, qui anno 1757 regis necem meditatus Ludovico XV vulnus, non tamen lethale, inflixit, scelerisque sui poenas luit. Is enim multis interrogationibus pressus, constanter asseruit, consilium necandi regem sibi venisse ex accusationibus et conviciis, quae saepius in curia contra regem, ceu oppressorem curiarum et populi atque fautorem episcoporum ac sacerdotum, qui populo sacramenta denegabant, proferri audivisset; seque nunquam in hunc propositum iterum fuisse, si curiam non frequentasset. Et tamen non obstantibus eiusmodi

[1] *Lettres édifiantes*, etc.

[1] Vid. p. 282 in not.

declarationibus, infensi Iesuitarum hostes crimen Francisci Damiens in hos referre ausi sunt, asserentes eum fuisse quondam in eorum domo, ex qua iam a 20 annis fuerat eiectus [1].

60. *Irreligiositatis in Gallia progressus* — Hoc ipso tempore in Gallia religioni christianae teterrimum bellum inferebant scriptores irreligiosi, qui specioso philosophiae et tolerantiae nomine omnem operam evertendae religioni et propagandae impietati navabant. Eorum antesignanus fuit Petrus Bayle, qui saeculo praecedenti in scriptis suis tolerantiam religiosam, indifferentismum et scepticismum propugnavit [2]. Ei suppar fuit Henricus comes de-Boulainvilliers, qui Parisiis obiit anno 1722, scripsitque refutationem Spinozae, sed infirmam, qua huius sententiae potius propagabantur, quam confutabantur; edidit etiam vitam Mahometis cum annotationibus, quibus lectores ad religionem mahometanam christianae praeferendam facile seduci possent. Praeterea plura incredulorum scripta in Anglia edita, uti diximus [3], in idioma gallicum translata, clam inter Gallos fuerant disseminata. Accessit, quod inde a principatu Ludovici XIV morum corruptela in regno Galliae invaluerat. Quibus omnibus animorum ad incredulitatem propensio praeparata est.

Inter irreligiosos scriptores Gallos primum locum occupat Franc. M. Arouet de Voltaire, qui anno 1694 Parisiis natus, ab adolescentia magnam morum licentiam, impietatem et vindictae in sibi contradicentes cupidinem prae se tulit. Ingenii sui et eloquentiae praestantia, scribendi arte, lepore et elegantia magnam nominis celebritatem, fautores plurimos et patronos sibi comparavit. At mox in scriptis suis et Religioni et Clero insultans, anno 1727 ne vinculis traderetur, fugit in Angliam. Illic amplam irreligiosorum librorum cognitionem adeptus, ita in impietate obfirmatus est, ut tota vita sua destruendae religioni christianae operam impenderit. Quum propter irreligiosa ac inhonesta scripta, quae ab hoc tempore emittebat, neque Parisiis neque in aliis Galliae urbibus toleraretur, prope Genevam praedium sibi comparavit, in quo irreligiosis scriptis otium irrumpsit usque ad ann. 1778, quo ope patronorum, quos plurimos et potentissimos habebat, facultatem Parisios revertendi impetravit, sed paulo post ibidem animam exhalavit. Is incredulorum scriptorum seu pseudo-philosophorum patriarcha merito vocatur, caeterosque omnes per 60 annos impietate, obscoenitate et maledicentia superavit.

Eius discipulus et in pseudo-sophiae patriarchatu successor fuit Ioannes le Rond d'Alembert, natus Parisiis an. 1717, et extinctus an. 1783. Hic reliquos astutia et dexteritate impugnandi Religionem et propagandi impietatem vicit: usus est enim prae ceteris simulatione et technis. Praecipua ei cura fuit, ut academias et procerum domos institutoribus, philosophismi placitis imbutis, impleret.

Alius, qui ad destruendam inter Gallos Religionem dictis et scriptis quam plurimum contulit, fuit Dionysius Diderot, Lingonensis, natus anno 1712. Is propter irreligiosa scripta, in quibus scepticismum, materialismum et atheismum professus est, primo carceri mancipatus, deinde Galliam relinquere coactus, postea per patronos facultatem redeundi impetravit. Vivere desiit anno 1784.

Hi triumviri praecipui erant, qui in propaganda irreligione ac impietate laborabant. Brevi tempore haud paucos ad easdem sententias et ad idem studium evertendi Religionem perduxerunt. Quo efficacius finem suum persequerentur, cum aliquot aliis circa dimidium huius saeculi conspirationem anti-christianam iniverunt. Talem reipsa inter eos obtinuisse, sufficienter ostendunt mutuae eorum epistolae, ipsis mortuis collectae et in lucem editae, e quibus apparet, eos ad evertendam religionem christianam consilia, methodos, factos, progressus, obstacula et modos ea superandi, sibi mutuo communicasse, falsa nomina, quibus se tegerent, assumpsisse, et communem tesseram, verba nempe adhortatoria, a de-Voltaire suggesta, *Infamem conterite* (*Écrasez l'infame!*) habuisse.

Isti porro et qui cum iis consentiebant, atque a patriarcha suo Voltairiani dici possunt, omnem religionem oppugnabant; quamvis enim aliquando naturalem aut aliam quamdam religionem probare viderentur, generatim tamen in scepticismum et atheismum propendebant; animae immortalitatem et vitam futuram passim negabant; religionem christianam summo

[1] *Pièces originales et procédures du procès fait à Damiens*, Paris 1757; De-Saint-Victor, *Tableau de Paris*, t. IV, part. 2.

[2] Vid. p. 239.

[3] P. 274-275.

odio persequebantur, eius propagatores Apostolos, ipsumque Christum Dominum impostores appellabant, illius institutiones, ministros et sectatores calumniis, conviciis et cavillationibus prosequebantur.

Accesserunt alii christianae religionis adversarii, qui Rousseauvii sententias circa Religionem et societatem amplexi sunt, et proinde Rousseauviani appellari possunt. Ioannes Iacobus Rousseau natus Genevae an. 1712, post 16 annos relicta haeresi, religionem catholicam professus est, a qua postea rursus ad religionem patriam descivit. Anno 1741 venit Parisios, ubi incredulorum consortia frequentavit. Vir fuit animi depravati, superbus, ingratus et inhumanus, phantasia exaltata et dictionis venustate pollens, sed disciplinis minime excultus: unde paradoxa multa, fanatica et sibi contradictoria in scriptis suis tradidit. Propter scripta sua, Religioni et societati adversa, an. 1762 e Gallia exire iussus, postea facultatem redeundi in eam accepit ea lege, ut a scribendo abstineret. Extinctus est anno 1778. Is universim deismum docuit, religionem christianam, non sicut de-Voltaire, calumniis, conviciis et cavillationibus, sed potius cum Bayle sophismatibus et obiectionibus impugnavit; paradoxa plurima contra naturalem hominis destinationem et rectam societatis gubernationem conscripsit; continuo secum pugnans, nunc Christum et Evangelium summis laudibus extollit, nunc prophetias, miracula, aliaque explodit; subinde atheos et philosophos exagitat, mox Dei existentiam dubiam reddit, et philosophiam commendat; modo virtutem et morum honestatem laudat, modo vitiis adulatur et crimina excusat.

Praeterea scriptoribus irreligiosis adnumerandi sunt hi qui sequuntur: Iulianus Offray de-la-Mettrie, Macloviensis, scriptor mordacissimus, materialista et epicureus; e Gallia et Batavia profugus, a Friderico II, rege Borussiae, susceptus et Academiae Berolinensis socius creatus fuit. Dicitur ante mortem, quae contigit anno 1751, poenitentiae signa dedisse. Ioannes Bapt. de-Boyer, marchio de Argens, Aquensis, qui primum militiam professus, deinde relicta Gallia transiit in Bataviam, hincque Berolinum, ubi diu Friderico II a cubiculis et Berolinensis academiae in re litteraria director fuit. Postea in patriam redux, obiit anno 1771. Is orationem Iuliani apostatae contra religionem christianam in linguam gallicam vertit, et inter alia dedit epistolas iudaicas sinicas, et cabalisticas, in quibus scepticorum more et satyrica ratione Christianismum eiusque ministros proscidit. Verumtamen priusquam moreretur, poenitentiae signa dedit et Ecclesiae sacramenta postulavit. Franc. Vincentius Toussaint, Parisiensis, in Berolinensi nobilium Academia eloquentiae professor, qui in libro de moribus, revelationem, dogmata et miracula reiiciens, ethicen naturalem et indifferentiam in religionis negotio adstruxit. Et hunc etiam ante mortem probrosi libri puduisse fertur; obiit anno 1772. Claudius Adrianus Helvetius, Parisiensis, mortuus anno 1771, in libro de spiritu, et in alio posthumo de homine, materialismum et epicureismum docuit, contendens, hominem sola corporis seu organorum constructione a brutis distingui, eum sola cupiditate duci, omnesque actiones ex se esse indifferentes. Paulus Thiry baro de-Holbach, natus Heidelsheimii in Palatinatu inferiori anno 1723, mortuus Parisiis, ubi ab adolescentia domicilium elegerat, anno 1789. Is pseudo-sophiae, atheismi et materialismi propugnator acerrimus, plura scripta vulgavit, sententiis maxime impiis, calumniis et conviciis in religionem christianam plenissima; non tantum revelationem et Christianismum; sed omnem Dei cultum, ipsam Dei existentiam, animae spiritualitatem, vitam futuram, regulas morales evertere sibi proposuit. Alios plures, his impietatis propagatoribus suppares, commemorare omittimus, ne brevitatis institutum excedamus.

Eorum agmini se sociavit Ioannes Martinus de-Prades, presbyter dioecesis Montis-Albani et baccalaureus Sorbonae; qui Dionysio Diderot aliisque huius generis philosophis familiariter usus, eorumque consilio excitatus, an. 1751 in ipsa Sorbona thesim defendendam suscepit, deistarum et materialistarum sententias redolentem. Thesis eius, quam syndicus et praeses sine praevia inspectione et discussione admiserant, multis stomachum movit; periculi seu disputationis actus suspensus fuit; curia Parisiens., Facultas theologica et archiepiscopus Parisiensis de-Beaumont thesim proscripserunt, et Benedictus Pp. XIV, xi° calendas aprilis 1752, eamdem declaravit impiam, deistarum et materialistarum doctrinis faventem. De-Prades e Sorbonicorum albo expunctus, confugit ad Fridericum II regem Borussiae, qui eum suscepit et anno 1754 canonicum Capituli Uratisla-

viensis designavit. Tunc de-Prades episcopi sedis huius consilio ad meliorem mentem rediit; eodem anno thesim suam secundum praescriptam a Benedicto XIV formulam reprobavit, decreto pontificio anni 1752 se submisit, et propositiones in eo damnatas detestatus est.

Porro ad propagandam impietatem illius coryphaei omnes, qui sibi praesto erant, modos tentabant. Primum verbis sententias suas aliis persuadere, et in communi conversatione, in compitis et conviviis, ubi simul famuli ministrantes dicta excipiebant, disseminare conabantur. Ad easdem latius propagandas libris potissimum utebantur, quos diversissimi generis, serios et ludicros, philosophicos, historicos, poeticos, itineraria, fabulas dictas romanenses, aliosque, principiis suis et sententiis refertos, maximo numero sine intermissione in lucem edebant. In his, sicut in colloquiis, Religionem diversis modis impetebant; nunc aperte eam impugnabant; nunc historiam eius et doctrinam in invidiosam lucem collocabant; modo de statu corrupto Religionis et morum conquerebantur, et personam reformatorum induebant; modo in ritus sacros, pontifices, sacerdotes iocis, cavillationibus, calumniis invehebantur. Praeterea tum in colloquiis tum in scriptis captiosa nomina philosophorum, spirituum fortium, hominum sine praeconceptis opinionibus sibi asserebant et venditabant, quibus vani ac semidocti, praesertim illi, qui se inter homines cultiores referebant, alliciebantur ad easdem sententias amplectendas, quatenus ex agmine imbecillium elevati videretur supra vulgus superstitiosum.

Opus autem principale, omnia, quae contra Religionem proferri poterant, quasi collecta exhibens, erat *Encyclopaedia*, in qua ordine alphabetico omnia argumenta pertractabantur, quae ad litteras, artes, theologiam, philosophiam, historiam, iurisprudentiam, politiam spectabant. Hoc opus inde ab anno 1750 sub summa directione Diderot et d'Alembert in lucem emitti coepit. Propter genium, Religioni et potestati regiae inimicum, qui iam in primis operis voluminibus dominabatur, eius continuatio iterato a regimine civili prohibita fuit. Verumtamen directores ope patronorum suorum facultatem illud ad finem perducendi impetrarunt. In hoc opere Religio omni ex parte impugnatur, et quamvis hic illic nonnulla reperiantur, quae ei favere videntur, ea in aliis locis abunde confutantur; morum principia et regia auctoritas aeque ac Religio vellicantur. Quum autem auctores omni occasione, dictis et scriptis, hoc opus extollerent, a quo utilia quaedam non absunt; cumque faveret genio eorum, qui incredulitatem, morum licentiam ei ab omni iugo libertatem querebant, latissime propagatum est.

Praeterea ad librorum impiorum effectus certius latiusque propagandos sophistarum complures, inter alios d'Alembert, Diderot, Damilaville, Turgot, Condorcet, anno 1764 Parisiis, hortante de-Voltaire, societatem constituerunt, cuius sedes erat domus, quam d'Holbach Parisiis habebat. Ne autem a regimine politico coercerentur, se non nisi ad discutiendas materias eruditas, praesertim ad oeconomiam pertinentes, convenire dicebant. In his conventibus scripta discutiebant et pro rerum adiunctis adornabant, de libris edendis et propagandis, de adminiculis ad finem suum promovendum facientibus, de impedimentis tollendis et adversariis debellandis deliberabant, et cum asseclis extraneis mutuas litteras communicabant. Aliud adminiculum, quo sophistae ad promovenda consilia sua usi sunt, in eo consistebat, ut dictaturam in republica litteraria sibi vindicarent, ut ipsi et sententiis suis addicti in academias reciperentur: quare libros principiis suis consentaneos commendabant, contrarios vero vituperabant. Magnam etiam operam dabant, ut adolescentes, praecipue iuvenes e scholis egredientes, doctrinis suis imbuerent, et quos sibi addictos noverant, tanquam paedagogos et professores commendabant. Denique omni occasione tolerantiam in Religionis negotio laudabant, tum ut ipsi sub eius alis securi forent, tum ut catholicos, praesertim clericos, ceu libertatis hostes et fanaticos omnibus invisos redderent; interim nemo ipsis erat intolerantior erga omnes, qui eorum placitis consentire et Religionem abiicere detrectabant. His aliisque modis sophistae progressu temporis magnum assectarum numerum inter diversas hominum classes nacti sunt.

Caeterum eorum finis, non in sola Religionis eversione, sed etiam in destructione regiae potestatis, et introductione maximae libertatis, imo licentiae moralis ac politicae consistebat. Id abunde testantur liber Rousseauvii *de Contractu sociali*, aliaque Holbachii et ei aequalium scripta, et notum illud Dideroti dictum: « Nationes non prius

fore beatas, quam ultimus regum intestinis ultimi sacerdotis esset suffocatus ».

Ad cohibendam impietatis propagationem et impedienda ingentia mala, quae inde oriebantur, variae rationes tum a viris privatis tum ab auctoritate publica initae sunt. Plures viri eruditi, quorum iam supra aliquos indicavimus [1], alios infra commemorabimus, egregia scripta ediderunt, in quibus causam Religionis defenderunt, sophistarum sententias confutarunt, et mala, ex iis oritura, ob oculos posuerunt. Episcopi et sacerdotes in Instructionibus pastoralibus et concionibus sacris calamitates, ex diffusa irreligione in utriusque reipublicae, ecclesiasticae et civilis, detrimentum prodituras, praenuntiarunt. RR. Pontifices irreligiosa et noxia scripta damnarunt. Magistratus civilis eadem saepius proscripsit. Verumtamen his modis incredulitatis progressus non fuit cohibitus; deferbuerat et apud multos perierat observantia erga auctoritatem ecclesiasticam, tot antea Ianseniano-quesnellistarum et curiarum saecularium clamoribus, contentionibus et decretis labefactatam; multorum animi iam ad incredulitatem propendebant; scripta irreligiosa avidius quam apologetica legebantur; deerant Ludovico regi XV, eiusque successori Ludovico XVI, intelligentia, fortitudo et constantia sufficiens; praeterea in ipsa aula, regio concilio et curiis sophistae suos asseclas et patronos habebant [2].

61. *Irreligiositatis progressus in Germania*—Paulo serius quam in Gallia, irreligio invalescere coepit in terris protestanticis Germaniae. Ad hoc animos non parum praepararunt Pietistae, qui magis practicam quam theoreticam religionem curantes, viam ad indifferentiam dogmaticam aperuerant. Accesserunt continuae inter ipsos protestantes dissensiones religiosae. Nec defuerunt iam saeculo XVII inter Germanos protestantes viri, qui scripta, Religioni christianae adversa, in lucem emiserunt. Prioribus saeculi XVIII annis inter eos studium discendi linguas gallicam et anglicam magis magisque crevit, quo simul factum est, ut multa scripta irreligiosa in illis linguis exarata cognoscerentur, germanice verterentur, et sententiae in iis propositae a multi susciperentur. Itaque nonnulli principia Christianismo, imo omni religioni adversa, scriptis tradere coeperunt. Horum primipilus fuit Christianus Edelmann, natus Weissenfelsii in Thuringia an. 1698, et mortuus Berolini an. 1767. Qui in scriptis suis, non tantum libros utriusque Testamenti suppositios, Iesum merum hominem, Divinam Trinitatem fabulam, creationem e nihilo, lapsum protoparentum, angelos et diabolos figmenta, Religionem superstitionem esse contendit, sed etiam pantheismum aperte professus est. Cum stylo populari scriberet, et suis commentis iocos et cavillationes admisceret, eaque etiam ore aliis persuadere studeret, multi, praesertim inter inferiores hominum classes, inter officiales civiles et militares, ei assensum praebuerunt.

Animis ita praeparatis, anno 1740 Fridericus II solium Borussiae conscendit. Is scripta irreligiosa sophistarum Gallicorum, quae propter facetias, leporesque et dictionis elegantiam genio eius arridebant, adamabat; incredulos scriptores, e Gallia profugos, suscipiebat, et honoribus ac beneficiis prosequebatur; cum de-Voltaire, d' Alembert aliisque sophistarum coryphaeis litteras mutuas communicabat et familiaritatem colebat. Isti vero hac rerum opportunitate utebantur ad sententias suas in terris Borussicis, ubi iam libros irreligiosos typis mandare licebat, disseminandas. Praeterea rex universalem religionum tolerantiam in ditione sua introduxit. Quibus omnibus effectum est, ut brevi in urbibus maioribus, praesertim Berolini, plurimi ex hominibus sic dictis cultioribus, Christianismum abiicerent et ad deismum, indifferentismum vel etiam atheismum deflecterent.

E Borussia irreligiosus genius id reliquas Germaniae protestanticae terras penetravit. Illius propagationem promoverunt posteriori huius saeculi dimidio multi scriptores e protestantibus, qui libros, Christianismo vel saltem characteristicis eius doctrinis adversos, ediderunt. Inter eos notissimi sunt commemoratus Christianus Edelmann, Carolus Augustus Gebhardi, qui in scriptis, inde ab anno 1743 editis, miracula et divinam religionis christianae ac sacrae Scripturae originem negavit; I. Mich. de-Loen et C. T. Damm, qui religionem mere naturalem commendarunt; I. Bern. Basedow, qui in multis libris omnes positivas seu mysteriosas Christianismi doctrinas reiecit;

---

[1] Vid. p. 277-278.

[2] De Feller, *Dictionnaire historique*; Barruel, *Mémoires du Jacobinisme*; I. F. La Harpe, *Du fanatisme dans la langue révolutionnaire, ou de la persécution suscitée contre la religion chrétienne et ses ministres*; L. B. Proyart, *Louis XVI détrôné avant d' être roi*; idem, *Louis XVI et ses vertus aux prises avec la perversité de son siécle*.

Guil. Abrah. Teller, qui primo divinitatem Filii et Spiritus S., peccatum originale, aliaque praecipua dogmata christiana in sacris Litteris fundata esse negavit; deinde religionem naturalem christiana perfectiorem, et in morum doctrina potissimum consistentem, laudavit; I. Salomon Semler, qui inde ab an. 1760 plura scripta, religioni christianae opposita, ex aliis linguis in Germanicam vertit; in aliis a se exaratis potissimum criticae et historiae abusu omnes fere doctrinas positivas Christianismi impetiit; plures libros biblicos totos et aliorum partes e canone expunxit; Herm. Samuel, Reimarus, in gymnasio Hamburgensi philosophiae professor, qui plura conscripsit opuscula, revelationi et Libris sacris inimica, Christo et Apostolis maxime iniuriosa. His aequales fuerunt: G. S. Steinbart, philosophiae et theologiae professor Francofordii ad Viadrum; C. F. Bahrdt, Misniensis, primum praedicator Lipsiensis, deinde pluribus in locis professor, postea director Institutorum paedagogicorum; I. Mauvillon, informator scholae militaris Brunswicensis; I. H. Schulz, aliique.

Praeter hos, qui particulares libros Christianismo contrarios scripserunt, ad illum labefactandum plurimum contulit opus grande, quod sub titulo *Universalis Bibliothecae Germanicae* tomis 107 inde ab anno 1765 edere coepit et usque ad annum 1792 continuavit C. F. Nicolai, bibliopola Berolinensis. In eo opere libri ex omni scientiarum genere recensebantur. Nicolai eiusque cooperatores, praeter alios, hunc quoque finem sibi proposuisse, ut Christianismum ad deismum reducerent, ex ipso opere manifestum est. Haec *Bibliotheca* inter Germanos maiora detrimenta religioni christianae intulit, quam *Encyclopaedia* inter Gallos. Accessit, quod professores in scholis publicis, etiam theologicis, principia naturalistica et rationalistica discipulis suis instillarent; praeterea consiliarii consistoriales, sententiis antichristianis passim infecti, concionatores constituerent Christianismo puro, ut dicebant, seu naturalismo addictos. Quibus omnibus effectum est, ut Christianismus inter omnes hominum classes apud protestantes ingens subierit decrementum.

In ipsas etiam catholicas Germaniae terras irreligiosa lues serius penetravit. In eas quippe irreligiosa scripta tum e Gallia tum e Germania protestantica clam illata sunt; atque a multis suscepta et lecta. Ad haec ea quae nonnulli principes catholici reformationis praetextu in sacris constituerunt, Religioni multum nocuerunt. Denique temporis progressu genius saeculi, educatio ei conformata, aliaque adiuncta religiosis sententiis inter Catholicos grave detrimentum intulerunt.

62. *Clemens XIII*, *Pontifex* (an. 1758)— Post menses 2 et dies 3 a morte Benedicti Pp. XIV, pridie nonas quintilis electus est Clemens XIII, patricius Venetus, antea Carolus Rezzonicus, cardinalis episcopus Patavinus. Virtutes, quae hunc Pontificem antea commendabant, ad novum cum eo splendoris decus evectae sunt. Supra caeteras eminens fuit eius erga pauperes liberalitas. Defendendae ac conservandae Fidei studio excitatus, Lexicon encyclopaedicum aliaque scripta catholicae doctrinae adversa damnavit. Acta pseudo-synodi Ultraiectinae, anno 1763 a Ioan. Meindarts celebratae, rescidit, irritavit et electionem Gualt. Mich. Van Nieuwenhuysen, in locum praefati Meindarts suffecti, condemnavit. Proscripsit etiam librum Iustini Febronii seu Ioannis Nicolai de-Hontheim de praesenti Ecclesiae statu et legitima R. P. potestate. Ad vindicandum ab incredulorum iniuriis ss. Trinitatis mysterium praescripsit, ut singulis dominicis in missis, propriam non habentibus, diceretur praefatio de ss. Trinitate. Ad provehendam in Christianorum animis divinae caritatis memoriam, festum Ss. Cordis Iesu approbavit[1]. Societatem Iesu con-

[1] Ss. Cordis Iesu cultui propagando saeculo praecedenti adlaborarunt B. Margarita Maria Alacoque, ex Ordine Visitationis, et ven C. de la Colombière, e S. I.— Brevi temporis spatio pium devotionis exercitium in Gallia, assentientibus episcopis, propagatum est. Subinde eam devotio in finitimas regiones translata fuit. Nonnullis, maxime Iansenistis, ex odio in patres Iesuitas, devotionis huius defensores, cultum SS. Cordis Iesu ceu novum et erroneum oppugnantibus, res Romam delata est. Anno autem 1765 Clemens XIII e S. Rituum Congreg. sententia festum SS. Cordis Iesu approbavit. Ex quo tempore cultus Dei Servatoris Cordis per orbem catholicum propagatus est. Non quieverunt tamen adversarii ab oppugnanda hac devotione; sed eorum obtrectationes confutarunt eruditi viri. An. 1786 famosus Scipio Ricci, episcopus Pistoriensis, in synodo sua eamdem devotionem proscribere ausus est; ast. Pius PP. VI in celebri sua Bulla, *Auctorem fidei*. acta istius synodi condemnavit, cultumque SS. Cordis vindicavit. Cf M. Languet, *Vie de Marie Alacoque*, Paris 1729, in-4°; Galifet, *De cultu sacrosancti Cordis Iesu*, Romae 1726 in-4°; A. Muzzarelli, *Dissertatio de devotione et cultu SS. Cordis I. C.*, Romae 1806, in-12°. Attamen Pius Pp. IX, decreto 28 augusti 1856, motus precibus universi Galliarum Episcopatus, Fe-

tra incredulorum et Iansenii asseclarum in eam coniurationem fortiter tuitus est, ut infra dicemus. Plures in Beatorum et Ssrum numerum retulit. Optimus Pontifex variorum principum oppositionem et gravitatem expertus est.

In primis postquam Corsi iugum reipublicae Genuensis abiecissent, seque ab ea independentes constituissent, Paschalis Paoli, eorum dux, a Pontifice Visitatorem apostolicum petiit, qui res ecclesiasticas, intestinis discordiis turbatas, absentibus episcopis componeret. Clemens XIII, requisito frustra senatus Genuensis consensu, episcopum Visitatoris apostolici munere fungentem in Corsicam ablegavit, qui ecclesias insulae visitaret, episcopatus rectoribus destitutos administraret, monachos reformaret invigilaretque, ne quid detrimenti res christiana caperet. Senatus Genuensis publico decreto praemium constituit illis, qui episcopum Visitatorem interciperent sibique traderent, simul duas naves in eumdem finem instruxit, sed frustra; ille enim in Corsicam feliciter pervenit, suoque munere in ea per plures annos functus est. Pontifex senatus decretum, tanquam libertati ecclesiasticae et episcoporum dignitati summe iniuriosum, rescidit et graviter de eodem ad senatum expostulavit. Senatus vero suam agendi rationem defendere conatus est, nec, nisi egresso e Corsica visitatore, pacatus fuit.

Eidem Pontifici negotium facessit Iosephus I, rex Lusitaniae, qui, cum nuntius apostolicus in aula Ulyssipponensi aeque ac Torreggianus, primarius Pontificis minister, Iesuitarum e Lusitania expulsionem improbaret, a Pontifice petiit, ut nuncium revocaret, et Torreggiano in negotiis quae ad regnum Lusitaniae spectabant, non uteretur. Quum vero Clemens XIII procaci regi non assentiret, hic anno 1760 nuncium apostolicum per milites e regno eduxit, legatum suum apud Apostolicam Sedem cum omnibus subditis suis Roma avocavit, subditos pontificios e Lusitania amovit; merces e ditione Romana in regnum suum invehi prohibuit, denique omnibus clericis et laicis interdixit, ne sine licentia primarii ministri dispensationes aut concessiones ullas ab aula pontificia peterent vel pecuniam in territorium Romanum mitterent. Non nisi sub Clemente Pp. XIV discordia sublata est anno 1770, quo rex novum nuncium admisit et communicationem cum Apostolica Sede restituit. Huius et aliarum dissensionum auctor fuit Carvalho de-Pombal, primarius regis minister, quo post mortem Iosephi I (1777) a Maria Francisca regina amoto, concordia inter aulam Lusitanicam et Apostolicam Sedem integrata est.

Ipse dux Parmensis, quamvis R. Pontifici, ut supremo Parmae domino, subditus, Clementem XIII graviter offendit. Ille anno 1764 vetuit, ne ecclesiis aut monasteriis plus quam vigesima totius haereditatis pars testamento legaretur; praecepit, ut quivis ante professionem religiosam omnibus bonis temporalibus scripto renuntiaret; statuitque, ut fundi, antea tributis subiecti, iisdem etiam a clero acquisiti, subessent. Postquam Pontifex ducem ad revocanda ea decreta frustra fuisset hortatus, editis anno 1768 litteris, illa temeraria et irrita declaravit, Parmenses ab obedientia iisdem praestando absolvit, ducem et omnes, qui ad condenda ista decreta cooperati fuissent, excommunicationi, in diversis decretalibus, praesertim in Bulla *in Coena Domini* latae, obnoxios pronuntiavit. Nihilominus dux, aularum Borbonicarum, quibus sanguine iungebatur, auxilio fretus, decretis suis institit; aula Gallicana Avenionem, Neapolitana Beneventum et Pontem-Corvum occupavit.

Has inter aliasque simultates Clemens XIII, animi potius moerore, quam corporis morbo, postridie calendas februarii anni 1769 exstinctus est.

63. *Status schismatis Ultraiectensis*—In Batavia autem seu Hollandia Iansenistae schisma suum omni e parte corroborare conabantur [1]. Ioannes Meindarts, pseudoarchiepiscopus Ultraiectinus, post. mortem sacrilegi consecratoris D. M. Varletii, metuens ne post obitum suum schismatica ecclesia episcopo orbata maneret, sedes episcopales Harlemiensem et Daventriensem, dudum extinctas, propria auctoritate excitavit, et ad priorem Hieronymum de-Bock, et post hunc Ioan. Van Stiphout, ad posteriorem Bart. Ioan. Byeveld ordinavit episcopos. Byeveld a Daventriensibus reie-

stum SS. Cordis Iesu in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit. Die vero 2 aprilis 1875, aliis pene innumeris Episcoporum et Christifidelium postulationibus, idem Pontifex ad fovendam augendamqne pietatem erga Sacratissimum Iesu Cor, universum mundum Eidem Ssmo Cordi consecravit, et Orationem, recitandam iis omnibus qui SS. Cordi Iesu se ipsos devovere voluerint, approbavit.

[1] Cf p. 265.

ctus, sine ecclesia, clero et grege in sic dicta sua dioecesi, domicilium fixit Roterodami. Benedictus Pp. XIV omnes istas electiones nullas, sacrilegas et schismaticas declaravit. Idem Pontifex ad tentandam schismaticorum conversionem anno 1748 in Bataviam ablegavit Nicolinum presbyterum; sed cum schismatici prae caeteris postularent, ne ad acceptandam Constitutionem *Unigenitus* cogerentur, tentamen istud effectu caruit.

Anno 1763 Ioannes Meindarts celebravit synodum, quam secundam provincialem Ultraiectensem appellarunt. Cogendae synodo ansam dedit Petrus Clericus seu Leclerc, subdiaconus Rothomagensis, iansenista fanaticus, Amstelodamum profugus. Is caeteris longius progressus, contendebat, quinque famosas propositiones continere sanam doctrinam de gratia et praedestinatione; praeterea sententias multas, Ecclesiae auctoritati, traditioni catholicae, R. Pontificis primatui, hierarchiae ecclesiasticae adversas, conscripsit; contendit etiam, ecclesiam Graecam neque schismaticam neque haereticam esse. Quum per haec omnia Leclerc in Ultraiectino schismate nova schismata excitaret, Meindarts e consilio appellantium Gallicanorum, qui schismaticos Ultraiectenses consiliis suis ac pecunia adiuvabant, an. 1763 cum pseudo-episcopis, Ioanne Van Stiphout Harlemensi, et Bart. Ioan. Byeveld Daventriensi, et cum nonnullis pseudo-canonicis et parochis Ultraiecti synodum habuit. In ea sententiae Petri Leclerc proscriptae sunt; alia contra doctrinas patrum Iesuitarum, Harduin, Berruyer et Pichon, et contra laxiores casuistas decreta sunt, et 21 canones conditi de disciplina. Quibus actis cum pseudo-episcopis subscripserunt alii iansenistae eadem hac formula usi: *Ego iudicans subscripsi*. His peractis, decreta synodi suae Romam miserunt, eorumdem confirmationem a Pontifice postulantes. Verum Clemens Pp. XIII, re cum cardinalibus diligenter discussa, pridie calend. maias 1765, istam synodum, sine legitima auctoritate coactam et celebratam, nullam, illegitimam et attentatam pronuntiavit; eius acta rescidit atque irritavit; librum inscriptum: *Acta et decreta secundae synodi provincialis Ultraiectinae* proscripsit tanquam habentem propositiones falsas, calumniosas, scandalosas, subversivas hierarchiae ecclesiasticae et iniuriosas s. Sedi; omnesque fideles monuit, ne cum Iansenistarum episcopis, utpote qui declarati essent excommunicati vitandi, ullam communionem, praesertim in spiritualibus, haberent, aut ullum fomentum deplorando huic schismati praeberent.

Schismatici in sua contra Apostolicam Sedem rebellione perseverarunt. Maxime solliciti de conservandis 3 suis episcopis, post unius obitum continuo novum eligebant. RR. Pontifices, quibus illi acta sua semper significabant, eorum confirmationem petentes, in eis reiiciendis, electisque excommunicandis usque ad nostros dies perrexerunt; a quorum sententiis atque censuris schismatici continuo ad generale concilium provocarunt. Caeterum schismaticorum numerus, comparatus cum catholicis Hollandiae, exiguus semper fuit; iam anno 1779 ad 6,000 constrictus, deinceps multum decrevit [1], uti suo loco videbimus.

64. *De Hontheim seu Febronius* — Interea tristem nominis famam sibi procreavit Ioan. Nicolaus de-Hontheim, Episcopus Myriophitanus et archiepisc. electoris Trevirensis coadiutor, qui Iansenistarum et Richeristarum doctrinis imbutus, anno 1763 Bullioni, ut titulus ferebat, vere autem Francofordii ad Moenum sub ficto nomine Iustini Febronii librum in lucem dedit, cui titulus: *De praesenti Ecclesiae statu et legitima Romani Pontificis potestate liber singularis*. In hoc libro, tot contradictionibus referto, ut auctoris sententiae vix dignoscantur, praetextu corrigendi abusus, qui in Ecclesia invaluissent, et reducendi RR. Pontificum potestatem ad iustos limites, divinam Ecclesiae Constitutionem et R. Pontificis primatum convellit. Contendit quippe, potestatem clavium a Christo fuisse collatam toti Ecclesiae seu fidelium universitati, quae eam per suos ministros exerceret; inter ministros ecclesiasticos primarium, seu praesidem esse episcopum Romanum, ita tamen, ut Ecclesia etiam cum alio episcopatu quam Romano primatum coniungere possit; episcopos, etiam eorum primatem, aliosque ministros universitati Ecclesiae esse subordinatos; primatum non consistere in iurisdictione, sed in solo praesidio unitatis ecclesiasticae; primatem seu Pontificem nec in fidei nec in disciplinae materia praescribere posse leges, universam Ecclesiam obligantes; doctrinas ab eo condemnatas, etiam a provincialibus synodis denuo cognosci seu examinari posse, et alia. Quae-

---

[1] L. Mozzi, *Histoire des révolut. de l' Église d' Utrecht.*

cumque alia iura RR. Pontifices exercuerint, et exercerent, praecipue causarum maiorum reservationes, abusus vocabat, et partim ex usu, partim e Pontificum arrogantia, praesertim vero e pseudo-Isidori decretalibus orta dicebat. Proinde in fine libri sui nationes christianas provocabat ad limitandam Pontificis potestatem, et modos quibus id efficiendum erat, indicavit: nempe auxilium imperantium civilium, examen litterarum pontificiarum antequam admitterentur, appellationes ab abusu, oppositionem contra arrogationes pontificias. Episcopos etiam provocabat ad revocanda sua prisca iura, Romanae curiae usurpationibus, ut dicebat, mediis saeculis deperdita.

Ut infelix liber in lucem prodiit, a quibusdam ut antidotus contra despoticum Romanae curiae regimen laudatus, a ceteris ut prava Protestantium, Richeristarum et Iansenistarum proles denuntiatus atque damnatus fuit. Clemens Pp. XIII decreto, dato IV° calendas martii 1764, eumdem condemnavit atque prohibuit; et in litteris, in forma Brevis eodem anno pridie idus martii ad Clementem episcopum Ratisbonensem datis, de auctore infausti libri praeter alia dixit haec: « Omnia ex haereticorum et Sanctae Sedi infensissimorum hominum libris conquisivit, absurdissima quaevis de suo adiecit ». Post Romanum Pontificem Universitas Coloniensis eumdem librum censura, publice edita idibus septembris 1765, notavit. Plures etiam episcopi, inter quos Ratisbonensis, Coloniensis, Leodiensis, Constantiensis, librum execrati sunt, eiusque lectionem prohibuerunt. Varii viri eruditi, inter quos fratres Ballerini, sacerd. saecular., Franc. Ant. Zaccaria et Franc. Zech, S. I., Thom. M. Mamachi Ord. Praed., eumdem librum doctissimis scriptis confutarunt.

De-Hontheim seu Febronius his haud cedens, librum suum novis scriptis defendit, atque 3 tomis auxit, in quibus principia, in primo libro proposita, uberius evolvit, multasque novas sententias protulit, quae novas Apostolicae Sedis censuras meruerunt. Denique an. 1778 Pii Pp. VI, Clementis archiep. Treviren. aliorumque monitis et consiliis Febronius ad meliorem mentem rediit, et retractationis libellum ad Pontificem misit. At cum in eo non nisi generalibus vocabulis ea, quae in R. Ecclesiae contumeliam scripserat, improbaret, Pius VI ad eum misit formulam assertiones retractandas continentem. Paruit De-Hontheim, novamque retractationem secundum Pontificis praescriptum Romam misit, quam Pius VI laetus excepit et cum cardinalibus in sollemni consistorio communicavit. De-Hontheim autem datis ad omnes dioecesis Trevirensis ecclesias litteris suam retractationem publicavit confirmavitque. Sed in commentario, post tres annos in suam retractationem edito, ita hanc explicavit, ut suspicionem de sua sinceritate moverit. Interim archiepiscopus Trevirensis apud Pium VI egit, ut cum homine, mobili magis quam pertinaci, indulgentia uteretur [1].

Caeterum pessimos fructus infelix Febronii liber proferre non destitit; nam principia in eo tradita, non solum a multis theologiae et canonum sciolis vel potius imperitis, praesertim in Germania variisque Italiae locis adoptata ampliusque evoluta, in scholis et libris introducta latius propagata sunt; sed etiam imperantes civiles in suis ad R. Pontificem et Ecclesiam relationibus passim secundum ea egerunt, dispensationes, beneficiorum reservationes, appellationes ad Apostolicam Sedem, monachorum exemptiones, aliaque vel admodum limitarunt vel penitus sustulerunt, litteras pontificias approbationi suae, seu sic dicto *placeto* regio, subiecerunt, negotiis sacris se immiscuerunt, pluraque, aut immunitati aut libertati ecclesiasticae adversa, decreverunt.

65. *Societates occultae* — Ad propagandam vero irreligionem et praeparandam generalem conflagrationem, quae posterioribus huius saeculi annis excitata est, plurimum contulerunt societates occultae, quorum socii appellati sunt *Liberorum caementariorum* (seu ital. *de' liberi Muratori*; gall. *des Francs-Maçons*). Hae societates cum ipso incredulitatis genio natae ex Anglia in Galliam penetrarunt, quum dux Aurelianensis, pro Ludovico XV adhuc impubere, regimini praeesset. Primum eorum conventum (gall. *loge*) anno 1725 Parisiis instituisse dicuntur Dervent-Water et aliquot socii Angli. Brevi tempore eorum numerus multorum fratrum accessione auctus est. Subinde alii conventus in aliis locis instituti sunt, quorum magnus magister fuit primo Dervent-Water, deinde d'Harnouester. Anno 1738 dignitas magni magistri collata fuit duci Antinensi. Eodem anno

---

[1] Zaccaria, *Anti-Febronius vindicatus*, diss. I, c. 1; Card. Gerdil, *In commentarium a I. Febronio in suam retractationem editum Animadversiones*, Romae 1792, in-4°.

Clemens Pp. XII conventicula eorum damnavit, et sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae, compescuit Bulla *In eminenti*, data IV° calendas maias, in qua speciatim reprobavit iuramentum, ab initiandis praestandum, et occulta atque suscepta initiatorum molimina. Gubernium Gallicanum eorumdem secreta consilia habens suscepta, conventicula prohibuit, et aliquot socios, qui, non obstante hac prohibitione, convenerant, intercipi iussit.

Iam inde ab anno 1735 in Hollandia occultae societates ab Ordinibus publicis fuerant proscriptae. In Helvetia easdem anno 1748 proscripsit gubernium Bernense. In Gallia autem hi pessimi *Muratores*, ut potentius contra obstacula auxilium sibi compararent, an. 1741 dignitatem magni magistri contulerunt comiti Claromontano, regii sanguinis principi; ex quo tempore eorum conventus ibidem una cum irreligionis genio, quocum in Anglia adoleverant, propagati sunt. Quapropter Benedictus Pp. XIV constitutionem Clementis XII innovavit, et illas societates iterum damnavit atque prohibuit Bulla *Providas*, data XV° calendas aprilis 1751, in qua peculiariter notavit earum arcana mysteria, occultos congressus, suspecta quibusvis bonis consilia, contraria auctoritati publicae, a qua in variis terris fuerant interdicta molimina.

De harum societatum cum degeneri Templariorum equitum ordine et Manichaeorum sectis affinitate, deque earum infensis christianae religioni et regiae potestati consiliis legere iuvat Scriptores infra indicatos [1]. Certum est, eas una cum irreligionis genio adolevisse, quosvis Religionis et regiae potestatis hostes incredulos huius saeculi scriptores, praesertim eos, qui nullam de Religione curam habendam asserunt, eisdem favisse suaque nomina dedisse; eos vero qui christianae religioni sincera mente addicti sunt, ab illis semper fuisse alienos. Praeterea harum societatum scopum aperte indicant atque suspectum reddunt terrificum iuramentum servandi arcana, ab initiandis praestandum, occulti congressus, secretae loquendi formulae, symbola mysteriosa, variaque documenta, ex ipsorum sociorum revelationibus, litteris, libellisque collecta. Nec quemquam moveat, his societatibus adscriptos fuisse et viros principes, reges et alios, ab iniquis in Religionem et regiam potestatem machinationibus alienos; constat enim, inter initiatos esse varios gradus, et secretiora consilia non nisi summa prudentia et probatioribus communicari: neque praetermittenda illa est animadversio, coriphaeos huius immundi agminis ex industria cooptasse in illud magni nominis viros, ut horum patrocinio tutius celerisque propositum sibi finem assequerentur. Addendum est, posterioribus huius saeculi annis plerosque Liberorum Muratorum conventus in Germania et Gallia societatem iniisse cum iis, quos *Illuminatos* vocant.

Hanc societatem Ingolstadii in Bavaria anno 1776 fundavit Adamus Weishaupt, in Universitate istius urbis iuris professor, vir inquietus, turbulentus, Religionis et omnis iugi impatiens. Operam ei tulit Adolphus de Knigge, nobilis Hannoveranus, ingenio et astutia praeditus. Ultimus huius societatis finis erat Religionis et regiminis civilis abrogatio, in quorum locum dictamina rationis et regimen domesticum, quod patriarchale appellant, ponerentur. Hic finis socios latebat, et iis tantum patebat, qui per inferiores gradus probati ad supremos pervenissent. Illuminati, ut nefariam suam conspirationem citius latiusque propagarent, arcana sua consilia in societates Liberorum Muratorum quae tunc temporis multae in Germania et Gallia erant, inferre nisi sunt, eumque in finem tres consuetos illorum gradus tanquam infimos suis arcanis praemiserunt. Quo factum est, ut post paucos annos non paucas Muratorum societates, praeter eas a se institutas, in Germania ad sua consilia admittenda perducerent. Praeterea summopere solliciti erant, ut viros, muneribus publicis fungentes, in suam societatem pertraherent, munera publica suis fautoribus conferrentur, libros suis consiliis et sententiis congruos propagarent. Anno 1784 perniciosa eorum conspiratio a regimine Bavarico detecta est et funesta statuta atque consilia intercepta. Ideo eorum societates ex omni Bavaria proscriptae, socii muneribus publicis privati, nonnulli carceri mancipati fuerunt. Weishaupt cum aliis e Bavaria fugit. Theodorus, elector Bavariae, iniqua Illuminatorum consilia cum aliis imperantibus civilibus

[1] A. Barruel, *Mèmoires pour servir à l' Histoire du Jacobinisme*, Londres 1796, 5 voll. in-8°; Le Franc, *Le voile levé, ou Histoire de la Franc-Maçonnerie*, Liège 1826, in-8°; Henrion, *Continuation de l' Histoire de l' Èglise*, an. 1749-51; *Mèmorial cathol.* t. I, p. 37; E. Eckert, *La Franc-Maçonnerie* etc. trad. par l' ab. Gyr, 2 voll. in-8°, Liège 1854.

communicavit; sed quum plerique horum ea minus curarent, illorum conventicula in reliquis Germaniae terris non solum perdurarunt, sed exinde nova incrementa ceperunt, maxime Berolini et in Germania occidentali. Anno 1786 Illuminati legatos miserunt Parisios, ut societates Gallicas Liberorum Muratorum ad sua consilia pertraherent. Id eo citius effectum est, quo illae iam tum per incredulos sophistas, qui in eas admissi erant, tum per caeterorum scripta in eadem consilia descenderint. In Gallia societates occultae ita auctae erant, ut anno 1787 Parisiis ultra 100 et in provinciis 247 conventicula (gall. *loges*) computarentur, quorum regimen apud unum residebat, a quo ceteri impulsionem accipiebant ad praeparandam rerum publicarum subversionem.

In tot diversis religionis christianae periculis Pontifices et episcopi commissos sibi populos monere non omiserunt, ut sibi a legendis incredulorum libris, a frequentandis eorum consortiis et suscipiendis doctrinis caverent; in profitenda fide catholica et conservandis religionis christianae praeceptis constanter perseverarent. Inter alios antistites de-Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, et de-Fumel, episcopus Lutevanens. instructiones pastorales doctissimas pro defensione Religionis contra sophistarum et incredulorum studia ediderunt. Multi etiam apologistae, scriptis doctissimis religionem christianam eiusque dogmata, disciplinam, historiam, ministros vindicarunt, adversarios incredulos, eorumque consilia, sententias, sophismata, convicia exagitarunt et confutarunt.

66. *Clemens XIV, Pontifex* (*an.* 1769)— Post mortem Clementis Pp. XIII Cardinales ad eligendum novum Pontificem vix conclave ingressi in duas partes scissi sunt: aliis volentibus Pontificem, qui Clementis vestigia secutus et nil veritus iniquitatem potentium, Ecclesiae gubernacula per incompositos tumentesque fluctus manu forti dirigeret: aliis contra eligendum consentibus, qui, cunctando et quantum fieri posset cedendo, simultates componeret concordiamque restitueret. Etiam aulae Borbonicae omnia apud Cardinales tentarunt, ut Pontificem suis conatibus, praesertim in destruenda Societate Iesu, faventem eligerent. Tandem xiv° calendas iunii an. 1769 electus fuit Card. Laurentius Ganganelli, Ariminensis, Ord. Minorum Conventualium, qui nomen Clementis XIV assumpsit.

Hic Pontifex in primis adlaboravit componendis discordiis, inter Romanam curiam et Borbonicas aulas exortis. Nuncium misit in Lusitaniam, et ad captandam benevolentiam famosi marchionis de-Pombal, ministri regii penes quem illic summa erat rerum, fratrem eius creavit cardinalem; sed hic, priusquam hanc dignitatem acciperet, vita functus erat. Ab annua publicatione Bullae *In Coena Domini* primus abstinuit. Quibus aliisque concessionibus imperantium civilium expostulationes placavit, et Avenionem, Beneventum et Pontem Corvum recuperavit. Magno gaudio affectus est litteris Marci Simonis, patriarchae Nestorianorum seu Chaldaeorum Armeniae, qui abiectis erroribus, ad unionem cum R. Ecclesia et obsequium Apostolicae Sedis rediit; quod laetum nuncium cum Cardinalium collegio communicans, significavit, episcopos 7 cum ingenti suorum subditorum numero inter Assyrios, Persas, Transylvanos et Ancyranos ad imitandum patriarchae exemplum esse dispositos. Pro Episcopo et Canonicis Geneva a Calvinistis iamdiu expulsis, Sedem et Ecclesiam Annecii constituit. Plures libros incredulorum scriptorum condemnavit. Franciscum Caracciolo, Fundatorem Clericorum regularium Minorum, et Paulum Burali, ex episcopo Placentino archiepiscopum Neapolitanum, inter Beatos retulit. Cultum quoque ab immemorabili tempore Ss. Martyribus Hydruntinis exhibitum ratum fecit. Ad publicae rei prosperitatem et litterarum cultum in collegio Romano publicum gymnasium, adscitis praestantissimis omnium disciplinarum professoribus, instituit, et annuo censu instruxit. In aede Vaticana musaeum, quod ab eo Clementinum dicitur, erexit, et eruditorum commodo egregiis monumentis ditavit. A regibus et principibus lacessitus, an. 1773 Societatem Iesu suppressit.

67. *Societatis Iesu suppressio* — Notissimum est, patres Iesuitas, ab ipsa Societatis origine et deinceps de Religionis defensione Fideique in remotissimis et incultis orbis terris propagatione, de haeresum et irreligionis expugnatione, de animarum salute, de studiosae inventutis institutione, deque litterarum et scientiarum incrementis praeclarissime meruisse. Quapropter mirum non est, illos odio fuisse omnibus novatoribus. Protestantibus, Iansenistis, maxime vero sophistis seu incredulis. Noverant incredulitatis coryphaei, ad perficiendum impium suum contra Religionem

certamen, in primis deiiciendos esse praecipuos illius defensores ; hinc undique in destructionem Societatis Iesu conspirarunt. Opem iis tulerunt Iansenistae. Ipsi reges et principes catholici, a perversis suis ministris et consiliariis fascinati, hostium consilia iuverunt, neque a proposito destiterunt, nisi Religionem hoc validissimo propugnaculo in suis regnis nudarent.

Suppressionis initium factum est in Lusitania. Illic marchio de-Pombal, primarius regis administer, vir audax et ambitiosus, Iosephum I, principem debilem et pavidum, ita ad arbitrium suum flexit, ut omnia pro nutu suo agerentur, et universa Lusitania sub tyrannica eius manu gemeret. Animo a religione catholica alienos in destructionem Societatis Iesu totus incubuit. In hunc finem libellos in publicum disseminandos curavit, in quibus Iesuitae perversae doctrinae tum contra mores tum contra personam regiam, ambitionis et affectatae dominationis seu imperii in terris Lusitanicis accusabantur. Effecit, ut Iesuitae e Maranania, Brasiliae provincia, in qua ad convertendos feros indigenas missionem habebant, expellerentur; ii, qui familiae regiae et aulicorum conscientias moderabantur, hoc munere privarentur, regisque nomine an. 1758 apud Benedictum Pp. XIV ageretur de reformanda in terris Lusitanicis Societate Iesu, ac si a primigenio suo Instituto defecisset. At hic Pontifex eodem anno obiit, eiusque successor Clemens XIII rem Societatis fortiter egit. Paulo post Iosephus rex, cum nocte e metropoli in arcem suam vicinam reveheretur, a sicario impetitus et vulneratus est. Quis autem huius facinoris auctor fuerit, nondum publice innotuit; sed de-Pombal hanc nactus occasionem coniurationem effinxit, atque asseruit Iesuitas et proceres, quos pari studio oderat, vitam regis attentasse. Plures Iesuitae intercepti et in tetros carceres, in quibus plerique perierunt, coniecti sunt, et 7 proceres capitis damnati. Tum horum tum illorum innocentiam aula Lusitanica postea in litteris publicis professa est. Interim de-Pombal Iesuitas omnibus scholis expulit, et episcopis imperavit, ut eos sacris functionibus interdicerent. Denique an. 1759 edictum publicatum est, quo Iesuitae ceu seditiosi, proditores, inimici regis et aliorum criminum rei, relegabantur, eorumque bona fisco addicebantur. Mox edictum executioni mandatum est. Ex universo regno Iesuitae, omni subsidio destituti, in territorium pontificium navibus deportati sunt. Parem sortem subierunt Iesuitae, qui in Brasilia aliisque possessionibus Lusitanorum sacris missionibus fungebantur, quorum multi iniuriis et inedia perierunt, alii in oras Italiae transvecti sunt.

Quod de-Pombal in Lusitania, id dux de-Choiseul, minister Ludovici XV in Gallia, et comes de-Aranda, primarius administer Caroli III in Hispania, efficiendum susceperunt. Destructio Societatis Iesu in Lusitania effecta eius hostibus in Gallia animum addidit. Ansam praebuit causa ab aliquot creditoribus contra Iesuitas Gallos ad curiam Parisiensem delata ad recuperandam pecuniam mutuatam de-Lavallette, Iesuitarum in Antillis Francicis procuratori. Curia Parisiensis, cuius maior pars e sophistis et Iansenistis, Societati Iesu aeque infensis, constabat, non solum Iesuitas Gallos, quibus nulla pars erat in negotio de-Lavallette, in solidum condemnavit, sed anno 1761 ipsam Societatem in ius vocavit, ceu civitati summe periculosam, eiusque constitutiones a se cognoscendas edixit. Paulo post curia omnes congregationes, quas Iesuitae ad fovendam pietatem et exercenda bona opera dirigebant, suppressit, Senatores a curia ad cognoscendas Societatis constitutiones delegati, eas regiminis civilis, Ecclesiae, Sedis Apostolicae et Conciliorum auctoritati oppositas pronuntiarunt. Curia plura scripta Iesuitarum, ceu doctrinas seditiosas, vitae principum et civium periculosas et ethicae christianae destructivas continentia, per manum carnificis comburi iussit, vetuitque, ne quis deinceps Societatem ingrederetur.

Ludovicus XV se saepius curiae actis opposuit, et causae continuationem contra Iesuitarum Institutum suspendit; at dux de Choiseul senatores clam excitabat, ne coeptis desisterent. Rex et sapientiores eius consiliarii, in praesenti negotio ecclesiasticos praesules audiendos esse recte iudicantes, eos Parisios convocarunt. Convenerunt pridie calendas decembris 1761 praesules 51, inter quos 4 cardinales, 9 archiepiscopi et 38 episcopi. Postulata fuit eorum sententia de 4 capitibus: An Iesuitarum Institutum in Gallia utile esset, et an detrimenta quaequae ex eo forent metuenda? Quae esset Iesuitarum doctrina, sive theoretica sive practica? Quae eorum agendi ratio erga episcopos, et an in sacris functionibus aliorum iura usurparent? An et quae reformatio Instituto conveniret? Post plures congregationes, in quibus Instituti constitutiones dili-

genter fuerunt discussae, et post audita plurium virorum doctorum consilia, 45 e 51 praesulibus in favorem Iesuitarum responderunt, eorum Societatem ut utilem imo necessariam laudarunt, et ab adversariorum dicteriis vindicarunt. Solus de-Fitz-James, episcopus Suessionensis, iansenisticis partibus addictus, eorum suppressionem postulavit. Cardinalis de-Choiseul, archiepiscopus Vesuntinus, cum 4 episcopis dixit, Iesuitarum Institutum in Gallia esse conservandum, sed in quibusdam reformandum. Rex mense martio 1762 edictum dedit, quo secundum posteriorum praesulum sententiam Iesuitarum Institutum in Gallia conservabatur, additis quibusdam temperamentis quoad agendi rationem et regiminis formam. Verum curia Parisiensis, destructionem Societatis expetens, regis edictum recipere noluit; et ipse rex consilio ducis de-Choiseul illud brevi post revocavit.

Interim libelli, calumniis in Iesuitas plenissimi, vulgabantur. Calendis aprilis 1762 curia Parisiensis decrevit, ut omnia Iesuitarum collegia clauderentur. Clerus Gallicanus, mense maio Parisiis in comitiis congregatus, regi enixe supplicavit pro Iesuitarum in Gallia conservatione. In eumdem finem litteras ad regem iterato scripsit Clemens Pp. XIII. Verum curia Parisiensis, protectione ducis de-Choiseul freta, postridie nonas augusti 1762 decretum dedit, quo Institutum Iesuitarum, ceu iuri naturali, Ecclesiae atque civitatis auctoritati ac bono adversum, in Gallia abolitum, Iesuitae a votis suis soluti, eorum bona confiscata declarabantur; vetabatur, ne communem agerent vitam, habitum Societatis gestarent, regulas observarent, cum extraneis sociis communicarent, ulloque munere fungerentur, priusquam huic decreto assensum iurassent. Parisiensis curiae audaciam pleraeque provinciales secutae sunt; sed in comitatu Burgundiae, in Alsatia, in Flandria, in comitatu Atrebatensi et in Lotharingia nihil a curiis contra Iesuitas eorumve Institutum tentatum est.

Quum sic in plerisque provinciis Iesuitae e domibus suis pellerentur, Clemens Pp. XIII litteras in forma Brevis dedit ad Cardinales Gallos, quibus omnia, a curiis contra Societatem Iesu acta, declaravit irrita. Plerique praesules Galli contra eiusdem Societatis proscriptionem reclamarunt; prae aliis de-Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, v° calendas novembris 1763, celeberrimam Instructionem pastoralem, quae erat Societatis apologia, edidit. Curia vero Parisiensis Instructionem istam per carnificem cremari iussit, et IX° calendas martii 1764 praescripsit, ut Iesuitae vel Institutum abiurarent vel regno exirent. Idem praescripserunt curiae Tolosana, Rothomagensis et Palensis. Iesuitae exilium praetulerunt apostasiae. Mense novembri rex ipse consilio ducis de-Choiseul edictum dedit, quo Societas Iesuitarum supprimebatur, eisque in regno vita privata sub inspectione Episcoporum concedebatur. Ita Societatis Iesu suppressio in Gallia consummata est.

Clemens Pp. XIII, litteris Episcoporum omnibus christiani orbis partibus ad vindicandam Societatem Iesu, et ipsam Religionem, quae in eadem impetebatur, interpellatus, VII° idus ianuarii 1765 promulgavit bullam *Apostolicum*, qua Institutum s. Ignatii ab adversariorum calumniis alienum pronuntiavit, illudque de novo ex certa scientia et proprio motu confirmavit. Verum Pontificis bulla tum a Gallicano tum a Lusitanico gubernio abiecta fuit.

Abolitam iam in Lusitania et Gallia Societatem, in Hispania destruendam effecit comes de-Aranda, primarius Carolis regis III minister. Occasionem praebuit seditio popularis, Madriti excitata. Confestim de-Aranda Iesuitas tanquam illius auctores ad regem detulit; ad corroborandam accusationem vulgares contra eos calumniae adhibitae sunt; epistolae etiam sub eorum nomine confictae, quae erant Carolo regi iniuriosae. Rex ira percitus, Iesuitarum expulsionem ex omnibus suis terris decrevit. An. 1767 litterae secretae datae sunt ad omnes provinciarum in Hispania, America et Indiis, Hispanorum imperio subiectis, praefectos et civitatum magistratus, quibus sub poena mortis mandabatur, ut stata die omnes ubique Iesuitae interciperentur et in oras regionis pontificiae deportarentur. Edictum magna cum barbarie executioni mandatum est; nam una eademque nocte omnia domicilia Iesuitarum, nil quidquam suspicantium, a militibus occupata sunt, bona eorum confiscata, iique sine discrimine, iuniores, senes, infirmi, veredariis ad littora maris ducti, navibus impositi et ad territorium pontificium transvecti sunt. Clemens Pp. XIII summo dolore oppressus, omni modo regem a male coeptis reducere conatus est; hic vero petulantibus litteris dolorem Pontificis auxit.

Eodem modo Iesuitae hoc ipso anno 1767 ex utraque Sicilia, et anno sequenti e du-

catu Parmensi et insula Melita eiecti sunt. Magister equitum Melitensium a rege Siciliae tanquam patrono dependebat; Ferdinandus IV rex Siciliae erat filius Caroli regis Hispaniae, et Ferdinandus, dux Parmensis, eiusdem regis frater; hi tres principes ad eiiciendos e terris Iesuitas a gubernio Hispanico excitati sunt.

Iesuitarum hostes non quieti, quamdiu illorum Institutum alibi existeret, omnes vires suas in id intenderunt, ut istud decreto pontificio ubique abrogaretur; sed eorum consiliis et comminationibus constanter restitit Clemens XIII. Quum huic Pontifici, paulo post (1769) defuncto, successisset Clemens XIV, aulae Borbonicae omni via, precibus, promissis, comminationibus eum ad supprimendam ubique Societatem compellere studuerunt. Contra in Austria, Hungaria, Bohemia, Italia et Belgio Iesuitarum Institutum protegebat imperatrix Maria Theresia, et pro eius conservatione litteras dedit ad Clementem Pp. Polonia etiam, rex Sardiniae, civitas Venetiarum, respublica Genuensis, principes electores Trevirensis, Coloniensis, Moguntinus, Palatinus et Bavaricus, Helvetici pagi Lucernensis, Friburgensis et Salodurensis, sollicitudinem et desiderium suum pro conservando Iesuitarum Instituto Pontifici significarunt. Fridericus II, rex Borussiae, non solum Iesuitas in Silesia protexit, sed etiam pro eorum conservatione ad Pontificem scripsit. Horum principum vota commode aderant Clementi XIV ad resistendum aularum Borbonicarum instantiis. Ast Carolus III rex Hispaniae nil omisit, ut caeteros principes, praesertim Mariam Theresiam, in partes suas pertraheret. Reipsa augustissimae imperatricis constantia importunitatibus filii sui Iosephi II, et filiae suae, reginae utriusque Siciliae, victa est. Tunc cessit Clemens XIV, et xii° calendas sextilis an. 1773 Breve dedit, *Dominus ac Redemptor noster*, quo Societatem Iesu, quae a data a Paulo Pp. III confirmatoria bulla 233 annis viguerat, et hoc tempore ultra 20,000 socios habuerat, cum omnibus suis privilegiis, officiis et ministeriis in quavis provincia, regno et ditione suppressam exstinctamque declaravit. Caeterum sociis concessit, ut ad alios religiosos Ordines transire possent, vel tanquam clerici saeculares sacras functiones peragere aut iuventuti instituendae operam navare sub auctoritate Ordinariorum, in quorum dioecesibus domicilium elegerint.

Iesuitae raro obedientiae exemplo se Pontificis sententiae submiserunt. Mirum est, eiusdem Societatis, cuius suppressionem principes catholici a Pontifice extorserunt, patrocinium suscepisse duos principes acatholicos, nimirum Fridericum II, regem Borussiae, et Catharinam II, imperatricem Russiae. Etenim in Silesia et Russia alba quarum prior ad Bohemiam, posterior ad Poloniam ante pertinuerat, Iesuitae plura collegia domosque habebant. Ambo hi principes publicationi Brevis pontificii, *Dominus ac Redemptor noster*, et Iesuitarum suppressioni contradixerunt; cum Clemente Pp. XIV et Pio VI, eius successore, pro illorum conservatione egerunt. In Silesia, Borussiae subiecta, Iesuitae, non obstantibus contrariis Friderici II votis, pro sua erga Apostolicam Sedem obedientia se Brevi Pontificis conformarunt, et in conditione sacerdotum saecularium, in collegiis, et Universitate Uratislaviensi convivere et adolescentes instituere perrexerunt. Ex eorundem Pontificum indulgentia in Russia alba Iesuitae in domibus suis, collegiis et missionibus secundum priscum suum Institutum perdurarunt; et accepta an. 1778 facultate suscipiendi novitios, atque an. 1783 obtenta potestate eligendi sibi Vicarium generalem plurimum aucti sunt[1].

68. *Clementis XIV obitus* — Clemens Pp. XIV a suppressa Societate Iesu viribus destitui coepit. Anno 1774 Iubilaeum indixit, sed aperire non potuit, morte praeventus x° calendas octobris aetatis suae anno 69 nondum absoluto. Quare plura, quae in Ecclesiasticae et publicae rei bonum animo volvebat, opere complere haud potuit. Eum veneno fuisse extinctum, calumnia est R. P. Marzoni Min. Conv., qui moribundo constanter adstitit, et Salicetti aliorumque medicorum testimoniis confutata. Morientem Pontificem miraculosa s. Alphonsi de Ligorio praesentia fuisse confortatum legimus in Vita huius sancti viri. Ecclesiam rexit 5 *ann.*, 4 *mens.*, *diebus* 3. De hoc Pontifice varii varia scripserunt; quidam, maxime suspectae fidei homines, summis laudibus extulerunt; alii nimia libertate depresserunt. Vitam eius et Epistolas edidit

---

[1] *L. Pombal, Choiseul et Aranda, ou l'intrigue des trois cabinets*; De Saint-Victor, *Tableau de Paris*, t. IV, part. 2; Crètineau-Joly, *Histoire de la Comp. de Jèsus*, t. V, c. 3-7, Bruxell. 1845. Legere quoque iuvat huiusce scriptoris, *Clement XIV et les Jésuites*, Paris, Mellier, 1847; De Ravignan, *Clement XIII et XIV*, Paris 1854.

marchio Caraccioli, sed Epistolas istas, magna saltem parte, esse confictas, vitamque fabulis et calumniis refertam, consentiunt eruditi.

69. *Pius VI, Pontifex (an.* 1775) — Post Clementis obitum Sedes Apostolica vacavit usque ad xv calendas martii 1775. Etenim in hoc conclavi non minor ac in praecedenti dissensio fuit; alii, a Galliae et Hispaniae curiis excitati, cupiebant Pontificem, qui decretum Clementis XIV contra Societatem Iesuitarum confirmaret; alii volebant talem, qui, si illud non revocaret, saltem eius executionem non urgeret. Tandem cardinalis Pallavicini, in quem priorum vota conspirabant, cernens dolensque, Ecclesiam sui causa diutius pastore privari, declaravit fixum sibi esse pontificatum recusare, omniumque suffragia convertit in cardinalem Ioannem Angelum Braschi, Caesenatem, qui sub nomine Pii VI Ecclesiam rexit 24 *annis*, 6 *mensibus* et 14 *diebus*.

Pius VI sacra tiara fuit dignissimus, Religionis studio ardens, doctrina ac prudentia clarus; indefessi laboris patiens, legum vindex discretus, pro Ecclesiae et populi sui bono assidue vigilans, in pauperes misericors, omnibus affabilis, cunctas officii sui partes explevit. Iubilaeum, a decessore suo indictum, an. 1775 celebravit. Eodem anno exeunte Iubilaei gratiam ad universum orbem catholicum extendit, deditque vii° calendas ianuarii 1776 celeberrimam ad patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos epistolam encyclicam, *Inscrutabile divinae Sapientiae consilium,* in qua, quasi praedicens terribilem catastrophem toti Europae imminentem, magno verborum pondere praesules ecclesiarum officii sui admonuit, et cohortatus est, ut pervigiles caverent, ne commissae sibi oves inficerentur irreligionis lue, quae e pestilentissimis libris pseudophilosophorum in Religionis perniciem conspirantium, iam eruperat; illos excitavit, ut coniunctis viribus contra perversos errores, quibus sacerdotii et imperii auctoritas convellebantur, divini verbi gladio gregem suum munire non intermitterent [1]. Erga Iesuitas paternum gerebat affectum; iam diximus quae iis in Borussia et Russia indulserit, maxima tamen prudentia usus est, ne Gallicani et Hispanici gubernii iracundias in Apostolicam Sedem concitaret; coeptum sub decessore suo iudicium contra generalem Societatis praepositum Laurentium Ricci eiusque assistentes, in arce s. Angeli custoditos, deseri noluit, ne innocentiae viam praecluderet aut calumniae locum daret; sed post mortem L. Ricci [1], reliquos concaptivos ex arce dimisit. Schismaticas electiones Ioan. Iacob. van Rhyn in archiepiscopum Ultraiectinum, Adr. Broekman in episcopum Harlemensem, et Nic. Nelleman in Daventriensem, damnavit. Anno 1779 proscripsit librum Ioan. Laurentii Isenbiehl, presbyteri et in Universitate Moguntina professoris exegeseos, qui inscriptus erat: *Novum tentamen in prophetiam Emmanuelis* [2]. Contendebat is, verba Isaiae (VII, 14) non de B. V. Maria et Messia, sed de virgine alia, regi Achaz nota, esse intelligenda. Librum istum, iam a variis Universitatibus Germanicis et Parisiensi notatum, Pius VI damnavit ut continentem doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, haeresi faventes et haereticas. Isenbiehl iudicium Pontificis eodem anno et ore et calamo approbavit. An. 1786 Pius VI damnavit libellum inscriptum: *Quid est Papa?* [3] cuius auctor, Iosephus Valentinus Eybel, Viennae iuris canonici professor, Richeristarum et Febronianorum more Ecclesiae constitutionem et R. Pontificis primatum oppugnabat. Pontifex praedictum libellum damnavit tanquam continentem propositiones respective falsas, scandalosas, temerarias, iniuriosas, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas et alias ab Ecclesia damnatas [4]. Musaeum Clementinum antiquitatis monumentis undique magno studio conquisitis auxit, et ditavit; Kircherianum splendide locupletavit. Alia negotia gravissima, eiusdem Pontificis alibi referemus.

70. *Ordinum religiosorum status* — Narrata sunt conamina, quibus Religionis hostes effecerint, ut Iesuitarum Institutum aboleretur. Iidem ad reliquos etiam Ordines religiosos minuendos aut plane exstinguendos studia contulerunt. In hunc finem, tum in colloquiis tum in scriptis, vitam monachorum ut otiosam, inutilem, superstitiosam traducebant; detrimenta multa e Coenobiorum multitudine reipublicae civili obvenire dicebant, eaque exaggerabant;

[1] *Collectio Brevium atque Instructionum Pii Pp. VI.*

[1] Obiit xii° calendas decembris 1775.

[2] *Neuer Versuch über die Weissagung von Emmanuel.* — [3] *Was ist der Pabst?*

[4] *Collect. Brevium Pii Pp. VI* cit.

imperantibus civilibus persuadebant, ut exhausta aeraria suppressorum monasteriorum bonis restaurarent. Quum autem in plerisque aulis ministri essent sophistarum doctrinis imbuti, publica decreta impetrata sunt, quibus membra singulorum monasteriorum ad certum numerum, donationes et legata iis facienda ad definitum modum reducebantur, variae reformationes in coenobiis praescribebantur, nonnulla monasteria vel integri Ordines supprimebantur.

In Lusitania Iosephus I consilio primarii sui ministri de-Pombal plures religiosas Congregationes suppressit. Dicta sunt, quae a duce Parmense fuerint decreta [1]. In Gallia Ludovicus XV, pravis administrorum suorum consiliis excitatus, an. 1766 quinque regni consiliarios totidemque episcopos constituit, qui omnia monasteria Galliae visitarent, eorum statum cognoscerent, et modum eadem reformandi proponerent. Commissarii, inter quos erat archiepiscopus Tolosanus, sophistarum principiis infectus et monasticis Institutis oppositus, praeter alia decreta inutilia, proposuerunt plura, lentae monasteriorum exstinctioni propria. In primis plura monialium monasteria in *canonias* mutata sunt, in quibus feminae, praesertim nobili genere natae, commode viverent; postea minorum conventuum et abbatiarum, in quibus saltem 15 religiosi non degerent, abolitio decreta; statutum etiam, ut idem Ordo non nisi unam in eadem civitate domum haberet. Iidem commissarii clam discordias inter religiosos disseminabant, et immorigeris ac disciplinae impatientibus patrocinium praestabant. Quo factum est, ut coenobia diffamarentur, et iam ante revolutionis initia plus quam 1,000 forent suppressa. Anno 1767 etiam Venetiarum senatus Cleri sui regularis reformationem et reductionem aggressus est, et ex consilio eorum, quibus monasticae rei cognitionem in universa republica commiserat, praeter alia plura decrevit, ut monasteria minoribus redditibus instructa abolerentur; quibus postea etiam maiora quaedam addita sunt. Eodem tempore ab augustissima imperatrice Maria Theresia decreta impetrata sunt, quibus minor dos pro novitiorum susceptione et maior aetas pro eorum professione praescribebatur; numerus religiosorum pro singulis coenobiis secundum locorum indigentias definiebatur; et praepositi in visitatione monasteriorum sibi subditorum, atque in omnibus fere suis negotiis et actibus a consensu regiminis civilis dependentes reddebantur. Iosephus II, Mariae Theresiae filius et an. 1780 successor, plurima utriusque sexus monasteria in omnibus terris sibi subiectis abolevit, praesertim ea, quorum incolae non nisi vitae contemplativae dedicati erant, et sanctimonialium, exceptis Ursulinis, Salesianis, Angelicis et Sororibus misericordiae seu Elisabethinis. Numerus monasteriorum, a Iosepho II sublatorum, 400 excessit, e quorum bonis sic dicti *Fundi Religionis et Scholarum* formati sunt. Praeterea monasteriis non sublatis ad tempus indefinitum interdicta fuit novitiorum susceptio, multaque circa eorum constitutionem et vivendi rationem innovata, v. g. exemptiones abrogatae, omnis nexus cum extraneis sublatus, collectiones stipis et missiones prohibitae, gradus honoris velut magistri et definitoris abrogati, novus modus eligendi superiores praescriptus, horumque in subditos potestas limitata. Similes monasteriorum reformationes introduxit, eaque etiam ad minorem numerum restrinxit Iosephi II frater Leopoldus, magnus dux Hetruriae. Illorum exemplum secutus est Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, qui communione regularium regni sui cum extraneis prohibita, constitui curavit vicarios generales, a praepositis generalibus Romae residentibus quidem approbatos, sed ab eis independentes. Caeterum sub eo monasteria pauca in regno Neapolis, nulla vero in Sicilia sublata sunt.

71. *SS. Redemptoris Congregatio* — Novam autem religiosorum Congregationem hoc saeculo instituit s. Alphonsus M. de Ligorio, Neapolitanus; qui anno 1696 Neapoli nobilibus parentibus natus, a puero mira pietatis et ingenii specimina dedit. Vix 16 annis natus, in patria Universitate utriusque iuris lauream consecutus est. Tum in forum cum magna laude descendit; sed pericula eius expertus, clericali militiae nomen dedit. Sacerdos factus, tanto zelo in vitia irruit, ut apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentem perditorum hominum numerum ad meliorem vitam converteret. Pauperum praesertim et ruricolarum miseratus, an. 1732 e consensu Clementis XII Scalae constituit Congregationem presbyterorum ss. Redemptoris, qui non solum regulari vita propriae perfectioni

[1] Vid. p. 293.

studerent, sed ad exemplum Salvatoris per agros, pagos et castella pauperibus evangelizarent, ignorantes et rudes in Religione instituerent, perditos in viam salutis reducerent, ex episcoporum consensu animarum curatoribus in praedicando divino verbo aliisque functionibus spiritualibus opitularentur. Benedictus Pp. XIV an. 1749 hanc Congregationem solemniter approbavit, quae saeculo sequenti etiam extra Italiam propagata est. Anno 1762 Alphonsus, cuius nominis celebritas longe lateque erat diffusa, a Clemente XIII, quamvis invitus, ad Episcopatum s. Agathae Gothorum vocatus fuit. Eo in munere egregia argumenta pastoralis sollicitudinis, effusissimae in pauperes liberalitatis, suique contemptus dedit. Erga Deiparam Virginem, et ss. Eucharistiae Sacramentum singulari prorsus devotionis affectu tenebatur, eorumque cultum mirifice propagavit. Demum cum se episcopatu abdicasset, Nuceriam Paganorum ad domum suorum alumnorum secessit, ubi anno 1787 obiit. Virtutibus et miraculis clarus, a Pio Pp. VII in Beatorum et a Gregorio XVI in Ssrum album relatus est [1]. Neque enim sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, quum Iansenistarum doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, tunc potissimum extaret *Alphonsus Maria de Ligorio*, qui *bonum certans certamen*, *os aperiret suum in medio Ecclesiae*; scriptisque doctis et laboriosis, istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico exterminandam curaret. Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; qui in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione ac pietate refertos, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores *inoffenso pede* incedere possent. Scripturarum aenigmata reseravit tum in asceticis lucubrationibus, tum in saluberrimo quodam Commentario, quo Psalmos et Cantica in Divino Officio a Clericis recitanda, ad eorum pietatem fovendam et mentem erudiendam, explanavit. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui maxima saltem ex parte non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae, tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex Cathedra docentis Infallibilitate, a Pio Pp. IX sancita fuere, in Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata.

Quae cum ita sint Pius Pp. IX die 23 martii 1871 decreto Urbis et Orbis ex ss. Rituum Congr. consulto, universalis Ecclesiae Doctorem Alphonsum de Ligorio declaravit. Praeterea huius Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus citari, proferri atque adhiberi voluit. Scripsit D. Alphonsus, inter alias, *Theologiam moralem* [1], *Hominem apostolicum* ad audiendas confessiones institutum, *Directorium Ordinandorum*, *Praxim confessarii*, *historiam Haeresum*, conciones morales multas, aliaque plura.

72. *Scriptores ecclesiastici*— Praeter s. Alphonsum de Ligorio posterioris huius saeculi dimidio floruerunt scriptores quam plurimi, qui diversas scientiarum sacrarum partes docte exararunt.

Rem Biblicam tractarunt hi: Carolus Franciscus Houbigant, presbyter Oratorii Parisiensis, qui dedit Lexicon hebraicogallicum, Prolegomena in S. Scripturam, Biblia hebraica (V. T.) cum notis criticis et versione latina. Ioannes Bernardus de-Rossi, theol. doctor et in Universitate Parmensi linguarum orientalium professor, textum hebraicum in lucem dedit sub titulo: Variae lectiones Veteris Testamenti ex immensa manuscriptorum editorumque codicum congerie haustae, et ad Samaritanum textum, ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes et leges examinatae. Hermannus Goldhagen, S. I., theol. professor in Universitate Moguntina, edidit Introductionem in V. et N. Testamentum, et N. Testamenti textum originalem cum variis lectionibus, quibus Vulgata versio confirmetur. Ignatio Weitenauer, S. I., theol. professor in Universitate Œnipontana, composuit Lexicon biblicum, in quo vocabula et phrases Vulgatae explicantur. Gabriel Fabricy, Ord. Praed., edidit gallice Considerationes criticas de puritate

[1] Vitam eius scripserunt Giattini, Tannoia, Jeancard.

[1] Theologia Moralis s. Alphonsi mirifice commendata fuit a RR. PP. Pio Pp. IX et Leone XIII. Vid. *La Scienza e Fede*, voll. LXXXII, p. 72 et CXV, p. 419.

et integritate textus originalis V. Testamenti. Ioannes Bapt. Ladvocat, doctor et prof. Sorbonicus, composuit grammaticam hebraicam, dissertationes latinas in Pentateuchum, in Iob et in Psalmos. Guilielmus Smits et Petrus Van Hove, Minoritae Belgae, edendae susceperunt Bibliorum versionem flandricam cum dissertationibus notisque grammaticalibus et criticis, sed post editos Pentateuchum, Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalmos et Sapientiales libros, opus interruptum est. Ioannes Iosephus Guyaux, doctor Lovaniensis, reliquit commentarium in Apocalypsim, et praelectiones ineditas de Evangelio, de Actis et Epistolis Apostolorum. Ioan. Dominicus Mansi, archiep. Lucensis, scripsit prolegomena et dissertationes in Libros Sacros; in latinum vertit Dictionarium et commentarios A. Calmet in S. Scripturam, atque disciplinam ecclesiasticam L. Thomassini; edidit praeterea collectionem Conciliorum cum supplemento, Annales Baronii, Historias ecclesiasticas Natalis Alexandri et Amat de-Graveson cum notis. Ioan. Martianaeus scripsit Vindicias textus hebraici ac sacrae Chronologiae secundum Vulgatam adversus Pezronium, et Isaachum Vossium. Alexius Symmachus Mazochius ex Decano Metropol. Eccl. Campanae Canonicus Neapolitanus, ac in Neapolitana Universitate S. Scripturae interpres, omnigena praeditus doctrina, praeter alia scripsit Spicilegium Biblicum in Libros V. ac N. Testamenti.

Eruditione theologica claruerunt: Martinus Gerbert, Ord. s. Benedicti, abbas s. Blasii in Silva Nigra; ipse edidit Apparatum ad eruditionem theologicam, principia theologiae exegeticae, dogmaticae, symbolicae, mysticae, moralis, canonicae, sacramentalis, liturgicae; scripsit etiam de recto et perverso usu theologiae scholasticae, de ratione exercitiorum scholasticorum, de re liturgica; reliquit praeterea plura scripta polemica contra sectarios, contra Gallicanos, Iansenistas, Febronianos, pseudo-politicos et incredulos. Ioan. Laurent. Berti, Hetruscus, Ord. s. Augustini, scripsit theologiam historico-dogmatico-scholasticam, seu libros 37 de theologicis disciplinis. Petrus M. Gazzaniga, Ord. Praed. in Universitate Vindobonensi theol. prof., exaravit Praelectiones theologicas. Ioannes Bapt. Gener, Hispanus, S. I., composuit theologiam dogmaticam, illustratam dissertationibus historicis et monumentis antiquis. Thomas ex Charmes, Capuccinus, reliquit Cursum s. Theologiae. Petrus Collet, Congreg. Missionis, edidit Theologiam moralem universam, Institutiones theologicas ad usum Seminariorum: scripsit praeterea gallice de sacris mysteriis, de officio divino, de dispensationibus, de Indulgentiis, exorcismis, aliisque. Edmundus Voit, S. I., concinnavit Theologiam moralem. Ioan. Vincent. Patuzzi, Veronen. Ord. Praed., elaboravit Ethicam christianam sive theologiam moralem, pluresque tractatus theologicos. Vincentius Card. Petra, Neapolitanus, edidit erudita Commentaria ad Constitutiones Apostolicas, et Tractatum de s. Poenitentiaria Apostolica. Petrus Dens, in Universitate Lovaniensi s. Theologiae licentiatus, reliquit tractatus theologicos ad usum Seminariorum. Eusebius Amort, Canonicus Regul. Ord. s. Augustini, Pollingae in Bavaria professor, dedit Supplementum ad Lexicon Casuum Conscientiae Ioan. Pontas, tractatum historico-theologicum de Indulgentiis, regulas de revelationibus, visionibus et apparitionibus privatis. Iosephus Maugis, Namurcensis, Ord. s. Augustini, in Universitate Lovaniensi theol. professor, reliquit plures dissertationes editas et tractatus theologicos ineditos. Ioseph Simioli, Neapolitanae Eccles. Canonicus, et in R. studiorum Universitate primum Theologiae, postea historiae Conciliorum professor, edidit Institutiones Theologicas 5 voll. nec non perbrevem historiam Conciliorum.

Inter polemicos et apologistas, qui contra haereticos, dictos Protestantes, contra Iansenistas, Febronianos et incredulos scripserunt, praenotandi sunt: M. Gerbert iam laudatus. Hubertus Hayer, Lotharingus, Ord. Minorum, scripsit gallice plures Tractatus, nimirum de regula Fidei contra calumnias Protestantium, de apostolicitate Rom. Ecclesiae, de utilitate temporali religionis christianae, de existentia Dei, de spiritualitate et immortalitate animae, de nundinatitia incredulorum sapientiae iactantia; maximam quoque partem habuit in opere periodico cui titulus: *Religio vindicata*. Philippus Vicaire, doctor Cadomensis, dedit gallice expositionem fidelem et demonstrationem solidam doctrinae catholicae ad Protestantes. Guilielmus Bachuisen, e iansenista catholicus et postea canonicus Brugensis, scripsit apologiam suae secessionis a schismate, et acta Zegeri Bernardi Van Espen, Quesnelli et Erkelii. Petrus Govaërts, Vicarius apostol. Buscoducensis, scripsit Opuscula adversus eumdem Van

Espen et iudices saeculares eius fautores. Petrus Camillus Almici, Brixiensis, presb. Oratorii, reliquit Considerationes criticas in librum Iustini Febronii. Petrus et Hieronymus fratres Ballerini, Veronenses, scripserunt de vi et ratione primatus R. Pontificis, de potestate ecclesiastica RR. Pontificum et Conciliorum generalium adversus Iustinum Febronium; ediderunt Sermones s. Zenonis Veronen. Episc., s. Antonini, et Raymundi de Pennafort; Theologicas Summas et praeclaram operum s. Leonis M. editionem adornaverunt; et egregios tractatus de doctrina catholica circa usuras composuerunt. Franc. Antonius Zaccaria, Mediolanensis, S. I., dedit Anti-Febronium, et Anti-Febronium vindicatum adversus Febronium eiusque vindicem Theodorum a Palude; defensiones Benedicti XIII, Benedicti XIV, Clementis XIII et synodi prov. Romanae, an. 1725 habitae, contra P. F. Viatorem; opuscula varia et dissertationes; continuationem episcoporum Cremonensium, et alia. Thomas M. Mamachi, Ord. Praed. et sacri Palatii Magister, in lucem dedit libros 2 Epistolarum ad Iustinum Febronium de legitima R. Pontificis auctoritate; iactatam philosophiam recentiorum incredulorum examinatam et discussam; libros 20 Originum et Antiquitatum christianarum; Annales Ordinis Praedicatorum; scripsit praeterea de animabus iustorum in sinu Abrahae ante Christi mortem, de oraculis ethnicorum, de Chronologia Evangelica, de visione crucis habita a Constantino M., de moribus et usibus primorum Christianorum, de iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia. Ioannes Pey, can. Parisiensis, gallice scripsit opus eruditum de auctoritate utriusque potestatis; item de veritate religionis christianae contra deistas; de lege naturali, de tolerantia christiana philosophicae opposita. Ioan. Georgius Le-Franc de-Pompignan, ex episcopo Podiensi archiep. Viennensis, in Gallia, scripsit gallice, aeque ac qui sequuntur, quaestiones diversas de incredulitate; incredulitatem convictam per prophetias; Religionem vindicatam ab incredulitate per ipsam incredulitatem. Abraham Iosephus de-Chaumaix, Aurelianensis, scripsit contra Lexicon encyclopaedicum, et librum, cui titulus: Iudicium ignoti de oraculo novorum philosophorum. Ioannes Saas, can. Rothomagensis, dedit litteras de eodem Lexico. C. I. de-Saint-Cyr, can. Turonensis, scripsit Catechismum contra sophistas. Claudius M. Guyon, presb. Congr. Oratorii, scripsit Oracula novorum philosophorum contra errores Voltairii. Claudius Adrianus Nonnotte, Vesuntinus, S. I., exagitavit errores Voltairii, atque in lexico philosophico universa Religionis capita contra incredulos vindicavit. Amatus Henricus Paulian, Nemausensis, S. I., concinnavit Lexicon philosophico-theologicum contra incredulos. Ioannes Franciscus de-la-Mare, S. I., scripsit Fidem vindicatam ab omni nota contradictionis cum ratione. Guilielmus Franciscus Berthier, S. I., confutavit Contractum socialem Ioannis Iacobi Rousseauvii, et Encyclopaedistas exagitavit in ephemeridibus Trivoltianis. — Laurentius Veith, eiusdem Societatis, Scripturam sacram contra incredulos propugnavit; Romani Pontificis primatum et infallibilitatem strenue defendit, confutavitque systema Richerii de ecclesiastica ac politica potestate, et doctrinam Iansenii de gemina delectatione invincibili. Laurentius François, Sequanus, cuius extant probationes Religionis a Christo institutae, et responsa ad difficultates contra religionem christianam a I. I. Rousseau propositas. Gabriel Gauchat, Burgundus, S. T. doctor, reliquit praeter alia epistolas criticas seu analysin et confutationem variorum scriptorum contra Religionem; Concordiam generalem Christianismi cum ratione. Nicolaus Jamin, Ord. s. Benedicti e Congr. s. Mauri, in lucem dedit cogitationes theologicas contra vigentes errores. Ioannes Bapt. Bullet, Universitatis Vesuntinae decanus, cuius extant Existentia Dei demonstrata ex natura; Responsa ad incredulorum difficultates circa Libros sacros; Historia propagationis Christianismi, e solis scriptoribus iudaeis et paganis deprompta. Ludovicus Berton de Crillon, Avenionensis, in commentariis philosophicis systemata novorum philosophorum exagitavit, et in libro, *Homo moralis*, virtutum honestatem morumque principia defendit. Nicolaus Sylvest. Bergier, Lotharenus, can. Parisiensis, dedit Deismum refutatum per se ipsum; Certitudinem religionis christianae; Apologiam eiusdem Religionis; Examen materialismi; Responsum ad consilia rationabilia contra Voltairii sophismata; Tractatum historico-dogmaticum verae Religionis; Dictionarium theologicum in quo sunt quaedam scripta ab eo post initam cum Encyclopaedistis societatem confecta. Gaston de-Partz de-Pressy, episcopus Boloniensis, pluribus instructionibus pa-

storalibus et dissertationibus theologicis religionem christianam eiusque mysteria defendit, et incredulitatem exagitavit. Claudius Franc. Regnier, Arvernus, presb. Congr. s. Sulpitii, cuius extant Certitudo principiorum Religionis contra novos incredulorum conatus, et Tractatus latine scriptus de Ecclesia. Antoninus Valsecchi, Veronen. Ord. Praedicat., scripsit italice de fundamentis Religionis et causis impietatis, atque in aureo opere : *La Religione Vincitrice* veritatem Religionis catholico-romanae omni argumentorum genere demonstravit. Antonius Guénée, can. Ambianensis, scripsit epistolas Quakerorum ad fratrem suum Voltairium, et commentaria de fertilitate Iudaeae.

Antiquitatis et historiae ecclesiasticae studio claruerunt Thomas M. Mamachi et I. D. Mansi, de quibus supra diximus. Ioannes L. Berti, iam laudatus, reliquit Historiam ecclesiasticam sive dissertationes, et Breviarium historiae ecclesiasticae, iussu episcopi Gandavensis an. 1831 correctum, expurgatum et auctum. Ant. Henr. Berault Bercastel, can. Noviodunensis, scripsit gallice Historiam ecclesiasticam, in iis quae spectant ad Curiam Romanam, caute legendam. Gabriel M. Ducreux, can. Aurelianen. dedit gallice saecula christiana seu historiam religionis christianae. Carolus Franc. Lhomond, prof. in academia Parisiensi, exaravit gallice epitomen historiae sacrae, item ecclesiasticae. Clemens Becker, iuris prof. in academia Monasteriensi, reliquit Historiam ecclesiasticam praticam, quae explicit cum saeculo XV. Franciscus Foscari, senator Venetus, publicavit Thesaurum antiquitatum sacrarum. Franc. Xav. Manhart, Œnipontanus, S. I., edidit Antiquitates Christianorum, et dissertationes theologicas de indole, ortu, progressu et fontibus sacrae doctrinae. Nicolaus Antonelli, Urbinatensis, R. E. Card. edidit dissertationem de titulis, quos s. Evaristus Pp. presbyteris in Urbe distribuit, et vetus missale Romanum, praefationibus notisque illustratum. Marcus Heinsitz, Iesuita Germanus, auctor est Germaniae sacrae. Sigismundus Galles collegit Annales ecclesiasticos Germaniae. Daniel Ferlatti, e Bononiensi Patavinus prof., auctor est Illyrici sacri. Franc. Adrianus Pluquet, can. Cameracensis, edidit gallice Dictionarium haeresum, errorum et schismatum. Marius Guarnacci, Pontif. Praelatus domesticus, concinnavit Vitas Pontificum et Cardinalium ab an. 1670 usque ad 1730. Albanus Butler, Anglus, collegit Vitas Ssrum, quas in gallicum vertit sermonem, notisque illustravit Ioannes Franc. Godescard, canonicus s. Honorati Parisiis. Michaël Angelus Marin, Massiliensis, Ord. Minimorum, edidit, praeter alia, Acta Martyrum, et Vitas eremitarum Orientis. Antonius Touron, Ord. Praed., publicavit gallice Historiam virorum illustrium sui Ordinis, Vitas s. Dominici et s. Thomae Aquinatis, aliaque. Ioannes Benedictus Mittarelli, Venetus, Camaldulensis, una cum Anselmo Costadoni collegit Annales sui Ordinis. Renatus Massuetus Ebroicensis, O. S. B., absolutissimam Operum s. Irenaei editionem adornavit; Librum etiam scripsit, cui titulus « Augustinus Graecus », in quo s. Ioannem Chrysostomum ab Augustini de Gratia doctrina minime dissentire demonstrat. Bessinius, e Congregatione sancti Mauri, epistolas sancti Gregorii M. in ordinem digessit ac eruditis notis illustravit. Scripsit animadversiones in novum sistema, a Bernardo Lamio Oratorii presbytero excogitatum, de ultimo Paschate a I. C. Servatore celebrato. Franciscus Bianchini, Veronensis, praeter egregia opera ad philologiam, et astronomiam pertinentia, elucubravit dissertationes de Calendario et cyclo, et de Paschali Canone s. Hippolyti Martyris; iam alibi diximus de Anastasii Bibliothecarii vitis RR. Pontificum ad Gregorium usque Magnum 4 voll. a Bianchinio editis, cum prolegomenis et notis, quas magno in pretio iure habent eruditi. Carolus Iosephus Maiellius, primum Neapolitanae Ecclesiae canonicus, dein Vaticanae Bibliothecae praefectus, ac demum archiepiscopus Emesenus, elucubravit Tractatum de Probabilismo, Apologeticum Christianum, opus inscriptum « Regni Neapolitani erga Petri Cathedram religio », Ephemerides Marianas, seu carmina graeca, latina, hetrusca in Deiparae laudem; scripsit etiam alia opuscula enumerata ab Evodio Assemano in eius vita praefixa Actis ss. Martyrum Orientalium. Alexius Symmachus Mazochius, antea memoratus, permultas edidit elucubrationes, inter quas eminent Commentarius in vetus Marmoreum s. Neapolitanae Ecclesiae Calendarium, Dissertatio de Sanctorum eiusdem Ecclesiae Episcoporum cultu, eruditissimum commentarium in Tabulas Heracleenses, Actorum Bononiensium s. Ianuarii et sociorum Martyrum Vindiciae repetitae. Ioannes Stilting, S. I., edidit acta

eiusdem s. Ianuarii Episcopi et sociorum martyrum, qua in re gravem cum Mazochio habuit litem, ostenditque vera et genuina huius martyris Acta esse non quae Bononiae, sed quae Romae in Bibliotheca Vaticana asservata sunt. Aloisius Sabbatini, Neapolitanus, et Aquilanus episcopus, praeter plura opuscula, scripsit commentarium in vetus Calendarium marmoreum a Mazochio etiam illustratum, uti mox notavimus. Ioseph Simioli, quem laudavimus, conscripsit historiam Conciliorum. Iosephus Simonius Assemanus, s. Petri canonicus, et Vaticanae Bibliothecae praefectus, qui praeter alia plura edidit Calendaria Ecclesiae universae, in quibus Ssrum nomina, imagines, festi dies Ecclesiarum Orientis et Occidentis, praemissis uniuscuiusque Ecclesiae originibus, recensentur, describuntur, et notis illustrantur. Iosephus Lud. Assemanus, qui praeter poëma de Astronomia vulgavit Commentarium Theologico-Canonico-Criticum de Ecclesiis, earumque reverentia et asylo, atque concordia Sacerdotii et Imperii, opus de Patriarchis Chaldaeorum et Nestorianorum, Missale Alexandrinum s. Marci, in quo Liturgiae omnes antiquae ac recentes Ægyptiae, Graecae, Copticae, Arabicae et Syriacae exhibentur. Steph. Evodius Assemanus, Episc. Apamiensis, Simonii Assemani nepos, qui inter alia edidit Acta ss. Martyrum Orientis, et Bibliothecam Mediceam, Laurentianam et Palatinam. Ioannes Antonius Bianchi edidit opus inscriptum *Della Podestà e Politia della Chiesa* adversus Petrum Iannonium. Laurentius Selvaggi, Neapolitanus, evulgavit Antiquitatum Christianarum Institutiones. Scipio marchio Maffei, Veronensis, a Tourneminio Doctor universalis appellatus, praeter plura egregia opera in re philosophica et historica, ob quae amplissimum apud omnes eruditos nomen est assecutus, praeclaras scripsit epistolas de Fragmentis s. Irenaei a Pfaffio vulgatis; vulgavit quoque s. Io. Chrysostomi ad Caesarium epistolam eruditis animadversionibus illustratam; Veronensi editioni operum s. Hilarii praefationem praefixit; composuit Historiam Theologicam de Gratia; denique Cassiodori Complexiones in Acta Apostolorum, Epistolas et Apocalypsim; necnon Passionem ss. Firmini et Rustici ex optimae notae codicibus edidit. Petrus Franciscus Foggini egregium composuit opus de Romano Divi Petri itinere et Episcopatu.

73. *Catholicorum status in Anglia* — Interim posterioribus huius saeculi annis Catholici in terris haereticorum mitiorem conditionem maioremque tolerantiam nacti sunt. Quamvis per pacem, an. 1763 Versaliae inter gallicanum et anglicanum gubernia confectam, Canada seu Nova-Francia et Granata Americae septentrionalis, in quibus religio catholica dominabatur, fuerint concessae Anglis, Catholici tamen iisdem ac antea ibi iuribus potiti sunt. In Anglia an. 1778, supplicantibus Catholicis, praesertim Hibernis, Camerae, ut appellantur, *communium* et *procerum* leges iniquas, a Guilielmo rege III contra illos latas, abrogarunt, eisque ius haereditatis et emptionis restituerunt: quae decreta confirmavit Georgius rex III. Hac concessione exasperati Catholicorum hostes, in pluribus civitatibus contra Papismi, ut dicebant, progressum societatem inierunt, et populares violentias in Catholicos excitarunt. Verumtamen honestiores inter ipsos dissidentes, multique ex utraque Camera et concilio regio istas violentias reprobabant, et de mitiganda Catholicorum conditione consentiebant. Catholicis continuo Religionis libertatem iuriumque civilium usum petentibus, anno 1791 decreto utriusque Camerae concessum est, ut aedes sacras ad celebranda divina officia et scholas ad instituendam iuventutem erigere possent. An. 1793 Hibernis catholicis etiam concessa est vox activa in electionibus civilibus et admissio ad munera publica, exceptis triginta supremis. Quum ultimis huius saeculi annis causa persecutionis, in Gallia contra Religionem excitatae, ingens episcoporum et sacerdotum multitudo e Gallia confugisset in Angliam, non tantum catholici, sed etiam acatholici Angli proceres, ipsumque gubernium illis magna cum liberalitate succurrerunt. Illi non tantum animum gratum sibi bene facientibus praebuerunt, sed sua pietate sanctaque vivendi ratione falsas Anglorum opiniones de religione catholica emendarunt, varia sacella, scholas et xenodochia erexerunt, pluresque Anglos ab haeresi ad Ecclesiae sinum reduxerunt.

Borussia—In Borussia Fridericus rex II, quum, occupata Silesia, plura Catholicorum millia sub sua potestate accepisset, non solum illis, sed etiam his qui in caeteris suis terris et praesertim Berolini vivebant, liberum Religionis suae exercitium multaque iura civilia concessit.

Suecia—In Suecia quoque, ubi a duobus

saeculis et amplius publicum religionis catholicae exercitium fuerat proscriptum, hoc ipsum cum potestate erigendi ecclesias an. 1781 Catholicis concessum est, sed cum magnis restrictionibus, inter quas hae erant, ut nullas scholas haberent, nullos libros, in quibus eorum religio exponeretur, typis mandarent, quivis indigena, qui a lutherana religione deficeret, iure civitatis privatus in exilium mitteretur, nemo, a lutherana religione alienus, ad munus aliquod publicum vel inter regni Ordines admitteretur. Tunc Pius Pp. VI vicarium apostolicum in Sueciam misit, qui spirituales Catholicorum indigentias curaret. Plerique autem Catholici in Suecia sunt vel peregrini vel posteri peregrinorum, et potissimum Holmae atque Gothenburgi et in eorum vicinia degunt.

Dania — In Dania catholici hac aetate nondum tolerabantur. Recentiori tamen tempore leges, contra eos latae, multum mitigatae sunt, liberumque Religionis exercitium iis Hafniae et in aliis quibusdam locis concessum.

Polonia — In Polonia religionis catholicae prosperitas impedita fuit tum domesticis Polonorum dissidiis, tum bellis, quibus Russi supremum suum dominium in Polonia stabilire moliti sunt. Anno vero 1772 et sequenti Catharina II, imperatrix Russiae, Maria Theresia augusta, seu potius filius eius Iosephus imperator II, et Fridericus II rex Borussiae, regnum Poloniae ita diviserunt, ut domus Austriaca haberet magnam partem Russiae rubrae, nimirum palatinatus Leopolis et Belzae; Russi possiderent Livoniam polonicam, partem Volhiniae, magnamque partem Russiae albae in Lithuania; Borussi vero Borussiam polonicam, seu Pomeralliam, Mariaeburgum, Culmiam et Warmiam; reliquas provincias conservaret Stanislaus Augustus II, rex Poloniae, quas an. 1795 tria gubernia rursum inter se diviserunt, regnumque Poloniae aboleverunt. Interim in omnibus provinciis Polonicis, sive a Borussico et Russico sive ab Austriaco gubernio occupatis, Catholicis liberum religionis suae exercitium concessum est. Verumtamen Catharina II, quamvis catholicos ritus latini toleraret, Graecos unitos in Lithuania, Volhinia, Podolia, aliisque veteris Poloniae provinciis multimodis divexavit, eorum ritum sub poena exilii proscripsit, ecclesias sacerdotibus schismaticis tradidit, fideles ad frequentanda horum sacra compulit; quo effectum est, ut plura millia catholicorum ritus graeci fallacibus promissis, minis et violentiis cesserint atque ab unitate ad schisma defecerint, plurimi in Siberiam fuerint relegati, multi ad ritum latinum transierint [1].

74. *Iosephi II innovationes* — Iosephus Imperator II, anno 1765 patri suo, Francisco I, in imperio, et an. 1780 matri suae, Mariae Theresiae, in Hungariae et Bohemiae regnis aliisque Domus Austriacae statibus successerat. Princeps inquietus, turbulentus et novitatum amans, ad innovandam rem ecclesiasticam edicta edictis cumulavit. Ut aliqua e multis commemoremus: liberam episcoporum cum Apostolica Sede relationem impedivit; *placetum* regium pro omnibus Bullis, Brevibus ac rescriptis pontificiis praecepit; episcopis prohibuit, ne deinceps facultates quinquennales a Pontifice peterent, mandans, ut ipsi dispensationes, per eas sibi indultas, propria auctoritate concederent, eademque auctoritate a casibus, Pontifici reservatis, absolverent; rem matrimonialem propria lege definiens, plura canonica matrimonii impedimenta vel restrinxit vel abrogavit, alia nova constituit, iudiciumque de causis matrimonialibus, ecclesiastico foro ademptum, saeculari tradidit; immunitatem clericorum realem et personalem sustulit; permulta utriusque sexus monasteria suppressit; quamplurima circa bona ecclesiastica, clericorum munera, ordinem divini officii praescripsit; sacras processiones et peregrinationes pias ac spirituales confraternitates abrogavit; ad formandos clericos seminaria, sic dicta generalia, ab episcopis independentia, erexit, eorumque cathedra neotericis theologis et canonistis tradidit.

Plures quidem episcopi, cardinalis Migazzi archiepiscopus Viennensis, cardinalis Bathyany archiepiscopus Strigoniens., et primas Hungariae, cardinalis de Frankenberg archiepiscopus Mechliniensis, doctores Lovanienses, aliique contra noxias novitates libellos supplices ad imperatorem dederunt. Praelatorum expostulationibus suas addidit Nuncius apostolicus apud aulam Viennensem. Verum Iosephus praelatorum preces et monita sprevit, pluresque eorum dure redarguit.

Pius Pp. VI pluribus litteris Imperatorem ad meliorem mentem revocare frustra conatus, an. 1782 iter Viennam ad Imperatorem suscepit. Imperator Pontificem ho-

---

[1] Theiner, *Op. cit.* p. 202; M. de Castera, *Histoire de Cathérine II.*

norifice excepit. Pastore optimo cum lacrymis expostulante de malis Ecclesiae illatis Iosephus decreta sua benignius interpretatus est, nonnulla temperavit, multa spopondit, et post familiaria unius mensis colloquia Pontificem honorifice dimisit.

Pius Pp. Viennam petens, illic commorans, et Romam revertens, tot tantisque populorum, catholicorum et acatholicorum, cuiuscumque conditionis, undique confluentium, venerationis significationibus honoratus est, ut fidem pene superent. Romam redux, conceptam animo spem cum sacro Cardinalium collegio communicavit. Sed spes non fuit diuturna; Imperator enim, consiliis sophistarum, praesertim ministri sui de Kaunitz, obtemperans, innovationes suas persequi non destitit[1].

75. *Lis de Nuntiaturis Germanicis* (*an.* 1785)—Iosephus II non tantum in suis statibus rem ecclesiasticam perturbavit, sed alios etiam principes ad innovationes, ecclesiarum iuribus, paci et prosperitati adversas, excitavit. In primis fovit protexitque dissidia inter quatuor metropolitanos Germaniae et Apostolicam Sedem exorta de Nuntiaturis. RR. Pontifices iam inde a temporibus confusionum et turbarum, quas haereses lutherana et calviniana in partibus Germaniae produxerant, Nuncios constituere consueverant Coloniae, Bruxellis et Lucernae, instructos certis iuribus et privilegiis. Anno vero 1769 tres electores ecclesiastici, Coloniensis, Moguntinus et Trevirensis metropolitae, imperatori obtulerunt 30 gravamina contra Sedem Apostolicam, postulantes, ut nullae deinceps causae ad eam eiusve Nuntios deferrentur, quin imo nuntiaturae penitus abrogarentur. Cumque anno 1785, postulante Theodoro electore Bavarico, Pius Pp. VI novam nuntiaturam pro eius terris creasset Monachii, iidem tres electores metropolitae et metropolita Salisburgensis novas expostulationes contra Nuntiaturas ad imperatorem detulerunt. Hi quatuor metropolitae erant Maximilianus Coloniensis, frater Iosephi II, qui novitati deditus, in Universitate Bonnensi theologicas cathedras neotericis credidit; Fridericus d'Erthal Moguntinus, Maximiliano simillimus; Clemens Saxoniae Trevirensis, vir pius, sed aliorum consiliis excitatus; Hieronymus de Colloredo Salisburgensis, notissimus Instructione pastorali, quam an. 1782 contra Imagines aliosque christianos usus edidit.

Iosephus II, promulgato ɪvº idus octobris 1785 edicto, nuntios apostolicos in Germania omnis iurisdictionis exercitio, quo circa casus ad Apostolicam Sedem spectantes constanter usi fuerant, interdixit, suumque auxilium quatuor praefatis metropolitanis promisit. Hi imperatoris rescriptum clericis suis significarunt eisque prohibuerunt, ne cum Zolio, archiepiscopo Atheniensi, quem Pius VI Nuntium Monachii crearat, neque cum Bartholomaeo Pacca, archiepiscopo Damiatae et novo apud Coloniam Nuntio, communicarent, nec ullas litteras pontificias sine consensu vicariatus episcopalis reciperent. Brevi post iidem metropolitae quatuor viros deputarunt ad aquas Emsenses, qui novam pro Germania ecclesiastici regiminis formam componerent.

Congressus Emsensis — Hi quatuor deputati mense augusto 1786 indicato loco convenerunt, et 23 articulos confecerunt, quibus pene totus hierarchicus Ecclesiae status, divinitus institutus, servatusque inde a s. Bonifacio in Germania ecclesiastici regiminis ordo convellebatur. In iis enim asserebatur, Christum Apostolis eorumque successoribus episcopis immediate concessisse illimitatam potestatem ligandi et solvendi, pro quocumque casu ac persona; proinde recursum ad Romanam Sedem esse abrogandum; episcopos propria auctoritate dispensare posse in omnibus casibus, quos usus Apostolicae Sedi reservarat, in impedimentis matrimonium dirimentibus, in votis solemnibus, ideoque facultates quinquennales non amplius a Pontifice esse petendas; dispensationes quascumque ab episcopo ordinario esse concedendas; decreta pontificia sine episcopi consensu nec promulganda nec obligatoria habenda; nuntiaturas penitus abrogandas; abolendas etiam exemptiones monasteriorum, nisi ab imperatore confirmatas; abolendumque iuramentum, quod episcopi Pontifici praestant; in pluribus aliis punctis constitutionem ecclesiae Germanicae esse reformandam, vel nationali concilio vel imperiali provisione. Quos articulos quatuor metropolitae ratos habuerunt, et ad Imperatorem, ut eosdem confirmaret, miserunt. Rescripsit Imperator, se quidem ad praestandum eis auxilium esse paratum, sed articulos Emsenses executioni mandari non posse sine praevio consensu episcoporum

[1] Blanchard, *Précis historique de la vie et du Pontificat de Pie VI; Histoire civile et religieuse de Pie VI* par *un Français cath. romain*; De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, Introd.

suffraganeorum, exemptorum, et principum, in quorum territorio eorum dioeceses extendebantur. Iste consensus non fuit impetratus; episcopi suffraganei opinionibus suorum metropolitarum minime consenserunt, et in suis cum Apostolica Sede eiusque Nuntiis relationibus perseverarunt; elector Bavaricus nuntium Monachii conservavit.

Pridie calendas decembris 1786 archiepiscopus Damiatae et apostolicus Nuntius Coloniae, de mandato Pii VI ad omnes trium electoratuum parochos epistolam encyclicam dedit, qua nullas declaravit dispensationes, quas metropolitae in impedimentis, matrimonium dirimentibus, propria auctoritate concedebant. Hanc declarationem confirmavit Pius Pp. VI, et temerarios ausus praedictorum metropolitarum graviter redarguit.

Tunc Clemens Trevirensis et Fridericus Moguntinus se Apostolicae Sedi submiserunt, articulis Emsensibus renunciarunt, et necessarias facultates a Pontifice petierunt. Maximilianus Coloniensis et Hieronymus Salisburgensis et ipsi submissionis testimonium dederunt an. 1789 in quo Pius VI celeberrimam responsionem dedit de Nunciaturis apostolicis ad eosdem quatuor metropolitas. Paulo post, tum motibus in Belgio excitatis et morte Iosephi imperatoris, tum generali rerum conflagratione in Galliis coepta, conceptae in congressu Emsensi innovationes evanuerunt. Quinimo iidem ipsi metropolitae electoratibus suis privati, sedibus suis eiecti, et in exilium acti sunt [1]. Leges Iosephi II in Ecclesiae perniciem viguerunt in austriaco imperio usque ad an. 1855, quo Ecclesia a servitute ibi est vindicata, celebri illa conventione inter Pium Pp. IX, et Franciscum Iosephum II. Attamen sub tyrannico iugo *liberalium*, multi eiusdem conventionis articuli oblivioni dati sunt.

75. *Leopoldi innovationes in Hetruria* — Multa etiam in rebus ecclesiasticis innovanda suscepit Leopoldus, magnus dux Hetruriae, fratris sui Iosephi II exemplo et Scipionis Ricci, episcopi Pistoriensis et Pratensis, consiliis excitatus. Is quoque causas matrimoniales litesque de beneficiis ecclesiasticis ad forum civile transtulit, incrementum bonorum ecclesiasticorum cohibuit, confraternitates spirituales sustulit, processiones et divini cultus ac coeremoniarum pompam depressit, multa monasteria suppressit, sublataque exemptione, reliquorum communicationem cum praepositis extraneis dissolvit, alia plura similia constituit. Deinde rem ecclesiasticam amplius reformaturus, an. 1785 synodos dioecesanas in singulis Hetruriae episcopatibus indixit, quae essent velut praeparationes ad futurum concilium nationale, in quo reformatio, a duce intenta, communibus episcoporum suffragiis decerneretur. Articulos 57 continentes res, in quibus reformationem desiderabat, ad singulos episcopos misit, ut de iis in synodis dioecesanis praevie deliberaretur. Articuli isti potissimum spectabant ad cultum divinum publicum, disciplinam clericorum et regimen ecclesiasticum.

Synodus Pistoriens. — Ducis mandato lubens paruit Scipio Ricci, episcopus Pistoriensis, et an. 1786 synodum Pistoriae habuit, ad quam, de clero suo diffidens, plures extraneos, novitatis genio imbutos, vocavit. Convenerunt cum eo 234 parochi, sacerdotes et theologi. In ea non solum articuli, supra a principe propositi, approbati sunt, sed et plura decreta sunt, tum doctrinae tum disciplinae Ecclesiae contraria. Inter alia in iis asserebatur, postremis hisce saeculis veritates religiosas, quae sunt basis fidei christianae et moralis doctrinae, esse generaliter obscuratas; potestatem a Deo datam esse Ecclesiae, communicandam pastoribus, qui sunt eius ministri; R. Pontificem esse caput ministeriale; episcopum a Christo accepisse omnia iura necessaria pro bono dioecesis suae regimine, eaque, si sibi per contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes fuerint subtracta, recuperare debere; parochis in synodo dioecesana idem ac episcopo ius et votum decisivum competere; indulgentiis non nisi poenas canonicas remitti; reservationem casuum conscientiae esse abrogandam; excommunicationem non habere nisi externum effectum; potestatem statuendi impedimenta, matrimonium dirimentia, esse apud imperantes civiles, et ex eorum indulgentia Ecclesiam illa hactenus esse usam; liturgiam in lingua vernacula et clara voce celebrandam. Alia plura, Baii, Richerii, Iansenii, Febronii damnatis sententiis conformia, in eiusdem synodi decretis reperiuntur

[1] Vid. *Responsio SS. Pii Pp. VI ad metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem super Nuntiaturis apostolicis*; *Memorie storiche* di mgr Bartolommeo Pacca; De Feller. *Le véritable état du différend entre le Nonce apostolique de Cologne et les trois électeurs ecclésiastiques*; *Coup d'oeil sur le Congrès d'Ems.*

Conventus Florentinus (*an.* 1787) — Synodos etiam coegerunt episcopi Collensis et Aretinus: sed hae strepitum non excitarunt aeque ac Pistoriensis. Caeteri episcopi Hetruriae 57 articulos, a Leopoldo duce propositos, privatim discusserunt, suasque sententias ad eum transmiserunt. Quum vero episcoporum sententiae inter se essent admodum diversae, Leopoldus dux an. 1787 omnes suos episcopos convocavit Florentiam. Convenerunt 3 archiepiscopi et 14 episcopi cum suis consiliariis. Illi in variis congregationibus tum articulos a duce propositos tum decreta Pistoriensia discusserunt; in paucis consenserunt, in aliis dissenserunt ab invicem; multa diversimode mutarunt, alia reiecerunt. Leopoldus et Ricci spe sua frustrati, conventum dissolverunt; verumtamen conventus acta sub totius synodi nomine, cum sanioris et maioris eius partis contemptu, typis mandarunt, quae Sedes Apostolica in Indicem librorum prohibitorum retulit.

Non obstantibus R. Pontificis reclamationibus, Leopoldus varia pseudo-reformatoria decreta executioni mandabat. Quapropter Pius VI episcopis, a Leopoldo denominatis, canonicam institutionem negavit; hic vero legatum suum Roma avocavit, et nuntium apostolicum iurisdictionis suae exercitio interdixit. An. 1790 Leopoldus in locum fratris sui Iosephi II defuncti ad imperium et gubernacula monarchiae Austriacae evocatus, ducatum Hetruriae cessit filio suo Ferdinando. Tunc concordia et pax in Hetruria sensim redierunt. Ricci Pistoria eiectus fuit. Pius VI acta conciliabuli Pistoriensis diligenter discuti iussit, deinde per Bullam solemnem, *Auctorem fidei*, datam v° calendas septembris 1794, ea ipsa acta et excerptas ex iis 85 propositiones, cuiusque indole designata, damnavit. Demum Ricci se episcopatu abdicavit, et anno 1805 Florentiae ad pedes Pii Pp. VII, e Gallia Romam redeuntis, provolutus, errores suos detestatus est, et Bullae *Auctorem fidei* assensit [1].

76. *Ecclesiae status in Sicilia* — Etiam in utraque Sicilia Tanucci, primarius Ferdinandi regis IV administer, multigenas et diuturnas RR. Pontificibus, Clementi XIII, Clementi XIV et Pio VI, vexationes suscitavit. In primis sub Clemente XIII ea in regione constitutum est, ut tam episcopatus quam caetera beneficia, fundis instructa, quae omnia hactenus a Pontifice conferebantur, in posterum a rege conferrentur. An. 1776 prohibitum est, ne quis concessiones et dispensationes, speciatim in re matrimoniali, a Sede Apostolica peteret, sed omnes eiusmodi dispensationes ab episcopis concederentur. An. 1779 proventus, qui *intercalares* dicuntur, beneficiorum vacantium Pontifici denegati sunt, et constituti administratores laici, qui istos proventus, deductis expensis, inter pauperes distribuerent; insuper anno 1788 etiam *asturco* et census vasalliticus tradi desierunt.

Pius Pp. VI, tum expostulationibus tum monitis et scriptis iurium suorum defensionibus, regem eiusque administros ad aequiorem mentem reducere tentavit, sed frustra. Praeterea episcopis, a rege denominatis, confirmationem negavit; e contra rex nominatos a Pontifice admittere noluit; quo factum est, ut progressu temporis ultra 50 episcopatus vacarent. Anno 1786 Pontifex legatis Neapolim missis, dissensiones tollere iterato, sed frustra, tentavit. Tandem an. 1790 cum aula Neapolitana erga Apostolicam Sedem aequiora consilia admisisset, conventio inter utramque partem inita est, qua statutum, ut loco census vasallitici quivis rex regnum adiens, B. Petro offerret 500,000 nummorum scutatorum; concessiones et dispensationes, ut antea, ab Apostolica Sede peterentur; Pontifex minora beneficia conferret, sed solis regi subditis, et ad episcopatus eligeret unum e tribus candidatis a rege proponendis [1].

77. *Ecclesiae status in Lusitania* — In Lusitania administer de Pombal sub imbecilli rege Iosepho I rerum ecclesiasticarum statum sus-deque vertit; varias Congregationes religiosas suppressit; episcopos arbitrio suo subdidit, et obsistentes e sedibus pepulit; novarum doctrinarum propagationi favit, earumque magistris cathedras credidit; Apostolicae Sedi in omnibus adversatus est. Anno vero 1777 Iosepho rege mortuo, et de Pombal in exilium eiecto, sub Maria Francisca Elisabetha regina, Iosephi I filia, quae nupsit Petro III, ordo restitutus est, concordia cum Apostolica Sede integrata, nuntio apostolico et patriarchae Ulyssiponensi prisca iura et privilegia reddita, pluresque Congregationes religiosae restitutae.

---

[1] *Collectio Brevium Pii VI; Histoire de Pie VI*; Blanchard, *Précis hist. de la vie* etc. *de Pie VI.*

[1] *Histoire de Pie VI* cit.; Blanchard, loc. cit.

78. *Status rerum in Belgio*—Interea Iosephus imperator II in Belgio perinde ac in aliis suis statibus, studium innovandi sacra et civica prosequebatur. Illic etiam edicta edictis addidit contra ecclesiasticas libertates et immunitates, contra Ordines religiosos, contra Belgarum iura ac privilegia. Cum vero Belgae patriis usibus et privilegiis, praesertim religioni catholicae essent addictissimi, imperator suis innovationibus eos graviter offendit, et generales querelas excitavit. Nihilominus Iosephus in male coeptis pergens, postridie idus octobris 1786 decretum dedit, quo, suppressis episcoporum seminariis, pro toto Belgio generale seminarium creavit Lovanii, et episcopis atque monasteriorum superioribus districte prohibuit, ne deinceps quemquam ad Ordines sacros aut vota religiosa admitterent, nisi annis 5 in eo seminario lectiones frequentasset. Haec res profecto episcoporum iuribus erat opposita; quorum formido iuste aucta est, ex quo cognoverunt professores, ad cathedras seminarii generalis nominatos. Vix lectiones calendis decembris 1786 incoeptae erant, quum novae doctrinae, in iis explicatae, omnibus bonis timorem iniecerunt. Ipsi alumni, a magistrorum doctrinis abhorrentes, clamoribus, tumultu, minisque collegium repleverunt. Die 18 decembris tranquillitas militari manu restituta est; sed brevi post plerique alumni seminarium deseruerunt. Calendis ianuarii sequentis anni imperator aliud decretum dedit, quo in provinciis Belgicis et iudiciarius et administrativus ordines reformabantur.

Haec omnia non solum praelatorum ecclesiasticorum et Statuum reclamationes, sed populares etiam querelas excitarunt. Provinciarum gubernator Murray rem ita componere conatus est, ut restituto prisco ordine, nova decreta suspenderentur. Verum imperator haec temperamenta reprobavit, gubernatorem revocavit et in eius locum misit comitem Trautmannsdorf, cui mandata stricta dedit, ut decretorum suorum maxime de seminario generali, executionem urgeret. Quapropter, non obstantibus cardinalis de Frankenberg, archiepiscopi Mechliniensis, et aliorum praesulum ad imperatorem commentariis, lectiones in seminario generali rursum incoeptae sunt, sed non sine tumultu. Cardinalis de Frankenberg Lovanium profectus, professorum doctrinam, praesertim de auctoritate Ecclesiae et iuribus Apostolicae Sedis, exploravit, eam declaravit non orthodoxam, et una cum episcopis Namurcensi, Antwerpiensi, Iprensi, et Brugensi contestatus est, se alumnos suos ad seminarium istud mittere non posse.

Quum vero Imperator nullam commentariorum et expostulationum praesulum et Statuum seu Ordinum rationem haberet, Belgae ad publicam resistentiam motusque proruperunt. His perterritus Iosephus, postridie idus augusti 1789, dioecesana seminaria restituit, clericisque haec vel Lovaniense adeundi optionem dedit. Verum serius reparandi mala consilium iniit. Belgae Iosephum imperandi sibi iure dilapsum declararunt, arma capessiverunt; Status publici Bruxellis congregati sunt, et caesarei milites atque gubernatores provincias deserere coacti.

Eodem tempore Hungari, Lombardi et Tirolenses ad motus proruperunt. Turcae etiam bellum instaurarunt. Iosephus II ad angustias redactus, intercessum communis fidelium patris, Pii VI, cui tot antea molestias suscitarat, implorare coactus est. Pontifex iniuriarum immemor, x° calendas februarii 1790 litteras dedit ad praelatos Belgii [1]. At inter bellorum strepitus vox patris ad excitatos Belgarum animos non penetravit. Paulo post, nempe x° calendas martii, Iosephus II moerore confectus obiit. Ei successit Leopoldus II, frater eius, antea dux Hetruriae; qui pacem cum Turcis composuit, multa a fratre suo innovata correxit, et Belgas, iam inter se dissociatos, ad obsequium reduxit; sed calendis martii 1792 vita excessit. Hunc excepit Franciscus II, filius eius, sub quo seditiosi Galli provincias Belgicas occuparunt [2].

79. *Status rerum in Gallia* — In Gallia res ecclesiastica et civilis ad tristem statum erat redacta. Ludovico regi XV, an. 1774 defuncto, successit Ludovicus XVI, princeps optimus et melioribus temporibus dignus, qui toto regni sui tempore cum tempestatibus luctatus est ea moderatione, quae plerisque modum excedere visa est. Funestos suppressionis Societatis Iesu in Gallia exitus iam praesentiebant quique probi et religiosi; iuventus enim, quae antea in collegiis Iesuitarum christianis principiis et moribus, simul ac litteris bonisque

---

[1] *Collect. Brevium*, in append. part. III.

[2] De Feller, *Recueil des représentations, protestations et réclamations*, 8 voll. in-8°; De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, Introd.

artibus et disciplinis instituebatur, nunc commissa fuit praeceptoribus mercenariis et sophistis. Impietatis genius magis magisque propagabatur, societates secretae multiplicabantur, scripta irreligiosa disseminabantur. Clerus an. 1775 Parisiis consueta comitia celebrans, supplex monitorium regi obtulit contra impietatis progressus eiusque funestos tum Societati tum Religioni effectus; sed quum rex circumdatus esset a ministris, novis doctrinis magis quam Religioni deditis, cleri precibus annuere non potuit. Tunc clerus Instructionem dedit encyclicam ad omnes fideles, in qua salutares Religionis fructus et funestos impietatis effectus exposuit; eos, qui ab avita et divina hac Religione deflexerant, ad cordis conversionem, alios ad perseverantiam hortatus est. Praeterea varia incredulorum scripta proscripsit. An. 1780 Clerus rursus in comitiis de impediendis irreligionis progressibus egit, novaque monita ad regem dedit, in quibus querebatur de licentia, qua perversa scripta propagabantur, de adempta episcopis celebrandi synodos libertate, de suppressione plurium Coenobiorum, de imminenti regiminis et Religionis subversione. Verum perversi consiliarii expostulationes Cleri ceu vanos timores habendos esse, regi suaserunt.

Interim non religiosae tantum, sed etiam civilis libertatis genius, licentiae amor novique regiminis cupido diversas hominum classes invaserant. Non solum religiosa pietas in multorum animis refriguerat, sed etiam hierarchicus regiminis publici ordo, unio et vincula magis magisque dissolvebantur. Tandem generalis rerum conflagratio, a multo iam tempore praeparata, erupit. Ab ea, quae malorum et calamitatum fuit feracissima, novam Epocham auspicamur [1].

[1] De Saint-Victor, *Tableau hist. de Paris*, t. IV, part. 2; De la Mennais, *Reflexions sur l'ètat de l'Eglise pendant le XVIII siècle.*

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DECIMATERTIA

A PVBLICA RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONE VSQVE AD PRAESENTEM AETATEM

PROOEMIVM

Narranda nunc est generalis rerum conflagratio, quae an. 1789 in Galliis orta, velut virga furoris Domini, propter populorum et principum peccata excitati, universam Europam percussit. Tanta sub epochae huius initia tempestas contra Ecclesiam et societatem excitata est, ut saevior post hominum memoriam vix nota sit. Impietas sub specioso philosophiae nomine quaquaversum palmites suos extendit, depressoque Religionis imperio, disruptis societatis vinculis, laxatis licentiae habenis, longe lateque dominata est; res publica sacra et civilis persecutionibus saevis cruentata, factionibus sibi invicem infensis quassata, bellis teterrimis concussa. Tales fuerunt incredulae sophiae effectus.

Non tantum in Gallia, sed qua late fautores victricia arma protulerunt, Religio fuit proscripta; ministri eius relegati, carceribus mancipati, necati vel in exilium eiecti; Ordines religiosi suppressi eorumque bona nationi adiudicata; dies festi abrogati; veri Numinis cultus abolitus; sacrum humanae redemptionis signum deiectum; altaria eversa; templa spoliata, destructa, impio cultu profanata; ipse Christi in terris vicarius, Pius Pp. VI, in se suisque Cardinalibus, praelatis et subditis, saturatus opprobriis, sede sua avulsus, in Hetruriam, deinde in Galliam abductus. Uno verbo, tanta tempestas in Ecclesiam saeviit, totque procellis navicula Petri fuit agitata, ut iam impii triumphos agerent, et Pium VI paparum ultimum esse, laetabundi occinerent.

Verum cum periculum ingravesceret, et

iam mergenda videretur navicula, opem tulit qui semper Ecclesiae adest, Christus Dominus, increpatisque ventis, motos composuit fluctus. Pius VI in exilio moritur; sed Gallorum exercitu a Russis et Austriacis Italia eiecto, Pius VII cathedram Petri conscendit; ordo publicus in ipsa Gallia redit; Religionis exercitia restituuntur; mala Ecclesiae illata reparantur.

Attamen idem princeps qui in Gallia restituendo Religionis exercitio operam contulerat, ut populi animos et summum imperium sibi conciliaret, assereretque, firmato suo principatu, Ecclesiam eiusque Pontificem opprimere et vexare coepit; conventiones cum Apostolica Sede initas arbitrariis interpretationibus violavit; leges Evangelii praeceptis oppositas sancivit; novis continuo immodicis et captiosis petitionibus Pontificem lacessivit; pontificiae ditionis civitates, ipsam Romam, occupavit; patrimonium R. Ecclesiae imperio Gallico adiunxit; Pontificem his iniustitiis, ut muneris sui erat, resistentem, in Galliam captivum abduxit, et per lustrum integrum multigenis modis divexavit.

Quum sic rursum, Pontifice captivo, Cardinalibus dispersis, episcopis, qui pro domo Dei stabant firmi, eiectis, Ecclesia periclitaretur, adiutrix Dei providentia coronam de capite persecutoris deiecit. Pontifex libertate donatus, ingenti cum plausu et veluti universi orbis christiani manibus portatus, Romam rediit, et perturbatum ecclesiarum statum composuit.

1. *Comitia generalia in Gallia* (*an.* 1789)— Ludovicus XVI, rex Galliae, contrariis sibi curiarum et congregatorum procerum studiis lacessitus, demum an. 1788 consensit, ut generales regni Status seu comitia Versaliis congregarentur ad sublevandas publicas indigentias, seu componendas publicae oeconomiae rationes. Magni inde per provincias motus excitati sunt in eligendis iis, qui ad comitia legarentur, magnique inter clerum, nobiles et tertium ordinem conflictus. Comitia inchoata sunt III° nonas maii 1789. Convenerunt e clero 47 episcopi, 35 abbates aut canonici, 208 parochi, ex ordine nobili 270 viri, et e tertio ordine 598 Ordo tertius iam pridem contra cleri et nobilium ordines excitatus, partes suas in eorum detrimentum augere studuit. In nobilium ordine non pauci erant pseudo-sophiae et innovationibus dediti. E clero etiam, praesertim secundi ordinis, plures aut Iansenisticis principiis imbuti aut promissis fucatis decepti aut ambitionis vel novitatis animo excitati, ad comitia properarunt. Unde coetus huius noxios effectus praesagiebant quique prudentiores.

Tertii ordinis delegati, qui duos reliquos ordines numero superabant, brevi post effecerunt, ut comitia, sublatis ordinum distinctione et privilegiis, in congregationem nationalem commutarentur, in qua nova regni constitutio secundum votorum pluralitatem conficeretur. Tunc sublata civium distinctione et abolitis cunctis privilegiis, decretum est, communem omnibus et singulis esse libertatem et iurium aequalitatem, summum autem ius esse apud nationem, cuius nomine se congregatos dicebant. Mox seditiosas rebellium in congregatione nationali orationes secuti sunt seditiosi in urbibus motus. Rebellionis signum datum est Parisiis, ubi varia loca a tumultuante plebe occupata sunt, domus depraedatae, nonnulli magistratus et milites occisi. Pridie nonas octobris seditiosi, congregationis nationalis patrocinio freti et consiliis excitati, necatis palatii regii custodibus, Ludovicum XVI Versaliis abduxerunt Parisios, quo etiam congregatio nationalis se transtulit. Eodem tempore in provinciis seditionis motus contra legitimam auctoritatem instaurati sunt.

Interim sic dicti nationis deputati, probioribus inde discedentibus, tum contra regiam auctoritatem tum contra Religionem decreta iniqua promulgabant. Cultuum libertas et omnibus sine religionis discrimine eadem iura civilia ac politica fuerunt declarata, decimae abolitae, omnia bona ecclesiastica nationi adiudicata magnaque ex parte vendita, omnes in toto Gallorum territorio Ordines religiosi suppressi, vota monastica, veluti nativae libertati contraria, abolita, religiosi e coenobiis pulsi eorumque bona nationi addicta. Contra quae aliaque decreta plures quidem deputati, praesertim ex episcopis, reclamarunt, sed seditiosi et numero et audacia praevalebant[1].

2. *Constitutio Cleri* (*an.* 1790)—Eadem ratione anno 1790 decreta est sic dicta *Constitutio civilis Cleri*, qua ecclesiae Gallicanae cum Romana communio rumpebatur, illaque in tetrum schisma coniiciebatur. Ista constitutione, destructis 135 sedibus episcopalibus, quae in Gallia erant, secundum praefecturarum numerum et circumscriptionem novae 83 episcopales sedes, inter quas 10

[1] Picot, *Mémoires pour servir à l'hist. eccl.*, an. 1789; Gabourd, *Histoire de la révolution.*

metropolitanae, creabantur; declarabantur hae sedes ab omni auctoritate extranea independentes. Ecclesiae cathedrales, suppressis Capitulis et beneficiis, commutabantur in paroecias, quibus praeessent episcopi cum certo vicariorum numero. Praescribebatur nova parochiarum circumscriptio. Episcoporum et parochorum electiones committebantur iis ipsis, quibus ius erat eligendi magistratus civiles, eademque ac pro his praescribebatur electionis forma. Episcoporum electorum confirmatio seu institutio postulanda erat a metropolita vel seniore episcopo. Vacante sede episcopali, iurisdictio deferebatur primario vicario episcopali. Parochis ius fiebat eligendi suos vicarios e presbyteris dioeceseos sine ulla episcoporum approbatione. Episcopi electi ante suam consecrationem iureiurando promittere cogebantur fidelitatem nationi et legi, et adhaesionem ad Constitutionem, a congregatione nationali decretam et a rege acceptatam; idem iuramentum praescribebatur parochis electis. Alia plura tum doctrinae tum disciplinae Ecclesiae contraria, in eadem Constitutione statuebantur. Ludovicus XVI, quamvis invitus, XI° calendas septembris 1790 Constitutionem civilem cleri approbavit.

Congregatio nationalis IV° cal. decembr. decrevit, ut omnes episcopi, parochi et presbyteri intra statos dies supra memoratum iuramentum, sic dictum civicum, praestarent vel a muneribus suis abstinerent; qui vero contra facerent, tanquam perturbatores status publici punirentur iuribusque civilibus privarentur. Ex 290 ecclesiasticis viris, qui in congregatione nationali sedebant, circiter 70 inter quos duo episcopi, Talleyrand Augustodunensis et Gobel Lyddensis *in partibus*, iuramentum civicum praestiterunt; caeteri, non obstantibus saevis clamoribus et minis, praefatum iuramentum praestare recusarunt. Horum exemplum secuti sunt episcopi in provinciis, et e 135 episcopis Galliae tantum quatuor constitutioni civili adhaeserunt, nimirum cardinalis de Lomenie de Brienne archiepiscopus Senonensis, de Savines episcopus Vivariensis, Jarente Aurelianensis et supra dictus Talleyrand Augustodunensis. E clero secundi ordinis multi quidem iuramentum praestiterunt; sed multo plures, imo maxima pars, ab eo abstinuerunt[1].

3. *Constitutionalium schisma* — Interea ecclesiarum status secundum novam constitutionem formatus est; episcopi et parochi non iurati, ut vocabantur, sacris functionibus interdicti variisque iniuriis et violentiis, quae erant cruentissimae persecutionis praeludia, affecti sunt, et in eorum locum alii secundum praescriptas in nova constitutione formas electi, ideoque Constitutionales dicti. Ad novas sedes episcopales prae aliis electi sunt ii presbyteri, qui sive in congregatione nationali sive in provinciis ardentiores constitutionis et novi regiminis fautores se praebuerant. Primos ex his pseudo-episcopis VIII° calend. februarii 1791 consecrare ausus est Talleyrand episcopus Augustodunensis, assistentibus Miraudot Babylonensi et Gobel Lyddensi episcopis *in partibus*. Illi deinde aliis sacrilegas manus imposuerunt. Ita eiectis ubique legitimis pastoribus dominicum gregem lupi invaserunt.

Pius Pp. VI, auditis iis, quae in Gallia contra Religionem attentabantur, VIII° calend. aprilis 1790 cardinales in secreto consistorio allocutus est, eisque dolorem suum ex perturbato ecclesiarum in Galliis statu, occupatis ecclesiasticis bonis, depraedatis ecclesiis, suppressis monasteriis, calcatis Apostolicae Sedis iuribus,conceptum, significavit. Litteras scripsit tum ad Ludovicum regem XVI tum ad praesules Gallos, in quibus amare questus est de congregationis nationalis decretis et actis, eosque ad constantiam, ad defendenda Ecclesiae iura et ad legitime certandum pro domo Dei hortatus est. Idibus aprilis 1791 alias litteras dedit ad cardinales, archiepiscopos, episcopos, capitula, clerum et populum Galliarum in quibus novam cleri Constitutionem declaravit « ex principiis coalescere ab haeresi profectis, adeoque in pluribus decretis haereticam esse et catholico dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam, iura primatus et Ecclesiae evertentem, disciplinae cum veteri tum novae contrariam, non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam nisi ad catholicam religionem prorsus abolendam ». Electiones episcoporum constitutionalium declaravit illegitimas, sacrilegas, et prorsus nullas, eorumque consecrationes omnino illicitas et sacrilegas. Consecratos omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione carere, eosque et eorum consecratores et omnes, qui in execrandis consecrationibus opem et consilium praestiterant, ab omni episco-

---

[1] Picot, *Mém.* cit. an. 1790; *Histoire abrégée de la Constitution civile du Clergé de France.*

palis, sacerdotalis vel alterius ordinis exercitio suspensos pronuntiavit. Mandavit etiam omnibus, cuiusvis ordinis aut conditionis, ecclesiasticis viris, qui iuramentum civicum, a congregatione nationali praescriptum, emiserant, ut illud intra 40 dies retractarent; secus a cuiuscumque ordinis exercitio essent suspensi, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuissent.

Post hanc Apostolicae Sedis sententiam multi, qui iuramentum civicum emiserant, ad meliorem mentem reversi sunt; sed maior pars constitutionalium episcoporum et parochorum in schismate perrexit. Pius VI hoc et sequenti anno plures ad episcopos Galliae litteras scripsit, quibus eos facultatibus, pro circumstantiis temporum et locorum necessariis, instruxit, et ad propositas ab eisdem quaestiones respondit. XIV° calend. aprilis 1792 novas litteras monitorias ad universum clerum et populum Galliae dedit, quibus 60 dies pro secunda, et alios 60 pro tertia monitione assignavit episcopis sic dictis constitutionalibus, eorum consecratoribus et adsistentibus, pseudo-episcopis intrusis, episcopis iuratis, parochis, vicariis caeterisque presbyteris intrusis et iuratis vel in regno Galliarum delegatis. Eiusdem tenoris litteras dedit pridie nonas aprilis, ad episcopos insulae Corsicae, in quam etiam civilis Constitutio cleri fuerat invecta. VIII° calend. maias novas litteras commonitorias scripsit ad clerum et populum civitatis Avenionensis et comitatus Venascini, quem uti et Avenionem exercitus Gallorum occuparat, et congregatio nationalis postridie idus septembris 1791 ab auctoritate Sedis Apostolicae avulsum, territorio Gallico adiunxerat. Praeterea Pontifex epistolas encyclicas scripsit ad omnes episcopos in suo territorio, item ad antistites caeterosque praelatos et ad totum clerum Germaniae, eorum liberalitati et hospitalitati commendans ecclesiasticos viros qui propter infelicem rerum in Galliis conflagrationem ecclesias suas, domicilia, bona derelinquere et emigrare fuerant coactae. VII° calend. februarii 1793 epistola encyclica praescripsit generalem normam, per Statum pontificium observandam, relate ad ecclesiasticos saeculares et regulares, qui e Gallia in eum emigrarant[1].

4. *Anarchia in Galliis* — Elaborata nova regni constitutione, congregatio nationalis pridie calendas octobr. 1791 soluta fuit. Ei successit congregatio sic dicta legislativa, quae deteriora tum contra auctoritatem regiam tum contra Religionem decrevit; Ludovicum XVI, omnibus iuribus suis et privilegiis orbatum, una cum r gina, infantibus et sorore custodiae manc.pavit, et continuis opprobriis saturavit; sacerdotes, qui praescriptum, quod vidimus, iuramentum praestare recusabant, iam antea persecutioni obnoxios, deportari iussit. In multis civitatibus sacerdotes prehensi, in carceres coniecti, interfecti. Parisiis mense septembri 1792 prope 300 sacerdotes et 3 episcopi in carceres coniecti, necati fuerunt. Meldis etiam, Lugduni aliisque in civitatibus caedes sacerdotum a iureiurando abhorrentium perpetratae sunt.

Porro in generali hac rerum publicarum in Galliis conflagratione multi quidem, praesertim Lugdunenses, arma pro regis et religionis causa sumpserunt; sed propriis viribus derelicti, anno 1792 succubuerunt, et terribilem demagogorum ultionem experti sunt. Magno ardore et dexteritate pro causa regia certarunt Vendeenses, qui anno 1792 et sequentibus maiori saepe demagogis terrori fuerunt, quam totius Europae coalitio. Deinde cernentes, se defectu auxilio non posse procurare publicum regni bonum, pacto inito, consuluerunt proprio.

Solutae XI° calend. octobris 1792 congregationi legislativae, successit sic dictus *Conventus nationalis*. Hic scelestorum hominum coetus potestatem regiam abolevit, et pro toto territorio Gallico Rempublicam proclamavit; Ludovicum XVI in ius vocatum, capitis damnavit, quae sententia XII° calend. februar. 1793 executioni mandata fuit. Eamdem sortem subierunt Maria Antonia regina et Elisabetha regis soror. Regis necem secuta est teterrima anarchia, factionibus non minus in mutuam suarum ipsarum, quam in Religionis destructionem intentis. Caeteris praevalebat impia et sanguinolenta factio *Terroristarum*, quae antiquo regimini aut familiae regiae deditis vel suspectis vel prout tales delatis, in carceres coniiciebat vel necabat. Episcopi et presbyteri, *anticonstitutionales*, ubique conquisiti, carceribus mancipati, deportati et magno numero interfecti ea crudelitate, quae inter ipsos populos barbaros non videtur. In ipsas moniales tyrannica manus desaeviit; Parisiis 17 Carmelitae e coenobio Compendiensi, et Arausicae 28 moniales, e diversis coenobiis, necatae sunt, quae omnes pari ac sacerdotes christiana constantia supplicia subierunt.

[1] *Collect. Brevium Pii VI*; *Histoire abrégée de la Constitution civile du Clergé de France.*

Quum saeviente persecutione, sacerdotes latebras quaererent, clam sacra peragerent et populo fideli sacramenta ministrarent, persecutores paulatim ab illorum coedibus abstinere coeperunt, promissaque licentia emigrandi, clericos e latebris elicuerunt; se dum hi litteras ad iter faciendum necessarias petebant, vel comprehensi et in carceres coniecti sunt, vel litterae eis datae, certo signo instructae, quod sicariis ad regni limites constitutis innuebat, eos esse spoliandos aut necandos; qui vero publica cura in terras alienas deportabantur, pessime habiti variisque modis cruciati sunt [1].

5. *Religionis eversio in Gallia* — Anno autem 1793 conventus nationalis omnem Religionem in toto territorio Gallico proscripsit. Ipsis episcopis et clericis constitutionalibus, seu qui iuramentum civicum praestiterant, imperatum est, ut Religionem abiurarent, populumque hactenus a se deceptum fuisse confiterentur. Reipsa complures eorum animi ita abiecti erant, ut in conventu nationali palam contestarentur, se falsam religionem docuisse, munerisque ecclesiastici vestimenta et instrumenta a se proiicerent. Alii eadem instrumenta suaeque ordinationis litteras ad conventum miserunt in signum abiuratae religionis christianae. Aliqui publice coniugia contraxerunt. Tunc templa passim direpta, profanata, vasa sacra ablata et turpiter inquinata sunt. Parisiis asinus, mitra episcopali aliisque vestimentis sacris indutus, a plebe, vasa sacra ex ecclesiis ablata gestante, primo in conventum nationalem, his flagitiis applaudentem, deinde per urbis plateas ductus est. Similia Lugduni patrata sunt turpiusque Weissenburgi in Alsatia, ubi post asinorum vestimentis sacris contectorum et Iacobinorum albis, rochetis, aliis sacris vestibus indutorum processionem omnia quotquot inveniri poterant, Biblia, missalia, libri precum, rosaria, imagines Christi, in rogum in foro exstructum coniecta sunt. Quin imo, ut ipsa religionis christianae memoria, si fieri posset, deleretur, iussu conventus nationalis aera christiana abrogata fuit eique substituta aera Reipublicae; novum calendarium introductum, in quo non tantum nullum Christianorum festorum vestigium, sed etiam in locum hebdomadarum decades positae erant; diei decimae celebratio tam severe praescripta, quam dominicae celebratio prohibita.

Sic proscriptis omnibus religionis christianae vestigiis, substitutus fuit cultus sic dictus Rationis, per statum vel mulierem prostitutam repraesentatae. Parisiis actrix quaedam scenica, infamis meretrix, in splendido curru, crucifixo pedibus eius substrato, per urbis plateas circumvecta, tandem in ecclesiam cathedralem ducta, tanquam Rationis, unici Gallorum numinis, symbolum, in altari posita fuit, et in eius honorem thus concrematum hymnique decantati. Abhinc templa multa per universam Galliam in cultum Rationis mutata, alia vendita aut diruta sunt. Magnificum autem templum, Parisiis S. Genovevae honoribus dedicatum, iam anno 1791 in pantheon conversum fuerat, in quo Voltairii, Mirabaudi, Rousseauvii aliorumque huius generis virorum cadavera et monumenta recondita sunt.

Universim iam crimen erat, quod carceris saepiusque mortis poena multabatur, si quis novum nationis cultum eiusve festa fastidire videretur, aut levissimum signum religionis christianae ederet haberetque. Hinc homines religiosi non nisi in locis abditis Deum colere aut sacris interesse audebant, sacras imagines, libellos precum aliasque huiusmodi res sollicite abscondere cogebantur.

Tandem, quum terroristarum regimen ad summum apicem pervenisset, saevus Robespierre, eorum coryphaeus, a collegis suis desertus, ab omnibus despectus, VI° calend. augusti 1794 ad ferale pegma, ad quod tot alios duci iusserat, ductus fuit. Cum eo plures alii, crudelitatis eius complices, suppliciis affecti sunt. Tunc conventus nationalis a cruenta tyrannide abstinere visus est; multi e carceribus dimissi sunt; viri ecclesiastici a metu respirarunt; multi, qui terroris tempore lapsi fuerant, ad cordis conversionem redierunt; cultus divinus declaratus fuit liber; sacerdotibus divina celebrare indultum, modo reipublicae legibus obedientiam profiterentur. At IV° calend. octobris 1795 novum iuramentum de summo nationis iure sub poena carceris et exilii ecclesiasticis viris imperatum est et persecutio instaurata, donec pridie nonas novembris eiusdem anni novum regimen, quod *Directorium* dicitur, institutum fuit.

[1] Proyart, *Louis XVI détrôné avant d'être roi;* item *Mémoires particulières formant l'histoire complète de la famille royale*, 1817 in-8°; Carron, *Les confesseurs de la foi dans l'église gallicane*; Guillon, *Les martyrs de la foi.*

Tunc quaedam ordinis species apparuit. E diversis locis supplicationes utrique *Camerae, quingentorum* et *seniorum*, oblatae sunt, quibus liberum Religionis exercitium, sacerdotum, in carceribus gementium, libertas, et deportatorum revocatio petebantur. Ibi oratores plures easdem libertates defenderunt. Lex deportationis, a gubernii directoribus contra sacerdotes *non-iuratos* proposita, reiecta fuit. Verumtamen directores sacerdotibus mille vexas suscitabant. Mense augusto 1797 ab utroque concilio decretum sancitum est, quo leges poenales, contra sacerdotes *non-iuratos* latae, revocabantur. Sed Directorium ad violentias prorupit, decretum reiecit, legem deportationis, IV° calendas octobris 1795 contra sacerdotes *non-iuratos* latam, restituit, novum iuramentum, nempe odii in regiam maiestatem, praescripsit[1].

6. *Galli occupant Belgium et Italiam* — Interdum Galli an. 1792 irruerant in Belgium, et maiorem eius partem occuparant; sed anno insequenti repulsi sunt. Eodem anno contra eos ictum est foedus inter Austriacos, Borussos, caeteros imperii principes, Anglos, Batavos, Hispanos, Lusitanos, Siculos et Sardos, quod tamen propter contraria confoederatorum studia stabilitatem non habuit. Anno 1794 Galli rursus in Belgio foederatos aggressi sunt; in campis Cameracensibus et Tornacensibus victi, sed ad pagum Fleurus in comitatu Namurcensi victores, reliquum Belgium rapido cursu subiugarunt. Subsecuta durissima hieme, penetrarunt in Hollandiam, cui, exauctorato principe Arausicano, democratici regiminis formam dederunt; nonnullae illius territorii partes cum Belgio universo et principatu Leodiensi anno 1795 reipublicae Gallicae fuerunt adiunctae. Eodem anno Galli superato Rheno, in Germania non semel victi sunt a fortissimo comite de Clerfayt, quo initio anni sequentis ab imperio exercitus amoto, aliquandiu victores fuerunt; deinde a Carolo archiduce pluries superati, Rhenum traiicere coacti sunt.

Directorium autem VIII° calend. decembris 1795 provincias Belgii omnibus reipublicae legibus subiectas declaravit. Confestim regiminis forma ibi ut in Gallia fuit constituta, nobilium ordo abrogatus, Ordines religiosi suppressi, monasteria et templa depraedata, nonnulla impio Rationis cultu profanata, bona ecclesiastica divendita, iuramentum odii ecclesiasticis viris imperatum, sacerdotes, qui illicitum iuramentum praestare nolebant, vel ad latebras quaerendas coacti, ecclesiasticus status tristem in modum perturbatus.

Eodem tempore Galli, duce Napoleone Bonaparte, in Italia quaquaversum victricia arma proferebant. Bonaparte regem Sardiniae aliosque principes Italos ad ineundam cum republica Gallica pacem coegit; superatis copiis Austriacis, Mediolanum, Mantuam aliasque civitates subegit; plures etiam pontificiae ditionis civitates occupavit; Pontifici pacem promisit, modo hic 21,000,000 francorum, legationes Bononiensem et Ferrariensem, arcem Anconitanam, et pretiosiora antiquae artis monumenta atque manuscripta gubernio Gallico traderet. Pius VI e cardinalium consilio ad faciendum satis conditionibus istis, ut ut durissimis, erat paratus; sed Directorium conditiones pacis confirmare noluit, nisi Pontifex quaecumque in causa civilis constitutionis cleri et schismaticorum constitutionalium decreverat, palam retractaret. Quum Pius VI pro muneris sui officio huiusmodi pacto assentire non posset, Bonaparte occupavit marchionatum Anconitanum et ducatum Urbinatensem, spoliatoque sacrario Lauretano, penetravit Tolentinum usque. Hic Austriacos a tergo eius castra moventes metuens, XI° calend. martias 1797 pacem cum Pontifice signavit, qua Gallis cedebantur ultra 30,000,000 francorum et multa artis monumenta ac manuscripta pretiosissima, ditio Avenionensis, iam dudum ab illis iniuste occupata, et legationes Bononiensis, Ferrariensis et Ravennatensis. Eodem anno VI° calend. novembris Bonaparte pacem signavit cum Austriacis, qua Belgium et nonnulli portus atque insulae Venetorum reipublicae Gallicae, reliquum Venetorum dominium Austriacis cesserunt; Lombardia conversa est in rempublicam, cui nomen Cisalpinae inditum; ex ditionibus vero Pontifici subtractis aliisque ultra Eridanum sitis, formata est respublica Cispadana. Quo facto, Bonaparte ex Italia evocatus, anno 1798 suscepit expeditionem transmarinam.

7. *Pius VI Roma abducitur* (*an.* 1798) — Verum imperfectus fuisset impiorum triumphus, nisi ipsum Papam currui suo alligassent. Directorium sub praetextu sedandorum in urbe Roma motuum, quos ipsummet per emissarios suos excitabat, belliduci Berthier mandavit, ut urbem occuparet, et

[1] Carron et Guillon, citt.; Picot, *Mémoires*, an. 1792-97.

Pontificem exauctoratum in Hetruriam abduceret. Die III° idus februarii 1798 Berthier armata manu Romam occupavit, et xv° calendas martii, qui erat anniversarius dies exaltationis Pii VI, calvinista Haller ad Pontificem detulit decretum, quo regno seu statibus suis orbatus et exauctoratus declarabatur. Mox rapax manus missa est in omnia Pontificis mobilia, Respublica proclamata, magistratus pontificii deiecti, cardinales aut dispersi aut custodiae mancipati, Pontifex ipse opprobriis saturatus, x° calend. martii violenter e palatio suo raptus et in Hetruriam abductus fuit. Quum venerabilis senex aliquantulum Senis, quo v° calend. martii pervenit, substitisset, translatus est in Carthusiam prope Florentiam. Eum mox adierunt Ferdinandus magnus dux Hetruriae, rex atque regina Sardiniae, et archiepiscopus Toletanus, regis Hispaniae orator, qui principis sui iussu Pontificem secutus fuerat, ut quomodocumque posset, aerumnas eius levaret. Litteris etiam humanissimis Francisci imperatoris II, Ludovici XVIII christianissimi regis extorris, et Pauli I imperatoris Russorum recreatus fuit. Multi fideles e diversis locis amoris et reverentiae tributum captivo pependerunt, oblatis copiosis subsidiis. Episcoporum item observantissimae epistolae undique confluebant, quibus Pontifex respondit, moestos afflictosque consolando, alios a zelo et sacerdotali fortitudine laudando, aliorum dubia solvendo, omnes denique, ut in officio starent viriliter, verbo et exemplo hortando.

Impiorum furor in summum Ecclesiae pastorem nondum erat completus; VI° calend. aprilis 1799 venerabilem senem, viribus doloribusque fractum, et supplicantem, ut sibi in Carthusia quiete mori concederetur, inde rapuerunt, et coniectum in vehiculum, per aerem inclementem viasque difficiles et montosas raptarunt in Galliam usque Valentiam in Delphinatu, ulteriora molituri, nisi providus Deus optimum Pontificem ad se evocasset[1].

8. *Iuramentum odii* — Interea Directorium sub poena deportationis omnibus munere publico fungentibus et sacerdotibus praescripsit iuramentum odii in regiam maiestatem[2], et persecutionem contra sacerdotes non-iuratos, ut vocabant, tum in Belgio et Italia tum in Gallia instauravit. Tunc quicumque sacerdotes iuramentum istud praestare recusabant, undique conquisiti, in carceres coniecti, et in insulas deportati sunt, in quibus multi perierunt[1].

Insuper memoratum iuramentum deplorandam divisionem in clero, et proinde in populo, excitavit. Alii sacerdotes illud iuramentum tanquam illicitum detestabantur; et hi latebras quaerere et clam sacris fungi cogebantur: alii, sive metu ducti, sive salva conscientia illud iuramentum emitti posse contendentes, illud emittebant; et hi secure et palam sacra ministrabant. Summus Pontifex Pius VI, praeviis doctorum theologorum consultationibus praevioque Congregationis cardinalium examine, anno 1798 iuramentum praefatum declaravit illicitum, et episcopo Isauriensi de Pedro, quem suum in Urbe vicarium constituerat, mandavit, ut hoc S. Sedis iudicium, occasione data, propalaret. Secundum auctoritatem, a SS. Pontifice sibi specialiter delegatam, episcopus Isauriensis VIII° calend. octobr. 1798 ad dubia, ab episcopo Grassensi Pio VI proposita, respondit, ab Apostolica Sede declaratum fuisse, non licere praefatum iuramentum emittere, eosque qui istud emiserant, teneri ad illud retractandum. Pontifex in epistola III° calend. sextilis an. 1798 data ad cardinalem de Frankenberg archiepiscopum Mechliniensem, hunc praesulem aliosque antistites Belgii et sacerdotes summopere laudavit, quod, non obstante persecutione, in fide et officio permanerent, et a iuramenti impietate abhorrerent. Quum Pius Pp. VI vero Florentiam abductus audivisset, praedictum iuramentum professoribus Romanae Universitatis fuisse imperatum, XVII° calend. februarii 1799 epistolam scripsit ad Octavium Boni, archiepiscopum Nazianzenum, in officio vice-gerentis Romae, eiusque districtus delectum, cui ob oculos posuit decisionem, qua iam antea illud iuramentum illicitum declararat, dixitque solum admitti posse hanc formulam: « Ego N. iuro me partem non habiturum in quacumque coniuratione, con-

---

[1] Blanchard, *Précis hist. de Pie VI*; Baldassari, *Histoire de l' enlèvement et de la captivité de Pie VI*, Bruxelles, 1840, in-8°.

[2] Iuramenti formula haec erat: « Ego sacramentum odii in regiam maiestatem et anarchiam profiteor, simulque voveo obsequium et fidem in rempublicam et constitutionem anni III » (gallice: *Je jure haine à la royauté et à l'anarchie, attachement et fidélité à la république et à la Constitution de l' an 3*).

[1] Carron et Guillon, citt.; G. J. Jauffret, *Mémoires pour servir à l' hist. de la religion et de la philos. à la fin du 18e siècle*; item, *Tableau de la France sous le Directoire*.

spiratione et seditione pro restituenda monarchia, et contra rempublicam, quae nunc imperat; odium anarchiae, fidelitatem atque adhaesionem reipublicae et constitutioni, salva de caetero Religione catholica». Quum his non obstantibus professores Collegii Romani et Sapientiae iuramentum odii emisissent cum verbali declaratione coram magistratu, ad eorum iuramentum recipiendum delegato, idque archiepiscopus Nazianzenus data Instructione probasset; Pius Pp. VI ad eum III° calend. februarii 1799 alteram dedit epistolam, qua de eorum agendi ratione et contemptis S. Sedis sententiis graviter expostulavit, iuramentum pure et simpliciter, quamvis cum verbali declaratione, praestitum reprobavit, et Archiepiscopum Nazianzenum ad revocandam suam Instructionem et ad publicandum S. Sedis de praesenti negotio iudicium supra in epistola XVII° calendas februarii relatum, coegit. Archiepiscopus Nazianzenus in omnibus Pontifici satis fecit[1].

9. *Theophilanthroporum secta*—Irreligione una cum anarchia in Galliis dominante, scriptoribus aliis atheismum, aliis deismum propugnantibus, Parisiis 5 patres-familias novam consociationem religiosam, quae Theophilanthroporum dicta est, constituerunt. Anno 1797 eorum consociatio, sub auspiciis unius e directoribus reipublicae La Réveillère-Lepaux, auctoritatem publicam et proprium organismum accepit; Theophilanthropi quamdam religionem naturalem sectabantur, quae potissimum consistebat in doctrina de existentia Dei, de animae immortalitate, de adorando Deo, diligendo proximo, procuranda patriae utilitate, et in certis ritibus religiosis, quos in conventibus suis exercebant, quique consistebant in praelectionibus, orationibus canticisque moralibus, et in quibusdam actibus symbolicis peragi solitis in nativitate, in matrimonii contractu et sepultura sociorum. Initio secta crescere visa est; plurimis deistis et sacerdotibus apostatis ac coniugatis placuit; Parisiis 7 templa ad celebranda sua sacra accepit; in aliis etiam diversis Galliae urbibus socios nacta est. Sed brevi post multi sectam deseruerunt; et postquam, Directorio versus finem anni 1799 abolito, La Réveillère publica auctoritate excidisset, Theophilanthroporum institutum magis magisque intercidit. Anno autem 1802 concordato inter rempublicam Gallicam et Romanum Pontificem inito ad restauranda religionis catholicae exercitia, et Theophilanthroporum et Constitutionalium sectae evanuerunt.

10. *Constitutionalium status*—Schisma vero Constitutionalium probrosam metamorphosim subiit. Plures, qui aliquandiu ei adhaeserant, deinde Romani Pontificis monitis aliisque causis excitati, eidem renunciarunt et errores suos correxerunt. Multi, ut supra vidimus, terroris tempore episcopalia aut sacerdotalia insignia abiecerunt, religionem christianam abiurarunt, coniugia contraxerunt. Anno 1795 quatuor pseudo-episcopi, Desbois, Saurine, Grégoire et Royer, ad instaurandam ecclesiam sic dictam constitutionalem, quae iam reipublicae praesidio orbata, magis magisque collabebatur, se Parisiis congregarunt, et idibus martii epistolam encyclicam scripserunt ad reliquos episcopos constitutionales, in qua post fidei suae declarationem, nonnulla ad instaurandas suas res constituerunt. Epistolae subscripserunt 33 pseudo-episcopi inter quos erat Gratien, metropolita Sequanae, episcopi enim isti praefecturarum nomine appellabantur. Alteram epistolam ediderunt idibus decembris, qua praeter alia praescripserunt novam electionum formam, mandaruntque, ut in qualibet ecclesia cathedrali formaretur presbyterium, quod, sede vacante, ecclesiam gubernaret. Praeterea libellos sub specioso Annalium religionis (*Annales de la religion*) et aliis titulis vulgarunt ad schismatis propugnationem. At his non obstantibus, eorum res in dies declinabant.

Quum vero episcopi constitutionales se continuo a suis clericis quorum multi schismati renunciabant, deseri cernerent, anno 1797 Parisiis conciliabulum celebrarunt. Convenerunt 26 episcopi et 46 presbyteri, quibus eadem ac illis iura in conciliabulo concessa sunt. Praestituto iuramento odii in regiam maiestatem, deliberarunt de ratione componendae pacis cum dissidentibus, ut vocabant, litterasque scribendas decreverunt ad omnes territorii Gallici ecclesias, ut hae aliquos ad concilium pro componenda unione deputarunt. Deinde pseudo-episcopus Grégoire exposuit statum ecclesiae constitutionalis, acriterque invectus est in clericos, qui praescripta a republica iuramenta vel non praestiterant, vel retractarant, in bullam *Auctorem fidei*, in Inquisitionem et in potestatem temporalem Romanorum Pontificum. Demum in-

[1] *Collectio Brevium Pii VI.*

stitutis novis aliquot suae factionis episcopis, expectantes novum rerum ordinem ab omni inquisitionis, regumque iugo immunem, quem in perturbato Europae statu iam appropinquantem salutabant, conciliabulum dissolverunt.

Anno 1801 post varia conciliabula dioecesana, alterum nationale habuerunt Parisiis, in quo post scandalosa dissidia inter sacerdotes primi et secundi ordinis, post laudes effusas plerisque ecclesiasticae potestatis osoribus, Van Espen, De Hontheim, Le Plat, Tamburini aliisque delatas, audire fuit convicia in Sanctam Sedem et in principes politicos, cum ridiculis iactantiis coniuncta. At signato interim inter Apostolicam Sedem et gubernium Gallicum concordato, conciliabulum iussu gubernii, cuius instigatione coactum fuisse videtur ad incutiendum Pontifici metum, dissolutum est. Ex quo tempore Constitutionalium secta disparuit[1].

11. *Pii VI obitus* (*an.* 1799) — Quum iam sex circiter hebdomades Pontifex Valentiae in Delphinatu in arcta custodia ageret, Directorium mandavit, ut transferretur Divionem; sed obstitit divina Providentia, quae venerabilem senem, diuturnis aerumnis fractis et paralysi in inferioribus artubus laborantem, IVº calend. septembris 1799 ad iustitiae coronam evocavit[2]. Annos natus 81, postquam Ecclesiam rexisset *ann.* 24, *mens.* 6, *dies* 14. Eius corpus deinde Romam translatum, magna populorum omniumque ordinum frequentia exceptum, persolutisque summa honorificentia extremis sepulturae officiis, in aede Vaticana conditum est anno 1801.—Pius Pp. VI bonarum artium, earumque cultorum paterno instituto fautor eximius extitit; quare academias fundavit, monumentis, edifitiis, viis, dum Romae erat, condecoravit. A paludibus pontinis Urbem liberavit, leges, uti nunc vocantur, *agrarias* sancivit, aliaque huiusmodi memoratu dignissima.

12. *Pius VII, Pontifex* (*an.* 1800)—Roma a seditiosis Francicis occupata, omni fere Italia eorum armis subacta, Pontifice longe a Sede sua abducto, ecclesiastici regiminis facultate privato et tandem in potestate hostium moriente, cardinalibus dispersis, Ecclesia in summo discrimine versabatur, et amisso capite, emoritura videbatur. Sed qui habitat in coelis, iniquos frementium atque convenientium adversus Dominum et Christum eius conatus deiecit, novumque documentum dedit, Christi promissiones de perpetua Ecclesiae duratione et indefectibilitate non fallere. Adduxit Deus a longinquo gentes, a catholica fide alienas, quae iuncta cum Austriacis aliisque foederatis manu, Francos hoc ipso anno 1799 Italia expulerunt, et Petri Sedem libertati restituerunt. Austriaci et Russi Mediolanum, Venetias totamque Italiam superiorem, Angli et Neapolitani Romam, Turcae Anconam occuparunt, Gallosque ad deserendam Italiam compulerunt.

Quapropter post Pii VI obitum 35 cardinales convenerunt Venetias; illic calendis decembris 1799 conclave ingressi sunt, et pridie idus martii 1800 in pontificem elegerunt Gregorium Barnabam Chiaramonti, Caesenatem, Ord. S. Benedicti, cardinalem episcopum Forum Cornelii, qui ob memoriam illustris sui praedecessoris, cuius aerumnas et pietatem exaequare debuerat, nomen Pii VII assumpsit rexitque Ecclesiam usque ad annum 1823.

Pius VII pontificatu inito, se totum applicuit ad componendas Ecclesiae res. Idibus maii ad universum orbem catholicum epistolam encyclicam scripsit, in qua post laudes meritissimas sui decessoris, et augusti Caesaris, sub cuius praesidio et tutela cardinalium comitia Venetiis habita fuerant, electionem suam significavit; episcopos omnes hortatus est, ut deposito Fidei custodiendo intenti, studerent potissimum debitae clericorum institutioni et coercendae cogitandi, loquendi, scribendi et legendi licentiae, ne malum gravissimum, iam ex ea ortum, serperet latius totumque orbem invaderet. Bellis impedientibus, iubilaeum anni sancti non celebravit. Nonis iunii Venetiis relictis, Romam properavit, quam vº nonas iulii, iubilantibus Romanis, ingressus est. Reliquum etiam territorium, a Francis pontificiae auctoritati ademptum, opera Imperatoris Germaniae regisque Neapolitani recepit. Mox publicam rerum administrationem, miserum in modum collapsam, composuit. Quum audivisset, in regno Neapolitano, post Francorum expulsionem, iniustas saevitias exerceri in laicos et clericos, qui dissidiorum et conflagrationis tempore novo rerum regimini favere visi fuerant, de ea re graviter expostulavit apud

---

[1] *Précis historique sur l'église constitutionnelle*; Picot, *Mémoires*, ann. 1795, 1797, 1801.

[2] Blancard, *Précis hist. de la vie et du pontificat de Pie VI*; *Hist. civile, politique et religieuse de Pie VI* par un Français cath. rom.; Baldassari, *Hist. de l'enlèvement et de la captivité de Pie VI.*

Ferdinandum regem IV, et episcopos, qui in istis duritiae actibus partem habuerant, censuris perculit. Caeteras huius Pontificis res gestas suis locis referemus.

13. *Bonaparte I Consul*—In Gallia etiam status rerum mutatus est. Quum enim regimen Directorii intus ad diram tyrannidem, foris ad commune odium et despectum esset dilapsum, Bonaparte bellidux, anno 1799 ex Ægypto redux, v° et iv° idus novembris Directorium evertit, regimen consulare proclamari curavit, et ipsemet idibus decembris primus Consul declaratus est. Illico ad conciliandos sibi Francorum animos, plura iniqua Directorii decreta abrogavit, deportationi finem constituit, ecclesiasticis viris ac publico munere fungentibus imperavit solam promissionem fidelitatis novae constitutioni, intus bellum civile sopivit, foris prospero marte contra foederatos certavit. Mense maio 1800 selectum exercitum per Alpes traduxit, superatisque Austriacis celebri praelio apud Marengo, recepit quidquid anno praecedenti Franci illic amiserant. E subactis septentrionalibus Italiae provinciis et tribus Romanae ecclesiae legationibus Bononiensi, Ferrariensi et Ravennatensi, instauravit rempublicam Cisalpinam, dein Italicam, cuius seipsum anno 1802 praesidium dixit. Eodem tempore Franci victores in Germania, Domum Austriacam et imperium ad postulandam pacem compulerunt, quae initio anni 1801 Lunaevillae signata, praeter cessiones iam ante factas, Gallorum dominio adiecit quidquid ad laevam Rheni situm est.

14. *Concordatum* (*an.* 1801) — Napoleon Bonaparte primus Gallorum consul, plurimorum religioni catholicae fideliter inhaerentium desiderium cognoscens, ratusque sibi admodum profuturum ad capessendum quod ambiebat, summum imperium, si Romanum Pontificem sibi conciliaret, iam in campo de Marengo manifestaverat consilium tractandi cum Pontifice de instaurando religionis catholicae in Gallia exercitio. Quod cum Pio VII pro parte illius nunciatum esset, Pontifex quantumcumque metueret, ne homo ambitiosus, qui in Ægypto Mahometis praeconem egerat, suis potius quam religionis commodis studeret, perpendens tamen, hanc viam forsan a divina Providentia assumptam ad restituendum in Gallia divini cultus exercitium, Iosephum Spina archiepiscopum Corinthi cum Caselli, quondam generali Servitarum ministro, Parisios ablegavit. Qui cum mense octobri 1800 Parisios advenissent, cum gubernio de conditionibus pacisci coeperunt; sed irriti fuerunt eorum conatus, donec superveniens xii° calend. iulii 1801 cardinalis Consalvi, idibus eiusdem mensis conventionem seu Concordatum signavit conditionibus quidem durissimis, sed quae necessariae visae sunt ad redimendum tot inter commotiones liberum religionis catholicae exercitium.

Continebat Concordatum 17 articulos, quorum summa haec erat: Cultus religionis Catholico-apostolico-Romanae in Gallia erit liber et publicus, habita tamen ratione ordinationum, quas gubernium, quantum ad politiam pertinet, pro publica tranquillitate necessarias existimabit. Suppressis antiquis dioecesibus et parochiis, Pontifex novam dioeceseon, et episcopi parochiarum facient circumscriptionem, a gubernio approbandam. Primus consul ad novae circumscriptionis dioeceses et deinceps nominabit archiepiscopos et episcopos, quibus Pontifex institutionem canonicam conferet secundum formam, ante regiminis mutationem in Gallia receptam. Episcopi nominabunt parochos, sed gubernio acceptos. Episcopi coram primo consule et parochi coram delegatis gubernii praestabunt iuramentum, quod sequitur: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanae reipublicae constituto. Idem promitto, me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat; et si tam in dioecesi mea quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, gubernio manifestabo ». Episcopi in ecclesiis cathedralibus Capitulum et in dioecesibus suis Seminarium erigere poterunt, sine dotationis obligatione a parte gubernii. Omnia templa non alienata, divino cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur. Gubernium congruam sustentationem assignabit episcopis et parochis novae circumscriptionis, concedetque fidelibus pias in ecclesiarum favorem facere fundationes. Ii, qui bona ecclesiastica alienata acquisierunt, nullo modo a Pontifice eiusve successoribus inquietabuntur; atque adeo eorumdem bonorum proprietas, reditus et iura iis inhaerentia, apud illos atque ab iis causam habentes immutabilia erunt. Pontifex in primo consule reipublicae Gallicae recognoscet eadem iura et

praerogativas, quibus apud eum gaudebat antiquum gubernium. In omnibus ecclesiis post officium divinum dicetur haec precum formula: *Domine, salvam fac rempublicam*; *Domine, salvos fac consules.* Demum casu, quo aliquis e successoribus primi consulis religionem catholicam non profiteretur, de eius iuribus ac praerogativis et de nominatione episcoporum nova fiet conventio.

Pius VII hanc conventionem ratam habuit xviii° calendas septembris, quemadmodum significavit per bullam *Ecclesia Christi*, ea die datam. Eadem die ad omnes archiepiscopos et episcopos titulares territorii Gallici, sive in eo sive alibi agentes, encyclicam scripsit epistolam *Tam multa*, in qua eos docuit, quomodo, non obstantibus votis contrariis, urgente temporum necessitate, fuerit compulsus ad novam dioeceseon, suppressis antiquis, circumscriptionem; quapropter eosdem omnes hortatus est interpellavitque, ut ad bonum Religionis sedes suas abdicarent, sibique abdicationem hanc intra statos dies litteris significarent. Alia epistola *Post multos labores*, data ad ablegatum suum I. Spina archiepiscopum Corinthi, episcopos constitutionales excitavit, ut relictis sedibus, quas sine institutione canonica occuparant, ad Ecclesiae unitatem reverterentur seque S. Sedis sententiis de ecclesiasticis Galliae negotiis submitterent.

Ex 84 episcopis titularibus Galliae, qui adhuc erant in vivis, 3 nimirum Vivariensis, Aurelianensis et Augustodunensis, iam dudum sedibus suis renunciasse censebantur, duoque posteriores expresse renunciarunt; 45 secundum Pontificis vota sedes suas abdicarunt; reliqui 36 aut inducias aut nationales synodum ad deliberandum de tanto negotio postularunt. Ex 24 episcopis Belgis, Germanis et Italis, quorum dioeceses recenti rerum mutatione territorio reipublicae Gallicae fuerant adiunctae, 9 iam obierant, 1 ad aliam sedem fuerat translatus, 14 reliqui sedes suas dimiserunt. Etenim concordatum non ad antiquam Galliam restrictum, sed ad totam rempublicam Gallicam, Belgio, Sabaudia et electoratibus Moguntino, Trevirensi et Coloniensi inclusis, extensum fuit.

Pontifex graviter doluit, quod nonnulli ex antiquis episcopis aut nullas abdicationis litteras dedissent aut rationes eam differendi quaesivissent. Cardinalium autem consilio audito, iii° calend. decembr. bullam dedit *Qui Christi Domini*, in qua cuicumque titularium episcoporum et capitulorum existentium assensui expresse derogavit; iis quodcumque deinceps cuiusvis iurisdictionis exercitium perpetuo interdixit, nullius roboris declarans quidquid essent attentaturi; omnium ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium in universo reipublicae Gallicae territorio titulos et denominationes, una cum respectivis earum capitulis, iuribus, privilegiis et praerogativis cuiuscumque generis suppressit, annullavit et perpetuo exstinxit; deinde ad constituendam ecclesiastici regiminis rationem, creavit 60 novas sedes episcopales, divisas in decem metropoles, nimirum Parisiensem, Bituricensem, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, Burdigalensem, Tolosanam, Aquensem, Bisuntinam et Mechliniensem.

Concordatum nonis aprilis anni 1802 a concilio legislativo acceptatum et in codicem legum relatum, una cum Pontificis bullis mox publicatum fuit. At gubernium simul cum concordato promulgavit 77 articulos dictos *organicos*, quibus ecclesiastica libertas admodum limitabatur et regimini civili tota subiiciebatur. Interim cardinalis Caprara, quem Pius VII legatum a latere Parisios destinarat, qua talis v° idus aprilis a primo consule solemniter exceptus et agnitus est, et eadem die duas constitutiones edidit, quarum una promulgabat iubilaeum pro tota Republica, altera, praeter Dominicam, festa a populo celebranda reducebat ad Nativitatem et Ascensionem Domini, ad Assumptionem B. V. Mariae et festum Omnium Sanctorum. XIV° calendas maii quae erat festivitas Paschalis, Cardinalis Legatus in ecclesia metropolitana, assistentibus tribus consulibus aliisque magistratibus, missam pontificaliter celebravit, in gratiarum actionem pro restituto divini cultus exercitio hymnum *Te Deum* cantavit, et nominatis a primo consule archiepiscopis et episcopis auctoritate apostolica institutionem canonicam impertivit.

Porro ad novas sedes episcopales ex antiquis titularibus assumpti sunt 18; ex iis vero qui schismati constitutionalium adhaeserant, 12. Posterioribus Pontifex legem praescripserat, ut exhibita praevia satisfactione et obedientia Sedi Apostolicae, eius auctoritate absolutionem acciperent a schismatis reatibus. Hanc legem ab assumptis e constitutionalibus adimpletam fuisse, testatus est Bernier, episcopus Aurelianensis, cui legatus id negotium commiserat; sed deceptor ipse vel deceptus fuit, cum

postea Le Coz, Lacombe et Reymond, qui erant ex illorum numero, iactanter asserebat, se nunquam sententias suas mutasse.

Pius VII in consistorio secreto, IX° calend. iunii habito, restitutum divinum cultum in Gallia cum cardinalibus communicavit; sed simul iis significavit magnum suum dolorem, conceptum ex articulis dictis organicis, a gubernio una cum articulis concordati publicatis, declaravitque, se istos articulos non novisse, et non posse non expetere, ut iidem in pluribus corrigerentur et mutarentur. Contra eosdem articulos organicos Cardinalis legatus Caprara XV° calend. septembr. 1803 reclamationem seu expostulationem dedit ad de-Talleyrand, rerum externarum administrum [1]. At non nisi sero et in aliquot solum articulis Sedis Apostolicae reclamationibus factum est satis [2].

15. *Anti-concordatistae* — Multigena quidem bona e concordato, Pontificem inter et primum Consulem inito, secuta sunt; publicum divini cultus exercitium, antea proscriptum, restitutum; cruentae persecutioni finis constitutus; viri ecclesiastici libertati redditi; multi e clericorum et laicorum ordine, subversionis et terroris tempore lapsi, ad veram semitam reducti, aliique effectus salutares obtenti fuerunt. Verumtamen eidem concordato non pauci adversati sunt. Contendebant isti, Pium VII in eo, praesertim quod ad generalem sedium episcopalium in Gallia exstinctionem spectabat, potestatis suae limites excessisse. Eorum contentiones hoc ipso tempore Augustinus Barruel [3], et deinde Alphonsus Muzzarelli [4] confutarunt.

Postridie nonas aprilis 1803 libellus, a 36 antiquis episcopis titularibus Galliae subscriptus, in lucem prodiit, cui titulus « Canonicae et reverentissimae expostulationes apud SS. DD. NN. Pium divina Providentia Pp. VII ». Expostulabant illi de violenta titulorum suorum seu sedium exstinctione, de interdicta sibi ecclesiastica iurisdictione, de servitute ecclesiis Galliae imposita, de Concordato et adiectis articulis organicis, de favore episcopis constitutionalibus concesso. Deinde speciatim protestabantur contra Concordatum, contra bullas et litteras in forma Brevis, *Ecclesia Christi, Tam multa, Qui Christi Domini*. Alii expostulationem libelli prodierunt mense aprili anni sequentis, quibus subscripserunt 13 antiqui titulares episcopi, tunc in Anglia agentes. Hi speciatim expostulabant de articulis organicis, de ipsius concordati articulis, quantum spectabat ad bona ecclesiastica, ad iuramentum novo gubernio praestandum, ad preces pro eo praescriptas, ad iura et privilegia in eodem agnita, et Ludovici XVIII regiaeque familiae iuribus opposita.

Porro tum in his tum in superioribus expostulationibus reclamantes intra moderationis limites haeserunt, suumque obsequium erga Romanum Pontificem, ut supremum Ecclesiae caput, in iisdem contestabantur. Insuper ii, qui, restituta postea in Galliis antiqua dynastia, adhuc vivebant, datis VI° idus novembris 1816 ad Pium VII litteris declararunt, mentem suam semper ab omni a S. Sede schismate fuisse alienam. Eorum tamen agendi ratio causam dedit novae divisioni in clero et populo, unde ortum est schisma sic dictae: *Parvae ecclesiae* seu *Anti-concordatistarum*, qui ipsius Pii Pp. VII communionem deseruerunt. Huic schismati, cuius caput fuit Andreas Franciscus de Themines, olim episcopus Blesensis, adhaeserunt plures sacerdotes et laici, non tantum in Gallia, sed etiam in Anglia, ubi illud propagare conati sunt duo presbyteri Galli, Blanchard et Gaschet, ideo a vicariis apostolicis Angliae ecclesiasticis censuris perculsi. Praefatus de Themines obiit Bruxellis anno 1829, sed priusquam moreretur, se cum Ecclesia reconciliavit [1].

16. *Stevenistae* — In Belgio etiam plures reperti sunt, Concordato seu potius articulis dictis *organicis* repugnantes. Crevit eorum numerus occasione novi catechismi,

---

[1] Haec reclamatio integra refertur ab Artaud, *Histoire du Pape Léon XII*, t. II, p. 124, et Kersten, *Journ. hist. et littér.* t. VII, p. 217; est ea peremptorium responsum ad eos, qui dicunt, S. Sedem nunquam reclamasse contra articulos organicos.

[2] J. Jauffret, *Mémoires hist. sur les affaires eccl. de France pendant les prèmieres années du XIX° siècle*; Cohen, *Précis historique sur la vie de Pie VII*; Artaud, *Histoire du pape Pie VII*; De Smet, *Coup d' oeil sur l' histoire eccl. du XIX° siècle*; Card. Pacca, *Memorie storiche intorno al Pontificato di Pio VII*, Napoli 1850.

[3] *Du Pape et de ses droits religieux à l'occasion du Concordat*, Paris 1803, 2 voll. in-8°.

[4] *Dissertation sur cette question: Le Souverain Pontife a-t-il le droit de priver un évêque de son siége dans un cas de nécessité pour l'Eglise ou de grande utilité?* Paris 1809, in-8°.

[1] Artaud et De Smet, loc. cit.

a gubernio praescripti, atque precum pro Napoleone imperatore dicendarum, post latam excommunicationem in usurpatores ditionis pontificiae. Hi vocati sunt Stevenistae, quod se Cornelium Stevens veluti ducem sectari profitebantur.

Cornelius Stevens natus Wavriae an. 1747, in Universitate Lovaniensi S. Theologiae licentiatus renunciatus anno 1774, deinde ecclesiae cathedralis Namurcensis canonicus, cardinali de Frankenberg in negotiis, ad seminarium generale spectantibus, a consilio, ab anno 1799 usque ad 1802 dioecesis Namurcensis, sede vacante, vicarius generalis officio functus est; demum in loco natali obiit anno 1828. Vir religioni addictissimus, contra Constitutionem civilem cleri, contra iuramentum odii, et contra articulos organicos, catechismum imperii aliasque noxiás innovationes Napoleonis imperatoris constanter certavit, plurimaque scripta vulgavit. Ipsum tamen concordatum, a Pontifice confirmatum, aut legitimam missionem episcoporum, qui post concordatum canonice instituti fuerant, nunquam impugnavit; contra reprobavit semper schismaticam anti-concordatistarum agendi rationem. Quum autem scripta eius et sententiae non aeque ab omnibus probarentur, magna inde in clero, in populo etiam, et aliquibus monialium congregationibus divisio nata est. Pio Pp. VII post deiectum Napoleonem in solium restituto, Stevens omnia sua scripta Romam misit et Apostolicae Sedis iudicio subiecit. Eamdem erga Apostolicae Sedis iudicium submissionem, una cum catholicae fidei professione, renovavit, priusquam moreretur [1].

Verum, ut in similibus fieri solet, nonnulli ecclesiastici viri, plus iusto sibi fidentes, vel plus quam oportet, sapere volentes, longius progressi sunt, quam Stevens intendebat. Illi Concordato et episcopis, vi illius institutis, refragati sunt; cum his eorumque successoribus, et cum omnibus, clericis et fidelibus, qui cum illis communicarent, communicare recusarunt, atque in apertum schisma abierunt; in quod proh dolor! plures simplices piosque fideles speciosis et captiosis rationibus pertraxerunt, ad hoc saepius auctoritate Cornelii Stevens, sub cuius nomine libellos varios vulgarunt, abusi. Eorum tamen numerus continuo decrevit, et hodie ad paucissimas familias restrictus est [1].

17. *Ecclesiae status in Italia* — Profecto e generali rerum conflagratione, qua inde a postremis saeculi praecedentis annis Europa agitata fuit, bellisque ex ea secutis res ecclesiasticae non in Gallia tantum, sed in aliis etiam regionibus graviter perturbatae fuerunt. In Pedemontio, quod regi Sardiniae ademptum, cum republica Gallica fuerat unitum, primus Gallorum consul ecclesiarum statum, sicut in reliqua republica, formatum concupivit. Cardinalis Caprara potestate apostolica, sibi per bullam calend. iunii 1803 concessa, 17 episcopatus, qui in Pedemontio existebant, ad 8 reduxit, quorum metropolis esset Taurinensis. Novam pariter ecclesiastici regiminis formam primus consul petiit pro republica Italica, cuius se praesidem constituerat. In hunc finem xvi° calendas octobris 1803 Parisiis concordatum signatum est inter cardinalem legatum Caprara, pro parte Pontificis, et Ferdinandum Marescalchi, reipublicae Italicae delegatum. Complectebatur haec conventio 22 articulos, simillimos articulis concordati Gallicani; episcopis tamen maior libertas in regendis suis ecclesiis et in suis cum Apostolica Sede relationibus asserebatur. Verum quemadmodum gubernium Gallicanum prius concordatum articulis organicis, ita posterius arbitrariis interpretationibus violavit [2]. In reliqua Italia, quam Napoleon, imperator Gallorum, inde ab anno 1805 successive occupavit, res ecclesiastica violento eius arbitrio diversimode turbata, mutata et imminuta fuit, ut infra videbimus.

18. *Ecclesiae status in Germania* — E generali rerum conflagratione in Europa subsequuta, de qua supra locuti sumus, additisque bellis deinde a Gallis ubique excitatis, Ecclesia in Germania, si provinciarum austriacarum aliquantum excipias, iuribus suis bonisque spoliata et tristem in statum coniecta est atque vexata. Quum per pacem Lunaevillae anno 1801 signatam, principatus ecclesiastici fuissent aboliti, et pars Germaniae ad Rheni laevam sita Gallis concessa, mox consulari decreto omnes fundationes ecclesiasticae ibidem sunt abolitae, bona Ecclesiarum et corporum ecclesiasticorum a regimine civili occupata, capitula

---

1 Cf Kersten, *Journal hist. et litt.* t. IV, p. 269 et 321; Lamy, *Notice sur la vie et les écrits de l' abbé Corneille Stevens*, ap. *Revue catholique*, Lovan. a. 1857, p. 267, 345, 391, 459.

1 De Smet et Lamy cit., p. 339 et 341.

2 Picot, *Mémoires pour servir à l' histoire eccl.* ad ann. 1803.

et monasteria dissoluta, electoratus Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis extincti, ex episcopatibus per Concordatum solum conservati Moguntinus, Trevirensis, et Coloniensis translatus Aquisgranam, qui una cum Leodiensi, Namurcensi, Tornacensi et Gandavensi sub archiepiscopatu Mechliniensi constituti sunt. In eadem pace statutum fuerat, ut principes Germanici saeculares pro amissis ad Rheni laevam dominiis ex altera Rheni ripa ab imperio possessiones acciperent. Hoc negotium an. 1803 in conventu Ratisbonensi, in quo Galli maximam, imperator Austriacus minimam potestatem exercuit, perfectum est per decretum, quod *Recessus* dicitur. Per illud omnia bona ecclesiastica tam protestanticis, quam catholicis principibus ad compensationem adiudicata fuerunt, tum ad eorum reditus augendos, tum ad utilitatem publicam promovendam, ad sumptus divini cultus et institutionis literariae sustinendos, ad ecclesias cathedrales, quae conservandae essent, dotandas et ad clericis monachisque annuas pensiones assignandas. Ita ad extremum modum Ecclesia in regionibus Germaniae perducta est!

Interea principes, indemnes facti, et bona ecclesiastica occuparunt, et ipsa corpora, a quibus hactenus fuerunt possessa, capitula, collegia, monasteria sustulerunt. Clericis, attamen, monachisque pensiones sat tenues assignatae sunt; episcopis pristinae dioeceses aut residuae earum partes regendae commissae, sed decreta cathedralium ecclesiarum dotatio nullibi effectui data est. Sola ecclesia Ratisbonensis intacta conservata, imo novis praerogativis et possessionibus aucta fuit, nimirum dignitate electoratus et archicancellariatus Imperii, primatus et metropolis pro tota Germania extra provincias Austriacas et Borussicas, atque territoriis, quae ecclesia Moguntina ad dexteram Rheni possederat. Verum et haec ecclesia cui Pius Pp. VII in consistorio, calendis februarii 1805 Parisiis habito, praefecerat Carolum Theodorum de Dalberg, post aliquot annos spoliata est. Napoleon enim eius territorium intra Bavariae limites situm regi Bavariae subiecit, et caeteras possessiones, novis aliquot auctas an. 1810 in magnum ducatum saecularem Francofordiensem mutavit.

Eiusmodi rerum status Religioni catholicae in Germania nimis obfuit. In plerisque dioecesibus sedes episcopales brevi tempore vacarunt, et necesse fuit ut ecclesiae per vicarios generales regerentur, qui in necessaria cum Ecclesiae capite communicatione, in exercenda sua iurisdictione, in disponendis rebus ad Fidem bonosque mores conservandos necessariis, multipliciter impediebantur; ministri sacri diversimode vexabantur, et seminariis non restitutis, in scholis superioribus et inferioribus doctrinae religioni catholicae contrariae libere tradebantur. Quibus omnibus disciplina enervata institutio in Religione et pietate impedita, impietas et licentia propagata sunt [1].

19. *Napoleon imperator* (*an.* 1804)—Napoleon xv° calend. iunias 1804 senatus consulto imperator Francorum proclamatus, novis petitionibus Pium VII lacessivit. Quo enim maiorem assumptae dignitati firmitatem conciliaret, unctionem sacram ipsius Pontificis manu recipere affectavit. Ut votis suis satisfieret, per legatum Caprara et per cardinalem Fesch, suum apud S. Sedem oratorem, magnificis verbis significavit quanta bona pro Ecclesia sperare liceret a principe beneficii memore. Pius VII, quamvis sciret, id aliis principibus minime gratum futurum, perpendens tamen, a potente principe, non leve bonum, aeque ac indicibile malum expectandum, postulationi eius satisfecit. Postquam igitur vi° calend. novembris cardinalibus in consistorio iter suum in Gallias eiusque rationes significasset, postridie calend. novembris Roma profectus est. Ubique summis venerationis testimoniis honoratus, iv° calend. decembr. Parisios advenit.

Pius VII assensui suo de sacrando imperatore duas conditiones adiecerat, primo ut episcopi, e constitutionalibus assumpti, qui subdola obedientiae declaratione institutionem canonicam a legato acceperant, se decretis Sedis Apostolicae sincere subiicerent, secundo ut imperator qui civiles tantum nuptias, ecclesiastico spreto ritu, cum Iosephina vidua Alexandri vicecomitis de Beauharnais inierat, coram Ecclesia matrimonium contraheret. Episcopi praedicti se submiserunt; imperator hora undecima vespertina coram avunculo cardinali Fesch, adstantibus Portalis ministro cultuum et Duroc magno praefecto palatii, matrimonium cum Iosephina contraxit; et 2 decembris Pontifex, cum cardinalis Fesch ei responderat, imperatorem matrimonium cum Iosephina contraxisse, in ecclesia me-

[1] Hof, *Das Deutsche reich von Französichen revolution und nach den frieden von Lüneville*; Gaspari, *Der deputations recesse.*

tropolitana Parisiensi consecrationis caeremoniam magna cum pompa peregit. Die 28 eiusdem mensis Pius VII vocatis ad se praefatis episcopis, novam submissionis formulam proposuit, cui subscripserunt. Imperatori vero obtulit commentarium de negotiis ecclesiasticis, in quo rursus de variis articulis organicis aliisque nonnullis expostulavit, et alia quaedam ad Religionis bonum a gubernio constituenda petiit. Verum Pontifex suae erga imperatorem observantiae alium fructum non retulit, quam instaurationem Congregationum missionum exterarum et puellarum charitatis pauperibus et infirmis servientium, atque leve subsidii temporalis augmentum pro clero Gallicano.

Ex hoc tempore Pius VII melius cognovit quod serius expresse declaravit, rem sibi esse cum homine, qui amicitiam cum Ecclesia affectaverat, ut eam facilius proderet, eiusque patrocinium simulaverat, ut securius opprimeret. Quare relictis Parisiis pridie nonas aprilis 1805 Romam rediit. Maximis rursus in itinere venerationis signis honoratus, prostridie idus maii magna cum exultatione in Urbem receptus est [1].

Tanta erat Napoleonis ambitio, ut Francorum imperio non contentus, universam Europam sceptro suo submittere sibi proposuerit. Italica republica in regnum conversa, se vii° calend. iunii 1805 Mediolani regem Italiae coronari et sacrari fecit a cardinali Caprara, huius civitatis archiepiscopo. Eodem anno bellum resumpsit contra foederatos Austriacos et Russos. Austriacis superatis sub Ulmae muris, capta Vienna, victis iterum Austriacis ac Russis in celebri praelio apud Austerlitz commisso, Franciscum, imperatorem Austriae, ad postulandam pacem coegit. Hac pace, quae vii° calend. ianuarii 1806 Posonii in Hungaria signata fuit, imperator Austriacus cessit Venetias, Istriam, Dalmatiam aliasque suas possessiones Italicas, quae a Napoleone cum regno Italico unitae sunt. Ad destructionem vero imperii Germanici, pluribus eius statibus et principibus plena regendi potestas concessa fuit, et cuique ius maiestatis atque nomen regium tributum. Sic Maximilianus Iosephus e duce creatus est rex Bavariae, Fridericus Augustus rex Saxoniae, Guilielmus rex Wurtembergensis. Anno 1806 Napoleon in locum veteris corporis, ut vocabatur, Germanici, foedus dictum Rhenanum instituit, ad quod plerique Status et principes Germanici accesserunt et cui ipse protectoris vocabulo legem dictabat. Eodem anno mutata regiminis forma in Hollandia, fratrem suum Ludovicum ibidem regem instituit. Anno sequente in favorem fratris sui Hieronymi erexit regnum Westphaliae. Regem Borussiae atque imperatorem Russiae pluribus praeliis victos, ad ineundam pacem compulit. Anno 1806 Ferdinando rege Neapolis, in Siciliam armis Gallorum eiecto, Napoleon fratrem suum Iosephum regem Neapolis declaravit. Eodem tempore exercitus Francorum occupavit Lusitaniam. Anno 1808 Napoleon Carolum IV regem Hispaniae, secum foedere iunctum, eiusque filium Ferdinandum dolose in Galliam pertractos, ad renunciandum solio Hispanico coegit, ad quod transtulit fratrem suum Iosephum, constituto pro eo rege Neapolis Ioachimo Murat. Verum Hispani pro regis et patriae suae defensione acerrime et constantissime dimicarunt, et in praelio succumbere quam Gallorum iugo colla submittere maluerunt. Plurimi armis et furore militum Gallorum perierunt; multi in Gallias deportati, ad extremam indigentiam redacti fuerunt; Gallorum vero plus quam 300 millia in bello Hispanico perierunt. Anno 1809 bellum Gallos inter et Austriacos resumptum fuit; post varia praelia Galli rursus occuparunt Viennam; et Austriacis de novo superatis in campis de Wagram, pridie idus octobris pax redintegrata est cuius praecipuus articulus fuit desponsatio filiae imperialis Austriae Gallorum imperatori.

Napoleon, ut vidimus, mandante Pio VII, priusquam coronaretur, secundum Ecclesiae leges matrimonium cum Iosephina contraxerat [1]; sed prole haerede ex ea carens, coniugium istud per officiales Parisienses, ad hoc constitutos, invalidum declarari fecit, quod contra praescriptum concilii Tridentini sine proprii parochi et testium praesentia fuisset contractum. Quo facto, postridie calend. aprilis 1810 Mariam Ludovicam, Francisci imperatoris Austriae filiam, uxorem duxit.

Quamvis dominator Gallorum his nuptiis et secuta inde prole haereditaria ad apicem felicitatis pertigisse videretur, ambitiones tamen impotens, iunctis sibi Austriacis, Borussis, Bavaris, Italis et Hispanis, anno 1812 movit in Russiam. Post aliquot

---

[1] Jauffret, *Mémoires*, t. I, p. 414-26; De Smet, *Coup d'oeil*, p. 53-66.

[1] Cf p. 326.

praelia Moscoviam usque penetravit eamque postridie idus septembris occupavit. Verum urbe hac, incolis egressis, a Russis igne succensa, et autumno iam progrediente, Gallorum exercitus recedere coactus est. Russi Gallos, frigore et fame pereuntes, a tergo ac latere aggressi sunt tantaque clade in fugam egerunt, ut florentissimus 500,000 hominum exercitus cum immenso belli apparatu fere totus perierit.

Tunc qui se foedere Gallis iunxerant, metu soluto, se cum Russis contra illos sociarunt. Anno sequente Napoleon collecto novo 350 millium exercitu, bellum in Germania instauravit; aliquandiu vario marte pugnavit; sed xv° calendas novembris insignem cladem passus in praelio Lipsiensi, Germaniam deseruit. Galliae territorium contra foederatos, illud omni ex parte invadentes, pedetentim defendit usque ad III idus aprilis 1814, qua die abdicatione sua signata, se recipere coactus fuit in insulam Ilvam, cuius principatum a foederatis accepit. Anno sequente multorum proditione ex insula sua elapsus, belliduces Gallos in partes suas pertraxit, et fugato Ludovico XVIII, XIII° calendas aprilis de novo solium Galliae conscendit. Verum XIV° calendas iulii prope pagum de Waterloo in Belgio, ubi cum potenti exercitu contra foederatos principes acerrime dimicavit, prostratus, Parisios celeriter confugit; cumque hostium manus evadere nesciret, se dedit Anglis, a quibus translatus est in insulam S. Helenae, in extremis Oceani plagis sitam; ubi, terribili sane divinae iustitiae exemplo, idem ille homo, cui paulo ante totus orbis vix sufficere videbatur, in exiguo rupis angulo tristes vitae reliquias traxit usque ad annum 1821, quo occubuit.

20. *Ecclesiae persecutio sub Napoleone* — Napoleon tempestates graves Ecclesiae eiusque Pontifici Pio VII suscitavit. Pius VII iterum atque iterum questus fuerat de decretis Mediolani promulgatis, quae concordato, anno 1803 inter Apostolicam Sedem et rempublicam, nunc regnum Italiae inito, erant opposita. Imperator postulationibus Pontificis non solum non fecit satis, sed etiam mense octobri 1805 portum arcemque Anconitanam intercepit. Reclamavit Pontifex; imperator vero petulantes ac minatorias litteras ad eum reddidit. Deinde ab anno 1806 Galli regnum Neapolitanum invasuri, territorium pontificium, per quod exercitum ducebant, non secus ac terram hostilem tractarunt. Praeterea Napoleon novis in dies immodicis captiosisque petitionibus Pontificem vexare non destitit; quibus cum Pius, quamvis ad conciliandam pacem promptissimus, pro muneris sui officio assentiri non posset, domitor primo Beneventum et Pontem Curvum, deinde alias ditionis pontificiae civitates demum, postridie calend. februarii 1808, ipsam Romam militari manu occupari iussit. Pius VII datis ad Miollis exercitus Gallicani ducem, ad oratores principum et ad ipsum imperatorem litteris, suo et suorum successorum nomine contra has aliasque deinde secutas territorii pontificii occupationes continuo reclamavit et protestatus est ut tribulationum, quas patiebatur, caussae innotescerent et iura Sedis Apostolicae sarta tectaque manerent.

21. *Pontifex territorio privatur* (*an.* 1808-9) — Quum primum copiae Gallorum Romam invaserunt, arx s. Angeli capta est, disposita per vias et plateas praesidia, aedes Quirinales, quas Pontifex incolebat, magna peditum et equitum manu bellicisque tormentis obsessae, Pontifex in palatio suo tanquam in custodia detentus novisque per dies singulos iniuriis et molestiis saturatus, militia pontificia copiis Gallicis admixta, custodes Pontificis lectissimi nobilesque viri in arcem Romanam detrusi, deinde dispersi et dissoluti, militia sic dicta civica e faece populi constituta, quae quaevis flagitia libere patrabat, maxima pars Cardinalium militari vi a Pontificis latere avulsa et alio deportata, administri eius et officiales complures, tum urbani tum provinciales, vexati, in carcerem coniecti, procul amandati, alia plura, ipsi gentium iuri contraria, attentata sunt.

Eodem tempore in provinciis Urbini, Marchiae et Camerini, quas Gallorum imperator decreto postridie calend. aprilis 1808 Apostolicae Sedi ademptas, regno Italico adiunxit, quaeque facinora nefaria atque sacrilega contra libertatem, immunitatem et doctrinam Ecclesiae patrata sunt: sacrae virgines expulsae e claustris, profanata templa, frena licentiae soluta, contempta disciplina ecclesiastica, sacri canones conculcati, promulgatus codex aliaeque leges, non modo sacris canonibus, sed etiam evangelicis praeceptis ac divino iuri adversantes, depressi et vexati cleri, episcoporum potestas laicali subiecta, vis eorum conscientiae multimodis illata, episcopi e suis cathedris exturbati.

Demum impietatis domitoris, qui se Caroli M. successorem iactitabat, eo usque devenit, ut, abrogata propter abusum praesumpta laudati imperatoris donatione, decreto, Viennae in Austria XVI° calend. iunias 1809 dato, totum B. Petri patrimonium seu Romanae ecclesiae status imperio Gallico adiecerit. Quod decretum cum IV° idus iunii Romae fuisset publicatum, Pius VII, exhaustis frustra omnibus moderationis et mansuetudinis rationibus, nocte sequente bullam excommunicationis, *Quum memoranda*, contra usurpatorem omnesque eius cooperatores in locis consuetis affigi iussit [1].

22. *Pius VII Savonam abducitur* — Napoleon Vaticano fulmine ictus, iniquitatem consummavit rapiendo ex urbe sancta Pontificem. Etenim pridie nonas iulii ante auroram palatium Quirinale armata manu a copiarum duce Radet cinctum fuit, fores effractae, custodes armis exuti, et Pius VII una cum cardinali Pacca, eius administro a secretis Status, interceptus, violenter Gratianopolim, dein Savonam abductus est. Priusquam Pontifex ibi pervenisset, cardinalis Pacca, ab eo avulsus, in arcem de Fenestrelle relegatus fuit. Pius VII toto triennio Savonae sollicite custoditus, ab omnibus consiliariis suis separatus, duram suam sortem non minori animi fortitudine quam patientia sustinuit. Omni via a Napoleone tentatus, ut ditionibus suis renunciaret, variisque pactionibus, quibus potestas spiritualis temporali subiiceretur, subscriberet, firmus stetit.

Rapto ex urbe Pontifice, cardinales Itali, paucis provectae nimis aetatis vel infirmitatis causa exceptis, persecutoris iussu adducti fuerunt Parisios, ubi multiplices iniurias experti sunt. Quum eorum tredecim anno 1810 a nuptiis Napoleonis cum Maria Ludovica abfuissent, dignitatis suae habitum deponere et in diversas Campaniae Gallicae et Burgundiae urbes abire coacti sunt.

Eo ipso tempore, quo haec omnia facta sunt, Napoleonis potentia tanta erat, et tam firma videbatur, ut temporalem Pontificis potestatem eiusque in regenda Ecclesia libertatem, cum ea arctissime connexam, in perpetuum intercidisse, ipsiusque Ecclesiae excidium secuturum, hostes huius laetabundi vaticinarentur. Summum utique erat Ecclesiae discrimen, Capite eius sub arcta custodia posito, cardinalibus dispersis, cunctis ecclesiasticorum negotiorum Congregationibus in urbe Roma dissolutis; sed exstabat divini Ecclesiae auctoris promissio: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]. Ad hanc promissionem respiciebant quicumque boni catholici, donec illius veritatem ac divinitatem denuo comprobaret eventus.

Maximum autem persecutori negotium facessebat fortitudo Pii VII, qui episcopis a Napoleone ad sedes vacantes denominatis canonicas institutiones denegabat, donec pristino statui foret restitutus. Napoleon constantiam Pontificis flectere non valens, XVI° calend. decembris 1809 cardinales Fesch et Maruy, archiepiscopum Turonensem, episcopos Nannetensem, Trevirensem, Ebroicensem et Vercellensem, Emery domus S. Sulpicii superiorem, et Fontana generalem Barnabitarum praepositum, Parisiis congregavit, ut de componendo ecclesiarum statu deliberarent. Multae iis propositae sunt quaestiones, quarum aliae ad generale Ecclesiae regimen, aliae ad administrationem ecclesiarum in territorio Gallicano, in Germania et Tuscia, aliae ad bullam excommunicationis et simultates Pontificem inter et imperatorem spectabant. Fontana primis tantum congregationibus interfuit; Emery causam Ecclesiae magna cum eruditione defendit; sed caeteri, eius sententias non probantes, III° idus ianuarii 1810 responsa ad imperatorem dederunt, in quibus post multa persecutoris encomia, quem etiam laudabant in iis, in quibus erat reprehendendus, inter alia ad providendum ecclesiis viduatis convocationem concilii nationalis ei suaserunt. Reliqua responsa praetermittimus, id solum observantes, praesules istos in omnibus abiectam animi anxietatem, et obsequium ultra limites, non in Pontificem sed in imperatorem prodidisse; hinc nullo modo illis subscribere renuit pius aeque ac doctus Emery. Praeterea VIII° calend. aprilis 19 episcopi Galli litteras ad Pium Pp. dederunt, quibus facultates extraordinarias pro dispensationibus matrimonialibus postulantes, verbis sat minatoriis Pontificem supplicabant, ut viduatis ecclesiis prospiceret. Pontifex eis facultates petitas concessit, sed quod ad bullas institutionis pro episcopis nominatis spectabat, in sua sententia perstitit.

---

[1] Card. Pacca, *Memorie storiche intorno al Pontificato di Pio VII*, part. I, c. 5; Artaud, *Histoire du Pape Pie VII*; Jauffret, *Mémoires*, t. II; De Smet, *Coup d'oeil*.

[1] Matth. XVI, 18.

Tunc Napoleon capitula sedium vacantium compulit ad conferenda episcopis nominatis iura vicariorum generalium, ut hac ratione isti, non obstante institutionum canonicarum defectu, ecclesias, ad quas erant designati, administrarent. Erat id Ecclesiae disciplinae et conciliorum sanctionibus oppositum. Nihilominus illud praeter alios attentavit cardinalis Maury, qui olim in conventu nationali Religionis causam mira constantia defenderat, ideoque a Pio Pp. VI primo archiepiscopus Nicaeae *in partibus*, deinde anno 1794 cardinalis episcopus Montis Flasconensis creatus fuerat; pridie idus octobris 1810 a Napoleone ad archiepiscopatum Parisiensem translatus, huius administrationem suscepit. Pius VII, datis nonis novembris ad eum litteris in forma Brevis, illum graviter reprehendit, quod spretis iuramentis, quae tanquam cardinalis et episcopus praestiterat, ecclesiam suam deseruisset et alienae administrationem contra sacros canones usurpasset; eum obtestatus est, ut usurpatam administrationem confestim dimitteret, ne ad agendum contra eum secundum canonum rigorem cogeretur. Brevi post Pontifex alias litteras in forma Brevis dedit ad E. Corboli archidiaconum ecclesiae Florentinae, et ad P. d' Astros vicarium capitularem ecclesiae Parisiensis, in quibus nullam atque invalidam esse declaravit delegationem, quam capitula episcopis, a principe laico nominatis, ante confirmationem pontificiam conferrent.

Hae Pontificis litterae optimum habuerunt effectum, quatenus sic omnibus de illegitima istorum novorum vicariorum capitularium administratione constabat, et capitula, non obstantibus gubernii iussis, episcopis nominatis administrationem conferre recusabant. Napoleon vero ira percitus, Pontificem arctiori custodiae tradidit, cardinales, episcopos aliosque de notitia aut propagatione praefatarum litterarum suspectos, item eos, qui nominatis episcopis ecclesiarum administrationem denegabant, carcere aut exilio multavit. Eamden sortem experti sunt parochi aliique ecclesiastici viri, qui vel post latam contra persecutorem excommunicationem preces pro eo canere, vel aliis eius iniquis decretis conscientias suas subiicere recusabant. Unde magna rerum ecclesiasticarum perturbatio in multis locis orta est. Quod deplorandum erat, inter ipsos episcopos erant non pauci, qui ad principis magis quam ad Iesu Christi aulam pertinentes, abiectissima sua agendi ratione persecutoris audaciam, Pontificis vero dolorem augebant[1].

23. *Pseud.-synod. Parisiens.* (*an.* 1811) — Sub initia anni 1811 Napoleon rursus Parisiis congregavit cardinales Fesch et Maury, et archiepiscopum Turonensem aliosque, quos anno 1809 convocaverat, eisque adiunxit cardinalem Caselli episcopum Parmensem, et de Pradt ab episcopatu Pictaviensi ad archiepiscopatum Mechliniensem a Napoleone translatum. Ab iis postulatum fuit, a quibus, impedito commercio cum Pontifice, petendae essent dispensationes, Apostolicae Sedi reservatae, et quae esset legitima ratio instituendi episcopos, ab imperatore ad sedes vacantes nominatos, si Pontifex bullas institutionis negare pergeret. Illi post menses prope duos responsa, a maiori Congregationis parte probata, ad imperatorem detulerunt. Post immodicas imperatoris laudes, ad priorem quaestionem dixerunt, reservationes, quibus gaudent Romani Pontifices, non esse iuris divini, proinde, recursu ad hos impedito, illas devolvi ad episcopos, quantum ad quotidianas fidelium indigentias spectat, non vero quantum ad generalem Ecclesiae administrationem et disciplinam internam pertinet; ad alteram quaestionem responderunt, optimum malo remedium fore, ut Concordato adderetur clausula, qua Papa teneretur dare institutionis Bullam intra statum tempus, secus ius institutionis devolveretur ad synodum provincialem; ad id efficiendum, prius Papam per deputatos de praesenti rerum statu esse instruendum, deinde cogendum episcoporum concilium.

Grata utique erant huiusmodi responsa Gallorum Imperatori; quapropter VII° calendas maias 1811 litteris encyclicis archiepiscopos et episcopos imperii Parisios convocavit ad concilium, V° idus iunii in ecclesia metropolitana inchoandum. Eodem tempore Savonam ad Pontificem destinavit de Barral archiepiscopum Turonensem, Duvoisin episcopum Nannetensem, et Mannay Trevirensem, qui secundum conditiones, ab imperatore praescriptas, cum Pontifice concordiam tractarent. Illi VII° idus maii Sa-

---

[1] Cf Scriptores citati p. 329. Legere quoque iuvat *Lettre sur la nullité ou invalidité des délegations Capitulaires en faveur des nommés aux siéges vacans*, Liége 1814 in-8°; item *Mémoire sur l'administration capitulaire des évêques nommés, en réponse au Mémoire du cardinal Maury*, Paris 1814, in-8°.

vonam advenerunt, variisque artibus usi sunt, ut Pontificem ad annuendum imperatoris mandatis flecterent; ei tristem tot ecclesiarum in Gallia, Germania et Italia vacantium statum et imminens schisma depinxerunt; nimis extulerunt bona, quae e concessionibus sperare liceret, et grandia mala, quae resistendo forent secutura. Respondit constanter Pius VII, se in carcere positum et Cardinalium consilio privatum, tantum negotium tractare non posse ea diligentia et maturitate, qua oportebat. Illi vero novis artibus, promissis minisque usi sunt, quibus tandem venerabilis senex lacessitus, XIV° calendas iunii declaravit, secundum quod illi retulerunt, se perpensis ecclesiarum Galliae et Italiae indigentiis, canonicam institutionem concessurum episcopis, ab imperatore secundum formas conventionum nominatis; se consentire, ut conventionibus adderetur clausula, qua intra sex menses bullam institutionis concederet, nisi obstaret personae nominatae indignitas, secus eius nomine metropolita aut episcopus senior nominatum institueret; se ad has concessiones fuisse adductum spe, ex deputatorum promissis concepta, fore ut Ecclesiae et S. Sedi pax, libertas, independentia, et dignitas restituerentur. Diximus, ita declarasse Pontificem secundum quod illi retulerunt; quia quam deputati praesules gubernio exhibuerunt Pontificis declarationem, ab eo signata non erat, unde etiam ab ipso nationali conciliabulo ut legitima habita non fuit [1].

Post haec conciliabulum Parisiense inchoatum est. Convenerunt e Gallia, Germania et Italia 95 praesules, nimirum 6 cardinales, 9 archiepiscopi, 80 episcopi, praeterea 9 presbyteri ad sedes episcopales nominati. Post aliquot colloquia de iure praesidendi et modo vivendi in concilio, XV° calendas iulias 1ª sessio post missarum sollemnia habita est, in qua cum postularetur, num placeret concilium celebrari, laudandus archiepiscopus Burdigalensis, d'Aviau du Bois de Sanzay, respondit: *salva obedientia Pontifici debita*; deinde omnes praelectae Fidei professioni, a Pio IV editae, adhaesionem, et R. Pontifici obedientiam pro more iurarunt. Quae agendi ratio iam dominatori displicere coepit. Posthaec habitae sunt variae congregationes, in quibus minister cultuum, ut dicitur, post magnas imperatoris laudes multasque de Pontifice querelas, significavit, concilium esse convocatum, ut Papa Concordati conditiones obstinate infringente, alia ratione vacantibus sedibus provideretur. Episcopus Camberiacensis impavida voce dixit, ante omnia ab imperatore postulandam esse Pontificis libertatem, et cum eo consenserunt archiepiscopi Burdigalensis et Taurinensis, episcopi Gandavensis, Namurcensis, Ierichuntinus coadiutor Monasteriensis, et aliquot alii; caeteri id facere metuerunt. Imperator morae impatiens, voluit, ut concilium illico procederet ad decidendam quaestionem principalem. Itaque designata est specialis congregatio, constans cardinalibus Spina et Caselli, archiepiscopis Burdigalensi et Turonensi, episcopis Gandavensi, Tornacensi, Trevirensi, Nannetensi, Trecensi, Comaclensi et Eporediensi. Hi, habitis ab XI° calendas iulias usque ad III nonas eiusdem mensis variis collationibus, divisis suffragiis, 8 contra 3, resolverunt, concilio nationali, sine R. Pontificis aut concilii oecumenici interventu, ius nullum competere mutandi generalem Ecclesiae disciplinam, et proinde novum ab eo statui non posse modum impertiendi episcopis canonicam institutionem. Quum huius resolutionis relationem VI° idus iulii episcopus Tornacensis in generali congregatione fecisset, Napoleon iratus, altera die conventum dissolvit, et 3 episcopos, de-Boulogne Trecensem, de-Broglie Gandavensem, et Hirn Tornacensem, qui prae aliis Apostolicae Sedis iura defenderant, Vincennis in carcerem coniecit.

Soluto conventu, nonnulli antistites ad ecclesias suas remissi sunt; aliorum constantiam minister cultuum primo separatim novis artibus tentavit, deinde de assensu maioris partis certus, nonis augusti novam generalem congregationem indixit, in qua plerique, paucis exceptis, huic decreto subscripserunt: 1°, archiepiscopales et episcopales sedes non vacabunt ultra annum; 2°, nominati ab Imperatore institutionem canonicam postulabunt a Pontifice; 3°, Pontifex institutionem conferet intra 6 menses; 4°, post 6 menses eamdem concedere poterit metropolita vel senior episcopus provinciae; 5°, praesens decretum subiicietur Pontificis approbationi. Hoc decretum per selectos a gubernio praesules Savonam ad Pontificem perlatum est. Pius VII, sibi et Ecclesiae merito metuens, illos primo audire noluit, dein nonis septembris ad col-

[1] De Barral, *Fragmens rélatifs à l'Histoire ecclésiast. des premières années du XIX° siècle.*

loquium admisit; eorum artibus diu restitit; sed tandem flexus metu malorum quae illi mox futura praedicebant, XII° calendas octobris Brevi, *Ex quo ad summi*, praefatos articulos approbavit. Verum Napoleon Pontificis Breve recipere noluit, illud Savonam remisit, et episcopos ad ecclesias suas redire iussit. Sic defecerunt scrutantes scrutinio, omniaque a persecutore et aulicis praesulibus tentata, in fumum abierunt [1].

24. *Turbae in dioecesibus Trecens. Tornacens. et Gandavens.*—In tribus vero dioecesibus, Trecensi, Tornacensi et Gandavensi, quarum praesules Vincennis in carcerem coniectos fuisse diximus, turbae graves secutae sunt. Extorta enim a tribus istis episcopis in carcere sedium suarum abdicatione, et neque a Pontifice acceptata, neque iis, quorum intererat, in forma debita significata, persecutor sedes illas declaravit vacantes et Capitula ad nominandos novos vicarios compulit. Nonnulli canonici pro officio suo iniquis mandatis restiterunt; alii minis cesserunt, et vicarios generales elegerunt. Cum tamen inter hos unus aut alter iam ante essent vicarii generales episcoporum, proinde iurisdictione muniti, res utcumque fuerunt compositae, et legitimae ecclesiarum administrationi consultum.

Verum mense aprili 1813 domitor novos episcopos ad praedictas sedes nominavit, nimirum de-Cussy ad Trecensem, de-S. Medard ad Tornacensem et de-la-Brue ad Gandavensem, mandavitque Capitulis, ut his nominatis episcopis, quamvis institutione canonica carerent, dioeceseon administrationem conferrent. Inde magna rerum perturbatio secuta est. Qui e Capitulis ab istis actibus illegitimis abstinuerunt, gubernii persecutionem experti sunt. Eo maior erat persecutoris iracundia, quod maxima virorum ecclesiasticorum pars cum pseudo-administratoribus communicare nollet, et de negotiis ecclesiasticis referret ad legitimos vicarios episcopales, qui quantum poterant, viis occultis ecclesiarum administrationi consulebant. Turbae graviores fuerunt in dioecesi Gandavensi, ubi saevitum est in 7 civitatis parochos et in seminarium episcopale, cuius directores proscripti, et alumni ad ferenda arma coacti sunt [2].

[1] F. A. Melchers, *Parisiense concilium nationale anno* 1811 *cum actis authenticis*, Monasterii 1814; De Smet, *Coup d'oeil*; Card. Pacca, *Memorie*, part. II.

[2] De Smet, *Op. cit.*; Van der Moeren, *De jonge leviten van het seminarie van Gent te Wezel, te Parisijs, enz.* Bruss. 1856; idem *gallice* Gand 1863.

25. *Pius VII abducitur Fontem-Bellaqueum* (*an.* 1812) — Pius VII iam 3 prope annis in arcta custodia detentus, V° idus iunii 1812 imperatoris iussu Savona translatus fuit Fontem-Bellaqueum. Hic rursum venerabilis senis constantia tentata fuit, ut imperatoris voluntati acquiesceret, maxime per praesules aulicos, qui, secundum principis mandata, verum rerum statum celare et Pontifici instantis schismatis timorem incutere debebant. Paulo post Gallorum domitor, bello Russiaco superatus, ratusque sibi in angustiis posito profuturum, si quandam concordiae speciem cum Pontifice iniret, sub initia anni 1813 novae conventionis articulos Pontifici offerri mandavit; sed Pius VII ante omnia tum suam tum Cardinalium libertatem petiit. Tunc domitor ipse Fontem-Bellaqueum advenit, et primo blanditiis deinde minis a Pontifice extorsit 11 articulos novae conventionis praeambulos, admodum similes famoso conciliabuli Parisiensis decreto supra commemorato. His articulis una cum Napoleone subscripsit Pius VII, VIII° calendas februarii, sed ea lege, ne vulgarentur, neque ullam vim haberent, priusquam in libero cum Cardinalibus consistorio fuissent approbati.

Tunc Napoleon Cardinalibus carceri mancipatis aut in exilium relegatis, potestatem adeundi Pontificem concessit, Pii VII custodiam commodiorem reddidit, sed magna perfidia praefatos articulos, priusquam a Pontifice confirmarentur, tanquam conventionem absolutam publicari et legis instar servari mandavit. Pontifex de fraude monitus, sine mora reclamavit, datisque IX° calendas aprilis ad imperatorem litteris, articulos praefatos revocavit, et ut non concessos esse habendos declaravit. Excanduit domitor, Pontificis custodiam arctiorem reddidit, et maiora forte attentasset, nisi bellum institisset [1]. Brevi post divina Providentia persecutoris potentiam deiecit.

26. *Pius VII Romam redit* (*an.* 1814)—Quo magis superbus et ambitiosus domitor Ecclesiam insectabatur, eo citius ad ruinam suam properabat. Post praelium Lipsiense a confoederatis principibus in Galliam redactus, novisque in ipsa Gallia pugnis superatus, X° calend. febr. 1814 Pontificem Fonte-Bellaqueo ad Italicos fines deduci iussit. Pius VII post menses prope 2 libertate donatus, pridie calendas aprilis Bononiam ingressus est; eodemque die oc-

[1] Card. Pacca, *Memorie* part. II.

cupatis a foederatis Parisiis, cecidit corona de capite persecutoris, qui III° idus eiusdem mensis in eodem palatio Fontis-Bellaquei, in quo venerabilem Pontificem tot opprobriis saturaverat, abdicationem suam signavit. Pontifex autem iter suum Romam versus prosecutus in mediis acclamationibus, IX° calend. iunii magna cum pompa in Urbem sanctam receptus est. Ante omnia descendit in basilicam principis Apostolorum, ut omnipotenti Deo pro tanto beneficio gratias ageret, inde summo cum plausu et exultante simul universo orbe catholico clivum et palatium Quirinale triumphator conscendit.

Mox animum adiecit reparandis ecclesiasticae et civicae rei damnis; iniquas leges, quae tempore anarchiae fuerant publicatae, abolevit; sacras Congregationes restituit; iudiciorum et vectigalium Ordinem instauravit; restituendis utriusque sexus monasteriis operam dedit; Societatem Iesu sollemni constitutione restituit; Willibrordi Van Os, a Iansenistis in pseudo-archiepiscopum Ultraiectinum assumpti, electionem nullam et consecrationem sacrilegam declaravit; cardinalem Consalvi Viennam legavit, ut Sedis Apostolicae iura in principum Europaeorum congressu defenderet; Constitutiones Clementis XII et Benedicti XIV contra societates occultas, quas Galli in status pontificios introduxerant, renovavit, aliaque plura Ecclesiae bono constituit, ut videbimus.

27. *Congressus Viennensis*—Deiecto Napoleone, Ludovicus XVIII rex Galliae, Ferdinandus VII rex Hispaniae, Ferdinandus IV rex Neapolis aliique principes paterna sola receperunt. Quum autem Gallorum imperio per universam pene Europam res publicae fuissent perturbatae, principes ad componendum publicum societatis Europaeae statum, Viennae congressum indixerunt, qui calendis novembris 1814 coeptus, et V° idus iunii anni sequentis absolutus est. Editus in eo fuit tractatus constans 120 articulis, quibus concordia et ius publicum inter Europaeos principes sancita sunt, eorum territoria circumscripta, relationes ordinatae, et fundamentalis Europae constitutio constructa. Per eumdem tractatum Sedis Apostolicae possessiones pristinae, excepta Avenione, restitutae sunt; domus Austriaca status suos in Italia recepit; Guilielmus, princeps Arausicanus, Hollandiam, Belgium et principatum Leodiensem cum regio nomine et dignitate, atque Luxemburgum sub magniducis titulo, accepit; rex Borussiae praeter partem Poloniae, consecutus est possessiones plures in Germania, et ad laevam Rheni usque ad confinia Galliae; Imperatori Russorum, cum titulo regis Poloniae, attributus fuit ducatus Varsoviensis; principes Germanici inter se constituerunt foedus, dictum Germanicum, cuius conventus Francofordii cogi decretum est. Id inter alia dolendum est, quod ecclesiastici Germaniae principatus non solum non restituti, sed principibus acatholicis subiecti fuerint in magnum religionis catholicae detrimentum.

28. *Societatis Iesu restitutio*—Inter primarias curas Pii VII, ut Apostolicam sedem cum libertate recepit, fuit restitutio Ordinum religiosorum. Speciatim mox Societatem Iesu a Clemente Pp. XIV suppressam solemni Bulla instauravit. Iesuitarum Institutum, ex assensu Sedis Apostolicae saltem tacito, in Russia perdurasse, supra diximus[1]. Praeterea Ferdinandus dux Parmensis, qui anno 1768, ab aula Hispanica excitatus, Iesuitas ducatu suo exire iusserat, postea cernens funestos huius rei effectus, maxime quantum ad iuventutis institutionem pertinet, illos revocaverat; in Academia litterarum ac scientiarum cathedras eisdem crediderat, et anno 1793 a vicario generali Iesuitarum in Russia aliquot patres impetrarat, qui una cum Iesuitis Parmensibus provinciam, vicario generali in Russia subiectam, et novitiatum formarunt. Paulus I, qui an. 1796 Catharinae II, matri suae, in Russorum imperio successit, non minori ac illa favore Iesuitas prosecutus est; iis ecclesiam catholicam Petropolis, pluraque collegia in diversis imperii partibus tradidit, Poloniensem eorumdem novitiatum subsidiis auxit, et an. 1800 a Pio Pp. VII postulavit, ut Iesuitarum Institutum, quod decessor eius pro difficillimis temporum circumstantiis tacite probarat, expressa ratione confirmaret. Pius VII, dato nonis martii 1810 Brevi, *Catholicae Fidei*, Societatem Iesu pro Russia restituit.

Inde ab anno 1794 nonnulli presbyteri Galli, inter quos de Broglie, Tournely, Varin, Pey, secundum mentem regulasque s. Ignatii in Belgio constituerunt Congregationem ss. Cordis Iesu, donec Societatem Iesu restituere liceret. Illi paulo post

[1] P. 300.

bellorum causa Belgium deserentes, transierunt Viennam. Eodem tempore Romae Nicolaus Paccanari, Tridentinus, ad resuscitandum s. Ignatii Institutum, creavit Congregationem sub nomine Societatis fidei Iesu. Ex assensu Pontificis Paccanari et socii eius Italiae, Galliae, Germaniae terras peragrarunt, ut veteres Iesuitas novosque socios in Congregationem suam adscriberent. Multi ei nomen dederunt, qui Patres fidei et ab auctore *Paccanaristae* dicti sunt. At post paucos annos, cum Paccanari unionem suae Congregationis cum generali Societatis Iesu, in Russia praeposito, parum curare videretur, plerique socii ab eo discesserunt, nonnulli in Russiam ad novitiatum profecti sunt.

Ad exemplum ducis Parmensis Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, qui quondam adhuc iuvenis Iesuitas regno suo exire iusserat, an. 1804 pro restituenda in utraque Sicilia eorum Societate ad Pontificem scripsit. Pius VII eius precibus annuens, per Breve III° calendas augusti eiusdem anni ad P. Gruber, generalem Societatis praepositum in Russia, datum Societatis instaurationem in utraque Sicilia ratam habuit. Summo regis et subditorum gaudio patres Iesuitae recepti sunt; sed anno 1806 in regno cis Fretum Siciliense a Gallis occupato, iterum dispersi fuerunt.

Anno 1814 Pius Pp. VII votis totius orbis catholici, Societatis Iesu restitutionem desiderantis, facturus satis, VII° idus augusti Bulla, *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, praefatam Societatem ex certa scientia et plenitudine potestatis in perpetuum instauravit. Confestim superstites adhuc Iesuitae se sub regula s. Ignatii consociarunt; in Italia, Austria, Helvetia, Gallia, Hispania, Anglia, aliisque regionibus novitiatus, collegia et alias domos formarunt; deinde etiam in Americam, Syriam, Indiasque profecti, missiones, novitiatus, collegia ibidem instaurarunt.

Cum vero Societas Iesu sic communi proborum gaudio restitueretur, in Russia, in qua post generale naufragium fuerat conservata, suppressa est. Quum enim Iesuitae in collegio, quod Petropoli erexerant, non modo iuvenes catholicos, sed etiam acatholicos et schismaticos, quos parentes, eorum mores et docendi methodum approbantes, eis tradebant, in litteris instituerent, aliorum magistrorum invidiam in se excitarunt. Quum praeterea plures ex istis discipulis vel alumnis, imo etiam adulti a schismate ad catholicam unitatem a Iesuitis converterentur, schismatici sacerdotes, aliique religionis catholicae inimici effecerunt, ut anno 1815 Iesuitae decreto Alexandri imperatoris Petropoli fuerint amoti, simulque aditus ad ambas imperii metropoles eis in perpetuum interdictus. Iam tum eorum adversarii efficere conati sunt, ut e toto imperio Russiaco pellerentur, sed non permisit id imperator. Cum vero Iesuitae in aliis imperii locis schismaticos ad catholicam unitatem convertere non cessarent, tandem anno 1820 imperator decretum, sibi a rerum ecclesiasticarum administro propositum, approbavit, quo omnes Iesuitae ex universo imperio Russiaco relegabantur. Eorum multi a Francisco imperatore Austriaco in Galitiam ad iuventutem in scientiis philologicis, philosophicis et theologicis instituendam admissi sunt; traditum eis fuit coenobium Dominicanorum Tarnopoli, assignati singulis annuatim 300 floreni, dataque facultas erigendi, ubi visum fuerit, collegia, novitiosque in hunc finem suscipiendi. Reliqui Iesuitae e Russia eiecti partim in alia Societatis collegia, partim in Americam septentrionalem se contulerunt.

29. *Religionis status in America* — In America septentrionali, praesertim in terris Britannicis, in civitatibus confoederatis, et in insulis, quae nomine Indiae occidentalis designantur, a posterioribus annis saeculi praecedentis et deinceps Catholicorum numerus, tum ethnicorum et haereticorum conversione, tum Europaeorum in istas terras migratione, plurimum auctus est. Quamvis per pacem an. 1763 Versaliae inter Gallicanum et Anglicanum gubernia confectam, Canada seu Nova-Francia et Granata fuerint concessae Anglis, Catholici tamen in illis regionibus iisdem ac antea iuribus potiti sunt. Postquam gubernium Anglicanum anno 1783 pace cum civitatibus confoederatis seu Statibus unitis composita, earum liberum regimen ratum habuisset, catholici earumdem incolae Apostolicam Sedem rogarunt, ut, ad promovendum ibi Religionis exercitium firmandumque ecclesiarum regimen, episcopalem sedem crearet. Pius Pp. VI, audita Congregatione de Propaganda Fide, eorum votis annuit, postridie nonas novembris 1789 episcopalem sedem erexit Baltimori, eique praefecit p. Carroll iesuitam, iam ibi Vicarium apostolicum agentem. Hic anno sequente Londini consecratus, quam-

plures ecclesiasticos tum ad augendum clerum suum, tum ad formandum Baltimori seminarium secum in Americam duxit. Anno 1791 secundum Pontificis consilium Baltimori cum 21 presbyteris synodum celebravit, in qua post episcopi orationem et fidei professionem, potissimum actum est de Sacramentorum administratione, de festorum et divinorum officiorum celebratione, de sepultura, de fabricis, de sacrorum ministrorum moribus, sustentatione, habitu et disciplina. Synodi decreta Romam missa sunt supplici prece, ut Pontifex vel sedem suffraganeam vel coadiutorem episcopi Baltimorensis crearet. Pius VI synodi acta confirmavit, et paulo post p. Neale iesuitam, sublevatum episcopatui Gortynensi *in partibus*, instituit Coadiutorem episcopi Baltimorensis.

Quum autem, perturbatis sub exitum saeculi XVIII in Europa rebus, et exorta inde contra Ecclesiam persecutione, multi sacerdotes saeculares et regulares, etiam moniales, in Status unitos se conferrent, varia illic collegia et coenobia erecta sunt, et Catholicorum numerus continuo auctus. Quapropter Pius Pp. VII an. 1808 episcopalem sedem Baltimori evexit ad dignitatem metropoliticam, eiusque 4 suffraganeas sedes creavit, Novi-Eboraci, Philadelphiae, Bostonii, et Bardstownii in Kentuckia. Baltimorensi metropoli etiam subiecit Novum-Aurelianum Luisianae, et an. 1815 ad hanc sedem, iam a Pio VI creatam, instituit Ludovicum Dubourg.

Ex hoc tempore religio catholica tum in civitatibus tum in missionibus, inter indigenas institutis, continua incrementa cepit. Plura utriusque sexus monasteria, collegia pro iuvenum domusque religiosae pro puellarum instructione instituta sunt. Novae sedes episcopales erectae sunt, adeo ut an. 1838 illic numerarentur 17, 538 ecclesiae aut stationes, 28 seminaria seu collegia, 38 xenodochia, in quibus ministrabant moniales Charitatis.

In regionibus Americanis, Mexicana, Guatimala, Peruvia, Plata, et aliis, quae hoc saeculo Hispanorum dominium detrectantes, proprio usae sunt regimine, atque in imperio Braxiliae, religio catholica conservata est.

30. *Religionis status apud Maronitas*— Celebris vero Ecclesia Maronitarum, qui montem incolunt Libanum, posteriori parte saeculi praecedentis nonnihil perturbata fuit falsis vaticiniis cuiusdam monialis, nomine Endiae seu Annae Mariae Agemi. Sed nascentes motus mox composuit Pius Pp. VI, qui patriarcham Maronitarum pseudo-prophetissae partibus faventem Romam vocavit; an. 1779 fallaces Endiae prophetias improbavit, datis ad episcopos et clerum Maronitarum litteris; an. 1783 novis ad eosdem litteris Maronitarum pietatem laudavit, eos ad unionem hortatus est, resipiscentem in gratiam recepit, et in pristinum statum restituit. Eiusdem Pontificis mandato ibidem episcopi et monasteriorum praefecti anno 1793 synodum celebrarunt, in qua varia pro locorum et temporum necessitatibus decreta sunt, deinde a Congregatione de Propaganda Fide approbata [1].

Verum prioribus huius saeculi annis novas divisiones in ecclesiis istius regionis excitavit Germanus Adami, Florentinus; qui archiepiscopus Hierapolis et Visitator apostolicus montis Libani creatus, novitatibus, quas ipse iuvenis a Scipione Ricci didicerat, catholicos Orientis imbuere studuit. Eius consilio Agab Matar, patriarcha Antiochenus Melchitarum catholicorum, an. 1806 in coenobio Carcaph dioeceseos Berytensis synodum celebravit, quae Antiochena dicta est. In ea plura e damnatis iam Pistoriensis conciliabuli decretis constituta sunt, tum doctrinae tum disciplinae Ecclesiae opposita. Synodi acta minime ad Apostolicam Sedem, ut moris erat, missa fuerunt; et an. 1810 typis arabicis excusa cum approbatione a Ludovico Gandolphi, tunc temporis apostolico montis Libani visitatore, fraudulenter accepta, per omnem Orientem disseminata sunt. Infaustis temporum circumstantiis factum est, ut ea res diu Pontificem latuerit; qui ubi eam cognovit, a Maximo Mazlum, novo Melchitarum patriarcha, exemplar actorum praefatae synodi postulavit. Paruit patriarcha, simulque contestatus est, se illa nunquam probasse, et in omnibus Apostolicae Sedis iudicio acquiescere. Re a s. Congregatione mature discussa, Gregorius Pp. XVI, xvi° calend. octobr. 1835 librum inscriptum: *Synodus Antiochena habita sub Agab Matar* damnavit [2].

31. *Religionis status in Sinis et Cochinchina* — De statu religionis christianae in imperio Sinensi durante saeculo praecedenti supra diximus [3]. Anno 1805 nova illic in

---

[1] Henrion, *Continuat. de l'Hist. eccl.* an. 1780.

[2] Vid. *L'ami de la Religion*, t. LXXXIX, p. 327; Kersten, *Journal hist. et litt.*, t. III, p. 21.

[3] P. 284 sq.

christianos persecutio exarsit, praesertim in nobiles. Nonnulli quidem cruciatuum vehementia territi a Fide Iesu Christi misere defecerunt; plerique tamen in Fide invicti perstiterunt: hi muneribus, dignitatibus et facultatibus privati, multique cum pluribus missionariis relegati sunt, libri christiani combusti, ecclesiarum inscriptiones deletae, simulque edictum emissum, quo magistratibus sub poena dignitatis et muneris amittendi, caeteris sub poena exilii, ad sacra christiana transire prohibebatur. An. 1814 gubernator provinciae Su-tchuens. persecutionem excitavit, quae praecedentes vehementia et diuturnitate superavit, mox in alias quoque provincias propagata est, multisque Christianis et missionariis vitam abstulit. Prae ceteris notari dignus est Gabriel Dufresne, episcopus Tabracanus et vicarius apostolicus, in metropoli provinciae istius publice capite plexus. In eadem metropoli plus quam 400 Christiani crudeliter torti sunt, qui fortitudine et constantia sua cum antiquis martyribus conferri possunt. Anno 1818 persecutio praecedenti anno sopita, vi decreti ab ipso imperatore editi, ita recruduit, ut Christiani magno numero torquerentur, et qui a Fide non deficiebant, relegarentur; missionarii autem, qui in imperio deprehendebantur, laqueo enecarentur. Demum an. 1845 Francorum orator consecutus est, ut Tao-Kouang imperator pridie idus aprilis legem ediderit, qua Christiani in imperio tolerarentur, et x° calendas martii an. sequentis alterum edictum publicarit, quo iis liberum Religionis suae exercitium et ecclesiae adhuc superstites restituerentur. Demum an. 1858 mense iunio inter Sinarum imperium atque Gallorum et Anglorum gubernia pacis tractatus confecti sunt, in quibus per totum Sinarum imperium Christianis exercendae religionis suae libertas et missionariis protectio asseruntur.

Vidimus etiam quis fuerit saeculo praecedenti religionis christianae status in Cochinchina et Tongkino[1]. Cum posterioribus istius saeculi annis reges Cochinchinenses terras Lao, Cambodscha, Lachto et Bintuam, etiam regnum Tongkinense sibi subiecissent, et assumpto imperatoris titulo, atque clientelae foedere cum Sinensibus disrupto, imperium sic dictum Anamense condidissent, Gia-Langhus primus imperator, qui ab an. 1800 usque ad 1820 regnavit, religionem christianam protexit, et missionariis benevolum se exhibuit. Eius filius et successor, Mingh-Mangus, patris vestigiis inhaesit. Verum ab anno 1830 persecutiones contra Christianos recruduerunt. An. 1854 imperator Tu-Ducus cruentissimum persecutionis edictum contra Christianos et missionarios, maxima parte Gallos et Hispanos, promulgavit. Ab hoc tempore Christiani in Cochinchinensi imperio saevae persecutioni et cruentissimis suppliciis fuerunt obnoxii. Imperator Gallorum et gubernium Hispaniae, quum frustra tentassent imperatorem ab iniqua contra Christianos persecutione reducere, anno 1858 expeditionem armatam contra Cochinchinense seu Anamense imperium susceperunt.

32. *Missionum status* — Generali autem rerum perturbatione, quam postremis saeculi praecedentis et primis praesentis annis Europa perpessa est, etiam status Missionum in Oriente, Indiis et America declinavit. Sublatis quippe in Europa Ordinibus religiosis et missionum seminariis, missionariorum penuria secuta est. Pontifice et Cardinalibus captivis aut dispersis, communicatio cum missionibus fuit impedita, et subsidia interrupta. Missiones Orientales gubernii Gallicani protectione orbatae, Turcarum, schismaticorum et haereticorum vexationes subierunt.

Pace in Europa restituta et firmiori ordine introducto, melior spes missionibus affulsit. Reges Galliae tranquillitati missionum Orientalium consuluerunt. Ludovicus XVIII an. 1816 Congregationem Lazaristarum restituit et amplis reditibus instruxit, quae pluribus tum sacerdotibus tum alumnis aucta, sicut Romana Congregatio de Propaganda Fide, novos operarios ad diversas missiones destinavit. Eorum numerus auctus est e restitutis sensim Ordinibus religiosis, maxime e Societate Iesu, quae eodem ac quondam ardore de Fidei propagatione inter ethnicos, haereticos atque schismaticos populos meretur. Praeterea v° nonas maii 1822 Lugduni instituta fuit celeberrima Societas pro propaganda Fide, cuius membra preces et eleemosynas conferunt pro missionum prosperitate et indigentiis. Haec societas a RR. Pontificibus pluribus Indulgentiis confirmata et promota, non tantum per omnem Galliam, sed etiam per Italiam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, aliasque Europae partes propagata est, et quotannis subsidia magna missionibus suppeditat. Quibus rationibus factum est, ut in Oriente, in India, in Sinis, Siamo,

[1] P. 285 sq.

Cochinchina et Tongkino, in America, in Australia missiones catholicae redintegratae novaeque institutae fuerint, et continuo augeantur atque subleventur, adeo ut praefata societas ann. 1870 in Sinis vicinisque regionibus, in Australia, in America septentrionali et in aliis diversis regionibus, plus quam 135 vicariatus apostolicos et dioeceses numeraret, quibus subsidia ferebat.

33. *Societates biblicae* — In variis regionibus, praesertim in America confoederata, in India et in Australia, missionarii catholici obstacula multa experiuntur ex parte ministrorum acatholicorum, vulgo Protestantium, qui etiam propagando Christianismo, sed erroribus infecto, iam a posteriori dimidio saeculi praecedentis operam navant. Hi ad sustendandas missiones suas inter populos infideles amplissima subsidia accipiunt a societatibus missionum protestanticarum, ad propagandam religionem sic dictam Protestanticam institutis, quarum praecipua sedes Londini in Anglia posita est; in Germania protestantica, quoque Batavia, Helvetia, Borussia, Suecia, Dania, Russia, imo in India et in America confoederata seu Statibus-unitis sese constitutae sunt. Ad idipsum efficiendum, cuiusvis confessionis christianae sectatores his societatibus adscripti ope Bibliorum et usi sunt; unde *Societates biblicae* se nuncuparunt. Biblia vero in diversissimas linguas, anglicam, gallicam, germanicam, belgicam, arabicam, aethiopicam, persicam, indicam, aliasque transferri atque edendi curant, et modo gratis distribuunt, modo parvo pretio veneunt. Ne vero diversarum confessionum membra ob sententias fidei suae oppositas, a legendis Bibliis absterrerentur, societatum directores statuerunt, ut Biblia sine annotatione, explicatione aut commentario, imo pro quavis ecclesia in versionibus ab ea probatis, imprimerentur; hoc tamen in terris catholicis ab iis non observari, experientia constat. Verumtamen dum missiones catholicae inter populos infideles mirifico incremento dilatantur, protestanticae in sterilitate macrescunt [1].

Quum vero ex huiusmodi Bibliorum, quae sine Ecclesiae auctoritate, in vulgares linguas eduntur, propagatione et lectione nonnisi detrimenta gravia fidei catholicae obtingere possent, Pius Pp. VII animose et sedulo restitit praefatarum societatum conatibus tum per binas litteras, calendis iunii 1816 ad Gnesnensem, et pridie nonas septembris ad Mohiloviensem archiepiscopos datas, tum per epistolam a Congregatione de Propaganda Fide III° nonas augusti 1816 ad Vicarios apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum directam, et per decretum a Congregatione Indicis de omnibus huiusmodi versionibus datum IX° calendas iulias 1817. Ipsis Societatum biblicarum conatibus obstiterunt alii deinceps Pontifices, Leo XII in encyclicis litteris III° nonas maii 1824 datis ad omnes catholici orbis antistites, Pius VIII in encyclica epistola IX° calendas iunias 1829, Gregorius XVI in monito adiecto ad decretum Congregationis Indicis VII° idus ianuarii 1836, et in encyclica epistola postridie nonas maii 1844. In quibus Pontifices omnibus memoriam revocant III et IV regulas Indicis Tridentini et adiectam XV° calendas iulias 1757 auctoritate Benedicti Pp. XIV declarationem, ut nempe permissa non haberetur lectio vulgarium versionum, nisi quae ab Apostolica Sede approbatae, aut cum annotationibus desumptis e sanctis Ecclesiae patribus vel doctis catholicisque viris, editae fuerint [1].

34. *Religionis status in Gallia* — In Gallia autem Napoleonis tyrannide status rerum ecclesiasticarum admodum perturbatus erat. Ludovicus XVIII, an. 1814 paternum solium adeptus, optimo quidem erga religionem catholicam eiusque clerum animo erat, sed in promovenda ecclesiasticae rei prosperitate saepe impediebatur tum regni constitutione, ex cuius praescripto deputatorum populi procerumque consensus ad ferendas novas leges erat necessarius, tum genio nationis, quae irreligiosis scatebat civibus. Interim varia in favorem Religionis decreta edidit, institutionem iuniorum clericorum episcopis reddidit, meliorem sustentationem clero procuravit, Congregationes s. Lazari et s. Spiritus pro missionibus, atque s. Sulpicii pro seminariorum directione restituit. III° idus iunii 1817 conventionem cum Apostolica Sede confecit, qua Concordatum, quondam inter Leonem Pp. X et Franciscum regem I initum, restituebatur; Concordatum vero an. 1801 cum articulis dictis organicis ex ea parte, qua Ecclesiae doctrinae aut legibus erant oppositi, abrogabantur; numerus sedium episco-

[1] Cf Wiseman, *Sterilità delle missioni protestanti*, Dissertazione letta all'*Accademia di Religion cattolica* a Roma.

[1] Cf Malou, *La lecture de la Bible en langue vulgaire*, Louvain 1846, 2 voll. in-8°.

palium augebatur; episcopatibus, capitulis, seminariis congrua dos immobilibus redditibus haerens promittebatur. Verum novis e parte Camerarum, ut vocant, difficultatibus exortis, conventionis executio suspensa fuit. Interea Pius Pp. VII provisoria ratione ecclesiarum indigentiis consuluit. Quod vero maxime ad impediendos instauratae Religionis fructus et ad fovendum irreligionis genium inserviebat, erant irreligiosi et impii libri, qui favente libertate typographica ingenti numero imprimebantur. In nonnullis etiam provinciis sacerdotes et missionarii populum e coeno incredulitatis ac negligentiae ad Religionis exercitia reducere satagentes, impiorum vim, convicia et iniurias experti sunt. Pro iuventutis instructione Collegia et Congregationes religiosae fuerunt institutae. Anno 1822, consentientibus Cameris, per conventionem provisoriam inter Pium VII et Ludovicum XVIII numerus episcopatuum ad 80 auctus fuit, capitula cathedralia, seminaria aliaque instituta ecclesiastica instaurata sunt [1].

35. *In Hispania et Lusitania*—In *Hispania* ab anno 1808, quo eam Galli occuparunt, res ecclesiastica fuit perturbata, sacra Inquisitio abrogata, Ordines religiosi suppressi, ecclesiastica bona confiscata, libri irreligiosi invecti, et auctoritatis ecclesiasticae ac civilis contemptus propagatus. Rege legitimo, Ferdinando VII, an. 1814 in solium suum restituto, pristinus ecclesiasticae rei status fuit reductus, s. Inquisitio restituta, Societas Iesu aliique Ordines religiosi instaurati, libri irreligiosi proscripti, societates occultae prohibitae. Verum an. 1820 milites a Ferdinando VII rebellarunt, constitutionem anni 1812 proclamarunt, et regem ad convocandos populi deputatos coëgerunt. Hi ante omnia s. Inquisitionem et Societatem Iesu aboleverunt, bona ecclesiastica nationi adiudicarunt, omnes Ordines religioso-militares pluresque monasticos, speciatim Benedictinum, abrogarunt, episcopis mandarunt, ut nemini sacerdotum, qui a nova regni constitutione animo alieno esset, facultatem praedicandi aut confessiones excipiendi tribuerent, aliaque similia decreverunt. Qui autem ex episcopis caeterisque clericis decretis istis morem gerere recusabant, variis poenis, in primis carceris et exilii affecti, nonnulli etiam interfecti sunt. Multi eorum, ad evitandas iniurias et violentias, in terras exteras, praesertim in Galliam, fugerunt. At anno 1823 dux Engolismensis, cum Gallorum exercitu a Ludovico XVIII in auxilium Ferdinandi VII missus, rebelles Hispanos in ordinem redegit, et regem, quem illi Gades abduxerant, restituit. Ex quo tempore res ecclesiasticae ad pristinum statum suum reductae sunt.

In *Lusitania* inde a temporibus marchionis de Pombal, primarii regis Iosephi I administri [1], novitatis genius propagatus est. Postquam an. 1807 exercitus Gallorum Lusitaniam invasissent, magis perturbatus fuit rerum ecclesiasticarum status. Ioannes VI quidem in solium paternum restitutus, rerum ordinem instauravit. Sed an. 1820 exorta revolutione, similia ac in Hispania decreta atque patrata sunt. Anno vero 1823 concordia restituta fuit.

36. *In Italia* — In Italia, extincto Gallorum dominio, res ecclesiasticae ad meliorem statum adductae sunt. Pius Pp. VII in suo territorio omnia, quantum fieri potuit, ad priorem conditionem reduxit. Victor Emmanuel rex Sardiniae, receptis an. 1814 terris suis in superiori Italia, quibus respublica Genuensis accessit, mox pristinas leges ecclesiasticas in iisdem restituit, R. Pontifici prisca iura reddidit, et an. 1817 secundum conventionem cum Pontifice inita, suppressos episcopatus redintegravit. Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, an. 1818 cum Apostolica Sede Concordatum iniit, quo uni religioni catholicae apostolicae romanae locus in regno factus est, nominatio archiepiscoporum et episcoporum concessa regi, episcopis regiminis pastoralis libertas secundum canones restituta, res de divenditis bonis ecclesiasticis aliaque negotia composita sunt.

Verum instauratae Religionis et restituti regiminis hostes in societatem occultam coaluere, cuius socii *Carbonarii* dicti sunt. Ea quidem finem potissimum politicum habebat, nempe universam Italiam in unam magnam rempublicam coniungendi, et in tota Europa, deiectis regibus, democraticum regimen instituendi, in quem finem cum aliis extra Italiam societatibus occultis coniunctionem inivit; ea tamen, non secus ac omnes eiusmodi societates, religioni christianae adversabatur. Societas ista adeo convaluit, ut an. 1820 in regno Neapolitano revolutionem excitarit, regiminis formam mutarit, tetrumque bellum civile in utraque Sicilia suscitaverit. Anno sequenti idem ten-

[1] Artaud, *Histoire de Pie VII*, t. II.

[1] Vid. pp. 293, 298, 311, 338.

tavit in Pedemontio. Sed eodem anno Austriacorum arma turbas tum hic tum illic composuerunt, atque res utriusque regni ad pristinum statum adduxerunt. Pius VII, Bulla, *Ecclesiam a Iesu Christo*, data idibus septembr. 1821, societatem *Carbonariorum* condemnavit.

37. *In Germania*—In Austria, Hungaria et Bohemia Franciscus imperator II ac Ferdinandus I, filius eius et anno 1835 successor, religionem catholicam, cui erant addictissimi, constanter protexerunt, et abolendis innovationibus, quas Iosephus II illius exercitiis et ecclesiarum administrationi opposuerat, operam dederunt [1].

In *Bavaria* de religione catholica bene meruit Maximilianus Iosephus rex I. Hic princeps an. 1817 cum Romano Pontifice Pio VII Concordatum confecit, secundum quod in Bavaria constituti fuerunt duo archiepiscopatus, Monacensis scilicet et Bambergensis, atque sex episcopatus, nimirum Passaviensis, Ratisbonensis, Augustanus, Wurceburgensis, Eichstadiensis, et Spirensis, quorum ac Capitulorum et Seminariorum doti in bonis fundisque stabilibus uti etiam sacris electionibus ac regiminis ecclesiastici rationi et libertati consultum fuit [2].

Ad componendum ecclesiarum statum in regno *Borussiae* Pius Pp. VII an. 1821 Concordatum confecit cum Friderico Guilielmo rege III, secundum quod illic erecti sunt archiepiscopatus Coloniensis cum episcopatibus suffraganeis Paderbornensi, Monasteriensi et Trevirensi, archiepiscopatus Gnesnen-Posnaniensis cum episcopatu suffraganeo Culmensi, et episcopatus Vratislaviensis atque Varmiensis, ambo exempti et Sedi Apostolicae immediate subiecti [3].

In regionibus Germaniae ad Rhenum superiorem sitis, quae per pacem Lunaevillae 1801 et per congressum Viennensem 1815 principibus Protestantibus, nimirum regi Wurtemburgensi, Magnis ducibus Badensi, Hassiae, Megalopolitano, electori Hassiae, ducibus Nassaviae, Saxoniae, Oldenburgensi, principi Waldecensi, liberae civitati Francfurtensi, et liberis civitatibus Hanseaticis Lubecensi et Bremensi subditae erant, et sic dictam Confoederationem Germanicam constituebant, Ecclesiae detrimenta gravia subierat: episcopatus antiqui vacabant, principatus ecclesiastici erant aboliti, ecclesiae et abbatiae bonis suis spoliatae, monasteria suppressa. Anno 1818 gubernia ista per legatos suos cum Romano Pontifice agere coeperunt de ordinando in terris suis Ecclesiae status; sed quas proposuerunt concordati conditiones Pontifex acceptare non poterat. Dein vero Pius VII per bullam *Provida solersque*, datam xvii° calend. septembr. 1821, erexit archepiscopatum Friburgensem in Brisgovia cum 4 episcopatibus suffraganeis, Rottenburgensi scilicet in regno Wirtembergensi, Moguntino in magno ducatu Hassiae, Fuldensi in electoratu Hassiae, et Limburgensi in ducatu Nassaviensi. At, quum Pius VII designatis ad praefatas sedes episcopis canonicam institutionem concedere merito metuebat, conventionis negotium interruptum fuit, usque ad pontificatum Leonis XII. Hic Pontifex per bullam *Ad Dominici gregis custodiam*, iii° idus april. 1827, ea quae ad ecclesiastici regiminis rationem in praefatis regionibus spectabant, determinavit. Tunc guberniorum et Pontificis consensione archiepiscopus et episcopi instituti sunt. Verum an. 1830 gubernia illa publicarunt articulos 39, libertatem Ecclesiae destruentes, et pactis cum Romano Pontifice initis omnino adversantes; de qua re atque de episcoporum silentio Pius Pp. VIII graviter conquestus est in Brevi *Pervenerat non ita pridem*, dato pridie calend. iulias 1830 ad archiepiscopum Friburgensem et episcopos Moguntinum, Rottenburgensem, Limburgensem et Fuldensem.

In Hannovera Ecclesiae status ordinatus fuit per Concordatum initum inter regem Georgium IV et Leonem Pp. XII, quod continetur in bulla huius Pontificis *Impensa Romanorum Pontificum*, data vii° calend. april. 1824. In ea conventione episcopatus Hildesheimensis et Osnabrugensis conservabantur exempti, et Sedi Apostolicae immediate subiecti, utrorumque circumscriptione et dotatione canonica, episcoporum electione et aliis agebatur [1].

38. *In Belgio et Hollandia* — In Belgio et Hollandia sub rege calvinista Guilielmo I dura fuit catholicorum conditio. Is in primis ix° calendas septembris 1815 Belgis constitutionem quamvis a maiori parte procerum, quorum suffragiis erat approbanda,

---

[1] Alzog, *Hist. univ. de l'Eglise*, Paris 1847, t. III, p. 520.

[2] Ibid. p. 524.

[3] Bulla Pii Pp. VII *De salute animarum* data 16 Iul. 1825; Alzog, *loc. cit.* p. 539. Videsis quae sub n. 18 dictum est pp. 325-326.

[1] Schenkl, *Op.* cit. p. 334.

reiectam obtrusit. Praesules cleri Belgici funestos effectus novae constitutionis, quantum ad Religionis sortem spectabant, praesagientes, iam v° calendas augusti 1815 expostulationes regi obtulerant [1]. Postridie calendas augusti episcopus Gandavensis, Mauritius de-Broglie, in Instructione pastorali varios novae constitutionis articulos tamquam religioni catholicae adversantes, notaverat. Id ipsum iidem praesules fecerunt in novo documento inscripto: *Jugement doctrinal*, quo declararunt, praescripta per eamdem constitutionem iuramenta licite praestari non posse. Pius Pp. VII ab episcopo Gandavensi rerum statum edoctus anno 1816 ad gubernium Batavicum misit commentarium, in quo praecipue questus est de iniuria illata internuntio suo Ciamberlani, qui ad expedienda negotia ecclesiastica in Belgium missus, xiii° calendas februarii 1815 gubernii iussu violenter fuerat abductus; de nonnullis constitutionis, Belgis obtrusae, articulis religioni catholicae oppositis; de praescripto illos servandi iuramento; de vexatione episcoporum, qui contra praefatam constitutionem reclamarant; de interceptione Instructionum pastoralium eorumdem et impedita eorum libera cum Sede Apostolica communicatione. At princeps calvinista ea omnia sprevit, duriusque habuit omnes eos, qui de novi regiminis actis expostulare auderent. Quin imo episcopus Gandavensis iv° nonas martii 1817 in ius vocatus, vii° idus octobris sententia curiae Bruxellensis deportatione fuit condemnatus; sed iam in Galliam confugerat; et quod magis quosvis honestos offendit, haec ipsa sententia Gandavi palam in medio duorum scelestorum infami stipiti affixa fuit. Illustrissimus praesul an. 1821 Parisiis obiit.

His aliisque pluribus deinceps arbitrariis actis rex catholicorum conditionem in dies duriorem reddidit. Pius VII nihil intentatum reliquit, ut cum gubernio rem ecclesiasticam componeret; sed irriti fuerunt Pontificis conatus [2].

39. *Pii VII obitus* (*an.* 1823) — Pius VII, cuius antiquas virtutes in summis honoribus, constantiam in adversis, et firmitatem in Ecclesiae gubernacula tenendo, nulla unquam delebit oblivio, antecessoris sui illustri operi extremum manum imposuit, Societatem Iesu instaurans de Religione, scientiis, litterisque benemeritissimam [1]. Romam reversus, omne studium in sui populi calamitates sublevando et in Fide propaganda collocavit; morum licentiae fraena iniecit ac iustitiae imperium auctoritatemque restituit. Eo regnante, Ostiae et Fori Traiani effossiones coeptae sunt; Septimii Severi, Constantini, et Titi arcus, pons Milvius, sancti Georgii in Velabro ecclesia, Flavii amphitheatrum, aliaque multa opera totidem sunt munificentiae huius summi Pontificis monumenta. Faustinae templum, ac musea Vaticanum et Capitolinum, eum demonstrant Leonum, Paulorum ac Iuliorum animi magnitudinis aemulatorem.

III° nonas iulii 1823, anniversaria die raptus eius ab Urbe, fortuito humi procubuit Pius in suo cubiculo, ex quo casu ei mors obtigit ix° calendas septembris eiusdem anni, 81 aetatis suae, cum sedem Apostolicam obtinuisset *annos* 23, *menses* 5, *dies* 6. Tanti Pontificis desiderio totus ingemuit orbis, eiusque praeclarae virtutes ab omnibus certatim Ecclesiis concelebratae sunt. Ad rem Ioannes Alzog: « Sceptra franguntur, ferri acies hebetatur, impiorum iactantia conticescit; ast quod in spiritu fundatur, aeternum durat. Captura, exilium, minae, et innumerae vexationes senem impavidum deprimere haud potuerunt; immo usque ad extremam diem Ecclesiae iura ipse mirabili virtute et robore defendit. Dum omnes Europae Principes coram Napoleone I se prosternere non dubitabant, solus Petri Successor restitit, et sua iura vindicavit. Nec alius postea praeter illum suam apud Anglicum gubernium interposuit auctoritatem, ut sanctae-Helenae captivi status minus acerbus evaderet [2]».

40. *Leo XII, Pontifex* (*an.* 1823) — Cardinales postridie calendas septembris an. 1823 conclave ingressi, iv° calend. octobris

---

[1] Reclamatio signata erat a Mauritio de Broglie episcopo Gandavensi, nec non ab episcopis Namurcensi, et Tornacensi, et a Vicariis capitularibus Mechliniensi et Leodiensi, vacantibus.

[2] De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, t. I.

[1] Vid. p. 333-334. Sub Pii VII pontificatu, quoque, Romana *catholicae Religionis Academia* instituta est. Cf *La Scienza e la Fede*, vol. xii, p. 8 in not. Napoli 1846.

[2] *Histoire* cit. Epoq. 2me, 2e part., Pie VII. Norunt omnes, Pium VII, singulari charitatis et humanitatis sensu adductum, honestum praebuisse asylum in Pontificia Dominatione Napoleonis matri, aliisque illius imperialis familiae propinquis, aqua et igni a ceteris omnibus Europae guberniis interdictis.

in locum Pii elegerunt Hannibalem della Genga, cardinalem Urbis vicarium, virum insignis pietatis, animi excelsi et probatae prudentiae, in expediendis negotiis difficillimis a duobus Praedecessoribus suis saepius adhibitum, qui nomen Leonis XII assumpsit. Is decessoris sui prosequutus vestigia in id totus incubuit, ut una cum scientiis, ingenuisque artibus, Religio ubique floreret. V° nonas maii 1824 pro more ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos dedit epistolam encyclicam, *Ut primum*, qua eos ad sollicitam munerum expletionem, maxime ad residentiam, ad vigilantiam contra progressum *indifferentismi* religiosi, ad piam et solidam clericorum institutionem hortatus est. Per Breve, *Cum multa in Urbe*, datum xvi° calendas iunias, Societati Iesu restituit Collegium Romanum, cuius regimen Iesuitis a Societatis initio usque ad illius suppressionem cesserat. VI° calendas eiusdem mensis publicavit Bullam de Iubilaeo, anno sequenti in Urbe celebrando, iniunctasque supplicationes, licet infirma semper usus valetudine, nudis pedibus obivit. Quod anno 1826 ad universum Orbem extensum, mirum est, quanta populorum devotione, quantoque animorum ubique lucro celebratum fuerit. Ad Religionem erigendam, moresque emendandos ab Urbe adortus, omnium Ecclesiarum locorumque piorum Visitationem Apostolicam, quae longa annorum intercapedine pene desueverat, renovavit. Armenos Catholicos inter immanis belli aerumnas pro Christi fide acerrimam persecutionem passos humanissime excepit, atque omni auxiliorum genere adiuvit. Dilatandae fidei studio unice incensus, missiones in infidelium partibus strenue promovit. Monialium Ordinem Eucharistiae Sacramentum perpetuo adorantium, quem semper tutatus fuerat, etiam Neapoli propagari indulsit. Societates occultas *Liberorum Caementariorum* itemque *Carbonariorum*, iam Clementis XII, Benedicti XIV et Pii VII Constitutionibus prohibitas, rursus damnavit, veluti ecclesiasticae et civilis pacis inimicas principibus denuntiavit, et praefatorum Pontificum constitutiones poenasque, in iis contra societates istas latas, confirmavit litteris apostolicis, *Quo graviora*, iii° idus martii 1826 datis. Electiones Guil. Vet in episcopum Daventriensem, et Ioan. Van Santen in archiepiscopum Ultraiectinum, nullas, et utriusque consecrationem sacrilegam declaravit. Bulla, *Ad Dominici gregis custodiam*, data, uti supra, iii° idus aprilis 1827, ea, de quibus inter decessorem suum et principes *confoederationis* Germanicae convenerat, perfecit, determinavitque rationem eligendi et constituendi episcopos et canonicos Capitulares, recipiendi alumnos in seminaria, libere regendi ecclesias et communicandi cum Apostolica Sede [1]. Eodem anno concordatum confecit cum Guilielmo I rege Belgii et Hollandiae; at vix ullos eius effectus ante mortem suam vidit. De conventione cum Georgio IV, Hannoverae rege confecta, paullo ante, diximus [2]. Consanguineitatis penitus oblitus, Leo XII munia et ecclesiastica beneficia nonnisi viris scientia et religione spectatissimis collata voluit. Bibliothecam Vaticanam et Museum qua vetustissimis codicibus Graecis, qua numismatibus et cimeliis locupletavit; novas fundavit cathedras; collegium Philosophicum et Theologicum instituit, atque maiora decrevit scientiarum, liberaliumque artium professoribus solvenda stipendia. Ephebeum nobilibus adolescentibus erudiendis ab inchoato erexit; eiusque potissimum opera Seminarium Romanum in magnificas Divi Apollinaris aedes translatum coepit illo auspice ac duce quam maxime prosperare. Et ne quid studiosae iuventuti institutioni deesset, Congregationes Purpuratorum Patrum creavit, quibus auctoribus omnia quae studiorum disciplinam, et literarum incrementa respicerent, componerentur. Celeberrimam Divi Pauli Basilicam flammis una nocte miserrime an. 1823 absumptam ingentibus impensis tum proprio, tum a fidelibus, apposita Encyclica an. 1825 ad tantum opus excitatis, collato aere, a fundamentis instaurare aggressus est. Tiburque Anienis exundationibus labefactatum reficiendum curavit. Anno autem 1829, infirmae valetudini, qua iam ante pontificatum laborabat, iv° idus februarii succubuit [3]. Sedit *ann.* 5, *mens.* 6, *dies* 11. Vixit annos 69, menses 6, dies 6.

41. *Scriptores ecclesiastici*—Inde ab exitu saeculi praecedentis usque ad haec tempora, inter scriptores ecclesiasticos floruerunt hi qui sequuntur: Michael Angelus Luchi, Brixiensis, Benedictinus, R. E. Card., linguarum orientalium peritus, suscepit novam

---

[1] Schenkl, *Op.* cit. p. 358.
[2] Vid. p. 339.
[3] Artaud, *Histoire du Pp. Léon XII*, Bruxell. 1843, 2 voll. in-8°.

editionem Bibliorum polyglottorum, scripsitque commentaria in plures s. Scripturae libros, et alia theologica, polemica, moralia, maximam partem inedita conservata in Bibliotheca Vaticana. Franc. Carolus Alter, Silesiae, S. I., inter alia plurima e Mss. Bibliothecae Viennens. procuravit editionem graecam N. Testamenti. Antonius Martini, Pratensis, archiep. Florentin., dedit versionem italicam V. et N. Testamenti, a Sede Apost. probatam, Instruct. morales de Sacramentis, et dogmatico-historico-morales de Symbolo. Petr. Franciscus Viguier, Congr. Missionis, publicavit latine et gallice Psalmos, sensu prophetico expositos. Ioan. Natal. Paquot, prof. Lovanii, edidit commentarium Muisii in Psalmos cum notis Bossuetii, auxit *Historiam ss. Imaginum* Molani et *Notionem temporum* Petri Danes, scripsitque gallice Commentaria in historiam litterariam Belgii et princip. Leodiens. Anton. Van Gils, Tileburgensis, dedit Analysim Epistolar. s. Pauli et Catholicarum. I. B. Glaire, Introductionem historico-criticam ad libros V. et N. Testamenti, gallice conscripsit, itemque adversus rationalistas opus, cui titulus: Libri sancti vindicati. Aloys. Ungarelli et Carolus Vercellone, Barnabitae, qui suis scriptis, de ss. Scriptur. editione, lectione ac interpretatione optime meriti sunt. Andreas Ferrigni, Neapolit. Eccles. can. theol. et in R. Universitate profess. evulgare coeperat *Institutiones biblicas*.

De re theologica bene egit laudatus M. A. Luchi. Ioan. Bapt. Lambruschini, episc. Urbevetanus, scripsit theologiam dogmaticam. Ludovicus Bailly, Divionensis, praeter Tractatus de vera Religione et de Ecclesia Christi, publicavit Theologiam dogmatico-moralem. Arthurus O' Leary, Capucinus Hibern., reliquit plura scripta polemica. Petr. Anton. Sanchez, can. Compostellanus, dedit Summam theologiae, Annales sacros, Historiam ecclesiae Africanae, et Tractatum de tolerantia in negotio Religionis. Franc. Florent. Brunet, Congr. Mission., praeter Elementa theologiae et Methodum ei studendi, scripsit Tract. de obligationibus poenitentis et confessarii; elucubravit gallice varia opuscula polemica. Georgius Hay, vicarius Apostolicus in Scotia, dedit Christianum recte instructum fide in Iesum Christum et alia nonnulla polemica. Lud. Aegid. de la Hogue, doctor Sorbonicus, reliquit tractatus de ss. Trinitate, de Incarnatione, de Sacramentis, de Religione, de Ecclesia, et Introductionem ad s. Scripturam et ad Historiam ecclesiasticam. Vinc. Benedict. Buzzetti, can. Placentin., scripsit tractat. de Religione, de Gratia, de infallibilitate R. Pont., notasque in libros s. Augustini *de Civitate Dei* et in *Concordatum* anni 1801. Gaspar Moser, prof. Lovanien., exaravit tractatum de impedimentis matrimonii et de iurisdictione haereticorum in articulo mortis. Ioan. Ioseph. Havelange, Lovanien. professor, auctor est tractatus de infallibilitate Ecclesiae in factis dogmaticis. Hyac. Sigismund. Gerdil, Sabaudus, Barnabita, R. E. Card., vir omni disciplinarum genere excultus, theologus, moralista, philosophus, metaphysicus, mathematicus, philologus, polemicus, qui adversus sophistas antiquos et novos, deistas, materialistas, pseudopoliticos, Febronianos, Eybel aliosque Religionis et Ecclesiae hostes scripto certavit, plurimaque diversi argumenti opera elucubravit, quorum omnium collectorem nactus est discipulum suum, Franc. Lud. Fontana, et ipsum Barnabitam ac Cardinalem optime meritum de litteris et Ecclesia. Amatus Henricus Paulian, Nemausensis, Iesuita, dedit Dictionarium philosophico-theologicum. Iacobus Andreas Emery iam laudatus, dedit inter alia Spiritum S. Theresiae, Defensionem revelationis contra incredulos, Cogitata Leibnitzii de religione et doctrina morali, nova opuscula Fleurii. Philippus Ludovicus Gerard, Parisiensis, publicavit *Comitem de Valmont* sive Aberrationes rationis, Lectiones historicas, Theoreticen felicitatis, et Miscellanea. Alphonsus Muzzarelli, S. Poenitent. theol., scripsit *de bono usu logicae in materia Religionis*, de origine iurisdictionis episcoporum in suis dioecesibus, de iure Papae destituendi episcopos, de aliis multiplicis argumentis. Ioan. Bapt. Duvoisin, episc. Nannetensis, reliquit Demonstrationem evangelicam, Dissertationem de visione Constantini M.; scripsit praeterea de auctoritate Pentateuchi et librorum N. T., de naturali et de vera Religione, de principiis revolutionis Gallicae. Michael di Pietro, R. E. cardinalis, scripsit contra conciliabulum Pistoriense. Laurentius Litta, et ipse R. E. cardinalis, reliquit praecellentes epistolas super quatuor articulis declarationis Gallicanae an. 1682.

Franc. Xav. de Feller, Bruxellensis, S. I., in Diario historico-litterario quoscumque Ecclesiae hostes et falsae scientiae venditores exagitavit; dedit praeterea Dictionarium historicum, Catechismum philosophi-

cum, Conciones, varia polemica maxime contra Febronianos. Augustinus Barruel, S. I., redegit aliquandiu Diarium ecclesiasticum sive bibliothecam scientiarum ecclesiasticarum; Litteras provinciales philosophicas, Historiam iacobinismi, Historiam cleri Gallicani sub initium turbarum istius regni; scripsit etiam de auctoritate Papae; contra impugnatores Concordati an. 1801, et contra fautores revolutionis Gallicae. Iulius Gabrielli R. E. cardinalis, Gallis Romam occupantibus, primarius Pii VI minister, scripsit varias epistolas dignitate plenas super gravaminibus eo tempore S. Sedi illatis. Ioan. Franc. Godescard, can. Parisiens., inter alia plura gallice reddidit notisque illustravit Albani Butler *Vitas SS.* Matthaeus Dannenmayer, Suevus, auctor est Institutionum historiae ecclesiasticae. Philippus Ang. Becchetti, Ord. Praed. et episcopus Civitatis-Plebis, continuavit Historiam ecclesiasticam card. Orsi. Ioan. Franc. van de Velde, Lovaniensis, cum novatoribus constanter luctatus est, et inter alia publicavit Synopsin Synodorum archiepisc. Mechliniensis. Ludovicus Mozzi, Bergomensis, S. I., scripsit Historiam schismaticae ecclesiae Ultraiectensis, aliaque contra Iansenistas et incredulos. Tossanus Iosephus Romsée, in Seminario Leodiensi professor, scripsit de re liturgica. Ioannes Devoti, ex episcopo Anagnino archiepiscopus Carthaginensis, reliquit Institutiones canonicas.

Post praefatos scriptores recensendi sunt: Ioannes Jahn, studii Biblici in Universitate Vindobonensi professor, qui dedit Introductionem in V. et N. Testamentum, Archaeologiam biblicam et Grammaticam hebraicam atque arabicam; sed hic illic iusto audacior, in nonnullis censuram meruit. Ioan. Teod. Beelen, in Universitate catholica Lovaniensi s. Scripturae professor, dedit *Chrestomathiam rabbinicam et chaldaicam*, Grammaticam graecitatis Librorum N. T., Librum Sapientiae graece, Commentarios in Acta Apostolorum et in Epistolas s. Pauli ad Romanos et ad Philippenses. Bernardus Overberg, Monasteriensis, inter alia publicavit Historiam V. et N. Testamenti. Henricus Klee, in Universitate Monachiensi prof., dedit Commentarios in Epistolas s. Pauli ad Romanos et ad Hebraeos, Theologiam dogmaticam, Historiam dogmatum, *et caetera.*

Ioan. Adamus Moehler, in Monachiensi Universitate aeque ac professor, publicavit *Patrologiam* seu historiam litterariam Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum trium priorum Ecclesiae saeculorum, *Symbolicam* seu expositionem controversiarum dogmaticarum inter Catholicos et Protestantes, eiusdemque operis continuationem in Novis investigationibus circa easdem controversias, alia. Franciscus Leop. Bruno Liebermann, canonicus Moguntinus, inter alia scripsit Institutiones theologiae dogmaticae. Ioannes Perrone, S. I., in Collegio Romano professor, adversus rationalistarum errores elucubravit Praelectiones theologicas, opus de Matrimonio christiano, variaque theologica et polemica scripta. Thomas Maria Ios. Gousset, archiep. Rhemensis et R. E. cardinalis, scripsit Theologiam dogmaticam, Theologiam moralem, alia. Franciscus Patricius Kenrick, archiepisc. Baltimorensis, dedit Theologiam dogmaticam. Nicolaus Wiseman, in Universitate Romana professor, postea Vicarius apostolicus Londinensis, atque inde R. E. cardinalis et archiepiscopus Westmonasteriensis, edidit Horas Syriacas, Collationes de doctrina et praecipuis institutis Ecclesiae catholicae, Sermones de mutua ratione scientiae ac Religionis revelatae, pluresque Commentationes historico-polemicas. Maurus Cappellari, Camaldulensis, R. E. Cardinalis, postea Gregorius Pp. XVI, edidit *Triumphum* S. Sedis et Ecclesiae. Ioannes Baptista Malou, e professore in Universitate catholica Lovaniensi episcopus Brugensis, inter alia erudite scripsit de legenda S. Scriptura in lingua vulgari, de dogmate recens definito Immaculatae conceptionis B. V. Moriae, de auctore librorum *Imitationis Christi.* Augustinus de Roskovany, e canonico Agriensi episcopus Vaciensis in Hungaria, scripsit de Primatu Romani Pontificis, de Matrimonio, de Matrimoniis mixtis inter Catholicos et Protestantes; collegit Monumenta pro independentia Ecclesiae a Statu civili. Iacobus Balmes, sacerdos Hispanus, inter cuius opera eminet illud quod scripsit de Protestantismo et Catholicism inter se comparatis quoad influxum in humaniorum populorum institutionem seu, ut vocant, civilisationem. Ios. Carrière, Congreg. S. Sulpitii, publicavit Praelectiones theologicas de iustitia et iure, de contractibus et de matrimonio. Maria Nicolaus Silvester Guillon, sacrae eloquentiae professor Parisiis, concinnavit Bibliothecam selectam Patrum Ecclesiae graecae ac latinae.

Angelus Mai, R. E. cardinalis, vir ma-

ximae eruditionis, praeter alia multa in lucem dedit Veterum scriptorum novam collectionem, Classicos scriptores ex codicibus Vaticanis editos, Spicilegium Romanum, Novam Bibliothecam SS. Patrum. Antonius Ioseph. Flosculus Binterim, parochus apud Dusseldorpium, publicavit Memorabilia Ecclesiae catholicae, Historiam conciliorum Germaniae et archidioecesis Coloniensis veteris et novae, alia. Petrus Franc. Xav. de Ram, Universitatis catholicae Lovaniensis rector, praeter alia plura dedit Synodicon Belgicum seu Acta ecclesiarum Belgii a celebrato concilio Tridentino usque ad Concordatum anni 1801. Ioannes Soglia, episcopus Auximanus et Cingulanus, R. E. cardinalis, scripsit Institutiones iuris publici et privati ecclesiastici. De eadem materia inter alios scripserunt Ferdinandus Walter, laicus, professor in Universitate Bonnensi, Georgius Phillips, laicus, professor in Universitate Viennensi, Michael Permaneder, professor in Universitate Monachiensi, qui inter alia etiam edidit Bibliothecam Patristicam. Carolus Iosephus Hefele, prof. in Universitate Tubingensi, nunc Rottenburgen. episcopus, edidit Patrum apostolicorum opera, Vitam cardinalis Ximenes, Historiam conciliorum, alia. Prosper Guéranger, abbas Solesmens., Ord. s. Benedicti, scripsit Institutiones liturgicas aliaque praecipue ad sacram liturgiam spectantia. I. B. Pitra, Ord. s. Benedicti, nunc Episcopus Tusculanus, R. E. cardinalis, inter alia edidit *Spicilegium Solesmense* complectens SS. Patrum scriptorumque ecclesiasticorum anecdota opera, *Analecta sacra* eidem *Spicilegio* parata, *Iuris ecclesiastici* Graecorum historia et monumenta. I. P. Migne, sacerdos Gallus, varias edidit collectiones, quarum praecipuae sunt Cursus completi S. Theologiae et S. Scripturae, atque Patrologiae latina et graeca; quae quidem Patrologiae seu collectiones operum et Scriptorum ecclesiasticorum ubique notissimae sunt et studia sacra plurimum promovent.

Fridericus Leopoldus comes de Stolberg, e protestante catholicus, scripsit Historiam religionis Iesu Christi a mundo condito usque ad annum aerae vulgaris 430, quam usque ad saeculum XIII prosecutus est Frider. von Kerz. Renatus Franc. Rohrbacher, professor in seminario Nanceiensi, reliquit Historiam universalem Ecclesiae catholicae. Theodorus Katerkamp, Monasterii professor auctor est Historiae ecclesiasticae. Iacobus Ruttenstock, canon. regular. Lateranensis, prof. in Universitate Vindobonensi, scripsit Institutiones historiae ecclesiasticae N. T. caute legendas. Ioannes Alzog, in seminario Hildesheimens. professor, edidit Historiam universalem Ecclesiae. Ioannes Ios. Ignat. Doellinger, professor in Universitate Monachiensi, inter alia in lucem emisit continuationem Historiae ecclesiasticae Caroli Anton. Hortig, Historiam Ecclesiae, Pseudo-reformationem eiusque incrementa et effectus, Paganismum et Iudaismum sive Introductionem in historiam Christianismi [1]. Ioan. Bapt. Palma, Romanus, publicavit Praelectiones historiae ecclesiasticae. Paulus Delsignore, canon. regular. Lateranensis, et in Universitate Romana professor, conscripsit Institutiones historiae ecclesiasticae Novi Testamenti quas edidit notisque et animadversionibus illustravit Vincentius Tizzani, eiusdem Congreg. in praedicta Universitate professor, postmodum archiep. Nisiben. Eisdem Institutionibus selectas variorum auctorum dissertationes seu Thesaurum historiae ecclesiasticae addiderunt duo canonici regulares Lateranenses, nempe laudatus Tizzani et Busiri. Gaspar Riffel, in Universitate Giessana prof., inter alia edidit Historiam ecclesiasticam recentiorum temporum inde ab initio pseudo-Reformationis saeculi XVI. Bartholomaeus Pacca, R. E. cardinalis, scripsit varia opera historica de rebus ad Pii VI ac praesertim ad Pii VII pontificatum pertinentibus. Continuationem magni operis Bollandiani de Vitis Sanctorum [2] curarunt et porro curant viri eruditi e Soc. Iesu.

E scriptoribus laicis praecipue hic sunt memorandi Picot, qui dedit Commentaria in historiam ecclesiasticam saeculi XVIII, Henrion, qui scripsit Historiam generalem Ecclesiae per saecula XVIII et XIX, et Chateaubriand, inter cuius opera eminet illud quod scripsit de indole Christianismi.

42. *Haereses et errores huius saeculi* — Praeter Constitutionalium, Theophilanthroporum et Anticoncordatistarum sectas, de quibus iam loquuti sumus, emerserunt sectae Sansimonianorum, Fourrieristarum sive Phalansteriensium, et Owenistarum.

Sansimoniani auctorem habent Claudium

---

[1] Ignatius Döllinger, superbia abreptus, factus est haereticorum, qui *veteres Catholici* audiunt, antesignanus. Notandum hic, recentiora eius scripta consectaria fuisse Gallicanismi, quo praelectiones suae scatere nemo non viderat.

[2] Vid. p. 203.

Henricum comitem de Saint-Simon, qui, conceptis in bello Americano intemperantis libertatis ideis, consumpto itineribus, inconsideratis speculationibus et licentiori vita patrimonio, attentatoque suicidio, incredulus obiit Parisiis anno 1825. Contendunt Sansimoniani, religionem christianam et constitutionem socialem esse reformandas, quod saeculi huius illuminati genio atque indigentiis non sufficerent. Praedicant speciatim plenam libertatem, conditionum aequalitatem, bonorum communitatem, plenamque, ut dicunt, feminae emancipationem.

Franciscus Maria Carolus Fourrier, natus Vesuntione anno 1772 et mortuus Parisiis anno 1837, Deum hominem et rerum universitatem esse unum dicebat; doctrinas revelatas reiiciebat; finem hominis esse asserebat proprium sui ipsius bonum physicum et morale; adstruebat animarum transmigrationem; ad restaurandam societatem docebat, homines esse successive distribuendos in congeries, in series et phalanges, unitas per sic dictum phalansterium, a quo nomen secta habet [1].

Robertus Owen, natus in Anglia anno 1771 ibique nuper defunctus, tum in Anglia tum in America, religionis et proprietatis ac matrimonii abolitionem praedicavit; sic dictam societatem universalem rationalistarum instituit. Docebat is, hominis finem esse in hac vita summa felicitate et naturae cupiditatibus frui. Negabat praeterea liberum hominis arbitrium.

Felicitas Robertus de Lamennais, sacerdos Gallus, rationalismum et progenitos ex eo errores ardentius oppugnans, naturales rationis humanae vires nimium depressit, et summum atque infallibile certitudinis criterium constituit in generali hominum consensione, quam *sensum communem* appellabat. Praeterea anno 1830 in diario cui titulus *l'Avenir*, rebellioni contra gubernia absoluta applausit, totalem inter Statum civilem et Ecclesiam separationem propugnavit, ác libertatem conscientiae et opinionum atque artis librariae ad scripta quaelibet in vulgus edenda, aliasque libertates tanquam vera principia tuitus est. Plures episcopi Galli varias propositiones ex eius scriptis excerptas censura notarunt; alii Romani Pontificis sententiam appellarunt. Gregorius Pp. XVI doctrinas in diario *l'Avenir* propugnatas condemnavit in epistola encyclica *Mirari vos arbitror*, data 15 augusti 1832 ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos. De Lamennais in aberrationibus suis pertinax, eas in novo opusculo, cui titulus: *Paroles d'un croyant*, impudentius defendit. Gregorius XVI per alteram encyclicam *Singulari Nos*, datam 25 iunii 1834 ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, praefatum opusculum condemnavit, simulque improbavit invectum ab eodem scriptore philosophiae systema. De Lamennais ad peiora semper dilapsus tandem impoenitens obiit 27 februarii 1854 [1].

In Alsatia novum philosophiae systema invexit Ludovicus Bautain, sacerdos Gallus, qui ad confutandum rationalismum philosophico-theologicum, contendebat, rationem propriis suis viribus ad nullius veritatis certitudinem pertingere posse; in cognoscendis veritatibus fidem supernaturalem praecedere usum rationis, et hanc ipsam fidem esse in pilosophia ac theologia unicum certitudinis criterium. Episcopus Argentorati 15 septembris 1834 monitum ad eum dedit, continens sex propositiones, eius doctrinae directe oppositas; deinde per litteras pastorales clerum et populum admonuit, ut sibi caverent a praefata doctrina. Gregorius Pp. XVI ab episcopo Argentinensi interpellatus, monitum eius litterasque pastorales contra praedictam doctrinam approbavit atque laudavit per Breve 20 decembris 1834. Postea Bautain humiliter se subiecit et anno 1840 propositionibus doctrinae suae contrariis subscripsit [2].

Quum Augustinus Bonnetty, laicus Gallus, in suis ephem. *Annales de Philosophie chretienne*, quaedam et ipse docuisset rationis humanae vim nimis deprimentia, iussu Sedis Apostolicae anno 1855 subscribendae ei fuerunt propositae quatuor propositiones de vi mutuaque relatione rationis et fidei, quibus illico pius ille auctor subscripsit [3].

Alii vero scriptores catholici in oppositos errores inciderunt. Imprimis Georgius Her-

[1] De huius scholae systemate legendum erit *Sul movimento filosofico moderno* in appendic. operis De Salinis, *Compendio della storia della filosofia* etc. Napoli, Biblioteca Cattolica, 1860.

[1] De operibus philosophicis scriptoris huius fusius loquutum est in neapol. Eph. *La Scienza e La Fede*, voll. XXXI, p. 101 sqq, XI, p. 212, XII, p. 134, XIII, p. 321, 401. Prae caeteris legere iuvat vol. II, p. 130 sqq, in quo Lammenaisii exponuntur vita et res.

[2] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. XX, p. 321 et 334.

[3] Vid. *Di alcuni veri principii di filosofia cristiana disconosciuti dalla scuola de' tradizionalisti* in citt. *La Scienza e la Fede*, vol. XXXI, p. 28 sqq.

mes, in Universitate Bonnensi professor et canonicus Coloniensis, in demonstrandis Religione eiusque dogmatibus usus est systemate, quod adversabatur regulae, quam pro exponendis ac defendendis fidei veritatibus constanter tradiderunt SS. Patres et Ecclesia. Constituebat Hermes dubium positivum ut basim omnis investigationis theologicae, et rationem ut regulam principem atque unicum medium, quibus homo ad cognitionem veritatum supernaturalium perveniret. Obiit Hermes anno 1831. Gregorius Pp. XVI eius opera, nimirum Introductionem in Theologiam christiano-catholicam, et Dogmaticam christiano-catholicam, condemnavit per apostolicas litteras *Dum acerbissimas* datas 26 septembris 1835, et per decretum S. Congregationis Indicis diei 7 ianuarii 1736. Quare Clemens Augustus baro de Droste de Vischering, archiepiscopus Coloniensis, ordinandis et neo-approbandis presbyteris subscribendas proposuit certas theses, quibus errores systematis Hermesiani proscribebantur, et professoribus in Universitate Bonnensi et seminario Coloniensi praefati systematis fautoribus, officio interdixit. Quum postea nonnulli doctrinae in epistola encyclica Pii Pp. IX ad omnes episcopos data 9 novembris 1846 probari, idem Pontifex, per Breve *Summa quidem animi* 25 iulii 1847 datum ad archiepiscopum Coloniensem, praedecessoris sui decreta contra libros Hermesii confirmavit, et eosdem libros denuo reprobavit damnavitque [1].

Antonius Guenther, sacerdos austriacus e Bohemia oriundus, erroneo atque pernicioso rationalismi systemate ductus, atque humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debent, magisterii ius attribuens, in libris suis non pauca scripsit quae a catholica fide et sincera explicatione de pluribus dogmatibus aberrant. Quare S. Congregatio Indicis eius libros accurate et diligenter excussos per decretum 8 ianuarii 1857, apostolica auctoritate approbatum, damnavit atque proscripsit. Quod ipsum decretum confirmavit Pius Pp. IX in Brevi *Eximiam tuam*, dato 15 iunii 1857 ad cardinalem de Geissel archiepiscopum Coloniensem. Guentherus obsequentissimis litteris 10 februarii eiusdem anni ad Pontificem datis, se humillime subiecerat commemorato decreto de suis operibus promulgato [1].

Regiminis ecclesiastici constitutionem a Christo stabilitam, speciatim vero potestatem Romani Pontificis et Ecclesiae a Statu civili independentiam scriptis suis temere conati sunt demolire Franciscus de Paula G. Vigil, sacerdos Limanus in republica Peruviana, et Ioannes Nepomucenus Nuytz, professor laicus in athenaeo Taurinensi. Utriusque scripta damnavit Pius Pp. IX, prioris quidem in Brevi *Multiplices inter*, 10 iunii 1851, posterioris vero in Brevi *Ad Apostolicae*, 22 augusti 1851 [2].

43. *Catholicorum status in Anglia* — In Anglia iam inde a praecedenti saeculo catholicorum conditio pedetentim mitior reddita fuerat [3]. Post unionem Hiberniae cum Anglia sub eadem curia, an. 1800 sancitam, Catholici Hiberni, Scoti, et Angli instanter supplicarunt, ut sibi iurium civilium usus integer restitueretur. Iam inde ab anno 1805 in concilio regio de emancipatione, ut vocabant, Catholicorum actum est. Gubernium ad satisfaciendum illorum petitionibus inclinabat, modo sibi ius approbandi episcoporum nominationes et inspiciendi eorum cum Apostolica Sede relationes concederetur. Haec res inter ipsos Catholicos divisionem excitavit; nonnulli istas clausulas tolerandas esse censebant; alii, praesertim Hiberni, eas reprobabant. Anno 1808 episcopi Hiberni in unum congregati easdem clausulas, tanquam libertati ecclesiasticae oppositas, reprobarunt. Id ipsum fecerunt in aliis congregationibus, an. 1810 et 1815 habitis. In *Camera Communium*, ut vocant, multi deputati emancipationi Catholicorum favebant; sed Clerus anglicanus et proceres eidem acriter adversabantur. Ea tandem anno 1813 et deinceps continuo in Cameris proposita et semper reiecta, die 12 april. an. 1829 sine praefatis clausulis approbata et sancita fuit. Ex hoc tempore Catholici non solum iuribus civilibus potiti sunt, sed eorum numerus continuo auctus est.

---

[1] De expositione Hermesii philosophici systematis vid. eph. *Annali delle Scienze religiose*, vol. IX, p. 321 sqq, Roma 1839. Breve vero Pii Pp. IX, Colonien. archiep. datum, evulgavit *La Scienza e La Fede*, in vol. XIV, p. 461, Napoli 1847.

[1] De Guentheri doctrina in libris suis contenta aliisque quae huic philosopho referuntur legesis *La Scienza e La Fede*, vol. XXXIV, p. 263 sqq, XXXIII, 186, 284, 399.

[2] Vid. quoque *La Scienza e La Fede*, vol. XXI, p. 572, XXII, 353 et 565, Napoli 1851.

[3] Vid. p. 307 voluminis huius.

Romani Pontifices e quo in Anglia schisma excitatum est, numquam intermissis curis operam navarunt ut religioni catholicae in eo regno extremum discrimen adductae auxilium afferrent nec haudquaquam deessent, qui catholicarum illic rerum curam susciperent; interea dum in continenti adolescentes angli educarentur, qui sacris subinde Ordinibus insigniti in patriam reversi popularibus suis Verbi et Sacramentorum ministerio iuvarent. Quum primum Gregorius XV potuit, praesules episcopali charactere insignitos ibi misit; et Guilielmum Bishopium consecratum episcopum Chalcedonensem cum Ordinariorum propria potestate ad Angliae et Scotiae Catholicos gubernandos destinavit [1]. Bishopio mortuo Urbanus VIII easdem amplas facultates cum Episcopatu Chalcedonensi Richardo Smith tribuit [2]. Attamen sub Iacobi II regno in Anglia feliciora tempora obventura visa sunt; qua opportunitate Innocentius Pp. XI statim usus, Ioannem Leyburnium Episcop. Adrumetenum totius Angliae regni Vicarium Apostolicum an. 1685 deputavit. Aliis vero Litteris Apostolicis die 30 ianuar. 1688, *Super Cathedram*, Leyburnis 3 alios Episcopos *i. p. i.* titulis insignitos Vicarios Apostolicos adiunxit. Quae totius Angliae in 4 Vicariatus Apostolicos partitio, a Ferdinando Amasiensi archiepiscopo, in Anglia Nuntio Apostolico, peracta, usque ad Gregorii XVI tempora perduravit; qui die 3 iulii 1840 Litteris *Muneris Apostolici*, habita praesertim ratione incrementi, quod religio catholica in eo regno iam acceperat, novaque facta regionum Ecclesiastica partitione, duplo maiorem Vicariatuum Apostolicorum numerum excitavit, et Angliam totam Vicariis Apostolicis *Londinensi*, *Occidentali*, *Orientali*, *Centrali*, *Walliensi*, *Lancastriensi*, *Eboracensi*, et *Septentrionali* in spiritualibus gubernandum commisit.

Hodie fere quotidianae sunt Anglicanorum, praesertim ex eruditis et clero, ad Romanam Ecclesiam conversiones, ad quas efficiendas non parum contulerunt Puseystarum studia. Hi sic appellati a Pusey, doctore Oxoniensi, inde ab an. 1833 theologiam instaurandam susceperunt, non secundum novatorum saec. XVI trutinam, sed secundum veterum Patrum traditionem.

[1] Vid. Gregorii XV *Litterae Apostolicae*, diei XXIII martii an. MDCXXIII, incipientes *Ecclesia Romana*.

[2] *Litt. Apost.* diei IV februar. an. MDCXXV.

Quo effectum est, ut non solum in nonnullis articulis controversis ad Catholicorum doctrinas propius accesserint, sed eorum plures, veritate conspecta, ad R. Ecclesiae gremium reversi fuerint et continuo revertantur [1].

Scotis quoque numquam, ut vidimus, defuit RR. PP. sollicitudo ac provvidentia, ut haeresi erumpente saeculo XVI fortes in Fide perseverarent, praesertim quum sub Puritanorum iugo satis Catholicis liberam profiteri religionem suam interdictum esset [2]. Commiseratione itaque commoti Summi Pontifices, qua iteratis Missionariorum ex variis Regularium familiis expeditionibus, qua Apostolicis legationibus, aliisque omne genus collatis subsidiis in id indefesse adlaborarunt. Romae selectis ex Scotia gente adolescentibus, praeter Urbanianum, peculiare patuit Collegium, in quo sacris disciplinis imbui et Sacerdotio initiari possent ad sacrum ministerium deinde in patria exercendum. Et quoniam illa Dominici gregis pars suis fuerat viduata pastoribus, Gregorius XV laudatis iam litteris x° calend. april. 1623 Guilielmo Bishopio Chalcedoniae Episcopo datis pro Anglia simul et Scotia facultates tribuit, quae Ordinariorum propriae sunt, illum misisset etiam pro Scotiae regno, ut dispersarum illarum

[1] Doctoris Eduardi Pusey, qui mortem obivit die 17 septembris anni 1882, octoginta duos annos natus, vitae brevem narrationem retulerunt ephemerides, saepius citt., *La Scienza e La Fede* (cf vol. XII, p. 32, Napoli 1846). Eo in loco et in aliis multis earumdem ephemeridum voluminibus (ex. gr. LXI, LXII, LXV, passim) sermo habetur illius religiosi reditus, licet initialis, Anglorum ad veritatem, qui *Ritualismi* vel *Puseysmi* nomen accepit, et cuius duces fuerunt ipse doctor Pusey aliiqui permulti magni lycei Oxoniensis antecessores. Inter innumeros ac insigniores viros in Anglia ad catholicam professionem hac nostra aetate deductos adnumerantur doctores Euduardus Manning et Ioannes Henricus Newman, quorum unus sedem metropolitanam Westmonasteriensem tenet, alter Oratorii S. Philippi Nerii sodalitatem decorat: ambo vero Cardinalium. Romanae Ecclesiae senatui adscripti sunt. Henricus Newman, anno 1841, cum nondum esset catholicus, tot tantarumque animarum ad veram Fidem reditum acceleravit, conscribendo *Observationes in aliquot loca* XXXIX *Articulorum ecclesiae anglicanae*. At nemo non miseratur sortem Pusey, qui in tanta veritatis luce, etsi anno 1843 doctrinam catholicam *de Transsubstantiatione* ita manifeste propugnasset, ut ei Tribunal magni lycei Oxoniensis discipulos erudire interdixerit, mortuus est non abiurato *anglicano* errore!

[2] Vid. p. 174.

ovium pastoralem curam assumeret. Ad restituendam in utroque regno orthodoxam fidem et Anglorum et Scotorum salutem procurandam, Francisco R. E. Card. Barberinio eorum Protectori, magnam facultatum copiam ab Urbano VIII attributam fuisse, eius Litterae, *Inter gravissimas* xv° calend. iunii 1630 datae, ostendunt. Huc spectant etiam aliae eiusdem Pontificis litterae *Multa sunt* ad Galliarum reginam pridie idus februarii an. 1633, ut illius benevolentiae Christifideles et Ecclesiam illam squalore confectam commendaret.

Verum, pro meliori Scotorum spirituali regimine Innocentius Pp. XII in Vicarium suum Apostolicum Thomam Nicholson, Peristacii *i. p. i.* Episcopum, an. 1694 deputavit, integro regno ac Insulis adiacentibus ipsius curis commissis. Et haud multo post Benedictus XIII socium praedicto Episcopo an. 1727 adiungere potuit. Ita factum est, ut universum Scotiae regnum in duos fuerit Vicariatus Apostolicos divisum. Ast quum in dies Catholicorum numerus augeretur tertii Vicariatus institutionem Apostolica Sedes suppeditari oportere animadvertit. Ea de causa Leo XII Literis Apostolicis idibus februar. 1827, *Quanta laetitia*, Scotiam in tres Districtus seu Vicariatus Apostolicos Orientalem, Occidentalem et Septentrionalem partitus est. Unus e tribus Vicariis archiepiscopus titularis nominatur, et est Delegatus Apostolicus et Administrator sui Districtus.

In Hibernia interdum catholica religio a sancto Patricio invecta[1] mirifice extendi visa est, cum ecclesiae ac caenobia augescerent, et clericorum seminaria, insignioresque scholae vigerent, praecipue saeculis VI, VII et VIII, quando Galli, Saxones, aliique, tamquam ad bonarum litterarum emporium, ibi confluxerant[2]. Verum gens hibernica suae in fide constantiae insignia dedit augmenta, cum in eam saevirent Dani, qui anno 795 in insulam irruentes sacra templa everterunt, civitatibus vastitatem attulerunt, libros combusserunt, plurimosque viros doctrina ac pietate conspicuos crudeliter necarunt. Tandem Danis profligatis, Hibernia potiti sunt Angli, qui prioribus tercentis quinquaginta annis imperii sui omni molestiarum et iniuriarum genere Hibernos afflixerunt, donec Reformationis tempore in eos crudelitates manifestas exercuerunt, quas antea memoravimus[1]. At Hiberni, summa constantia homines, in fide perseverarunt tum sub tyrannico rege Henrico, Elisabetha, Eduardo, Cromvellii republica, atque Caroli II monarchia, tum imperantibus e regali gente Tindor, Stuartt et Hannoverae[2].

44. *Pius VIII*, *Pontifex* (*an.* 1829) — Leone XII defuncto, pridie calendas aprilis anni 1829 ad summum Ecclesiae regimen evectus est Franciscus Xaverius Castiglioni, Cardinalis episcopus Tusculanus et Maior Poenitentiarius; qui in memoriam Pii VII, cui amicissimus extiterat, et a quo ei praedictum fuisse pontificatum, fama est, assumpsit nomen Pii VIII. Inter Cardinales Pontifici creando congregatos, Legatis Hispaniae, Austriae, et Galliae, qui suorum guberniorum vota respective pro novo pontifice Conclavi nuntiabant, et Chateaubriand, qui praecipue nomine Galliae petebat *Pontificem iuxta temporis necessitatem*, Franc. Castiglioni, uti Cardinalis Decanus, inter alias respondebat, « Sacrum Collegium necessitatem temporis plane cognoscere, ac se in Deo sperare ut finem acciperet effraenatum desiderium eximendi ab omni auctoritate, et mentes eorum qui obsequium consequi contenderent humanis legibus absque divina auctoritate illuminarentur ».

IX° calendas iunii 1829 Pius Pp. VIII pro more encyclicam epistolam dedit ad omnes catholici orbis antistites, in qua amare deplorabat progressionem impietatis et societatum occultarum, contra quas decessorum suorum decreta confirmabat; querebatur etiam de propagatione perversorum librorum, deque pravis doctrinis, quibus adolescentes in multis gymnasiis et lyceis imbuebantur; hortabatur episcopos, ut constanter istis malis obstarent, clericorum institutioni invigilarent, et sanctitati matrimonii consulentes, populum christianum edocerent, illud non terrenis, sed sacris rebus esse accensendum, ideoque Ecclesiae legibus omnino subiici[3]; deinde Iubilaeum indixit. — VIII° calendas aprilis 1830 epistolam *Litteris altero abhinc anno*, in forma Brevis, scripsit ad archiepiscopum Coloniensem atque episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem, in quibus rationem, quam in causa matrimoniorum mixtorum sequerentur, praescripsit.

[1] Vid. tom. I, p. 136.
[2] Warei, *Antiquit. Hibern* c. 15

[1] P. 222. — [2] Vid. quoque pp. 198, 231, 270, 307.
[3] Gubernium Gallicanum promulgationem huius Encyclicae prohibuit, sed postea poenas luit.

Pontificis litteris adiuncta erat Instructio cardinalis Albani, ad eamdem rem spectans. Aliam epistolam in forma Brevis episcopis Friburgen. Moguntin. Rothenburgens. Limburgen. et Fuldens. edidit, in qua Ecclesiam *divina institutione liberam esse mirifice vindicavit.* Fideles Armeni catholici calumniosis malignantium impulsibus patria domibusque suis eiecti, vitae praesidiis destituti, errantesque in longinquas regiones a Pio VIII, opem orante Caroli X, regis Galliae, in Turcarum imperio ab exilio evocati, res domusque et libertatem religiosam acquisiverunt, facultatemque erigendi ecclesias, nosocomia et scholas. Pontifex pro ipsis Armenis Constantinopolim archiepiscopum creavit, titulo metropolis primatialis. Tanta in Pio VIII, praesertim sacrorum canonum scientia eluxit, tantaque in sacris muneribus expediendis dexteritas, ut omnes de ipsius Pontificatu maximam spem conciperent; sed illum adversa semper usum valetudine, dum optima quaeque a suis praedecessoribus constituta sarta tectaque servare curaret, ac maiora pro Ecclesiae bono moliretur, eripuit praepropera mors, pridie calendas decembris 1830 post annum aetatis suae 69. Sedit *ann.* 1, *mens.* 8.

45. *Gregorius XVI, Pontifex* (*an.* 1831)— Post Pii VIII obitum Apostolica Sedes vacavit 2 menses. Postridie calend. februarii an. 1831 Pontifex electus fuit Gregorius XVI, Bellunensis, antea Maurus Cappellari, Ordinis Camaldulensium abbas et vicarius generalis, R. E. cardinalis, vir pietate, doctrina, innocentia et gravitate morum, prudentia et constantia spectatissimus; qui propter emergentes undique tempestates opportunissime Ecclesiae praefectus est [1]. Electionem eius mox subsecuta est popularis commotio in Legationibus ad temporale Romanorum Pontificum dominium omnino evertendum, tempore Sedis vacantis a *Carbonariis* excitata, quam tamen brevi compresserunt copiae auxiliares ab imperatore Austriaco missae [1]. Cum autem RR. Pontifices in civitatum regnorumque vicissitudinibus, commutationibus aut de principatu contentionibus, quibus variae Europae regiones hoc ipso tempore agitatae fuerant, negligere minime queant quae ad rectam rei sacrae procurationem et animarum salutem magis expediant; cumque haec ipsa eorum sollicitudo in invidiam rapi posset, quasi studio partium adrepti, quodammodo iudicium ferant de personarum iuribus, dum pluribus de principatu contendentibus quidpiam pro illarum regionum ecclesiis decernunt; Gregorius XVI, calendis augusti 1831, per Constitutionem, *Sollicitudo ecclesiarum*, id ipsum, quod iam pro similibus casibus declararant Clemens V, Ioannes XXII, Pius II et Xystus IV, declaravit: nimirum RR. Pontifices, dum ad componenda spiritualia ecclesiarum fideliumque regiminis negotia, aliquem titulo cuiuslibet dignitatis, etiam regalis, honorant, aut propter easdem causas cum eo, qui reipublicae praeest, tractant, prorsus alienos esse a politicis contentionibus, quarum participes esse nolunt, aut ullum ius tribuere iis, quibuscum agunt, aut quicquam caeterorum iuribus aut privilegiis detrahere.—XVIII° calendas septembris 1832 celeberrimam dedit ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos epistolam encyclicam, qua indicabat praecipua mala, quibus Ecclesia affligebatur, et antistites hortabatur, ut ad medendum his malis omnem vigilantiam adhiberent; querebatur maxime de novarum doctrinarum progressu, de licentia quaelibet

[1] In allocutione habita ante Conclavem, iuxta morem, Angelus Mai ita Cardinalibus alloquutus erat: « Quare agite, o Patres, desideriis nostris studiosissime occurrite, et excellentem Pontificem at ex veterum forma exemplorum nobis concedite. Sit is utinam fide Petrus, constantia Cornelius, felicitate Sylvester, elegantia Damasus! Sit eloquii nitore Leo, doctrina Gelasius, pietate Gregorius, fortitudine Symmachus, amicitia principum Hadrianus! Sit concordia ecclesiarum Eugenius, patrocinio litterarum Nicolaus, magnitudine consiliorum Iulius, liberalitate Leo, sanctimonia Pius, vigore animi Xystus! Sed ne priscas tantummodo cogitemus aetates, date nobis talem Pontificem, ut neque Benedicti eruditionem, neque Pii VI munificentiam, neque Septimi fortitudinem ac benignitatem, neque Leonis XII vigilantiam, neque Pii VIII rectitudinem desideremus ».

[1] Hoc super gravi eventu legere est Epistolam missam IV° calendas aprilis 1831 ab Emo Cardinali Bernetti ad Oratorem regni Galliae apud Apostolicam Sedem. Accurate exponitur in ea crimen, quod temeritas perduellium perpetravit, cum nationis vel status nomen usurparent, et Romanos Pontifices tum iure tum facto ab omni ditione in illas provincias deiectos edicerent. Litterae, quas scripsit Summus Pontifex Gregorius tempore seditionis ad suos fideles Romanos, ad Oratores ac Nuntios Principum, et ad ipsos turbulentos homines, maiestatem et amorem redolent. Quae nos aetate nostra miserrima vidimus, ac documenta quae in lucem usque adhuc prodierunt, satis superque sunt, ut Pontificis memoriam vindicent apud illos ineptos et absurdos, qui nimiae asperitatis eum insimulant, ob modos quibus seditionem comprimere adnisus est, auxilia Austriae expetens.

scribendi et imprimendi, de *indifferentia* in negotio Religionis. Anno sequenti, xv° calend. octobr., bulla *Cum in Ecclesia* haud omisit damnare simul aliquot vastarum regionum Germaniae scriptores, qui agmine facto arrogabant sibi reformationem in Ecclesiam inducere, qua tempori serviret. Pontifex igitur quinque istorum libros censura notavit, eo quod continerent propositiones respective falsas, temerarias, erroneas etc. et iam ab Ecclesia in Luthero, Baio, Richerio, Eybelio, Pistoriensibus aliisque damnatas. Idibus decembris eiusdem anni litteras in forma Brevis, *Maiori certo solatio*, dedit ad archiepiscopum Mechliniae aliosque episcopos Belgii, quorum fervorem, vigilantiam et erga Apostolicam Sedem observantiam laudavit, et eorumdem precibus annuens, iis potestatem fecit erigendi catholicam studiorum Universitatem, monens praesertim ad Sedem Apostolicam pertinere studia sacrasque disciplinas in catholicis Universitatibus moderari. VII° calendas iulias 1834 alteram publicavit epistolam Encyclicam, *Singulari Nos*, qua doctrinam philosophico-politicam Felicit. de la-Mennais, quam iam in priori encyclica (xviii° cal. sept. 1832) perstrinxerat, expressius reprobavit. Pridie idus septembris Instructionem, *Litteris iam inde*, dedit ad episcopos Bavariae de matrimoniis mixtis. Anno 1835, xvi° calend. iunii, Encyclicam epistolam, *Commissum divinitus*, scripsit ad episcopos, capitula, parochos clerumque Helvetiae contra usurpationes potestatis civilis in ecclesiasticam. Brevi, dato vi° calendas octobris, condemnavit opera Georgii Hermes in Universitate Bonnensi theologiae professoris [1].

De condemnatione, per Breve diei 16 septembr. 1835, libri, cui titulus *Synodus Antiochena sub Agabio Matar, Patriarcha Antiocheno*, an. 1806 *celebrata*, a Gregorio Pp. XVI facta, iam diximus[2]. Haec synodus arabicis typis impressa, inconsulta apostolica romana Sede plura contra sanam doctrinam et probatam Ecclesiae disciplinam continens, iamdiu in hominum de puritate catholicae dogmatis sollicitorum reprehensiones varias incurrerat. Episcopo Baiocensi, Literis in forma Brevis diei 8 novembris 1843 datis, Pontifex novam impiorum hominum societatem a Petro Michaële Vintras ibi propalatam, improbavit. Hi sectarii, transfigurantes se in apostolos Christi, commentitium fictumque misericordiae opus annuntiantes, tertium in Christi regnum proponebant, quod Spiritus Sancti regnum appellare non reformidabant. Litteris *Inter maximas* diei 5 august. 1843 damnavit quoque summus Pontifex libellum, qui inscribitur: *Sulla direzione degli studi di Francesco Forti*, Ginevra 1843. Liber mole quidem exiguus, sed argumenti varietate, et errorum multitudine magnis voluminibus habendus est aequipollens, eo fine ac maligna magistrorum iniquitatis arte, ut sic molis exiguitate facilius esse possit prae omnium manibus ad quaelibet studia inficienda et depravandam inventutem cuiuslibet aetatis, ordinis, conditionis religionemque labefactandam. In praelaudata epist. Encyclica postridie nonas maii 1844 edita, adversus machinationes acatholicorum cum suis Societatibus biblicis[1], Pontifex a Societate *Foederis christiani* avertere quoque obtestatur atque obsecrat[2]. Die 24 aprilis 1838 approbavit sodalitium Immaculati Cordis B.V.M. et Litaniis lauretanis, uti diximus [3], adiunxit *Regina sine labe originali concepta*. A die 22 aprilis 1831 usque ad 5 mart. 1845 cultum Beatorum *vel* Sanctorum triginta quinque Servis Dei *ab immemorabili* tributum, e S. Rituum Congr. consulto, Gregorius XVI auctoritate Apostolica confirmavit. In *Sanctorum* numerum praeterea solemniter, die 24 maii 1839, retulit BB. Alfonsum M. de Ligorio, Franciscum de Hieronymo, Pacificum a Sancto Severino, Ioannem Iosephum a Cruce et Veronicam Iulianam, sicuti inter *Beatos* adscripsit Venn. Sebastianum Valfrè, 31 augusti 1837, Ioannem Massias et Martinum de Porres, Ord. Praed., 22 oct. 1837, Franciscam a quinque vulneribus, 12 april. 1843.—VIII calendas septembris 1840 rursum ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos encyclicam epistolam, *Probe nostis*, dedit, qua expositis malis, quibus Ecclesia in variis regionibus affligebatur, et laudatis in aliis Religionis incrementis et prosperitate, antistites excitavit ad sollicitam munerum suo-

---

[1] De his omnibus vid. *Della vita e del Pontificato di Gregorio XVI* in eph. *La Scienza e La Fede*, vol. XII, Napoli 1846, art. II passim, locosque in notis sub § 42 huius *Epochae* citatos.

[2] P. 335.

[1] Vid. p. 337.

[2] Cf *La Scienza e La Fede*, vol. vi, p. 123 sqq, Napoli 1843, aeque ac voll. viii-xi earumdem ephemeridum, ubi sub nomine *Lettere d'un giovane italiano* doctrinae scandalosae, in damnato impio et execrando libello contentae, plenissime refutantur.

[3] P. 110.

rum expletionem. Maximo dolore affectus fuit propter persecutiones et molestias, quas Ecclesia in Lusitania, Hispania, Borussia, et Russia subibat. De persecutionibus in imperio Moschorum a catholicis sustentis, Gregorius moestas fecit quoque querimonias cum Nicolao I Russorum autocrate, quum Neapolim petens, Romam, invisendi Pontificis gratia, diversatus est. Interim nihil omisit eorum, quae muneris sui erant, ad defendendam Ecclesiae causam et levandas Catholicorum indigentias, uti constat ex allocutionibus, declarationibus litterisque, quas iis de rebus habuit et edidit. Plures episcopatus et vicariatus apostolicos in diversis orbis partibus creavit. Litterarum, scientiarum artiumque studia et culturam summopere fovit. Ad addendos virtuti stimulos novum Ordinem equestrem s. Gregorii instituit. Alia plura praeclare gessit, quae Pontificatum eius celeberrimum reddiderunt; quorum de nonnullis mox dicturi sumus.

46. *Religionis status in Gallia* — Interea Ludovicum XVIII regem Galliae, an. 1824 defunctum excepit Carolus X, frater, eius, princeps bonus, sed futurorum minus providus, sub quo adversariorum regiminis ac Religionis audacia magis magisque aucta est. Hi quidem contra solos Iesuitas declamare videbantur, sed eo nomine et Religionem et regiminis formam atque auctoritatem impetebant, scripta Religioni et regimini funesta maximo numero vulgabant, numerum deputatorum, qui in *Cameris* gubernii conatibus refragarentur, augebant. Gubernium vero sua timiditate, inertia et immodica erga adversarios indulgentia propriam et Religionis causam deprimebat. An. 1828, xvi° calendas quintilis, edicta publicavit, quibus Iesuitarum collegia supprimebantur, numerus adolescentum, ab episcopis in minora seminaria admittendorum, limitabatur, aliaque nonnulla ad eamdem rem spectantia sanciebantur, quae episcopis regni bono animo suscipere iure non potuerant: quare expostulationes supplices regi obtulerunt adversus praefata edicta; rex autem ea nonnihil modificavit. Verum ubi viii° calendas sextilis 1830 prodierunt decreta de reprimenda typographica licentia et immutanda electionum forma, motus civiles Parisiis excitati sunt, et post cruentam 3 dierum pugnam rebelles praevaluerunt. Parisiorum rebellionem secutae sunt reliquae regni civitates. Carolus X exauctoratus et e regno relegatus est; eius locum occupavit Ludovicus Philippus, dux Aurelianensis, qui proclamatus fuit rex Francorum. Inter hos tumultus res ecclesiacticae graviter concussae sunt; in nonnullis locis episcopi, viri ecclesiastici et religiosi a seditiosis vexati sunt. Verumtamen tranquillitas et priscus rerum status sub Philippo rege I pedetentim redierunt. Postulante eodem rege, Gregorius Pp. XVI ad religionis catholicae decorem et propagationem in Algerio (antiqua Numidia et Mauritania), iam inde ab an. 1830 armis Gallorum subdito, Bulla, data iv° idus augusti 1838, creavit sedem episcopalem Iuliae-Caesareae (*Algeria*), quae est regionis illius civitas metropolis,— postea a Pio IX, duabus suffraganeis *Constantinian.* et *Oranen.*, recens erectis, in metropolitanam evectam.

47. *In Belgio*—In Belgio Guilielmus rex I non modo violentis decretis subditorum animos offendebat, sed ipsam religionem catholicam, cui Belgae addictissimi sunt, continuo impetebat. Anno 1825, vias Iosephi imperatoris II secutus, Lovanii in eadem domo, in qua ille seminarium generale, instituit collegium philosophicum, prohibuitque, ne qui in seminaria dioecesana admitterentur, nisi prius huius collegii scholas frequentassent. Haec res Belgarum catholicorum querelas auxit. Princeps de Mean, archiepiscopus Mechliniensis, et caeterarum dioeceseon Ordinarii expostulationes suas regi obtulerunt. Nonnulli etiam deputati in statibus generalibus Religionis causam libera voce defenderunt. Gubernium, ut expostulantibus fucum faceret, an. 1827 cum Leone Pp. XII concordatum iniit, quo conventio an. 1801 inter Pium VII et primum Gallorum consulem confecta, pro omnibus regni Belgici provinciis assumebatur, mutato tamen articulo XVII de episcoporum nominatione; 5 sedes episcopales, nimirum Mechliniensis metropolitana, Leodiensis, Namurcensis, Tornacensis et Gandavensis, conservabantur, et 3 novae Brugensis, Buscoducensis et Amstelodamensis creabantur. Verum Belgarum laetitia e publicato concordato concepta brevis fuit propter malam fidem, qua gubernium in exequendis pactionibus utebatur. Quamobrem Belgae, gravaminum tum temporalium tum religiosorum pertaesi, an. 1830 iugum Batavicum excusserunt, novam constitutionem sibi confecerunt, et in primum Belgarum regem elegerunt Leopoldum, principem Saxo-Coburgensem. Sic Guilielmus I provincias meridionales amisit. Quinimo

ipsos Batavos regimini suo parum deditos expertus, an. 1840 regnum cessit filio suo Guilielmo II.

Quum in Belgio vi novae constitutionis regimen ecclesiasticum a civili fuisset independens, summaque viguisset religionum libertas, episcopi ecclesias libere administrantes conventus agunt, cum Apostolica Sede communicantes. Praeterea, auctoritate Gregorii Pp. XVI e piis fidelium votis catholicam studiorum Universitatem crearunt, quae pridie nonas novembris 1834 Mechliniae coepta, et calendis decembris anni sequentis Lovanium translata, discipulorum frequentia et disciplinae ac scientiarum laude florescit. Mox etiam Ordines religiosi, utriusque sexus, resuscitati sunt, et instituta, collegia domusque, in quibus adolescentes et puellae cum christiana vivendi ratione litteras et scientias eorum conditioni congruas addiscerent, mira incrementa ceperunt.

In Hollandia etiam, seu septentrionalibus veteris Belgii provinciis[1], sub Guilielmo rege II, cui, uti dictum est, pater regnum cesserat, maior libertas, quantum ad Religionis negotium spectat, Catholicis facta est. Anno 1841 gubernium cum Romano Pontifice de constituendis episcopis egit.

48. *In Borussia*—In Borussia Fridericus Guilielmus rex III, quamvis an. 1821 cum Apostolica Sede concordatum iniisset, multifariis et abstrusis viis religionem catholicam persecutus est, sensim eius libertatem iuraque infringens, eoque studia sua collineans, ut pedetentim omnes subditi ad unam religionem lutheranam adducerentur. In hunc finem id ipsum, quod iam an. 1803 sancierat pro provinciis orientalibus, xvi° calendas septembris an. 1825 meridionalibus provinciis praescripsit, nimirum ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris educarentur; unaque sacerdotibus interdixit, ne a personis, matrimonia huiusmodi contracturis, ullam exigerent super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Haec res episcopos et sacerdotes in magnas anxietates coniecit; quum eiusmodi matrimonia legis ecclesiasticae ut interdum etiam divinae, regulis opposita, nullo modo probari possint. Anno 1828 episcopi suas anxietates Apostolicae Sedi exposuerunt, ut eas suis responsis auferret. Hinc Pius VIII, viii° cal. aprilis 1830, epistolam in forma Brevis, *Litteris altero abhinc anno*, dedit ad archiepiscopum Coloniensem atque episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem, eisque rationem praescripsit, quam in causa matrimoniorum mixtorum sequerentur. Pontificis litteris instructionem, *Sanctissimus Dominus*, addidit cardinalis Albani. Verum gubernium Apostolicae Sedis responsis minime contentum, ea secreta tenuit et episcopis haud communicavit; quum per suum oratorem a Gregorio XVI nova in praesenti negotio temperamenta frustra postulasset, anno 1834 inter gubernium et archiepiscopum Coloniensem, Comitem de Spiegel, convenit de aliquot regulis a sacerdotibus circa matrimonia mixta observandis, sed quae minime cum litteris Pii VIII componi poterant, et nova temperamenta a Gregorio XVI reiecta probabant. Praefatis regulis adhaeserunt episcopi Paderbornensis, Monasteriensis et Trevirensis. Paulo post archiepiscopus Coloniensis comes de Spiegel, vir nimium mobilis ad nutum gubernii, decessit. Episcopus Trevirensis de Hommer, anno 1836 letali morbo correptus errorem suum confessus est retractavitque, datis iv° idus novembris ad Gregorium Pp. XVI litteris. Pontifex autem contra modum, quo praefati episcopi Breve Pii VIII intepretati fuerant, et contra praescriptas ab iis regulas reclamavit in litteris, a cardinali Lambruschini, Secretario Status idibus martii 1836 et iii° nonas febr. 1837 datis ad oratorem regis Borussiae.

Quum vero novus archiepiscopus Coloniensis, Clemens Augustus Droste de Vischering, tum quantum ad matrimonia mixta spectabat, tum in causa Hermesianorum, seu eorum qui damnatam Georgii Hermes doctrinam defendebant, Apostolicae Sedis sententiis et instructionibus inhaereret, v° calendas decembris 1837 gubernii iussu a sede sua violenter abductus et Mindae in Westphalia carceri mancipatus fuit. Inde turbatio gravis in archidioecesi coloniensi secuta est. Eadem de causa gubernii vexas subiit Martinus von Dunin, archiep. Gnesnen-Posnaniensis. Gregorius Pp. XVI in allocutione habita iv° idus decembris, dolorem suum propter illatam archiepiscopo Coloniensi, simulque Ecclesiae et Apostolicae Sedi, maximam iniuriam, cum Cardinalibus communicavit, et contra eamdem reclamavit. Gaspar Maximilianus, episcopus Monasteriensis, et Fridericus Clemens, episcopus Paderbornensis, quum cognovissent modum quo Breve Pii VIII interpretati fuerant, et regulas quas an. 1834 circa ma-

[1] Videsis pp. 176, 183, 195, 257, 265, 271, 340.

trimonia mixta praescripserant, ab Apostolica Sede improbari, initio an. 1838 datis ad ministrum regium von Altenstein litteris, ea omnia improbarunt, seque deinceps pontificium Breve circa matrimonia mixta secuturos declararunt. Demum anno 1840 rex Fridericus Guilielmus III obiit, et sub eius filio atque successore Friderico Guilielmo IV, simultates compositae sunt.

49. *In Russia et Polonia*—In imperio Russiaco eique unito regno Poloniae an. 1796, Catharinam II mortuam[1], excepit Paulus I, filius eius, qui imperavit usque ad an. 1801, et successorem habuit Alexandrum I filium suum, quo tempore persecutiones sopitae sunt. Sed schismatici ecclesias, Graecis unitis ereptas, retinuerunt; et qui ab unitate catholica deflexerant, in schismate permanere iussi sunt. Romani Pontifices cum utroque Imperatore egerunt de ordinandis in eorum territoriis Ecclesiae rebus. Pius VI, e consensu Pauli I, pro Ruthenis-unitis seu Catholicis ritus Graeci per bullam xv° calend. novembr. 1798 constituit archiepiscopatum Poloniensem cum uno suffraganeatu, episcopatum Luceoriensem cum suffraganeatu, et Brestiensem cum suffraganeatu: pro Catholicis ritus Latini per alteram bullam xvii° calend. decembr. eiusdem anni Pontifex constituit archiepiscopalem sedem Mohiloviae cum duobus suffraganeatibus, et quinque sedes episcopales, nimirum Wilnensem cum quatuor suffraganeatibus, Samogitiensem cum unò suffraganeatu, Luceorien. Zytomeriensem cum duobus suffraganeatibus, Cameneciensem cum uno suffraganeatu, et Minscensem. Pro regno Poloniae Pius VII Conventionem iniit cum Alexandro I, quae continetur in bullis huius Pontificis *Militantis Ecclesiae* v° idus martias 1817 et *Ex imposita nobis* pridie calend. iulias 1818. Per hoc Concordatum sedes episcopalis Warsaviensis erecta fuit ad dignitatem metropoliticam, eique subditi episcopatus Cracoviensis, Calisiensis, Plocensis, Augustoviensis, Sandomiriensis, Lublinensis et Podlachiensis[2].

Anno 1825 obiit Alexander I imperator, eique successit Nicolaus I frater eius. Ab hoc tempore Catholicorum, praesertim ritus graeci, seu Ruthenorum-unitorum conditio, adversis vicibus fuit obnoxia. Durior fuit eorum sors post tentatam an. 1830 a Polonis Russiacae servitutis excussionem. In primis quantum ad catholicos ritus graeci pertinet, omnis generis artes et vexationes adhibitae sunt, ut ab unitate ad schisma perducerentur; ecclesiarum numerus sensim imminutus, monasteria multa suppressa, silentium de controversis catholicos inter et schismaticos articulis praescriptum, missale Ecclesiae russiacae Graecis-unitis obtrusum, proceres cleri promissis favoribus, minisque paulatim in partes gubernii pertracti, in multas ecclesias sacerdotes schismatici, aut schismaticis guberniis studiis dediti, intrusi, et populi inviti ad frequentanda eorum sacra compulsi, omnis communicatio in divinis inter clerum graecounitum et romanum seu latinum interdicta. Id maxime dolendum est quod Rutheni seu Graeci-uniti ad sic dictam Ecclesiam Graeco-Russiacam magno numero transierunt.

Nemo quidem ignorat, Ruthenos Episcopos omnemque inclytam nationem illam, quae post susceptam cum Christiana Fide Catholicam unitatem, misere ab ea defecerat et proprii sermonis usu graecoque ritu retento, luctuosum Graecorum schisma sequebatur, de firmo ac sincero ad Romanam Ecclesiam reditu non semel cogitasse. Hinc primum in Oecumenica Florentina Synodo una cum Graecis archiepiscopus Kioviensis totius Russiae metropolita celebratissimo *unionis* decreto subscripserat. Licet autem res ad irritum mox ceciderit per obortas turbas et hostiles eorum conatus, qui lumini rebelles schismati pertinacius adhaerebant, numquam tamen Episcoporum praesertim consilia et studia in idipsum destiterunt; illuxitque tandem dies auspicatissimus, quo Ruthenorum genti datum erat ad sinum Ecclesiae Catholicae reverti. Qui enim saeculo decimo sexto exeunte piissimi Sigismundi III Poloniae et Sueciae regis ac magni Lithuaniae Ducis civili dominationi suberant Rutheni Antistites, cum memoria repeterent concordiam quae inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam antea viguerat, quamque maiores sui sub Apostolicae Sedis regimine impense foverant; non vi coacti sed libere, post habitam in communi conventu de tanto negotio deliberationem, per binos Collegas ad Petri Cathedram totius Cleri et populi nomine legatos, schismaticorum erroribus penitus eiuratis, Romanae Ecclesiae rursus consociari et pristinae unitati restitui postularunt. Quo tunc caritatis studio Cle-

---

[1] Cf p. 308 et 246.

[2] *La Scienza e la Fede*, vol. iv, p. 95, Napoli 1842.

mens VIII eos inter catholici Orbis plausus exceperit, qua deinde sollicitudine Sancta Sedes ipsos constanter fuerit prosequuta, qua indulgentiae sagacitate tractaverit, quot quantisque modis iuverit, apertissime testantur Apostolicae Constitutiones. Molestissimum equidem fuit, instauratam adeo feliciter cum Romana Ecclesia Ruthenorum coniunctionem adversis vicibus fuisse progressu temporis obnoxiam. Illud tamen supererat omnino laetandum, quod ingens illorum pars tam firmiter Apostolicae Sedi devota permanserit, ut serpentibus licet elapso saeculo per suas regiones inanis philosophiae fallaciis, pravisque opinionum commentis, a Catholicae doctrinae fideique integritate nullimode deflexerit.

At, quos patres et pastores, duces atque magistros experiri debuissent, ut arctiori usque nexu corpori Christi, quod est Ecclesia, iuncti servarentur, Graeci-uniti seu Rutheni, uti diximus, eos defectionis auctores habuerunt. Anno quippe 1839 tres Episcopi, nimirum Iosephus episcopus Lithuaniae, Basilius episcopus Orchae administrator dioeceseos Russiae albae, et Antonius episcopus Brestiae suffraganeus dioeceseos Lithuaniae, cum cleri et populi sibi crediti parte a communione R. Ecclesiae ad schisma Ruthenicum transierunt. Pridie idus februar. citato anno litteris suo suique gregis nomine ad imperatorem datis, supplices emiserunt voces, quibus ad Ecclesiam Graeco-Russiacam aggregari postulabant. Eodem anno schismaticae synodi, Petropoli sedentis, decreto et imperatoris sanctione aggregatio episcoporum istorum clerique ac populi ad ecclesiam Graeco-Russiacam confirmata et solemniter concelebrata est. Vix credi potest quanta violentia exagitati fuerint ii omnes, qui nec artibus illusi nec minis perterriti, nec exempli pravitate seducti, firmiter in catholicae communionis vinculo perstiterunt.

Deplorandam hanc defectionem, quae omnium ubique Catholicorum animos contristavit, Gregorius Pp. XVI maximo cum dolore nuntiavit Cardinalibus per allocutionem in Consistorio secreto habitam x° calend. decembr. 1839. Pontifex, ut omnem negligentiae speciem in curandis Catholicorum in imperio Russiaco rebus a se propulsaret, in alia allocutione habita iv° idus iulii 1842, omnem seriem curarum, quas pro Ecclesia Catholica in memorato imperio susceperat, peculiari expositione patefecit.

Non solum Graeci-uniti, sed etiam catholici ritus latini in Russia atque Polonia persecutioni obnoxii fuerunt. Eaedem pene adversus Catholicos Romanos, quas contra Graecos factas diximus, seductionis et persecutionis artes adhibitae sunt; multae ecclesiae catholicis ademptae, pluribus parochiis, ut ut invitis fidelibus, sacerdotes schismatici praepositi, populi in multis locis ad communicandum cum schismaticis sacerdotibus vi compulsi, aliaque plura sic comparata, ut in universo Russorum dominio religio catholica aboleretur [1]. At permulti inter catholicos omnia mala potius tolerare maluerunt, quam a fide catholica et Ecclesiae unitate desciscere.

Dura tamen Catholicorum sors in Russia eique unito regno Poloniae aliquantulum levata est, cum anno 1845 Imperator Nicolaus Romam profectus est, et Gregorium Pp. XVI invisit, qui tam eloquenter eum de misera catholicorum sorte in illis ditionibus degentium allocutus est, ut Nicolaus in ipso colloquio valde fuerit animo commotus, et turbatus e conspectu Gregorii exierit [2]. Hinc persecutio evasit remissior; immo Nicolaus an. 1847, iii° nonas augusti, Conventionem seu Concordatum iniit cum Pio Pp. IX, uti postea dicturi sumus.

50. *In Lusitania* — Ab anno 1832 magna rei ecclesiasticae perturbatio excitata est in Lusitania. Etenim Ioannes rex VI, an. 1826 defunctus, successorem scripserat filium suum Petrum, imperatorem Brasiliae, qui cum propter absentiam suam solio Lusitaniae, secundum regni leges, potiri non posset, reginam declaravit Mariam, filiam suam quinquennem. Sed regni Ordines sibi regem elegerunt Michaelem, fratrem Petri et Mariae patruum, qui usque ad an. 1832 regni gubernacula tenuit. Petrus an. 1830 a Brasiliensibus exauctoratus et ad imperium filio suo puerulo cedendum coactus, adversus Michaelem fratrem suum expeditionem in Lusitaniam paravit. Anno 1832 Michael su-

[1] *Persecutions et souffrances de l' Église catholique en Russie* par un ancien Conseiller d' État de Russie, Louvain 1844. Ad rem documenta invenies in cit. *La Scienza e la Fede*, vol. iv, pp. 81-146.

[2] De hoc colloquio verba faciens Vincentius Gioberti scribit: « Dignitoso e fermo e cristiano fu il suo parlare (Gregorii *nempe*) nell' abboccamento con Nicolò di Russia, e dicesi, che il nuovo Attila sia stato commosso non altrimenti che l'antico dalla favella e maestà pontificale »; *Gesuita moderno*, vol. iv, p. 79, Torino 1845.

peratus et Lusitania eiectus fuit. Tum Petrus summo regimine potitus, plura mala intulit Religioni. In primis Apostolicae Sedis nuncium regno exire iussit; Iesuitas expulit; omnes episcopos, secundum denominationem Michaelis a Romano Pontifice institutos deiecit, eorumque sedes declaravit vacantes; ad has aliasque nonnullas sedes, quarum titulares e regno aufugerant, viros denominavit partibus suis deditos; 28 maii 1834 omnia monasteria, collegia, xenodochia aliaque cuiusvis Ordinis religiosi instituta in Lusitania et in cunctis Lusitanorum terris abolevit, eorumque bona nationi addixit; alia plura, Ecclesiae et Apostolicae Sedis iuribus, libertatibus et immunitatibus contraria, decrevit. Contra quae omnia Gregorius Pp. XVI in allocutionibus, pridie calendas octobris an. 1833 et calendis augusti 1834 ad Cardinales habitis, apostolica animi constantia reclamavit.

Quum Petrus sic Ecclesiam in Lusitania vexaret, 24 septembris 1834 ex hac vita raptus est. Post eius mortem status ecclesiarum haud quietior fuit, sed quas ipse inceperat vexationes, continuarunt regni administri sub Maria regina. Gregorius Pp. XVI calend. februarii 1836 in consistorio rursus dolorem suum e malis Ecclesiae in Lusitania illatis conceptum cum Cardinalibus communicavit, maxime quod nonnulli praesules, a gubernio nominati, contra omne ius sibi ecclesiarum administrationem usurparent. Anno demum 1841 relatione inter gubernium Lusitanicum et Apostolicam Sedem instaurata, Gregorius XVI anno sequente Ulyssiponem delegavit internuntium Franciscum Capaccini, cuius opera res ecclesiasticae in Lusitania utcumque compositae sunt.

51. *In India Orient.—Schisma Goanum—* Occasione etiam Missionum, quae existebant in regionibus Indiarum Orientalium olim Lusitaniae regibus subiectis, graves ortae sunt difficultates. Sedes Apostolica olim concesserat regibus Lusitaniae patronatum in illarum regionum episcopatus, et privilegium eorum episcopos nominandi. Hoc praestiterant Paulus Pp. IV in erectione episcopatuum Coccinensis et Malacensis atque archiepiscopatus Goani, Clemens VIII et Paulus V in erectione archiepiscopatus Crangaronensis, et Paulus V in erectione episcopatus Meliaporensis seu S. Thomae. Concessionem hanc Pontifices fecerant tum quidem in remunerationem pietatis, qua Lusitaniae reges Religionem protegebant, tum vero etiam ut sedes illae episcopales non diu vacarent, sed facilius eis de episcopis provideretur, et ut his ipsis praesto essent subsidia eorum dignitati congrua. Temporum tamen vicissitudine factum est, ut quod diu Religioni in dictis regionibus utile fuerat, in eodem statu permanere prorsus non potuerit, eo vel magis, quod privilegium Lusitaniae regibus concessum pendebat ab illarum regionum possessione.

Postea enim harum pleraeque in aliorum principum, et haereticorum quidem, praesertim Anglorum, potestatem devenerunt. Hi autem interdum omnes sacerdotes Lusitanos e regionibus sibi iam subditis eiecerunt, et nunquam saltem passi sunt ullam in eas iurisdictionem exerceri ab archiepiscopo Goano aliove praesule regionis adhuc Lusitanis subditae. Quare ipsis Anglis non abnuentibus, iam inde a saeculo XVII debuerunt Romani Pontifices alio modo opem ferre Catholicis earum regionum Orientalium, quas Lusitani amiserant. Ægre hoc tulerunt Lusitani et apud Pontifices querelas moverunt. Recentius quoque, quando Pius VI provisoria ratione ditionem Bombayen. Vicario apostolico commiserat, ipse archiepiscopus Goanus ea de re conquestus est, et a Pontifice postulavit, ut is nemini alteri iurisdictionem daret in partes illas olim Lusitanis subiectas, concessam vero revocaret. At his similibusque querelis pluries respondit Pontifex, se officio suo apostolico cogi, ut durantibus eiusmodi adiunctis tali remedio succurreret Catholicis dictarum regionum. Idem responsum ad similes querelas saepius dederant Pii VI praedecessores.

Maxime lites recruduerunt sub Gregorio XVI. Is enim, qui iam ante pontificatum, praefecturam gerens S. Congr. de Propaganda Fide, omnia conari debuerat, ut opem ferret Religionis discrimini in regionibus cis Gangem peninsulae, quae comprehendebantur limitibus dioecesum supra memoratarum; pontifex factus totus huic negotio incubuit, propter adiuncta continuo magis urgentia. Anno igitur 1832 erexit Vicariatum apostolicum Madraspatanum, anno 1834 vicariatus apostolicos Calcuttae seu Bengalensem et insulae Ceylan; anno 1837 eam cis Gangem peninsulae partem, quae ad Orientem montium Gates vergit et a flumine Chovery ad promontorium usque Comorinum protenditur, seu universum illum tractum qui regna Madurae, Tanjorii, Moravae et Missorii comprehendit, commisit

Vicario apostolico in Ora Coromandelica. Demum animadvertens alias superesse regiones, quibus providendum foret, quaeque erant infra fines dioecesum initio memoratarum, idcirco regiones quae erant intra dioecesim Meliaporensem seu S.Thomae et nulli adhuc Vicario apostolico fuerant commissae, concredidit Vicario apostolico Madraspatano; illas vero quae, nulli adhuc Vicario apostolico commissae erant, intra dioeceses Cranganorensem et Coccinensem, subegit Vicario apostolico in Malabarica regione instituto, cuius sedes erat Verapoli; denique Malacensem regionem trans Gangem commisit Vicario apostolico Avano et Peguensi.

Pontificiis decretis restiterunt plures eorum, qui dioeceses olim a Gregorii praedecessoribus erectas, quarumque nonnullae iamdiu vacabant, sive vicaria pro Capitulis potestate, sive alio titulo administrabant. Resistentiae autem varios allegabant praetextus, tum quod Gregorius non derogasset expresse antiquiorum Pontificum decretis de supra dictarum dioecesum limitibus, tum patronatum olim regibus Lusitaniae concessum. Eo autem illorum perrexit audacia, ut non reformidarent, non obstantibus Gregorii decretis, in ipsis Vicariatibus apostolicis, in quos tamen nulla iam auctoritate gaudebant, tum per se tum per alios exercere iurisdictionem, et tum actis tum scriptis in ipsorum etiam Vicariatuum clero et populo scandalosum schisma excitare ac fovere. Praetextus autem illos saepius refutavit Gregorius XVI, et, licet nullatenus hoc esset necessarium, cum plenissima omnium contrariorum derogatione Vicariatus apostolicos diversis litteris Apostolicis confirmavit. Postquam autem in variis litteris apostolicis, singulos Vicariatus apostolicos spectantibus, Gregorius ostendisset, quam inanes essent schismaticorum praetextus, fusius idem praestitit in Brevi *Multa praeclare*, VIII° calendas maii 1838. In hoc enim rursum expresse declaravit derogatum esse praedecessorum suorum decretis de limitibus dioecesum Crangaronensis, Coccinensis, Meliaporensis seu S. Thomae, Malacensis, et archiepiscopatus Goani; solos Vicarios apostolicos esse Ordinarios in creditis sibi regionibus; praedecessores suos noluisse sibi ponere impedimentum, quominus bono Religionis providerent pro temporum necessitate; privilegium regibus Lusitaniae olim concessum fuisse diversis temporibus et a praesenti rerum statu distinctis; regiones illas non amplius veteri politico regimini subesse, quo regibus Lusitaniae facile erat ibi patronatum exercere, sed devenisse in ditionem potentissimi regis, cuius gubernii forma et instituta minime patiebantur illius patronatus exercitium; denique observabat Pontifex, ipsos etiam praedecessores suos, non obstante patronatus concessione, ex dioecesibus eo privilegio comprehensis, propter similes rationes aliquando provincias separasse, et Vicariatus apostolicos erexisse. Inde gravia addebat monita contra inobedientiam. Nihilominus plures memoratarum dioecesum administratores schisma fovere perrexerunt, quibus non deerat etiam gubernium Lusitanicum, licet nec ipsum iamdiu officiis fungeretur, quoad dictas dioeceses regibus Lusitaniae incumbentibus, et harum plures iam pridem episcopis carerent.

Demum pro vacante ecclesia Goana praesulem regina Pontifici proposuit, quem, postquam ei communicata fuerant Gregorii decreta de vicariis apostolicis, Pontifex anno 1843 archiepiscopum Goanum constituit. At is vix Goam appulsus, anno 1844, et ipse tum actis tum scriptis schisma fovit. Post iteratas a Sede Apostolica reclamationes, tandem Pius IX a gubernio Lusitanico archiepiscopi illius revocationem obtinuit ea lege, ut is transferretur ad aliquem archiepiscopatum *i. p. i.*, et constitueretur commissarius apostolicus Bullae Cruciatae, ac dein post exhibitum obedientiae et retractationis testimonium, nominaretur Bracarensis archiepiscopi Coadiutor cum futura successione. Pontifex autem anno 1848 eum tanstulit ad archiepiscopatum Palmyrensem *i. p. i.*, anno 1849 constituit commissarium Bullae Cruciatae, et anno 1851, post exhibitum per litteras ad Pontificem scriptas supra dictum testimonium, coadiutorem Bracarensem cum futura successione. At in ipsis Indiis novos praetextus schismatici excogitarunt. In vulgus spargebant, aliquas a S. Congr. de Prop. Fide instructiones et decreta data fuisse inscio Pontifice; insuper, decreta Roma ad Orientales regiones transmissa, nulla vi pollere, utpote nondum approbata a gubernio Lusitanico. Quare Pius IX Brevi *Probe nostis* 9 maii 1853 ad episcopos, vicarios apostolicos et fideles missionum Indiarum Orientalium, praetextus illos reiecit damnavitque; episcopum vero Macaonensem, qui se schismatis veluti ducem fecerat, et aliquos presbyteros, quos Pontifex nominabat, decla-

ravit per ea, quibus schisma promoverant, poenas canonicas incurrisse, atque ut tales publice ab omnibus esse habendos et omni sacrorum canonum rigore contra eos fore procedendum, nisi intra duos menses resipuissent. Praeterea paterne hortabatur Pontifex, ut decepti et errantes a schismate recederent, reliqui vero magis magisque in obedientia perseverarent. At hoc ipsum Breve occasio fuit vehementium contra Sedem Apostolicam invectivarum in publicis Lusitaniae Consiliis, non renitente gubernio, et in iisdem, praetextu praesertim patronatus iam supra memorati, decretum fuit, episcopum et sacerdotes in Brevi nominatos bene meruisse de patria. Contra indignam hanc agendi rationem protestatus est nuncius apostolicus Ulyssiponensis; clerus quoque Lusitaniae publicam edidit protestationem, cui subscripserunt illustriores familiae, ac multi de populo Lusitaniae. Contra vero per acta gubernii et publicorum Consiliorum crevit schismaticorum in ipsis Indiis audacia.

Quum tamen in Lusitania quotidie frequentiores fierent cleri populique pro recta doctrina et Romani Pontificis auctoritate reclamationes ad gubernium, quas hoc frustra conabatur reprimere, tandem gubernium, instante Sede Apostolica, resumpsit negotiationem iam diu coeptam, sed ab eo semper protractam, de patronatus in ipsis regionibus Orientalibus adhuc Lusitaniae subditis exercitio. In his enim ipsis gubernium iam diu non fungebatur officiis patronatui inhaerentibus et a regibus Lusitaniae olim assumptis, et longissimo tempore sedes episcopales vacabant. Clerus quoque, qui, licet officio implendo impar, semper restiterat missionariis a Sede Apostolica ad partes Orientales transmissis, iam a duobus saeculis valde erat dilapsus a recta disciplina. Accedente autem iam a fine saeculi XVII schismatico sensu, qui continuo creverat, mox, non solum intra vicariatus apostolicos, sed in ipsis dioecesibus regionum Orientalium adhuc Lusitanis subditarum, multi ad schismatis partes desciverant, clerique et populi mores in deplorandum statum fuerant coniecti. Resumpta igitur, quam supra diximus, negotiatione, tandem anno 1857 inter gubernium Lusitanicum et nuncium apostolicum Ulyssiponensem facta fuit conventio ad definitive solvendas difficultates patronatum illum et privilegium concernentes. Exinde quidem Vicarii Apostolici maiori cum auctoritate atque successu schisma illud compescere potuere. Pro irreligioso tamen publicorum Consiliorum pluriumque administrorum spiritu, identidem varia ipsis excitata fuere obstacula. Atque ita illud schisma, quamvis diminutum, nondum tamen penitus extinctum est. Mortuo vero archiepiscopo Goano Ayres d'Avellas de Vasconcellos, a Pio Pp. IX creato an. 1874, Leo Pp. XIII, anno 1881 Consistorio IX° idus august., creavit episcopum Goanum Antonium Sebastianum Valente [1].

52. *In Hispania*—In Hispania etiam Ecclesia motibus ingentibus obnoxia fuit. Ferdinandus rex VII, abolita lege salica, regni haeredem scripserat Isabellam II, suam e Maria Christina filiam, regnique regentem et Isabellae tutricem ipsam Mariam Christinam constituens. Vi autem legis salicae Ferdinando succedebat Carolus frater eius, tunc temporis exul. Post regis obitum (1834) regina vidua, nomine Isabellae II filiae suae, regimen suscepit, eiusque causae mox faverunt quicumque inquieti, ambitiosi, regiae auctoritatis et Religionis hostes. Carolus per fratris sui testamentum iure solii expoliatus, illud armis vindicari sibi proposuit: exercitum collegit, qui continuo auctus est: plures civitates et provinciae eum regem salutarunt; alias pulsis Christinae exercitibus, ad obsequium suum perduxit; victorias plures de hostibus retulit, raraque fortitudine bellum prosecutus est usque ad an. 1839, quo, propter perfidiam et proditionem belliducis sui Maroto, in Galliam confugere coactus fuit. Interim sub Mariae Christinae gubernio licentia et anarchia invaluerunt. Anno 1834 Matriti monasteria armata manu occupata, spoliata, devastata, multi religiosi interfecti sunt. Quae facinora aliae quoque urbes expertae sunt. Anno 1835 et sequentibus, Ordines religiosi suppressi sunt, eorumque bona a gubernio occupata et vendita. Pari modo ecclesiarum bona et ornamenta publicata atque divendita fuerunt. Episcopi et sacerdotes vexati, in carceres detrusi aut ex Hispania relegati sunt; nominati ad sedes vacantes a regni regente Maria Christina episcopi, spretis sacris canonibus, ecclesiarum administrationem sibi

---

[1] Legesis *La Scienza e la Fede* voll. XXI, XXVI, XXVII, XXVIII, XXXV, XXXVIII, XLVII, LXI, LXII, CXIV, passim. Vicariatus indostani sunt: Madraspatan, Maduren, Coimbatozen, Calcutten, Daciae, Bombayen, Patnen, Vizacapatamen, Hyderabaden, Mayssourien.

usurparunt; plurimi clerici, monachi et moniales ad summas indigentias redacti; res ecclesiasticae universim tristissimum in statum coniectae fuerunt. Anno 1840 ipsa regni regens, Maria Christina, a suis deserta, Hispaniam reliquit. Ex hoc tempore summa rerum fuit apud bellliducem Espartero, qui mala Religioni illata non reparavit, sed potius auxit, tribunal Rotae, ad quod ecclesiastica negotia deferebantur, suppressit, Iosephum Ramirez de Arello, vices nuntii apostolici in Hispania gerentem, regno eiecit, bona ecclesiastica cleri saecularis vendi iussit, aliaque plura nefanda perfecit.

Tanta mala, religioni catholicae in Hispania illata, summo dolore affecerunt Gregorium Pp. XVI, qui nihil praetermisit, ut gubernium Hispanicum ad aequiorem mentem revocaret, dissidia componeret, et ecclesiarum statui in illo regno consuleret, ut ipse testatus est in allocutionibus, calendis februarii 1836 et calendis martii 1841 coram Cardinalibus habitis. Quumque surdis caneret auribus, VIII° calendas martias 1842 Pontifex litteras apostolicas edidit, quibus de execrabili lege praecipue querebatur, publicis regni Consiliis proposita, in qua ab Hispanica gente nullam Apostolicae Sedis rationem habendam constituebatur, omnemque cum ipsa communionem pro quibusvis ecclesiasticis gratiis, indultis, concessionibus intercipiendam; qui huiusmodi praescripto adversarentur omnino puniendi. Rescripta S. Sedis omni carere effectu, et illos ad quos pervenerint a gubernio poenis coercendos. Praeterea hac lege excludebatur sacratissimum R. Pontificis ius confirmandi ac reiiciendi Episcopos, et concedendi dispensationes circa matrimonii impedimenta. Quare ob infelicem Religionis statum in Hispaniae regno preces publicas Gregorius Pp. XVI commendavit indixitque, concessa indulgentia plenaria in forma Iubilaei.

Anno sequenti magna rerum mutatio facta est. Espartero a statibus publicis et militia desertus et reiectus, ex Hispania aufugere coactus est. Gubernium cum Isabella II regina aequiora consilia iniit, missoque Romam oratore, de componendo ecclesiarum statu tractare coepit.

53. *Gregorii XVI obitus* (*an.* 1846)—Ex iis quae breviter de statu ecclesiarum in diversis orbis partibus diximus, facile colligitur, quantas tribulationes atque difficultates summus Pontifex Gregorius XVI fuerit expertus, cuius prudentiam atque constantiam in gubernanda inter tot tempestates Ecclesia laudabit omnis posteritas. Obiit hic Pontifex calendis iunii 1846, cum sedisset *ann.* 15, *mens.* 3, *dies* 29; aetatis suae an. 81 nondum expletum.— Princeps providentissimus, aedificiis estructis, aquis romano ausu corrivatis, Urbis et Pontificiae ditionis commoditati splendorique consuluit. Doctrinarum studia excitavit, veteres provexit artes. Forum Romanum multis impensis totum effodi ac perlustrari iussit, et ita non pauca antiquitatis monumenta in lucem edita sunt. Roma huius Pontificis munificentiae debet Museum gregorianum-etruscum, montem Catillum in Tivolo perforatum, reaedificationem Basilicae S. Pauli, Operis Fidei propagationis incrementum. Multum demum adlaborasse videbimus cum Pio Pp. VIII pro armenis catholicis. Sexaginta Consistoria circiter sub Pontificatu eius adunata sunt, in quibus 73 Cardinales et 1,000 inter Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos creavit.

54. *Pius IX, Pontifex* (*an.* 1846)—Senogalliae in Umbria natus III° idus maii an. 1792, *Ioannes* ex illustri familia comitum *Mastai-Ferretti*, ac Pio VII ob eximias animi sui dotes, virtutumque ornamenta admodum carus, quocum propinquitatis etiam vinculis iunctus erat. Adhuc iuvenis pro praetorianis militibus Romae, quibus falso asserunt nonnulli adscribi exoptasse, ipsius Summi Pontificis suasu clericali militiae nomen dedit, in qua omnium virtutum laude excelluit. Praecipuas sacri ministerii curas primum impendit in Hospitio puerorum indigentium, quod Ioannes Borgi hoc ineunte saeculo Romae fundaverat, tum in altero, quod nomine *Sancti Michaëlis ad Ripam magnam* nuncupatur, cuius praeses etiam electus est. Anno 1823 ab eodem Pio VII comes adiunctus Mutio Vicario Apostolico in Chilium, magnam ostendit peritiam in difficillimis Ecclesiae negotiis expediendis. Post biennium redux a Leone Pp. XII Praelatorum insignibus et canonicatu Ecclesiae s. Mariae in Via Lata ornatus est. Tum an. 1827 ab eodem Pontifice archiepiscopum Ecclesiae Spoletanae renuntiatus est, e qua post plurima edita prudentiae ac sapientiae argumenta, an. 1832, a Gregorio XVI ad Fori-Cornelii sedem translatus est, ubi dum vigilis boniquc pastoris munere fungebatur an. 1840 Cardinalatus infula sub titulo ss. Petri et Marcellini condecoratus est. Demortuo Pontifice, Ioannes Mastai, universa Urbe plaudente XVI° calend. iulii

an. 1846, in Petri cathedram exceptus est, Pii Pp. IX nomen assumens. Post sex dies vero solemniter in Basilica Vaticana coronatus fuit.

Electionem suam universo orbi catholico significavit litteris encyclicis *Qui pluribus*, datis 9 novembris 1846 ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, eosque vehementer hortatus est ut episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, serpentium errorum monstra, quibus veritatis osores Ecclesiam civilemque societatem adoriuntur, sedulo prosternerent, ovesque sibi commissas a venenatis pascuis arcerent, ad salutaria propellerent. Nequissimas Rationalistarum artes detexit, qui praepostero ac fallaci argumentandi genere numquam desinunt humanae rationis vim extollere, et contra sanctissimam Christi fidem audacissime deblaterare, asserentes eam humanae refragari rationi. Clandestinas et secretas sectas in sacrae et civilis rei perniciem iam a suis Decessoribus damnatas, iterum reprobavit. Commentitium systema indifferentismi in re religiosa, Communismi monstrum et effraenatam cogitandi, loquendi scribendique licentiam in morum ac fidei damnum fortiter est detestatus. Ut divinum auxilium ad insidias et catholicam Ecclesiam sapienter gubernandam imploraret, xii° calend. decembris eiusdem anni litteris apostolicis, *Arcano divinae Providentiae consilio*, Iubilaeum universale indixit. Per epistolam *Ubi primum* 17 iunii 1847 datam ad moderatores Ordinum religiosorum, illos eorumque religiosos hortatus est ad sedulam votorum et regularum observantiam. In consistorio secreto iv° nonas octobris Cardinalibus communicavit, se patriarchatum Hierosolymitanum ritus Latini ita restituisse, ut patriarcha Hierosolymae in sua sede consisteret. Per Breve *Summa quidem* diei 25 iulii 1847 ad archiepiscopum Coloniensem, decessoris sui contra Hermesii libros litteras apostolicas et declaratorium decretum eius iussu a Congregatione Indicis datum omni ex parte confirmavit, et eiusdem Hermesii opera, in illis enuntiata, iterum damnavit. Postridie idus ianuar. an. 1848, litteras *In suprema* scripsit ad episcopos, clericos et christianos populos Orientis, quibus paternam suam sollicitudinem pro spiritualibus eorum indigentiis et conservandis eorum liturgiis significavit.

55. *Seditio in Pontificia ditione* (*an.* 1848). — Tranquilla pace gavisa est Italia usque ad annum 1847, quo exeunte incoepit seditio illa, quae sequenti anno 1848 omnes eius regiones pervasit. Nova enim secta, genuinus Liberorum Caementariorum surculus, cui nomen *Iuvenis Italia*, Iosepho Mazzini duce, res omnes susque deque vertere molita est. Quae quidem validior evasit, quum in suas partes pertraxit Carolum Albertum Sardiniae regem. Is coacto exercitu adversus Austriae Imperatorem, Longobardiae ac Venetiarum dominum, bellum movit; sed Marte adeo adverso usus est, ut post acceptam Novariensem cladem xii° calend. aprilis 1849, non satis aequis conditionibus bellum componere, ipsique Sardiniae regno abdicare coactus sit, succedente eius filio Victorio Emmanuele II.

Quum hoc ipso tempore pleraeque regiones Europaeae commotionibus civicis essent agitatae, regna concussa et tota societas in maximum periculum vocata, Pontifex iam in consistorio secreto vii° idus novembris 1846 seditiosa demagogorum conamina repudiavit, et obedientiam erga principes inculcavit. Id ipsum fecit in Consistorio diei 4 octobris 1847[1]. Anno sequenti, iii° calendas aprilis, Breve dedit ad populos Italiae eosque admonuit, ut sibi a perversis turbulentium hominum consiliis caverent. Cum vero motuum civicorum auctores ipsius Pontificis nomine, ac si et ipse eos probaret, abuti non vererentur, eorum audaciam in celebri allocutione habita iii° calendas maii 1848 in Consistorio secreto, detestatus est, populosque iterum atque

---

[1] En verba Pontificis: « Etsi enim exoptemus, ut viri Principes, quibus a Domino data est potestas, avertendas aures suas a fraudolentis et perniciosis consiliis, et custodientes iustitiae legem, ac secundum Dei voluntatem ambulantes, Eiusque sanctae Ecclesiae iura, et libertatem tuentes, pro eorum religione, ac benignitate suorum populorum felicitatem prosperitatemque procurare non desistant, tamen vehementer dolemus in diversis locis nonnullos e populo existere, qui Nostro nomine temere abutentes et gravissimam Personae nostrae ac Supremae Dignitati iniuriam inferentes, debitam erga Principes subiectionem denegare, et contra illos turbas pravosque motus concitare audent. Quod certe a Nostris consiliis adeo abhorrere constat, ut in Nostris Encyclicis Litteris ad omnes Venerabiles Fratres Episcopos die nona novembris superiori anno datis haud omiserimus inculcare debitam erga Principes et Potestates obedientiam, a qua, iuxta christianae legis praeceptum, nemo citra piaculum deflectere umquam potest, praeterquam scilicet ubi forte aliquid iubeatur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur ». Vid. *La Scienza e la Fede*, vol. xiv, p. 297, Napoli 1847.

iterum monuit, ut principibus suis obedirent, atque a debito erga illos obsequio se avelli numquam paterentur.

56. *Pius IX Romam relinquit* (*an.* 1848)— Pius Pp. IX subiectum principatui suo civili populum paterna sollicitudine prosequebatur. Ab ipso pontificatus sui initio, 16 Iulii 1846, delicta politica, inde ab anno 1831 commissa, *amnistia*, ut vocant, extinxit, et quas utiles atque opportunas iudicaverat, in ditionibus pontificiis *administrationis* reformationes introduxit. Verum his non contenti demagogi, rebellionis classicum contra optimum Principem cecinerunt, plebem armarunt, palatium Quirinale vi occuparunt, Pontificem in eo detinuerunt, ministrum eius comitem Rossi necarunt [1]. Tum Pius Pp. IX in vitae discrimen adductus una cum Cardinalibus aliisque ecclesiasticis viris [2]; nec nisi peculiari ac praesentissimo Dei auxilio, clam noctu die 24 novembris e Quirinali eductus, Romam reliquit confugitque Caietam Neapolis, ubi Ferdinandus II, rex piissimus, omnibus hospitalitatis officiis, ac verae devotionis signis eum prosequutus est.

Pontificis fuga totus orbis, principes et populi commoti sunt. Ex omnibus mundi partibus et litteris et subsidiis Pius honorabatur, et quod antiquitus variorum principum civilium iussu factum fuerat, tunc mira spontaneitate ei offerebatur *B. Petri Denarius.*

57. *Respublica Romana* (*an.* 1849) — Post Pontificis fugam Roma demagogorum violentias subivit, rebelles per omne fasque nefasque ruentes, Ecclesiae ministros carcere, cruciatibus omnibus atque caedibus insectati sunt; Romanum Pontificem, quem paucis ante diebus, ut fucum facerent imperitis, appellabant *suum Caesarem et Imperatorem*, die 9 februarii 1849, temporali dominio expoliarunt, rempublicam democraticam constituerunt, quae per triumviros administraretur. Dum Romanus Pontifex Caietae degebat, quo eum sequuti fuerant Cardinales, innumerique praelati, praestantesque ecclesiastici viri Curiae romanae addicti, contra ea omnia quae Romae violenter fuerant attentata et deinceps attentarentur v° calendas decembris 1848 reclamavit eaque nulla declaravit. Per decretum calendis ianuar. 1849 declaravit, excommunicationi maiori esse ipso facto obnoxios quicumque temporalem Romani Pontificis auctoritatem attentare praesumpsissent. Postridie idus februarii protestationis denuntiationem dedit ad omnes summorum imperantium Oratores, et post 5 dies gubernia Austriacum, Gallicum, Hispanicum et Neapolitanum, interpellavit; quae confestim ad defensionem et restitutionem Pontificis concurrerunt. Galli Romam obsederunt, oppugnarunt et die 3 iulii occuparunt, atque 15 eiusdem mensis restitutio Pontificiae auctoritatis in basilica S. Petri solemniter fuit annuntiata a duce exerciti gallicani Oudinot. [1]

58. *Pius IX Romam redit* (an. 1850) — Summus Pontifex honorifico cum comitatu die 4 septembris 1849 Caieta deductus Neapolim et die 12 eiusdem mensis in suburbanum Portici prope Neapolim profectus est, tempus praestolans, quo in Urbem redire opportunum foret. Interim vi° idus decembris eiusdem anni ad omnes Italiae Episcopos encyclicas litteras *Nostis et Nobiscum* misit, quibus eos hortatus est, ut fraudes repellerent, quibus impios et nefarios homines ad Italorum animos a fide catholica abalienandos non pudebat asserere et clamitare, catholicam religionem Italae gentis gloriae, magnitudini et prosperitati adversari, ac propterea opus esse, ut illius loco protestantium placita, et conventicula inducerentur, ut Italia pristinum veterum temporum, ethnicorum scilicet splendorem iterum sibi comparare posset. Quare maxima et insignia beneficia exposuit quae in Italiae populos ex catholica religione promanarunt. Tum Episcoporum vigilantiam excitavit, ut viriliter quoque propulsarent Socialismi et Communismi errores, qui ad-

---

[1] Haec atque alia quae seditionem an. 1848 in Italia exortam respiciunt, fuse docteque enarrat A. Coppi, *Annali d'Italia* passim; Margotti, *Le vittorie della Chiesa nel primo decennio del Pontificato di Pio Pp. IX*, Milano 1857.

[2] In ea Quirinalis aggressione, qua perduellium furor igneas bellistas in Pontificias aedes convertere, ipsumque bellicum instrumentum admovere est ausus, igneae ballistae ictu perculsus cecidit cum aliis nonnullis Ioannes Baptista Palma, qui in illis aedibus degebat munere fungens ab epistolis latinis ad principes, et plures per annos Ecclesiasticae historiae praelectiones habuerat in Universitate Romana, quas etiam mira eruditione refertas typis ediderat Romae an. 1843.

[1] Legenda est allocutio *Si semper antea* a summo Pontifice in Concistorio xiii° calend. iun. 1850 habita, in qua fit praecipua mentio catholicorum principum, qui studia sua impensius contulerunt pro tuendo ac recuperando civili Ecclesiae principatu. Vid. *La Scienza e la Fede*, vol. XIX, p. 409, Napoli 1850.

nitentibus impiis serpere coeperant. Demum pridie idus aprilis an. 1850 plaudentibus prae gaudio populis, Romam contendit. Romanus populus duro sectariorum iugo excusso maxima cum laetitia Pium IX patrem et sospitatorem consalutavit, qui paterno omnes amore complectens, errantibus veniam indulsit. Licet vero novis semper seditiosorum insidiis, hominum praesertim exterorum ex variis Europae locis Romam adventantium, petitus sit, tamen inter innumeros turbarum fluctus, invicti eius animi virtus in navi Ecclesiae fortiter suaviterque gubernanda enituit.

59. *De Dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis* (*an.* 1854)—Quae in catholico orbe mira semper extitit erga Immaculatum Deiparae Conceptum pietas, perpetuumque ab antiquis temporibus Episcoporum praecipue votum apostolicae Sedi allatum, et Pio IX maximo desiderio repetitum, ut ss. Virginis Conceptus veluti catholicae fidei dogma definiretur, piissimum Pii IX Pontificis erga Deiparam animum induxerunt ad praeclarissimum istud opus enixius arripiendum. Quare ab ipso sui Pontificatus exordio viginti viros ex clero tum saeculari tum regulari theologicarum disciplinarum scientia praestantes selegit, ut quae ad immaculatam Virginis Conceptionem pertinent, accurato examine perpenderent, suamque sententiam scripto exponerent. Atque eadem de causa peculiare S. R. E. Card. Consilium constituit. Deinde notissimis rerum vicibus exulare coactus, encyclicas litteras postridie calend. februarii an. 1849 Caietae datas, quarum initium *Ubi primum*, ad omnes Episcopos misit, ut clare aperteque suis litteris significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatum Dei Matris Conceptum pietas [1], publicis etiam adhibitis ad Deum precibus, ut Sancti sui Spiritus lumen propitius largire vellet.

Theologi consultores suas de hoc argumento scripserunt sententias, quibus evolventes s. Scripturam, Patrum testimonia, Traditionem, illustria Ecclesiae summorumque Pontificum in hanc rem facta, et Liturgiam, ac Tridentinae Synodi declarationem in decreto de peccato originali, Deiparae Conceptum immaculatum veluti catholicae fidei dogma posse definiri adfirmarunt, idque opportunum fore. At Summus Pontifex, rei gravitatem optime noscens, nulli neque curae, neque consilio sibi parcendum esse duxit, ut argumentum omni ex parte maiorem in modum quam diligentissime examinaretur. Quocirca post suum in Urbem reditum specialem constituit procurationem seu *Commissionem* ex nonnullis eorundem theologorum conflatam. Commissio pluribus habitis sessionibus ea accurate perpendit, quae praesertim ex divinis Litteris, et ex Traditionis, Patrum, sacr. Scriptorum, et Ecclesiasticae Liturgiae penu deprompta, valent ad immaculatum Deiparae Virginis Conceptum demonstrandum, omnesque amovendas difficultates. Hinc adhibiti studii elucubravit summam, qua ostendebatur fieri posse, et opportunam esse de immaculato SS. Virginis Conceptu dogmaticam definitionem; in qua sententia Cardinalium conventus undeviginti numero ad hoc congregatorum, ire non dubitarunt.

Interim Episcoporum responsa, sexcenta et amplius Romam allata sunt, quibus Episcopi omnes in eo unanimi consensu conveniebant suam, Cleri, populique fidelis erga Deiparae immaculatam Conceptionem singularem pietatem testantes et confirmantes, iteratis fervidisque precibus Summum Pontificem obsecrabant, ut universalem credentium fidem de tanto Virginis privilegio supremo suo iudicio quamprimum sententiam ferret, votis totius orbis annuens. Seque omnes irreformabili Sedis Apostolicae iudicio subiicientes declarabant, omni observantia esse prosecuturos quidquid Summus Pontifex decernendum esse censuerit.

Pius Pp. IX interdum calendis augusti 1854 encyclica, quae incipit *Apostolicae nostrae*, pro re tam gravi trium mensium Iubilaeum indixit, omnesque Ecclesiae Episcopos hortatus est, ut una cum fidelibus ipsorum curae commissis fervidas clementissimo misericordiarum Patri adhiberent preces, ut Sancti Spiritus lumine Vicarii Christi mentem collustrare vellet, quo de Sanctissimae Dei Genitricis Immaculatae Virginis Mariae Conceptione quamprimum id statuere posset, quod ad maiorem ipsius Dei gloriam, et eiusdem Virginis laudem posset pertinere. Dum pro implorando Spiritus S. lumine preces ab universa Ecclesia fiebant, ipsius Pontificis hortatu, eodem anno 1854, advertente Immaculatae Conceptionis festo, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi numero circiter ducenti ex diversis Catholici orbis partibus Romam adierunt, ubi omnes, exceptis Cardinalibus,

[1] Vid. p. 110.

qui cum Romano Pontifice seorsim collecti suum de dogmatica definitione suffragium protulerunt, quatuor habitis cum quindecim theologis sessionibus, accurata facta conquisitione in Scripturas et Ecclesiae traditionem de Immaculata B. M. V. Conceptione, uno ore consenserunt, singulare hoc Deiparae privilegium in revelationis deposito reperiri, et dogmaticum decretum sollicitantes de ore Pii IX super cathedram D. Petri sedentis, cuncti exclamarunt: *Petre, doce nos*; *confirma fratres tuos*. Demum VI° idus decembris, recurrente anniversaria de B. M. V. Conceptu festiva celebritate, sacro Cardinalium Collegio, Episcopis, innumerisque Christi fidelibus, qui ex variis Orbis regionibus Romam convenerant, adstantibus, Pius IX in templo Apostolorum Principi sacro, inter Missarum sollemnia, apostolicam attollens vocem, divino aspirante Paraclito, decretum pronuntiavit, definiens, *Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio*, *intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis*, *ab omni originali labe praeservatam*, *immunem*, *esse a Deo revelatam*, *atque iccirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam*[1].

Tum sequenti die advocatis una cum sacro Cardinalium Collegio omnibus Episcopis in Consistorio secreto in Vaticani aede, apposita allocutione, quae incipit *Singulari quadam*, omnia fausta, felicia ac salutaria eis precatus est, atque novo robore munivit ad quaerendam commissarum ovium salutem, et Ecclesiae causam in tanta temporum asperitate animose ac fortiter sustinendam adversus serpentes errores. In qua allocutione Cleri catholici laudes recitavit sequentibus verbis: « Immortaliter quidem gaudemus, catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo ac muneri cumulate satisfaciat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari, quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disiunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obivisse quaelibet caritatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulcrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum caritatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adiutandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cuius inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt». Tandem IV° idus eiusdem mensis extra Urbem via Ostiensi una cum Cardinalibus et Episcopis ad Sancti Pauli apostoli Basilicam dedicandam perrexit.

60. *Ecclesiae status in Anglia*, *et Ecclesiasticae hierarchiae restitutio* (an. 1850) — Cum semper in dies religio catholica in Anglia progrederetur[1], Pius Pp. IX, Gregorii XVI successor, vel ab ipso sui Pontificatus exordio sibi proposuit opus tam bene a precessore coeptum prosequi, et ad fidelium spiritualem utilitatem in eo regno magis quotidie augendam sua impensiora studia revocare. Quapropter universum, ut nunc est, in Anglia rei catholicae statum diligenter considerans, atque animo repetens permagnum catholicorum numerum, nec non temporum ac rerum adiuncta, quae non sinebant diutius Angliae catholicos a Vicariis Apostolicis gubernari; pro certo habuit talem inibi rerum conversionem factam esse, ut ordinarii episcopalis regiminis formam flagitaret. Accessit his, Angliae ipsos Vicarios Apostolicos id a Romano Pontifice communi suffragio petiisse, permultos tam cleros, quam laicos virtute ac genere praestantes viros, hoc idem precatos esse, aliosque Angliae catholicos longe plurimos id in votis habuisse. His de causis in Anglia, nempe in ipsa Protestantismi sede, toto Orbe mirante ac plaudente, anno 1850, III° calend. octobris Pius IX ecclesiasticam hierarchiam instituit litteris apostolicis, quarum initium est *Universalis Ecclesiae*. Sedi Westmonasteriensi metropoliticam dignitatem adtribuit eique duodecim sedes suffraganeas subiecit, nempe Southwarcensem, Hagulstadensem, Novocastrensem, Beverlacensem, Liverpolitanam, Salfordensem, Salopiensem, Neoportensem et Meneven, Cliftoniensem, Plymutensem, Nottinghamensem, Birmingamiensem, Nor-

[1] Bulla *Ineffabilis Deus*, die 8 decembris 1854.

[1] Vid. p. 349 sq.

thantoniens.[1] Hinc effectum est, ut, iuxta communes Ecclesiae regulas, Hierarchia Ordinariorum Episcoporum, qui a sedibus nuncupantur, in inclyto magnae Britanniae regno reflореret, in quod, ut historiae testantur, christiana religio, vel a primis Ecclesiae saeculis, antequam in Angliam Saxones adventarent, invecta fuit.

Hoc Pontificis edictum anglicanos ad iram concitavit, et statim ministri *Ecclesiae constitutae* scripto et voce suaserunt omnibus sibi addictis vergere ad occasum regni anglici amplitudinem, post evulgatum illud Breve, quo tredecim Episcopatus in Insula restituebantur. Hinc recurrente anniversaria die 5 novembr. 1850 *coniurationis pulverum*[2], protestantes solemnia in templis celebrarunt, perlegentes senatusconsultum sub Iacobo I evulgatum, atque revocantes in omnium mentes singulare facinus, per civitatum vias constrepuerunt bacchantes. Execranda haec orgia multis abhinc annis obsoleverant, tantumve popularibus clamitationibus et ludis personatis exercebantur. Sed anno modo dicto, effrenatio eo arrogantiae pervenit, ut plebs circumduceret asinum gestientem pileum rubrum et simulacrum viri ad instar morientis cum triregno pontificali. Vespere autem facto, effigies Cardinalis Nicolai Wiseman in rogum coniecta fuit, dum pseudo episcopi, universitatis antecessores, ephemeridum scriptores, et populares conclamabant in Pontificis edictum. Interea lex lata est ad senatum, quae Episcopos sumere titulos sibi a Romano Pontifice conlatos vetabat sub gravibus poenis, praesertim pecuniariis; sed promulgata fuit eo sensu ut Breves Apostolici essent irriti et Episcopi nullum titulum Dioeceseos ad regnum spectantis sumerent, quod si facerent poena centum libellarum anglicarum multarentur. Demissis deinde iris, Episcopi magna libertate fuerunt donati, et in praesentiarum titulis propriis appellantur; quinimo die 12 iulii 1852 in concilium libere se coegerunt, cui praesedit Card. Wiseman, archiepiscopus Westmonasteriensis. Catholica religio in illis terris in annos ita diffunditur ut nuper Leo XIII repressa Dioecesi Beverlacensi, bulla diei 20 decembris 1878, duos novos episcopatus instituit, Leidensem nempe et Medioburgensem, atque anno 1882 novam Portesmuthensem dioecesim creavit. Nunc temporis res christiana ita crevit, ut in sola Anglia et principatu Gallensi cum 17 episcopis et 2112 presbyteris, circiter 1,500,000 catholici censeantur; adde 1888 templa, permulta collegia et monasteria, in quibus praecipue Benedictini, Dominicani, Iesuitae, Rosminiani aliique Regulares et sanctimoniales iuventuti erudiendae operam navant.

61. *Ecclesiae status in Imperio austriaco—Conventio cum Francisco Iosepho*—In Germania status Ecclesiae non leviter fuit concussus motibus civicis, quibus inde ab anno 1846 imperium Austriacum aliaque gubernia perturbata fuerunt.

In Austria res eo devenit, ut Ferdinandus Imperator Vienna confugerit Oenipontem, et postridie calendas decembris 1848 fratri suo Francisco Carolo, hicque filio suo Francisco Iosepho imperio cesserint. Interim patrum Iesuitarum, Redemptoristarum domus suppressae fuerant, aliaque monasteria iniuriis vexisque affecta. Verumtamen seditiosis successive repressis et acie victis, publicus rerum ordo restitutus fuit.

Anno 1849, secundum Imperatoris Francisci Iosephi votum, Episcopi diversarum Provinciarum latissimi Austriaci imperii conventa habuerunt, quibus varia pro utilitate et Ecclesiae libertate in singulis ditionibus *Memoranda* edita sunt. Anno sequenti (1850) imperator per decreta 18 et 24 aprilis ad Ecclesiae libertatem asserendam, et iura restituenda, quae ab imperatoribus saeculi XVIII, praesertim a Iosepho II ei fuerant adempta, operam dedit. Anno 1855 die 18 augusti pius imperator Concordatum confecit cum Romano Pontifice Pio IX, quod is III° nonas novembris

[1] Bulla continetur in eff. *La Scienza e la Fede*, vol. xx, p. 370.

[2] Quum Iacobus I Mariae Stuart filius, haeretica pravitate, ut alibi diximus (p. 198), invita matre enutritus, ad imperium pervenisset, omnes sacerdotes catholicos urbe exulare iussit sub poena capitis, qua plectebantur quoque, qui eos exciperent, tamquam laesae maiestatis criminis rei. Iacobi imbecillitas caeterorumque catholicae fidei adversariorum adhortationes persecutionem, uti temporibus *virginis* Elisabethae, renovarunt. Tum coniuratio multitudinis partim catholicae, partim protestantis exorta est, qua deliberata fuit occisio Regis, Principum, omniumque Regni *seniorum*. Ideoque triginta sex hydrias pulvere tormentario refertas aedi in qua comitia regni celebrari solebant supposuerunt, et nisi unus ex consciis coniurationem detexisset, omnes simul occubuissent. Auctor vel praecipuus tanti sceleris fuit quidam miles nomine Guy Fawkes, cuius imaginem quotannis plebs anglica irridet. Capita coniurationis gladio interierunt; alii facinoris conscii profugerunt, et tantum octo custodia interclusi damnati sunt. Quapropter singulis annis huius rei memoria solemnis agitur, qua angli Ecclesiam catholicam ceu coniurationis auctorem vituperare putant.

1855 litteris apostolicis *Deus humanae salutis* confirmavit.

Huiusmodi Conventio, quam Cardinalis Viale-Prelà apud Vindobonensem aulam Pro-Nuntius Apostolicus et Iosephus Othmar de Rauscher Archiepiscopus Vindobonensis et Imperatoris Plenipotentiarius subscripserunt, 36 articulos continet, quorum haec summa est: «Religio Catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio sarta tecta conservabitur semper cum iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus. Episcoporum, Cleri, et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit, sicut etiam libere Episcopi cum clero et populo communicabunt, et suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt. Liberum quoque erit Episcopis id omne exercere quod pro regimine dioecesium iuxta Ecclesiae disciplinam ipsis competit, uti beneficia minora erigere, convocare et celebrare ad sacrorum canonum normam concilia provincialia et synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare, atque alia huiusmodi. Episcopi ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam iuventutis educationem in omnibus scholis tam publicis quam privatis, et propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros, Religioni morumque honestati perniciosos censura perstringunt, gubernium vero, ne eiusmodi libri divulgentur, quovis opportuno remedio carebit. Causas ecclesiasticas omnes, utpote ad Ecclesiae forum ipsae unice pertineant, cognoscet iudex Ecclesiasticus. Ut honoretur domus Dei, sacrorum templorum immunitas servabitur. Seminaria episcopalia episcopi iuxta sacrorum canonum normam pleno ac libero iure gubernabunt et administrabunt. In seligendis episcopis catholica Maiestas vigore privilegii Apostolici antecessoribus suis concessi praesentabit seu nominabit canonice instituendos a S. Sede, adhibito etiam Antistitum in primis provincialium consilio. Ecclesia iure suo pollebit novas iusto quovis titulo libere acquirendi possessiones; eiusque proprietas in omnibus inviolabilis erit; atque bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum Canones spectat. Caetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia, quorum nulla in Conventionis articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur iuxta Ecclesiae doctrinam, et eius vigentem disciplinam a S. Sede adprobatam [1]».

Pontifex nonis novembris eiusdem anni epistolam universae Austriacae ditionis Episcopis dedit, qua pastoralem eorum sollicitudinem excitabat, ut omnem perciperent utilitatem ex maiori illa libertate, qua Ecclesia ex inita Conventione frui ac potiri plane deberet, et gratissima illa inter Catholicum Imperium et Ecclesiam et Apostolicam Sedem magis ac magis foveatur concordia, ex qua in christianam et civilem rempublicam maxima semper bona redundant. Quamobrem iidem Episcopi Summi Pontificis desideriis et eiusdem Regis Apostolici obsequentes a die 6 aprilis usque ad 17 iunii 1856 colloquia inter se civitate Vindobonensi habuerunt, et consilia contulerunt, ut rite ea omnia perficerentur quae in commemorata Conventione sancita fuerant, et quoad modum in eorumdem articulorum executione unam eamdemque certam viam atque rationem habuissent. Per epistolam diei 17 martii 1856 *Singulari quidem* ipsis Episcopis Austriaci Imperii datam, Pius Pp. IX per singulis articulis conventionem diligentissime commentariis explanabat. Ne usquam periret memoria huius Concordati, quo non tantum Austriacae ditionis fideles, sed etiam catholici totius orbis magnopere gavisi sunt, aureum numisma cussum fuit, cuius ex una parte erant Pii Pp. IX et Imperatoris ante Christum Redemptorem in genua procumbentium effigies, ipso Salvatore eos benedicente, et altera referebat imperatoris verba [2], facta cum Archiepiscopo Viennensi, quando is, quae in anteactis Colloquiis Episcopalibus statuta fuerant, ei scripta exhibebat.

62. *In aliis Germaniae ditionibus* — In provincia ecclesiastica Rheni superioris pleraque gubernia plura libertati iuribusque

---

[1] Vid. *La Scienza e la Fede*, vol. XXX, Napoli 1855.

[2] En verba imperatoris: «Concordiam Sancta cum Sede ineundo, et Christiani et Principis partes peregi, fidem et spem in Eum, per quem Reges regnant, factis profiteri glorior, nec ignoro quam egregie societatis civilis vinculum intimo Religionis sensu confirmetur. Quae promisi, ea, quae virum et Imperatorem decet, fidelitate executioni mandabo; sed tantum opus non nisi unitis viribus ad exitum undequaque perduci potest. Vestrum erit, Reverendissimi Antistites, Mecum et inter vos ipsos conspirare, ut fides et omnis recti honestique vigor apud nos floreat, uberesque salutis ac pacis fructus ferat. Fiduciam in Me habete, prout in Vobis Ego habeo. Deus nobiscum erit».

Ecclesiae opposita constituerant[1]. Frustra contra eum reclamarunt Pontifices Pius VIII et Gregorius XVI. Episcopi etiam semel et iterum expostulationes suas ad gubernia detulerunt, praesertim postquam Pius Pp. IX per Breve 25 iunii 1850 eos hortatus est, ut rebus Ecclesiae rite ordinandis et vindicandis incumberent. Quum vero gubernia nullam illarum reclamationum et expostulationum rationem haberent, an. 1853 archiepiscopus Friburgensis et episcopi Limburgensis, Rottenburgensis, Fuldensis ac Moguntinus *Memorandum* ad gubernia dederunt, in quo declarabant, se in ecclesiarum regimine firmiter inhaesuros iuris divini et ecclesiastici regulis, et non posse obtemperare praescriptis ab Apostolica Sede reprobatis.

Notae sunt vexationes, quibus dein episcopi cum Clero suo in nonnullis ex illis regionibus, praesertim in *Magno Ducatu Badensi*, fuerunt obnoxii. Saeva praesertim in venerabilem senem Hermannum von Vicarj Archiepiscopum Friburgensem excitata fuit tempestas, eam ob causam, quod officii sui memor et servantissimus nec ullo periculorum metu deterritus Ecclesiae iura ac libertatem strenue propugnare et Episcopalis sui muneris partes sedulo religioseque obire contendit. Inter caetera gubernium idem non dubitavit et in sacrae potestatis iura invadere, eaque pessundare et impedire; quominus ullum episcopale mandatum ad ecclesiasticas res pertinens evulgari ac perfici posset, absque civilis potestatis venia, et severissimas aeque ac iniustissimas poenas sacris praesertim ministris infligere, quorum alteri paecunia multati alii in vincula coniecti fuerint. Quocirca in Consistoriali allocutione diei 19 decembris 1853 haud omisit Pius Pp. IX attollere vocem ac vehementer conqueri maximas iniurias et damna, quibus illic divexabatur Ecclesia. At auctus fuit moeror Pontificis postquam ex binis epistolis Friburgensis Archiepiscopi ei prolatis, cognovit, graviora in dies catholicae religioni, eiusque sacris ministris et rebus istic afferri detrimenta. Sed in his rebus magna constantia praebuit venerabilis senex Episcopus. Anno autem 1854 provisoria ratione inter magnum Ducem Badensem et R. Pontificem concordia restituta fuit[2]. Tandem inter hos confectum fuit Concordatum, quod continetur in litteris Apostolicis *Aeterni Pastoris* x° calend. octobr. 1859. In eo statutum fuit liberum Episcoporum iurium exercitium, iuxta Canonum praescriptionem, et normae circa bonorum possessionem et administrationem[1].

[1] Cf p. 325 et 339. [2] Videsis *La Scienza e la Fede*, vol. XXV-XXVIII, sub tit. *Germania*.

Anno 1864 vertente, quum ipsius Badensis Ducatus Gubernium novum moliretur popularium scholarum regimen, christianae institutioni iuvenum magnopere adversum, Archiepiscopus Friburgensis De Vicarj, aetate gravis sed apostolico robore expeditus, fortiter novis machinationibus obstitit, in re tanti momenti liberam sui episcopalis ministerii potestatem vindicans. Impavido Antistiti gratulatus est Pius PP. IX per Litteras in forma Brevis datas die 14 iulii illius anni, quae monita etiam complectabantur ad Christi Iesu gregem tuendum contra adversariorum insidias ac manifesta damna[2]. Ast Badense Gubernium, a proposito haud discedens, scholas uti vocant primarias instaurare aggressus est, nulla interposita mora. Qua lege, semel confirmata, compulsi essent Catholici non modo magistros alere ad fidem destruendam in discipulis constitutos, verum etiam graves multas dare, si filios suos ab istiusmodi periculo subtraxissent. Quum res ita se haberent, catholici, qui licet bis tertiam partem civium magni Ducatus Badensis constituant, numero tamen vix quinta pars erant popularium oratorum legibus ferendis et annuis tributis decernendis in publicis Consiliis, ut iura propria sarta et tecta servarent, ad Concordatum cum S. Sede provocabant Gubernium, datae fidei violator, iam solemnis huius Pacti conditiones abiicerat, et oratores populares in publicis Consiliis leges postulabant evangelii praeconum missiones, monasteriorum vivendi rationem, ac religiosarum virorum mulierumque sodalitatum praeceptionem vertentes aut prorsus abolentes. Statim catholici coetus habere coeperunt, ut iterum iterumque ostenderent, bellum Ecclesiae indictum detestabilem oppressionem esse omnis iuris, ac libertatis.

Anno 1857 idem Romanus Pontifex Concordatum confecit cum Rege Wirtembergensi. Iam antea, ut vidimus[3], Pius Pp. VII Apostolicis Litteris XVII° calend. septembr. 1821 *Provida solersque* ac Leo Pp. XII per alias similes Litteras III° idus aprilis 1827 *Ad Domini gregis custodiam* ecclesiasticis

[1] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. XXXVIII, p. 521.
[2] *Ibid.* vol. LIV, p. 375. — [3] Pag. 339.

earumdem provinciarum negotiis, et spirituali illorum fidelium bono accurate consulere studuerunt; tamen ob rerum et temporum vicissitudines alia suscipienda esse consilia tum ad maiorem illorum fidelium utilitatem procurandam, tum ad eas removendas difficultates, quae illis ultimis praecipue temporibus exortae fuerant. Quum autem Guilielmus I, Wirtembergae rex, Romano Pontifici efflagitasset, ut ecclesiastica in suo regno negotia componere vellet, nulla interposita mora Pius Pp. IX negotiationem excepit, et tandem Concordatum iniit, quod continetur in Litteris Apostolicis *Cum in sublimi* diei 22 iunii 1857.

Hoc autem propositum ad Senatum anno 1861 reiectum fuit. Anno sequenti vero adprobata fuit lex relate ad res Ecclesiasticas in illis regionibus, quae fere conveniebat cum articulis Concordati. Carolus rex, qui a mense iunii 1864 illas terras regit pari aequitate, regnum suasque subditos, ab omni dissidii contra Ecclesiam periculo, quod hostes catholicae religionis introducere cupiebant, liberavit. Nunc temporis supra 1,800,000, qui illas incolunt terras, 600,000 catholici enumerantur sub episcopo Rottenburgensi.

63. *Ecclesiae status in Hollandia, et Ecclesiasticae Hierarchiae restitutio* — Sub Guilielmo II catholicorum conditio in Hollandia mitior evasit, uti am memoratum est[1]. Hinc magna ex parte ablatis impedimentis illis, quae religionis catholicae incolumitati ac prosperitati in Batavorum regionibus valde adversabantur, Gregorius XVI plura sapienter molitus est ad ecclesiasticam iurisdictionem in Hollandia plene instaurandam. Initis igitur an. 1841 negotiationibus de restituenda episcopali Hierarchia cogitabat; perpensis tamen temporum adiunctis, opus tunc temporis haud urgendum esse iudicavit, auctisque episcopali charactere Vicariis Apostolicis Brabantiae, aliisque opportune constitutis ad sternendam optatae instaurationi viam, tanti momenti rem opportuniori tempori definiendam remisit. Pius vero IX prae oculis habens praeclara Decessorum suorum exempla, simulque considerans universum in memorato regno rei catholicae statum progressusque, et permagnum catholicorum numerum, nec non fundamentalium legum reformationem, quae a Gubernii moderatoribus inducta est; denique probe noscens benevolum Guilielmi II animum erga illam quoque subditorum suorum partem, qui catholicam profitentur fidem, tempus advenisse reputavit, ut regiminis Ecclesiastici forma in Hollandiae regno ad eum restitui posset modum, quo fideles penes alias gentes fruuntur, apud quas nulla peculiaris adest causa, instituendi Vicarios Apostolicos. Tum maxime, cum id enixis iteratisque precibus postularent nedum omnes cuiusvis ordinis et conditionis illarum regionum laici viri, verum etiam Vicarii Apostolici ipsi et Clerus universus. Quapropter scite prudenterque Pontifex sua allocutione habita in Consistorio secreto nonis martii 1853, quae incipit *Cum placuerit*, ecclesiasticam in Hollandia provinciam instituit, et quinque episcopales sedes erexit, nempe Ultraiectensem, Harlemensem, Buscoducensem, Bredanam et Ruremondensem, ex quibus Ultraiectensi ius metropoliticum attribuit, caeteras ipsius suffraganeas declaravit[1].

Ast protestantes aegre ferentes catholici nominis incrementa, omni vi ac studio aggressi sunt eiusmodi Hierarchiae ecclesiasticae instaurationem convellere. Hollandiae Gubernium, et publica Consilia, Pontificali Bullae contraire non dubitarunt, eamque male promulgatam Status iura ac vigentes leges impetere asseruerunt. Verum appositae Litterae Cardinalis a secretis Pontifici ad trutinam istiusmodi rationes revocarunt, et eorum propugnatoribus ostenderunt Batavorum leges catholicis concedere Episcoporum suorum regimini subesse, illosque ob instauratam Hierarchiam impensius satisfacturos officio suo obediendi legitime imperantibus. Attamen publica Consilia legem condiderunt catholicis tam infestam, ut ecclesiastici viri etiam vestem talarem induere prohiberentur. Tum Episcopi ea de re multa inter se communicaverunt Tiburgii, quae Regi summatim ab eis exposita, si legem abrogare non potuerunt, saltem eius duritiem moderata sunt, ob animi Principis propensionem in bonum. Hinc facto ipso dioecesium constitutio, eiusque consectaria admissa fuerunt; immo tales Catholicae Fidei progressus in Hollandia evenerunt, ut dum huius nostri saeculi initio catholicum nomen apud Batavos videretur penes abolitum, nunc intra centum Hollandiae regis subditos quadraginta catholici adnumerentur. Sub Guilielmi III imperio liberius ac felicius res catholica in regno Hollandiae se habet. Metropolita cum Suffraganeis illius

[1] Pag. 270-271.

[1] *La Scienza e la Fede*. vol. xxv, pp. 265 et 344.

ecclesiasticae provinciae Synodum habere commode potuit; saeculari Clero adiumentum praestant Ordines Congregationesque Regularium, Praemonstratenses, Franciscales cum Capuccinis, Fratres Praedicatores, Augustiniani, Bernardini, Ministri Infirmorum, Iesuitae, Redemptoristae ac Passionistae, qui etiam paroecias administrant; nec desiderantur aliae piae Societates virorum sub ductu Episcoporum, et Sororum appellationis diversae. Quamplurima per regnum eriguntur sacra templa, oratoria, monasteria, domus beneficentiae, et catholicae scholae, ita ut protestantes, quorum religio in Hollandia est dominans, tanta Ecclesiae Catholicae amplificatione perterriti, ceteras omnes sectas compellarunt, ne forte impleretur apud Batavos reformatae religionis excidium. Nulli dubium, quin eorum malis artibus tribuendum sit, quod recens Hollandia suum de Vaticano revocarit Oratorem.

Hollandiae rex uno eodemque tempore est Magnus Dux Luxemburgi, quod Belgium inter Galliam et Borussiam Rhenanam continetur; ipsumque propriis legibus administrat, omnino distinctis ab his, quibus Batavi reguntur. In Principum conventu habito Vindobonae anno 1815, Luxemburgum Germano Foederi adsignatum fuit. In eo adnumerantur 200,000 incolarum, quorum 2000 sunt heterodoxi, reliqui autem omnes catholici. Anno 1841 Gregorius XVI Luxemburgum constituit Apostolicum Vicariatum; anno vero 1870 Pius Pp. IX illud in dioecesim erexit, et in Consistorio diei 27 iunii ipsius anni *Episcopum Luxemburgen.* creavit Nicolaum Adames, tunc temporis Antistitem vicaria apostolica potestate donatum.

64. *Ecclesiae status in Helvetia* — De ordinandis Ecclesiae rebus in Helvetia iam inde ab anno 1814 Pius Pp. VII egerat cum aliquot foederatis illius regionis pagis, seu, ut vocant, *Cantonibus*. Leo Pp. XII cum eorum aliquibus Concordatum iniit confirmavitque per Bullam *Inter praecipua*, datam 7 maii 1828. Propter exortas vero de huius Concordati executione difficultates, novum confectum fuit inter pagorum illorum gubernia et Pium Pp. VIII; quod continetur in Pontificis huius bulla *De animarum salute* diei 23 martii 1830. Per hoc Concordatum formatae sunt quinque dioeceses, Basileensis scilicet, Lausanno-Genevensis, Curiensis, Sancti Galli, Sedunensis-Tessinensis, Apostolicae Sedi immediate subiectae.

Verum mense ianuarii anno 1834 Lucernensis et aliorum nonnullorum pagorum deputati in urbe Bada pagi Argoviae congregati confecerunt sic dictos articulos Collationis Badensis, quibus de potestate ecclesiastica doctrina labefactabatur, Ecclesiaque ipsa in probrosam, iniustamque servitutem adducebatur, addito etiam proposito de poenis adversus eos, qui secus fecissent, statuendis. Ast quod incredibile prorsus videtur, in ipsam sacramenta dispensandi rationem saeculari auctoritati ius et officium fuerant attributa. De matrimonii sacramento temerario ausu conscripti sunt articuli Ecclesiae doctrinam manifestissime adversantes. Romani Pontificis primatum non solum honoris, auctoritatis etiam ac iurisdictionis in universa Ecclesia alia statuta pessundabant; attamen quod circa eiusmodi caput est, utpote disciplinam attingens, civili potestati indiscriminatim assertum, atque expresse reservatum fuerat. Quibus et illa sunt adiungenda, quae de iuribus episcoporum exercendis sancita sunt, episcoporum scilicet iurisdictionem iustis licet de causis non posse, aut non debere suprema Romani Pontificis auctoritate coerceri. Quare Gregorius Pp. XVI articulos istiusmodi damnavit per Epistolam encyclicam diei 17 maii an. 1835, ad episcopos, capitula, parochos ceterumque clerum Helvetiae datam.

Praefati articuli Febronianis principiis affines, aliaque nova ac recens inventa noxias dissensiones inter ipsos Helvetiae Catholicos pepererunt. Deinde tum ecclesiasticae libertatis, tum civilis regiminis, prout tunc erat compositum, adversarii (*Iuvenis Helvetiae*[1] sectatores) vulgo *Radicales* appellati, hic illic ad offensiones contra Catholicos proruperunt; et quamvis repressi armisque domiti, turbulenta sua consilia ita prosecuti sunt, ut in pagorum comitiis et in Diaeta partes suas auxerint, et tandem praevaluerint. Tunc multa in ecclesiasticae ac civilis rei detrimentum decreta et innovata sunt; constitutio seu pactum confoederationis fuit revisa atque immutata; Iesuitae, Redemptoristae aliique religiosi et religiosae passim expulsi, eorumque bona confisca-

---

1 Iosephus Mazzini in Helvetiam a clandestinis sectis appellatus, factus est praecipuus omnium machinationum atque conventuum factiosorum administer et dux. Bernae fundamenta posuit consociationis *cosmopolitae*, cui *Iuvenis Europae* nomen dixit, et ex ea, tamquam e radice, pullularunt *Iuvenis Helvetia*, sub Druey ipsius Reipublicae moderatore, *Iuvenis Italia* et *Iuvenis Polonia*.

ta; episcopus Lausanno-Genevensis carceri mancipatus, postea vero exulare coactus.

Dum haec omnia agebantur, coniurati homines sub nomine *Corpi franchi* (gallice *Corps-francs*), omnium perditissimi, vexationes pagorum protestantium tuebantur, qui Helvetiae reipublicae pactum fundamentale mutantes, leges promulgarunt in Ecclesiae et bonorum civium detrimentum, direptionem foventes proprietatis, omnisque iuris violationem, ac religiosorum Coenobiorum extinctionem. Quae cum ita essent, septem catholicorum pagi, nulla libertatis spe allecti, foederis vero memores a patribus suis initi pratis Grütli, die 7 novembris 1307, ut Helvetiam Rempublicam e tyrannico iugo eriperent, die 11 dicembris 1843 societatem inierunt, cui titulus: *Cantonum fidelium Pactioni Foedus*; dum e contra adversarii *Sonderbund*, scilicet *foedus divisum*, ipsam appellarunt[1]. Quum vero Radicales iustis horum propositis assentire noluerint, catholici se se armis opponere coacti fuerunt. Sed numero et praesidiis longe inferiores, sub exitu nov. 1847, foederati Cantones vi cedere debuerunt et deiecti sunt. Attamen Radicalium audacia eo devenit, ut dum Friburgi Iesuitarum Collegium invaderent, e finestris Sanctorum reliquias deiecerint, et milites, ad instar taeniae, suis galeis (horribile dictu!) Sacratissimae Eucharistiae Species alligarint. Hinc, uti in reliquis rerum publicarum subversionibus, Religiosae familiae extinctae sunt, earumque sodales e suis coenobiis eiecti, ad rerum omnium inopiam reducti, sacrorum bonorum direptio impleta est; nec vero novi Vandali pepercerunt ipsi magni-divi-Bernardi Coenobio, cuius bona miserando modo violarunt, usurpaverunt. Interea Episcopi, qui in ista patrantes Ecclesiae poenas commemorabant, divinis, humanisque proculcatis iuribus, audacius in dies a propriis dioecesibus expulsi atque etiam in carcerem missi sunt. Pagus Ticinensis a Dioecesibus Mediolanensi et Comensi, quibus in spiritualibus subiacet, suo libitu seiungi voluit, et cum Helveticis Sedibus Curiensi et Basileensi iuxta ditionem participare. Frustra contra tales iniurias Ecclesiae illatas reclamavit et expostulavit apostolicus in Helvetia Nuntius, qui non una vice a sua sede abscessit reclamationis causa. Pius Pp. IX semel et iterum in Consistoriis ad Vaticanum habitis dolorem suum de malis, quibus religio catholica in Helvetia affligebatur, Cardinalibus communicavit. Litteras etiam in forma Brevis dedit ad Episcopos Helvetiae in quibus eorum et cleri eis subiecti zelum laudabat, et sollicitudinem pro catholicae fidei conservatione excitabat. Quin imo ipse Romanus Pontifex Directorio Foederali Helvetico Epistolam scripsit, in quibus damnabat iam antea expositas doctrinas, ius Catholicorum in Helvetia laedentes. In Consistorio vero diei 26 iulii 1855 haud potuit quin palam publiceque ac solemniori modo suas querelas et expostulationes protulisset, aiens: « Nos angi aegritudine ob luctuosissimum sane statum, ad quem redacta est sanctissima nostra religio in Helvetia, ac praesertim, proh dolor! in quibusdam potioribus catholicis earum foederatarum regionum pagis. Namque ibi et catholicae Ecclesiae potestas, atque libertas oppressa, et Episcoporum, sanctaeque huius Sedis proculcata auctoritas, et matrimonii ac iurisiurandi sanctitas violata et spreta, et Clericorum Seminaria ac Religiosarum Familiarum Coenobia vel penitus extincta, vel civilis potestatis arbitrio omnino subiecta, et beneficiorum collatio atque ecclesiastica bona usurpata, et catholicus Clerus miserandum in modum exagitatus ac divexatus ».

Enimvero, illis in terris, in quibus homines ad varias diversasque nationes et Religionis professiones pertinent, dissidium civile et religiosum magis personalem cupiditatem alit, et diuturnum bellum unitatem illam politicam laedit, quae in rerum civilium perturbatione Status integritatis propugnaculum constituit. Quare eo ipso, quo gradatim res in melius mutatae fuerunt, nonnulla ex his quae in commotionum ardore fuerant decreta, sensim mutata aut temperata sunt. Ipsae vexationes in catholicis fervorem excitarunt. Ita in Vallensi, Friburgensi, aliisque Foederationis pagis, leges latae sunt quibus erroribus medebatur a Romano Pontifice damnatis; bona Ecclesiastica nondum divendita dominis suis reddebantur, ut securius administrarentur[1]. In ipsis terris Protestantium templa Catholica splendide exaedificata sunt; proinde nec mirum si nunc in Helvetia 972,000 catholici, et 4,050 presbyteri enumerantur.

65. *Seditio in Gallia* — Anno 1830 dira

[1] De his fusius legere iuvat Cretineau-Joly, *Histoire du Sonderbund*, 2 voll. in 8°, Paris 1850.

[1] Legesis *La Scienza e la Fede*, voll. XXXIV, XXXV, XXXVIII, passim.

extitit in Gallia conspiratio, ob quam innumeras vexationes passi sunt sacrorum Antistites caeterique ecclesiastici viri, eiectoque e throno gallico Carolo X, Aloysius Philippus, dux Aurelianensis, Rex Francorum creatus est. Eo regnante, in Gallia catholica religio non amplius tanquam unica totius regni, sicut antea fuerat, sed veluti maioris Gallorum partis religio habita est; dumque iuxta impia religiosi indifferentismi placita, dictitabat Gubernium, se cuique religioni favere ac patrocinari, sola catholica religio omni destituta patrocinio vexationes innumeras patiebatur, eiusque ministri, sacrae caeremoniae, preces ludibrio exponebantur, tum in scenicis spectaculis, tum pervulgatis impiis scriptis ac ephemeridibus, inter quas extitit *l'Avenir*, quam eodem anno 1830, mense octobri, evulgare coeperat De la Mennais, a Gregorio XVI merito reprobatam [1]. Praeterea Ecclesiae reditus fuerunt imminuti, seminaria in diversis dioecesibus clausa, episcopi et animarum curatores a suis ecclesiis eiecti. Nec defuit schismaticorum factio, qui episcoporum auctoritate spreta, legitimisque pastoribus pulsis, animarum curam sibi arrogarent. Immo et per id tempus caput iterum efferre coepit vetus Constitutionalium schisma, ac Thomas Iustus Poulard episcopus huic schismati addictus, edendum curavit quoddam scriptum, cui titulus *Moyen de nationaliser le Clergè de France*, quo contendebat animarum pastores ab electoribus laicis nominandos [2]. Verum his impietatis conatibus restitit Clerus Galliae, doctrinae ac virtutis laude excellens, qui et editis scriptis et verbi divini praedicatione pro tuendis Ecclesiae iuribus magnopere adlaboravit. Nec levis eius laus fuit, quod omni Iansenismi et Gallicanismi sensu deposito, unice ad exhortandum in doctrina sana vires suas intenderit. Inter caeteras leges Ecclesiae iuribus contrarias, pro quibus abolendis Clerus acriter pugnavit, ea extitit, quae non modo studiosae iuventutis institutionem Ecclesiae magisterio subtraxerat, verum etiam catholicis libertatem ademerat docendi. Dum vero huiusmodi lites inter Ecclesiae pastores et civile gubernium fervebant, nova seditio an. 1848 oborta, Aloysium Philippum e throno exturbavit. Hinc respublica enata est, e qua postea imperium prodivit, agente Aloysio Napoleone Bonaparte eiusdem reipublicae praeside, qui die 2 decembris 1851 Imperatoris sibi nomen adscivit. Primis imperii sui annis catholicam religionem fovere visus est, quia aliquot in Gallia Religiosos Ordines restituit, et bello, quod una cum Anglis in Chersoneso Taurico confecit, Christianorum in terra sancta iura tuitus est: adhuc etiam altero bello quod cum iisdem Anglis adversus Sinarum imperatorem suscepit, factum est, ut liberum pateret iter missionariis ex Europa ad vastissimum illud imperium confluentibus, quod et in Conchinchina pariter obtentum est. Novissimo autem adversus Mexicanam rempublicam praelio absoluto, Episcopis qui causa turbarum illic furentium a suis sedibus procul detinebantur, facile ut ad suas oves redirent, iter aperuit. Proinde haud mirum fuit, quod Pius Pp. IX Lutetiam Parisiorum miserit Constantinum Cardinalem Patrizi, suum *a latere* Legatum, qui personam Eius gerens infantem, Principem iuventutis, de sacro fonte baptismatis suscepit. Hoc sane pacto benignissimus Pontifex nonnulla in Christi Religionem praeclara Gallorum Imperatoris facinora eximio beneficio cumulavit. Verum ingratissimus hic Vir, qui massonicae sectae operam dabat, an. 1859 ad oras Italiae ingenti militum copia appulit, specie quidem tuendi Romani Pontificis iura et regnum, re autem, ut perduellium hominum studia adiuvaret.

66. *Rerum publicarum subversio in Italia* (*an.* 1859)—Una est semper perduellium hominum mens, novas scilicet seditiones moliri. Quare flagitiosissimi illi homines, sectae *Iuvenis Italiae* addicti, qui an. 1848 Romam totamque Italiam turbis exagitaverant, deinde nullum non moverunt lapidem ut restitutum ordinem destruerent, Romanique Pontificis regno everso, e medio ipsius summi Pontificatus primatum everterent. Hoc enim erat in votis, quod Petri Cathedra abolita, sacrorum emendatores liberrime possent totam subvertere Italiam. Hinc post expletum Chersonesi Taurici bellum, in conventu Parisiensi an. 1856 falsis calumniis Romanum Pontificem aliosque Italiae principes impetere coeperunt. Occultarum societatum prava consilia atque perversa demagogorum conamina grandem rerum

[1] Per Encyclicam datam XVII° calend. septembris 1832.

[2] *Ami de la religion*, t. LXVI. Templorum *nationalium* erectiones magnopere postea foverunt et extollerunt quoque rerum publicarum emendatores in Italia. Ast ex his templis alia schismasticorum, alia haereticorum usui mancipata sunt.

subversionem portendebant. Seditiosa illa tentamina, maxime in Longobardia, Austriacis armis diu fuerant repressa; verum anno 1859 Francis opem ferentibus Italis, Austriaci acie victi sunt. Ex quo tempore magna rerum mutatio in Italia facta est. Longobardiam, quam Carolus Albertus obtinere nequiverat, Francisco Iosepho I Austriae Imperatori a Francis ereptam, Napoleon III cessit regi Sardiniae, qui, quoad se, Francis tradidit Sabaudiam atque Niceam. Iam tum demagogi in Italia praevaluerunt. Interim clandestinis pravisque coetibus in pluribus Italiae regionibus coadunatis, tum turpissimis consiliis cum finitimorum locorum hominibus initis, tum fraudulentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et invectis, tum perversis quibusque aliis fraudibus seditionis turbinem eodem an. 1859 in superiori Italia excitarunt, ubi coniurati homines audacia insignes, omnibus divinis humanisque proculcatis iuribus, laxatisque improbitatis habenis, impune grassati sunt. Gubernium autem Pedemontanum, demagogorum consilia redigendi omnes totius Italiae provincias ad unam regiminis formam, cuius metropolis esset Roma, in omnibus amplectens, Hetruriam, Mutinam, Parmam, fugatis inde Ducibus, atque Romandiolam seu Aemiliam, quae ad Romanam Ecclesiam pertinebat, occupavit sibique annexuit.

67. *Romanus Pontifex maiori suae ditionis parte privatur* (*an.* 1860) — Interim flagitiosi homines Bononiae in Pontificia ditione tumultuati sunt, nec dubitarunt urbanam cohortem aliosque armare, cogere, educere, atque Cardinalis aedes adire, ibique ablatis Pontificiis insignibus, eorum loco rebellionis vexillum, sicuti alibi fecerant, attollere, et collocare, cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Legato profectio fuit denuntiata ex omnibus Bononiensis Legationis finibus, quos illico subalpinum Gubernium, quod totius conspirationis auctor fuerat, occupavit, ludicro populari suffragio sibi vindicavit, ac militari manu in sua potestate retinuit. Quae Bononiae, tam nefarie peracta sunt, similibus criminosis modis Ravennae, Perusiae, et alibi agere minime dubitarunt iidem profligati homines, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis copiis reprimi ac refringi, cum istae numero paucae, eorum furori et audaciae resistere minime possent. Immo subalpinum Gubernium copiosissimum exercitum in Marcam Anconitanam immisit, qui Pontificis copias, fortiter viriliterque praeliantes, pondere suo prostravit, et Lauretum et Anconam occupavit. Sic Legationes et Umbriae provinciae Pontifici ereptae sunt.

Tot autem perfidiae ac hostilitatis argumenta expertus est Pius IX post repetitas Imperatoris Gallorum pollicitationes ac protestationes, se numquam Apostolicae Sedi defuturum, exercituque, quum ab an. 1848 Roma numquam amoverat, quascumque hostium insidias eiecturum. Anno sequenti, 1860, Franciscus II utriusque Siciliae rex, regia sua urbe exturbatus, cum iura omnia et iustitiae rationes violarentur, primum Capuam, deinde Caietam bellicis conditionibus tradere coactus est, ac toto regno, Sicilia haud excepta, expoliatus, Romam petiit, ubi eum Pius Pp. IX omnibus amoris, benevolentiae ac hospitalitatis officiis prosequutus, in suo Quirinali palatio excepit [1]. Ita Sardiniae regi paullatim omnis Italia subiecta est.

In tantis, quas indicavimus, calamitatibus, miram animi fortitudinem prae se tulit Romanus Pontifex. Anno 1859 die 27 aprilis epistolam encyclicam dedit ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos aliosque locorum Ordinarios, preces publicas postulans, ut Deus optimus et misericors bella auferre omniumque corda christianae pacis amore inflammare dignaretur. Die 18 iulii alteram dedit ad illos ipsos epistolam encyclicam, in qua questus est, quod seditionis motus, qui contra legitimos principes per Italiam nuper eruperat, nonnullas e provinciis Apostolicae Sedis pervaserit, quae funesto illo permotae exemplo et externis actae incitamentis, a paterno eius regimine se subduxerant. Die 28 eiusdem mens. et anni in allocutione ma-

[1] Non semel Romani Pontifices, vigentibus praesertim seditionum motibus, e patria exules cives, ipsosque principes Romae hospitati atque auxiliati sunt. Revera, superiori saeculo exeunte, Pius VI asylum opemque tulit non modo presbyteris, atque episcopis ob motam seditionem a Gallia extorres, verum etiam optimatibus aliisque civibus, qui inde Romam confugerunt. Id aperte testantur illius temporis monumenta (cf Theiner, *Documents inèdits relatifs aux affaires religieuses de la France 1790 à 1800, extraits des archives sècretes du Vatican*, 2 voll. Paris etc). Pius VII vero, hoc ineunte saeculo, excepit Romae regem Sardiniae, quem Napoleon I throno orbaverat; et paucos post annos, sicuti iam diximus, ipsius Napoleonis matrem aliosque eius consanguineos, qui ab omnibus Europae principibus respuebantur.

ximo animi dolore lamentatus est ea omnia, quae ab Ecclesiae hostibus tum Bononiae tum alibi contra civilem legitimumque Apostolicae Sedis principatum patrata erant; insuper declaravit, illos omnes in ecclesiasticas censuras et poenas a sacris canonibus inflictas incidisse, et omnes eorum actus nullos et irritos esse decrevit. Die 26 septembris in allocutione expostulavit de iis, quae ad divellendas ab Apostolica Sede Aemiliae provincias, easque adnectendas sic dicto Italiae regno, peracta fuerant, illa omnia reprobavit et plane irrita declaravit, omnesque qui memoratis actibus operam suam, consilium, assensum, praestiterant, incidisse in ecclesiasticas censuras et poenas in allocutione habita 20 iunii commemoratas. Die 7 decembris ad Oratores summorum imperantium scriptam expostulationem et denuntiationem dedit contra ea omnia, quae a gubernio Pedemontano in Aemilia acta fuerant An. 1860 die 8 ianuarii Pontifex in litteris ad imperatorem Francorum ostendit solemnia iuramenta, quae praestiterat, aliasque gravissimas rationes obstare, ne gubernio Pedemontano cedat provincias, quas illud ab Apostolica Sede evulserat. Eas ipsas rationes consignavit in epistola encyclica die 19 eiusdem mensis data ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos. Die 26 martii dedit litteras apostolicas *Cum catholica Ecclesia*, in quibus declaravit, eos omnes, qui in provinciis ditionis Pontificiae rebellionem, earumque usurpationem, occupationem, invasionem perpetrarunt, item ipsorum mandantes, adiutores, consiliarios, adhaerentes, maiorem excommunicationem aliasque censuras et poenas, sacris canonibus inflictas incurrisse, illosque de novo excommunicavit et anathematizavit.

68. *Ecclesiae status in Italia* — Interim iam plures abhinc annos in Sardinia Religio malis gravibus erat afflicta. Die 27 martii 1841 inter Pontificem et Regium legatum Conventio inita fuit, quam sine mora Gregorius XVI et Carolus Albertus Sardiniae rex ratam habuerunt et confirmarunt. Omnibus notum est hanc Conventionem eo prorsus spectasse ut Ecclesiae immunitates, quae in ditione illa ex sanctione sacrorum Canonum diuturno multorum saeculorum decursu viguerant, quaeque recentiori tempore pactis conventis et Romanorum Pontificum benignitate aliqua ex parte relaxatae fuerant, novis adhuc ac multo arctioribus limitibus continerentur. Anno 1848 idem Gubernium novam expostulavit Conventionem, et dum illa res tractabatur, regius ipse minister paucos post menses detulit ad publica regni Consilia novam Legem de Clericorum et Ecclesiarum immunitate penitus abolenda, de iudicio etiam supra Patronorum nominationibus ad Beneficia Ecclesiastica Tribunalibus laicis attribuendo, nec non de aliis nonnullis sive eodem, sive posteriori tempore contra Ecclesiae ius, aut non sine Religionis periculo statuendis. Frustra reclamavit Romanus Pontifex; haec lex adprobata fuit; quinimo Concordatum in pluribus articulis a gubernio fuit violatum, multaque fuere decreta et acta Ecclesiae libertati, immunitati, iuribusque opposita. Huiusmodi est lex edita de publica instructione et publicis privatisque tum maiorum tum minorum disciplinarum scholis, quarum regimen in episcopalibus quoque seminariis ab Episcoporum auctoritate subtrahitur et regio Magistro, eiusque inferioribus ministris attribuitur; ita pariter lex de acatholicorum connubiis. Archiepiscopus Taurinensis Aloysius Fransoni, prius caceribus mancipatus, dein expulsus in Galliam post 13 annorum exilium procul a sua sede supremum diem obiit; Iesuitae, Redemptoristae, aliique religiosi regno expulsi; Congregationes religiosae suppressae; bona ecclesiastica occupata.

Episcopi tum ad regem, tum ad publica Consilia expostulationes suas iterato detulerunt, utque Ecclesiae libertas, iura atque bona sartà tecta conservarentur supplicarunt. Pius Pp. IX etiam in allocutione habita 20 maii 1850 in Consistorio secreto, dum laudes tribuit guberniis quae restituendae temporali Apostolicae Sedis auctoritati operam contulerant, significavit dolorem suum de violatis in Sardinia Ecclesiae et Sanctae Sedis iuribus, de contemptis solemnibus cum Apostolica Sede conventionibus, ac de illatis Archiepiscopo Taurinensi iniuriis. In alio Consistorio calend. novembris iterum expostulavit de iis, quae in regno Pedemontano contra Ecclesiae libertatem et iura attentabantur. Similiter in allocutione, quam habuit in Consistorio secreto 22 ian. 1855, dolorem suum annuntiavit de tot malis abhinc pluribus annis in Sardinia Christi Sponsae illatis, deque decretis illic promulgatis contra sacrorum ministrorum, episcoporum et communitatum religiosarum libertatem, immunitatem et iura [1]. At va-

[1] Vid. *La Scienza e la Fede*, voll. XIX, XX, XXIX.

nae fuerunt Summi Pontificis, et Episcoporum expostulationes.

Sed nec in via scelerum substiterunt Religionis hostes. Nam ex quo gubernium Pedemontanum, Longobardiam, Hetruriam, Mutinam, Parmam, Aemiliam, Siciliam, atque Neapolim occupavit, in illis pariter regionibus ingentia mala Religioni illata sunt. Illic etiam episcopi et sacerdotes qui iniustis gubernii legibus aut decretis haud obtemperabant, vel in cacerem coniecti, vel exilio aliisve poenis multati, religiosi ac moniales monasteriis eiecti, eorumque domus et bona occupata. Ii qui eiectis principibus fideles erant, vel novo regimini resistebant, vel novo gubernio utcumque erant suspecti, in carceres coniecti sunt, saepe saepius occisi. Religionis catholicae hostibus docendi, scribendi, et Ecclesiam oppugnandi libertas concessa est; Catholicis vero se suamque causam defendendi iura adempta.

Dum sectarii tam acriter catholicae religioni damna inferebant, ceteras falsas religiones, praecipue protestantem, protegebant fovebantque; hinc scholas instituebant ad iuventutem iuxta protestantismi placita instruendam, tum templa erigebant, in quibus ministri protestantes publicos coetus agebant, et catholicos alliciebant, ut a fide deficerent. At incassum; nam in Italia, in qua catholicae religionis centrum et caput est, non placita solum, sed et ipsum Protestantismi nomen populus exhorrebat. Pius Pp. IX in consistorio habito calend. octobris an. 1861, Allocut. *Meminit*, sic describit miserrimam horum temporum conditionem: « Hinc, omnibus divinis humanisque proculcatis iuribus, et ecclesiasticis censuris omnino spretis, Sacrorum Antistites audacius in dies a propriis dioecesibus expulsi [1], atque etiam in carcerem missi, et quamplurimi fideles populi suis orbati pastoribus, et utriusque Cleri viri miserandum in modum divexati, omnibusque iniuriis exagitati, et Religiosae familiae extinctae, earumque Sodales e suis coenobiis eiecti, ad rerum omnium inopiam redacti, et Virgines Deo sacrae panem emendicare coactae, et religiosissima Dei templa spoliata, polluta, et in latronum speluncas conversa, et sacra bona direpta, et ecclesiastica potestas, ac iurisdictio violata, usurpata, et Ecclesiae leges despectae et conculcatae. Hinc publicae depravatarum doctrinarum scholae constitutae, et pestiferi libelli et ephemerides e tenebris emissae, ac late per omnia loca immanibus huius scelestae coniurationis sumptibus dissipatae. Quibus perniciosissimis et abominandis scriptis sanctissima fides, religio, pietas, honestas, pudicitia, pudor, omnisque virtus oppugnatur, ac vera et inconcussa aeternae naturalisque legis, ac publici privatique iuris principia, praecepta evertuntur, et legitima cuiusque libertas, proprietas impeditur ac domesticae cuiusque familiae et civilis societas fundamenta labefactantur, omniumque bonorum fama falsis criminationibus, maximisque laceratur conviciis, et effraenis vivendi et quidlibet audendi licentia, omniumque vitiorum et errorum impunitas maiorem in modum fovetur, propagatur, ac promovetur. Nemo vero non videt quam luctuosa omnium calamitatum, scelerum, et exitiorum series ex hoc tanto impiae rebellionis incendio in miseram praesertim Italiam redundaverit. Etenim, ut Prophetae verbis utamur, *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* [2] ».

69. *Machinationes adversus Romam* — Dum tot dissidiis totque sceleribus impietate atque immanitate atrocissimis sectarii Italiam dilaceraverant, non cessabant etiam Romae urbis quieti invidere, insidiasque struere, conarique ut eam dolo, proditione, seditionibus, vel armis, caeterisve pravis artibus mansueto Pontifici eriperent. At Deus qui almam Urbem speciali providentia custodiverat, prava ipsorum consilia saepissi-

[1] Ubi primum Franciscus II, postridie nonas septembr. 1860, Neapoli relicta, Capuam inter et Caietam se recepit, et postero die Garibaldi ingressus est, neapolitanus Antistes XI° calend. octobr. ab episcopalibus aedibus abreptus, Genuam maritimo itinere perductus est, ibique aliquot diebus moratus, Massiliam extra Italiam perrexit, unde postea Romam petiit. At clerus populusque neapolitanus Pastorem suum absentem lugebant et quotidie expetebant. Hinc subalpini magistratus, ne fervens Neapolitanorum in se odium magis augeretur, Romam archipraesulem rogatum miserunt, eumque deprecati sunt, ut ad suam sedem reverti vellet. Ita post trium circiter mensium spatium, Archiepiscopus Neapolim rediit. At summa ipsius vigilantia fervensque studium pro gregis sui moribus fideque tuendis assiduos seductorum conatus cassos irritosque reddidit. Quare novum inierunt consilium, ut pastorem ab ovibus separarent, et pridie calend. august. 1861 Centumcellas deduxerunt, unde Romam ipse contendit. De hoc iniusto ac sacrilego in Praesulem scelere Summus Pontifex alte quaerebatur coram sacro Cardinalium Collegio in sua allocutione *Meminit unusquisque*, pridie calend. oct. 1861. — [2] Oseas, IV, 2.

me dissipavit; atque inter incredibiles innumerasque impiorum hominum circumventiones tantum Pio IX robur infudit, ut suos et Ecclesiae hostes animi sui magnitudine ac fortitudine, et vigilantia vicerit; dumque illos ob suam impietatem et nequitiam omnes boni abhorrent et execrantur; Pius IX miris suis virtutibus omnium sibi corda devinxit. Suis allocutionibus atque encyclicis bonos monuit, et in fide ac obedientia erga Apostolicam Sedem firmavit, malos deterruit et condemnavit, eisque ob iniustam Romanae Ecclesiae patrimonii occupationem excommunicationis poenam inflixit, ut iam diximus [1].

70. *Totius Orbis in Apostolicae Sedis iuribus tuendis consensus* — Ipse quoque Deus, qui est pater totius consolationis, Pium IX Christi filii sui in terris Vicarium, quem impii ad incitas redigere volebant, triplici potissimum levamine solari dignatus est. Primum unanimis totius orbis consensus tantum facinus civilem principatum Ecclesiae subripiendi quam maxime exhorruit [2]. Non parum sane flagitiosorum hominum molitionibus restitit omnium praesertim episcoporum tum Italiae, Galliae, Belgii, Hispaniae, Austriae, Borussiae, Angliae, Hiberniae, Hollandiae, Helvetiae, Lusitaniae; tum Asiae, Africae, Americae, Oceaniae, totius nempe Orbis virtus et fortitudo, qui arctissimo fidei, caritatis et observantiae vinculo Petri cathedrae obstricti, nullisque periculis deterriti, non solum voce verum etiam scriptis non desinuerunt Dei eiusque Ecclesiae, ac Apostolicae Sedis iura unanimi consensione fortiter alacriterque defendere, et impiis hostium conatibus viriliter constanterque obsistere.

Quae certe consensio mirandum in modum patuit sacro Pentecostes die anni 1862 cum Pontifex coelestes honores decreturus ss. Martyribus Iaponiensibus, ex omnibus Orbis regionibus episcopos convocavit, qui Romae unanimi voce emiserunt solemnem illam reclamationem, de qua postea dicemus.

Nec levi solatio Pio IX fuit ardens illud studium, quo fideles omnes non solum in Italia, sed etiam ex omnibus terrae partibus certaverant, ut suo aere sponte collato quod *stipem* sive *pecuniam divi Petri* (*Obolo di san Pietro*) appellabant, Romani Pontificis omni regni sui parte expoliati, et in angustis rebus versantis indigentiis occurruerunt. Accedunt munera multiplicia, varia, nobilissima duplici sibi a Deo concessae potestati spirituali ac regiae revelandae accommodata. Unde assiduas illas amoris et firmissimae fidelitatis significationes, ac publicas declarationes, quibus romanus populus in his Italiae totius ac Europae perturbationibus Pium IX atque Apostolicam Sedem prosequi sedulo contendit. Similiter viri generosi iuvenesque ex illustrioribus etiam familiis geniti, e Gallia, Belgio, Germania, Hibernia, Romam convolarunt, nomenque suum militiae pontificiae (*Zuavis*) dederunt pro Romanae Ecclesiae eiusque Pontificis defensione.

Ista omnia consolationes non modicas attulerunt afflicto Pontifici. Hisce laetitiae causis addenda est schismaticorum praesertim Armeniorum in Oriente, alibi vero, maxime in Anglia, haereticorum ad catholicam fidem et communionem conversio.

71. *Canonizatio Martyrum Iaponiensium* (*an.* 1862) — Summus Pontifex officio suo constanter fidelis in defendendis Ecclesiae iuribus strenuus et de procurando Religionis bono atque splendore semper sollicitus, exemplo eodem epistolis a Cardinali Caterini die 15 ianuarii an. 1862 ad omnes totius orbis catholici episcopos scriptis, hos invitavit, ut Romam venirent suaque praesentia solemnem Martyrum Iaponiensium canonizationem honorarent. Secundum Pontificis vota episcopi e cunctis catholici orbis regionibus Romam venerunt, si excipias Italiae episcopos, qui a subalpino gubernio praecipue in ditione Neapolitana procul a suis sedibus per diversa Italiae loca exulare coacti, Romam quoque adire prohibiti sunt [1]. Advenerunt quidem in Urbem san-

---

[1] Legesis § 67, nec non *Allocut.* in Consistorio ad Vaticanum habitas III° idus iulii et IX° calend. octobr. 1860; XVI° calend. ianuarii et XV° calend. april. ac pridie calend. octobr. 1861; V° idus iunii 1862; Litt. Encycl. XIV° calend. iul. 1859 et XIV° calend. febr. 1860.

[2] Cf *La sovranità temporale de' Romani Pontefici propugnata nella sua integrità dal suffragio dell'Orbe cattolico, regnante Pio IX*; in qua continentur protestationes, quas episcopi ac fideles cuiuscumque gradus ubique terrarum emiserunt pro tuendo temporali Apostolicae Sedis dominio. Nec praetereundum videtur non modo Catholicos, sed ipsos protestantes in Anglia, Borussia, aliisque acatholicis regionibus hac in re consensisse. Prae ceteris iuverit heic commemorare non infimi subsellii virum inter protestantes nempe Guizot, qui in suo recenti opere, *l'Église et la societé chrétienne en 1861*, Ecclesiam eiusque civilem principatum acriter defendit.

[1] Praelati, qui Romano conventui adesse vetiti sunt, eidem mente et spiritu adhaeserunt. Cum enim

ctam undique innumerabiles presbyteri ac fideles laici. Die 8 iunii 1862 cum Ecclesia solemne Pentecostes festum celebrabat, Pontifex, adstantibus 44 Cardinalibus et 243 episcopis, aliisque viris innumeris, 26 Martyres Iaponienses nempe, «Petrum Baptistam, Martinum de Ascensione, Franciscum Blanco, Philippum de Iesu, Franciscum de s. Michaële, Gondislavum Garzia, Paulum Suzuqui, Gabrielem e Regno Izes, Ioannem Quizuia, Thomam e Regno Izes, Franciscum Iaponiensem, Thomam Cosaqui, Ioachim Saquiior, Bonaventuram Iaponiensem, Leonem Garazuma, Mathiam Iaponiensem, Antonium Iaponiensem, Ludovicum Ibarqui, Paulum Ynaniqui, Michaëlem Cozoqui, Petrum Suqueixein, Cosmam Raquia, Franciscum Carpentens., qui omnes fuerunt ex Ordine Fratrum Minorum; Paulum Miki, Ioannem Soan de Goto, Iacobum Kisai e Societate Iesu [1], et Michaëlem de Sanctis» Confessorem Sanctos esse definivit, ac Catalogo Sanctorum Domini Nostri Iesu Christi adscripsit.

Altera die, 9 iunii, Pontifex Cardinales, patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, qui Romae convenerant, in Consistorio congregatos, allocutus est deploranda mala ac damna quibus Ecclesia catholica, praesertim in Italia, premebatur, prava errorum portenta, quae variis ac fallacissimis formis expressa in animarum, in Religionis ipsius civilis societatis perniciem propagabantur. Adstantes praesules hortatus est, ut omni cura et studiis pergerent commissos sibi fideles a venenatis pascuis arcere, perversarum opinionum monstra, qua voce, qua scriptis profligare, omniumque Ecclesiae et Apostolicae Sedis hostium conatibus constanter obsistere [2].

Allocutione finita, Cardinalis Mattei, sacri Collegii Decanus, omnium, qui Romam convenerant, episcoporum nomine, numero 265, litteras conscriptas et ab unoquoque eorum subscriptas legit et Pontifici tradidit. In his litteris Episcopi sinceram profundamque suam erga summum Pontificem venerationem ac pietatem contestantur; illum sanae doctrinae sibi esse magistrum, unitatis centrum, Ecclesiae fundamentum, alterum Petrum profitentur. *Civilem Sanctae Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscunt, declarantque, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarum regimine omnino requiri.* Laudantes solemnia verba, quibus Pontifex in litteris encyclicis datis 19 ianuar. 1860 declaraverat, « se civilem Romanae Ecclesiae principatum, eiusque temporales possessiones ac iura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra et inviolata constanter tueri et servare velle; imo Sanctae Sedis principatus Beatique Petri patrimonii tutelam ad omnes Catholicos pertinere; et se paratum esse animam potius ponere, quam hanc Dei Ecclesiae ac iustitiae causam ullo modo deserere . . . » solemnibus inquam his verbis acclamantes ac plaudentes respondebant, se cum Pontifice ad carcerem et ad mortem ire paratos esse; *se ea ipsa, quae Pontifex contra scelestos homines et bonorum ecclesiasticorum direptores declaraverat et ediderat, reverenter excipere, iisque plenum assensum renovare; se damnare errores quos ipse damnavit, detestari doctrinas novas et peregrinas quae in damnum Ecclesiae Iesu Christi passim propalantur, reprobare et condemnare sacrilegia, rapinas, immunitatis ecclesiasticae violationes, aliaque nefanda in Ecclesiam, Petrique Sedem commissa.*

Respondit Pontifex his verbis: « Sensus, quos hactenus Nobis exposuistis, summam Nobis attulerunt laetitiam; sunt enim amoris vestri pignus erga Sanctam hanc Sedem, multoque etiam magis testimonium praeclarissimum illius vinculi charitatis, quo ecclesiae catholicae Pastores non solum inter se, verum etiam cum hac Veritatis Cathedra arctissime coniunguntur; ex quo manifeste apparet, Deum auctorem pacis et charitatis nobiscum stare. Et si Deus pro nobis, quis contra nos? Ipsi ergo Deo laus, honor et gloria; Vobis vero pax, salus et gaudium: pax cordibus vestris; salus Christifidelibus curae vestrae commissis; gaudium vero Vobis et illis, ut una cum Sanctis exultetis cantantes canticum novum in domo Domini in saecula saeculorum [1] ».

---

ex suis fratribus Episcopis nonnulli, vel ex ipso Ecclesiae senatu, uti iam commemoravimus, ex hisce regionibus extorres, Romae commorarentur, per literas quarum initium *Quam bonum*, mandatum ipsis dederunt, ut etiam nomine absentium Antistitum Neapolis vota precesque Romano Pontifici submitterent.

[1] Vid. *La Scienza e la Fede*, voll. XLIV et XLV.

[2] Allocutio *Maxima quidem* habita in *Consistorio* diei 9 iunii 1862.

---

[1] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. XLV. Legere quo-

72. *Syllabus* (*an.* 1864) — Pius Pp. IX quum vix ad Petri Cathedram evectus fuisset, horribilem sane videns procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima ac nunquam satis lugenda damna, quae in Christianum populum ex tot erroribus redundabant, non desinit suam extollere vocem et praecipuos tristissimae aetatis errores damnare, pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis, Allocutionibus et Apostolicis litteris ad Episcopos universi Orbis datis. Quum vero nefasti errores magis magisque in societate christiana propagarentur, Summus Pontifex die 8 decembris 1864 Encyclicam *Quanta cura* edidit, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos universos datam, in qua memorans errores in laudatis Encyclicis, Allocutionibus, Epistolis iam proscriptos, vigilantiam pastoralem Antistitum iterum excitavit ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus, erupuerunt. Huic encyclicae iunxit Syllabum octoginta propositiones proscriptas ex dictis documentis excerptas complectentem, quibus accuratius multas pantheismi, naturalismi, rationalismi, indifferentismi, socialismi et communismi, aliasque *liberomuratoriorum* et recentiorum liberalium assertiones reiecit. Ea ratione Pius IX sana principia efficaciter vindicavit, atque effecit ut fideles quoque in sincera Ecclesiae doctrina tenenda ac tuenda conservarentur. Non defuerunt enim variis in regionibus, qui *catholicorum liberalium* appellatione designati, moderationem quandam fallacem sequi studebant, atque ad ineundas transactiones perniciosas cum doctrinis et studiis adversariorum Ecclesiae propendebant. Horum conatibus temerariis Pontifex magna constantia continuo restitit, plurimosque ex illis viris ad saniora consilia sequenda reduxit[1].

73. *Festum saecular. Principum Apostolor. aliorumque SSrum Canonizatio* (*an.* 1867) — Anno 1867 die 29 iunii saecularis agebatur memoria illius diei, qua, ante annos mille octingentos, Roma SS. Apostolorum Principum glorioso est purpurata sanguine, et Sanctorum decernebantur honores permultis inclitis Ecclesiae Heroibus. Iam antea, die 8 decembris 1866, Card. Caterini, Praef. Congr. Concilii, Pontificis nomine invitaverat omnes ad Urbem Episcopos, tantae celebritati astituros. Ad eiusmodi festa peragenda, permagnus fidelium numerus et 500 ex christiano orbe Episcopi convenerunt. Die 25 iunii presbyteris circiter 12,000, qui Romam undique advenerant, Pius Pp. IX, Allocutione *Iucundissima quidem*, verba faciens, eximiam illorum erga Apostolicam Sedem pietatem, devotionem, et observantiam summam sibi afferre consolationem dixit, inter gravissimas, quibus affligebatur, acerbitates, eosque hortatus est ad opus proprii ministerii solertissime implendum. «Summo autem studio, aiebat, auxiliarem vestram operam vestris Antistitibus navantes, eisque illa, qua par est, reverentia obsequentes, omnia peragenda curate, ut quod in propria cuiusque vestrum Dioecesi infirmum sit, sanetur, quod confractum, alligetur, quod abiectum, reducatur, quod perierit, quaeratur». Postero autem die in Consistorio secreto, Allocutionem *Singulari quidem* ad Cardinales et Episcopos habens de solemni Sanctorum canonizatione et de centenaria festa SS. Apostolorum peragendis, dolorem suum illis aperuit de tot malis longe lateque grassantibus. «Iamdiu, inquiebat Pontifex, in acie contra callidos et infestos hostes pro iustitiae et Religionis defensione versamur. Tam diuturna, tam ingens dimicatio geritur, ut omnium quotquot in sacra militia censentur simul coniunctae vires, non iusto maiores numero ad resistendum esse videantur». Hac vero arrepta occasione, Pius IX consilium sibi esse affirmavit habendi sacrum oecumenicum et generale omnium Episcoporum catholici Orbis Concilium, quo necessaria ac salutaria remedia tot praesertim malis, quibus Ecclesia premitur, Deo adiuvante, adhiberentur.

Die 29 iunii inter Missarum solemnia idem Pontifex Sanctis accensuit BB. *Iosaphat Kuncevich*, Ruthenorum Antistitem, *Petrum de Arbues*, *Nicolaum Pichium* cum sociis, qui *Martyres Gorgonienses* vocitantur, videlicet *Hieronymum*, *Theodoricum*, *Nicasium Ioannem*, *Willehadum*, *Godefridum Mervellanum*, *Antonium Werdanum*, *Antonium Hornaniensem*, *Franciscum*, *Ioannem*, *Adrianum*, *Iacobum*, *Ioan-*

que iuvat Alexandre de Saint-Albin, *Pie IX*, Paris 1860, in-12°; *Pie IX et son Pontificat*; Card. Mathieu, archev. de Besançon, *Le pouvoir temporel des Papes justifié par l' histoire*, Paris 1863, in-8°.

[1] Encyclicae *Quanta cura* cum *Syllabo* connexo plures extant editiones. Nobis praesto sunt *Atti Pontificii o sieno Lettera Enciclica e Sillabo degli 8 dicembre* 1864 co' *Documenti in essi citati*, *testo e volgarizzamento*, *curati* per una pia Unione di Sacerdoti Napolitani, Napoli 1865.

nem Osterwicanum, *Leonardum*, *Nicolaum*, *Godefridum Dunéum* et *Andream*, Sacerdotes, *Petrum* et *Cornelium*, Laicos, omnes Martyres; *Paulum a Cruce*, Ord. Passionis D. N. I. C., et *Leonardum a Portu Mauritio*, Ord. Min. Observ., Confessores; *Franciscam a quinque Vulnerum D. N. I. C.* virginem Neapolitanam, et *Germanam Cousin* virginem. Die vero 7 iulii 1867 inter Beatos solemniter in Vaticana Basilica retulit biscentum et quinque martyres nempe *Alphonsum Navarrete*, *Petrum de Avila, Petrum de Zunica*, *Carolum Spinola*, *Angelum Orsucio*, *Franciscum Morales, Riccardum a S. Anna* cum sociis, qui in Iaponiae terris sanguinem suum pro Christi fide fuderant [1].

In tanto Ecclesiae Romanae triumphi apparatu, Episcopi qui ad festa convenerant, asserere denuo cupierunt magni amoris vinculum, quo Romano Pontifici se coniungi sentiebant. Calendis igitur iulii congregatis, in maiori aula quae Vaticanae Basilicae porticui imminet, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, qui Romae erant, Cardinalis Patrizi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae legit adstanti Pio IX splendidam concionem, qua Catholicus Episcopatus (quadringenti octoginta erant Episcopi subscriptores) mentem suam rursus proferebat observandi veluti oraculum, quidquid Petrus per Pium locutus esset. Et de Concilio oecumenico indicendo aiebant Episcopi: « Summo gaudio repletus est animus noster, dum e sacrato ore Tuo intelleximus, tot inter praesentis temporis discrimina eo Te esse consilio, ut *maximum*, prout aiebat inclitus tuus praedecessor Paulus III, *in maximis rei christianae periculis remedium*, Concilium oecumenicum convoces ». Hilaris aspectu inter Fratres suos, Pius Pp. IX libentissime novum hoc argumentum excepit fidei ac devotionis Episcoporum in Sanctam Romanam Sedem, eisque respondens amantissima Allocutione, cuius initium: *Periucunda quidem*, omni studio conatus est, arctioribus mutuae caritatis nexibus singulas orbis ecclesias Romanae, quae caput et centrum est, devincire. De communi Concilii oecumenici desiderio addidit: « Satisfacturi propterea communi desiderio iam nunc nunciamus, futurum quandocumque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis huius privilegii Ipsi collati memoria recolitur ».

74. *Occultae et manifestae machinationes ad exturbandum Roma Pontificem, eiusque in fidei violatores victoria*—Civilis Romanorum Pontificum Principatus osores toti in eo erant, ut Urbem potirentur; hinc qua fraude, qua aperta vi hoc ad exitum perducere satagebant. Non defuerunt ex utroque Clero proditores, qui suae vocationis obliti, in Sanctae Romanae Sedis perniciem quasdam omnino improbandas societates constituerunt, vario titulo appellatas, uti *Clerico-liberali—Di mutuo soccorso—Emancipatrice del Clero italiano*, quae Subalpini Gubernii favore, auxiliis, pecunia suffultae, falsas doctrinas scriptis exitialibus disseminare, ac populorum animos contra Apostolicam Sedem eiusque civilem Principatum instigare non desistebant. Anno 1861, publica Italiae Consilia Florentiae coadunata ad ferendas leges, die 27 martii decreverunt Romam urbem esse regni caput, et Italiae regem acclamarunt Victorium Emmanuelem regem Sardiniae. Vaferrimus Galliae imperator, Napoleon III, inito cum novi regni administris consilio, pactionem italico-gallicam fecit, quae specie securum reddebat Pontificem de possessione provinciarum nondum usurpatarum, revera autem Romam dominanti rebellioni tradebat.

Summus Pontifex Pius IX, firmum veritatis iustitiaeque praesidium contra tot adversariorum conatus, dum in epistola Encyclica diei 10 augusti 1863, ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Italiae scribebat: « Quanto conficiamur moerore ob saevissimum sacrilegumque bellum in omnibus fere terrarum orbis regionibus catholicae Ecclesiae hisce asperrimis temporibus allatum, ac praesertim in infelici Italia ante Nostros oculos a Subalpino Gubernio plures abhinc annos indictum, et magis in dies excitatum, quisque Vestrum vel facile cogitatione assequi potest »; addere non omittebat immaculatam Christi sponsam de suis hostibus etiam nunc agere triumphum. Cuius manifesta argumenta exhibent Sacrorum Antistitum totius catholici orbis fides, amor et observantia erga Pontificem et Petri Cathedram, eorumque eximia constantia in catholica unitate tuenda; pientissima religionis et christianae caritatis opera, quae, Deo auxiliante, magis in dies multiplicantur in catholico orbe; et sanctissi-

[1] Quoad hos Martyres Gorgonienses et Iaponienses cf *La Scienza e la Fede*, voll. XLIV, p. 222 sqq; LXVI, p. 269 sqq. Vid. quoque p. 211 voluminis huius.

mae fidei lumen, quo magis in dies tot illustrantur regiones, tum egregio Catholicorum erga ipsam Ecclesiam eiusque visibile Caput amore et studio, tum insigni et immortali martyrii gloria [1]. Sed cum dissimulare non posset Pontifex, acerbissimo se angi dolore, eo quod Societates ecclesiasticorum hominum tali pravo spiritu animatae constituerentur, qualem supra memoravimus, eas reprobat ac damnat, atque eodem tempore, ait, « hos infelices ecclesiasticos viros etiam atque etiam monemus, hortamur, ut resipiscant, et redeant ad cor, propriaeque saluti consulant, serio considerantes quod « nullum ab aliis maius praeiudicium, quam « a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, « quos ad aliorum correctionem posuit, dare « de se exempla pravitatis cernit [2] ».

Ausus etiam sacrilegos in Romanorum Pontificum civile Principatum, per decretum publicorum Consiliorum Florentiae diei 27 martii 1861, et Italico-gallicam Pactionem diei 15 septembris 1864, idem Summus Pontifex cassos nullosque declaravit, Litteris datis ad omnes Principes, omniaque Gubernia per suum a Secretis Cardinalem diebus 15 aprilis 1861, et 18 novembris 1864.

Sollicitudo universi Christi gregis, qua semper Pontifex exarsit, Allocutionibus concistorialibus hoc tempore habitis splendide apparuit. Nam in Consistorio secreto diei 25 septembris 1865, Allocutione, quae incipit: *Multiplices inter machinationes*, perversam illam hominum societatem, quae *Massonica* vulgo nuncupatur, seu *Liberorum Caementariorum*, ceterasque omnes societates clandestinas, quovis nomine appellatas, iamque a suis Praedecessoribus Clemente XII, Benedicto XIV, Pio VII et Leone XII damnationis sententia profligatas, iterum reprobavit et condemnavit sub poenis, quas allati sui Praedecessores constituerant [3]. Commentum autem alias a se explosum, « Apostolicas Constitutiones contra occultas sectas, earumque asseclas et fautores sub poena anathematis editas, nullam habere vim iis in regionibus, ubi a civili potestate memoratae sectae tolerantur », exitialem errorem esse certissima ratione ostendit. Sed afflictas iamdiu in Italia sanctissimae nostrae religionis res, ac maiorem in dies impetum, quo subalpinum Gubernium salutares catholicae Ecclesiae leges, sacrosque ministros indesinenter aggressus est, Pius IX deploravit Allocutione, *Non semel*, habita in Consistorio secreto die 29 octobris 1866. Cardinalibus, quos alloquebatur, in mentem reduxit Sacrorum Antistites, integerrimos utriusque Cleri viros, et alios honestissimos catholicos cives vel in exilium eiectos, vel in carcerem detrusos, vel ad coactum domicilium damnatos; Dioeceses cum maximo animarum damno suis orbatas pastoribus, virgines Deo sacras a propriis monasteriis expulsas et ad mendicitatem redactas; Dei templa violata, episcopalia Clericorum Seminaria clausa, miserae iuventutis institutionem christianae disciplinae ereptam, et erroris atque iniquitatis magistris commissam, et Ecclesiae patrimonium usurpatum atque distractum. Iuxta autem gravissimum Apostolici sui ministerii officium, vehementissime questus est et reprobavit legem ab eodem Gubernio latam de civili, uti appellant, matrimonio, et legem, qua in omnibus regionibus in sua potestate redactis, omnes utriusque sexus Religiosas familias suppressit, earumque omnia, et alia multa Ecclesiae bona sibi usurpavit, ac divendenda constituit. Iteravit quoque Summus Pontifex reclamationem contra eos, qui non desinebant exposcere, ut Ipse per apertissimam iniustitiam pluribus Pontificiae ditionis provinciis iam expoliatus, civilem Suum et Apostolicae Sedis principatum eiuraret. « Nos itaque, addidit, civilem Principatum divino Providentiae consilio in bonum universalis Ecclesiae constitutum non solum renunciare haud possumus, verum etiam omnia ipsius civilis Principatus iura debemus strenue tueri ac defendere, et sacrilegam S. Sedis provinciarum usurpationem vehementer expostulare, veluti saepe expostulavimus, et hac quoque occasione etiam atque etiam expostulamus et reclamamus ». At mitissimi Pontificis reclamationibus materia, post haec, non defuit. Nam subalpinum Gubernium quotidie magis vexans Ecclesiam, eamque opprimere contendens, haud exhorruit legem proponere, approbare, sancire et promulgare, quae in suis et usurpatis regionibus temerario, ac sacrilego prorsus ausu Ecclesiam propriis omnibus bonis spoliavit, sibique vindicavit, et eadem bona vendenda constituit. Allocutione habita in

---

[1] De Episcopis heic sermo est, sacerdotibus, laicisque viris, ac vel ipsis imbellibus mulieribus, et teneris adolescentulis, qui in Tunkini et Cochinchinae regionibus, exultantes pro Christo durissimos quoque despexerunt cruciatus, et vitam profuderunt.

[2] S. Greg. M. *Hom.* 17 *in Ev.*

[3] Legesis p. 341.

Consistorio secreto die 20 septembris 1867, Pius Pp. IX de hac lege sic habebat: « Commemoratam legem auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, damnamus, eamque omnino irritam et nullam declaramus. Ipsius autem legis auctores, et fautores sciant se misere incidisse in ecclesiasticas poenas, et censuras, quas Sacri Canones, Apostolicae Constitutiones, et Generalium Conciliorum Decreta ipso facto incurrendas infligunt contra Ecclesiae, eiusque iurium ac bonorum usurpatores, et invasores ».

Verum novae ac diffusioris aggressionis in nondum subactas Pontificiae ditionis provincias praesentiebatur periculum. Galliae Imperatoris militiae Roma discesserant, iuxta pactionem cum subalpino Gubernio initam die 15 septembris 1864; publice per Italiam habebatur voluntariorum delectum, quibus ipsum Gubernium vestes, arma, bellicos apparatus et cibaria subministrabat; eorum copiae duces habebant italici exercitus ductores, summo omnium duce Iosepho Garibaldi. Qui constituta die, specie fallens vigilantiam Gubernii, revera autem eius fretus auxiliis [1], aciem traiecit Aculam, ac inde ad proximiores Pontificiae ditionis terras, expilando publica aeraria, sacra templa, et monasteria praedando, et locis vastitatem afferendo. Huic praedonum agmini Summus Pontifex exiguum, sed strenuum exercitum opposuit, cuius ordines constituebant flos iuventutis romanae ac exterae (*zuavi pontificii*), milites Status Ecclesiae, et legio Gallica Antipolitana appellata ab Antipoli in Gallia Narbonensi, ubi fuerat composita. Post nonnulla parvi ponderis certamina, proelium commissum est ad Nomentum, die 3 novembris 1867; ius et virtus audaciam et vim debellarunt; hostes Ecclesiae fusi ac fugati sunt; in fugam se coniecit eorum dux Garibaldi; militum gregariorum multitudo confusa arma abiecit et in captivitatem adducta est. Quasi in pervigilio illius pugnae, die 29 octobris, ad Centumcellas appulit exigua Gallici Imperii classis, et copiae e navibus egressae, Romam advenientes, proelium spectarunt e longinquo.

Pius IX paterna caritate omnes complexus, magnanimus perduellibus pepercit, vulneribus affectos Romae in nosocomiis invisit, eos omni studio levavit, sanatis omnia iussit suppeditari, quae necessaria forent, antequam domos suas repeterent. Litteris Apostolicis datis die 14 novembris numisma cudendum instituit illius expeditionis commemorans; et Allocutione habita in Consistorio diei 20 decembris recentissima facta referens, virtutem militum tum pontificii exercitus, tum gallici, laudibus extulit, rependitque grates iis omnibus, qui participes fuerant defensionis iurium ac ditionis S. Sedis.

75. *Concilium Vaticanum* (*an.* 1869-1870) — Ob festum saeculare SS. Apostolorum Principum et solemnem Canonizationem aliquorum Ecclesiae Heroum, data est occasio Pontifici Pio IX, uti exposuimus, aperiendi Praesulibus Romae congregatis suam mentem, eisque significandi propositum sibi esse, ut *Concilium oecumenicum* Romam convocaret. Iam dudum id Pontifex animo volverat, et cum Cardinalibus identidem negotium istud tractaverat. Videbatur enim celebratio Concilii eiusmodi valde opportuna, ut doctrina fidei contra multiplices illius temporis errores vindicaretur et clare proponeretur, utque disciplina Cleri et Ordinum religiosorum, quae recentiorum temporum immutationibus civilibus valde turbata erat, firmaretur et apte constitueretur. In Consistorio itaque diei 22 iunii 1868 Bullam publicationis Concilii promulgavit et per aliam Bullam, *Aeterni Patris*, die 29 eiusd. mensis datam, Pius IX Concilium celebrandum indixit, atque Orbis catholici Praesulibus mandavit, ut ad Synodum die 8 decembr. 1869 in Basilica Vaticana inchoandam Romam convenirent. Litteris dein *Arcano divinae providentiae*, die 8 sept. 1868, Summus Pontifex episcopos ecclesiarum ritus Orientalis, communionem cum Sede Apostolica non habentes, obtestatus est, ut « ad eamdem generalem Synodum convenire velint, quemadmodum maiores eorum convenerunt ad Concilium Lugdunense II et ad Florentinum Concilium, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, coelesti illo ac salutari Christi dono quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata, post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque

[1] Litteris suis Encyclicis diei 17 octobris 1867, Pius PP. IX significabat « abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur »; ac subiungebat: « Hoc perditorum hominum genere in praesentia circumdati sumus. Qui quidem homines, diabolico prorsus spiritu animati, mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma Urbe. Ac subalpini Gubernii moderatores, qui huiusmodi homines coercere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma, resque omnes suppeditare, et ad hanc Urbem aditum muniri non erubescunt ».

caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illucescat». Interim Litteris, *Iam vos omnes,* Pius die 13 septembris 1868 Protestantes aliosque acatholicos qui « etiamsi eundem Iesum Christum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur, tamen veram fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur », monuit et obsecravit, «ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino praescriptam sectentur, quae ad aeternam ducit salutem ». Atque eos hortatus est « ut occasionem amplectantur huius Concilii quo Ecclesia catholica, cui eorum maiores adscripti erant, novum intimae unitatis et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes, ab eo statu se eripere studeant, in quo de propria salute securi esse non possunt ». Sed Pontificis invitationem et hortationem schismatici illi atque haeretici spreverunt ac reiecerunt.

Verum enim, per ephemerides Doctor Cumming, Scotus, ab Henrico Eduardo Archiepiscopo Westmonasteriensi, num in futuro Concilio dissidentibus facultas fieret ea proferendi argumenta, quae suae opinioni suffragari arbitrabantur, quaesivit. Archiepiscopus respondit, id a Romano Pontifice esse decernendum, ipseque hac de re ad Pium scripsit. Pontifex per Epistolam in forma *Brevis* Archiepiscopo die 4 septembris 1869 sic reposuit: «Si postulantem non latet catholicorum fides de magisterio a Divino Salvatore commisso Ecclesiae suae, et de huius infallibilitate propterea in definiendis quaestionibus de dogmate et moribus, dubitare nequibit, quin Ecclesia ipsa pati non debeat, revocari rursum in disceptationem errores, quas sedulo expendit, iudicavit et damnavit; quod notificatum fuit in litteris Encyclicis diei 13 septembris 1868 ».

Attamen aliquot e dissentientibus haec ipsa verba ita intellexerunt, ut omnem sibi praeclusam existimarent viam ad exponendas difficultates, quibus detinentur, ne ad catholicas partes accederent, interceptumque sibi ferme censerent ad Romanum Pontificem aditum. Quare Pius Pp. IX sub die 30 octobris 1869 ipsi Archiepiscopo Westmonasteriensi aliam Epistolam scripsit, in qua dicebat: «Nos nihil votis incensioribus expetamus, quam ut revertenti cuilibet paterno affectu brachia protendere possimus. Nec unquam certe silentium illis indicere voluimus qui, prava institutione decepti, putantesque se recte sentire, dissensum suum a Nobis validis inniti argumentis arbitrentur, quae propterea a sapientibus prudentibusque serio expendi desiderent. Licet enim id fieri nequeat in Concilio, viri tamen divinarum rerum periti a Nobis designandi ipsis non deerunt, quibus mentem suam aperire possint, omniaque rationum momenta sententiae suae fidenter exponere, ut, ex ipso disceptationis, solo veritatis assequendae studio institutae, conflictu, uberiori luce perfundi valeant, qua ad illam perducantur ».

Ad ea praeparanda quae in Concilio pertractanda erant, Summus Pontifex theologi ex Italia, Gallia, Germania, Belgio, Hispania aliisque Ecclesiae provinciis convocaverat, qui una cum theologis Romanis magna cum sollicitudine munere ipsis commisso functi sunt. Ne vero operi tam arduo tantique momenti deesset Omnipotentis dexterae auxilium et coeleste lumen, litteris *Nemo certe ignorat*, die 11 aprilis an. 1869, Pius preces publicas indixit, et caelestes Indulgentiarum thesauros Christi fidelibus reseravit.

Die 27 nov. 1869 idem Pontifex litteras Apostolicas dedit, quibus Ordo generalis in Sacrosancti Concilii Vaticani celebratione servandus constituebatur. In his Im caput agit de modo vivendi in Concilio, IIm de iure et modo proponendi, IIIm de secreto servando in Concilio, IVm de ordine sedendi, et de non inferendo alicui praeiudicio, Vm de iudicibus excusationum et querelarum, VIm de officialibus Concilii, VIIm de Congregationibus generalibus Patrum, VIIIm de Sessionibus publicis, IXm de non discedendo a Concilio, Xm Indultum Apostolicum de non residentia pro iis, qui Concilio interfuissent. Die 2 decembris Pius Pp. IX has normas tradidit Episcopis omnibus, qui Romae convenerant, eisque allocutionem habuit, *Sacri Oecumenici Vaticani Concilii*, in qua laudibus celebravit unitatem et concordiam cum eorum Petri cathedra, tempestati nostrae summopere necessariam. Constitutione *Cum Romanis Pontificibus*, die 4 decembris eiusdem anni normas tradidit de electione Romani Pontificis, si contingat Sedem Apostolicam vacare durante Concilio Oecumenico.

Ex toto porro orbe christiano Romam Praesules advenerant plurimi, ita ut circiter septingenti Synodo adfuerint: iuncti sunt iis Abbates varii, Ordinum religio-

sorum Generales. Episcopis missionariis aliisque non opulentis Pontifex habitationem et sustentationem praebuit. Concilii Sessionibus solemnibus praesidebat ipse Pontifex, Congregationibus autem generalibus nomine Pontificis varii Cardinales.

Prima Sessio Concilii habita est die 8 decembris 1869. In ea Synodus solemniter inchoata est. Episcopus Peucher Passavalli initialem concionem habuit, ac Pius IX septingentos viginti tres Patres allocutus, contestatus est, exultare cor eius in Domino et incredibili consolatione perfundi, quod auspicatissimo illo die Immaculatae Dei Genitrici sacro Praesules, in partem sollicitudinis cum ipso vocatos, tanta frequentia praesentes intueatur, ut una cum Pontifice testimonium perhibeant Verbo Dei, viamque Dei in veritate omnes homines doceant, et de oppositionibus falsi nominis scientiae Spiritu Sancto duce iudicent. — Die 20 decembris Romae publicabatur Apostolica Constitutio Pii Pp. IX data 12 octob. 1869, *Apostolicae Sedis*, qua Ecclesiasticae Censurae latae Sententiae limitantur.

In *Sessione Secunda*, habita die 6 ianuarii 1870, tum Pontifex tum Patres Concilii solemnem fidei professionem emiserunt. Variis in Congregationibus generalibus et *Commissionum* specialium sessionibus dein magna cum sollicitudine de rebus fidei et disciplinae tractatum est.

Sessio Tertia Concilii habita est die 24 aprilis (Dominica in Albis), atque in ea Pontifex, praesentibus sexcentis sexaginta septem Patribus, publicavit Constitutionem dogmaticam *de Fide Catholica*. Continet eadem quatuor Capita: primo exponitur doctrina catholica *de Deo rerum omnium Creatore*, secundum agit *de Revelatione*, tertium *de Fide*, quartum *de Fide et ratione*. Capitibus hisce adiecti sunt Canones sub iisdem titulis, quibus errores doctrinae catholicae oppositi proscribuntur. Post huius Constitutionis sanctionem promulgationemque, Pius IX Patribus verba faciens, eorum admiratus est concordiam, ideoque sancta laetitia correptus exclamavit: « Quam bonum et iucundum habitare fratres in unum hodie, quum in Domo Domini ambulamus cum consensu! »

Post haec actum est de doctrina quae ad Ecclesiam Romanumque Pontificem spectat. Atque inde ab initiis Concilii quamplurimi Patres, quorum numerus quadringentos superabat, enixe postularunt, ut de Romani Pontificis infallibilitate ageretur, utque solemni definitione statueretur, eam doctrinam ad depositum fidei pertinere. Merito enim censuerunt illi Patres, necessariam esse, ut quum post exortas Iansenismi, Gallicanismi et Febronianismi errores, quibus Romani Pontificis ex cathedra loquentis inenarrantia impetebatur, primum hoc oecumenicum Concilium Vaticanum celebraretur; solemniter illi errores proscriberentur, ac vera doctrina accurate definiretur. Id pariter necessarium habuerunt eo, quod etiam recentiori tempore controversiae de illo gravissimo doctrinae capite excitatae fuerant; unde fidelium conscientiae angebantur et religiosae societatis pax et tranquillitas perturbabantur. Doctrinae tamen de infallibilitate Romani Pontificis definiendae, ut catholicae fidei dogma, complures Patres Concilii obstiterunt. Enimvero paucissimi tantummodo ipsam doctrinam in dubium vocaverunt; sed varii Praesules opinati sunt, haud opportunum esse, ut ea doctrina tamquam fidei dogma definiretur. Sed praevaluit sententia multa maioris numeri Patrum.

Post diuturnas disceptationes et postquam quinquaginta sex Episcopi, qui opportunitatem huius definitionis denegantes, *inopportunistae* appellati sunt, declararunt, se constituisse a Sessione abesse; 18 iulii habita est *Sessio Quarta*, cui interfuerunt Patres quingenti triginta quinque. Hi omnes, quum eorum vota exquirerentur, exceptis duobus (qui tamen vix definito dogmate, illud manifestissime professi sunt), assenserunt *Constitutioni de Ecclesia* in illa Sessione editae. — Constat haec Constitutio *de Ecclesia* prooemio et quatuor capitibus; quorum primum tractat *de Apostolici primatus in B. Petro institutione;* secundum *de perpetuitate primatus Petri in Romanis Pontificibus;* tertium *de vi et ratione primatus Romani Pontificis;* quartum *de Romani Pontificis infallibili magisterio*. Ultimum hoc dogma hisce verbis definitur: « Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam

definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit ».

Statim ac adprobata et promulgata fuit haec Constitutio, Concilii Patres laetitia gestientes, summo ac infallibili fidei et morum Magistro acclamarunt; magna Synodi aula personavit plausibus, quibus multitudo fidelium Basilicae Vaticanae alam replens suos ac perstrepentes iunxit: *Vivat Papa infallibilis! Vivat Œcumenicum Concilium! Vivat Ecclesia Sancta!* In his vocibus, quibus aeris campani sonitus, tormentorumque bellicorum strepitus responsabant, visi sunt venerabiles Praelati lacrymas prae gaudio effundere, et mutuo hunc illum amplexari. Impetu huiusmodi restincto, Pius IX nonnulla verba fecit Concilii Patribus, quas voces elationes ac repetiti plausus obscurarunt. Tandem Sanctitas Sua hanc perbrevem Allocutionem in Concilio habuit: « Summa ista Romani Pontificis auctoritas, Venerabiles Fratres, non opprimit sed adiuvat, non destruit sed aedificat, et saepissime confirmat in dignitate, unit in charitate, et Fratrum, scilicet Episcoporum, iura firmat atque tuetur. Ideoque illi, qui nunc iudicant in commotione, sciant non esse in commotione Dominum. Meminerint quod paucis ab hinc annis oppositam tenentes sententiam abundaverunt in sensu Nostro, et in sensu maioris partis huius amplissimi consessus, sed tunc iudicarunt in spiritu aurae lenis. Numquid in eodem iudicio iudicando duae oppositae possunt existere conscientiae? Absit. Illuminet ergo Deus sensus et corda; et quoniam Ipse facit mirabilia magna solus, illuminet sensus et corda, ut omnes accedere possint ad sinum Patris, Christi Iesu in terris indigni Vicarii, qui eos amat, eos diligit, et exoptat unum esse cum illis. Et ita simul in vinculo charitatis coniuncti praeliare possimus praelia Domini, ut non solum non irrideant nos inimici nostri, sed timeant potius, et aliquando arma malitiae cedant in conspectu veritatis, sicque omnes cum D. Augustino dicere valeant: « Tu vocasti me in admirabile lumen tuum, « et ecce video ».

Breve post, occasione belli inter Germanos et Gallos exorti, Italiae rex Victor Emmanuel per copias suas sacrilega invasione Romam occupari fecit, ut videbimus. Inde Pontifex, sub hostili dominatione et potestate constitutus, in exercitiis supremae suae auctoritatis admodum impediebatur, Vaticanis Patribus libertas necessaria et securitas ad negotia Ecclesiae tractanda deerat, et ob bella ac perturbationes rerum variis in regionibus, Episcopi multi iam a suis ecclesiis diutius abesse non poterant. Hinc Pius Pp. IX die 20 octobris 1870 Vaticani Concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius tempus per S. Sedem declarandum, Apostolica auctoritate suspendit [1].

76. *Bellum Franco-Borussicum* (*an.* 1870)—Iam supra enarravimus quibus periculis Italia, Germania et Gallia versabantur quibusque artibus, quamvis occulte, Napoleon III nitebatur, ut Sabaudiae domus reliquam Italiam ad se converteret. Verum enim vero, dum Imperator Gallorum ad Italiam erigendam summa ope incumbebat, imperii sui fundamenta moliebatur, uti clades apud Sadowam, et Sedanum accepta satis aperteque ostendit, de iactatis victoriis Solpherini et Castrifidardi fere poenas luens. Attamen quum Italiae donasset Venetias, sibi ab Imperatore austriaco delatas, optatam *unitatem italicam* Napoleon composuit, et germanicum imperium etsi invite constituit, sectarum placitis arridens, quae tot malorum eum auctorem professae sunt. Interdum die 14 iulii 1870 Napoleon Borussiae bellum ciebat, sed, adverso marte, Gallorum exercitu fuso et interfecto Sedani arma magno cum dedecore Guilielmo tradidit die 2 septembris eiusdem anni. Id unum quoque dignum memoratu videtur, Napoleon illis ferme diebus, quibus praesidium gallicum Pontificis missum Roma, ut sectatoribus faveret, evocabat, in campis Wissenburgi, Worthii et Spikereni co-

---

[1] Vaticani Oecumenici Concilii historiam diligentissime conscripsit Eugenius Cecconi, nunc Archiepiscopus Florentinus. Huic perillustri Canonico illius Metropolitanae Ecclesiae Pius PP. IX omnia archivia aperuit Vaticanae Synodus, et Leo Pp. XIII eum, licet Archiepiscopum Florentinum, Romae retinuit donec summam imponeret suo operi manum. Quod Romae per typographiam Vaticanam prodiit tribus voluminibus in-4° ab anno 1872 ad annum 1878, sub titulo: *Storia del Concilio Vaticano scritta su' documenti originali.*

pioso exercitui suo ruina parabatur [1]. Pius IX, verum, litteris diei 22 iulii 1870 tam regi Borussiae quam Galliae Imperatori datis, iras compescere animosque mitigare exoptabat, sed Guilielmus Pontifici respondit, se neque amasse neve intulisse bellum, quinimo paratum esse et armis subsistere, si hostis mitiorem animum praeseferret. Quae vero Napoleon respondisset nos omnino latent; hoc solum compertum habemus, post caedem Sedani quum Pontifex iterum ad componendum bellum, ut tanta excidia cessarent, litteras iisdem scripsisset, neminem illum audivisse et molem imperii Galliae penitus corruisse.

Hac tempestate subalpinum Gubernium nullum non movit lapidem, ut sarte frueretur, et, distractis Romae Galliarum praesidiis, statim patrimonium S. Petri adhuc incolume invasit. Administer italus Visconti Venosta interdum per litteras certiores fecit exteras nationes consilii sui gubernii invadendi Romam, ne Pontificem contumeliis atque tristibus casibus traderet!

77. *Ruina moenium ad Portam Piam* (*an.* 1870) — Eo tempore, quo administer italus litteras dabat die 4 septembris, alter in coniuratorum conventiculum adscitus, comes Pontia Sancti-Martini legatus Romam proficiscebatur, ut Pontifici epistolam Victorii Emanuelis regis, cuique dies 8 septembris 1870 appositus erat, traderet. In ea rex praetexens exerando suo proposito Italiae salutem, ceu supremam legem, affirmabat sui muneris esse ea omnia disponere, quae necessaria forent regni tranquillitati; ideoque opus esse ut copiae italici exercitus Romam occuparent. Pius Pp. IX, perlecta epistola, magno fuit affectus dolore, nec ideo permotus, quia poenitus noverat, quo tenderet Status subdolus et factiosus, regis litterae respondit verbis Pontifice dignis, litterasque regi misit authographas die 11 septembris, quibus indignam prorsus filio Ecclesiae benevolo, qui gloriabatur confessione verae fidei, et regali sinceritate, epistolam illam praenuntiantem Urbis usurpationem. Inde Pontifex inferebat se non posse postulata concedere, neque desiderio regis assentiri. Verum nondum responsum istiusmodi regi advenerat, et iam exercitus sexaginta millium hominum ditionem omnem pontificiam invaderat.

Supremus Pontificiarum militiarum dux, Kanzler, se suasque copias ad Urbem defendendam paraverat, accersitis Romam et Centumcellas copiis hinc inde diffusis. Strenuo huic Pontificis iurium vindici Pius Pp. IX dixerat: « Si non possumus efficere, quin fur intret, sciant omnes saltem illum iniuria et vi intrare ». Et revera decem millia militum Romani exercitus ad Urbis defensionem praesto fuerunt.

Unus ex ducibus Italicae militiae Cadorna die 19 septembris cum sexaginta millibus militibus ad moenia Romana appulerat, nec labori nec fraudibus parcens, ut Urbem ipsam et cives adversus Romanum Pontificem commoveret. Clanculum arma in Urbem introduxit, pecuniam pollicitus est iis, qui rebellionem excitassent; qua in perfidia ei extitit adiutor orator regni Borussiae apud S. Sedem comes Arnim, qui intra moenia pontificia Pontificis iura tueri simulabat. Verum cum haec omnia Cadorna incassum fieri vidit, ob populi reverentiam in Principem eiusque exercitus virtutem, statuit Urbem aggredi sequenti die, quae fuit 20 septembris.

Eiusmodi aggressio sacrilega consumabat facinora a subalpino Gubernio admissa. Profecto iure omni conculcato, exercitus catholici Principis nulla iniuria lacessiti, immo nulla ne apparente quidem causa, Urbem, catholici orbis caput, obsessam tenebat, eaque per vim potiri se accingebat. Merito igitur Summus Pontifex supremo Duci militiarum suarum edixerat tantum in defensione persistere, quatenus omnes inlatam vim agnoscerent, nec amplius.

Primo mane, die 20 septembris, Urbs oppugnari tormentis coepit per quinque moenium latera; sed strenue aggressores propulsabat manipulus animosus militum, qui sub Sanctae Sedis vexillo pugnabant. Brevi a repetitis tormentorum ictibus aliquantum muri ad Portam Piam discussum est; pro dirutis moenibus stabant copiae pontificiae intrepide hostium impetum propulsantes; sed signum deditionis iussu supremi ducis Kanzler datum fecit eas a pugna cessare. Non destitit tamen missilium subalpini exercitus imber, donec ducis Cadornae milites, et qui eos sequebantur perditorum hominum perditissimi in Urbem invaserunt, ac pacificorum civium bona, domos et ipsam saepe vitam impune per-

[1] Adde: quum in colloquio cum Farinio et Cialdinio Camberiaco an. 1859 habito, imperator clam iis dixisset: *Properate: Pontificias ditiones quam citius occupate*, paccos post annos Sedani catastrophe etiam Deus cum Napoleone III *quam citius* egit.

dere potuerunt. Ita missilia Cadornae fastigium Romae imposuerunt operi, quod Cialdinius terrestri et navali pugna ad Castrumfidardum, atque Anconae orditus est, quodque *plebiscitum* absolvit, solitis coniuratorum artibus comparatum.

Tanti facinoris, quod omne ius gentium susque deque vertit, nullus Europae Principum et Gubernium, si Daniae regem, eiusque sponsam reginam excipias, qui ad Pontificem Summum literas miserunt commiserationis, conquestus est apud subalpinum Gubernium. Una sollummodo ex tribubus septentrionalis Americae (*i Cuori di Lesina*) scriptam edidit reclamationem contra hanc apertissimam omnis iustitiae violationem, et quinque centena millia libellarum Pio Pp. IX obtulit pro stipe Petriana. At silentio haud praeteriit immane scelus Pontifex indigne spoliatus. Eadem die 20 septembris, per suum Cardinalem publicis negotiis praepositum, ad omnes Oratores, Administros et Negotiorum gestores exterarum nationum apud Eum et Sanctam Sedem commorantes protestationem dedit, qua nullam, irritam et cassam declaravit ecclesiasticae ditionis usurpationem, eamque nullum detrimentum afferre Suis, ac suorum Successorum iuribus, possessionis et imperii. Post paucos dies, III° calendas octobris, Litteras Pontifex scripsit Cardinalibus sanctae Romanae Ecelesiae, ut per illas universo catholico orbi innotesceret, Pastorem in universa domo Israel libertate illa carere, quae ad regendam Ecclesiam Dei, eiusque rationes curandas omnino necessaria est. Quae iam Romae et in ceteris pontificiae ditionis locis gesta erant, ac ea etiam quae deteriora imminebant Summus Pontifex detestatus est ac reprobavit. In Epistola quoque Encyclica calendis novembris eiusdem anni, quae incipit: *Respicientes ea omnia*, summatim memorat quae subalpinum Gubernium pluribus ab annis gesserat ad evertendum civilem Principatum singulari Dei providentia Apostolicae Sedi concessum; quomodo Urbem ipsam expugnaverat; ea denique quae hanc expugnationem consecuta fuerant, non sine iusta bonorum omnium indignatione. « *Naboth*, Pius scribit, *vites suas vel proprio cruore defendit.* Num poteramus Nos, quidquid tandem eventurum esset Nobis, non iura possessionesque Sanctae Romanae Ecclesiae defendere, quibus servandis, quantum in Nobis est, solemnis iurisiurandi Nos obstrinximus religione? vel non libertatem Apostolicae Sedis cum libertate atque utilitate Ecclesiae universae adeo coniunctam vindicare? » Quoniam vero monita, expostulationes et protestationes Eius in irritum cesserunt, per omnes Episcopos universae Ecclesiae declarat maiorem excommunicationem, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas incurrisse actores et consortes tanti sceleris.

78. *Statutas a Gubernio Romae sedenti cautiones, vulgo* guarentigie, *Pontifex reiicit, ac suum expostulat principatum* — Vix duo anni intercesserant a decreta infanda lege de clericis in militiam adscribendis, quam Pius IX reprobaverat et damnaverat uti libertati ac immunitati Ecclesiae adversam [1], cum publica Italorum Consilia, specie muniendae sacrae potestatis et libertatis Romani Pontificis, quem civili spoliaverant Principatu, legem sanxerunt vulgo dictam *delle guarentigie*, qua futilibus quibusdam immunitatibus, privilegiis et cautionibus Pontificem Summum tueri praetexebant. Exempli causa, istiusmodi lex sacram ac inviolabilem Personam Romani Pontificis, eique regios honores decernebat; statuebat ei de publico uti stipendium tricies centena millia, atque ducenta viginti quinque millia libellarum, Apostolicarum Ædium Vaticanarum et Lateranensium, atque rus Arcis Gandulphi in usum Papae relinquebat; liberum fore Conclave, quum Pontifex eligendus esset, liberum Concilium oecumenicum spondebat; immo omnimodam fatebatur in Pontifice libertatem in usu spiritualis suae potestatis, in promulgatione actuum pontificiorum ad valvas Basilicarum aliarumque romanarum Ecclesiarum, in creandis Episcopis etiam pro Italiae sedibus, iisdemque per epistolas communicando; et ipsos Episcopos debito solvebat iurandi Gubernio [2]. Verum eventus qui huius legis promulgationem praecesserant, quique illam sequuti sunt, satis superque ostenderunt, ad fucum catholicis faciendum, et ad eorum anxietates sedandas fuisse inventam, Summo Pontifice semper manente sub hostili dominatione. Hoc innuebant Litterae eius Encyclicae ad om-

[1] Cf Litteram in forma Brevis Episcopo Montis Regalis missam die 25 martii 1869, et Allocutionem habitam in Consistorio secreto die 25 iunii eiusdem anni, in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. LXXIII, pp. 256 et 491.

[2] Huius legis exemplar referunt citatae Ephem. vol. LXXXI, p. 326.

nes catholici orbis Episcopos datas die 15 maii 1871, et quae incipiunt: *Ubi nos arcano Dei consilio*. In his enim solemniter declarabat, se « non modo eas quae cautiones appellantur quaeque Gubernii subalpini curis perperam cusae sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia et quidquid cautionem seu *guarentigie* nomine veniat, nullo modo valere posse ad adserendum expeditum liberumque usum divinitus *Sibi* traditae potestatis et ad tuendam necessariam Ecclesiae libertatem ». Ut plenissima libertate potestatem huiusmodi exercere possit Christi in terra Vices gerens, « civilem S. Sedis Principatum, subiungebat, Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse ».

79. *Pii Pp. IX Iubilaeum Pontificale* (*an.* 1871) — Quum die 16 iunii 1871 novo post D. Petrum eventu et in Romanorum Pontificum serie prorsus inusitato Pius Pp. IX sextum et vigesimum attigisset annum Apostolici ministerii in Romana Cathedra, catholicus orbis hoc papale Iubilaeum mirifica solemnitate celebrare voluit. Roma autem spectaculum admirandum prae se ferebat multitudo fidelium capite prono in terram in grati animi sensu ac devotionis coadunata. Christianus orbis Romanis se adiunxit, et solus Deus agnoscit numerum fidelium, qui sacra Synaxi illa die pro captivo Pontifice refecti sunt. Innumera gratulationis *thelegrammata* ab omnibus regionibus ad Vaticanam Pontificiam sedem directa fuere, quae inter prima illud Angliae reginae, omniumque fere summorum Imperantium. Ab omnibus orbis partibus Romam venerunt absque numero delegati, ab America usque, et 200,000 advenarum in Urbe hac solemnitate attracti, numerati sunt. Hi delegati Pontifici attulerunt mensis spatio *stipem Petrianam*, et ingentia volumina innumeris nominibus fidelium cooperta[1]. Duas Epistolas Encyclicas dedit Pontifex, quarum una die 4 iunii 1871, *Beneficia Dei*, actus sui Pontificatus enumerans, statum urbis Romae flebat; suo iubilaeo gratulabatur, et plenariam Indulgentiam omnibus fidelibus concedebat. In alia, *Saepe Venerabiles*, diei 5 augusti 1871, gratias Deo agebat pro devotionis sensu ab universo orbe erga Eum in festo sui iubilaei pontificalis ostenso.

Interdum Romae Senator Marchio Franciscus Cavalletti, praeses nobilium societatis et praelatorum diversarum nationum, pro die 29 iunii 1872, auream *Cathedram* vel *thronum* Pio IX afferre disponebat, titulum *Magni* Pontifici etiam assignando. Sed summus Pontifex magnitudini Gregorii VII, ardentem Iulii II animum, fiduciam iusti Clementis XIV et mansuetam fortitudinem Pii VII copulabatur, posthabitis contumeliis et iniuriis, qua saeculi sectatores hac arrepta occasione in Pontificem iniicere non erubuerunt, per litteras diei 8 augusti 1871 datas thronum materiale in morales Ecclesiae columnas erigendas invertere proposuit, in liberandis nempe a militari delectu iuvenes clericos. Christi vero admonitionis memor, quod solus Deus est bonus, uni Deo nomen *Magni* competere affirmabat, et hoc titulum declinabat.

80. *Veteres-Catholici* — Universi totius orbis catholici Praesules, etiam illi qui ante opinati fuerant, doctrinam infallibilitatis Romani Pontificis ex Cathedra loquentis, haud opportunius definiendam esse, uti reliqua Concilii Vaticani decreta, summa cum reverentia susceperunt. Sed nonnulli sacerdotes et laici Germanici, inter quos Döllinger, Friedrich, Reusch, Reinkens, Schulte, in variis Universitatibus professores, fere primarii erant, reiecerunt praefracte et oppugnarunt magisterium infallibile tum Romani Pontificis, tum totius Ecclesiae docentis; inficiati quoque sunt et perverterunt veram iurisdictionis potestatem in Romano Pontifice et Episcopis, eamque ad plebem, seu, uti aiebant, ad communitatem transtulerunt. Porro adversus Spiritum S. a Christo promissum Ecclesiae, ut in ea maneret in aeternum, ausu incredibili affirmarunt, Romanum Pontificem, nec non universos Episcopos, sacerdotes et populos, unitate fidei et communionis cum eo coniunctos, in haeresim incidisse, quum definitiones oecumenici Concilii Vaticani professi sint. Hi novi haeretici *veteres-catholicos* se appellarunt. Huiusmodi nominis abusio ridicula plane foret, nisi sicuti in sua

---

[1] En quomodo sodales Pontificii antiquitatibus explicandis animos suos Pio IX significabant: « Salve qui Petri annos — post XIX saecula unus aequasti — Silvestri Hadriani utriusque Pii vicisti — Pie Pater et Princeps — tutela praesens Romae — tibi — Ecclesiae pacem quae Silvestro obtigit — cum Imperio concordiam quae Hadriano — populos triumpho ovantes ut alteri Pio — historiae monitu augurantur — fervida a Deo prece expetunt — Sodales Pontificii Antiquitatibus explicandis — maximis a te beneficiis cumulati — Sanctitati Maiestatique tuae devoti — XVI Kal. Iul. MDCCCLXXI ».

Encyclica, die 21 novembris 1873, Pius Pp. IX conquestus est, tot errores monstrosi istius sectae adversus praecipua catholicae fidei principia, tot sacrilegia in re divina conficienda, et in Sacramentorum administratione, tot gravissima scandala, tanta demum animarum Christi sanguine redemptarum pernicies vim lacrymarum potius ab oculis exprimerent [1].

Eodem vero tempore sectatores homines *Staatskatholiken*, idest *Catholici Status*, appellati, Berolini orti sunt; qui, quamvis infallibilitatem Romano Pontifici tribuissent, omnes tamen illas leges civiles retinebant, quae suppositam Status infallibilitatem tuantur.

Attamen *veteres-catholici* blasphemantes, Ecclesiam in toto periisse mundo proindeque visibile eius caput et Episcopos defecisse, hierarchiam sibi fingere voluerunt, ac notorium quemdam a catholica fide apostatam, Iosephum Hubertum Reinkens, in Universitate Uratislaviensi theologiae antecessorem, pseudo-episcopum sibi elegerunt, et constituerunt die 4 iunii 1873. Atque ut nihil impudentiae deesset, pro consecratione eius ad illos confugerunt Ultraiectenses Iansenianos [2], quos ipsi, antequam ab Ecclesia desciscerent, haereticos et schismaticos ducebant una cum caeteris catholicis. Reinkens a Germanici Imperii gubernio tamquam episcopus catholicus, edito decreto, agnitus et nominatus, et iusti episcopi loco habendus et observandus subditis universis propositus fuit. Pontifex vero non solum electionem huius viri, contra sacrorum canonum sanctionem factam, illicitam, inanem et omnino nullam, eiusque consecrationem sacrilegam declaravit atque reiecit, sed et ipsum Reinkens, et qui eum eligere attentarunt, et qui sacrilegae consecrationi operam commodarunt, et quicumque iisdem adhaeserint eorumque partes secuti fuerint, favorem, auxilium aut consensum praebuerint, excommunicavit, anathematizavitque laudata Encyclica diei 21 novembris 1873, *Etsi multa*.

Quid vero moliretur ac expectaret miserrimus iste perditionis filius, luculenter patet ex aliis eius scriptis, a suis asseclis *anteencyclicis* appellatis, in quibus Reinkens ostendere conatus est, Romanum Pontificem esse simplicem episcopum, Pium IX non esse legitimum Papam, Iansenismum esse veram Christi Ecclesiam, tamquam adulatores habendos, qui Pium colebant.

Interea haeretici illi, guberniorum Germaniae protectione fulti, sectam suam magis magisque in Germania, magno Ducatu Badensi non excepto, Bavaria, Austria, Helvetia dilatare studuerunt. In Helvetia etiam alium pseudo-episcopum, Herzog, antea parochum Oltensem elegerunt, cui die 18 septembris 1876, Reinkens, assistentibus duobus presbyteris, sacrilego ausu consecrationem impertiit. Multae quidem vexationes ab illis haereticis provenerunt fidelibus catholicis, caeterum sectarii isti suis conatibus parum profecerunt. Quumque reiecto coelibatu varii presbyteri apostatae, qui illis sese addixerant, impuras nuptias inirent, ac dissensiones inter primopilos sectae orirentur, res *veterum-catholicorum* iam magis magisque concidit. Nunc temporis vero numero multo imminuti sunt, etsi nonnulli eorum ecclesias et bona a Catholicis erepta possideant, et proventus a guberniis ipsis attributos nihilominus fruantur.

81. *Ecclesiae status in Germania* — In Germania interim ac maxime in *Borussia*, vehemens contra catholicos orta est vexatio. Postquam bello, anno 1870 exorto, Galli a Germanis devicti sunt, Guilielmus Borussiae rex mense ianuario anni 1871 Imperator Germanorum proclamatus est, sicque regnorum Germaniae arcta connexio in isto imperio constituta fuit. Sed aliqua Germaniae gubernia dein ex Concilii Vaticani decretis, ac praesertim ex definitione infallibilitatis Romani Pontificis praetextum desumpsere, ut iniustis legibus Ecclesiam divexarent. Anno 1872 pro toto Germaniae imperio lex lata est et executioni mandata, qua Societas Iesu et nonnullae Congregationes ei affines proscriptae et a finibus illius eiectae sunt. Qua de re Pius Pp. IX in allocutione habita die 23 decembris 1872 sic animi sui dolorem Cardinalibus aperiebat: « Verum acerrimus, quo perstringimur, dolor ob istas aliasque passim illatas Ecclesiae iniurias in Italia, non leviter exarcebatur praeterea a saevis, quibus eadem obnoxia est alibi, persequutionibus; maxime vero in novo Germanico Imperio, ubi non occultis tantum machinationibus, sed aperta quoque vi illi funditus subvertendae adlaboratur. Siquidem viri, qui non modo non profitentur sanctissimam religionem nostram, sed nec ipsam norunt, potestatem sibi vindicant praefiniendi dogmata et iura catholicae Ecclesiae. Et dum eam prae-

[1] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. XCI, p. 193.
[2] Vid. p. 265-267, et 294-295.

fracte divexant, impudenter asserere non dubitant, nullum illi a se inferri detrimentum; imo calumniam ac irrisionem addentes iniuriae, saevientem persequutionem vitio vertere non verentur catholicorum; scilicet, quod eorum Praesules et Clerus una cum fideli populo praeferre renuant civilis Imperii leges et placita sanctissimis Dei et Ecclesiae legibus, et a religioso officio suo desciscere idcirco recusent. Utinam publicarum rerum moderatores, diuturna docti experientia, sibi tandem suadeant, ex eorum subditis neminem accuratius catholicis reddere Caesari quae sunt Caesaris, ideo praesertim, quod religiose reddere studeant quae sunt Dei Deo ».

Dein in Borussia annis 1873 et 1874 aliae leges latae sunt, quibus, eliminatis articulis illius regni Constitutionis, libertati Ecclesiae faventibus, ipsa Ecclesia catholica in conditionem miserrimam redigebatur. Proscriptae sunt omnes fere Congregationes religiosae; Clericorum autem institutionem et educationem gubernium laicae potestati ita subiecit, ut ad hanc pertineret inquirere ac decernere, quomodo clerici erudiendi et fingendi essent ad sacerdotalem vitam et pastoralem. Laica potestas ius quoque sibi adscivit cognoscendi et iudicandi de collatione cuiusvis officii et beneficii ecclesiastici, atque etiam sacros pastores officio et beneficio privandi. Praeterea plura iisdem legibus iniecta sunt impedimenta Episcopis, quominus per censuras poenasque canonicas sive animarum saluti, sive sanctitati doctrinae in scholis catholicis, sive obsequio sibi a clericis debito opportune prospicerent; non aliter enim per eas leges fas fuit Episcopis haec agere, quam iuxta placitum civilis auctoritatis et ad normam ab ipsa propositam. Demum regium tribunal pro ecclesiasticis negotiis institutum fuit, quo vocari possint Episcopi sacrique Pastores, cum a privatis hominibus, qui iis subsunt, tum a publicis magistratibus, ut reorum instar iudicium sustineant, et in exercitio spiritualis muneris coerceantur [1].

Quum vero hisce aliisque similibus legibus Praesules et Clerus salva conscientia acquiescere non possent, adeoque earum observationem declinarent, molestissima Ecclesiae catholicae vexatio facta est. Aliqui ex Episcopis in iudicium vocati, mulctis, carcere, exilio affecti, imo depositi sunt, Seminaria et instituta pia suppressa, permulti sacerdotes suis reditibus privati, vel e regni finibus expulsi sunt, plurimae paroeciae suis orbatae pastoribus, quum curatis defunctis alios sufficere Episcopi impedirentur. Sed in istis angustiis tum Episcopi, tum sacerdotes, paucissimis exceptis, magnum et praeclarum firmitatis et constantiae exemplum praebuere; atque etiam fideles universim singulari fervore suam erga legitimos pastores obedientiam et amorem, ac se addictissimos Ecclesiae catholicae ostenderunt. Gravissimam hanc contra Christi Ecclesiam persecutionem, voce noviter cusa, qua fucum facerent plebi, *contentionem pro civilitate* (*Kulturkampf*) nuncuparunt.

De his meminit quoque Pius Pp. IX in commemorata Encyclica ad omnes orbis catholici Episcopos, diei 21 novembris 1873, et meritis laudibus cohonestans Pastores, et gregem fidelem Borussiae, eos ab impacta calumnia sic defendit: « Facile intelligitis, quanto animi dolore Nos affici oportuerit legentes in epistola nuper ad Nos data ab ipso Germanico Imperatore criminationem non minus atrocem, quam insperatam adversus partem, ut ipse ait, Catholicorum sibi subditorum, praesertim vero adversus catholicum Germaniae Clerum et Episcopos. Cuius criminationis ea causa est, quod hi nec vincula et tribulationes verentes, nec facientes animam suam pretiosiorem quam se, parere recusent commemoratis legibus, eadem constantia, qua priusquam illae iuberentur, protestati fuerant denunciantes earum vitia, expostulationibus explicata gravibus, luculentis, solidissimis, quas toto plaudente orbe catholico, et non paucis etiam ex heterodoxis, Principi, administris eius, atque ipsis supremis regni Comitiis exhibuerant. Ob eam rem nunc ipsi perduellionis crimine insimulantur, quasi in unum consentiant et conspirent cum iis, qui omnes humanae societatis ordines perturbare nituntur, posthabitis innumeris, praeclarisque argumentis, quae inconcussam eorum fidem et observantiam in Principem, studiumque incensum erga patriam evidenter testantur. Imo Nos ipsi rogamur, ut catholicos illos et sacros Pastores adhortemur ad earum legum observantiam, quod eo valet ut Nostram Ipsi operam gregi Christi opprimendo et dispergendo conferamus. Verum Deo freti confidimus, serenissimum Imperatorem, rebus melius compertis ac perpensis, reiecturum suspicionem tam ina-

[1] Vid. *Encyclicam* Pii Pp. IX diei 21 nov. 1873.

nem atque incredibilem erga subditos fidelissimos conceptam, neque passurum diutius, ut eorum honor tam foeda discerpatur obtrectatione, et immerita adversus illos perduret insectatio. Ceterum Imperialem hanc epistolam ultro praeteriissemus hoc loco, nisi, Nobis plane insciis, et more certe insueto, vulgata fuisset ab officiali Berolini ephemeride una cum alia manu Nostra exarata, qua Serenissimi Imperatoris iustitiam pro Ecclesia catholica in Borussia appellavimus ».

Procul dubio se tanto dignos Patrono iustitiae exhibuerunt sacrorum Antistites, Sacerdotes, Curiones et ceteri catholici regni Borussiae, ita ut merito in allocutione habita ad Cardinales in Consistorio diei 21 decembris 1874 Summus Pontifex potuerit exclamare: « Nonne enim divinae Dei gratiae virtus fuit, quae usque ad hanc diem in tanto certamine, tum Venerabiles fratres Episcopos, tum Sacerdotes et fideles in Germania ita sustentavit, ut admirabilia exempla constantiae, zeli, fidei, invictae patientiae et virtutis magna cum gloria religionis ediderint? »

Sed legibus quae non ita pridem adversus Ecclesiae iura latae fuerant, quaeque perculerunt complures e Clero et e fidelibus strenue officio perfunctos, aliae additae sunt quae divinam Ecclesiae constitutionem penitus subvertent, et omnino sacra Episcoporum iura pessumdant. Ac sane hisce legibus facta potestas laicis iudicibus, ut Episcopos aliosque animarum curationi praepositos, e dignitate et muneris exercitio deiicerent; multa et gravia impedimenta iis obiecta, qui pro pastoribus absentibus ad legitimam iurisdictionem exercendam essent constituti; indictum Capitulis Cathedralibus, ut Vicarios eligerent, nondum vacante, iuxta canones, episcopali Sede; denique, ut alia omittantur, demandata facultas provinciarum Praefectis, ut viros etiam acatholicos deputarent, qui Episcopis suffecti, eorum vice, parique iure in Dioecesibus administrationi bonorum temporalium praeessent, sive sacris personis, sive usui Ecclesiastico eadem sint destinata. Probe unusquisque intelligit, quae damna et vexationes ex his omnibus legibus, et aopera earumdem exequutione fuerint insequuta. Argumento sit luctuosissima calamitas Dioecesium Gnesnensis et Posnaniensis, ac Dioecesis Paderbornensis; traditis enim in custodiam Episcopis Miecislao Gnesnensi et Posnaniensi, nec non Conrado antistite Paderbornensi, ac in eos sententia lata, qua ab Episcopali sua Sede et auctoritate per summam iniuriam deiectos declararunt, memoratae Dioeceses subsidio Pastorum suorum orbatae in gravium difficultatum et aerumnarum molem misere coniectae sunt. Verum forti Episcopi steterunt tortoribus fortiores, et non solum deterriti non sunt impendenti periculo, et legum animadversione, quin pro ministerii sui gravitate Ecclesiae iura et mandata custodirent, verum etiam decori sibi duxerunt et gloriae, sicut et alii Borussiae regni spectatissimi Episcopi, quod damnationem immeritam et nocentium poenas propter iustitiam subirent, egregiam exhibentes virtutem in aedificationem totius Ecclesiae redundantem. Contemptus vero Episcopalis dignitatis, violatio libertatis et iurium Ecclesiae, vexationes, quae non modo suprammemoratas illas, sed etiam alias Borussici regni Dioeceses premebant, fortem habebant in Pontifice vindicem. Revera Pius Pp. IX, Encyclica *Quod numquam* 5 febr. 1875 ad Archiepiscopos et Episcopos regni Borussici, omnes citatas leges irritas declaravit, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni adversantur. Nec observare omisit factum indignum illustri genti, ab acatholicis ipsis, partium studio haud obnoxiis, procul dubio perspectum, quod eae leges severis munitae sanctionibus, acres animadversiones non obtemperantibus comminantes, et militarem manum paratam habentes ad executionem, pacatos atque inermes cives, merito ab iis aversos propter conscientiae dictamen, in ea ferme conditione saepe constituant, in qua sunt miseri, afflictique homines, quos premit atque urget vis maior, quam nequeant avertere. Quare eae leges non liberis civibus indictae videntur ad rationabile obsequium exigendum, sed quasi servis impositae, ut coactam obedientiam vi terroris extorqueant. Haec omnia memorans Summus Pontifex sic concludit: « Haec tamen non ita volumus accipi, quasi iusta excusatione purgatos eos censeamus, qui propter metum hominibus obedire maluerunt, quam Deo; multoque minus quasi impune habituri sint a Divino Iudice improbi homines, siqui sint, qui unius civilis auctoritatis praesidio suffulti, paroeciales Ecclesias temere occuparunt, et sacrum ministerium in iis capessere ausi sunt. Imo perditos istos, et quotquot in posterum sese in Ecclesiarum regimen simili crimine intruserint, in maiorem excommu-

nicationem iuxta sacros canones incidisse, et incidere ipso iure et facto declaramus; monentes pios fideles, ut ad eorum sacra haud accedant, neque ab iis Sacramenta suscipiant, atque ita ab eorum commercio consortioque prudenter abstineant, ne malum fermentum massam interminatam corrumpat ».

Eiusmodi insigne animi fortitudinis argumentum in Episcopis, Clero, populoque fideli Borussiae suspiciens idem Pontifex, laudatis Litteris diei 5 februarii 1875, ad sacrorum Antistites Borussiae, « utinam, exclamabat, levamen aliquod in hisce rerum angustiis Vobis afferre valeremus! » Attamen consilio, opportunisque monitis pro rerum circumstantiis eis non defuturum promittens, in eorum laude ponebat fortitudinem et constantiam « quam profecto, aiebat, in aspera dimicatione obeunda certatim aemulati sunt reliquus Clerus et fideles, quorum tanta fuit animorum firmitas in catholicis servandis officiis, tanta cuiusque in suo genere laus, ut omnium, vel alienissimorum, oculos et admirationem in se converterint ». « Illud autem sciant, Pontifex subdebat, qui Vobis infesti sunt, quod renuentes vos praestare Caesari quae Dei sunt, nullam regiae auctoritati iniuriam allaturi estis, et nihil ex ea detracturi;... ac simul noverint, unumquemque vestrum tributum et obsequium Caesari dare paratum esse, non propter iram, sed propter conscientiam in iis, quae civili subsunt imperio et potestati». Leges vero non ita pridem adversus Ecclesiae iura latas, quaeque perculerunt complures e Clero et e fidelibus strenue officio perfunctos, sed et alias recens additas, quae divinam Ecclesiae constitutionem penitus subvertere, et omnino sacra Episcoporum iura pessumdare contendebant, Pius Pp. IX omnibus, ad quos ea res pertinet et universo catholico Orbi irritas esse denunciabat. « Non enim, admonebat, potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum Antistitibus in iis, quae ad Sanctum ministerium attinent; sed Beatum Petrum, cui non modo agnos, sed et oves suas pascendas commendavit [1], proindeque a nulla quantumvis sublimi saeculi potestate episcopali officio privari possunt ii, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* [2] ».

[1] Ioan. XXI, 16, 17. — S. Augustinus, *de Fund.* cap. 4.
[2] *Act.* XX, 28.

Alteram occasionem extollendi laudibus Episcopos Borussiae de manibus suis amittere haud passus est Summus Pontifex, cum evulgatis litteris, quas princeps *von Bismark* miserat ad legatos Germanici Imperii apud Principes et Gubernia Europae die 15 maii 1872, omnes ad unum Archiepiscopi et Episcopi scriptam dederunt reclamationem (*Memorandum*) exordiente anno 1875, ut iura, rationesque Romani Pontificis defenderent. Ex eo quod Concilium Oecumenicum Vaticanum dogma de Summi Pontificis infallibilitate tradiderit, et Pontificiam illustraverit iurisdictionem, *Cancellarius* Germanici imperii intulerat, rem alea plenam esse electionem successoris Pii IX in Romana Sede. « Summus enim Pontifex, ille scribebat, nova potestate exornatus totam in se conferet iurisdictionem episcoporum, qui comparate ad singulas dioeceses erunt nuda Papae instrumenta, proindeque exteri Principis administri. Videant igitur, inferebat, gubernia quid agendum sit, quum tempus Conclavis advenerit, ne ex novi Pontificis electione aliquid ipsa detrimenti capiant ». Sed mirum quantum a veritate haec distarent Borussiae Episcopi ostenderunt, textum ac sensum Canonum Vaticani Concilii explanando, prout Summus Pontifex, universi orbis Episcopi ac perillustres theologi ea tradiderunt. Die autem 15 martii illius anni, Pius IX allocutionem habens ad Cardinales in aedibus Vaticanis, ut ostenderet oppugnatores Ecclesiae convertisse suos conatus ad novas etiam parandas causas dissidiorum, et perturbationum in ipsa fidelium conscientia, haec habebat: « Nuper enim in extera regione quibusdam scriptis in publicam lucem vulgatis quibus Vaticani Concilii decreta in laevam partem detorquebantur, id spectabatur, ut in successoribus nostris eligendis Senatus vestri libertas violaretur, atque ut in ea re, quae tota ordinis ecclesiastici est magna pars, civili potestati tribueretur. At Deus misericors, qui praeest et consulit Ecclesiae suae, provide effecit ut fortissimi ac spectatissimi Germanici Imperii Episcopi illustri declaratione edita, quae in Ecclesiae fastis memorabilis erit, erroneas doctrinas et cavillationes hac occasione prolatas sapientissime refellerent, et nobilissimo trophaeo veritati erecto Nos et universam Ecclesiam laetificarent. Dum autem amplissimas laudes coram vobis et catholico orbe praedictis Episcopis universis ac singulis tribuimus, praeclaras eas de-

clarationes et protestationes, ipsorum virtute gradu ac religione dignas, ratas habemus, easque Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus ».

In hoc luctamine, quo vis perimere ius sategit, id effectu comprobatum est, quod alias saevientibus in christianos ethnicis, omnibus visum est permirum; constantia et patientia vexatorum persequentium iram impotentem effecerunt. Imperatoris administri et publica Consilia nihil intentatum reliquerunt, ut legibus nefandis Episcopos, utrumque Clerum, ceterosque catholicos, quorum centies centena millia circiter [1] in Borussiae regno in praesens numerantur, ad incitas redigerentur. Potestas *coercitiva*, divinitus collata Episcopis, ut poenis canonicis possint afficere reos ex sua dioecesi, abiecta est; sacrorum Antistitibus Miecislao Ledochowski Gnesnensi et Posnaniensi, ac Conrado Martin Paderbornensi, in custodiam traditis indicitur, ut episcopatui renuntient, idemque factitatur cum exule Coloniensi archiepisc. Paulo Melchers, et Episcopo Trevirensi; sed illis iure abnuentibus, in eos sententia lata est, qua ab episcopali eorum Sede et auctoritate per summam iniuriam deiecti declarabantur; neglectis his, quae in Bulla *De salute animarum* constituta fuerant, quaeque regio decreto admissa et ad exitum adducta erant, statutum est differri omnes reditus, quos vel aerarium, vel thesauri qui in tutela Status sunt, Episcopis, ceterisque e Clero piis Institutis solvere tenebantur. Accessit, quod iis qui publica exercebant officia, talia secreta monita quoad ecclesiasticos viros tradita sunt, ut delatores sibi ad imitandum proposuerint, qui in Anglia sub Henrico VIII et Elisabetha fuerunt. Omnes religiosorum sodalium Ordines, Puellis Charitatis minime exceptis, ab universa Borussia expulsi sunt, immo animadversione ac poenis digni habiti sunt omnes Sacerdotes, qui vel Missam coram pluribus celebrarunt, vel christifideles ad sacramentalem admiserunt Confessionem.

Quamquam vero ea tyrannide Christi Ecclesia opprimeretur, Deus qui solatur Sponsam suam in omni tribulatione, non destitit eius mulcere dolores et spem redintegrare. Multi e protestantium numero, vel censu, vel doctrina, vel officio publico illustres, erroribus eiuratis, fidem catholicam professi sunt. Episcopis a suis sedibus eiectis, Parochis a paroeciis exturbatis, viri patricia nobilitate, divites, populares ipsi, aedes, domos, cubicula praebuerunt, omnique subsidiorum genere adiuvarunt. Limburgi sacerdotes aes collectitium inter sese statuerunt, ut fratribus a Gubernio facultatibus spoliatis succurrerent. Eximio Gnesnensi et Posnaniensi archiepiscopo, in ipso Ostrovii carcere Romana Purpura adaucto, catholici Borussiae datis litteris gratulati sunt. Quum autem Pius Pp. IX octogesimum tertium a nativitate sua anniversarium diem celebraret, duodecim millia catholici germanici, per epistolam ad Pontificem missam, testati sunt immotam suam fidelitatem in Romanam Sedem.

Eadem laudabili constantia, cum sermonibus in comitiis et publicis regni Borussici Consiliis, tum scriptis per catholicas ephemerides, christifideles Ecclesiae eiusque Ministrorum libertatem vindicare non cessant. Proinde auxiliaria eorum opera usi Pius IX et Leo XIII rem eo perduxerunt, qua lenitate modorum, qua principiorum iuris firma defensione, ut misso iterum an. 1882 ad Sanctam Sedem Oratorem, Borussiae Gubernium specialibus decretis, quibus mederi videtur nonnullis ex damnis Ecclesiae catholicae illis ditionibus illatis, spem in animos inducat proximae Statum inter et Ecclesiam pacificationis.

In regno *Bavariae*, de quo alibi breviter diximus [1], duae partes civitatis supra tertiam, e quinquagies centena millia, catholicam fidem profitentur. Episcopatus Bavarien. nunquam defecit defensioni iurium et legum Iesu Christi Ecclesiae. Quum *Matrimonium* sic dictum *civile* Borussiae iam suffragia in publicis Consiliis tulisset, et gubernium Monachii in suo regno ipsum introducere voluerit, sacrorum Antistites Bavariae pro viribus propositum respuerunt, et Concordatum adhuc vigentem commemorarunt. Anno 1875 mense ianuario litteras Summo Pontifici Episcopi quoque miserunt, quibus reiiciebant quidquid *Cancellarius* Germanici imperii dolose egerat in futuro Conclave [2], erroneas doctrinas et cavillationes adversus Romanam Sedem divulgans ac disseminans. « Et quia, Praelati aiebant, satis non fuit eorum malitiae prin-

---

[1] Numerus 10,000,000 sumtus est ab oratione quam Petrus Reichensperg, Berolini, in publicis Consiliis (*Landstag*) habebat die 11 iunii 1883.

[1] Pag. 339.

[2] Vid. p. 388.

cipatum civile Sedis Apostolicae evertisse, et indixisse bella et persecutiones in regnum Vicarii Iesu Christi, in omnibus ferme partibus orbis terrarum, nunc temerario ausu, in proximis comitiis pertentant ipsum Pastorem impetere ut facilius oves dissipent et mactent. Sed *qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Iam coacti sunt in lucem prodere, quae consilia in tenebris machinabantur ».

Post conversionem Friderici Augusti *Saxoniae* electoris, sub finem saeculi XVII [1], catholici in eo *regno* tolerati esse coeperunt [2]. Tunc Iesuitae ibi penetrarunt, et paroeciarum curam tulerunt, a Vicario Apostolico illic a S. Sede constituto dependentes. Suppressa Societate, viri religiosi vineam Domini colere persequuti sunt tamquam presbyteri saeculares. Huius Vicarii iurisdictio et ad magnum *Ducatum Saxoniae-Vinariae* (*Weimar*) extenditur et ad *Aldenburgum Ducatum.* Undenas paroecias continet cum vigintiquatuor praesbyteris et 13,000 catholicis. Earumdem ditionum vero alii 24,500 fideles cum 60 praesbyteris Apostolico Praefecto Misniae ac Lusatiae subiecti sunt, cuius Titularis uno eodemque tempore est Decanus ecclesiae Budissinae Divo Petro dicatae. Nunc *Saxoniae* (regni) Vicarius Apostolicus, nec non *Misniae ac Lusatiae* Praefectus Apostolicus est D. Franciscus Bernert *Episcopus* tit. *Azoten.*

In *Hassiae Darmstadiensis* magno-Ducatu Maguntinus Episcopatus subest Friburgen. archiepiscopo Suffraganeus. Ecclesia Maguntina antiquissima ac perillustris est, praesertim ob vigintinovem Concilia in ea civitate ab anno 813 ad annum 1549 concelebrata. Dioecesis 250,000 fideles circiter admunerat. Leges rei catholicae adversae in Borussia conditae etiam nunc in magno-Ducatu extant. Pluries Capitulum, sodalitia, paroeciae Principem enixe rogarunt, ut Gubernium eis tribueret aliquantum illius tolerantiae de qua protestantes se laudant, sed frustra. In conventu, nonis aprilis 1883 Offenbachii habito, catholici contestando denunciarunt tristem religiosum statum quo degunt, scholas atheas a gubernio Hassiano ibi institutas, sacerdotes ad militiam coactos, Ecclesiae libertatem et iura, a Conventionibus omnibus tutata, cassa atque conculcata. Faxit Deus, et iustitia triumphet!

In Saxonia superiori *Analthium* sive Anhaltini principatus, ubi lutheranismum profitetur, e 200,000 incolis, duo millia catholicorum enumerat. Ii quidem a Vicario Apostolico, titulo *Ducatus Anhaltini* freto, gubernantur; nunc vero provisoria ratione Paderbornens. Episcopus *Vicariatum* administrat. Huius Vicariati origo repetenda est a conversione subsequuta anno 1825 ducis Fernandi de Anhalt Coethen, qui una cum uxore Parisiis protestantismi errores coram Archiepiscopo illius metropolis abiuravit.

Holsatiae *Sleviscensis* Ducatus in imperio Germanico a Praefecto Apostolico *Holsatiae Sleswigis* in spiritualibus moderatur. Ad praesens D. Bernardus Höting, Osaburgensis Episcopus, ipsius Ducatus Administrationem Apostolicam gerit, sicuti et ipse Pro-Vicarius Apostolicus Germaniae Septentrionalis itidem a Sancta Sede constitutus est. In toto imperio Germanico catholicorum 15,000,000 adnumerantur.

Ineunte hoc saeculo principes protestantes utile sibi fore adiudicarunt foedus cum Pontifice pacisci, ut quoddam ius in electione vel praesentatione episcoporum adipiscerentur. Primo Anglia ann. 1806 rem inivit pro Ecclesia Hiberniae; sed statutum fuit principes heterodoxos nulla posse huiusmodi iure frui, nec Pontificem velle iuridicam libertatem Capitulorum coërcere in Episcoporum electione. Quamobrem, principibus efflagitantibus, per Bullas, paulo ante commemoratas [1], ad complures Status germanos, Summi Pontifices, inter alia quae ad ecclesiastici regiminis rationem in praefatis ditionibus spectabant, accurate decerneruntCapitulorum iura libere eligendi Episcopos. Denique conclusum est, Apostolicam Sedem principibus concessuram *veto* limitatum, et litteris in forma Brevis, Capitulis datis, memorasse eis officium eligendi viros, qui minime potuissent Ecclesiam inter et Statum perturbationem afficere.

82. *Ecclesiae status in Austria* — Ecclesiae status non diutius in austriaco imperio in bonam partem perduravit. Post rerum eventum in Italia, quum Franciscus Iosephus Pedemontano regi Longobardiam cederet, sui erat ut Pontificiae ditiones,

[1] Vid. p. 151.
[2] Legesis pp. 151 et 163.

[1] Pag. 339.

propter Tigurinam Conventionem [1] integrae conservarentur. Nihilo minus post *Custotiae* proelium, anni 1866, Imperator Iosephus, a Borussicis armis devictus, suum primum administrum creavit *von Beust* e secta protestantium. Sub hoc infensissimo catholici nominis hoste, magna commotio in rebus religiosis in imperio austriaco exorta est. Infanda sane ab austriaco Gubernio veluti Status fundamentum die 21 decembris 1867 lata lex est, quae in omnibus imperii ditionibus etiam catholicae religioni unice addictis valere, et vigere omnino debebat. Hac lege omnis omnium opinionum et librariae artis libertas, omnis tum fidei tum conscientiae ac doctrinae libertas statuebatur, et civibus cuiusque cultus facultas tribuebatur excitandi educationis, doctrinaeque instituta, et omnes cuiusque generis religiosae Societates aequiparabantur et a Statu recognoscebantur. Omnes reclamabant contra has leges, et sustentati ea spe ut Austriacum Gubernium iustissimis in Austria sacrorum Antistitum expostulationibus dociles praebens aures, vellet saniorem induere mentem et meliora suscipere consilia; sed inanes fuere spes. Namque idem Gubernium die 25 maii 1868 aliam edidit legem, de matrimoniis mixtis, et in ea septennio minores debere parentum a recta fide defectionem sectari iubebatur. Insuper omnis delebatur vis promissionum, quas merito Ecclesia catholica exigit antequam mixta contrahantur matrimonia; et ipsa apostasia tum a catholica, tum a christiana religione ad civilia ius elevabatur, et omnis Ecclesiae auctoritas in sacra coemeteria de medio tollebatur. Idem Gubernium non dubitavit eadem die *de Matrimonio* quoque legem promulgare, qua leges ad *Conventionis* normam editas plane abolevit, et in pristinum vigorem restituit veteres austriacas leges Ecclesiae legibus vehementer adversas, et matrimonium etiam, uti dicunt, *civile* omnino improbandum asseruit, confirmavit, atque omnem Ecclesiae auctoritatem et iurisdictionem circa et matrimoniales causas, omniaque tribunalia de medio sustulit. Legem quoque de scholis promulgavit, qua omnis ecclesiae vis destruebatur, ac decernebatur supremam omnem litterarum disciplinarumque institutionem, et in scholis inspectionem ac vigilantiam ad Statum pertinere; ac statuebatur, ut religiosa dumtaxat institutio in popularibus scholis a cuiusque cultus auctoritate dirigeretur, utque variae cuiusque religionis Societates aperire possint peculiares, et proprias scholas pro iuventute, ac doctrinae libri ab auctoritate civili approbentur, iis tantum libris exceptis, qui religiosae institutioni inservire debent, quique ab auctoritate cuiusque cultus approbandi sunt. Pius Pp. IX allocutione habita 22 iunii 1868 omnes istas leges reprobavit et damnavit, meritasque tribuit laudes Episcopis imperii austriaci, qui episcopali robore tum voce tum scriptis Ecclesiae causam et Conventionem impavide tueri ac defendere et gregem officii sui admonere non destiterunt. Et allocutione habita 25 iunii 1869, abstinere non potuit ipse Pontifex a lugendis gravissimis malis et damnis quibus religio catholica in hisce terris et Hungariae regno miserandum in modum affligebatur et divexabatur.

Anno 1874 publicis Imperii Comitiis expendendae et approbandae proponebantur novae leges, vulgo *confessionales* nuncupatae, quae eo manifeste spectant, ut catholica Ecclesia in perniciosissimam servitutem sub arbitrio civilis auctoritatis contra divinam Iesu Christi institutionem omnino redigebatur. Secundum has leges Ecclesia in omnibus fere rationibus et actionibus, quae ad regimen fidelium spectant, supremo civilis auctoritatis imperio prorsus obnoxia et subiecta existimabatur, atque habebatur; idque in ea *Motivorum* expositione, quae vim et sensum propositarum legum explicabat, aperte veluti principii loco statuebatur. Itaque civile Gubernium sibi arrogabat tum iudicium ac proinde magisterium de constitutione et iuribus Ecclesiae catholicae; tum supremum eiusdem regimen, quod partim per se ipsum suis legibus suaque actione, partim per ecclesiasticos viros sibi mancipatos exerceat. Quod vero ad ipsas leges pertinet, quibus memorata *Motivorum* expositio praefigitur licet eae speciem aliquam moderationis praeseferre fortasse videbantur, si cum Borussicis legibus comparentur, re tamen vera eiusdem rationis et indolis erant, eamdemque catholicae Ecclesiae in austriaca ditione parabant perniciem. Inter alias leges Conventio inter Pium Pp. IX et Imperatorem anno 1855 inita (uti vidimus § 61), et ab eodem Principe solemni sponsione munita, totique Imperio instar publicae legis promulgata, tunc Imperii comitiis declaranda proponebatur tamquam omni prorsus ex

[1] Italice *Trattato di Zurigo*.

parte abrogata et irrita, idque nulla cum apostolica Sede tractatione praegressa. Pius Pp. IX Litteris Episcopatui imperii austriaci die 7 martii 1874 contra hanc solemnis pacti conventi violationem iterum protestatus est; multo vero magis intimo animi dolore denunciavit ac reprobavit iniuriam illam toti Ecclesiae illatam, dum et huius Concordati abrogationis et ceterarum connexarum legum causa et excusatio audacter referebatur ad definitiones revelatae doctrinae ab Oecumenico Vaticano Concilio editas, atque haec ipsa catholica dogmata impie appellabantur innovationes et commutationes doctrinae fidei et Constitutionis Ecclesiae catholicae [1]. Episcopos pariter hortatus est ad vigilantiam et custodiam proprii gregis.

Episcopi austriaci imperii contra has leges *confessionales* protestati sunt, et *Memorandum* in quo ingentia mala, quae ex hisce legibus proveniebant, omnia patefecierunt, nec aliter se gesserunt Religiosorum Ordinum Superiores. Sed haec et alia omnia minime valuerunt: leges istae ratae habitae sunt, Summi tamen Pontificis reprobationem prae se ferentes. At vero Episcoporum et catholicorum omnium imperii opere eo magis ne voluntati bonae imperatoris contradicere videatur *ad indefinitum tempus* rei executio remissa fuit; quin imo an. 1876 proposita et approbata a Consiliis Status lex contra Ordines Religiosos et moniales, Imperator suum assensum praestare noluit, et anno 1883 popularium Scholarum regimen christianae institutioni iuvenum magnopere secundum constitutum fuit.

83. *Ecclesiae status in Hispania* [2] — Pius Pp. IX in Consistorio habito die 17 decembris 1847 maxime gavisus erat de rebus religiosis in hisce terris; quare Mariae Elisabeth postulationibus alacri animo obsecundans ad eam misit Ioannem Brunellium archiepiscopum Thessalonicen. Apostolici Delegati munere et deinde S. Sedis Nuntii. Post diuturnam tractationem Conventio inita fuit die 23 april. 1851, nonis septembris eiusdem anni publicata. Litteris apostolicis *Ad vicariam* et allocutione habita die 5 septembris 1851 in aedibus Vaticanis Pontifex hoc Cardinalibus communicavit, quo inter plurima quae statuta fuerant, cautum in primis fuerit, ut ipsa augusta religio, quocumque alio culto excluso, pergens esse sola religio hispanicae nationis, esset, ut antea, conservanda cum omnibus iuribus et praerogativis. Qua de re etiam Epistolam ad Hispanicos sacrorum Antistites Pius IX scripsit die 17 maii 1852. Tres annos Conventio viguit: nam mense iulio an. 1854 a rebellibus rem publicam iterum potitis, violatur; Pontificem contumeliis insecuti sunt, Ecclesiam suis bonis spoliarunt, et catholicos vehementer vexaverunt. Annis 1854 et 1855 Hispania bellis civilibus exarsit; palatia procerum incenduntur; reginam in aula captivam, Christinam matrem in exilium pellere fidemque abnegare cogunt. A scelesta denique Constitutione haeresis promulgatur. Ubi primum haec prolata fuerint, Pius Pp. IX per suum negotiorum Gestorem Madriti morantem vehementer protestatus est et reclamavit. Sed non solum irritae fuerunt hae reclamationes, sed etiam nonnulli Episcoporum a propriis dioecesibus violenter avulsi, et alio amandati ac relegati. Itaque haud passus est Pontifex suum negotiorum Gestorem longius ibi morari, illique mandavit, ut ab Hispania decederet. Haec et alia, quae contra religionem in Hispania operabatur, Pius Pp. IX allocutione in Consistorio habita die 26 iulii 1855 deploravit, et illas leges et decreta a gubernio Hispanico emanata, reprobavit, abrogavit, et prorsus irrita declaravit.

Sed tandem Conventio restituta ex integro fuit a regni administris, praeside Valentiae Duce. Anno 1857 Hispani regni comitiorum (*Cortes*) in primo consessu regina declaravit, Hispaniam cum Romano Pontifice pacem esse inituram. Legatus igitur Romam missus est, qui totius orbis Catholicorum cum Pontifice de Ecclesiae in Hispania ageret negotiis. Pontifex vero apostolicum Pro-nuntium Matritum misit, ut firmiter res Catholicorum in Hispania constituerentur. Tunc temporis nonnulla Ecclesiae illata damna a rei publicae moderatoribus resarciuntur.

Attamen, armis, proditionibus atque seditionibus mense septembris anno 1868 a rebellibus, idest ab impiis *Massonismi* sectatoribus, qui rem publicam usurparunt, Hispania regi coepta est, regina iam e regno expulsa. Cultuum libertas restituta est; Societatis Iesu sodalibus exsulibus, paroeciis abolitis, coenobiis viri vel mulieres Deo dicati expelluntur, ipsaque coenobia diruuntur. Per Matriti vias effrena turba Pontificem et Conventionem execrata est; Con-

[1] *Motivorum* Exposit. p. 25.
[2] Vid. p. 357-358.

ventionis exaratum exemplar Apostolici Legati ante palatium flammis commisit, cultuum libertati plaudens clamoribus. Hispaniae Episcopi nullo labori pepercerunt, quin Ecclesiae iura vindicata forent, quare protestando tot mala denunciavere, et summopere, ne tam iniquae promulgarentur leges, vel promulgatae peragerentur, nitebantur. Ipse apostolicus Legatus VII° calendas februarii an. 1869 Madritum immo Hispaniam relinquere coactus est. Tot tantaque mala Pius Pp. IX, in Consistoriis habitis diebus 21 decembris 1868 et 25 iunii 1869, ingemuit, retulitque magis magisque in dies Hispaniarum regni moderatores in Catholicos saevire, tristitiam summam atque moerorem sibi afferentes. Quum ita res essent, ex decreto supremi Procuratoris regni Clerus advocatur iurare in legem ab Hispaniae Comitiis pro Constitutione condenda convocatis, tunc temporis latam. Episcopis vero ab eodem gubernio declaratum est, Clerum huic iureiurando adactum, nullam rem divinis vel ecclesiasticis legibus adversam admittere compelli. Ast mense novembris anno 1870, Amadeo e Sabaudis dynastis Hispaniae rege a Comitiis ipsis constituto, regni moderatores Summo Pontifici de Religionis in Hispania statu agendi desiderium significarunt. Quibus Pius Pp. IX per suum Cardinalem publicis negotiis praepositum respondit, nil aliud a rege agendum nisi tot malis, quibus Catholici in Hispania angebantur, occurrere et violata Ecclesiae resarcire iura. Interdum, in allocutione habita die 23 decembris 1872, Pontifex haec de rebus religiosis in illo regno habebat: « Nec levia etiam Ecclesia patitur in catholica Hispania a civili potestate. Siquidem didicimus, propositam nuper fuisse, et iam a legislativo Coetu ratam habitam legem de Cleri dote, qua non modo solemnia franguntur pacta conventa, sed omnis prorsus recti iustique norma proculcatur. Quae lex, cum spectet ad exasperandam inopiam servitutemque Cleri, et ad irritanda augendaque mala illustri illi nationi illata per postremos hosce annos in perniciem fidei et ecclesiasticae disciplinae a deploranda actorum Gubernii serie; sicuti Venerabilium Fratrum in Hispaniis Episcoporum iustissimas eorumque firmitate plane dignas querelas iam excitavit, sic nostras nunc poscit solemnes expostulationes ».

Quamobrem, quum mense februarii anno 1873 Amadeus regno abdicasset, ad recentis reipublicae comitia Æmilius Castelar retulit legis schema, qua Ecclesiae a Statu separatio promulgaretur. Huic consilio strenue Episcopi sunt refragati. Imperans omnibus *massonismus* coenobia diruit, ecclesias profanavit, Episcopos in carcerem detrusit, cuncta Status in Ecclesiam officia antiquavit, uno verbo, omnia, quae ab impiis fidemque detrectantibus moliri solent, patravit. Praeterea militares Ordines suppressit, scilicet Sancti Iacobi, Alcantarae, Calatravae, Montesiaeque, decora splendida Hispaniae, quam contra Infideles defenderant, unde lata territoria consequuti, quae Romana Sedes, regum postulatu, ab Ordinariorum iurisdictione exemerat. — Verumtamen commemorata Conventione diei 5 septembris 1851, quoad praedictos Ordines spectabat, ex dispersione territorii ad ipsos pertinentis, expedire visum fuerat, ut quum perducenda foret ad actum proposita dioecesium nova circumscriptio, eadem territoria proximis dioecesibus aggregarentur. Ad servandum sane nationi nobilissimae huiusce suae gloriae monumentum, placuit Summo Pontifici praescribere, ut definitus quidam assignaretur locorum numerus intra certum radium seu circulum consistentium, ubi Magnus praedictarum Militiarum Magister ecclesiasticam iurisdictionem exercere pergeret. Novo territorio sub nomine *Prioratus Ordinum militarium* constituto, *Prior* Episcopus titularis foret. Dum autem opportunitas rei perficiendae a S. Sede expectabatur, Hispaniarum gubernium, pro suo lubitu, suppressit quatuor Ordines, et necessario propterea cum ipsis peculiare illud tribunal, quod in eorum territoriis administrationem ecclesiasticam exercebat. Tot territoriis ita omni prorsus ecclesiastico regimine privatis, Pius Pp. IX Litteris Apostolicis *Quo gravius*, pridie idus iulii 1873 datis, suppressionem et abolitionem ecclesiasticae iurisdictionis territoriorum ipsorum Ordinum Militarium decrevit, territoria proximis dioecesibus iungens, ipsaque eorumdem Episcoporum iurisdictioni subiiciens. Item per alias Litteras Apostolicas, *Quae diversa*, ea ipsa die datas, a Pontifice suppressae et abolitae fuerunt privilegiatae omnes iurisdictiones ecclesiasticae in Hispaniis existentes, iis non exclusis, quae vel ad S. Ioannis Ierosolymitani Ordinem spectabant, vel ad quodcumque cuiuslibet nominis et instituti monasterium monialium, vel ad inferiores Praelatos S. Sedi immediate subiectos, qui *Praelati nullius* proprie nuncupantur, cae-

terisque ibidem enuntiatis, excepta dumtaxat privilegiata eorum iurisdictione, qui in art. 11 Conventionis supradictae nominatim designati fuerunt. Suppressa exempta territoria propriis seu finitimis dioecesibus iungenda erant [1]. Demum anno 1876, Alphonso XII rege, *Prioratus Quatuor Ordinum Militarium* in Hispaniarum regno a Pio Pp. IX denuo constitutus est, eique Philippopolis [2], ecclesia Cathedralis, sub archiepisc. metropol. Toleti, sedes a Pontifice recens erecta, attributa est. Interea in Consistorio III° calend. octobris ipsius anni Prior electus Episcopus *titul.* Doren. praenuntiatus est.

Iam inde ab anno 1875, Alphonso XII, Elisabeth filio, rege constituto, Hispaniam cum Romana Ecclesia conciliare regni administri eius operam dederant. Attamen constitutio a regni Comitiis coepta est agitari, qua Cultuum libertas promulgaretur. Hispaniarum Episcopatus iterum compluribus scriptis atque reclamationibus illam adversati sunt. Pius Pp. IX Cardinali Archiepiscopo Toletano v° nonas martias an. 1876 Litteras in forma Brevi scripsit, quibus declarabat quae a suo Cardinali a secretis acta essent cum hispanico apud S. Sedem Oratore, quaeque et Ipse perfecerat ut ab Hispania tot imminentia mala, ex legibus latis oritura, averteret. Nuntius Apostolicus apud hispanicum gubernium Madriti diligenter suam partem implevit, ac de violatione Conventionis anni 1851 cum S. Sede initae valde conquestus est. Nihilominus pridie idus quintilis an. 1876 regni comitia Cultuum libertatem decrevere. Hispani vero huic legi semper refragati sunt, et quum fidei unitatem plauderent, et quum Episcoporum scriptis reclamationibus subscriberent, et quum obsequium erga Pontificem publice declararent. Societates religionis gratia etiam constitutae sunt, quae Ecclesiae iura violata defenderent; attamen, interiectis partium studiis, vestigia apparuerunt dissensionum quae ipsas societates non parum perturbarunt. Quapropter Leo Pp. XIII per suam Epistolam Encyclicam, diei 8 decembris 1882, ad Episcopos in regione Hispana datam, Hispanos omnes hortatus est, ut ob spectatam suam erga Apostolicam Sedem voluntatem, concordiae beneficia servent, domesticorum exemplorum memoriam renovent, cogitantes, quod maiores suos, si multa fortiter multa praeclare domi forisque gesserunt, plane non dissipatis dissentiendo viribus, sed una velut mente, unoque animo gerere potuerunt.

[1] Legesis Pontificis Litteras in ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. XCIII, p. 140 sqq.

[2] Seu *Clunien*, hispanice *Ciudad Real*.

84. *In Lusitania* — Rei religiosae civilisque compositio in regno Lusitano admissa sub Romano Pontifice Gregorio XVI morbum occulit, sed non sanavit [1]. Miserandum Ecclesiae statum in Lusitania servarunt et adhuc sustinent Liberalismus et Massonismus, qui in Lusitanam gentem dominantur, ita ut *fidelissimus* ille populus *infelicissimus* iure possit appellari. Fides revera, quae olim Lusitaniae reges et populos illustriores in orbe effecit, multis abhinc annis algescit in quampluribus eorum, qui ad illius regni gubernacula sedent. Immo, utinam pauci fuissent Ecclesiae presbyteri et dignitates, qui tanti damni participes facti sint! Subinde leges latae iuribus Ecclesiae infensae; qui inter administros regni rei ecclesiasticae praeesse dicitur, ita se gessit, ad potestatem et iurisdictionem Episcoporum quod attinet, ut procurationem spiritualem dioecesium totius regni penes seipsum esse praesumeret; Episcopis vetitum, quominus clericos ad sacros Ordines promoverent absque Gubernii placito, neve aliquem ad ecclesiasticum Beneficium provehere possent, sed tantum electionem a Gubernio factam probarent. Quo pacto, quum in Lusitania late pateat damnatarum societatum imperium, quandoque ad Beneficia ecclesiastica etiam maiora viros indignos eligi iure conquesti sunt fideles. Accesserunt permulta ab hominibus flagitiosis impune admissa contra Ecclesiae catholicae iura ac institutiones, ita ut aliquando Puellae a Charitate nuncupatae, quaeque in sui admirationem omnes rapiunt, per civitatis vias, sub umbra gallicae earum originis, contumeliis ac verberibus affectae fuerint.

Haec omnia secum cogitanti supremo Ecclesiae Pastori digna visa sunt, quae summa sua potestate corrigerentur. Epistolam encyclicam ob id misit Patriarchae Ulysipponensi, Archiepiscopis regni Lusitani, eorumque suffraganeis Episcopis, die 3 iulii 1862, qua totus in eo est, ut ostendat animarum Pastores officio suo haud satisfacere si quod infirmum est, non consolidant, quod aegrotum non sanant, quod confra-

[1] Vid. p. 354-355.

ctum non alligant, quod abiectum non reducunt, et quod perierat non quaerunt. Monita eis dat aptissima, ut sarta tectaque Cleri disciplina servetur, ac proinde Episcoporum officia memorat circa institutionem clericorum in Seminariis, de vigilantia super presbyterorum vitam, et super utriusque sexus religiosas Familias. Instat ut visitent suas dioeceses, parochos excitent ad sua munera implenda, astutiam eorum retundent, qui vias omnes persequuntur, ut catholicos desertores fidei faciant. Iubet eos, ne se civili potestati addicant, sed tantum obedientes sint legibus, quae Dei, et Ecclesiae praeceptis non opponuntur. Utpote pater amantissimus, Pius IX etiam conqueritur, eo quod ex Episcopis lusitanis ne unus quidem petiit Romam in solemni Beatorum Canonizatione celebrata die 8 iunii illius anni 1862, dum a dissitis quoque orbis regionibus Episcopi in Urbem convenerunt.

Admonitionibus his, licet non semper, neglectis, status rerum Ecclesiae vix aut ne vix quidem immutatus in Lusitania adhuc persistit. De fideli populo, qui ut primum occasio data est, studium suum erga Romanum Pontificem manifeste ostendit, iure merito in citata Encyclica dicitur: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Gubernium vero arma non proiecit, quibus modo manifeste, et modo occulte iura ac leges Christi Ecclesiae oppugnat. Iam multum temporis effluxit, quo plures Lusitaniae dioeceses orbatae sunt Episcopis, et paucis inter ea potuit providere in recenti Consistorio die 9 augusti 1883 Leo XIII, quem Deus sospitet.

85. *Ecclesiae status in Russia et Polonia*— Ab initio sui Pontificatus Pius Pp. IX Concordatum cum Imperatore Russiarum iniit, sicuti diximus[1], et allocutione in Consistorio ad aedes Vaticanas habito die 3 iulii 1848 evulgatum fuit. Nonnullas in illo imperio latini ritus Ecclesias diuturna viduitate misere afflictas in ipso Consistorio Pontifex potuit recreare, easque idoneis Pastoribus concredere. Constitutum quoque fuit ut in urbe Chersoneso nova erigeretur episcopalis Sedes, quae suum haberet Canonicorum Collegium et Seminarium, ac Suffraganeum in civitate Saratovia; utque sex aliae Dioeceses latini item ritus in illo Imperio iam existentes novis circumscriberentur limitibus. Nil vero immutatum fuit circa Dioeceses in Poloniae regno a Pio Pp. VII Litteris 30 iun. 1818 constitutas. Omni quidem studio statutum fuit, ut Episcopis in suis dioecesibus integra sit ecclesiasticarum rerum procuratio, quo ipsi pro pastoralis muneris debito et catholicam fidem tueri, et Ecclesiasticam disciplinam fovere, et fideles ad religionem et pietatem formare, eorumque mores continere, et iuvenes, ac praesertim illos, qui in sortem Domini vocati sunt, ex praescriptis Tridentinae Synodi ad omnem virtutem mature fingere, rebusque optimis instituere, sanisque doctrinis imbuere, et Ecclesiasticam Academiam moderari, eique sedulo advigilare possint. Quum autem in illo Imperio quamplurimi diversorum rituum Catholici existerent, etiam peculiari aliqua ratione prospectum fuit. Hoc peractum fuit illa Conventione[1], multa quidem alia et maximi sane momenti ad optatum exitum adducenda supererant, quae a Plenipotentiariis in tractatione perfici haud potuere, quaeque respiciunt Ecclesiae libertatem, iura, rationes et fidelium salutem.

Interea civilium perturbationum fautores et pravarum opinionum propagatores iamdudum consilium susceperant impellendi Poloniam in erroris viam, ut saniorem praestantioremque istius regni partem a sincera illa catholica fide et veneratione erga Petri Cathedram omnino avellerent. Quamobrem eisdem fidelibus suadere conati sunt, Romanos Pontifices non solum de spirituali illorum utilitate minime fuisse sollicitos, verum etiam nihil umquam egisse, ut Catholica Ecclesia in Poloniae regionibus sua plena libertate polleret. Quo certe nihil falsius etiam apparet ex factorum expositione multiplici documentorum genere instructa, ac typis edita iussu Gregorii Pp. XVI[2]. Sed vix paucis elapsis annis, iidem homines, abusi sunt tum difficultatibus, quae liberam istorum fidelium cum Apostolica Sede communicationem impediebant, tum lamentabili sane, in qua versabantur, conditione, et eamdem falsam iniustamque opinionem denuo excitare et istis fidelibus insinuare non timuerunt, Apostolicam Sedem magis curare temporalis dominii rationes, quam spiritualem populorum salutem. Quam haec omnia fallacia sint

[1] Pag. 354.

[1] Allocutio habita die 3 iul. 1848, et articuli Conventionis inveniuntur in eph. *La Scienza e la Fede*, vol. XVI, pp. 48 sqq, Napoli 1848.

[2] Vid. p. 354.

patet ex eo, quod, praeter Concordatum cum Imperatore statutum, postea ipse Pius Pp. IX cum illius gubernio Conventionem fecit. Quum vero haec Conventio minime complecti potuerit ea omnia, quae necessario ad examen revocanda esse Pontifex existimavit, idcirco voluit ipse ut in separatum volumen (*protocollum*) referrentur suas petitiones circa argumenta ab Imperialibus plenipotentiariis nequaquam admissa.

Postulaverat inter alia Pontifex, ut aboleretur lex an. 1832 lata, quae minime recognoscit valida matrimonia mixta, nisi ab acatholico presbytero fuerint benedicta [1]; ut de medio tollerentur leges, quae religiosae professioni ac studiis in Coenobiis, et liberae Regularium cum supremis suis Moderatoribus Romae degentibus communicationi adversantur; ut clero sua omnia restituerentur bona; ut Episcopi Latini ritus possent ad tempus suam in Graecos unitos iurisdictionem exercere. Insuper efflagitaverat, ut abrogarentur leges, quae illic vetant, homines ad catholicae Ecclesiae sinum redire, et quibus plane congruit alia illa ordinatio catholicae religioni omnino adversa, sacris operariis vetans non solum alios ad evangelicae veritatis lucem vocare, verum etiam iis Ecclesiae Sacramenta impertire, qui antea ad catholicam Ecclesiam minime pertinebant. Neque omisit ipse Pius summopere conqueri de nova iuramenti formula, quod a catholicis Imperatori Russiarum subditis erat praestandum.

Quum vero certo sciverit Pontifex quae paterentur Puellae caritatis S. Vincentii a Paulo in Polonia existentes, quaeque spoliationis pericula Cleri secularis bonis impenderent, et quomodo ad Poloniae regnum extendi vellet lex anni 1833 circa mixta coniugia, ob quam iam conquestus erat, nulla interposita mora, iussit opportuna communicatione Russicum Gubernium adiri, et eodem tempore penes illud enixe urgeri, ut omnibus Russiarum et Poloniae vacantibus Dioecesibus sui praeficerentur Episcopi, eorumque Suffraganei designarentur. Pari sollicitudine egit cum paulo post novit legem, qua Catholici, in quibusdam casibus, cogebantur ad instauranda schismaticorum templa, aliaque ecclesiasticam immunitatem violantia. Anno vero 1853 per Cardinalem a publicis negotiis Russicum Gubernium iterum ac vehementer excitavit, ut incoeptae perficerentur tractationes ad ecclesiastica componenda negotia, et maiori qua fieri posset celeritate Poloniae Dioeceses iamdiu vacantes idoneis committerentur Episcopis.

Novam vero de Ecclesiae catholicae conditione in Russiarum imperio et regno Poloniae spem Summus Pontifex habuit, ubi innotuit Imperatorem Alexandrum II, Nicolai filium, patrem demortuum anno 1855 in imperio excepisse. Quocirca de re catholica vehementer sollicitus Pius ad ipsum Principem extraordinarium Oratorem misit, qui ei Russiarum imperii sceptrum adepto effuse Pontificis nomine gratularetur, et expeteret ut tandem aliquando assequerentur, quae iamdiu frustra expectabantur. Pontificius Orator demandato sibi munere sedulo fungens, haud omisit cum ipso Imperatore eiusque gubernio colloqui eisque instare, ut pacta conventa omni ex parte exequutionem haberent, et ea omnia componerentur, quae ad optatum exitum adduci minime potuerant. Quibus autem de causis Imperator iustis Pii petitionibus tum minime annuit, vel facile postea intelligi potuit ex relatione eidem Imperatori, paulo ante Pontificis Oratoris adventum, ab iis exhibita, quibus munus commissum fuit examinandi varias res ad Conventionem pertinentes. Ut autem facilius amoverentur difficultates, quae exoptatam rerum ecclesiasticarum illic instaurationem impediebant, omni studio iterum instare haud omisit Pontifex, ut in Russiarum Imperatoris dominiis aliquis ecclesiasticus vir missus a Pontifice resideret, qui S. Sedis nomine ecclesiastica negotia tractando curaret. Atque hunc in finem Pontificius Orator nihil intentatum reliquit, ut eidem Imperatori, eiusque gubernio suaderet, iustissimam esse planeque opportunam huiusmodi Summi Pontificis postulationem.

Deploranda etiam conditio, ad quam perducti erant Rutheni et Armeni catholici in Russia commorantes, non poterat non vehementer commovere et excitare Apostolicam caritatem et sollicitudinem Pontificis. Idcirco die 3 iulii 1848 Pius Pp. IX dedit litteras ad Archiepiscopum Mohilowien-

---

[1] Petitiones partim quoque eo spectabant, ut fideles cum S. Sede libere communicare possent; ut ab episcopalibus consistoriis amoverentur Procurator imperialis et laicus a secretis, qui a gubernio eligebatur; ut catholici omni libertate adirent catholica tribunalia, illisque causas subiicerent quoad matrimonia ab ipsis cum acatholicis contracta; ut in Russicis dominiis locum haberent Instructiones a S. Sede pro Hungaria, aliisque locis editae circa mixta connubia.

sem eiusque Suffraganeos, eos adhortans, ut interim spirituali Graecorum unitorum curae, regimini, saluti studiosissime consulerent: ac saepius et praesertim an. 1857 iteratis petitionibus Imperiali gubernio instare haud praetermisit, ut omnes amoverentur difficultates, quae impediebant quominus Chelmensis Ecclesia suum haberet Episcopum. Atque eodem tempore reclamavit, propterea quod illius Dioecesis clerici ad Greco-Russicam mittebantur Universitatem, et expostulavit ut Chelmensis Antistes plenam haberet libertatem mittendi nonnullos e suis clericis ad ecclesiasticam Varsaviensem Academiam, quemadmodum in more positum fuerat ante annum 1831. Summum autem suum dolorem ob propositas de Chelmensi clericorum seminario regulas, quae Ecclesiae Catholicae canonibus adversabantur, Pius manifestavit. Nec minus Pontifici cordi fuit postulare, ut religiosus S. Basilii Ordo posset denuo eruditricem suorum tironum domum libere aperire, quo idem Ordo, de Orientali praesertim Ecclesia tot sane nominibus egregie meritus, iterum vigeret et effloresceret. At dum miserorum Ruthenorum causam studiosissime propugnaret Pontifex, ut ipsi sanctam unionem libere profiteri et exercere possent, haud omisit eiusdem Imperatoris iustitiam invocare pro nonnullis Greco-Uniti Cleri presbyteris, qui religionis causa ab an. 1839 in coenobiis ritus Graeco-Russici inclusi detinebantur, tenuissima ipsis a Gubernio pensione designata. Verum cum iamdiu expectaret, quae consilia esset suscepturus Imperator circa omnia haec, et illa, quae fuerant extraordinario Pontificio Oratore significata, ac maxime doleret videns iustissimis petitionibus suis haudquaquam arridere, ineunte an. 1859 familiarem Epistolam ad eumdem Imperatorem dedit, eiusque iustitiam, aequitatemque excitavit, obsecravit, ac simul obtestatus est fidem ab ipso datam de Ecclesiae catholicae rebus in suo Russiarum Imperio et Poloniae Regno prospere componendis.

Interea temporis duabus Litteris in forma Brevis Archiepiscopo Varsaviensi 6 iunii 1861 et 20 februarii 1862 Pius quaestus est de tristi statu Ecclesiae in illis terris, eum hortatus est ne desineret unquam una cum suis Suffraganeis eosdem fideles populos, qua voce, qua salutaribus et opportunis scriptis semper monere, exhortari, excitare, ut a veritatis, honoris, virtutis iustitiaeque semita, ac sanctissimae Religionis praeceptionibus numquam deflecterent, atque magis in dies in fide et amore erga Apostolicam Sedem stabiles et immoti persisterent. Russiarum Imperator aequiora consilia meditans erga catholicos sibi subditos, sublatis impedimentis, an. 1862 quaesiverat Apostolicum Nuntium, qui, iuxta S. Sedis vota, illorum negotia Romanum Pontificem inter et imperialem aulam curaret. Id Pio IX, qui tantos pro hac re labores sustinuerat, summam laetitiam attulit, sed dum designatus ab eo Nuntius in Russiam proficisci festinaret, nova exorta impedimenta illius iter detinuerunt. Interim motis male consultis contra Principem excitatis, Polonia turbarum fluctibus fervebat. Nam gubernium catholicae Ecclesiae summopere infensum, et omnes fideles ad funestissimum schisma pertrahere exoptans, Religionem, omnesque Catholicos quibusque modis acriter insectabatur. Hinc, Conventione numquam plenae executioni mandata, ac publicis pactis de catholica religione in Poloniae regno tuenda plane despectis, plurimisque editis legibus et decretis rei catholicae maxime adversis, Gubernium idem numquam intermisit catholica scripta interdicere, dum libros et ephemerides catholicae doctrinae omnino repugnantes, et in Christi hic in terris Vicarium et Apostolicam Sedem summopere iniuriosas disseminare, et communicationem cum Apostolica Sede praepedire satagebat. Iuramentum divinis legibus contrarium praescripsit, et populum contra sacros ministros excitavit, et prohibuit, ne docerentur fideles de discrimine, quod inter catholicam veritatem et schisma intercedit, et gravissimis constitutis poenis impedivit, quominus aliquis e schismate emergere, et ad catholicae ecclesiae sinum redire posset. Hinc religiosi viri e suis Coenobiis deturbati, eorumque monasteria militaribus stationibus destinata, et Episcopi a suis Dioecesibus abrepti et exilio mulctati, et innumeri fere catholici graeci ritus subdolis quibusque machinationibus in schisma violenter tracti, et impediti ad redeundum in catholicae Ecclesiae gremium, veluti exoptabant, et innumerabiles etiam latini ritus catholici per mixta praesertim matrimonia catholicae Ecclesiae erepti, et pueri catholicis parentibus orbati, sub tutelae praetextu, in longinquas regiones amandati; a catholico cultu avulsi et in schismatis discrimen adducti.

Accessit etiam, quod cum presbyteri tum

laici in exilium missi omni Religionis solatio, praesidioque carere debebant, immo Lithuaniae catholicis optio data fuit vel exules abeundi in disiunctissimas regiones, vel deficiendi a catholica religione. Praeterea Varsaviensem Archiepiscopum e suo grege divulsum in longinquas regiones gubernium russicum relegavit, eundemque episcopali auctoritate et iurisdictione esse privatum et neminem e sua Dioecesi cum ipso posse communicare decrevit. Quamobrem Pontifex x° calend. maii 1863, dum Polonia turbarum fluctibus fervebat, datis epistolis ad Alexandrum II Russiarum Imperatorem, eiusmodi turbationes ex damnis Religioni illatis tamquam e suo fonte exoriri demonstrabat, eumque deprecabatur, ut pro Poloniae pace ac tranquillitate, adversus catholicam religionem iniuriis finem imponeret. Urbaniano in Collegio christianae fidei propagandae, die 24 aprilis 1864, invicto Christi martyri S. Fideli a Sigmaringa sacro, vehementer lamentatus est ipse Pontifex miseram et numquam satis deplorandam Poloniae regni conditionem. Encyclica *Ubi Urbaniano* die 30 iulii 1864 ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae regni et Russii Imperii data, graviter quaestus est de omnibus, quae in Poloniae regno aliisque Russici Imperii regionibus contra catholicam Ecclesiam, eiusque sacrorum Antistites, ministros, iura, patrimonium, ac fideles gesta sunt; postea haec habet: « Et etiam atque etiam querimur persecutionem, quam Russicum gubernium contra Ecclesiam gerere non desinit; absit, ut ullo modo probare velimus male consultos motus in Polonia misere excitatos. Omnes enim norunt quanto studio catholica Ecclesia semper inculcaverit, ac docuerit, omnem animam subditam esse potestatibus sublimioribus, omnesque civili auctoritati subiectos esse, debitamque obedientiam praestare omnino debere in iis omnibus, quae Dei, eiusque Ecclesiae legibus non adversantur. Equidem summopere dolendum, huiusmodi motus Russico gubernio ansam dedisse ad catholicam quotidie magis divexandam, et opprimendam Ecclesiam ».

Sed Litteris Pontificis ad Principem scriptis nullum quidem datum fuit responsum; quinimo idem gubernium maiore in dies insectatione catholicam oppugnans Ecclesiam semper impedivit, quominus Chelmensis Episcopus a Pio renuntiatus an. 1863 episcopalem potuisset accipere consecrationem. Praeter vero Archiepiscopum Varsaviensem, etiam Vicarius eius generalis militari manu comprehensus in exilium eiectus est, propterea quod de ecclesiasticis negotiis rescripta a Pontifice motu proprio data ad alios Poloniae Ordinarios perferenda curaverat. Nec dubitavit civilis Varsaviae praeses Capitulo metropolitano praecipere, ut Vicarium Capitularem a se propositum eligeret. Quibus iniustis mandatis Canonici merito obstiterunt. Insuper alia promulgata fuere decreta, quibus catholica Ecclesia, eiusque auctoritas, leges, ac disciplina proculcabantur; omnia pene Regularium utriusque sexus Ordinum coenobia de medio sublata; cuiusque Regularis Ordinis bona publico aerario adiudicata, et paucissimae Religiosae familiae, quae adhuc supererant, a suorum summorum Moderatorum regimine abstractae et Ordinariorum iurisdictioni subiectae. Universus catholicus Clerus tum in Polonia, tum in Russiarum Imperio omnibus suis bonis spoliatur, et eorumdem bonorum reditus publici aeris alieni administrationi committuntur. Atque eisdem decretis contra Ecclesiasticas leges, contra supremam S. Sedis auctoritatem, et omnia iura, statuitur nova catholici Cleri dispositio, nova in omnibus Dioecesibus cuiusque Canonicorum Collegii existendi ratio, nova paroeciarum divisio, dum Capitula Collegialium Ecclesiarum abolentur, et Episcoporum plane destruitur omnis auctoritas ac libertas. Cameniciensis catholica dioecesis suppressa, ac proprio adempta pastori, cum Luceoriensis, et Zytomeriensis dioecesium administratione fuit coniuncta. Legitimi Sandomirensis et Cracoviensis praesertim Dioecesium parochi ad Gubernii arbitrium de una ad aliam parochiam traducti, de proprio gradu deturbati, aliique in eorum locum suffecti. Plocensis vero dioeceseos Seminarii aedes confiscatae fuere, et illius Episcopus Clericos alumnos in coenobium olim Franciscalis Ordinis extra civitatis moenia transferre coactus; atque omnibus ecclesiasticis viris commeatus denegatus, ne ultra mille passuum spatium a propria residentia discedere, et inter se communicare possint. Illorum autem fidelium cum Apostolica Sede communicatio a Russico gubernio magna severitate fuit interdicta. Episcopus vero Chelmensis et Canonici maiore ex parte ad repositas terras transmissi sunt. Assiduae autem erant cuiusque generis insidiae, artes et conatus, quibus Gubernium catholicae Ecclesiae filios ab

eius sinu abripere, eosque ad funestissimum schisma totis viribus pertrahere annitebatur. Quae omnia manifestius apparent ex accurata rerum omnium expositione, quae opportunis documentis munita typis edita fuit [1]. Ad haec, decreto diei 22 maii 1867 Podlachiensis dioecesis in Poloniae regno una cum Canonicorum Collegio, Consistorio, Seminario penitus fuit extincta, et Episcopus a suo grege divulsus, coactus a dioecesis finibus continuo discedere. Item per decretum mense iulii 1866 datum, Cameniciensis dioecesis abolita fuerat, et illud Canonicorum Collegium, Consistorium ac Seminarium dispersum, ac proprius Antistes ab illa dioecesi violenter abreptus. Die 22 maii 1867 decretum promulgatum fuit, quo Petropoli constituebatur Collegium *Ecclesiasticum-catholicum-romanum*, cui praeses esset Mohilowiensis archiepiscopus. Ad hoc Collegium sunt transmittendae omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia pertinentes, quae a Russici Imperii et Poloniae regni Episcopis, Clero populoque fideli ad Apostolicam Sedem expediuntur, ut ipsum examinet ac decernat utrum petitiones Episcoporum potestatem praetergrediantur; et quum Pontificis pervenerit ad imperium decisio, administer internarum relationum expendere debet, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et supremi Principis iuribus contrarium. Adde, quod Catholica Varsaviensis Academia deleta fuit; ac tristis Chelmensi et Beltiensi Ruthenorum dioecesi impenduit ruina, sicuti dicturi sumus. Atque illud maxime dolendum, fuisse quemdam presbyterum, nomine Wajcicki, qui minime exhorruit, eiusdem dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere et varias edere ordinationes, quae dum ecclesiasticae disciplinae adversabantur, funestissimo schismati faverent.

Pius Pp. IX pro tot tantisque calamitatibus Ecclesiae Catholicae Russiae et Poloniae illatis, allocutione 29 octobris 1866 et Encycl. 17 octobr. 1867 maxime questus est. Quin imo in alia allocutione habita die 25 iunii 1869 haec verba fecit: « Russicum vero gubernium pergit catholicam insectari Ecclesiam, et ab omnibus fere Dioecesibus suos, vi etiam adhibita, eiicere Episcopos, eosque in exilium pellere, propterea quod Christi hic in terris Vicarii vocem ac mandata, prout debent, audire et exequi volunt, nec sinit eosdem Episcopos ab illis Imperii finibus egredi, etiamsi maxima Ecclesiae utilitas id omnino postulet; ac magis in dies omni modo impedit, quominus illi fideles cum Nobis et hac Apostolica Sede libere communicare queant [1]».

Verum, ut clarius pateat origo Chelmensis schismatis, monere opus est, quod cum reliquae Ecclesiae greco-unitae, penitus fuerint deletae, Dioecesis Chelmensis vix effugerat universali excidio an. 1839 [2] propter naturam loci, et propositum graecorum-unitorum ad ritum latinum transeundi, ad insidias praecavendas. Sed status Europae et S. Sedis post sexagesimum huius saeculi annum ansam praebuit russico gubernio saeviendi in Ecclesiam, ut ad *orthodoxam* religionem, uti dicunt, perduceret catholicos. Fideles Chelmenses longe ante viderant hoc novum persecutionis genus, quum sui legati missi Petropolim anno 1865 gratias agendi causa Imperatori ob liberationem a servitute glebis, ab autocrate petierunt suae religionis liberum exercitium. Imperator promisit se numquam eorum Religioni obfuturum, sed anno vix elapso, Episcopum Chelmensem Kalinski iubebat favere schismati, *expurgando ritum graeco-unitum ab omni elemento latino*. Quod cum facere nollet Episcopus exturbatus propria sede in exilium ad Siberiam proficisci cogitur, ast morte peremptus in via est. Tunc Imperator Dioecesi praeposuit, quem supra memoravimus, Wajcicki nomine, qui linguae polonae russam substituit in ecclesiasticis officiis et concionibus, et organa a templis submovit. Tandem an. 1868 praenuntiatus est Episcopus Chelmensis sacerdos Gallitianus Kuziemski; is dioecesim usque ad annum 1871 rexit, multumque desideriis Imperatoris acquievit, praesertim graeco-unitam liturgiam ritui schismatico aequando, ne quid varietatis inter utrumque ritum fidelium multitudo deprehenderet.

---

[1] Romae prodiit die 15 nov. 1866 ex Secretaria Status liber cui titulus: *Esposizione documentata sulle costanti cure del Sommo Pontefice Pio IX a riparo de' mali, che soffre la Chiesa ne' dominii di Russia e Polonia.*

[1] Ephemerides per id tempus celebres narrarunt, Pio Pp. IX hanc agendi rationem conquerenti, Oratorem Russicum (*Ministri Plenipotentiarii* apud S. Sedem vicem fungentem) respondisse: *Cattolicismo è sinonimo di rivoluzione*; qua indignatus responsione, Summus Pontifex illico administrum remisisse. Hic paulo post profectus est Roma, et tota *Legatio* sequuta est illum.

[2] Vid. p. 353.

Verum ubi Imperator illi imposuit ultimas lineas praetergredi, quibus ritus graeco-unitus a schismatico separatur, constanter renuit, et relicta dioecesi, anno 1871, aufugit Gallitiam, quin illi curae Vicarium praeponeret. Tunc abbas Marcellus Popiel, de schismaticis benemeritus, ab Imperatore dioecesi praeficitur. Hic pro virili parte aggressus est Dioecesim Chelmensem ad schisma adducere, sed quum Clerus et fideles ei fortiter resisterent, ipse undique collegit exiguum numerum sacerdotum *iosephismi* labe infectum, ut beneficia et officia illorum invaderent, qui sibi obtemperare nollent. Datis litteris, die 20 octobris 1873, Popiel monebat, ut Dioecesis Chelmensis vetus rituale a S. Sede recognitum dimitteret, substituto illo, quod Imperator proposuerat. Ecclesiastici viri, qui noluerunt reformationem liturgicam aperte schismaticam ratam habere, in vinculis coniecti sunt, vel domo exsulati, eisque suffecti sacerdotes gallitiani schismatica labe maculati. Coetus fidelium pagi Siedlecii, exemplum cleri fidelis imitatus, sacrilegium impium impedire conatus est; et ubi sacerdotes schismatici calendis ianuarii 1874, ecclesiam petierunt, portas obfirmatas invenerunt, populumque custodem, qui, eos ne intrarent, prohibebat. Pseudopastores vim et arma adhibuerunt, et impetum facientes in plebem inermem, quae brachia in crucis formam consererat, ecclesiam ingressi sunt. Ibi, fractis ianuis, prostratisque altaribus, quae ad cultum schismaticum pertinebant, substituerunt, magno Ruthenorum dolore; qui pro virili parte restiterunt; sed tandem fracti verberibus, et ictibus concisi victas manus tradiderunt.

Schismatici vim in catholicos adhibere haud destiterunt, nam plebem pagorum pecunia multarunt, nisi decretis Petropoli datis acquiesceret. Quoniam vero multitudo nec censum solvere, neque obedire mandatis valebat, omnibus sibi necessariis ad vitam expoliata, equis, nempe, bobus, pecoribus, aliisque supellectilibus, in extremum miseriarum adducitur. Hinc factum est, ut multi patriam aufugentes in nemora et specus recesserunt, ubi frigus famemque experti filios et cognatos amiserunt. Qui reliqui erant, autocratem adivere, ut promissiones an. 1865 sibi datas meminerit. Ast Imperator nihilominus placatior effectus, postulationes reiecit, atque illas plenas mendaciis declaravit.

Dum catholici hac magna persecutione iactabantur, Romanus Pontifex eorum patrocinium suscepit, data Epistola ad Archiepiscopum Leopolien Ruthenorum aliosque Episcopos eiusdem ritus, die 13 maii 1874. Quae Popiel in catholicos gesserat damnata et reiecta fuerunt, et fidelibus animi additi sunt, ut in dies fortes in fide resisterent. Verum quia fideles Siedlecii provinciae, seu *voivodiae*, maiorem amorem erga fidem catholicam praeseferebant, ipsi primi ad defectionem omni studio, ac toto conatu coacti sunt. Imperatoriae voluntatis ministri vi et carceribus 50,000 subscriptiones extorserunt ab *Uniatis*, paroeciis inscriptis 45, quibus petebant ab Imperatore ecclesiae orthodoxae adscribi. Imperator tamen hoc eis amplius indulsit, et sancta Synodus delegavit archiepiscopum schismaticum Varsaviae pro admissione graecorum-unitorum in sinum Ecclesiae russicae; quod effectum fuit die 24 ianuarii 1875. Defectio 50,000 *Uniatorum*, brevi se extendit ad totam Chelmensem Dioecesim (25 martii 1875), iisdem ferme effectibus, quos supra doluimus [1].

Neque hic finem persecutionem schismatici fecerunt. Pontifex saepe in allocutionibus et Litteris encyclicis orbi terrarum patefecit persecutiones, quas catholici in Russia experiebantur, et studia S. Sedis in eorum doloribus sublevandis. Quum vero, occasione episcopalis Iubilaei Pii IX, mense iunii anno 1877, magna copia Polonum Romae ad pedes Summi Pontificis venisset, princeps Ourussoff, regiis per Russiam negotiis apud S. Sedem praepositus, ardenter ideam suam patefecit, ne Pontifex conquestus suos de rebus religiosis in illo Imperio publice faceret, sed potius rem ipsam diplomatica via ageret. Pius Pp. IX mitis animo libentissime annuit, *Memoriale* Imperatori inscribi, quo persecutiones, poenae ab Ecclesia catholica in Russia et Polonia perpessae et libera inter episcopos et Romanum Pontificem comunicatio coacta ostenderetur. Itemque Pontifex efflagitabat, ut leges, quibus Seminaria ab episcopali iurisdictione subducta, Gubernio quoad disciplinam et ad studia pertineret subiiciebantur, — cultuum et studiorum *Moderatorum* Collegium, pro Polonia erectum, principiis Ecclesiae catholicae et conventis pactis repugnans, abrogarentur. Expetebat, ut iterum in ordinem redigerentur, ad prae-

[1] De hac persecutione documenta legenda sunt in ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. CVII, p. 123 sqq et 295 sqq..

scriptum ecclesiastici iuris, Cathedralium et Collegiatarum ecclesiarum Capitula, ac sacri Ecclesiae patrimonii administratio; nec amplius prohiberetur catholicis presbyteris illorum confessiones excipere, qui nullo exhibito documento professionis fidei catholicae, vel ignoti essent confessariis, vel alieni essent in paroecia. Necessario prospiciendum esse addebat tot tantisque viris ecclesiasticis, et Episcopis in exilium pulsis, dioecesi Chelmensi in schismatica eparchia, sicuti diximus, conversae, quatuor aliis dioecesibus arbitrario abolitis, ac Religiosis Ordinibus; et statuendum quod iuris esset de russico idiomate in ecclesiastico cultu adhibito.

Hae Litterae causa fuerunt dissensionis inter Romanum Pontificem et Russicum Imperatorem, ex qua factum est, ut secundo Roma discederet qui Russiae negotia gerebat apud S. Sedem. Nam eo illae spectabant, ut Petropolitanum gubernium suaderent, Pium Pp. IX Imperatoris tantum gratia gravia distulisse consilia; at suo officio fungi debere Pontificem, si talis eius agendi rationem nihili fecisset ac plane contempsisset Imperator. Qui legationem Russicam apud S. Sedem degebat, princeps Ouroussoff, viginti fere post dies, ipsum *Memoriale* Cardinali a secretis Summi Pontificis remisit, declarans gubernium Russicum nullius ferre monita, ideoque impossibile esse illud Petropolim mittere. Frustra Cardinalis de iniuria conquestus est, et Oratori Russico mala ab accepta repulsa derivantia significavit. Necesse igitur fuit, principem commeatum petere et Roma abire [1].

E vivis Pio IX sublato, Leo Pp. XIII Alexandro II imperatori litteras misit, in quibus conquerebatur de intermissis cum Apostolica Sede negotiis. Quum autem Pontifex, Litteris encyclicis datis xi° calendas maias anno 1878 et v° calendas ianuarias an. 1879, admonuisset Principes de malis, quae sibi ac subditis suis parare non desinunt, discedendo ab Ecclesia, eiusque iura violando; et insuper ostendisset quam belle in officio suo subditos contineant Ecclesiae Catholicae praecepta ac doctrina, Alexander imperator iussit eiusmodi litteras palam legi in ecclesiis imperii russici, dum sacra fierent, in triduum. Eodem an. 1879 coepit per legatum amice agere cum Romana Sede, cuius interpres datus est Archiepiscopus Nicaensis, Pontificius Nuntius ad Imperatorem Austro-Hungaricum Windobonae. Res prosperum habere exitum videbatur, sed Dei hominumque inimici, veriti ne hoc pacto Summi Pontificis et Imperatoris auctoritas in populos imperii Russici augereter, quum plures in Imperatorem insidiae male saepius praecessissent, tandem iii° idus martias an. 1881, unus e secta *Nihilistarum*, ignea explosa machina, Imperatorem Petropoli interfecit [1].

Mortis Imperatoris nuncius maximo dolori fuit Pontifici, eumque statim per litteras Alexandro III, qui patrem in imperio excepit, significavit. Iucundissimae acciderunt Imperatori litterae Leonis Pp. XIII; indeque instauratio facta est negotiorum cum Apostolica Sede, et extra ordinem duo missi sunt Romam legatos, qui inchoata negotia conficerent. In has conditiones Papa et Imperator convenerunt: De dispositione *eparchiarum* sive provinciarum ecclesiasticarum statuitur, Summum Pontificem per Apostolicam Bullam ea provvidere, quae spectant ad regimen canonicum Kielwii; eparchiae Minskiae, Camenecii et Podlachiae abolentur, earum autem administratio committitur archiepiscopo Mohilowiensi quoad primam, Episcopo Luitzsiotomir quoad alteram, et ad tertiam quod attinet, episcopo Lublinensi. Pateant Seminaria, dummodo Gubernium inspectionem agat in disciplinam linguae, litterarum ac historiae Russiae; proindeque magistros ante omnia probet. Circa studiorum ecclesiasticorum doctrinam, et interiorem disciplinam, salva et integra manent Episcoporum iura. Quae a Gubernio agnoscuntur etiam in Metropolitanis quoad Academias. His peculiaribus pactis accesserunt eiusdem gubernii declaratio abolendi pedetentim decreta, sexaginta abhinc annis, contra catholicos presbyteros edita; et abrogatio motu-proprio facta articuli XVIII decreti (*ukase*) diei 14 decembris 1865, quo limitabatur potestas Episcoporum quoad parochorum abdicatio-

---

1 Documenta huius periodi historiae moscovitae refert *La Scienza e la Fede*, vol. CIX.

1 Alexandri II sicarius fuit iuvenis Ryssakof, postea capite damnatus, qui operam dederat sectae, seu conspirationi, cui nomen est *Nihilismum*. Studiosa iuventus praecipue, tum Petropoli, tum Moscuae, socios enumerat *Nihilistas*, *Amicos populi*, *Amicos veritatis et utilitatis populi*, ac *Tehaigovianos*, quarum societatum origines annum 1860 haud antecedunt. Doctrinae *Nihilismi* placitis *Foederationis internationalis* mirifice quadrant; praedicant siquidem *Nihilistae* universalem anarchiam, cosmopolitismum, et atheismum; omnia haec hominum civili consociationi exitialia.

nem. Insuper, et in agendis negotiis, et in conficiendo conventu, extraordinarii legati Russici gubernii professi sunt hanc esse mentem sui Imperatoris, plenam ac integram libertatem Catholicae Hierarchiae tribuere in his omnibus, quae ad fidem et religionem spectant. Post haec omnia, iure merito Leo Pp. XIII diem 15 martii 1883 diem laetitiae cordis sui dixit, eo quod omnibus difficultatibus victis, in Concistorio habito ea die, potuerit Episcopos mittere ad Ecclesias Poloniae et Russiae diu et acerbe cruciatas. Donavit autem Pastoribus Ecclesias Metropolitanas Varsaviae, et Mohilowiae, necnon Cathedrales Plocii, Wladislaviae, Chielcii, nuper erectae [1], Luceorii, Vilnae, Sandomirii, Samogitiae, et Lublini; creavitque aliquos Episcopos Titulares, qui vel se propria sede abdicarant, vel in auxilium aliorum Episcoporum destinati sunt.

Heic denique, quo luculentius appareat rem maximi momenti fuisse pro Ecclesia Catholica in illa regione, quod constitutum est inter Apostolicam Sedem et Imperatorem Russiae, elenchum iuvat exhibere Sedium Episcopalium, presbyterorum et fidelium ad catholicam Ecclesiam pertinentium, qui in *Russia* stricte accepta, idest seclusa Polonia, nunc reperiuntur. In illo itaque vasto imperio numerantur unus Archiepiscopus, Episcopi 4, sacerdotes 1864, paroeciae 1044, atque fideles 3,398,000. Archiepiscopus Mohilowiensis sedem habet Petropoli, suamque iurisdictionem exercet in Russiam albam, provincias Balticas, Finnoniam, Siberiam, atque provincias septentrionales Russiae Europaeae, cum Moscua. Archidioecesis constat 168 paroeciis, 328 presbyteris et 435,550 catholicis. Dioecesis Wilnae continet 289 paroecias, 480 presbyteros et 1,223, 450 catholici. Episcopus Samogitiae sub sua iurisdictione habet 216 paroecias, 526 presbyteros, e 1,049,700 animae; Luceoriensis autem, qui et Zytomeriensis, cuius iurisdictio extenditur ad Volhiniam, Podoliam et Ucraniam, annumerat 257 paroecias, 393 presbyteros, et 489,200 catholicos. Dioecesis Tiraspolen, quam erexit Pius Pp. IX per Apostolicam Bullam *Universalis Ecclesia* diei 5 iunii 1848, se extendit ad ripas Rhaae (*Wolga*), continetque Caucasum et alias provincias. In ea sunt 200,100 catholicorum cum 137 presbyteris, 114 paroeciis, latini ritus et armeni, ac 188 ecclesiis. Huius dioeceseos maximus numerus catholicorum constat Germanis, Armenis et Georgiis; dum in aliis illius imperii dioecesibus numerosiores sunt Poloni. Maxima quoque alumnorum Seminarii pars Germani sunt, imo Episcopus, qui ad illam Sedem promotus fuit in Consistorio diei 23 februarii 1872, est Germanus, Dns Franciscus Xaverius Zottmann, Eistettensis dioeceseos.

In *Polonia* russica vero Catholici, qui maximam partem incolarum constituunt, adnumerant unus Archiepiscopus, *Varsaviensis*, metropolita, et sex Episcopi, nimirum *Lublinen*, *Plocen*, *Podlachien* seu *Janovien*, *De Seyna* seu *Augustow*, *Wladislavien*, nec non Ruthenorum *Supraslien* atque *Chelmen* et *Belthien*. Inter acatholicos Polonos recensentur Graeci *non-uniti* sive *schismatici* qui in vaivodia Siedlecii aliqua coenobia quoque habent; Lutherani, Calvinistae cum templis suis, Melanctho-niani et Mennonitae; Mahometani cum duabus mesquetis; Iudaeorum synagogae in cellis conversae.

86. *Recens negotiorum Ecclesiae status in Helvetia* — Quoniam viginti duo Pagi, seu *Cantones*, in foederata Helvetia numerantur, nulli mirum esse potest, si dum in uno vel pluribus eorum pax religiosa regnat, in altero religiosa vigeat persecutio: Hinc quasi per idem tempus Helvetii videntur studiosi pacis cum Ecclesia catholica, et contra illam contendere. Ad ea igitur, quae de statu Ecclesiae in Helvetia supra memoravimus [1], et haec recentiora addere oportet.

Dimisso Summi Pontificis Legato, qui Bernae morabatur, ac ea ratione commerciis diplomaticis cum S. Sede interruptis, Helvetiae protestantes cum incredulis, sive *liberi pensatori*, sociati, ex promulgatione canonum Vaticani Concilii causam praetexerunt rabiosius instaurandi bellum adversus Ecclesiam catholicam. In nonnullis itaque Helveticae Foederationis pagis toti in eo fuerunt, ut constitutionis Ecclesiae Christi fundamenta convellerent, si possent, non modo contra omnem iustitiae rationisque normam, sed obstante etiam fide publice data servandi catholicis foederatis plenam quoad religionem libertatem. Genevense gubernium in hoc numero recensendum est. Siquidem licet solemni pacto ad-

[1] Complectitur nova sedes eam partem Cracoviensis dioecesis Russico imperio subiectam, quae huc usque a Vicario Apostolico administrata erat.

[1] Vid. p 367-368.

strictum ad custodiendam tuendamque in suo territorio religionem catholicam, quum aliquas edidisset leges, infensas auctoritati ac libertati Ecclesiae, an. 1872 catholicas scholas suppressit, alias religiosas familias eiecit, alias docendi munere sui Instituti proprio privavit. Pius Pp. IX deploravit in Allocutione habita die 23 decembris 1872 illatam religiosae rei vim ab illorum pagorum guberniis. At vero iustissimae querelae Pontificis neglectae plane fuere; nec aequior ratio habita fuit expostulationum a catholicis cuiusvis ordinis, et ab Helvetico Episcopatu iterum atque iterum editarum; quin imo irrogatae pridem iniuriae novis et gravioribus cumulatae fuere.

Nam post violentam Gasparis Episcopi tit. Hebronensis et Vicarii Apostolici Genevensis eiectionem, idem Genevense gubernium diebus 23 martii et 27 augusti 1873 duas promulgavit leges plane consentaneas edicto proposito mense octobri superioris anni. In his Gubernium sibi ius arrogavit refingendi in eo pago constitutionem Ecclesiae catholicae, eamque exigendi ad democraticam formam, subiiciens Episcopum, tum quoad exercitium propriae iurisdictionis, tum quoad potestatis suae delegationem auctoritati civili; vetans ne in pago illo domicilium haberet; definiens paroeciarum numerum et limites; proponens formam et conditiones electionis parochorum et vicariorum, casusque et modum revocationis eorum aut suspensionis ab officio; tribuens laicis hominibus ius illos nominandi, laicis item credens temporalem cultus administrationem, eosque, inspectorum instar, rei ecclesiasticae generatim praeficiens. Cautum praeterea his legibus fuit, ut sine gubernii venia, et hac quidem revocabili, parochi et vicarii functiones nullas exercerent, nullas dignitates acciperent illis ampliores, quam per populi electionem essent adepti, iidemque a potestate civili ad iusiurandum adigerentur per ea verba, quibus veri nominis apostasia continetur. Pius Pp. IX Encyclica *Etsi multa*, diei 25 novemb. 1873, has leges solemniter reprobavit, et condemnavit; deinde subiunxit: « Declaramus simul, illicitum esse ac plane sacrilegum iuramentum ab ipsis indictum, eosque propterea omnes, qui in Genevensi tractu aut alibi iuxta earumdem legum decreta aut non absimili modo, suffragante populo et confirmante civili potestate electi, audeant obire munia ecclesiastici ministerii, ipso facto incurrere in excommunicationem maiorem ».

Tristia quidem et funesta haec sunt, sed tristissima etiam contigerunt in quinque ex septem pagis, quibus constat Basileensis Dioecesis, nempe Saloduri, Bernae, Basileae-campestris, Argoviae, ac Turegi. Ibi quoque de paroeciis, deque parochorum atque vicariorum electione et revocatione leges latae sunt Ecclesiae regimen, divinamque constitutionem evertentes, ecclesiasticum ministerium saeculari dominationi subiicientes et omnino schismaticae; quas proinde eamque nominatim, quae lata fuit a gubernio Salodurensi die 23 decembris an. 1872, Pius Pp. IX citata Encyclica damnavit et reprobavit. Quum porro Eugenius Episcopus Basileensis iusta indignatione et Apostolica constantia reiecisset articulos quosdam in conciliabulo seu *Conferentia*, uti dixerunt, *dioecesana*, ad quam convenerant Delegati quinque pagorum supra dictorum, constitutos, eique propositos, et omnino necessariam haberet reiiciendi causam, quod episcopalem auctoritatem laederent, regimen hierarchicum subverterent, et haeresi aperte faverent; ob eam rem ab Episcopatu deiectus, a suis aedibus abstractus et in exilium violenter actus fuit. Tum nullum fraudis aut vexationis genus omissum, ut in illis quinque pagis Clerus et populus in schisma induceretur. Interdictum fuit clero quodlibet cum Pastore exulante commercium, iussumque datum cathedrali Capitulo Basileensi, ut ad electionem Vicarii Capitularis vel Administratoris conveniret, perinde ac si Sedes Episcopalis reapse vacaret; quod facinus indignum strenue Capitulum edita protestatione ab se reiecit. Interim decreto et sententia magistratuum civilium Bernensium novem et sexaginta parochis territorii Jurensis primo indictum est, ne ministerii sui functiones obirent, dein vero abdicati sunt officio hac una de causa quod palam testati essent, sese legitimum Episcopum et Pastorem Eugenium unice agnoscere, seu nolle se turpiter ab unitate catholica desciscere. Quo factum est, ut totum illud territorium, quod catholicam fidem constanter retinuerat, et Bernensi pago iampridem iunctum fuerat ea lege pactoque ut religionis suae liberum atque inviolatum exercitium haberet, paroecialibus concionibus, solemnibus baptismatis, nuptiarum et funerum privaretur; conquerente frustra et reclamante fidelium multitudine, iam per

summam iniuriam in hoc discrimen adducta, ut vel schismaticos haereticosque pastores, politica auctoritate intrusos, reciperet, vel quocumque sacerdotum auxilio et ministerio privaretur [1]. Ipse Pontifex in citata Encyclica maxime quaestus est de omnibus, quae in Helvetia agebantur. Tales schismatici et haeretici qui se *veteres catholicos* dicunt, in dioecesis Basileensis territorio et in aliis huius regionis locis, civili auctoritate favente, damnatae suae sectae ministerium exercebant, et violenter occupatis per apostatas presbyteros, etiam ex vicina Gallia vocatos, paroeciis et ecclesiis, nullum fraudis et artis genus omittebant ut catholicae Ecclesiae filii in schisma misere inducerentur. Ut autem haereticas suas doctrinas late diffunderent, nonnulli etiam eorum munus docendi sacram theologiam susceperunt in Universitate Bernensi, sperantes hac ratione fore, ut novi e iuventute catholica asseclae suae damnatae factioni apponerentur. Pius Pp. IX laudatis litteris diei 21 novemb. 1873 damnaverat eiusmodi sectam; altera Encyclica *Graves et diuturnae* 23 martii 1875 iterum hos haereticos condemnavit.

Anno vero 1876 mens. septembr. eiusdem haereticae et schismaticae sectae asseclae, iniquitati et temeritati suae novum scelus adiicere non formidantes, notorium quemdam a catholica fide apostatam, Eduardum Herzog, uti dictum est [2], e pago Lucernensi a legitimo Ordinario suo excommunicationi subiectum, produxerunt, quem haereticali conventu Ultini suum Episcopum proclamarunt, ac deinde Iosephum Hubertum Reinkens, a Pontifice iampridem ab Ecclesiae communione segregatum [3], in oppido Rhenofeldensi sacrilega caeremonia pseudo-episcopum consecrari curarunt. Is autem post sacrilegam consecrationem acceptam, veritus non est, litteras in vulgus edere, quibus S. Sedem audacter impetebat, et Catholicum Ecclesiae clerum ad rebellionem excitare studebat. Praeterea, omni legitima missione et iurisdictione carens, nonnullis e sectatoribus scelestissimae suae defectionis sacerdotalem Ordinem conferre praesumpsit. His etiam fidelium periculis occurrens Pius Pp. IX, Litteris in forma Brevi 6 decembr. 1876, iterum palam damnavit et reprobavit impia, quae in Helvetica regione patrata fuerant. Deinde consecrationem Eduardi Herzog nullam declaravit, quin imo idipsum excommunicavit et anathematizavit.

Quum vero ibi civilis potestas alias ediderit leges, omnino adversantes canonicis praescriptionibus quae christianum Matrimonium respiciunt, ipse Pontifex Episcopos hortatus est, ut opportunis instructionibus fidelibus explicarent catholicam de Matrimonio doctrinam, in mentem praesertim revocantes, quae Litteris Apostolicis et Allocutionibus diebus 9 et 27 septembris 1852 constituta fuere.

Is erat in Helvetia rei catholicae status, cum Leo XIII summo pontificatu potiretur. Qui Praesidi foederatorum Pagorum electionem suam significans, die 20 februarii 1878, illum enixe efflagitabat, ut lamentabilibus Ecclesiae temporibus in Helvetia necessaria ac praesentia afferrentur remedia. Inter haec sapientissimus Pontifex statuit, dioeceseos Laudanen. et Genevae in unam coalescere [1], eique Episcopum dedit, Concistorio diei 12 martii 1883, D. Gasparem Mermillod, qui hac ratione potuit, post undecim annos exilii, Helvetiam repetere, exultantibus fidelibus populis quatuor pagorum, qui compositam dioecesim constituunt. Consilium Status Genevensis protestari haud omisit, se nullam agnoscere Gasparis Mermillod iurisdictionem in Genevense pagum. At Episcopi dotes, cleri populique fidelis pietas et in Romanam Sedem devotio, cuius apertissimum iudicium est solemnis receptio Friburgi facta advenienti Episcopo, in spem omnes erigunt, sicut ei post Consistorium Leo XIII praedixit, tempus prope esse, quo omnis Helvetia pace religiosa gaudeat.

87. *Ecclesiae status in Anglia* — Iam vidimus rem christianam in hisce terris maxime crevisse, praesertim post Ecclesiasticae hierarchiae institutionem [2]. Sed postea Apostolicae Sedi nuntiatum fuit, catholicos nonnullos et aliquot ecclesiasticos quoque viros societati, *ad procurandam*, uti aiebant, *Christianitatis unitatem*, Londini anno 1857 erectae, nomen dedisse. Quaenam vero fuisset huius societatis indoles, vel quo ea spectabat, tum ex articulis ephemeridis cui ti-

[1] Cf librum titulo: *Histoire de la pérsecution religieuse dans le Jura Bernois*, 1873-1875, Paris 1876. Hic liber maxime commendatus est a Pio Pp. IX litteris in forma Brevi 27 april. 1876 Episcopo Basileensi datis.

[2] Pag. 385. — [3] Vid. p. 385.

[1] Harum dioecesium notitiam refert Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. CXXX, p. 171 sqq, 507 sqq.

[2] Pag. 362.

tulus *the Union Review*, tum praecipue ex ipso folio, quo socii invitabantur et adscribebantur, facile intelligebatur. A protestantibus quippe efformata et directa eo excitata erat spiritu, ut eius asseclae profiterentur, tres christianas communiones romano-catholicam, greco-schismaticam, et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patebat omnibus ubique locorum degentibus tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege, ut nemini liceret de variis doctrinae capitibus, in quibus socii dissentirent, quaestionem movere, et singulis fas esset propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsas recitandas, et sacerdotibus sacrificia celebranda indixerat iuxta suam intentionem ; ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout affirmabant, Ecclesiam catholicam omnes simul iam constituissent, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coivissent.

Suprema S.O. Congregatio, ad cuius examen hoc negotium de more delatum fuit, necessarium iudicavit fideles commonefacere, ne in laqueum huius societatis irreperent, et Episcopos excitare ut in propatulo haereticorum huiusmodi molimina ponerent. Insuper per Epistolam diei 16 septembris 1864, ad omnes Angliae Episcopos datam, declaravit, placita de unica ecclesia ex romana, anglicana et graeca efformata prorsus esse haereticalia et constitutionis verae Ecclesiae Christi eversiva; ideo huic societati adhaerere idem esse ac haeresim fovere; societatem ipsam ad indifferentismum in religionis negotio perducere, et supremam scandali ac spiritualis ruinae perniciem inferre. Unde S. R. et U. Inquisitionis Congregatio stricte vetabat praedictae societati quomodocumque favorem impendere. Missis literis ad episcopos catholicos Angliae, ministri ecclesiae anglicanae magno animi angore eas perlegerunt. Attamen ad Card. Patrizi illius Congregationis a Secretis scripserunt se in programmate associationis haud animo reputasse quid decernere de nomine Ecclesiae catholicae, quod sibi ecclesia anglicana tribuebat, utrum nempe ei iure competeret, sed eo nomine suam ecclesiam nuncupasse, quia ita anglicani eam vocare solent. Ast praecipue in hoc scripto scopum suae associationis cohonestare satagebant. Unde aperte fassi sunt, se haud velle tres ecclesias, Romanam, Anglicanam et Graecam, simul in associatione fusas remanere prout nunc sunt, singulas suam persuasionem retinendo; hoc quippe non unitatem sed dissidia et dilacerationes inter fratres pareret. Huic epistolae centum nonaginta octo inter decanos, canonicos et parochos aliosque ecclesiasticos viros anglicanos subscripserunt. Ad haec rescripsit Card. Patrizi leniter simul et fortiter die 8 novembris 1865. Summa responsionis haec est: nullum dari principium unitatis praeter veritatem, ex qua tantum unitas quae sit simul et utilis et constans oriri potest; hoc principium operari per unam veram Ecclesiam, quae nempe Sedi Petri copulatur, ex qua veluti e centro Veritas et Unitas ecclesiastica pendet. His adiecit, preces fundere pro unione Ecclesiae, prout Associatio dictabat, praesumptionem parere de instabilitate Ecclesiae, perinde ac si ipsa posset in partes segregari, quae praesumptio haeretica est; nam dogma revelatum est unitatem Ecclesiae Christi numquam deficere et perpetuam esse Ecclesiae unitatem atque infallibilitatem, ita ut Ecclesia magistra est veritatis in hoc seculo, prout fuit in superioribus usque ad primum. Utriusque documenti concinnum commentarium dedit Archiepiscopus Westmonasterii Henricus Eduardus Manning in epistola pastorali anno 1866 exarata [1].

Huiusmodi congruae provisiones ad optimum exitum rem duxerunt; siquidem Ecclesia catholica romana ultra progressa est, et hostium insidiae in pessum abiere. Et revera ante et post hoc tempus, plura Concilia provincialia celebrata sunt in Anglia, quae saluberrimis legibus religiosa dioecesium negotia ordinarunt; latius propagata in dies catholica fides, et complures nobilitate generis et doctrina praestantes ad unitatem Ecclesiae revocati; Clerus admodum auctus, auctae pariter religiosae domus, non modo ex regularibus Ordinibus, sed ex iis etiam recentioribus *Institutis*, quae moderandis adolescentium moribus vel caritatis operibus exercendis optime de re christiana et civili societate meruerunt; constituta pia laicorum sodalitia; novae missiones novaeque ecclesiae quamplures erectae, nobili instructu divites, egregio cultu decorae; permulta etiam item

---

[1] *L' unione della Cristianità*, *Lettera pastorale al Clero* etc. di Enrico Eduardo Arcivescovo di Westminster, Roma 1866, versio italica.

condita orphanis alendis hospitia, seminaria, collegia et scholae, in quibus pueri et adolescentes frequentissimi ad pietatem ac litteras instituuntur.

Cuius quidem rei laus non exigua tribuenda est Britannicae gentis ingenio, quod prout constans et invictum est contra vim adversam, ita veritatis et rationis voce facile flectitur, ut proinde vere de ipsis dixerit Tertullianus: *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo subiecta* [1]. At praecipuum sibi laudis meritum vindicant cum assidua Episcoporum vigilantia, tum Cleri universi docilis ad parendum voluntas, prompta ad agendum sollertia, ut nuper ipse Leo Pp. XIII declaravit [2].

Nihilominus et praesertim post Hierarchiae institutionem in Anglia et in Scotia, uti dicturi sumus, quaedam ex ipsa rerum conditione ortae difficultates, dissensusque inter sacrorum Antistites et sodales Ordinum religiosorum obstiterunt, quominus uberiores fructus perciperentur. Illi enim cum praescripta fuisset a Pio Pp. IX communis iuris observantia, rati sunt se posse omnia decernere, quae ad ipsius iuris executionem pertinent, quaeve ex generali Ecclesiae disciplina Episcoporum potestati permissa sunt. Plures contra gravesque causae prohibebant, ne peculiaris missionum disciplina, quae iam inveteraverat, repente penitus aboleretur. Ad has propterea difficultates avertendas et controversias finiendas, Angliae Episcopi pro sua in Apostolica Sede observantia Pontificem adiere rogantes, ut suprema Sua auctoritate dirimerentur. Multiplex licet varieque implexa esset congeries rerum, quae in disceptationem vocabantur, omnes tamen ad tria potissimum capita commode redigi posse arbitratum fuit, quorum alterum ad familiarum religiosarum exemptionem pertinebat ab episcopali iurisdictione; alterum sacra ministeria respiciebat, quae a regularibus missionariis exercebantur; tertium quaestiones complectebatur de bonis temporalibus deque usu in quem illa oportebat converti. Leo Pp. XIII cunctis accurate exploratis, Constitutione *Romanos Pontifices* VIII° idus maii 1881 de controversiis propositis supremum iudicium pronuntiavit, et quum Roma locuta sit, causa finita est.

88. *In Scotia*—Postquam Leo Pp. XII Scotiam in tres Vicariatos Apostolicos divisit [1], catholicum nomen ibi mirum in modum reflorescere visum est, propter indefessum Vicariorum Apostolicorum zelum, nec non assiduas diligentesque curas S. Congregationis de Propaganda Fide. Huius in bonum progressionis is modus fuit, ut dum an. 1829 Scotia 51 ecclesias numerabat, post annos decem 78 templa catholica recenseret. Qui illius regni religiosas res describunt, tribuunt ei, anno 1878, 370,000 circiter catholicorum, cum 252 ecclesiis ac oratoriis, in quibus divina faciebant 258 presbyteri; 13 insuper domos religiosas virorum ac 22 mulierum. Nunc ibi numerantur 124 scholae catholicae, nec desunt scotica lingua conscriptae catholicae ephemerides. Ordines Religiosorum iterum ac mirifice propagati sunt in Scotia: illic vero recensentur Iesuitae, Passionistae, Franciscani, Lazaristae, Maristae, aeque ac sanctimoniales puellis bonis artibus erudiendis. Monaci Ordinis S. Benedicti Angliae, qui tribus abhinc saeculis et amplius inde exularunt, in praesenti illas repetunt terras, et divitum catholicorum copiosis adiuti donationibus, condunt, super Caledoniae canali, ubi *Fort-Augustus* assurgit, coenobium monasticum, iuvenum conturbernium et hospitium. Nulli dubium, quin tanto catholicae religionis incremento suppetias tulerint Hiberni, operarii zelantes fidem, Ecclesiae honorem, et bonum familiae. Nam plus 100,000 eorum opera faciunt in armamentario navali civitatis Glasguae.

Haec omnia perpendens Pius Pp. IX, et videns Ecclesiae in Scotia pecuniaria subsidia non deesse, anglicumque Gubernium veram populis suis libertatem permittere, serio cogitavit de restituenda Ecclesiastica Hierarchia in illis terris. Accesserunt de hac re supplices libellos Vicariorum Apostolicorum, plurimorum presbyterorum, et virorum generis nobilitate vel virtute illustrium, qui omnes ad unum quaerebant restitutionem sedium episcopalium et metropoliticae in Scotia. Oratoribus Scotorum, qui Vaticanum conscensi data occasione Iubilaei Pontificalis Pii IX, anno 1877, per Edenburgi Apostolicum Vicarium Summo Pontifici se sperare dixerunt, fore ut Catholica Ecclesia amplificaretur in Scotia, cum ibi Hierarchia Ecclesiastica restitueretur, respondit Pontifex, se illius gentes desiderium expleturum, quando catholicorum numerus inibi

[1] Lib. *adv. Iudaeos*, cap. 5.

[2] Legesis SSmi Dni Nostri Leonis PP. XIII Constit. Apost. *Romanos Pontifices*, VIII° idus maii 1881.

[1] Vid. p. 347-348.

succresceret. Quum ita se res haberet, Pontifex negotium hoc S. R. Ecclesiae Cardinalibus, Fidei Propagandae praepositis, undequaque discutiendum commisit, eorumque sententia in suscepto consilio Eum magis magisque confirmavit. Dum vero Ipse ad opus diu multumque optatum absolvendum se pervenisse laetabatur, ad coronam iustitiae recipiendam a iusto Iudice advocatus fuit.

Quod Pius IX perficere non potuit, Deus largitus est Leoni XIII, ut ita supremum Pontificatum, quem in tanta temporum calamitate trepidans suscepit, fausto quodam veluti omine auspicaret. Quapropter sine mora hoc negotium executioni mandavit, et Litteris Apostolicis *Ex supremo*, ɪvº nonas martii 1878, Hierarchiam Ordinariorum Episcoporum, qui a Sedibus nuncupantur, in Scotia instituit. Porro sex numero Sedes in praesens, ut ipse Pontifex ait, erigendas easque ex nunc erectas esse voluit, nimirum *S. Andreae* cum adiuncto titulo *Edenburgi*, *Glasguensem*, *Aberdonensem*, *Dunkeldensem*, *Candidae Casae seu Gallovidianam*, nec non *Ergadiensem et Insularum*. Recolens autem Pontifex illustria veteris s. Andreae Ecclesiae monumenta, habitaque ratione hodiernae illius regni principis civitatis, aliisque rationibus perpensis, non potuit, quin celebrem illam Sedem ad Metropolitanae seu Archiepiscopalis dignitatis gradum, adiecto Edenburgi titulo, restitueret, quo antea a Sixto IV decorata fuerat, eidemque suffraganeas quatuor ex praenuntiatis sedibus adsignavit, nempe *Aberdonensem*, *Dunkeldensem*, *Candidae Casae seu Gallovidianam, Ergadiensem et Insularum*; quod vero ad Glasguensem sedem attinet, considerata illius civitatis vetustate, illam Leo Pp. XIII in memoratis Litteris ad dignitatem Archiepiscopalem evexit.

Rem istam maximi ponderis vix aliquae ephemerides protestantes mordere ausae sunt, affirmantes Britanniae iura laedi dum agnoscerentur Episcopi eorumque Sedes. At iamdiu *bill* titulorum ecclesiasticorum eiusmodi legibus oppositionem sustulerat, declarans apud Gubernium solummodo titulos episcopales adhiberi non posse. Quinimo incrementa, quae quotidie accipit in Britannia catholicum nomen spem non modicam faciunt, fore ut quam primum et Romae apud S. Sedem Orator Britanniae Reginae resideat, et Londini Nuntius Summi Pontificis maneat.

89. *In Hibernia* — Catholicorum status in Hibernia deplorandus est. Pulcherrimas illas regiones natura uberrimas, fames statis temporibus devastat. Incommoda haec legibus, quae nunc ibi vigent, sunt referenda; nam virorum fortium brachia domi enervant, eisque sensu salutis et securitatis sublato, spem omnem tolerabilis vitae et vires adimunt. Ita, ineunte anno 1847, quum Hiberniae regnum in permagna rei frumentariae inopia, atque in ceterarum rerum ad alimenta suppeditanda spectantium caritate versaretur, extrema accessit egestas, qua populus fame tabescens, teterrima morborum colluvie ex ciborum inopia contracta premebatur. At Pius Pp. IX insistens vestigiis decessorum suorum, qui potissimum tempore Guilielmi III et reginae Annae Hiberniae genti suppetias tulerant, ad eius miseriam sublevandam tum propriam pecuniam, tum eam, quae Romae collecta fuerat, impendit; dein vɪɪɪº calendas aprilis 1847, epistolam Encyclicam *Praedecessores nostros* ad omnes episcopos misit, qua eis in memoriam revocans sedulum studium Romanorum Pontificum pro publicis Christiani populi calamitatibus imminuendis[1], illius gentis in catholicae religionis professione constantiam, et egregia erga Ecclesiam merita laudans, omnes Ecclesiae pastores hortatus est, ut publicis indictis precibus Deum misericordiarum Patrem Hiberniae genti redderent propitium. Denique eleemosynae virtute et uberibus fructibus commendatis, ipsos vehementer incitavit, ut eleemosynarum largitiones pro eodem Hibernico populo colligerent. Sic quo acrius est protestantium in Hibernos odium, eo propensior est in eos catholicorum praecipue vero Pastoris universalis charitas.

In praesentiarum vero Hibernorum gens, e veterno quo tenebatur exurgens, legum

---

1 Id in memorata encyclica declaratur veterum quoque temporum monumentis. Testimonio Eusebii *Hist. Eccl.* (lib. IV, c. 23, edit. Cantabrig.), ubi sermo est de Dionysii Corinthiorum Episcopi epistola ad Soterem Romanum Pontificem, qua dicit, *iam inde a religionis exordio*, solere Romanam Ecclesiam ad Christianos *necessaria vitae subsidia transmittere; et hunc modum a Sotere Beato Episcopo adauctum esse.* Idem Eusebius (*Hist. Eccl.* lib. VII, c. 5) commemorat Dionysii Alexandrini Episcopi epistolam ad Stephanum I, Pontificem, qui *ad Syriae provinciam cum Arabia*, *necessaria* subsidia miserat. Est etiam s. Basilii epistola ad s. Damasum Papam, qua refert subsidia a s. Dionysio Pontifice ad Ecclesiam Caesareensem missa. (Vid. tom. III *Opp.* edit. Maurinae, Ep. 70.)

praegravantium quibus affligitur, abrogationem firmiter et fortiter efflagitat. Sed fames, mali suada, ei certos fines terminosque suis questubus constituere non sinit, ac proinde se committens rebellionis ducibus, motus *fenianorum* [1], meditatas caedes, et ignaviam illorum etiam, qui propter officium tenentur morum praefecturam gerere, probare et adiuvare non dubitat. Proinde gubernium videns contemni levamina, ab se pro huiusmodi legibus proposita, quae potuissent esse operariis initia vitae tranquillae et rebus necessariis instructae, ea consilia adhibet quae vexationem augent et damnum.

Verum sola Ecclesia Christi poterat totidem mederi malis, ac recta consilia illi genti largiri. Quae sane consilia eo spectant, ut Catholici Hiberni in rebus omnibus magistram ac ducem Ecclesiam sequantur, et eius praeceptis sese accommodantes pravarum doctrinarum respuant incitamenta. Hoc pacto iam a suo tempore Gregorius XVI, diebus 12 martii 1839 et 15 octobr. 1844, per sacrum Consilium Christiano nomini propagando archiepiscopum Armacanum admonuit, ne aliquid ageretur ab Hibernis, nisi moderate et iuste.

Leo autem Pp. XIII, exemplo insistens sui Decessoris, calendis iunii 1880 cunctis Episcopis Hiberniae recta monita pro rerum opportunitate danda curavit, nimirum Hibernos dicto audientes Episcopis esse oportere, nullaque in re a religione ac officiis declinare. Et paullo serius mense novembri aliquot ex Hibernia Episcopis qui Romam adierant, ad sepulcra Apostolorum visitandum, testatus est, se Hibernorum caussa omnia utilia adoriri; veruntamen illud etiam adiunxit, perturbare ordinem non licere. Quin imo Litteris Archiepiscopo Dublinensi Eduardo Mac-Cabe datis die 3 ianuar. 1881, haec omnia memorans, subdit: « Talis in sentiendo agendoque modus institutis praeceptisque Ecclesiae catholicae maxime congruit, neque dubitamus, quin ipsis Hiberniae rationibus sit profuturus. Etenim aequitati confidimus virorum, qui summam imperii tenent, in quibus certe magnus esse solet rerum usus cum civili prudentia coniunctus. Multo tutius ac facilius fieri poterit ut ea, quae vult, Hibernia consequatur, si modo via quam leges sinunt utatur, caussasque offensionis evitet ». Quare hortatur Episcopos, ut fideles moneant ne in his tam trepidis rebus aequitatis iustitiaeque fines transiliant.

Maxima fuit huius Litterae virtus. Nam Archiepiscopus Dublinensis, die 14 ianuarii 1881, epistolam pastoralem dedit utrique suo Clero, ut ostenderet, omnesque suaderet, Hiberniae filios tot tantisque beneficiis per Pontifices cumulatos, praesertim quum persecutio in eos saeviret, et nemo penes inveniretur, qui memoria teneret obtrita populi iura, et Episcopos ac presbyteros errabundos, nunc morem gerere debere Romani Pontificis aequissimis postulationibus. Hac nostra aetate, addebat perillustris Ecclesiae Antistes, dum fames ac pestis hac in insula grassarentur, Pius Pp. IX, prompta splendidaque sua munificentia, tali exemplo fuit Principibus, ac populis christianis, quo nullus dignius est Patre fidelium universorum. Quod si anno 1880 regiones Hiberniae incolis frequentes in summas angustias adductae sunt, dum spectra famis et tetricae febris terrifica instarent, magnus Leo XIII suae oblitus inopiae, filiis suis generose subsidio venit, et S. Congregatio a Christiano nomine propagando, Supremi Pastoris exemplum imitata, large Hiberniae dedit de suis immunitis ac decimatis bonis.

Ceteri quoque Hiberniae Episcopi, datis litteris Cleris suis, eos participes fecerunt

[1] Inter eas, quae nunc populos illaqueant, secretas societates extat illa, cui a *Fenianis* titulus est, vasta quaedam conspiratio, instar occulti exercitus ordinata in Foederatis Americae Statibus, in Canada et in Hibernia adversus Britanniam. Auctor eius fuit miles hibernicus nomine O' Mayony, qui sibi proposuit Hiberniam ab Angliae iugo solvere, eamque ad regimen reipublicae adducere, ad modum Americanae Foederationis. Novam hanc societatem appellavit *Emmet monument association*, sumpto nomine a Ruperto Emmet, qui capite condemnatus ab Anglis, cum patibulum conscenderet, abrupta oratione Hiberniam compellavit, iussitque expectare liberationem suam ab iugo stirpis Saxonum, ut ei poneret monumentum. *Fenianorum* autem appellatio desumpta est vel a Phoeniciis, primis Hiberniae habitatoribus, vel ab antiqua huius gentis militia, quae tempore hibernicae libertatis fuit strenuissima. Quidquid sit de nomine, evidens est *Fenianismum* sectam constituere, eiusque diffusionem animarum saluti esse grave offendiculum. Merito igitur S. Sedes per Cardinalem Praefectum Sacrae Congregationis a Christiano nomine propagando litteras misit Episcopis Americanae Foederationis die 13 iulii 1865, eisque significavit *Fenianismum* iis accensendum esse societatibus occultis, quas Summi Pontifices iterato damnarunt. Hoc idem praestitit S. Romana Universalis Inquisitio, decreto diei 12 ianuarii 1870, sectae naturam attribuens societati *Fenianorum*, cuius asseclas in excommunicationem incurrisse declaravit.

sapientium consiliorum, quae Leonis Pp. XII Litteris continentur, et hortabantur, ut fidelibus populis ipsorum aperirent utilitatem. Praeterea Episcopi omnes Hiberniae cum Dublinensi Archiepiscopo ad Maynooth congregati Summo Pontifici miserunt epistolam die 25 ianuarii 1881, qua veram tumultuorum causam significarunt, simulque declararunt permulta ab ephemeridibus anglis referri, quae falsa prorsus sunt et calumniis referta in Cleri Hiberniae odium.

Curae sapientes et apta consilia tum Pontificis, tum Episcoporum infeliciter non ab omnibus comiter excepta fuerunt; proindeque alia delicta et crimina patrata sunt, nec populi Hiberniae status in melius satis mutari visus est.

Quum malum se extenderet, produxit se et charitas Episcoporum, qui in conventu Dublinensi *Declarationem* condiderunt datam fidelibus suarum dioecesium die 10 iunii 1882, in qua conquerebantur eorum hallucinationem, eisque monita salutaria tradebant. Praecipue caverent, aiebant, 1°, ne abnuerent levare se aere alieno, cum possent; 2°, ne alios impedirent, quominus solverent aes alienum; 3°, ne alicuius personae, iuribus, vel bonis damnum inferrent; 4°, ne legibus vel iis, qui eas applicandi potestatem habent, obsisterent, aut alios ad obsistendum inducerent; 5°, denique ne secretas constituerent societates, earumque obtemperarent mandatis. Hoc Pastoralis zeli documentum summopere Leoni Pp. XIII probatum, Epistolam ad omnes Hiberniae Episcopos ab Eo calendis augusti 1882 meruit. Laudibus extollebat Summus Pontifex Episcoporum operositatem, iterumque affirmabat nefas esse ius suum obtinere vim adhibendo in alios, praesertim alicuius secretae societatis patrocinio; sectae enim sub specie obtinendi iura, publicam quietem et tranquillitatem turbant.

Providae istae Pontificis et Episcoporum curae satis sortitae sunt effectum; ita ut unus ex Reginae Britanniae administris publico sermone gratulatus sit municipibus suis, quod in Hibernia agraria facinora decrescerent. Accessit pacifica et tranquilla dedicatio monumenti a catholicis Hiberniae perfecta, mense septembris 1882, ad honorem Danielis O' Connell; novum illius gentis conditionis in melius mutatae argumentum. Maximam gratiam debet Romano Pontifici Britannia, quia in Hibernia adhuc robur legibus est, et bellum intestinum non concitatur.

Huius perinsignis beneficii memoriam epistola diei 4 octobris 1882 ad Summum Pontificem inscripta inclusit Archiepiscopus Dublinensis Eduardus Mac-Cabe, inter Cardinales a Leone XIII adscriptus, qui, mandato et nomine ceterorum Episcoporum Hiberniae, gratias Ipsi agebat ob eas curas, quas de prospera rerum illius gentis conditione gessit, et ob ea consilia, quae in bonum illorum fidelium praebenda censuit. Prima die anni 1883 Leo XIII Archiepiscopo Dublinensi rescripsit, et gratulatus tum illi, aliisque Hiberniae Episcopis, videns quo studio pro ministerii sui ratione ad sedandas perturbationes patriae et ad dirigendas fidelium voluntates incumbant; tum etiam catholicae Ecclesiae filiis, qui docilitate animi eorum voces excipiunt, instabat, ut fideles documenta ab Eo tradita prae oculis habere pergerent, eo quod pravarum societatum asseclae non intermittunt « spes suas in flagitiis ponere, publicas inflammare cupiditates, et remedia incommodis graviora quaerentes ea grassari via, quae ipsorum cives non ad salutem sed ad perniciem adducit ». Cum autem Summus Pontifex minime dubitet, quin Hibernorum fidelium Pastores salutarem operam pergant in eorum subsidium, sacerdotalis zeli ministerio praecipuum scopum assignat, dicens: « Haec porro tam graves pastoralis muneris curae et publica populi Hiberni causa omnino requirunt, ut ecclesiastici ordinis viri sese adiutores praebeant Pastoribus suis, ac ipsis in civium animis moderandis et perturbationibus publicis compescendis suam operam fideliter navent. Verumtamen ad hanc salutarem vim sacri ministerii propriam exercendam, si agatur praesertim de popularibus conventibus in quibus magno animorum aestu de causa publica disceptatur, et civilium concertationum procellae commoventur, opportunum fore consilium putamus, si firmis iis manentibus, quae de iuniore Clero decrevistis, iis tantum ecclesiasticis viris eosdem conventus adeundi veniam tribuendam censueritis, in quorum potissimum sapientia confiditis, et in quibus maturior aetas ac usus rerum effecit ut prudentia, consilio et auctoritate praestent, ideoque possint prae ceteris concitatae multitudini ad recta et honesta duces esse, fallacibus improborum iudiciis occurrere, officiis rationes tueri, ac defensores esse optimi partium optimarum ».

Attamen perditi illi homines, qui turba

et seditionibus aluntur, et duces illius societatis quae *National League* appellari consuevit, in Summi Pontificis monita insurrexerunt, Eumque in errorem a Gubernio Britanno raptum fuisse affirmarunt. His omnibus os obstruxit *Instructio* Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, edita die 11 maii 1883, cui perlibenter adstipulati sunt Episcopi Hiberniae. Sacer iste Consessus damnavit collectam, quae *Parnell testimonial fund* audit, nec proinde ecclesiasticis viris maxime vero Episcopis licere eam ullo modo commendare vel promovere declaravit. Etenim « quidquid, aiebat Card. Simeoni, de persona Parnelli eiusque consiliis, exploratum tamen est, plures ex illius asseclis eam agendi rationem in multis casibus adhibuisse, quae plane abhorret ab iis quae Summus Pontifex in suis ad Card. Archiepiscopum Dublinensem litteris enunciavit, quaeque in Instructionibus huius S. Congregationis ab Hiberniae Episcopis in nuperrimo Dublinensi conventu unanimiter receptis continentur [1] »

Studia haec, consilia et opera magni Leonis XIII, eiusque in Domino filiorum, Episcoporum Hiberniae, satis superque ostendunt, Catholicam Ecclesiam populorum esse altricem et tutamen.

90. *Religionis status in Dania* — Proscripta iam ab anno 1539 catholica religione apud Danios, sicuti vidimus [2], nihil intentatum a cultoribus Ecclesiae Christi relictum est, ut ad veram Religionem converterent. Iesuitae ineunte saeculo XVI eo consilio missiones inierunt, sed haud felicem exitum experti sunt. Eis anno 1623 adiuncti sunt FF. Dominicani secum deferentes librorum et supellectilium sacrarum ingentem copiam, et quocumque adventarent, operabantur catholicos ritus. At mox inde, iubente rege ab apostolicis curis desistere adacti sunt. Attamen unus ex iis, qui missionibus operam navabant, eo rem perduxit, ut Fridericostadii Sclesvicensis communitatem catholicam constitueret. Faventibus circumstantiis, altare catholicum quoque erectum est Altonae in Holsatia. Et hae fuerunt priores evectae stationes ad Catholicismum in illis regionibus servandum. Alterum quoque altare erectum est Haphniae (*Copenhagen*) anno 1630, cooperante regis Galliae legato. Cum autem insula Nordstrandt ex inundationibus vastata est, libertas religiosa data fuit quo facilius incolae ad eam immigrarent; unde paulo post inibi paroecia erecta est, et ecclesia condita anno 1661. Anno sequenti aliud templum catholicum excitatum fuit Clucstadii; anno 1682 Fridericopolis in Iutia (*Iutland*) catholici libertatem cultus obtinuere; anno 1690 aliam ecclesiam Rensburgi erexere; ita ut exinde stationes catholicae in potioribus regni locis fuerint constitutae. Demum erectio Vicariatus Apostolici pro missionibus nordicis aptiorem regulam illis missionibus dedit; et Pp. Gregorius XVI Vicariatum huiusmodi suffraganeo Osnabrugi commisit, facto ei munere consulendi bono spirituali omnium Daniae catholicorum. Sed nova lux pro missionibus nordicis apparuit, mense iunio anni 1849, quando rex Daniae Fridericus III ratam habuit novam Daniae constitutionem, quae omnibus regni civibus plenam religionis libertatem concessit, et aequalitate iurium civilium frui. Tunc quidem soluta sunt vincula quibus per tria continentia saecula Ecclesia ibi obstringebatur; et ex tunc Daniae catholici libere propriam religionem profitentur.

Ob hanc libertatem ipsis factam, anno 1869 Episcopus Osnabrugen, potuit visitationes pastorales penes nordicas missiones peragere. Pius IX per epistolam autographam regi Daniae gratias egit de libertate religioni catholicae concessa, et eamdem concessionem petiit pro Sclesvicensi degentibus, in qua regione, uti in ducatu Holsatiae, data iam fuerat religionis libertas tantum pro hebraeis.

Sed dum Ecclesia libertate gavisa est Daniae, servitutem tamen passa est in duobus Ducatibus Albis (*Holsatiae-Sleswigis*) partim regi Daniae subiectis. Ibi religio catholica tantum tolerabatur in quibusdam constitutis locis; prohibitum erat novas cultorum mansiones erigere, campanas pulsare, et nemini ex presbyteris catholicis fas erat sua munia obire, quin prius veniam et electionem loci a Consistorio protestanti obtinuisset

Bellum vero an. 1864 subsequutum, huic rerum rationi finem imposuit; libertas Religionis ab imperantibus Borussiae et Austriae, qui ipsos ducatos potiti sunt, data est, et mox Holsatiae paroecia erecta est. Hinc duo Ducatus [1] a Borussia, quae postea

[1] Cf de hac re opus, cui titulo: *Roma e il Fenianismo e la Circolare del Papa contro Parnell* per W. Mazière Brady, Roma 1883.

[2] Pp. 151-152, 270, 308.

[1] Vid. p. 390.

eos omnino subegit, omnia iura huius Status obtinuere, inter quae illud de libertate ecclesiastica nunquam perturbanda, iuxta leges.

Dania, praeter Praefectum apostolicum, qui Islandiam et Gronelandiam simul moderatur, viginti octo missionarios et quatuor clericos habet. Hi curas pastorales exercent penes octo regiones et sexdecim ecclesiis, quarum septem ad Haphniam pertinent. In hac urbe extat gymnasium iuventuti erudiendae, et duae scholae superiores pro puellis. Ad urbis capitis finia operam insudant PP. Iesuitae ex Collegio S. Andreae, quod ad Missionariorum seminarium Scandinaviae quoque inservit. Ibi catholici habent nosocomium, satis frequentatum, quod a Sororibus a S. Iosepho nuncupatis regitur. — In Dania huc usque catholicorum 2,500 adnumerantur.

91. *In Suecia et Norwegia* — Tempore quo hae regiones sub Daniae ditione erant, duritiem legum Ecclesiae infensarum, quae Daniae vim habuerant, passae sunt [1]. Res ita steterunt usque ad annum 1814, in quo independentia nationalis cum regni Norwegiae a Dania segregatione invaluit. Anno 1845 ampliores cultus libertates concessae fuere, sed semper lex vigebat quae exilio damnabat eum qui religionem catholicam susciperet, et poena mulctabat presbyterum catholicum qui ad religionem catholicam aliquem e protestantismo adduceret. Anno 1856 libertas religiosa, solemniter postulata, concessa fuit a rege ad normam promulgatae constitutionis. Demum die 12 mensis martii an. 1878 facultas officialibus Status facta est, exceptis magistratibus, illam religionem sequendi, quae ipsis perplacuisset.

Nunc autem in his omnibus locis religio catholica celeres progressus nacta est; ita ut exeunte anno 1882 census religiosus haec dabat elementa pro tribus missionum regionibus Scandinavis, scilicet Vicariatus Apostolici Holmiae quoad Sueciam; praefecturae Apostolicae quoad Norvegiam; praefecturae Apostolicae quoad Daniam, Islandiam et Gronelandiam. Hae missionum regiones octogies quinquiens centena millia hominum complectuntur. Sueciae Vicariatus Vicarium, duodecim missionarios et sex ecclesias catholicas adnumerat, quarum duae Holmiae degunt. Praefectura Apostolica pro Norvegia, praeter praefectum sexdecim missionarios, octo parochias catholicas cum totidem ecclesiis habet. Sorores ex habitu cineraceo, et quae a S. Iosepho appellantur, opem missionariis ferunt in auxilio infirmis impendendo et in pueros edocendo. — *De Dania diximus supra.*

Haec recensio magno potest esse solatio, quia paucis abhinc annis religio catholica in regionibus Sueciae et Norwegiae progressa est, et iam 1,200 catholicorum ibi commorantur, dum usque ad annos proxime superiores nulli ex protestantibus fas erat ad catholicam religionem se convertere, quin exilium, mulctas et ipsam quoque mortem experiretur.

92. *Res catholicae in Belgio* — Quae de florenti catholicae Ecclesiae statu in Belgio descripsimus [1], invidiam in se concitarunt perditissimorum hominum, qui nullum non movent lapidem, ut abalienatis a Sede Apostolica populorum animis, eos pravarum societatum imperio ac tyrannidi subiiciant. Quamobrem, data opportunitate, in publicis legumlatorum coetibus pluries clamitarunt, exspoliato Romano Pontifice dominatione civili, Belgicam Legationem ad ipsum inutilem impensam evadere, ac proinde esse tollendam. Revera vix dum anno 1878 ad rei publicae gubernacula homines illarum partium accesserunt, revocatio Oratoris Belgii apud S. Sedem statuta et nuntiata est. Eiusmodi propositi perficiendi occasionem ipsi nacti sunt lege perlata die 20 ianuarii 1879, insequenti mense iunii adprobata in publicis Consiliis, et proxima 1ª die iulii sancita, de primordiis disciplinarum publice tradendis. Hoc unum maxime lex illa spectare patet, ut animis vel a pueritia ab auctoritate catholicae Ecclesiae abstractis, civili potestati iuvenes mancipentur. « Etenim ea lege, uti sapienter animadvertit Leo Pp. XIII [2], decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullam Ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. Eoque gravius esse periculum

---

[1] Legere quoque iuvat quae dicta sunt pp. 152, 183, 270, 307 308 voluminis huius.

[1] P. 351.

[2] In sua ad Cardinales Allocutione habita in Vaticano die 20 augusti 1880.

intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis litterarum palaestris, quas scholas *normales* vocant, ubi exercitatione praeceptisque conformantur qui quaeve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre ».

Regni Belgii Episcopi, cum probe sentirent, quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab eiusmodi publicis scholis iuventuti. Damnata iam suis Litteris, datis die 7 decembris 1878, nova scholarum dispositione, quam Gubernium proposuerat, iterum Pastorali communi Epistola reprobarunt scholasticam legem mensis iulii 1879; atque alias aperiendas scholas curaverunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Belgae autem cum animadverterent, quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, peropportuno huic Episcoporum operi sese alacritate summa adiutores praebuerunt, idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes, ad quos huius rei fama pervenit. Verum ex his litteris collectivis Episcoporum, ex poenis canonicis quas iure merito ipsi comminati sunt in huius legis auctores et praecipuos executores, denique ex frequentia discipulorum ad scholas Episcoporum obnoxias potestati, Belgii administer, qui externas regni rationes procurat, quaesivit occasionem accusandi Episcopos apud Pontificem Summum quasi regnum suis scriptis perturbarent, et instanter petiit a Cardinali, qui est Pontifici a Secretis, ut Episcoporum agendi rationem reprobaret, eosque ad mitiorem scribendi formam induceret.

Sed Apostolica Sedes, cuius est iustitiam in omnibus servare, calumniam in Episcopos obtrivit atque obtudit, veros perturbationis auctores eos indicans, qui absque iusta causa antiquas Belgii leges scholasticas mutantes civium animos dissociare ausi sunt. Summus Pontifex Leo Pp. XIII non semel de hac lege scripsit ad Leopoldum II Belgarum regem, aperte declarans eam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare, perniciosam adolescentium institutioni esse, imo haud parum calamitosam regno futuram. Nihilominus, legem reprobans, et patientissime agens, Episcopis, quorum zelum laudibus extulit, auctor fuit, ut in exequendis decretis circa adolescentium disciplinam a moderatione et suavitate ne unquam discederent. Obsequentissimos S. Sedis monitis se praebuerunt Episcopi; attamen, ex sententia curatorum rerum Belgicarum, oportebat illos a Summo Pontifice reprehendi. Quod cum firmiter Leo Pp. XIII se facturum negasset, idcirco officiose amiceque cum Eo agi desitum est, et insigni, vixque alias audito illiberalitatis exemplo, mense iunii 1880, Pontificis Legatus excedere Belgii finibus iussus est, et Belgarum Orator apud Romanam Sedem revocatus. Cuius longe maximae iniuriae Apostolicae Sedi impositae, Summus Pontifex conquestus est in Allocutione habita die 20 augusti 1880 ad Cardinales in Vaticano. Imo, quoniam administratores rei Belgarum publicae plura deinde per ambages et calumnias causati, indigne factum tegere falsis nominibus conati sunt, omnemque caussam et culpam in Apostolicam Sedem transferre, Leo Pp. XIII, die 10 iulii 1880, ex Tabulario Pontificio narrationem documentis exornatam in vulgus proferri curavit, qua totius rei ratio ad veritatem exigitur [1]. Pastorales Episcoporum curae eiusmodi scholarum in Belgio feliciter evenerunt; nam iuvenum studiosorum vix tertia pars scholas Gubernii frequentarunt, ceteri omnes catholicas et ab Episcopis probatas. His Summus Pontifex aliis suis litteris, datis die 3 augusti 1881, maxime laudi tribuit, quod optimae iuventutis institutioni omni industria studeant, providentes ut in primis litterarum scholis de religione doctrina large adolescentibus tradatur, atque christianae educationi cuncta benevertant in gymnasiis etiam et lyceis, et in ipsa lovaniensi studiorum Universitate.

Sed cum nullo unquam tempore tanta fuerit concordiae inter omnes catholicos viros conciliandae et servandae necessitas, quanta hoc nostro, quo christiani nominis hostes unanimi impetu Ecclesiam undique adoriuntur, in eadem epistola Leo Pp. XIII monet minus eidem concordiae favere nonnullas de iure publico controversias, quae recens animos apud Belgas commoverunt. Eae autem versabantur circa necessitatem vel opportunitatem exigendi ad catholicae doctrinae normam novas

---

[1] Vid. *Esposizione documentata de' fatti relativi alla questione dell'insegnamento primario nel Belgio, e alla cessazione de' rapporti diplomatici tra il governo Belga e la Santa Sede*, apud Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. CXVIII, pp. 474 sqq.

rei publicae formas, iuris novi, ut aiunt, principiis innixas. «Profecto, subdit Pontifex, Nos ipsi ante omnes summopere cupimus, ut humana societas christiano more componatur, atque ut omnes civitatis ordines divina Christi virtus penetret ac pervadat.

Attamen catholici viri omnes si utiliter in commune bonum elaborare velint, prae oculis habeant et fideliter sequantur oportet consultam agendi rationem quam in his rebus adhibere solet Ecclesia: quae licet caelestium doctrinarum integritatem iustitiaeque principia inviolabili firmitate tueatur, maximeque enitatur ut privatis actibus publicisque institutis et moribus eadem principia moderentur; aequam tamen habet rerum, locorum, temporumque rationem; et saepe, ut in humanis rebus assolet, quaedam aliquandiu tolerare cogitur mala, quae removeri vix aut ne vix quidem possunt, quin gravioribus malis et perturbationibus aditus aperiatur». Ne igitur concordia inter fideles Belgas auferatur, Summus Pontifex iubet « ut omnium doctorum virorum, et eorum praesertim, quibus iuventutis instituendae munus est creditum, una sit mens eademque sententia in his, in quibus Apostolicae Sedis auctoritas dissentiendi libertatem non relinquit. In his autem quae sapientum disputationibus libere permittuntur, ita ingenia exerceantur, ut sententiarum diversitas animorum unitatem et voluntatum concordiam non abrumpat». Qua de re commendat Leo XIII praecepta iam tradita a Benedicto XIV in Constitutione *Sollicita ac provida*, et exhibet idem exemplar, quod ad imitandum suus ille Decessor proposuit sanctum Thomam Aquinatem.

Archiepiscopus Mechliniensis, ceterique Belgii Episcopi, statim Summo Pontifici rescribentes, fecerunt eum certiorem, iam evanuisse deplorata dissidia, quorum ipsa vestigia recens Breve Apostolicum obliterabit.

93. *Lites in Universitate Lovanii* — Postquam ad Augustinum Bonnetty, *Annalium Philosophiae christianae* indefessum Scriptorem, S. Indicis Congregatio quatuor misit subscribendas propositiones, quibus eius *Traditionalismum* damnatum est [1], nonnulli Lovanienses professores, scilicet I. Th. Beelen, I. B. Lefebve, G. C. Ubaghs, et N. I. Laforet, animadvertentes controversiam de rationis humanae vi nativa non sine aliquo animorum aestu in Belgio agitari, litteras ad eandem S. Congregationem Indicis scripserunt, calendis februar. an. 1860. Expostulabant illi oratores, ut S. Congregatio declararet, utrum eorum sententia circa mentis humanae vim, quae indigent institutione aliqua intellectuali ad obtinendum eum rationis usum, qui illi sufficiat ad distinctam Dei et veritatem moralium cognitionem sibi comparandam, posset inter eas quaestiones adnumerari, circa quas philosophi disputant, vel potius reiici deberet tamquam Calvini et Baii perversis doctrinis cohaerens. Alterius huius erroris professorum lovaniensium sententiam insimulare non dubitaverant D. Lupus, canonicus Leodiensis [1], et I. Perrone S. I. [2]. Vix mense elapso, die 2 martii, Hieronymus Cardinalis de Andrea, S. Indicis Congregationis Praefectus, professorum lovaniensium dubia solvens, respondit 1° memoratam doctrinam nullatenus adversari quatuor illis propositionibus, quae a S. Congregatione Indicis circa nativam rationis humanae vim non ita pridem prodierant. 2° Recte adnumerandam esse inter eas quaestiones, quae a Philosophis catholicis libere in utramque partem disputari possunt; adeoque 3° ad eandem doctrinam quod attinet, standum esse Constitutioni Benedicti XIV, quae incipit *Sollicita et provida*, in cuius § 23 haec inter alia leguntur: « Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata, a quopiam in libris obtrudi, oppositas vero erroris insimulari; quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut seruntur, aut foventur; et christianae charitatis vincula persaepe abrumpuntur ».

Responsum huiusmodi, eo quod privata auctoritate donatum, non amovit iurgii causam; ac denuo inter lovanienses antecessores et eorum adversarios acriter de exposita doctrina disputatum est. Imo tanto incensi sunt ardore disputatores, ut vicissim oppositas sententias pelagianismum aut semi-pelagianismum, iansenismum aut baianismum redolere assererent.

Interea illius regni Episcopi, timentes damna, quae fidelibus evenirent, et etiam inhaerentes consiliis Romani Pontificis, et Apostolicae Sedis illic Nuntii, Mechliniae,

---

[1] Vid. p. 345.

[1] In opere quod inscribitur, *Le Traditionalisme et le Rationalisme examinès au point de vue de la philosophie et de la doctrine catholique.*

[2] In *Epistola* per Belgium propagata.

mense iulio 1861, in unum congregati ad alia eiusdem Universitatis tractanda negotia, curas quoque impenderunt in aliquo parando remedio, quo huiusmodi controversiae plane amoverentur et extinguerentur. Epistola, quam die 31 eiusdem mensis iulii communi consensu ad magnificum eiusdem Universitatis Rectorem dederunt, manifeste ostendit quam paternae hae curae fuerint. Elucet enim in ea illud concordiae prudentiaeque studium, quod tantopere necessarium est ad pacem tuendam atque ad removendum quidquid christianae tranquillitati et publicae fidelium aedificationi obesse possit. Ipsi Lovanienses Professores obsequenter excipientes monita et consilia ab Episcopis per eandem epistolam data, unanimiter declararunt, se illorum consiliis et regulis plene adhaerescere, nulla facta exceptione. Verum dum omnes autumarent controversiam finem habuisse, omnibus innotuit per articulos publicis ephemeridibus insertos, aliaque scripta postea vulgata, operam datam esse, ut controversia ipsa revivisceret. In hunc finem decisiones a sacris Congregationibus editas et a Romano Pontifice adprobatas alii memorabant, quas numquam extitisse alii demonstrabant, cum unicum illud documentum, quod superius indicare potuimus, omni vi careret, nec ullum indicium Pontificiae approbationis exhiberet. Ut litem sedaret Pius Pp. IX, missis litteris Encyclicis ad Episcopos Belgii, die 19 decembr. 1861, nullam prorsus proferens sententiam de doctrinarum merito, quae excitarunt controversiam, et quarum definitivum examen et iudicium ad Sedem Apostolicam unice spectat, mandavit, ut earumdem doctrinarum tum fautores, tum oppugnatores, donec definitivum de ipsis doctrinis iudicium S. Sedes proferre existimaret, se omnino abstinerent sive docendo, sive cuiusque generis scriptis vel in lucem typis edendis, vel alia quavis ratione evulgandis, distribuendis, tum cum auctoris nomine, quam sine nomine auctoris, ac sive factis, sive consiliis aliquam ex praedictis philosophicis doctrinis exhibere ac tueri veluti unicam, veram et solam admittendam, ac veluti catholicae Universitatis propriam. Insuper praecepit, ut omnino desisterent novas de hac re iterum excitare quaestiones, quae christianae caritati et animarum saluti vel maxime adversantur. Sed haec monita nec plane observata fuere nec executioni mandata. Etsi enim posteriores promulgationes minime essent intentae ad commemoratas praesertim discutiendas doctrinas, tamen poterant aditum ad novas excitandas controversias patefacere. Quare iterum Pius Pp. IX Litteris in forma Brevi, 16 iunii 1862, Archiepiscopo Mechliniensi de hac re maxime quaestus est et admonitiones repetiit in citata Encyclica datas.

Verum, quum non levis sit momenti agitata quaestio, Pontifex illam examinandam commisit duobus S. R. E. Cardinalium Conciliis, tum S. Officii, tum Indicis. Iam vero, in huiusmodi examine instituendo prae oculis Consultoris habuerunt resolutiones, quas sacrum idem Consilium Indicis edidit, iam inde ab annis 1843 et 1844, posteaquam ad illius iudicium delata sunt opera Gerardi Ubaghs, in primisque eius tractatus *Logicae* ac *Theodiceae*. Etenim sacer ille consessus, matura adhibita deliberatione, duobus in conventibus habitis 23 iunii 1843 et 8 augusti 1844, emendandas iudicavit expositas tam in *Logica* quam in *Theodicea* doctrinas de humanarum cognitionum origine, sive ordinem metaphysicum spectent, sive moralem, ac praesertim de his, quae Dei existentiae notitiam respiciunt. Cum igitur Ubaghs minime praestitisset, quod illum facere tunc iussit S. Congregatio Indicis, Cardinales Consultores iudicarunt emendandam illi esse expositam doctrinam in cunctis iis locis seu capitibus, quae sacer Congressus notandorum librorum iudex minus probavit. Emo Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi partes demandatae sunt admonendi memoratum doctorem, eique vehementius inculcandi, ut doctrinam suam ad exhibitas notationes componeret. Eidem Archiepiscopo aliisque eius Suffraganeis munus commissum est strenue advigilandi, ut huiusmodi Emorum Patrum sententia executioni mandaretur, neque in Lovaniensi Universitate, neque in Seminariorum scholis aliisque Lyceis illae amplius explicarentur doctrinae, quae uti primum ad Apostolicae Sedis iudicium delatae fuerunt, visae sunt a Scholis catholicis amandandae. Haec omnia ad Episcopos Belgii scripsit Emus Cardinalis Patrizi, Congregationis S. Officii a Secretis, in Epistola diei 11 octobris 1864.

Reverenter ac absolute se excipere iussa, consilia et desideria Sanctae Sedis professus est Ubaghs, sed revera committens denuo typis opera sua anno 1865, ea omnia non emendavit quae Apostolica Sedes *haud tuto tradi posse* declaraverat, et alias opi-

niones adiecit, quae caute minus quam fas esset exponebantur. Proinde Emi Cardinales S. Officii Consultores in hanc devenere sententiam: « In libris philosophicis a Gerardo Casimiro Ubaghs hactenus in lucem editis, et praesertim in *Logica* et *Theodicea* inveniri doctrinas seu opiniones, quae absque periculo tradi non possunt ». Quam sententiam Pius Pp. IX ratam habuit et suprema sua auctoritate confirmavit. Huius decreti textum habet Epistola, quam Emus Cardinalis Patrizi misit ad Archiepiscopum Mechliniensem die 2 martii 1866, ad quem etiam rescripsit die 30 augusti eiusdem anni, in memorata resolutione utriusque Congregationis S. Officii et Indicis comprehendi illam quoque doctrinae expositionem, cui subscripserunt quatuor Lovanienses professores die 1 februarii 1860 [1].

94. *Status Schismatis Ultraiectensis* — De huius schismatis sectatoribus de quo iam alibi loquuti sumus [2], hic meminisse iuvabit, quod saeculo superiori vertente, non multo post deplorandae Synodi Pistoriensis celebrationem [3], schismatici Hollandiae se iansenismo adhaerere palam professi sunt. Mense siquidem novembri 1789 clerus schismaticus Hollandiae per Capitulum Ultraiectense illi Synodo adhaesit, cuius doctrinae capita singulasque propositiones declaravit ad unguem se recipere. In archiviis Florentiae Van Achen epistolam fusiori calamo exaratam reperit, Ultraiecti datam die 30 octobris 1794 pseudo-Archiepiscopo Ultraiectensi nomine Gautier Michaele van Nieuwenhuizen, eiusque duobus suffraganeis Broeckman et Nelleman, quae ad D. Scipionem Ricci mittitur. In hac epistola permultis laudibus huiusmodi Episcopus cumulatur, utpote qui per suam Synodum magnum restaurationis opus inierit, addita scriptorum declaratione se causam communem habere atque omnibus et singulis ab eodem decretis formaliter adhaerere [4]. At Sedes Apostolica nihil reliquum fecit, ubi opportunum esse iudicavit, ut illos a recto tramite aberrantes ad frugem revocaret, et quidem benevolentissimis consiliis et persuasione. Memoratu dignum quod Leo XII egit anno 1826. Hic Pontifex per nuntium apostolicum D. Nazalli ipsis significavit, S. Sedem nihil aliud repetere ad eos in communionem catholicam recipiendos, nisi simplicem adhaesionem Constitutionibus Innocentii X, Alexandri VII et Clementis XI. Sed responsiones istiusmodi rebellium turpe praeseferunt exemplar stili ianseniani et servilitatis civili potestati. Interim Ioannes van Santer a Pp. Leone XII excommunicatione et interdicto mulctatus, statim ac suam electionem in archiepiscopum Ultraiectensem ei renunciavit, ausus est anno 1843 consecrare Henricum Ioannem van Buul, ut eum in iansenisticam sedem Harlemi immitteret; et hic haud erubuit certiorem reddere R. Pontificem de sua consecratione, missis epistolis, fidei testificationibus, devotionis et observantiae refertis. Hinc Gregorius XVI Brevi dato die 4 septembris 1843 et ad catholicos Germaniae inferioris misso, postquam conquestus est calliditatem quacum Ultraiecti iansenistae schismatis ignominiam, suosque errores et obdurationem contegere nisi sunt, declarabat electionem Van Buul illegitimam eiusque ordinationem interdictam et sacrilegam; atque insuper excommunicatione feriebat et Van Buul et eos omnes qui aut opere aut consensu aut consilio, eius promotionis et consecrationis cooperatores fuissent. Eadem prorsus ratione Summus Pontifex se gerebat aliquot post mensibus occasione consecrationis Hermanni Heykamp, quem schismatici episcopum Daventeriensem designarunt. His tamen non obstantibus, huiusmodi tres pseudo-episcopi schismatici haud dubitarunt quin typis cuderent anno 1856 suam *Instructionem pastoralem*, neerlandico idiomate, contra dogma de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariae. Sed Sacra et Universalis Inquisitio decreto lato die 4 decembris 1856 virus horum haereticorum repressit, quo ianseniismi sectatores perinsignis B. Mariae privilegii claritatem temerare moliti sunt [1]. Die 3 iunii 1858, mortuo Ioanne van Santen, electus est die 8 iulii in archiepiscopum iansenianum Ultraiectensem Henricus Loos. Is, accepta consecratione in ecclesia S. Geltrudis per Henricum van Buul pseudo-episcopum Harlemen., adstante quoque Hermanno Heykamp, statim ac per epistolam diei 4 octobris 1858 Apostolicae Sedi retu-

---

[1] Documenta heic indicata videre est in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. LVIII-LXV, passim.

[2] Pp. 293 sq, 301, 341.

[3] Vid. p. 310.

[4] Hoc documentum ex integro in lucem edidit Van-Aken in Ephem. Lugdun. *Études religieus*. mars 1873.

---

[1] Decretum prohibitionis et damnationis *Instructionis* huius prostat in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. XXXIII, p. 156.

lit de sua electione et benedictionem expostulavit; ast Pius Pp. IX, Brevi dato die 21 octobris 1858 ad universos regni Hollandiae catholicos, illum excommunicavit, eiusque electionem irritam declaravit. Nihilominus hic magna cum sollicitudine a *veteribus catholicis*, ut Germaniam peteret, rogabatur, non modo ut fratres confirmaret, sed etiam ut aliquem eorum Episcopum consecraret, eo consilio ut sorti suae futurae prospicerent. Is in vitationem excipiebat: verumtamen die 4 mens. iunii 1873 diem obiit supremum, tunc quidem temporis, cum *veteres catholici* in violata aedicula S. Pantaleonis, Coloniae, Iosephum Hubertum Reinckens sibi episcopum elegebant. Quamobrem alter episcopus iansenista eo se contulit probrosae missionis fungendae causa. Interea quum die 15 decembr. 1874 quem ab haereticis renunciatus fuerit archiepiscopus iansenista Ultraiectensis Ioannes Heijkamp, is ausus est R. Pontifici suam electionem significare; et Pius IX brevi dato die 31 martii 1875 eum excommunicavit, eiusque electionem irritam esse decrevit. Ab eo posthac tempore haud compertum est relatam fuisse S. Sedi aliquam huiusmodi electionem; neque mirandum erit, si advertatur iam ab anno 1877 *veterum catholicorum* Germaniae ephemerides praenuntiasse, iansenistas ultraiectenses velle in posterum et hoc ultimum abrumpere vinculum, quo praetexebant se Sanctae Sedi uniri, ita ut non amplius ab ea expeterent confirmationem omnis novi pseudo aepiscopi ab se electi. Exiguus autem est eiusmodi Pastorum grex; nam pro certo habendum est numerum huiusmodi schismaticorum in diem imminui.

Verum, producto ad Summum Pontificatum Cardinali Ioachim Pecci, qui Leonis XIII nomen assumpsit, memoratae ephemerides, mense octobris 1878, epistolam retulerunt ad congratulationem pertinentem, et subscriptam a suppositis archiepiscopo iansenista ultraiectensi Ioanne Heijkamp, et episcopis Gaspare Ainkel Harlemensi et Cornelio Diependat Daventerien. Qui licet videantur Romani Pontificis Primatum admittere, tamen eius Infallibilitatis et Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis dogmata respuunt; ultraiectensem iansenianam ecclesiam a Romana Sede defecisse negant, et Deum hoc beneficium rogant, ut tandem aliquando huic ecclesiae pax redeat, et veritas ac iustitia triumpho donentur [1]. Perbelle quadrat ad istos iansenianos adagium: *Vulpes pilum mutat, non mores*!

[1] Videsis *La Scienza e la Fede*, vol. CXII, p. 173.

95. *Ecclesiae Orientalis status*— Ex his, quae antea retulimus de ecclesiae orientalis statu [1], facile ostenditur, eius vexationes ortum habere ex amore Constantinopoleos, posthabita Roma. At vero dum illa Ecclesia regimen Pontificis vitare studet, incidit in imperium turcarum, eo saevius, quo immanius, et tandem ab unitate fidei abscissa veteri gloriae valedicere cogitur. Sed Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum mater et magistra, nullum non movet lapidem, ut tot tantaeque ecclesiae ad pristinam gloriam instaurarentur, et Leo XIII suorum Antecessorum exempla sequutus et factis et scriptis ostendit, illius magnitudo numquam posse reflorescere, nisi cum S. Sede coniungatur. Testantur propositum nostrum sequentia facta.

De neo-schismate inter Armenos— Armenos iam alibi memoravimus [2]: hic de catholicis tantum agemus. Horum sedes princeps armenae provinciae Costantinopolitanae constituta est an. 1830. Ante hoc tempus haec provincia in re spirituali a Latinae Ecclesiae Vicario Apostolico Constantinopoli sedente pendebat; in re civili schismaticorum Patriarchae subiici cogebatur: Ottomannicum enim imperium nullum alium civilem magistratum pro Armenis admittebat. Quae subiectio iuges et feras persecutiones in catholicos progenuit: quarum gravissima an. 1827 excitata usque ad ann. 1829 saeviit; quo anno Armeni catholici maxime vexati sunt ac bonis exuti in exilium pulsi atque dispersi.

Providis tandem Leonis XII et Pii VIII curis, ac officiosis, eorumdem Pontificum rogatu, negotiis a Francisco I, Austriae imperatore, et a Carolo X, rege Galliae, susceptis, *sultanus* Mahmoud II, cognita illorum catholicorum innocentia, eos ab exilio revocans ex schismatici patriarchae potestate eripuit, donavitque cultus libertate [3]. Tunc Pius VIII constitutione *Quod iamdiu* 6 iul. 1830 in provincia Armena Cpna sedem Archiepiscopalem et Primatialem instituit. Verumtamen Sanctitas Sua expresse reservaverat sibi et successoribus suis in posterum sancire, quae in constituta ecclesiastica provincia pro temporum, locorum

[1] Vid. pp. 66, 137, 207, 268-270, 336.
[2] Videsis pp. 31, 38, 66 sq, 207-208.
[3] Cf *Bullar.* t. V, p. 53.

personarumque rationibus magis expedire dignosceretur [1].

Re autem catholica per memoratae sedis Primatialis institutionem sic opportune constituta, Pius Pp. IX potuit per aliquot annos Episcopales quoque sedes erigere, etiam in Perside [2], quarum Antistites Cpno Armenorum Archiepiscopo Primati suffragarentur.

Etsi vero tam feliciter Armenis Cpnae provinciae consultum fuisset, iisdem tamen satius esse videbatur, Primatialem Constantinopoleos et Patriarchalem Ciliciae sedes in unum coniungi, quam unionem a Gregorio Pp. XVI praefati Armeni non semel efflagitaverant. Post obitum Gregorii Petri VIII, postremi Ciliciae Patriarchae, Episcopi eiusdem Patriarchatus synodaliter convenientes ad successoris electionem peragendam, in eamdem sententiam devenere, atque huic fini assequendo mense septembri 1866 Antonium Hassun hactenus Archiepiscopum Primatem Armenorum Cp. in Patriarcham Ciliciae elegerunt seu postulavere, Pium IX humillime obsecrantes, ut nedum hanc electionem confirmare, verum et memoratam coniunctionem earumdem Armeniarum sedium indulgere dignaretur. Re itaque per Cardinales Congregationis christianae fidei propagandae, pro Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae, accurato examine perpensa, Pontifex Armenorum votis annuendum esse censuit. Quapropter Const. *Reversurus* IV° idus iulii 1867 Pius Pp. IX extinxit et abolevit titulum Primatialem atque Archiepiscopalem, quo Pius VIII Armeniam Cp. Ecclesiam decoraverat et Patriarchatui Ciliciae perpetuo univit.

Praeter Patriarcham, civile quoque caput Armeni obtinuerunt, *Patrick* appellatum; quod civiles cum Gubernio rationes tractabat, ac tale officium saepe viro ecclesiastico deferebatur. Civilis vero capitis pro armena natione electio a Pii VIII tempore coepit: quum schismatici Othomanicum gubernium induxerunt, ut Praelato obstaret, qui titulo et gradu Archiep. Primatis pro catholicis armenis se ad Cp. sedem, ab illo Pontifice erectam, regendam conferebat. Quare catholici ita egerunt, ut Gubernium simplicem presbyterum pro *Patrick* exceperit. Itaque in armenis catholicis civilis potestas a suprema potestate spirituali seiuncta extitit.

Sed nimis graves abusus in ecclesiasticam disciplinam et in rem moralem irrepserant; quibus mores nonnullorum cleri Orientalis tum secularis tum regularis laborabant; ita ut quoties Episcopi adhibendi aliquod remedium salutaremque morum instaurationem inducendi consilium iniverunt, tam magna obstacula hic offenderint, ut dissidia et discordiae deplorandae orirentur, ac pars magis indocilis a legitimorum Pastorum obedientia se subtraheret. Bullam quoque *Reversurus* iam laudatam Summus Pontifex tunc emanavit, ut sancirentur quaedam disciplinares emendationes, non solum humiliter sed cum plausu a Patriarcha et a multis Episcopis, qui tunc Romae aderant, exceptae; quin imo synodum patriarchalem, Apostolicis litteris, quarum initium est *Commissum*, editis eadem die 12 iulii 1867, quamprimum celebrari iussit Pontifex, cura et sollicitudine adlaborandi, ut in universo Armenio Patriarchatu accuratus religiosae disciplinae ordo recte constitueretur. Ut Pontificis mandata exequeretur, Armeno-catholicus Episcopatus, praeside Antistite Hassun legitimo Patriarcha, ad synodum Constantinopoli congressus est die 26 iulii an. 1869; ubi Episcopi illi leges a supremo Hierarcha iam statutas exequentes, legum disciplinarium, quae ad praestantiorem illius Ecclesiae statum facere videbantur, observantiam insinuarunt. Sed Bullae *Reversurus* promulgatio haud minimae cleri armeni catholici partis querelas excitavit, qui plus minusve gravia rebellionis indicia ostendit. Quoniam vero spiritualis cuiusque diversorum rituum orientalis christianae Ecclesiae praefectus quorumdam civilium iurium usu in singularum Ecclesiarum christianos fruitur, octoginta Armeno-unitorum familiae se ecclesiasticorum legitimis Praesulibus rebellium manipulo adiunxerunt, ut se etiam a civili Patriarchae potestate et subiectione subducerent. Initio igitur mensis februarii anni 1870 schisma hoc absolutum est, seque palam prodidit. Die vero 6 februarii eiusdem anni, Dihran-Bey-Duz duce, ad mille hominum, quos inter multi secretis sectis adscripti, nec non quidam Religiosi Perae conciliabulum habuerunt, ac professionem subsignarunt, qua Romanum Pontificem visibile Ecclesiae caput et universalem Pastorem fatentes, eidem tamen in re disciplinari iurisdictionem negabant, Bullam *Re-*

---

[1] *Bullar. Prop. Fid.* loc. cit.

[2] Legere iuvat SSmi Pii Pp. IX Litteras Apostolicas, datas dieb. 30 april. 1850 *Universi*, 2 febr. 1854 *Unusquisque*, et 9 maii 1865 *Assidua*.

versurus reiicientes; Patriarchae vero auctoritatem iurisdictionemque omnino et absolute repudiantes, ei in suam nationalem Ecclesiam principatum abnuebant. Secessione a Patriarcha et ab omnibus, qui eidem subiiciuntur, aperte declarata, suam aedium sacrarum, bonorum, praediorum, nationisque redituum partem rebelles vindicarunt, eo consilio, ut seiunctam communitatem constituerent, si Romana Sedes eorum petitiones respueret.

Ex quo die praedictam declarationem ad Pontificem miserunt, rebellionis coriphaei animi ardorem rabiemque sectariorum propriam ostenderunt. Ingentis pecuniae summa potiti, in provinciis, in ipsa Asia Minore, ubicumque armenae communitates erant, rebellionem largitionibus foverunt, civium animos contra Sedem Romanam et pro motu, ut appellabant, nationali excitando. Occasione capta, quod Episcopi ad Vaticanum Concilium se contulerant, neoschismatici secundo a concione Perae habita die, Halì turcici praefecti (*Basciá*) assensu, divina officia celebrabant, Summi Pontificis excommunicationem nihili facientes, *Armenos-catholicos-orientales* se nuncuparunt, nec ulli Ecclesiae se adiunxerunt; sed Gubernium templum S. Ioan. Chrysostomi ipsis interim Constantinopoli concessit. Dum sacrae liturgiae ipsi vacabant, patriarchalis Vicarius suspensionem et maiorem excommunicationem in septem sacerdotes ibi sacris fungentes inflictam Ecclesiae foribus affigere curavit. Interea Cardinalis S. C. a Christiano nomine propagando Praefectus et Antistes Hassun, Patriarcha armenus Ciliciae, binis litteris (*notis*) dissidentium appellationes a Pontifice reiectas esse Constantinopoli significabant. Antistes vero Pluym, ad Archiepiscopatum a S. Sede Thyanae *i. p. i.* deinde promotus, Costantinopolim proficiscebatur, opportunis consiliis instructus, ut Patriarchae auctoritatem tueretur. Pius IX Brevi *Non sine gravissimo*, die 24 febr. 1870, ad praedictum Antistitem, suum Legatum, dissidentium querelas, violentias ac usurpationes exponens, Apostolico administratori imperabat, ne praetermitteret Armenos omnesque Orientales edocere, quantum discriminis disciplinam inter et ritum intercedat, cuius utriusque rei confusio illorum fidelium mentem perturbat, pluribus iniustisque quaerimoniis occasionem praebere non cessat, eaque maxime abutuntur ad conflandam contra Apostolicam Sedem invidiam ii omnes, qui salutarem eiusdem Sedis actionem et vim in Orientales Ecclesias impedire aut imminuere minime verentur. Equidem RR. Pontifices saepius Orientales ritus servandos esse declararunt, quoties fidei et unitatis catholicae non *derogarent honestati*. Sed dolendum est beneficae Pontificii legatis operae moras et obstacula ibi opposita fuisse, unde minus timendum esset. Antoniani quoque monachi illarum transgressionum participes evaserunt. Quare, ut quaestionibus etiam, quibus Patriarcham Armenum continuo ipsi molestia afficiebant, finis imponeretur, Apostolica Visitatio monastico illi Ordini imposita est, qua in eiusdem regulas speciales innovationes inducerentur. Ad id perficiendum electus est idem Antistes Pluym, Brevi Apostolico *Religiosas regularium Ordinum familias*, ac Antistes Placidum Kasangian, qui arbitrarie a monachis Abbas perpetuus nominatus, et eiusmodi officium ex indulgentia SSmi et ad nutum S. Sedis retinens, Romae Concilio Vaticano aderat, iussus est Abbatis generalis munere confestim defungi. Sed huic Apostolicae Visitationis providentiae monachi Antoniani armeni et Constantinopolis et Romae formaliter obstiterunt [1]. Pontifex, admirabili longanimitate utens, dum Kasangiano ac P. Hanemiano Abbati locali praecepto mandabat, ut in aliquam Romae religiosam domum secedentes, suis animabus consulerent, altero Brevi Antistitem Valentiani, Fabrianen. et Mathelicen. Episcopum, Convisitatorem creavit, ut omnes persuasionis rationes adhiberet, quibus Antonianos Romae ad obediendum flecteret. Frustra; quin Kasangian, Abbás, et monachi Romae morantes Constantinopolim ad dissidentium numerum augendum clam petierunt.

Dum haec Romae agebantur, Antistes Pluym Legatus Apostolicus Constantinopolim appulsus, die 14 martii an. 1870 scripto evulgavit suae missionis finem hunc esse,

[1] Propter persecutiones, quas Armeni catholici experiebantur, praesertim ineunte saeculo XVII, Abrahamus Atar Poresigh cum duobus fratribus et sacerdote Iacobo Hosepian patruele, qui postea fuit Petrus II, Patriarcha Ciliciae, se recepit in montem Libanum, ubi, accitis aliquibus sociis, monasterium Salvatori dicatum exstruxit, ut vetus monastica disciplina ad mentem sancti Antonii Eremitae restitueretur. Benedicto XIV Pontifice, aliqui monachi illius cenobii Romam petierunt, ut disciplinas Missionum ediscerent, et anno 1761 monasterium ibi pariter condiderunt s. Gregorio Illuminatori dicatum, quod Clemens XIII adprobavit, et Gregorius XVI ratum habuit in ipso novitiatum et Collegium, quinimo concessit eorum Procuratori generali officium honoris in *Pontificia Capella*.

ut fideles in fide et unitate cum Ecclesia Romana confirmaret. Ipse quoque accivit ad se praecipuos perturbationum auctores, eosque ad debita obsequia reducere conatus est. Frustra hanc industriam expertus, publice proposuit Litteras Apostolicas, quibus peculiaria novorum eventuum adiuncta exponens Pontifex, confirmavit Constitutionem *Reversurus*. Ea vero occasione Delegatus Apostolicus comminatus fuit ecclesiasticas censuras iis e clero, qui legitimae auctoritati intra statos dies se subiicere renuerent. At quum eos dies incassum dilabi vidisset, prorogandum adhuc censuit praestitum terminum nec antea reluctantes suspensione innodavit, quam cognovisset inutilem iam omnem esse patientiam, et praevertendum esse per hanc severitatem periculum ulterioris deceptionis simplicium. Qui tamen ita multati fuerant, non modo nihil de contumacia sua remiserunt, sed poenam ipsam convertentes in atrocius facinus, palam et etiam solemniori ritu omnia sacri ministerii munia sibi vetita obire perrexerunt. Pius Pp. IX Litteris apostolicis *Non sine gravissimo*, die 24 febr. 1870, et *Quo impensiore* die 20 mai 1870, ea omnia commemorans bonos laudabat, minis deterrebat rebelles.

Post hanc excommunicationem nullus iam supererat tergiversandi locus, et novis hisce schismaticis alterutrum incumbebat, ut vel ad bonam frugem reverterentur, vel ementitum nomen catholicorum omnino deponerent. Verum freti auxilio gubernii Othomanici, quod palam eos protegebat, conciliabulum indicere ausi sunt, in quo de novo patriarcha constituendo egerunt tum laici tum monachi sacerdotes schismaticae factionis, atque adeo quatuor Episcopi, videlicet Iacobus Bahtiarian Amidensis, (*Diarbekir*) Basilius Gasparian Cyprensis, nec non Ignatius Kalybgian Amaseae, et Placidus Kasangian Antiochen. Ecclesiarum titulis consecrati sunt. Deinde quod sibi proposuerant, opere compleverunt, electo in pseudo-patriarcham dicto Iacobo Bahtiarian Archiepiscopo Episcopo Amidensi, cui Iacobi Petri IX nomen inditum fuit, et abnegato legitimo Ciliciae Patriarcha. Pius Pp. IX, Brevi *Ubi prima* die 11 martii 1871, hoc factum magno animi dolore commemorans, declaravit illegitimum, schismaticum et omnino irritum tum praedictum conciliabulum factiosorum, tum electionem in eo attentatam Iacobi Bahtiarian in patriarcham[1].

[1] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. LXXXI, p. 47 sqq.

Nihilominus haud longo post temporis intervallo Aali *Bascià* (othomanicus praefectus) se Neapoleonidis odiis ludificatum inservire intellexit, agitationemque ac divisionem in Armeniae nationis sinu excitatas non solum Othomanico gubernio non esse profuturas, sed et illius robur fracturas et in imperio funesta civilium discordiarum gemina esse disseminaturas. Napoleonis excidium spem adduxit omnibus, Galliam ipsius vestigia politica haud esse pressuram; qua de re D. Franchi, iam Nuntius Pontificis apud aulam Matriti, Constantinopolim petiit ad rem directe pertractandam cum his qui Othomanici imperii res moderantur (*Sublime Porta*). Negotiis actis per aliquot menses, Gubernium illud sibi persuasit Bullam *Reversurus*, de qua tam acriter decertatum est, neque innovationem esse, neque violationem privilegiorum supremi Othomanici imperii Principis. At magni-*Visir* obitus, et politica anticatholica Galliae apud Orientales populos, restinxit bonas turcici gubernii propensiones. Tandem Pontificis Orator ita obstacula vicit, ut Turcarum Imperium ex officio recognoverit D. Hassun uti Armenorum Patriarcham, nec non Armenos Catholicos; atque se eorum ecclesias, aliaque loca usque tenus a dissidentibus usurpata restituturum spoponderit.

Verum mense martio 1872 magnus-*Visir* quosdam ex dissidentibus et ex proceribus inter Armenos catholicos ad se accivit, eisque significavit Imperatorem optare ut ex composito Patriarcham eligerent, qui relationem cum gubernio haberet, quod in id recideret, ut ad electionem sui *capitis civilis* devenirent. Armeni Catholici prudenter obsecundarunt, et D. Petrum Tilkiam Episcopum Prusen. elegerunt; e contrario haud plures quam biscentum dissidentes elegerunt presbyterum Kupelian, qui ad schismatis castra se receperat, et sacrliege ordinatus fuerat episcopus schismaticus mense aprilis 1871. Hinc gubernium Othomanicum maioris numeri propositionem reiiciens, decretum tulit (*berat*) investiturae in Patriarcham Armenorum favore D. Kupelian, qui initio suorum gestorum declaravit se postuma acta pontificia et praesertim Bullam *Reversurus* respuere. Et quasi haud satis esset, vi, praepotentia, politicis artibus ad schisma propagandum, rebelles versutia et calliditate sibi asseclas consociare tentarunt, malignantes in acta S. Sedis, et calumnias evomentes in praepositos ecclesiasticos. His

actis, Romanus Pontifex animo reputavit sensum Bullae *Reversurus* adaperire, ad omnem praeiudicatam opinionem repellendam; ideo per Encyclicam diei 6 ianuarii 1873 [1] palam fecit eatenus in Bullam animos concitari, ut schisma aleretur ex popularibus cupiditatibus et superbia principum succensis; R. Pontificem numquam dominationis arripiendae studio se gerere, numquam legitimas potestates aut populos flocci faciturum, quinimo se et illas et hos tutari atque firmare. Hoc grave documentum peropportune Constantinopolim et quocumque Armeni catholici reperiebantur pervenit, et maximam vim in animos fecit. Encyclica vero ubi per Episcopos in ecclesiis lecta fuit, sortita est effectum ut Pastores una cum fidelibus quamplurimis epistolis Summo Pontifici multas gratias egerint, qui usque ad lacrymas commotus, grati animi sui sensus Armenis pandit per Breve diei 4 iulii 1873.

Interea temporis novus gubernator Montis Libani Rousten-*Bascià* omnium religiosorum, qui expulsi fuerant a Broamar et in carcerem detrusi, utpote S. Sedi addicti, bona publica et ius in ea excommunicato Gasparian concessit, qui contendebat se uti religiosorum caput et Episcopum catholicum totius Syriae obsequium assequi debere. Supremum ministerium Othomanicum ad collationem die 11 iulii 1873 plures armenos catholicos appellabat, nec non multos ex neo-schismaticis, et conventionem proponebat. Sed D. Azarian, Vicarius Patriarchalis Constantinopoleos, tam bene pro iustitiae causa coram illo conventu sermonem fecit, ut iura R. Pontificis inibi luculenter vindicata fuere. In historia Imperii turcarum hoc primum reperitur exemplar defensionis tam solemnis pro causa catholica et praesertim primatus S. Sedis, quae sit inita et peracta coram imperatore, praesente quoque praeside mahometanae religionis (*Schenghulistan*).

At quamvis tanta vi pro veritate decertatum fuerit, misera illorum catholicorum conditio gravior evasit, et instante pseudopatriarcha Kupelian, alii episcopi catholici remoti fuerunt et per *berat* imperiale ad tale munus presbyteri schismatici evecti sunt. Hac igitur colluctatione perdurante et persecutione in catholicos iugiter ingravescente, eo res perducta est ut, pulsis catholicis ab omnibus ecclesiis quarum pauci schismatici potiti sunt, earumque bonis publicatis, vel ipsi catholici adacti sunt aut suos filios educandos dissidentibus tradere, aut in exilio mortem oppetere.

Imperiale decretum (*iradè*) Constantinopoli datum die 24 februarii 1874 in medium proferebat quaestiones secundarias quae dirimi poterant, sed, benevolente quoque Turcarum imperatore, licet specie tantum, novus magnus-*Visir* suis notificationibus et edictis, Armenos catholicos vel nomine *religionis* et *nationalitatis* eis hactenus tributo, omnino expoliavit, iterum exilio mulctando D. Hassun quem aliquando Othomanicum gubernium recognoverat Patriarcham, et insuper Bullam *Reversurus* respuendo. Adiecit quoque *Statutum* pro Armenorum communitate, repugnans principiis et canonibus Ecclesiae catholicae, quod Armeni catholici merito reiecerunt.

Hac tam morosa ratione, qua Imperium turcarum se gerebat, S. Sedes compulsa ad Imperatorem *Memorandum* misit, solemniter reprobando actus iniuste patratos, atque aperiendo principia Ecclesiae catholicae circa propositiones de regimine Armenis pro lubitu datas.

Interim Pius IX tot aerumnis vexatus minime Armenos vi coactos oblitus est; unde verba ad eos fecit pro animis et firmandis et relevandis, Brevibus datis diebus 6 iulii, 19 augusti et 17 septembris 1874. Mense septembri 1875 spes oriri videbatur de componenda ecclesia Armeno-catholica apud Turcas. Revera turcarum imperium damna expertum in re politica quam sequebatur a Russia, desistere coepit a persecutione quam ope dissidentium aggressum fuerat, ita ut D. Patriarcha Hassun in divinam Providentiam et Summi Pontificis benedictiones confisus, praeter omnium spem, Constantinopolim venit, et die 6 ianuarii 1877 libere potuit Perae in ecclesia cathedrali Missam celebrare et Homiliam ad suos fideles catholicos habere. Deinde Episcoporum patriarchatus Synodum Constantinopoli coëgit a mense iunii 1877 ad mensem novembris 1878, qua episcopi quinque ab ipso consecrati nominati sunt, et in proprias dioeceses missi, quin *berat* ab imperiali gubernio Othomanico obtinere necesse fuerit.

Animus catholicorum firmus et constans fuit causa conversionis multorum neo-schismaticorum, qui posthabitis sectis in sinum catholicae Ecclesiae reversi sunt. Sed schi-

[1] Cf *La Scienza e la Fede*, vol. LXXXVIII, p. 225, 308, 422 sqq.

sma pene deletum fuit conversione pseudo-patriarchae Kupelian, qui divina gratia permotus sedem Armenorum Catholicorum in manus gubernii Othomanici resignavit, et postea Romam profectus Pontifici Leoni XIII se subiecit, a quo die 18 aprilis 1878 ad pedum osculum admissus, episcopalia insignia singulari privilegio accepit. Quapropter Armeni catholici gubernio othomanico vehementer gratulati sunt, et D. Hassun ab eo *berat* consecutus, praesul Ecclesiae catholicae Armenae renuntiatus est.

Leo XIII in allocutione habita in Consistorio diei 12 maii 1879, Cardinalibus patefaciebat persecutiones ab Armenis invicte toleratas per novem annos, et conversionem Kupeliani laeto animo recolens inquiebat: « Gratulandum Nobis est, quod diuturno certamine consopito, catholicus Armenorum coetus eiusque Patriarcha legitimus, pacem nacti cum dignitate, in possessionem iurium suorum ab Imperiali gubernio Othomanico fuerint restituti. Qua de re meritas eidem Gubernio laudes conferimus, quod, agnitis semel adversariorum calumniis, ea libenter catholicis tribuerit, quae ipsorum ius et aequi Imperantis officium flagitabant ».

Itaque ineunte anno 1881 Patriarcha Hassun omnibus finem schismatis enunciavit, et ipsi monachi conventus Beitsabaei suum errorem in manus Delegati Apostolici eiurarunt. Quod factum magna laetitia Leonem XIII affecerat, qui in Consistorio habito die 13 decembris 1880, ut benevolentem animum publica eademque praeclara significatione Orientalibus gentibus testaretur, Antonium Hassun Cardinalem S. Romanae Ecclesiae creavit et eius virtutem, constantiam et studium mirifice commendavit. Deinde idem Pontifex, die 4 augusti 1881, confirmabat et promovebat ad Patriarchatum Ciliciae Armenorum Stephanum Azarian, qui nomen assumpsit Stephani Petri X.

Ast Leo XIII virtutem et mentem suorum Praedecessorum emulatus, non facit hic beneficiorum suorum erga Orientales finem. Iam sacerdotes e Societate Iesu et Fratres Doctrinae Christianae illic misit ad erudiendos spiritu fidei et pietatis pueros, et in Urbe, ut domicilium, quo indigeni edocerentur, praesto esset, Litteris Apostolicis: *Benigna hominum*, datis die 1 martii 1882, Collegium Clericorum Armenorum instituit, cui innumera privilegia et beneficia ad prosperandum contulit.

Neo-schisma Chaldaeum — Tanta fuit animarum clades a Nestoriana haeresi in istas regiones invecta, ut dominicam vineam istic olim florentem [1] exterminaverit sicut aper de sylva, atque uti singularis ferus depastus sit eam. Siquidem paulatim evanuit accurata canonum disciplina, periit sacrorum Antistitum virtutem, et hominum Deum non timentium ambitio in ecclesiasticas dignitates insiliit, haereditariae patriarcharum successionis opprobrium invectum fuit, et catholica doctrina, nedum antiquis iam ferme obsoletis, sed etiam novis erroribus adeo infecta est, ut ipsum etiam Christianum nomen iam iam ferme delendum videretur. Horum malorum assiduam curam Romani Pontifices gerere non praetermiserunt, vix dum licuit Apostolicos viros in Orientem mittere, quorum laboribus et curis nonnulli identidem Nestoriani Praesules, haeresi eiurata, ad catholicam fidem et unitatem reversi sunt. Quo autem studio, quantaque charitate iidem excepti fuerint, sive qui litteras ad Romanos Pontifices dederunt, sive qui posthabitis longae peregrinationis molestiis et laboribus, ad Urbem venere, manifeste apparet ex Apostolicae Sedis actis, eiusque litteris, quas in archivis Episcoporum Chaldaeorum adhuc perlegere fas est.

Exoptata tandem illuxit dies, qua pluribus difficultatibus e medio sublatis, et praesertim haereditariae patriarcharum successionis impedimento amoto, sperare licuit, ut restituto atque composito ordine ecclesiasticae disciplinae, quae fidei repagulum est et custodia, reviviscere ac reflorere posset Chaldaici ritus Ecclesia. Id Pius Pp. IX sperabat futurum opera Iosephi Audu episcopi Amidensi, quem hac spe permotus Vicarium Apostolicum patriarchatus Chaldaeorum constituit, post abdicationem Isaiae Iacobi, illius patriarchalis sedis praesulis; et valde gavisus est Pontifex cum eumdem virum suffragiis Episcoporum ad patriarchalem dignitatem electum accepit. Hanc proinde electionem seu postulationem in Consistorio 11 sept. 1848 libentissime con-

---

[1] Patriarchatus Chaldaeorum, qui iurisdictione extenditur in omnes fideles ab haeresi nestoriana conversos, commorantes in Mesopotamia, Assyria, Perside, Indiis et Chaldaea, licet praeiudicatis Nestorianorum opinionibus abundaret, nunquam tamen penitus dimisit venerari Summi Pontificis auctoritatem, quam christiani illarum regionum a primis Ecclesiae saeculis venerati sunt. Pius Pp. VIII Patriarcham Chaldaeorum instituit Ioannem Hormes episcopum Mausilien. appellans eum Patriarcham Babylonensem, sublato, e medio titulo Amidensi.

firmavit, et electum patriarcham Babylonensem Chaldaeorum auctoritate Apostolica instituit, imo a multis statim adversatum strenue defendit. Praeconceptam spem confirmarunt obsequentissimae eius litterae, quibus egregios sensus suae devotae voluntatis et animi S. Sedi devincti significavit.

Verum haud multo post et semel et iterum ipse Patriarcha scripsit ad Congregationem de Propaganda Fide, delatas ad se fuisse Malabariensium litteras [1], opera et studio haeretici cuiusdam Syro-Iacobitarum Episcopi ibidem commorantis, in quibus iidem Malabarienses, multis querimoniis et accusationibus congestis contra Latinos Missionarios et Episcopos, eorum curam nomine Pontificis gerentes, postulabant sibi dari a Patriarcha Episcopum sui ritus. Etsi exploratum esset, ipsum Patriarcham nulla pollere iurisdictione in Malabarienses, horum tamen querimoniae expendendae erant diligenter, ut spiritualibus gentis illius necessitatibus eo efficacius et alacrius occurreretur, quo maiorem eorum sollicitudinem Apostolica Sedes habere debet, quos per suos Vicarios regit et gubernat. Quapropter accuratissima veri investigatio instituta est, ut quid demum in Malabariensium utilitatem decernendum esset, tuto constitueretur. Verum cum definitivum responsum differretur, innotuit, quod postea comprobatum est autographis Patriarchae litteris datis die 21 decembr. 1856 ad quemdam Malabariensem presbyterum Emmanuelem nomine, ab ipso Patriarcha Malabariensium desideria excitari, spem foveri, modum quoque insinuari, quo demum voti compotes Malabarienses fierent, eosque moneri, ut querimoniis contra Missionarios crebrisque ac repetitis postulationibus Apostolicam sedem fatigarent. Interea Pius Pp. IX rem componere cupiens, Pro-Delegatum Pontificium in Mesopotamiam mandandum curavit, ut Patriarcham a coeptis removeret, hic autem monitus est ne quid in Malabariam auderet. At ipse dicto audiens non fuit, et Malabariensem regionem multo iure suam iam esse contendens, frustra obnitente et prohibente etiam sub interminatione censurarum Amanton Episcopo, dum viveret, Arcadiopolitano, Pontificioque in Mesopotamia Delegato, Thomam Rokos e suis familiaribus elegit, et episcopali charactere auctum in Malabariam misit. Qui illuc profectus et falso asserens se iussu Pontificis ab eodem Patriarcha missum fuisse, ecclesiasticam iurisdictionem usurpavit, multos licet minus dignos ad Ordines promovit, et Malabariensem illam Ecclesiam sus deque vertere non dubitavit. Hisce ausibus Pius Pp. IX permotus, et querelis sacerdotum Malabariensium excitatus, Bernardino Archiepiscopo Pharsaliensi, qui tunc temporis illi Ecclesiae vicaria potestate praeerat, mandavit, praedictum Episcopum canonice monere, ut illinc abiret, renuentem vero solemniter excommunicare; quod et factum est. Pius Pp. IX interim accitum Romam Patriarcham coram graviter reprehendit de admisso facinore, eique praecepit, ut quem in Malabariam temere intruserat Episcopum Rokos, ipsemet illico revocaret. Obedienti Patriarchae expetitam ab eo veniam et absolutionem a censuris benigne concessit.

Tum vero Pontifex rem omnem et cuncta quae gesta fuerant, expendi iussit a Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis ritus Orientalis, in conventu habito die 6 martii 1865; in quo omnibus rite ac mature perpensis, concordibus suffragiis ab ipso Pio probandibus definitum est, non expedire ut Patriarchae Babylonensis Chaldaeorum iurisdictio in Malabariam extenderetur, et multa simul constituta sunt, cum ad Malabariensium incolumitatem procurandam, tum ad per-

---

[1] Est in Indiis orientalibus natio malabarica. Haec ubi primum Chaldaea ad haeresim nestorianam versa est, saeculo quinto, perditionis iter arripuit, nefarie in id conspirantibus quibusdam a Praelatis schismaticis, qui antiquam Seleuciae sedem tenuere, illuc missis. Haud brevi temporis spatio regio Malabarica fidei piaculum fecit, quam rem infestam inibi quoque gesserunt Iacobitae. At Clemente VIII gubernacula Ecclesiae regente, Malabaria fidem catholicam una cum Chaldaeis iterum recepit, et concilio Dramperi habito anno 1599, omnes sacerdotes, clerici et procuratores populi Malabariae spoponderunt et iureiurando firmarunt obedientiam R. Pontifici, eique omnino se commiserunt, proclamantes se nullum alium Pastorem habituros nisi eum quem R. Pontifex eis praefecisset. Promissis steterunt, non obstantibus quovis tempore hostium fidei machinationibus; et anno 1861 Chaldaeorum patriarcha Audu ad eos misit Thom. Rokos. Apud Malabarienses praeter christianos ritu latinos, sunt quoque fere 200,000 christianorum chaldaeo-syriaci et 100,000 syro-nestorianorum aut iacobitarum cum pluribus episcopis schismaticis. Catholici per Vicarios apostolicos Carmelitas reguntur, qui, quamvis latini, habent tamen seminaria pro presbyteris syriaci ritus. Etiam PP. e Societate Iesu inibi adlaborant, quorum ope praesertim factum est, ut in Synodo Dramperitana ea quae supra narrantur, fuerint constituta.

turbationem animorum sedandam, quae inter Chaldaeos excitata erat ob ea, quae a Patriarcha temere facta fuerant. Hisce Apostolicis mandatis licet dolenter Patriarcha acquievit, aut saltem acquiescere visus est; quam opinionem confirmarunt posteriora eius gesta. Etsi enim aliquid minus recte ab eo postmodum factum omnes dolerent, ipse tamen Pontifici morigerum, uti par erat, se praebuit, et Pontificiam auctoritatem pro suo debito reveritus, praeclarum etiam obedientiae specimen exhibuit, tum evulgato, uti iussus fuerat, decreto, quo censuras ab eo temere latas abrogavit, tum denegata consecratione episcopali cuidam Malabariensi, quam nonnulli in ea regione novarum rerum molitores ab eo efflagitabant.

Quum ita se res haberent, Apostolica Sedes, quod iamdudum in votis habebat, chaldaicae Ecclesiae prospiciendum duxit, ut ecclesiasticam disciplinam, quae incerta prorsus, collapsa, et etiam propter temporum asperitatem ferme obliterata erat, instauraret, salvis tamen eius ritibus, qui a SS. Patribus instituti et ab Apostolica Sede approbati dignoscerentur. Hoc Pii propositum, per Congregationem de Propaganda Fide, Patriarchae de mandato Pontificis significatum est die 3 septembris 1868, atque una simul ad eum missum est exemplum Constitutionis editae IV° idus iulii 1867, qua nonnulla disciplinae capita, praesertim de episcoporum electione, in Armenio patriarchatu servanda sancita fuerant. Quae ubi Patriarcha accepit, primo quidem per Episcopum Eliam Mellus, qui Romae tunc aderat, dein per suas litteras [1] ad praefatam Congregationem semel et iterum datas, significatum Pontifici voluit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione servandas a voluntate Pii minime dissentire, quas omni studio et obedientia excipiendas profitebatur; atque ex promissa episcopalium electionum ordinatione bene sperare, si utilis Pontifici et opportuna videretur; velle autem ut quod gaudio et laetitiae Pio fuerat, semper custodiretur. Inter haec vero, cum viduari contigisset pastoribus suis chaldaici ritus ecclesias Amidensem et Mardensem, aliquot sacerdotum nomina Pontifici proposuit, ut quos digniores et magis idoneos in Domino iudicaret, eos iisdem dioecesibus Pontificia auctoritate praeficeret; quod Apostolicis litteris datis 22 mart. 1869 factum est. Quibus devotionis et obedientiae significationibus adeo Pius Pp. IX permotus fuit, ut cum Patriarcha humiliter exposuisset, malle se ut quem Amidensi praefecerat Pontifex Ecclesiae, hunc Mardensi daret episcopum, et vicissim, eius petitioni annuendum omnino duxerit.

Post haec non diutius differendam Romanus Pontifex censuit ordinationem disciplinae in patriarchatu Chaldaici ritus, in qua ab Episcoporum electione rite peragenda initium ducendum omnino erat. Hunc in finem eoque consilio edita a Pontifice est prid. calend. sept. 1869 Apostolica constitutio, cuius initium *Cum ecclesiastica disciplina*, in qua circa electionem Episcoporum id ferme servandum constituebatur, quod ipse Patriarcha, uti supra diximus, libenter egerat pro dioecesibus Amidensi et Mardensi; videlicet ut quum aliquam Sedem episcopalem vacare contingeret, tres Pontifici spectati viri ab Episcoporum synodo proponerentur, ut quem digniorem et magis idoneum iudicaret Pontifex, eum vacanti dioecesi praeficeret; irritum autem et inane fore decernebatur, si quid contra praemissa contingeret attentari.

Indictum iam tum fuerat Concilium Vaticanum, atque ad illud convocati cuiusque gentis et ritus Episcopi. Adfuit et inter eos idem Patriarcha Chaldaeorum cum omnibus ferme sui ritus Episcopis, qui tamen brevi valde mutatus erat ab illo. Nam diu renuit consecrare episcopos praedictarum Ecclesiarum Amidensis et Mardensis sacerdotes Petrum Attar, et Gabrielem Farso, quos inter ceteros ab eo propositos elegerat Pius Pp., assignata unicuique, quam ille maluerat, Ecclesia. Deinde cum Urbe esset discessurus, postulari ab eo Pontifex iussit declarationem adhaesionis animique sui submissionis Constitutioni *de Ecclesia Christi* editae in IV sessione oecumenici concilii Vaticani, cui sessioni Patriarcha non adfuerat, quin et Pius ad hoc debitum officium praestandum illum hortatus atque obtestatus fuit, exemplo proposito aliorum Episcoporum, qui eam declarationem, cum quartae sessioni non interfuissent, edere non dubitarunt. Patriarcha autem primo moras nectere coepit ac tergiversari, tum pervicaciter asserere, id se utilius acturum, postquam in Sedem suam reversus esset, pollicendo simul se nihil omissurum quo Pontifici satisfaceret. Maximo dolori fuit Pio Pp. IX huiusmodi oppositio, quae in

[1] Litt. datt. dieb. 31 iul. 1868, et 24 mai 1869.

manifestam succrevit rebellionem, cum ille Constantinopolim advectus, neoschismaticorum Armeniorum blanditiis et fraudibus circumvectus ac exemplis incitatus, cum iis etiam aliquando in divinis communicare non dubitavit; et dum suam fidelitatem civilibus legibus solemni quodam actu profiteretur, non obscure insinuavit Apostolicas constitutiones iisdem adversari. Quo tempore illud etiam accessit, ut ipsi Legato Pontificio extraordinario tunc Constantinopoli commoranti debita etiam urbanitatis officia exhibere neglexerit, et litteris a Congregatione missis, quibus opportuna monita erant concredita, nullum omnino responsum dederit; ac propterea in Mesopotamiam reversus, novarum rerum molitoribus studuerit, et multa temere dixerit, quae non modo cum catholici Episcopi officio, sed etiam cum ipsa orthodoxa fide componi non poterant.

Ad haec gravissima etiam erat conditio ad quam, inimicitia et malis artibus quorumdam, qui se Patriarchae patrocinio suffultos dicebant, redactus erat Timotheus Archiepiscopus Amiden. Chaldaeorum; qui infensum in se eiusdem Patriarchae animum sentiens dolentissimas querimonias et preces et semel et iterum ad Pium dabat, ut eum permitteret ab episcopali officio cessare. Pius Pp. IX tantum concessit deditque facultatum Patriarchae nominandi vicarium in illa dioecesi, simulque petens adhaesionem et submissionem suam decretis quartae sessionis Concilii Vaticani Hisce monitis tandem aliquando memoratus Patriarcha acquievit, die 29 iul. 1872, suamque edidit adhaesionem scriptis consignatam, adiecta tamen declaratione, qua sibi omnia iura et privilegia patriarchalia reservata et conservata volebat. Pius Pp. IX die 16 novembr. 1872 Apostolicas litteras scripsit ad eumdem Patriarcham, in quibus doctrinam cum de Pontificio primatu, tum de iuribus patriarcharum tradidit, illumque adhortatus ad suum implendum officium, sic de Ecclesia Diarbekiriensi (*Amidensi*) aiebat: « Hac autem occasione tacere non possumus, Ven. Frater, de Diarbekiriensi tui patriarchatus Ecclesia, quam non ignoras multis abhinc annis contentionibus et aemulationibus vexari et dividi; et propterea multa passum fuisse, qui novissime illi praefuit, Episcopum Petrum Di-Natale. Quo defuncto, cum Te proponente eidem in Episcopum praefecerimus Ven. Fr. Petrum Timotheum Attar, contentiones praedictas non deferbuisse dolentissime accepimus; immo neoschismatico spiritu afflante eo processisse ut, quod adeo improbabat Apostolus in Corinthiis, alius se dicat esse Pauli, alius vero Cephae, atque ipse Ven. Fr. Timotheus et semel et iterum a Nobis enixe flagitaverit, ut ipsum tanta iactatum tempestate ab officio quod ei commisimus cessare permitteremus. Huiusmodi schismata et scandala e medio tollere necessarium omnino est. Quapropter te hortamur et in Domino Nostro Iesu Christo obsecramus, Ven. Frater, ut dissidiis istis componendis extinguendis operam omnino efficaciter et quamprimum adhibeas. Qua in re procuranda persuasum tibi esse volumus, consilium, operam atque auctoritatem nostram nullo pacto tibi defuturam ». In responso, quod hisce litteris dedit Patriarcha die 12 maii 1873, suam erga Petri cathedram obedientiam profitebatur, seque omnino curaturum promittebat, ut fideles sui patriarchatus ab erroribus novi Armenii schismatis immunes forent. Sed iterum facultatem petiit mittendi Episcopum sui ritus in Malabariam. Pius Pp. IX rem remisit Congregationi Orientalium Rituum, quae Malabariensium spirituali saluti satis per Pontificem esse consultum respondit. At die 24 maii 1874 Patriarcha duos sacerdotes sui ritus Eliam alterum, alterum Matthaeum nomine, ad episcopalem dignitatem sacrilege evehere non reformidavit, assistentibus Elia Mellus Episcopo Akrensi Chaldaeorum, et Eliseo abbate generali Monachorum S. Hormisdae; eorumque alterum Iazirensi, alterum Amadiensi Ecclesiis temere praefecit: tum spretis aliis Apostolicae Sedis litteris et decretis, Episcopum Eliam Mellus in Malabariam destinavit, quem a suscipiendo itinere dimovere non valuerunt neque interdictio, neque poena suspensionis a Pio Pp. IX indicta. Horum facinorum serie permotus Pontifex, iussit graviter admoneri Patriarcham per Card. Franchi Praefectum Congregationis de Propaganda Fide. A quo litterae datae sunt ad Patriarcham die 27 august. 1874, ac in eius memoriam revocata Apostolicae Sedis mandata et prohibitiones, argumenta, quibus earum vim enervare ipse studuerat, fuere dissoluta, improbata fuit missio memorati Episcopi Mellus in Malabariam, improbata illegitima consecratio duorum episcoporum: declaratum est, horum electionem nullam esse, ipsi Patriarchae expresse mandatum, ut Episcopum

Mellus ex Malabaria, alios a dioecesibus in quas ab eo intrusi fuerant, ipsemet revocaret, suorumque actorum rationem redderet. Id nisi intra statutum temporis spatium faceret, Summus Pontifex, licet invitus, canonicis in ipsum poenis omnino animadversurus. Verum abbatem Eliseum praeripuit Deus, qui haud multo post vita excessit, quin ulla daret poenitentiae argumenta. Episcopus vero Mellus cum in Malabariam advenisset a Vicario Apostolico, iuxta litteras ad eumdem Vicarium datas die 1 augusti 1874, solemniter fuit excommunicatus; quandoquidem intrusus ille canonice monitus, ut illinc abiret, obedire recusavit.

Diu expectatum Patriarchae responsum [1], satis superque ostendit, nolle eum, malorum consiliorum aestu abreptum, acquiescere monitionibus Pontificis. Totus enim in eo erat, ut fidei suae integritatem assereret, suamque erga Apostolicam Petri Cathedram submissionem profiteretur, simul tamen quae sua patriarchalia esse iura affirmabat, tueretur, et Pontificem flagitaret, ut revocaret quae circa Malabariam et electionem Episcoporum decreverat. Interim vero episcopos temere et sacrilege consecrare non reformidavit; nam duos alios sui ritus presbyteros Cyriacum et Philippum Iacobum Episcopos consecravit. Tali ausu permotus Pius Pp. IX, die 15 septembris 1875, monitorias litteras ad eum misit. Sed neque ex Malabariensi regione, qui illuc missi fuerant, revocati, neque a dioecesibus, queis incubuerant, avocati sunt presbyteri episcopali charactere temere insigniti. Quinimo intrusus Amediensis aliquot monachos ad Ordines promovere praesumpsit, quos paulo post ipsemet Patriarcha sacerdotio initiare non erubuit. Porro sacerdotes pravae eius agendi rationi consentire nolentes, minis et censuris vexati, interdum traducti sunt veluti turbulenti et Patriarchae rebelles, interdum etiam civilis potestatis praesidio coerciti. Accessit, quod in responso Patriarchae ad Summum Pontificem, dato die 19 martii 1876, nullum erat resipiscendi indicium. Quapropter Pius Pp. IX, Littera Encyclica: *Quae in patriarchatu*, diei 1 septembris 1876, haec omnia memorans, excommunicationem Patriarchae et Episcopis ab eo creatis irrogavit, si intra quadraginta dies a contumacia non resipiscerent. Hac comminatione Patriarcha flecti visus est; litteras misit subiectionis Christi Vicario in terris, die 6 martii 1877; iussitque Mellum et socios a Malabarica regione recedere.

Verum Mellus et socii, eorumque sodales Matthaeus, Cyriacus et Elias pseduo-episcopi in Mesopotamia haud dociles praebuere aures Patriarchae monitis. Supplicem libellum praefecto provinciae Mossul porrexerunt ultimi hi tres, ut possent ab Audu Patriarcha iam senio confecto discedere, atque intrusum Zachuae episcopum in suum Patriarcham recipere. Quod et factum est; nam iste Tilkel ingressus domum et ecclesiam patriarchalem occupavit, schismaticos ad se evocavit presbyteros, ac seipsum Patriarcham instituit. Qui Othomanici imperii res moderantur praefecto provinciae Mossul mandaverunt schismaticos expellere, sed bellum intestinum metuentes, mandatum incassum ire permiserunt. Quum autem supremum obiisset diem 29 martii 1878 Patriarcha legitimus Babyloniensis Chaldaeorum Iosephus Audu III, anno aetatis suae nonagesimo octavo, supremam vocem, testem doloris quo veniam erroris sui deprecabatur, relinquens, ac Sanctae Sedis plene in gratiam restitutus, Chaldaei schismatici occasionem amplexi schismaticum Patriarcham in assumpto officio confirmari studuerunt. Sed propter propitia Turcarum gubernii proposita, et Galliae Consulis intercessu, Chaldaei ritus Antistites, in coenobio a Beata Maria Virgine nuncupato apud Alkosh coadunati, Petrum Eliam Abolionan, episcopum Iazirensem, die 26 iulii 1878 Patriarcham Babyloniensem Chaldaicae Ecclesiae elegerunt, quem Leo Pp. XIII in Consistorio habito die 28 februarii 1879 confirmavit, eique pallium, de Beati Petri corpore sumptum, concessit, dum ipse civili diplomate, *berat*, sicut mos est, a gubernio Othomanico communitus, Chaldaicae gentis caput constituebatur.

Laetiora eventum huiusmodi consecuta sunt. Nam qui, contra quam fas est, episcopalem sedem Zachuensem, et paullo post Patriarchalem Chaldaeorum occupaverat, aliique ex ecclesiasticis viris et monachis defectionis eius participes, ad officium redierunt, pristinum errorem emendantes, seseque Petri Cathedrae et Christi Vicario subiicientes. Hinc spes haud exigua affulsit extinctum penitus ac deletum ire schisma luctuosum, quod catholicos Chaldaeos Mesopotamiam incolentes dudum afflixerat. Qua de re summopere gavisus est Leo Pp. XIII, ac cordis sui laetitiam aperuit Cardinalium coetui allocutione habita die 12 maii 1879.

[1] Die 20 febr. 1875.

96. *Syri*—Syrorum patriarcha Antiochaenus iurisdictionem habet in eos qui ex schismatica Iacobitarum secta redeunt ad Ecclesiam catholicam, retinentes ritum et linguam syriacam. Iacobitae sic dicti a quodam Iacobo a Soria eorum antesignano, secessione facta ab Ecclesia catholica anno 551, reprobando acta Concilii Chalcedonensis et adhaerendo erroribus Eutychetis et Dioscori, unam agnoscebant in I. C. naturam, iuxta haeresim monophysiticam. Quamvis plures ex patriarchis se S. Sedi subiecissent, tamen Syrorum patriarchatus catholicus erectus est anno 1783 a Pio VI, occasione qua Michael Giarve ad fidem adduxit quatuor episcopos, eorum clerum et multos ex haereticis iacobitis. Giarve eiusque successores confirmati fuerunt in patriarchatu a R. Pontifice cui, iuxta morem ceterorum ex catholicis patriarchis Orientis, praestant fidelitatis iusiurandum, eiusque potestatem legislativam et executivam quoad eorum electionem recognoscentes. Pius IX suas sollicitudines etiam ad Syros extendit. Satis compertum est in Litteris Encyclicis ad Orientem [1], R. Pontificem omnes Orientales admonuisse de iugi sollicitudine RR. Pontificum pro ipsis, et adhortatum esse eos qui erant extra Ecclesiam, ut eam ingrederentur, et catholicos ut essent firmi in dependentia a R. Pontifice [2]. Pro Syris autem, praesertim quum electionem novi patriarchae confirmasset, litteras dedit quibus eis insinuat ut pacem et dependentiam ab Apostolica Sede custodirent. Attamen postremis temporibus, haeretici iacobitae, ansam arripientes ex levi dissensione oborta inter patriarcham catholicum et gubernium civile, de repente armis invaserunt ecclesias catholicorum et favore quorumdam ex potentatibus, eas omnino occupavere. Sed initis consiliis a repraesentantibus gubernium gallicum et anglum apud sublimem Portam, catholicis iustitia facta est. Hinc plures iacobitarum familiae Mardin degentes, ad fidem maiorum reversae sunt. Quare Leo XIII in sua allocutione 12 maii 1879 de hac re maxime gavisus est.

97. *Syri-Maronitae* — Ex dictis de Maronitis [3] clare patet huius nationis observantia erga fidem catholicam qua numquam detrimentum omnino passa est, et RR. Pontificum sollicitudo ad haec procuranda. Huius rei Benedictus Pp. XIV in allocutione diei 13 iulii 1744 solemne testimonium dedit. Maronitarum fides, in tuto posita ex Cruciatis, servata est usque ad praesens, etiam ob protectionem principum catholicorum Europae, et praesertim Galliae. Ast patrocinium Galliarum nationis in Libanum, semper odium peperit apud Turcas, qui omnia tentabant ut id convellerent. Hinc Christianorum excidium Abiae et in aliis regionibus. Repressis his facinoribus, certamina serere coeptum est apud Maronitas, et ideo seditio adversus *sceiccos* anno 1858, et tandem anno 1860 generalis Christianorum clades acta est. Ibi enim coenobia, templa incendio delata, pagi integri ferro flammisque vastati, sacrae quaeque res nefarie direptae, innumera cuiusque aetatis, conditionis, sexus multitudo partim atrociter caesa, partim fuga, et latebris ab imminenti nece se proripere putavit. Episcopi ritus Maronitae die 26 iul. 1860 Epistolam dederunt ad Pium Pp. IX, in qua de omnibus peractis rebus certiorem illum fecerunt. Pontifex die 29 iulii 1860 Episcopis litteras scripsit, in quas maximo moerore quaestus est de memoratis rebus, sic vero subiungit: « dum menti obversaretur Nostrae assiduum vitae periculum, cui propositi vos estis, ceterique sacri Antistites ob nativam infidelium istorum feritatem, quae hoc maxime tempore ex toties per ephemerides evulgata mahometani Imperii divisione procul dubio recruduit, unde tam subitus ad christianae gentis internecionem furor exarsit. At vero illud est miserrimum, planeque dolendum, quod aetate hac nostra plus deferatur studii, et vero etiam auxilii turbulentissimis seditionum auctoribus, quam christianis populis sub Turcarum, aliorumque barbarorum iugo gementibus, pro quibus a durissima servitute vindicandis gravissima bella per superiores aetates Europa suscepit ».

Sed publica opinio adegit Napoleonem III ut armis occurreret; at mox ab incoepto desistens, reliquit Maronitas fere in Turcarum discrimine. In praesenti rerum conditione, natio Maronita quae a Libano descendit et super Syriae plagas se extendit, habet Patriarcham qui assumit titulum Antiochaeni [1], et residet in monte Libano. Insuper numerat 9 inter Archiepiscopos et

[1] 6 ianuar. 1848, et 8 aprilis 1862.

[2] 23 martii 1855, 17 decembr. 1860, 31 decembr. 1874. — [3] Vid. p. 189, vol. I, nec non 45, 123, 268, 335 vol. huius.

[1] Titulus Antiochaeni patriarchatui Maronitae datus fuit a Pp. Alexandro VI.

Episcopos, 500 presbyteros saeculares et 1600 monachos ex regula s. Antonii, et 500,000 fideles cum 320 ecclesiis, 109 conventibus et 5 seminariis Patriarchalibus. Maronitae habebant Romae collegium pro iuvenibus ecclesiasticis iuxta suos ritus instituendos, quod Gregorius XIII regendum commisit PP. Iesuitis, sed cum Galli Romam invaserunt sub finem saeculi XVIII, collegium hoc abolitum est.

98. *Graeci-Melchitae* — Postquam imperator Marcianus anno 451 edicto lato, iubebat ut executioni traderentur decreta Concilii Chalcedonensis eodem anno celebrati adversus Eutychem et Dioscorum, fideles in Oriente in duas partes divisi sunt: alteri renuerunt se subiicere, et dicti sunt *Mardaiti*, seu rebelles; alteri autem se subiecere et dicti sunt *Chalcedoniani* vel *Melchitae*, seu *regalistae*. Sed verbum *melchita* ipsis in originario sensu tributum est ad significandum *catholicum*, prout de facto ipsi erant. Sed saeculo decimo Graeci-Melchitae in schisma offenderunt, inducti a Patriarchis Cpnis. Hinc interrupta est apud eos hierarchia catholica, quae nonnisi anno 1687 instaurata est. RR. Pontifices vel Patriarchas et Episcopos huius nationis nominavere, vel eorum electionem confirmavere, uti Clemens XIII, Pius VII an. 1816, Leo XII an. 1828, Gregorius XVI an. 1831, denique Pius IX Brevi 6 sept. 1858; et in Consist. 27 martii 1865 confirmavit novum Patriarcham huius ritus. In praesenti Graeci-Melchitae habent Patriarcham *Antiochen. Melchitarum*, 5 archiepiscopos et 8 episcopos.

Ex magna sollicitudine quam Leo XIII vel a primis mensibus sui gloriosi pontificatus adhibuit pro catholicis Orientalibus, nunc provisum est pro institutione Cleri copti in Aegypto, ideo in Cairo erectum est Collegium ac Seminarium cuius regimen PP. Iesuitis commissum est. Eadem animi intentione Summus Pontifex an. 1882 se convertebat ad Graecos-Melchitas, ad Syros et Chaldaeos, et Seminarium erectum est Ierusalem pro Graecis-Melchitis sub immediata dependentia a S. Sede, ad quod moderandum acciti sunt Missionarii Algerini ex Congregatione ab illo archiepiscopo Card. Lavigerie fundata. Aliud Seminarium erectum est Mosul (*Assyriae*) pro Syris et Chaldaeis, quod FF. Praedicatores moderantur servato ritu utriusque nationis. Litteris Apostolicis *Singulare praesidium*, 12 maii 1882, Leo Pp. XIII reformationem dedit Ordini Basiliano Galitiae, praecipiens ut Basiliani se conformarent s. Iosaphath, qui die 12 novembr. 1623 venerandum institutum martyrio illustravit. Iubebat insuper Pontifex ut novitiatus institueretur in monasterio Debromil, curam Collegii committens PP. Iesuitis, et monita dabat ut ritus ruthenus servaretur [1].

99. *Ecclesiae status apud Slavos*—Compertum est certisque testatum historiae monumentis, Illyrici provincias, quae usque ad Istrum flumen pertinebant, evangelica luce ab initio fuisse illustratas Apostoli gentium ministerio, qui ad Romanos scribens ac memorans ea, quae per ipsum Christus operabatur *verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*, aiebat, se *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse evangelium Christi* [2]. Quas terras postea disciputi Pauli et Apostolorum Principis, Lucas [3], Clemens [4], ac Titus [5] sedulo excoluerunt, mirum dictu est quantopere res christiana profecerit, quantaque habuerit incrementa, ecclesiastica hierarchia constituta, in qua episcopales sedes Thessalonicensis, Salonitana, ac Sirmiensis principatum obtinebant, quae merito a duobus Principibus Apostolorum primos Pastores suos accepisse gloriantur. Neque regionibus illis defuit martyrum decus aut doctorum illustrium, in quibus memorare praestat clarissimum illud occidentalis Ecclesiae lumen, Hieronymum, qui apud veteres fines Pannoniorum et Dalmatarum, primam lucem hausit.

Romani autem Pontifices nullam benevolentiae, nullam suarum curarum partem Illyrici provinciis umquam deesse passi sunt; imo in finibus iis, quae orientem magis spectant, quosdam constituerunt sacrorum Antistites, qui vicaria Apostolicae Sedis potestate praeessent, adhibitis nempe Thessalonicensis Ecclesiae Episcopis, qui hoc ministerio fungerentur. Ita provinciae illae Romanorum Pontificum non intermissis curis prospere floruerunt, quod Nicolaus Pp. I datis ad Michaëlem Imperatorem litteris, declarabat his verbis: *Illyricana dioecesis Antecessorum Nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cae-*

---

[1] Vid. Eph. *La Scienza e la Fede*, vol. CXXVI, p. 405. [2] *Rom.* XV, 19.
[3] S. Epiphan. *Haereses*. LI.
[4] Farlat. *Illyric. sacr.* t. I, Proleg. p. III, § I
[5] S. Hieron. *in C. IV Epist. II ad Timoth.*

lestini, *Sixti*, *Leonis*, *Hilarii*, *Simplicii*, *Felicis atque Hormisdae sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur* [1].

At vero fatiscentibus Romani imperii viribus, quum ii qui suprema potestate pollebant, impares essent cohibendis gentium exterarum copiis irrumpentibus undique et omnia late populantibus, etiam regiones illae florentissimae a Gothis, et ab Hunnis primo, mox ab Avaris et a Slavonis occupatae sunt. Quare in ea tristi vice caedium et vastationum, non modo plures ex urbibus vetustate et amplitudine insignibus excisae sunt, sed etiam plures e nobilioribus sedibus episcopalibus omnino defecerunt. Et sane saeculo septimo quum Servii et Croatae e Carpathiis montibus profecti in regionibus Slavoniae, Croatiae, Serviae, Dalmatiae et Istriae sedes suas figerent, Ioannes Pp. IV, dum Ecclesiae Romanae fundebat opes in levamen eorum, quos misera servitus premebat, ac sanctorum Martyrum reliquiis tutam quietis sedem parari curabat, sui etiam muneris duxerat novarum convenarum saluti consulere, misso ad eos Martino Abate, qui ipsos ex errorum tenebris ad evangelicae veritatis lucem adduceret. Neque vero dubitandum est, quin Episcopi et Sacerdotes ex urbe Roma missi ab eodem Pontifice, aliisque proximis eius Successoribus, ad omnia pietatis opera instituerint eos Slavoniae populos, qui meridionales audiunt, illosque lavacro regenerationis expiatos una cum duobus Principibus Porino et Porga, tamquam primitias cognatarum gentium, in ovile Iesu Christi exceperint.

Haec porro RR. PP. sollicitudo insigniter etiam eluxit insequentibus saeculis, quibus operositate Nicolai I, Hadriani II, et Ioannis VIII, adiutoribus sanctis viris Cyrillo et Methodio germanis fratribus, Slavicae gentes, quae ab austro ad boream pertinent, plenius hauserunt evangelicae doctrinae lumen, ac per eam ad humanum civilemque cultum deductae, sanctam religionis et iustitiae formam induerunt [2].

Quum igitur Slavonicae gentes mirum in modum ad catholicam veritatem conversae in communionem fidei et caritatis cum Apostolica Sede venissent, arctam cum ea coniunctionem, filialis studii nexibus devinctae, diu retinuerunt, et ex illa, unde unitas sacerdotalis, unde salutis doctrina manat in totum orbem, tamquam e vivo fonte roris coelestis hauserunt ubertatem. Regnis imo ac principatibus Slavici nominis constitutis, positum in more fuit Slavicorum regum et principum, ut in fidem et tutelam sese reciperent B. Petri, quem colebant in Ipsius Successoribus, utpote heredibus potestatis eius. Sed enim, postquam nonnullae ex iis gentibus, rebellis sequutae Photii vestigia, e materno complexu recesserunt catholicae Ecclesiae frustra retinere abeuntes et devios revocare conantis, quasi palmites e vite abscissi exaruerunt, et e florenti statu in eas aerumnas miserosque casus prolapsae sunt, quos suis monumentis historia posteritati tradidit.

Slavi, qui ad meridiem spectant, continentur inter Dalmatiam, Carinthiam, Liburniam, Illyridem, Bosniam, Herzegovinam, Serviam, Montemnigrum, Bulgariam. De quorum moribus et religiositate passim in hac historia dissertum est [1]. Nunc vero quia recentiores eventus novam formam illis intulerunt, ita ut complures Austriae et Hungariae imperio subditi sint, alii principatu nulli subiecto gubernentur, et alii suis non abdicatis legibus tantum in clientelam venerint Austriae, quae viam eis sternit, ut catholica religio illi reflorescat, operae pretium duximus, aliquid de eorum ritibus exponere.

100. *De Bosnia et Herzegovina* — Variis hisce rerum vicibus obnoxii fuere populi, qui Bosniae et Herzegovinae regiones incoluere. Provinciae enim istae pluribus principibus finitimarum gentium, prout quisque viribus magis pollebat, obtemperarunt; modo ab iis qui Serbiae vel Croatiae praeerant, modo ab aliis dominatoribus subactae. Hinc fieri non potuit, ut a funesta errorum lue, quae circa illas serpebat, immunes evaderent. Quum autem saeculo duodecimo in potestatem regum Hungariae, regni Ramae nomine suscepto, devenerunt, ad Ecclesiae communionem reversae, florentis denuo religionis fructibus usae sunt. Ast ea res laeta licet, tamen diuturna non fuit; etenim non multo post e vicinis Bulgariae finibus alia mala labes in eas irrepsit, lateque grassata est, priori longe pestilentior ac foedior, ex antiquis Manichaeorum erroribus orta, quae Patarenorum sectae nomen indidit. Ex hac autem tristi colluvie, quae per tria fere saecula regiones illas foedavit, plurima et exitiosa damna

[1] S. Nicol. I PP. *Epist. IV ad Mich. Imp.*

[2] Legere iuvat, P. Presutti, *Il Papato e la civiltà degli Slavi*, Dissertazione letta all' *Accademia di Religion Cattolica* di Roma, 1880.

[1] Vol. I, pp. 210, 233, 241, 255, 260; II, 38.

in eorum populorum fidem moresque redundarunt. Nihilominus in ea calamitate temporum luculenter enituit RR. PP. zelus et paterna sollicitudo eo constanter intenta, ut ex agro Domini zizania evelleret, christianae fidei germina tueretur ac aleret, atque ita sincerae pietatis cultum instauraret. Enimvero, praecipuam ac praeclarissimam partem supremi ministerii sui in eam rem contulerunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Nicolaus IV, Ioannes XXII, Benedictus XII, Urbanus V, Gregorius XI, Eugenius IV ac Nicolaus V, qui partim crebris legationibus et apostolicis litteris ad Principes ac Praesules missis, partim sacris expeditionibus hominum apostolicorum, qui zelo flagrantes animarum salutem curarent, partim frequentia mansionum pro his passim conditarum, quae futurae erant nobiles religionis et sanctimoniae sedes, illud praestiterunt, ut corruptas hominum mentes, qui errores inter et mala morum inveteraverant, sensim ad suave iugum evangelicae legis subeundum inflecterent. Cuius rei laudem, haud exigua ex parte, sibi vindicant sodales e religiosis familiis SS. Francisci et Dominici, ex quibus non pauci, ab haereticis caesi, gloriosam pro Christi nomine mortem oppetierunt [1].

Nec destitit interim S. Sedes duas illas provincias aliis atque aliis benefactis afficere, maxime ex eo tempore, quo regnum Bosniacum fuit constitutum. Scilicet quum saeculo XIV, concessu Ludovici regis Hungariae, Stephanus Tuartkus qui Bosniae praeerat, *Bannus* eorum lingua appellatus, assumpsisset ipse regium nomen et cultum, adiecto ditioni suae principatu Culmiae in Herzegovinensi tractu, qui S. Sabae ducatus etiam dicebatur, ex eo tempore RR. PP. iugiter appellare opemque rogare consueverunt Bosniae reges, in maximis ac necessariis rei publicae temporibus, nec illis unquam a RR. PP. consilia, auxilia, solatia, omnia demum paternae caritatis officia defuerunt. Huius rei insigni documento est Catharina Bosniae regina illustris, quae patriae excidio impendente, tutum Romae asylum et a Romanis Pontificibus dignum suo fastigio cultum nacta est, quaeque propterea, morte appetente, in supremis testamenti tabulis, quibus Romanam Sedem Bosniaci regni heredem instituebat, gratiam sibi praestitam ac munificentiam in se collatam a Pio Pp. II et Sixto IV diserte commemorandam censuit.

Sed inter sedulas curas, quas Apostolica Sedes in Bosnienses contulit, memoria praecipue dignum est studium illud, quod plurics Romani Pontifices praetulere, ut in ea regione ecclesiasticam hierarchiam constituerent, augendo nempe tum dioeceses tum sacrorum Antistitum numerum, prout rerum conditio et utilior rei sacrae procuratio apud Bosnienses postulare videbatur. Indubia enim monumenta testantur, postquam Slavicae gentes, quae australem regionis partem incolebant, catholicae pietatis fidem suscepere, res sacras in amplissima illa regione longo temporum cursu unius tantum Episcopi regimine fuisse administratas, qui pro publicis eorum locorum vicibus metropoliticae iurisdictioni modo Salonitanae Sedis aut Spalatensis, tum Diocletianae aut Antibarensis, alias etiam Ragusinae et quandoque Colocensis, tamquam suffraganeus obnoxius erat. Cum hic esset rei sacrae status in Bosnia, Innocentius III, qui saeculo XIII ineunte studio incensus religionis rebus in eo regno consulendi Ioannem de Casemario suum et Apostolicae Sedis Legatum illuc miserat, ex eius litteris intellexit religionis conditiones in Bosniensium finibus poscere, ut episcopales sedes in iis omnino augerentur. Quum illustri Pontifici datum non fuisset, ut hoc pium et salutare consilium ad exitum adduceret, Gregorius Pp. IX eius implendi ac perficiendi cura suscepta, anno 1233 litteras dedit ad Iacobum Card. Episc. Praenestinum Apostolicae Sedis in Pannonia Legatum, eiusque fidei et prudentiae commisit, ut novae in Bosnia episcopales instituerentur sedes, ac Episcopi eligendi solida scientiae et pietatis laude fulgerent. Etsi flagrantissimum huius etiam Pontificis studium optatum exitum habere non potuit, operam tamen adhibuit, ut dignior Antistes Bosniensis Ecclesiae sacris praeesset, cuius dignitatem delato etiam Apostolici Legati munere, amplificandam censuit.

In sequentibus autem temporibus Eugenius Pp. IV, quum Stephano Thomae Bosniae rege regalis coronae decus tribueret, de sacrae potestatis gradibus in eius regno stabiliendis cum ipso agendum putavit. Cum hic Princeps metu ingruentium hostium oblatae occasioni defuisset, ac Stephanus filius, qui patri in regno successit, maiorem vim animi ostendens, ad Apostolicam Sedem legatione missa, oblata patri occasione

[1] Vid. *I Romani Pontefici e i popoli Slavi* in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. CXX, p. 89 sqq.

libenter se usurum declarasset, Pius Pp. II Cardinalibus in consilium adhibitis, novas cathedrales sedes in Bosnia instituendas easque idoneis rectoribus committendas decrevit, atque haec per regios Legatos ad regem ipsum afferri curavit. At dum, impedimentis omnibus sublatis, opportuna facultas data videbatur religionis rebus apte in Bosnia constituendis, rerum publicarum status, qui in deterius in ea regione quotidie ruebat, miserandum in modum eversus est; atque ita consilia et curae irritae cecidere, quas per plura saecula ad promovendas Bosniensium utilitates RR. PP. conferre numquam intermiserant.

In maxima hac perturbatione rerum, religione pariter magnis calamitatibus perculsa, Episcopus, qui unus pastorale ministerium apud Bosnienses exercebat, solum vertere coactus, Diakovae in finitima Slavoniae urbe suam sedem collocavit. Herzegovinae gentibus, pari rerum calamitate afflictis, gravibus quoque impedimentis interceptus fuit usus sacrae potestatis Episcopi Mercanensis et Tribuniensis, cuius illae magna ex parte pastorali regimine utebantur, dum reliquarum partium cura ad finitimos Dalmatiae Episcopos pertinebat. Cum itaque eo res adductae fuissent, ut suorum Pastorum praesidium gentes illae amplius experiri non possent, RR. PP. eo acrius incensi ad opem ferendam, quo maiore in discrimine earum versabatur salus, excitato virorum apostolicorum zelo, ac opera adhibita sacri Consilii christiano nomini propagando, meliori qua fieri potuit ratione, fidei in iis partibus tuendae et religionis detrimentis sublevandis consuluerunt. Qua in re luculenter enituit sodalium Franciscanorum ex Ordine veteris Observantiae constantia et virtus, qui operam in iis provinciis propagationi fidei navantes, pro qua interdum etiam sanguinem fuderunt, pluribus relatis salutis fructibus, egregie de religione sunt meriti. Cum porro Romanos Pontifices non laterent gravia damna, queis obnoxii sunt ii, a quibus longe abest procuratio Pastoris, auctoritate Eorum decreto edito a sacro Consilio propagandae fidei praeposito, anno 1735 die 5 novembr., Apostolicus Vicariatus institutus est, qui in locum episcopalis Bosniae sedis suffectus, Bosniensibus simul et Herzegovinensibus prospiceret; atque huius ministerii munus viro episcopali dignitate aucto fuit creditum, ut in Bosnia suam sedem statuens, spirituali utriusque provinciae procuratione rite fungeretur.

At cum Deo favente laeti fructus ex hisce curis extarent, et fidelium numerus feliciter augeretur, ann. 1852 Pius Pp. IX ad christianum nomen latius propagandum et fovendam unitatem spiritus in vinculo pacis inter operarios, qui in vinea Domini laborant, peculiarem et proprium religionis rebus in Herzegovina curandis Vicariatum Apostolicum constituit, servata tamen episcopali sede Mercanensi et Tribuniensi, cuius administrationem conlatis antea cum imperiali Austriae Gubernio consilios, Gregorius Pp. XVI Episcopo Ragusino demandaverat. Quae rationes RR. PP. providentia initae, in illarum provinciarum bonum apprime redundarunt, in quibus oblata hominibus veritatis excipiendae opportunitas et ad christianam professionem colendam auxilia effecere, ut fides, religio et pietas ampla in iis incrementa susciperet.

At quum res catholica in hisce regionibus in melius evaderet, Leo Pp. XIII in Bosniae et Herzegovinae districtibus iuxta canonicarum legum praescripta hierarchiam ordinariorum Episcoporum instituit, et provinciam ecclesiasticam erexit Litt. Apost. III° nonas iulii 1881. Huius rei causa Apostolici Vicariatus in Bosniensi et Herzegovinensi districtibus constituti, suppressi sunt; sedem urbis Seraiensis, quae Bosniensium urbium princeps habetur archiepiscopali et metropolitana dignitate auxit ac Verhbosnensem appellari iussit, eidemque sedes episcopales tres, nempe Banialucensem, Mandetriensem seu Dumiensem, Marcanensem et Tribuniensem Ragusani Episcopi administrationi concreditam, tamquam provinciales adsignavit, earumque sedium Episcopos Archiepiscopi Verhbosnensis suffraganeos futuros decrevit, et hoc publicavit in Consistorio habito die 4 augusti 1881. Catholici in praesenti ibi sunt 163.000 circiter.

101. *Regnum Bulgarorum*—Bulgari[1] stirpe phinnica, reliquiae Unnorum, incoluerunt, mortuo Attila, regionem ad mare Azof. Saeculo VI Avaris subiiciebantur, sed anno 670 Danubium transierunt, et inter flumen et montem Aemum regnum Bulgarorum condiderunt. Cum sibi Dardaniam, Thessaliam et utrumque Epirum adscirent, novum hoc regnum invidiam Caesarum byzantinorum suscitavit, et Nicephorus imperator illud debellavit; ast anno 811, Graecis profligatis, imperator interfectus fuit.

[1] Sic dicti a *Bulga* fluvio sive *Volga*, ubi primum in Moschorum finibus habitarunt.

Bogaris, rex Bulgariae christianus, ope Graecorum effectus, legationem praeclarorum virorum ad Nicolaum Pp. I misit, inter quos ipsum filium, rogaturos Episcopos et Doctores ut vel magis in fide solidarentur. Nicolaus I et Adrianus II miserunt ad eos episcopos et sacerdotes, qui ex laboribus ita magnum fructum attulerunt, ut Anastasio Bibliothecario referente omnes baptismo donarentur. Ast aliqui posteriores episcopi graeci pro se susceperunt illorum fidelium imperium et Adriano II et Ioanne VIII invitis Ecclesia Bulgarorum anno 878 ad graecos rediit, qui et ius eligendi episcopos sibi vindicarunt, ita ut, Michaële Cerulario imperante, Bulgaria prolapsa est in schisma. Urbe Constantinopoli sub Mahomet II reducta anno 1550, Bulgari, sicuti ceteri christiani, subacti fuerunt imperio civili et religioso Patriarcharum graecorum; verum exarchus Bulgarorum, cuius sedes erat Okvida, mansit usque ad annum 1767, et hinc Patriarchae elegerunt per se episcopos illius dioecesis ex graecis. Idioma slavum proscriptum fuit, ut lingua liturgica, et eius vice invecta lingua graeca. Interea Nicolaus Pp. V anno 1451 misit Albaniam, Bulgariam, et Thraciam nuntium Apostolicum fratrem Eugenium Somma, ex Ordine s. Francisci, ut religionem catholicam promoveret, et Benedictus XIV Bulla *Gravissimum* statuit interrogationes faciendas episcopis catholicis Bulgariae.

Rebus ita compositis usque ad bellum Crimaeae, desiderium libertatis exarsit in Bulgaris et in omnibus christianis Sultano subditis, et omnes expostularunt episcopos indigenos et linguam slavam in liturgia et in scholis. Societas polona Parisiensis, quae Russiam labefactare studebat, significavit iis qui Bulgarorum motum regebant, si vellent autonomiam civilem et religiosam obtinere, opus esse se catholicos et Pontificem caput spirituale profiteri, qui eis certe daret episcopos indigenos et permitteret servare ritus suorum patrum. Multi Bulgarorum in communionem Romani Pontificis reversi sunt, et ex eis reverendus Ioseph Sokolski, vir aetate et prudentia praeclarus, electus est episcopus. Pius Pp. IX ipse benevolentiae ergo et desiderii componendi clerum indigenum voluit consecrare illum in Capella Sixtina die 4 april. 1861. Reversus in Orientem Episcopus Sokolski obtinuit *berat* imperiale, quod eum praesidem gentis suae declaravit. Sed post paucos menses furtim translatus fuit in Kiew, et artibus Patriarchae graeci adiuti ab imperatore russo in monasterium detrusus fuit. Hoc minuit studium unitatis et numerus fidelium, qui antea 60,000 erat, adeo decrevit, ut pene de catholicitate Bulgarorum dubitaretur. Delegatus Apostolicus Constantinopoli degens, qui mense decembri 1860 susceperat professionem fidei nonnullorum haereticorum, misit Adrianopolim Popow sacerdotem a se factum, quo multi et Constantinopoli et in suburbiis fidem catholicam professi sunt. Philippopoli numerus catholicorum erat ad decemmillia, qui ritum latinum ab innumerabili colebant, et Vicariatum Apostolicum, Capucinis ducibus, efformabant. P. Petrus Arabagïschi his praeerat, et imperator othomanicus anno 1861 eum *principem* civilem renuntiavit, quod noluit vero facere cum istius successore, quia natione polonus. His non obstantibus conversio Bulgarorum aliquid incrementi acceperat.

Pius Pp. IX Augustinianis an. 1862 demandavit curam docendi neocatholicos Bulgaros, et Sacerdotibus Congregationis Resurrectionis mense novembri 1863 commisit scholam pro Bulgaris-unitis in urbe Adrianopoli. Idem effectum est pro Bulgaris latinis sub Vicariatu Apostolico Sophiae et Philippopolis, nec non a Lazaristis pro Monasterio et Salonichio. Bulgaris-unitis praefectus fuit Raphaël Popow, episcopus creatus die 19 novembris 1865, et an. 1876 electus est eorundem administrator apostolicus Episcopus Nilus Isvoroff, e schisma ad Ecclesiam catholicam an. 1874 reversus. Ipsum Leo Pp. XIII an. 1883 Archiepiscopum, Constantinopoli sedem habentem, constituit, et Bulgaris eiusdem ritus alios duos Vicarios Apostolicos largitus est.

In variis partibus imperii othomanici Bulgari uniti habebant an. 1870 catholicorum 12,000, episcopum et 15 sacerdotes. Alexander II Russorum imperator, transacto Danubio cum exercitu, die 27 iunii 1877 in Bulgariam pervenit, et in *promulgatione* edita suum amorem erga catholicos in peninsula Balcanorum ostendebat. Sed die 19 februarii sancita fuit Conventio S.ti Stephani, qua promissiones irritae evaserunt. Sortes Christianorum slavorum hoc tempore in melius mutatae fuerunt ex Berolini pactione, qua imperium Turcarum agnoscit in christianis iura civilia, libertatem, cultum, ierarchiam et facultatem communicandi cum suis praepositis in spiritualibus. Quae securitatis leges non solum Bulgariae, sed etiam Montinigro, Serbiae et Rumeniae tri-

butae fuerunt. Veruntamen favente Leone XIII haec iura rata habita sunt, litteris, quibus Pontifex Austriae-Ungariae et Galliarum gubernia ad tuendas rationes S. Sedis in Consessu Berolinensi hortatus est. Conventio S.ti Stephani reddidit Bulgariam principatum autonomum, gubernio othomanico subiectum. Anno 1881 numerus Bulgarorum 2,000,000 erat: quorum 68 supra centum ad Ecclesiam graecam schismaticam pertinent. Bulgari ritus graeci habent nunc, sicuti diximus, tres Vicariatos apostolicos: unum Constantinopoli, alium Thraciae, tertium Macedoniae; ceterum, conversiones in dies magis augentur.

102. *Serbia* — Hoc in regno pauci nunc adnumerantur catholici (4160), at in ipso, ut in tota balcanica peninsula, uberioris verae religionis progressus spes arrisit per memoratam Berolini Conventionem, cuius ope cultus libertas in eo proclamata fuit. Iuvat tamen hic aliquid innuere de hoc olim celebre regno, praesertim de eius religiosa vita. Serbia quondam partem efformabat Mesiae superioris et Dardaniae; in ea a Tito, s. Pauli Apostoli discipulo, Evangelium praedicatum fuit. At lapsu romani imperii in hanc regionem irruit tribus nomine *Serbis*, *Serbi*, vel *Servi* a Sarmatia asiatica proveniens, quae hodie eam possidet. Populus igitur Serbus est conspicuus magnae familiae Slavorum ramus, quae a plagis maris Albi usque ad Adriaticum se extendit. Quum Serbi eam occuparunt, iam christiani effecti fuerant. Urbi Constantinopolitanae propinqui catholicam fidem servarunt donec Cpni patriarchae R. Pontifici subiecti fuerunt, sed subrepti isti praesules a Sede Apostolica etiam Serbi in schisma traducti fuerunt. Sub Innocentio III cum magnus Serbiae *iupanus* Stephanus desiderium ostendisset se subiiciendi Romanae Sedi, Pontifex ad eum duos legatos misit, qui a Stephano amplam libertatem consequuti fuerant omnia statuendi, quae gloriam Dei exquirerent. Legati an. 1199 Diocleae synodum coëgerunt, cui interfuerunt octo episcopi [1]. An. 1220 refert Raynaldus, Stephanum regem Serbiae primatum Romanae Ecclesiae confessum esse, et ad Honorium Pp. III misisse suos legatos. Sed iterum relapsi Serbi in schisma, Nicolaus Pp. IV ad eos direxit Marinum et Cyprianum Fratres minores per epistolam Reate datam 8 august. 1288, exhortans Helenam catholicam matrem Urosii et Stephani, qui tunc temporis supremo dominio in illis regionibus pollebant, ut eius filii religionis progressui faverent. Rex Urosius an. 1308 a Clemente Pp. V petiit pro suo populo ministros verae fidei et vexillum contra hostes christiani nominis tollendum. Cui expostulationi Pontifex annuit mittens Serbiam Aegidium Patriarcham Gradensem et Lupum atque Artanisium Romanae curiae procuratores, unum ex Ordine Praedicatorum, Franciscanorum vero alterum. Legati summo honore excepti fuerunt, sed optata unio locum non habuit. Anno vero 1320 Urosius submitti debuit romanae Ecclesiae per victoriam captam a Carolo I Ungariae rege, qua Serbia subiecta fuit dominio illius; at cum subreptus fuisset istius dominio, annis 1322 et 1323 iterum Carolus sibi eum subiecit. Ioannes Pp. XXII, quum cognovisset, regem, optimates, atque Clerum sincere se a schisma demigrasse, et Ecclesiae catholicae coniungi voluisse, misit Urosio Bernardum Archiepiscopum Brundusii, Bernardum a Parma canonicum Anversae et Ioannem fratrem Ordinis Praedicatorum una cum epistola, in qua summe de hac conversione laetabatur et fidei professionem a Clemente IV editam pro Armenis ei mittebat. Sub hoc principe magnam adepta est gloriam Serbia, sed eius successori defuit vis hostibus Christianorum resistendi, quapropter an. 1365 in Serbiam aliasque finitimas regiones Turcarum copiae irruerunt. At Ecclesia christianos serbos non dereliquit. Nicolaus Pp. V Ioannem Unniatem movit ad liberandas balcanicas regiones a Turcarum oppressione, et auxilium etiam petiit Scandebergi principis Macedoniae et Epiri. Ad Catholicismum reficiendum an. 1449 Pontifex misit Serbiam fr. Antonium Franciscanum, et in bello anni 1451 Eugenium Somma eiusdem Ordinis, multis facultatibus spiritualibus praeditum, maxime concedendi plenariam Indulgentiam in mortis articulo iis, qui contra infideles pugnassent. Capta vero Constantinopoli an. 1453 Serbia omnem spem amisit se subtraendi a turcarum tyrannide. Attamen Alba-graeca (*Bellogradum*) magnis Callisti III auxiliis, qui Card. Carvaial suum legatum illic misit, a Turcis an. 1456 liberata fuit. Haec autem victoria non valuit ut multas obsidiones et expugnationes passa non sit illa regio usque ad annum

[1] Mansi, *Concil.* t. XXII, p. 700; Hurter, *Stor. di Papa Innocenzo III*, vol. I, l. III (*vers.*), Milano 1857.

1668; donec ob rerum vicissitudines anno 1739, maximo religionis christianae damno, Serbia definite Turcis tradita est. Romani Pontifices, uti mox diximus, officio suo numquam defuere, quin ibi Ecclesiae auxilium afferrent [1]. Sub Clemente XI, ad tollendos abusus qui illic irrepserant, a Serbiae et Albaniae primate, eiusdem Pontificis iussu, synodus celebrata fuit ad disciplinam ecclesiasticam instaurandam. Itidem, Benedictus XIV suam sollicitudinem ad Ecclesiam Serbianam extendit, de qua *Bullarium* Propagandae Fidei testimonium reddit. Pauci verumtamen Catholicorum adnumerantur hoc in regno, quorum Episcopus *Bellograden et Semendrien* Albaegraecae residet. Conventio Berolini, habita an. 1878, Serbiam a iugo Islamismi eripuit.

De Montenigro — In provincia Serbiae continebatur populus quem stirpe montenigrina fuisse dicitur. Religio, quae ibi colitur, graeco-schismatica est; namque schisma graecum ubique pervasit. Imperium Russiacum semper hanc indomitam gentem tuitum est, ut in Oriente aliquid sibi vindicaret; ast in Berolinensi conventu ei libertas seu *independentia* restituta est, et regio, in principatu *oligarchico* constituta, 250,000 incolarum nunc adnumerat.

103. *Rumenia*—Duobus principatibus danubianis constabat Rumenia: Moldavia scilicet et Valachia, quibus accessit an. 1878 etiamDobrusia. Hoc ei nomen indictum fuit a Traiano, qui, debellatis incolis, terras militibus distribuit; et misit illuc colonos romanos, unde eorum lingua latinum vulgare imitatur. In utraque provincia religionis vices non semper eaedem fuere.

In Moldavia Christiana religio multis abhinc annis fuit praedicata; s. Nicetas martyr sedem quidem episcopalem an. 396 ibi tenebat [2]; varia coenobia simul illic extabant. Concilium Chalcedonense anno 451 subiecit Moldaviam Constantinopoli, quae cum deficeret a sede Romana et Moldaviam in sophisma adduxit. Nihilominus anno 1234 Minores Conventuales illam regionem suis laboribus colere coeperunt, eamque Romanae Sedi subiicere adhorti sunt. Eorum conatibus salutari effectu frustratis, adiutores facti sunt sodales Societatis Iesu et Dominicanae familiae, quorum efflagitationibus Clemens VIII sedem episcopalem Bachoviae erexit. Collegium Conventualium Romae degens adhuc viros missionarios in illas terras mittit, ubi catholicorum numerus est ad 60,000, et templa ad 74. Vicariatus Apostolicus pro Moldavia, sub Gregorio Pp. XVI erectus, in praesens (1883) moderatur ab Episcopo *tit.* Mosynopolitan. *Visitatore Apostolico.*

Valachia quoque fidem catholicam a primordiis Ecclesiae suscepit. Concilium Chalcedonense anno 451 eam Patriarchae Constantinopolitano subiecit, ast, aeque ac aliae Orientales Ecclesiae, in schisma prolapsa est. Sed saepe saepius ad unitatem Ecclesiae adire tentavit: Innocentio III, Nicolao IV, Urbano V, Eugenio IV, Nicolao V, Gregorio XIII, Xisto V [1] regnantibus, eorumque successoribus, nihil reliqui factum est, praesertim opere et studio Congregationis de Propaganda Fide, ut religio catholica illic refloreret. Leopoldus Kollonitz, Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis, ad Ecclesiam 200,000 Valacos Transylvaniae a schisma graeco adduxit. Cuius exemplum et Imperatores Austriae secuti, multi alii a schismate revocati sunt, et ut tantae operis studium temporum varietate nullatenus deficeret, Carolus VI adolescentes erudiendos in Collegium de Propaganda Romae misit, et Franciscus Iosephus Imperator, anno 1853, una cum Cardinali Scitowscki, Archiepiscopo Strigoniensi, humillime a Pio IX postulavit, ut in Transylvania provincia ecclesiastica erigeretur ritus graeco-rumeni, quam Gregorius XVI iam instituere moliebatur. Sic Pius PP. IX perfecit ut duae Episcopales sedes graeci ritus erigerentur, Lugoniensi, scilicet in Banatu Temesiensi, altera Armenopoli, in Principatu Transylvaniae; et ab archiepiscopatu Strigonien. Ecclesia Magno-Varadiens. etiam ritus graeci subtrahens, sedi Fogariens. subiecit, quae et titulo Albae Iuliae, et honore metropolitanae Ecclesiae pariter donata fuit [2]. Vicariatu Valachiae nuper extincto, sedes metropolitana dein e Bukarest, capite Rumaniae, erecta fuit, ubi Franciscani et Ecclesiam et Coenobium habent. Minores Reformati per illas regiones, etiam Transylvaniae, et Banatus Temiensis, diffusi, provinciam monasticam cum octo conventibus constituunt. Nec moniales ibi desunt, namque, accersitis ab Anglia quibusdam sororibus, scholae erudiendis puellis, quae ad 600 adnumeran-

[1] Vid. quoque p. 132-133.
[2] Cf vol. I, p. 117.

[1] Videsis pp. 51, 80, 101, 123, 127, 1?9, 186.
[2] Allocutio a Pio Pp. IX habita in Consistorio diei 19 decembr. 1853.

tur, ab illo Archiepiscopo institutae fuerunt. Numerus autem catholicorum Bukarest ad 25,000 adtingit, et sacerdotes a sacris missionibus plena libertate donantur, et ab ipso Clero schismatico reveriti sunt.

104. *Encyclica « Grande munus » et Peregrinatio Slavorum ad Vaticanum* — Vaticanus qui et medievales tenebras fugavit, lapsis Slavis, etiam nunc opem ferre non destitit, et Leo PP. XIII iam inde Austriae-Hungariae et Galliarum gubernia rogaverat ut, in conventu Berolini habito, Slavorum catholicorum rationem haberent. Deinde Pontifex Encyclica *Grande munus* die 30 septembr 1880 festum ss. Cyrilli et Methodii ad universam Ecclesiam extendit, quod etsi prima fronte leve et momentaneum videtur, tamen magni ponderis, si res attendatur, praesefertur. Mens enim Pontificis fuit declarare quomodo hi duo apostoli et patres patriae quidquid gesserint, quidquid docuerint, a Pontificia Sede accepissent, cui semper toto animo se subditos renuntiarunt et a qua omne bonum hausisse testati sunt. Si igitur Christiana religio tanta fuit, ut populos rudes et pene barbaros ad cultum et humanitatem eveheret, ipsa quoque nunc Slavos ad pristinam gloriam et nitorem fidei restituere pollet, ut abiecta feritate ad exquisitos mores incumbant. Quodque ut facilius adsequeretur, exemplum et viam in sanctis Methodio et Cyrillo Pontifex in sua Encyclica ostendit, qui nihil antiquius habuerunt quam ut in animis alte reposita maneret fides et obedientia Pontifici[1]. Haec Leonis XIII conata conditiones civiles Orientis fortasse bene vertent, cultus enim europeus schisma omnino delebit et Christiana religio quantocius totas illas partes mox possidebit, quum praesertim Slavi ad 80 000,000 nunc pervenissent.

Eodem tempore quo et alia Encyclica data est *Diuturnum*, qua Pontifex fundamenta civilis societatis constituebat, Slavi ex dissitis regionibus ad numerum 1500, quos inter Poloni, Moravi, Bohemi, Silesii, Czechi, Croates, Dalmates, Bulgari, Moldavii, Schiavones, Bosniaci, Serbii, Erzegovinenses ad pedes Pontificis peregre veniebant. Nec non multi episcopi et canonici, parochi et nobiles ut grati animi sensus Petri Successori aperirent. In Basilica s. Clementis solemniter per triduum celebratum fuit festum ss. Cyrilli et Methodii, habitis concionibus et ritibus variis; deinde peregrini a Pontifice excepti fuerunt, qui in sermone quo usus fuit, benevolentiam Romani Pontificatus erga Slavos patefecit, et desiderium ostendit ut nemo Slavorum extra sinum Ecclesiae maneret, quinimo intrarent hanc salutis Arcam, in qua qui non est peribit durante diluvio[1].

105. *Ecclesiae status in Graecia* — In Graecia distinguere oportet Graeciam proprie dictam, Archipelagum et Insulas Ionias. Harum partium graecae ditionis varia sors fuit. Ecclesia graeca insularum Ioniarum, ecclesias Orientis imitata, schisma Fotii et Michaelis Caerularii sectata est. Ab anno 1054 usque ad 1268 in his insulis nemo unus catholicus fuit. Carolus VII Andegavensis, Neapolis rex, subacta Corcyra, praefecit ibi archiepiscopum latini ritus pro graecis. Anno 1317 Philippus, Caroli nepos, dedit in perpetuum Ecclesiae latinae omnes illas insulae terras incultas et liberas. Huius donationis exemplar authenticus asservatur in archiviis Ecclesiae Corcyrensis. Catholicus clerus ingenti aere et acri labore illas terras tam fertiles reddidit, ut copiosus fructus inde collegerit. Quum regnum Neapolis turbulentiis agitaretur, imperante regina Ioanna, Corcyra, ab Andegavensibus derelicta, se sponte dedit Venetis (1586), ut piratarum incursionibus et Turcarum aggressionibus obsisteret. Novi domini omnia ecclesiae latinae iura et proprietates confirmavere. Sub initio saeculi XIII Corcyrae erant quoque Capitulum et quatuor domus religiosorum ex variis Ordinibus, nempe Conventualium, Augustinianorum, Reformatorum et Capucinorum. Ita res actae sunt usque ad an. 1797, in quo excidium Reipublicae venetae supervenit. Tunc Corcyra, vi tractatus Campi-Formii, cessione data est Galliarum Reipublicae, quae iam antea ea potita fuerat. Anno 1799 Corcyra adacta est a classibus Turcarum et Russorum simul iunctis, et adnexa fuit aliis insulis Ioniis quae in Rempublicam se erexere, Septeminsularem dictam. Anno 1801 Corcyra sub Gallorum imperium rediit, sed anno 1814, una cum ceteris insulis rempublicam efformavit sub Angliae tutela, et metropolis atque gubernii sedes facta est. Die 2 iunii 1864, desinente Angliae tutela, Corcyra aliaeque insulae regno Hellenico adiunctae sunt.

Inter tot vicissitudines, Ecclesia catholica

[1] Vid *La Scienza e la Fede*, vol. CXIX, p. 462 sqq.

[1] Legere itidem iuvat in citt. ephem. *La Scienza e la Fede*, vol CXXII, p. 482 sqq.

plura passa est Respublica Gallica omnia archiepiscopatus et cleri bona publicavit: episcopium, Seminarium et coenobia occupata sunt a gubernio, omnia bona ecclesiastica nationalia declarata, archiepiscopus et clerus ab insula expulsi. Respublica Ionia Septeminsularis sub foederatis russico-turcis initio omnia bona Ecclesiae catholicae restituit, sed postea ea iterum fisco addixit, et tantum mediam redituum partem dein Ecclesiae retribuit. Sub Angliae protectoratu respublica Ionica eadem ratione se habuit usque ad annum 1831 Posthac gubernium, seposita iustitia et fide pro pacto inito cum S. Sede, reduxit annuam aeris solutionem ad libellas 8,700, quas nunc Gubernium hellenicum Ecclesiae solvit, vi Conventionum *internationalium* Londini, dierum 13 novembris 1863 et 29 martii 1864, ob insularum Ionicarum cessionem Graeciae factam. Religiosi, durante sua diutina commoratione in insula, praeclaras scholas erexerant, in quibus iuvenes graecos ex perillustribus familiis excipiebant; at expulsis religiosis, scholae occlusae fuerunt. Imperante Republica veneta, communitas catholica, maiori ex parte, ibi constabat ex militibus praesidii, nautis de portu, opificibus armamentarii navalis, et ex nobilibus venetis qui insulam regebant. Anno 1814 cum Anglis ibi appulerunt plures coloni itali et melitenses, ita ut tempore protectoratus Angliae numerus catholicorum 6000 excedebat, et de militibus Anglis simul fere mille recensebantur.

Anno 1830 quum a S. Sede Corcyrae praepositus fuisset Archiepiscopus D. Nostrano, dira persecutio in eum a gubernio ionico mota, prohibuit quominus praelatus aliquid ibi ageret. Coadiutor, qui postea ipsi suffectus est, dioecesim rexit ab an. 1847 ad an. 1855; is, ut necessitatibus illius ecclesiae occurreret, pergit Romae opem petere a s. Congregatione de Propaganda Fide. Anno 1860 in Concistorio Romae habito die 28 septembr. praenuntiatus fuit archiepiscopus huic Sedi vacanti D. Spiridion Maddalena; neque sacri operarii in Insulas unquam desierunt ad fidem propagandam. Corcyrae solus Suffraganeus extat Episcopus *Zacynthien et Cefalonien*.

Quod vero attinet ad Graeciam continentem, scitu dignum est eam a schismate graeco nunquam amplius hierarchiam catholicam habuisse. Constitutio regni helleni, quae per *Protocollum* anni 1830 acta est, legalem existentiam in Ecclesia catholica recognovit. Huiusmodi Ecclesiae praesidia asserta in Conventione anni 1863 quo insulae Ioniae Graeciae adscribebantur, firmiter servata fuere a variis guberniis, quae sibi invicem successerunt. Et hoc quidem fuit validum argumentum pro S. Sede, ut vota catholicorum Athenarum obsecundaret, nec non desiderium quod praesens Graecorum rex Georgius I Summo Pontifici expresserit; unde Pius Pp. IX mense iulii 1875 per Breve providebat archiepiscopi Athenarum Ecclesiam, usquedum uti *titularem* seu *in partibus infidelium* ad alios conlatam. Multi ex religiosorum et religiosarum coetu in illis terris adlaborant.

Interea Provincia ecclesiastica Archipelaci graeci comprehendit Archiep. *Naxien.* metropolit., et Episcop. *Andren.*, *Sanctorien.*, *Chien.*, *Syren.*, *Tinen. et Miconen.*

106. *Ecclesiae status in Gallia*—Ecclesia catholica in Gallia varias vicissitudines experta est pro temporum varietate [1]. Dum res tranquillae steterunt, Religio splendore et maiestate coruscavit; adveniente vero persecutionis turbine, dira procella agitata est. Attamen catholici veri nominis, certamine inito, pro religione strenue dimicarunt. Certe adversus Christi religionem luctuosa molimina a sectariis *massonibus* excitata sunt, qui, pessimo publico, nomen Francorum veluti Christo rebellium commaculare tentarunt. Gallia utique Ecclesiae filia primogenita semper fuit. Iam vidimus quot mala imperator Napoleon III reipublicae peperisset, ex eo quod ancipitem se in rebus gravissimis exhibuit. Huic vertendum si R. Pontifex dominatione temporali expoliatus est. Quod attinet ad studiorum curricula moderanda, parum aut nihil anticatholici profecerunt; nam Episcopi in id suam operam sedulo converterunt. Et quamvis controversia agitari coepisset de classicis auctoribus studio praeponendis nec ne; Pius IX iam inde ab anno 1853 [2] in Epistola ad Galliarum Episcopos haec scribebat: « Adolescentes clerici humanioribus literis, severioribusque disciplinis potissimum sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alieni, ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi, scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, tum ex clarissimis ethinicis Scriptoribus *ab omni labe purgatis* addiscere, verum etiam perfe-

---

[1] Vid. p. 351.

[2] Die 21 martii.

ctam praecipue, solidamque theologicarum doctrinarum, Ecclesiasticae Historiae, et sacrorum Canonum scientiam et auctoribus ab Apostolica Sede probatis depromptam consequi valeant ». Summus Pontifex, duobus aliis Brevibus [1], conquerebatur simul et damnabat morem inductum quo patresfamilias educandas committebant puellas ludimagistris recentioris notae civilitatis, et insuper studium Episcoporum Galliae in hoc malo arcendo laudibus prosequebatur.

Hoc tempore aliud lacrymabile factum Galliam moerore afflixit, nempe Gallicanismi excitatio. Parisiorum Archiepiscopus D. Georgius Darboy, postea vero mortuus uti sui muneris martyr, signum tulit in gallicanismi placitis evulgandis, et vim intendebat ut suos asseclas faceret Episcopos Galliarum, et totam nationem per eos. Hic sentiebat R. Pontificis potestatem in singulas ecclesias neque esse ordinariam, neque mediatam; R. Pontificem in uno casu tantum posse suam interponere auctoritatem in aliquam particularem ecclesiam, quando nempe ibi res ita incompositae fuissent, ut auctoritas R. Pontificis unicum esset remedium pro animarum salute curanda et Pastoris negligentia reparanda; dioecesim veluti regionem missionis evadere, et episcopum ordinarium veluti Vicarium apostolicum. Ex hoc principio ipse D. Darboy omnia possibilia consectaria inferebat. Ius appellationum ad Sedem Apostolicam dicebat esse abusum qui episcopo impediebat, imo impossibilem faciebat dioecesis administrationem. Nunciatura, Regulares, ipsaeque Romanae Congregationes erant veluti vepres in eius oculis, quia directe immittebant auctoritatem R. Pontificis in parisiensem ecclesiam. Regium *placitum*, recursus ad forum laicum, articuli organici, nullitas actuum pontificalium quibus Status venia deesset, haec omnia ultra propugnabat. Religiosi qui in sua dioecesi erant, nullo iure ad ipsos spectante frui dicebat, eo quod non recogniti a Statu et illis reditibus expertes per leges ecclesiasticas requisitis. Pius Pp. IX per epistolam ad Archiepiscopum missam die 26 octobr. 1865 de his capitibus doctrinae conquerebatur, et ea breviter refellebat; atque insuper execrabatur quod ipse Pastor parisiensis in funeribus summi ducis Magnan, magni-Orientis sectae massonicae, absolutionem feretro dedisset, in quo erant insignia sectae multoties a S. Sede proscriptae [1].

Haec doctrinae capita vigebant quinquennio ante Concilii Vaticani convocationem, et potestate laicali fovente, religiosa certamina iam sopita excitari denuo videbantur. Merito igitur maior pars Patrum Concilii Vaticani expostulavit ut postposita alia materia, ageretur de Primatu R. Pontificis ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Ideo in Capite III Constitutionis *Pastor Aeternus* definitio edita est de plena et suprema iurisdictionis potestate, qua pollet R. Pontifex super universam Ecclesiam, et hanc potestatem esse ordinariam et immediatam in omnes et singulos pastores et fideles. Insuper damnatum fuit *regium placitum* una cum recursu ad auctoritatem laicalem, et appellatione a iudicio R. Pontificis. At Pius IX animi solatium accepit ex eo quod D. Darboy ad frugem reversus est. Hic quidem, quamvis in Concilio Vaticano praecipuas partes habuisset in adversanda Constitutione *Pastor Aeternus*, tamen die 2 martii 1871 per epistolam R. Pontifici declarabat suam adhaesionem *puram et simplicem* eidem Constitutioni. Huic Pius IX rescripsit et sensus laetitiae cordis sui aperiens, eum excitabat ad doctrinas in Concilio Vaticano definitas fidelibus tradendas. Et etiam laetitiae Pio IX fuit reditus omnium Galliarum ecclesiarum ad romanam liturgiam.

Dum haec agebantur, Napoleon III arma conseruit cum Germanis [2]. Sed exitus pugnae infelix fuit, et imperator Bonaparte debuit se victum dare imperatori Germaniae. Ipsa quoque Gallia eum declaravit, una cum suis posteris, imperio privatum. Ast ille, dolore percitus, Angliae duobus post annis (1873) mortuus est. Gallia iam in Rempublicam se constituita erat. Antequam res quodammodo componerentur, Comunardae Parisiis imperio potiti, postquam omnia sacra pessundedissent, manus in Archiepiscopum iniecerunt dum is obsecundare studebat R. Pontificem, decreta Concilii Vaticani evulgando. Una cum archiepiscopo in vincula coniecti sunt D. Allard curatus Magdalenae, Iesuitae, duodecim Dominicani, aliique ecclesiastici viri, quin his aliquod crimen affingi posset; et postquam male habiti sunt, mortem appetierunt ex ignitis

---

[1] Dieb. 21 decembr. 1867 et 4 ian. 1868

[1] Vulesis *La Scienza e la Fede*, vol. LXXII, p. 238 sqq.

[2] Vid. p. 381.

globulis, tormentis bellicis explosis, dum innocentes victimae veniam pro suis occisoribus deprecabantur. Totum Galliarum imperium de hoc facto infremuit. Ideo brevi annorum cursu tres Archiepiscopi Parisiens. manu grassatorum necati sunt. Diebus terrore scatentibus iam transactis, initio a Gallico gubernio Ecclesiae iura satis observata sunt; quumque maior etiam libertas Ecclesiae concessa esset, Episcopi e piis fidelium donis magna largitate collatis, varias studiorum Universitates catholicas, Insulis, Parisiis, Tolosae, Andegavi, hortatu et auctoritate Pii IX Pontificis, erexerunt. Ad quas quum magna frequentia discipuli adolescentes iam confluissent, eximii exinde fructus pro religionis et scientiarum profectu sperari poterant. Sed praevalentibus magis magisque seditiosorum et impiorum conatibus, ultimis annis status rerum in Gallia denuo valde turbatus est.

Enimvero ostracismus, ad quem vi decreti diei 29 martii 1880 [1] per *demagogos* damnatae sunt Congregationes Religiosae in Galliis existentes, praetexuit defectum *recognitionis* ad legum tramites quo ipsae laborabant, qua *recognitione* vix pauci Ordines in Gallia muniebantur. Hisce Congregationibus iniunctum est ut trium mensium spatio postulationes pro *recognitione*, una propriis statutis gubernio exhibuissent, exceptis tamen Iesuitis, de quibus in decreto habebatur, eos frustra hoc idem aggressuros, quia nunquam gubernii beneplacitum consequi potuissent.

Interea Card. Archiepiscopus Parisiensis litteras ad Principem Reipublicae, ad Praefectum consilii publicis negotiis administrandis, et ad Praepositum quoque negotiis Galliae interioribus misit super decretis die 29 mense martio factis adversus Congregationes religiosas. In iis quidem litteris libere aeque ac placate Purpuratus ille demonstravit, ubicumque est Ecclesiae catholicae libertas constituta, ibi religiosos Ordines sponte coalescere; atque illud quoque scienter inter cetera ostendit, nullum esse rei publicae genus, cui religiosae sodalitates adversentur atque repugnent; non parum autem interesse tranquillitatis publicae, tot civibus innoxiis quiete placideque vivendi integram manere facultatem; non esse denique virorum populo bene consulentium, videri velle a religione, quae communis est omnium, discedere, fidemque catholicam ab avis et maioribus haereditate acceptam hostiliter consectari.

Ceterorum autem Episcoporum Galliae eadem de funestis illis decretis sententia fuit, idemque iudicium. Omnes enim magna cum laude fortitudinis ac moderationis patrocinium Ordinum religiosorum publice studioseque susceperunt.

Tot tantorumque meritorum commendatio, concordi Episcoporum testimonio instructa, satis virium ad intentatam prohibendam cladem habitura videbatur; praesertim cum Galliae cives ex omni ordine longe plurimi, praesenti sacrorum Ordinum discrimine commoti, alius alio studiosius profiteri voluntatem suam, honestissimo certamine obsequii ac benevolentiae, contenderint; neque pauci magistratu abire, publicisque muneribus sese abdicare memorabili exemplo fortitudinis maluerint, quam aut cladis adiutores se praebere, aut illorum decretorum fautores videri, quibus legitimae usuque diuturno receptae civium libertati inferri grave vulnus intelligebant.

Sed ad nobilissimas Episcoporum voces hominumque catholicorum querimonias, male auspicato consilio, clausae aures fuerunt. Imo imprudenter coniiciebatur sodalitates religiosas non esse interitum evasuras, etiamsi legitima societatum iura petivissent; quoniam non obscuris rerum atque animorum indiciis satis apparebat propositum de tollendis sacris Ordinibus iam in mentibus insedisse; eamque ob rem decere unanimi sententia censuerunt abstinere precibus; eo magis quod aliae caussae non deessent, quae idipsum persuaderent. Itaque ad constitutam diem, 30 augusti 1880, vi adhibita, primo illo decreto agi coeptum, quo sanciebatur ut Societas Iesu universa Gallia dissolveretur. Eius rei caussa Legatum Pontificium Parisiis consistentem Leo Pp. XIII deferre extemplo iussit querelas suas ad rei publicae moderatores, simulque ostendere, nihil esse tale meritos tot spectatae virtutis viros: quorum caritatem, doctrinam, curasque summo studio et perspicaci prudentia in educanda prae-

[1] En census religiosarum Congregationum quae in Gallia erant tempore dispersionis: Mulierum consociationes recognitae complectebantur 113,750 sorores; non recognitae vero erant 13,994, in 406 associationes sub diverso nomine collectae. Virorum congregationes recognitae adnumerabantur 30,000 membra; quae non erant recognitae 7500, et partiebantur in 384 Collegia. Iesuitae erant numero 1509; Trappistae 1455; Capuccini 506, Franciscales 450. Et hac proportionali ratione dicendum de Barnabitis, Benedictinensibus, Dominicanis, Tudistis etc.

sertim iuventute collocatas Apostolica Sedes sicut diu novit, ita plurimi facit. Atque eorum virtuti, Pontifex subdebat, et gratia et praeclaro iudicii sui testimonio, Galli suffragantur, cum filios adolescentes, carissima pignora, disciplinae integritatique ipsorum alacres et fiduciae pleni commendare soleant.

Verum cum editae per Apostolicum Legatum querelae nihil profecissent, in eo iam erat Pontifex, ut vocem suam Apostolicam attolleret adversus ea, quae in sacrorum Ordinum perniciem gesta essent, quaeve in posterum gererentur. Tunc autem Leoni Pp. XIII significatum est, posse a decretis ceterum perficiendis desisti, si sodales religiosi, datis in id litteris, declarassent, se a motibus commutationibusque rerum publicarum esse alienos, nec vivendo agendoque in studia partium discessisse. Caussae Summo Pontifici multae et graves suaserunt, ut conditionem acciperet. Igitur ea, quae expetebatur, declaratione facta, religiosis familiis minus timendum videbatur. Verumtamen maxime dolendum fuit gubernatoribus rerum Galliae publicarum pergere placuisse, quo instituerant; reliquae etiam Ordinum Religiosorum familiae disiectae et ad interitum vocatae fuere. Quare Leo Pp. XIII Epistola 22 octobr. 1880 ad Archiepiscopum Parisiensem de his maxime questus est, atque iniuriam Ecclesiae catholicae inlatam deploravit ac detestatus est.

At vero suppressio Ordinum haud *recognitorum* in Gallia res fuit maioris crudelitatis et iniustitiae: siquidem consociationes huiusmodi nullum pecuniae subsidium a gubernio percipiebant; ipsae domus ubi convivebant, iure proprietatis, ad privatas personas pertinebant tempore quo ab illis expulsi fuerunt; et in hac regione apud quam libertas viget in quamcumque associationem coeundi, in qua perduelles sectae libere se produnt, hoc ex odio tantum in Christum, religiosis coetibus interdici visum est.

Horrendum vero dictu quomodo immani barbarie hi religiosi fuerint expulsi. Portae domorum disiectae; plerique ex magistratibus officium suum dimiserunt, vel imperata facere detrectarunt; populus turmatim ad portas coenobiorum confluebat; milites acciti ad hoc opus perficiendum. Quidam ex Iesuitis a rege Daniae vocati fuere, quidam ex pp. Salettensibus a rege Sueciae. Gallia catholica haud indifferens coram tanta iniuria stetit, et cives, collecta stipe, scholas catholicas ad erudiendos natos suos aperierunt. Heu! cito dies fortunata veniat quando impii et sectarii massonici a malo Ecclesiae inferendo et patriae pernicie desistant.

107. *Roma caput Orbis post ruinam moenium ad Portam Piam*—Quoniam conculcato omni iure, Urbem italicae copiae occuparunt, eamque itali Gubernii sedem homines turbulenti constituerunt, facile fuit ad credendum eo spectare consilia et opera aggressorum, ut non modo civilis Principatus Pontificis, sed ipsa eius vicaria Christi potestas ac Sanctae Sedis auctoritas, omnibus ecclesiasticis piisque subsidiis abolitis, pessum iret. Iam vero hoc opus eversionis omnium rerum, quae ad aedificium Ecclesiae catholicae pertinent, coeptum et continuum fuit per leges et decreta vel pro Romana provincia primum condita, vel in ea tunc promulgata, quae Cleri cum saecularis tum regularis iura et officia rumpunt. Huiusmodi sunt leges, quas *conversionis* redituum ecclesiasticorum appellant, unde patrimonium, quod Ecclesia sacris diuturnis ac inviolabilibus titulis possidebat, magna ex parte fuit ereptum, substitutis eius loco ac ex parte tantum exiguis reditibus, qui ancipitibus temporum vicibus, et voluntati et arbitrio publicae potestatis subiiciuntur. Hinc magno numero aedificia, quae christianis Romae temporibus digna erant, quaeque pacatum hospitium praebebant virginibus Deo devotis aut Regularium familiis, indiscriminatim, legitimis possessoribus eiectis, occupata fuere, et in profanos usus destinata. Adempta insuper fuerunt potestati, et sacrorum ministrorum curationi tot pia opera et instituta, charitati et beneficentiae exercendae consecrata, quorum nonnulla egestati aliisque miseriis et necessitatibus sublevandis mira munificentia ipsi Romani Pontifices, et exterarum gentium pia liberalitas condiderant. Praeterea funestissima ea lex lata fuit, qua magno universorum Episcoporum et Italici populi luctu, iuvenes clerici a sanctuario nequiter avulsi et coacti aetate ipsa, qua se Deo solemniter consecraturi sunt, saecularis militiae balteum accipere adstringuntur, ac vitae genus perferre, quod ab Institutis et a spiritu vocationis suae longissime abhorret. Nec minus funesta evasit lex ordinata supprimendis Ordinibus religiosis, quae Romanum Pontificem strenuis ac utilibus adiutoribus damnose spoliavit, quorum opera in expediendis Ecclesiasticarum Congregationum negotiis, in tot partibus ministerii exercendis Illi omnino necessaria

erat, ac eodem tempore in ipsa Urbe tot domicilia delevit, quae religiosos viros ex exteris nationibus excipiebant, qui statis temporibus Romam convenire consueverant ad roborandum spiritum, ad rationes de suo ministerio reddendas, atque ab ipsis radicibus crudeliter abscidit tot utiles ac feraces plantas, quae fructus benedictionis et pacis in omnes terrae plagas offerebant. Eadem autem suppressionis iniuria, quae Collegia perculit pro sacris missionibus in Urbe constituta ad dignos operarios efformandos, qui Evangelii lucem in dissitas etiam et inhospitas terras animose proferrent, ea misere subduxit tot populis tam salutare pietatis et charitatis auxilium magno cum detrimento ipsius civilis humanitatis et cultus, qui a catholicae Religionis sanctitate, doctrina, virtute dimanat[1]. Harum legum acerbitas succrevit novis ordinationibus rei publicae ministrorum, quibus religiosarum familiarum communi in domo consociationes, et novae admissiones pro regularibus utriusque sexus sub severis sanctionibus prohibentur. Funestis huiuscemodi legibus ac decretis coronidem posuit lex illa, qua Ecclesiae auctoritati et moderationi subductum fuit publicum ac privatum doctrinarum et artium magisterium et docendi munus concreditum hominibus suspectae fidei aut apertis Ecclesiae inimicis, et qui non dubitarunt atheismi impietatem publice profiteri.

Quum ita res esset, tamen non deerant homines, qui sive per publicas ephemerides, sive peculiaribus scriptis, sive impudentibus sermonibus plurium occasione conventuum habitis, obtrudere et persuadere populis conabantur hanc Summi Pontificis in Urbe conditionem talem esse, ut etiam sub alterius potestatis dominatione constitutus, plena libertate frui possit ac tranquille et plene suo supremo spirituali primatu perfungi. Ad quam opinionem publice ipsi confirmandam, cum Episcopi et fideles ex exteris plagis ad Pontificem visendum accederent, sive cum eorum pios coetus ad suum conspectum Pontifex admitteret, sive cum impios ausus contra Ecclesiam Suis ad eos sermonibus deploraret, de industria et callide incautis insinuare studebant, Pontificem reipsa plena potestate et libertate frui, tum loquendi, tum excipiendi fideles, tum Ecclesiam universam administrandi. Pius Pp. IX allocutione habita die 12 martii 1877, de hisce malis artibus questus, sic Cardinales alloquebatur: « Mirum Nobis est quod talia impudenter iactari possint, quasi exercitium illorum actuum qui recensentur plene et omnino esset in Nostra potestate, et quasi in iis tota gubernationis Ecclesiae ratio, quae ad munus Nostrum pertinet, contineretur. Quis enim nescit non sub Nostra sed sub dominantium potestate esse actus eius libertatis quam tantopere extollunt, ita ut eatenus et tamdiu eosdem actus exercere possimus, quatenus et quamdiu hoc ab iis non impediatur?... Vellemus, qui sic scribunt vel loquuntur, eos agnoscere convi-

---

[1] Ut primum Superiores generales Ordinum Religiosorum propositum Gubernii didicerunt subiiciendi Legislativo Coetui legem abolitionis omnium Religiosarum Familiarum Romae et in circumpositis romanis provinciis, libellum inscripserunt, die 4 octobris 1871, iis qui regnorum Europae gubernacula tenent, accommodatum ad persuadendum, ut Romani Pontificis sedes tali ac tanta iactura incolumem servaretur. Damna ex huiusmodi lege obvenientia non modo civili Summi Pontificis potestati, sed etiam supremi eius apostolatus exercitio significavit quoque Pius Pp. IX per epistolam die 16 iunii 1872 datam ad suum Cardinalem a Publicis Negociis, ipsique mandavit, ut novum hoc impendens periculum nuntiaret Legatis apud Sanctam Sedem exterorum Principum. Cum autem proposita lex comminata fuit, Pontifex, allocutione habita ad Cardinales die 23 decembris eiusdem anni, editas expostulationes iteravit, et facinus damnavit una cum quolibet schemate legis, quae sibi potestatem arrogat angendi, vexandi, minuendi, supprimendi Religiosas Familias Romae et in circumpositis provinciis, ibique Ecclesiam privandi suis bonis, eaque addicendi fisco aut aliter erogandi. Consummato autem iniquitatis opere tunc designato, censuit Pius Pp. IX non abstinendum ab iis iterandis, quae toties ad deterrendos ab ausu scelesto publicarum rerum moderatores fuse iam exposuerat de legis impietate, malitia, fine, et gravissimis detrimentis. Hoc praestitit allocutione, quam habuit ad Cardinales die 25 iulii 1873, declarans irritam suapte natura ac nullam legem ipsam, et eos omnes, qui eam proponere, probare, ac sancire non extimuerunt, nec non mandantes, fautores, consultores, adhaerentes, executores, bonorumque ecclesiasticorum emptores, maiorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas obstrictos esse et in aperto versari damnationis aeternae periculo. Eodem anno clarus causis agendis Armandus Revelet edidit suam *Consultazione per gli Ordini Religiosi di Roma*, eorum iura defendens; ac legem abolitionis examinans ratione iuris naturae et ecclesiastici, nullam ac irritam esse ostendit. In eius sententiam descenderunt illustres iuris consulti omnium nationum, universitatum studiorum antecessores, et magistratus, quibus omnibus summam comparavit auctoritatem Pius Pp. IX suo apostolico Brevi die 9 iulii 1873 Armando Revelet dato, cum laudibus ornans.

cia, iniurias, contumelias, quae etiam in aula Oratorum Populi continenter contra humilitatem Nostram effunduntur. Vellemus eos testes esse probrorum et calumniarum, quibus tum amplissimus ordo vester, tunc sacri Ecclesiae magistratus omnibus modis impetuntur, tanto cum administrationis eorum detrimento; testes esse irrisus ac ludibrii, quo augusti ritus ac institutiones catholicae Ecclesiae dehonestantur, petulantiae, qua sanctissima religionis mysteria profanantur, ac conspicere publicis honoris significationibus et pompis decoratam impietatem et atheos homines, dum contra religiosae supplicationes et pompae vetantur, quas avita Italorum pietas libere semper celebrare solemnibus temporibus consuevit. Vellemus etiam ipsis notas esse blasphemias, quae impune, auctoritate publica dissimulante, contra Ecclesiam in legumlatorum conventu coniiciuntur, in quo Ecclesiae ipsi subvertendi et aggrediendi criminatio est illata, libertas eius nefarium ac fatale principium vocatum est, doctrinae eius perversae, ac societati et moribus adversantes appellatae sunt, vis et auctoritas eius, tamquam civili consortio perniciosa incusata fuit. Neque possent iidem confictae Nostrae libertatis praecones inficiari tot multiplices continuas graves occasiones, in id comparatas, ut incauta iuventus inflammatis cupiditatibus corrumpatur, ac ex eius animo catholica fides radicitus extirpetur. Si ipsi demum vias huius Urbis, quae per B. Petri cathedram Religionis sedes et caput est obirent, iudicare percommode possent utrum templa acatholici cultus his temporibus excitata, scholae corruptionis quaquaversus diffusae, tot domus perditionis passim constitutae, obscena et foeda spectacula quae oculis populi offeruntur, talem rerum conditionem faciant, quae tolerabilis sit ei, qui pro sui apostolatus officio debet quidem et vellet tot malis occurrere, at contra omnibus mediis et rationibus, omni potestatis exercitio privatur, quo possit vel uni tantum ex tot malis necessaria remedia adhibere, et animabus in exitium ruentibus opem ferre. His ita se habentibus, nonne nova amarulenta irrisio et ludibrium existimandum est illud, quod saepe dicitur, nempe debere Nos conciliationis et concordiae consilia cum novis dominatoribus inire, cum haec conciliationis ratio non aliud ex parte Nostra esset, nisi omnino prodere non modo summa Sanctae huius Sedis iura, quae tamquam sacrum et inviolabile depositum ad hanc supremam cathedram evecti custodienda ac tuenda recepimus, sed etiam et praecipue prodere divinum ministerium Nobis pro salute animarum commissum, tradere haereditatem Christi in manus auctoritatis huiusmodi, cuius opera ad ipsum catholicae religionis nomen, si fieri posset, delendum, diriguntur?... Haudquaquam certe, haudquaquam Romanus Pontifex est aut erit unquam plenae libertatis compos, ac suae plenae potestatis, donec aliis in Urbe sua dominantibus subiiciatur. Alia eius sors Romae esse non potest nisi aut supremi Principis aut captivi; nec umquam catholicae Ecclesiae universae pax, securitas, tranquillitas constare poterit, donec exercitium supremi apostolici ministerii obnoxium fuerit studiis partium, arbitrio dominantium, vicibus politicarum electionum, consiliis et operibus hominum callidorum ac utilitatem iustitiae praeferentium ».

Tot tantisque curis distentus, tam gravibus angustiis oppressus, Pius Pp. IX constanti animo, in aedibus Vaticanis, sollicitudinem Ecclesiae universae numquam intermisit. Luctuosum rerum religiosarum in Italia dolens significavit non modo litteris missis in forma Brevis ad unum vel alterum inter eminentiores Ecclesiae Praelatos, sed etiam Allocutione ad Cardinales habita die 27 octobris 1871 et Littera Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos orbis catholici die 21 novembris 1873.—Eodem anno, VII° idus decembris, Litteras Apostolicas dedit, *Qui attingit*, quibus sententiam ab Archiepiscopo Mediolanensi prolatam super identitate corporum Sancti Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris, ac Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, Mediolani recognitorum, confirmavit, Sacrum Iubilaeum indixit, Bulla *Gravibus Ecclesiae* diei 24 decembris 1874, quod etsi Romae solemniter aperire haud potuit, tamen cum in Urbe, tum in universa Ecclesia, magno animarum fructu, celebratum intellexit [1].

Multiplicia interim devotionis suae in

---

[1] Pius Pp. IX tempore sui pontificatus octo Iubilaea indixit nempe: Litteris Apost. *Arcano divinae Providentiae* 20 nov. 1846; 2 iul. 1850 occasione sui reditus in Urbe; Encycl. *Ex aliis Nostris* 21 novembr. 1851; Encycl. *Apostolicae Nostrae* 1 aug. 1854. Allocut. *Cum primum* 25 sept. 1857; Encycl. *Quanta Cura* 8 decemb. 1864; Litt. Apost. *Nemo certe ignorat* 11 april. 1869; et Encycl. *Gravibus Ecclesiae* 24 decemb. 1874

Pontificem argumenta frequentius tradiderunt Praesules ac fideles, sive Romam adeuntes, ut eum venerarentur, sive maiora pecuniarum subsidia ad eum mittentes, qui omnibus suis reditibus orbatus, omnium pene levavit inopiam. Summa haec amoris et venerationis documenta Pio Pp. IX praecipue exhibita fuerunt, quum ipse anno 1877 quinquagesimum Episcopalis suae consecrationis natalem diem ageret. De his sermonem faciens Pontifex ad Cardinales, allocutione diei 22 iunii illius anni, appellavit illud magnum spectaculum mundo, Angelis et hominibus, subiungens: « In omni pene mundi regione ille dies divinae erga Nos benignitatis et miserationis a populo Dei publicis laetitiae et religionis significationibus celebratus est, undique ad Nos litterae allatae sunt plenae filialis affectus, plenae doloris ob iniquum bellum cui obnoxii sumus, quasi tum primum post longa intervalla filiorum vox compressa erupisset: ipsi etiam catholicarum nationum rectores, aliique principes viri et feminae non solum amplissima nobilitate, sed regali etiam sanguine spectabiles, suae Nobis devinctae voluntatis officia exhibuerunt, luculenter ostendentes suum religiosum studium ab aliorum pietate non vinci. Frequentia autem ac multitudo Fidelium ex omni lingua populo et natione, ex omni ordine aetate et sexu, qui praeeuntibus Pastoribus suis, peregrinatione suscepta ex remotissimis etiam regionibus ad Nos venerunt, fide et amore eorum animos inter tot cuiusque generis incommoda sustentante, comperta est Vobis. . . Vos enim vidistis confertissima agmina ad has aedes Nostras ita in dies singulos confluentia,ut satis ostenderent quam cuperent diuturnum desiderium Patris sui conspiciendi et alloquendi explere, vidistis amantissimos filios voces Nostras cupidissime haurire, et suis protestationibus ac obsequii significationibus, quas lacrymae interdum interrumpebant, in persona humilitatis Nostrae Vicariam Christi potestatem venerari, atque ipsum colere Apostolorum Principem, cuius dignitas in indigno licet haerede non deficit. Hanc autem venerationem illustriorem ac splendidiorem quoque catholicus populus facere voluit, missis et allatis ad Nos ex omni parte uberibus largitionum subsidiis, missis et allatis muneribus multitudine, varietate, pretio, artificio admirabilibus, quae dum Nobis facultatem praebent subveniendi huius Apostolicae Sedis, et Ecclesiae suis bonis spoliatae necessitatibus, christianae etiam caritatis vim et splendorem produnt ».

Communis Patris acerbitatibus sublevandis fuit haec fidelium alacritas et constantia, sed ipse Pontifex in praeliis Domini praeliandis constans et alacer, Episcoporum eorumque fidelium subditorum preces enixe expostulavit, Allocutione habita in Vaticanis aedibus die 27 decembris ipsius anni, ut Deus misericors Ecclesiam suam glorificaret; et Immaculatae Virginis Mariae, quae tot tantaque beneficia in homines confert in illustri specu *Lourdes*, Rosam auream, a se Dominica IV Quadragesimae de more benedictam, dicavit [1]. Ino-

[1] Est Rosa aurea sacrum donum ac sollemniter Dominica IV Quadragesimae a Summo Pontifice benedictum, et vel per se, vel per suos Legatos Catholicis Principibus, Ecclesiis Cathedralibus, emeritis Ducibus, in praecipuae dilectionis argumentum, missum. Quid aurum, quo Rosa haec conficitur, quidve muscus et balsamum, quae continet, et dies, qua benedicitur, significent, exponit Auctor *Caeremonialis* editi iussu Gregorii X, apud Mabillonium (*Mus. Ital.*). Franciscus Anivitti in sua Dissertatione de *Rosae aureae* origine, refert Honorii III genuinum textum mss., quod Romae asservatur in monasterio Sanctae Crucis de Hierusalem, in quo legitur: *Hodierna die R. P. consuevit Rosam auream in manu portare. Tempus* (considera) *quia in media Quadragesimae, locum quia in s. Hierusalem, personam quia est Summus Pontifex et verius I. C. qui est rex regum et Dominus dominantium, qui significatur per Rosam. Tempus considerandum est quia talis solemnitas ordinata fuit a B. Gregorio in Dominica quadragesimae pro eo quod humanum corpus suppositum est humanis infirmitatibus.* Testatur itaque Honorius III, qui summum Pontificatum gessit ab an. 1216 ad an. 1227, Beatum Gregorium Papam eiusmodi ritus institutorem fuisse. Verum cum plures fuerint Pontifices, nomine Gregorii, qui ante Honorium III Sanctam Sedem obtinuerunt, quaeritur ab eruditis, quisnam sit iste Beatus Gregorius. Franciscus Anivitti memoratus probare adnisus est, fuisse B. Gregorium Magnum, electum Pontificem an. 590; P. Incofer originem benedictionis Rosae aureae assignat Sanctis Gregorio II vel III, ab an. 715 ad an. 741; Lorigo tenet difficillimum esse investigare huius ritus exordia ante S. Leonis IX (an. 1049 ad an. 1054) tempora; P. Calmet S. Leonem IX auctorem facit huius Rosae consecrationis, quamvis Benedictus XIV non Leonem IX, sed alium Pontificem eius praedecessorem, sed incertum, institutorem huiusmodi caeremoniae tradat; Pagi, in *Brev.Rom.*, originem Rosae aureae refert ad Urbanum II, an. 1088. Alii alia de hac quaestione sentiunt. Sed iuvat heic adducere, de huius doni merito, ea quae Callistus Pp. III scripsit ***Rosam auream*** mittens Carolo VII regi Gallorum. *Non muneris aestimanda est quantitas*, aiebat Pontifex, *sed al-*

pinata demum morte correpto in Quirinali Palatio rege Victorio Emmanuele, eiusque filii Umberti edicto novi regni promulgato, Pius Pp. IX per Cardinalem sibi a secretis litteras dedit ad Nuntios Pontificios die 28 ianuarii 1878, quibus veram narrationem texuit eorum, quae suprema adveniente hora Victorio Emmanueli acciderant, atque ad omnes Oratores Principum ceterorumque Guberniorum apud Sanctam Sedem protestationem misit die 17 eiusdem mensis contra alteram civilis Ecclesiae Principatus occupationem.

108. *Alia gesta Pii Pp. IX*—Probe noscens in quantis rerum ac temporum difficultatibus versaretur, nihil intentatum Pius Pp. IX reliquit, ut summo Ecclesiae bono prospiceret, ac Pontificiae ditionis subditos bonis omnibus locupletaret. Publicam administrationem, qua opus erat, instauravit, iudiciorum ordinem, habita temporum ratione, composuit, industriam promovit. Raro clementiae exemplo libertate donavit eos omnes, qui rebellionis nomine detinebantur, tum exules in patriam revocavit. Equestrem Ordinem an. 1847 creavit, qui *Pianus* ab eius nomine dictus fuit. Litteris *Quamvis peculiares* 9 febr. 1853 nonnulla privilegia Protonotariis concessa moderanda, et vero etiam abroganda censuit, et fecit. Pro integra regularis disciplinae observantia novam Cardinalium Congregationem *De statu Regularium Ordinum* Romae instituit et Litt. Apostol. *Romani Pontifices,* die 6 ian. 1862, instituit Congregationem *de Propaganda Fide pro negotiis ritus Orientalis*. Inter haec suae apostolicae sollicitudinis opera omnibus omnia factus mira mansuetudine, pietate ac beneficentia praestitit. Praecipua eius cura fuit pauperibus, quos vere singulari prosequebatur benevolentia, subvenire; infirmos in nosocomiis degentes sublevare; scientiis artibus et litteris patrocinari. Veterem viam Appiam instauravit; portam Pancratianam, quam an. 1848 factio seditiosorum deformaverat, splendidiore cultu restituit, et statione praesidiorum et portitorum communiit; vias ferreas axibus constratas ab Urbe ad fines Neapolitani regni prope mare mediterraneum ob mutua commercia deducendas curavit; columbarium extra portam Capenam ad Caeliolum instauravit, et literatis lapidibus monumentorum veterum instruxit; subversis molibus et ruderibus egestis reliquias basilicae Iuliae restituit. Patriarchalem Basilicam Ostiensem dira incendii vi an. 1823 penitus consumptam, quam Leo XII, Pius VIII et Gregorius XVI magni sumptibus splendidius quam antea, reaedificandam susceperant, Pius Pp. IX ad exitum perduxit, et ıv° idus decembris 1854 dedicavit tanta cum solemnitate [1], quantam nunquam alia, nisi forte perraro, vidit aetas ob ingentem Cardinalium et Episcoporum frequentiam, qui ex dissitis etiam catholici orbis regionibus Romam advenerant, irreformabile Pontificis decretum fidei de immaculata B. M. V. Conceptione instantissime exposcentes. Templum divae Agnetis martyris ad forum Agonale exornavit, eique continentes aedes canonicorum Lateranensium, vetustate dilabentes, ubi e magno vitae periculo sospes fuit [2], a solo refecit, et ibidem catacumbas in loco dicto de *Petra Aurea* detexit prope ecclesiam ss. martyrum Alexandri, Eventii et Theoduli; divi Callixti etiam hypogaeum extra portam Sebastianeam effodit. Nam Pio IX promovente ac probante, sacrorum monumentorum effossio, cura et studium viguerunt quotidie in melius, ita ut ab archeologis *Antiquitatis vindex* [3] fue-

tioris significationis qualitas interpretanda... En igitur accipe pignus et monumentum nostri amoris... Rosam hanc laetissimo corde suscipe; nec et auri fulgor sed contemplatio Divinae significationis teneat. . . Utinam Divinus ardor penetret in tuos sensus, Carissime Fili!

[1] Vid. Allocut. 10 decemb. 1854.

[2] Mirandum hunc eventum cum omnibus suis adiunctis, quae praesentissimum Dei ac Immaculatae Virginis Mariae in Pium IX auxilium indubitanter testantur, fuse enarrarunt in vol. XXIX ephemerides *La Scienza e la Fede*, an. 1855. Tantae rei memoria ut posteris quoque servaretur, inscriptio marmori insculpta Romae ad ianuam sanctae Agnetis coenobii posita est.

[3] Quam merito id encomii Pio IX tribuatur, quisque potest perspicere ex praeclara collectione sacrarum inscriptionum Urbis Romae saeculo VII vetustiorum, quam quidem munificentissimi Pontificis sumptibus accurate ac splendide cudendam suscepit Romae eruditissimus antiquitatis scrutator Ioannes Baptista de Rossi, uti sequens inscriptio eidem collectioni praemissa denotat:

Liber Sacer Esto
Honori Et Nomini
Pii IX P. M.
Cuius Providentia Et Iussu
Haec Veteris Ævi Christiani
Romana Monumenta
In Lucem Prodeunt

Hoc sane opus, cuius titulus est, *Inscriptiones Christianae Urbis Romae septimo saeculo antiquiores*, quin multum lucis sit allaturum catholicae fidei veritati, non est qui in dubium vocare potest.

rit consalutatus. In quorum commodum museum christianum in aedibus Lateranensibus dedicavit; et in ipsum ex christianis hypogaeis, ubi Christifideles odio impiorum in capitis discrimen adducti, inter martyrum loculos olim delitescebant, inferri iussit reliquias priscarum artium suis expensis effossas; item *Academiam archeologicam* fundavit. Museum anathomicum pro cultoribus artium naturalium laute adornavit; museum rerum naturalium conclavibus omni cultu exornatis, et nova metallorum, lapidum et fossilium copia per pluteos digesta in elegantiorem formam refecit. Seminarium, quod ex suo nomine *Pianum* appellari passus est, ad sancti Apollinaris in Urbe fundavit, ea lege ut singuli ephebi, ex unaquaque dioecesi regni Pontificii, bini ex Senogalliensi, religiosis moribus probatissimi publice alerentur [1]. Romanum archigymnasium ampliavit auctis magisteriis, praemiis studiorum iuventuti propositis, veterum monumentorum gaza bibliothecae attributa, sacrario in splendidiorem formam restituto, scalis et porticibus instauratis. Ludum aperuit in regione Urbis adiecta, ubi religiosi sodales a Misericordia pueros sexennium egressos doctrinam christianam, historiam sacram, italam dictionem, arithmeticam, geographiam docerent, libris omnique instrumento in discentes publice erogatis. In eadem Urbis regione puellis publice instituendis magisterio virginum, quibus a Providentia nomen est, amplas aedes cum hortis eo consilio extruxit, ut diebus festis in disciplinam convenirent grandiores natu, quae profestis assiduo opere destinentur. Suburbanum praedium in via Portuensi sodalibus Iosephianis attribuit, ut adolescentuli rusticis laboribus durati ad rem agrariam publice fungerentur. Fidei propagationi in longinquis regionibus summopere studuit, atque piissimum opus sanctae Infantiae, quod bono Sinensium puerorum nunc primum, ipso auspice, institutum est, datis litteris Apostolicis xv° calend. augusti 1856, Episcoporum curae valde commendavit, ac indulgentiis et privilegiis auxit. Abolevit tribunal sic dictum Monarchiae Siculae [2]. Inter Doctores adscripsit s. Alphonsum de Ligorio [3], s. Hilarium de Poitiers [4], et s. Franciscum Salesium [1]. Adprobavit etiam varia Instituta seu Congregationes religiosas; quid vero egisset pro S. Iosepho et pro devotione SS. Cordis Iesu iam diximus [2]. In *Sanctorum* numerum quinquaginta et duos, aeque ac inter *Beatos* ducentos et viginti unum Servos Dei solemniter adscripsit [3]; sicuti, e S. Rituum Congr. consulto, aliis centum et novem cultum Beatorum vel Sanctorum ab *immemorabili* tributum, auctoritate Apostolica confirmavit.

1 *Litt. Apost.* 14 maii 1853.
2 Vid. p. 13 in nota et p. 252
3 Cf p. 303.
4 Per Breve diei 13 maii 1851.

109. *Pii Pp. IX obitus* — Die septima februarii an. 1878, Pius IX annos natus 85, menses 8, et dies 26, pulmonis paralysi correptus, Ecclesiae Sacramentis aliisque Religionis auxiliis communitus, cum suis in genua adstantibus benedixisset, hora quasi sexta a meridie, ex hac vita discessit. Primus ipse fuit inter Romanos Pontifices, qui Summum Pontificatum gereret annos 31, menses 7, et dies 23. More Pontificum tumulatus est ad tempus in Basilica Vaticana, unde mense iulio an. 1881 eius reliquiae translatae sunt ad ecclesiam S. Laurentii extra moenia in Fundo Verano [4]. Sepulcrum

1 Vid. p. 200 et 224.
2 Pp. 135 et 292-293.
3 Cf, prae aliis, pp. 373-376.
4 Cum supremam Pii Pp. IX voluntatem, qui corpus suum in Basilica Laurentiana extra pomerium condi iusserat, perfici oporteret, monitis iis qui securitatem publicam tueri debebant, constitutum fuerat, ut ex Basilica Vaticana corpus eveheretur silentio noctis, eoque tempore quod esse solet maxime quietum. Item ducendum funus esse placuit non eo apparatu, qui Pontificiae dignitati Ecclesiaeque institutis conveniret, sed quem praesens romanae urbis conditio sineret. Verum eius rei vulgatur repente fama Urbe tota; quare populus romanus beneficiorum ac virtutum tanti Pontificis memor, sponte demonstrabat, velle se parenti publico obsequium pietatemque supremam testificari. Quod quidem grati et amantis animi testimonium plane futurum erat populi romani gravitate et religione dignum, cum nihil aliud esset propositum, quam aut funus decenter prosequi, aut, quo incederet, frequentes ac venerabundos adesse.
Ad constitutam diem 13 iulii 1881, noctu, pompa funebris e templo Vaticano processit, ingenti multitudine ex omni civium ordine per compita perque vias circumfusa. Magnus piorum hominum numerus circa feretrum, maior pone comitabatur, incessu pacato et gravi. Ab his quidem aptas tempori preces fundentibus nec vox nec significatio ulla exstitit, quae lacessere quemquam, aut turbas quoquo modo ciere posse videretur. Sed ecce vel a principio non ignota flagitiosorum manus incompositis clamoribus lugubre officium perturbare. Mox aucto numero et audacia, ingeminare terrores ac tumultus; rebus sanctissimis maledicere, spectatissimos viros sibilis conviciisque

et titulum ipse testamento caverat, redolentque christianam simplicitatem. Nam in fronte exigui tumuli sub mortui calvaria legitur: *Ossa et cineres Pii PP. IX — Vixit annos* LXXXV — *in Pontificatu* a. XXXI. m. VII. d. XXIII. — *Orate pro eo.* Tam diuturno Pontificatu Pius etsi pressus adversis, tamen creavit centum viginti tres Cardinales, et duo millia supra centum Episcopos. Ad honores et iura Ecclesiae Metropolitanae extulit viginti novem Episcopales Sedes, instituitque centum triginta duas novas dioeceses, tres Apostolicas Delegationes, triginta tres Vicariatus et quindecim Praefecturas Apostolicas, necnon Coenobium *Ss. Nicolai et Benedicti, Praelaturae Nullius*, Monaeci.

110. *Leo XIII Pontifex* (*an.* 1878) — Sublato e vivis Pio Pp. IX, trepidarunt fideles, nam Petri navis feris iactabatur fluctibus, eamque mergere augurabantur homines inimici, qui Pium IX ultimum fuisse Romanum Pontificem venditabant. Sed evanuerunt in cogitationibus suis, factique sunt veluti milites custodientes sepulcrum Christi, qui testes Eius gloriosae resurrectionis inviti extiterunt. Vaticanas enim aedes, in quibus Conclave celebrabatur, suis satellitibus sepire arbitrati sunt, iique astare potuerunt solemni promulgationi, quae post triduum facta est, die scilicet vigesima februarii, electi Summi Pontificis Cardinalis Ioachim Pecci, qui Leonis XIII nomen assumpsit.

Carpineti, oppidi dioecesis Anagniae, die 2 martii 1810, natus est Ioachim Pecci ex Comitibus Ludovico et Anna Prosperi. Postquam litteris scientiisque apud Patres Societatis Iesu diligentissime vacasset, Sacerdotio auctus est die 23 decembris 1837. A Gregorio Pp. XVI Apostolicam Delegationem accepit in provincias Beneventi, Spoleti et Perusiae, quas per vices ita iuste ac solerter administravit, ut Beneventi terras praedonibus purgaverit, et nonnunquam Perusiae carceres vacuae prorsus extiterint. In Consistorio diei 27 ianuarii 1843 Episcopus creatus est, et die 19 februarii 1844 Nuntius Apostolicus ad Belgas missus Bruxellis. Perusina episcopalis sedes, quam Ipse Pontifex creatus ad archiepiscopalem dignitatem evexit, adsignata ei fuit in Consistorio diei 19 ianuarii 1846, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis renuntiatus est in Consistorio diei 19 decembris 1853. Ecclesiasticas has promeritas dignitates Pius IX Peccio cumulavit, cum ei Praefecturam Aerarii S. R. E. *(Camerlengato)* attribuit.

Pontifex electus, et die 3 martii solemniter coronatus, primam suam Epistolam Encyclicam ad universum orbem dedit die 21 aprilis 1878. In ea, quae incipit: *Inscrutabili Dei consilio*, commonstrat malorum congeriem, qua mundus premitur, a contemptu sanctae ac infallibilis Ecclesiae auctoritatis descendere; haec enim est vindex et tutamen omnis legitimae potestatis. Ideoque civilitas, quae Ecclesiae legibus contradicit, haud talis revera diei potest. Ut autem in animum inducant omnes, praesertim principes, ceterique populorum rectores, Ecclesiam Catholicam fontem et originem esse civilitatis gentium, suis doctrinis, legibus et factis, en quorsum spectant Leonis Pp. XIII litterae, sermones, et opera.

---

accipere: vultuque et voce et ira minaces circumvenire hostiliter lugubrem comitatum, et verberibus saxisque certatim petere. Immo, quod nulla barbaria tentavisset, ne reliquiis quidem Pontificis sanctissimi pepercerunt. Non modo enim nomen Pii IX contumeliose appellatum, sed in currum quadrigarum, quo reliquiae vehebantur, coniecti lapides, pluriesque inclamatum, proiiciendos inhumatos cineres. Continuatumque longo viarum tractu, duarum horarum spatio, turpe spectaculum. Quod si non ad extrema ventum est, moderationi eorum tribuatur, qui quamvis omni vi petulantiaque lacessiti iniurias patienter ferre maluerunt, quam ullo modo sinere ut inter illud pietatis officium funestiora contingerent.

Leo Pp. XIII allocutione habita 4 augusti 1881 graviter conquerebatur de hoc nefandi scelere, aiens: « Deploramus, illatamque expostulamus iniuriam, cuius ad eos culpa pertinet, qui nec iura religionis nec civium libertatem adversus impiorum hominum furorem defenderunt. Atque ex hoc ipso perspiciat catholicus orbis quanta Nobis in Urbe securitas relinquatur. Cognitum perspectumque erat, coactos Nos esse ad asperam multisque de caussis non ferendam conditionem; hanc tamen recens eventos, de quo loquimur, magis patefecit atque illustravit, simulque ostendit, si acerbus Nobis est rerum praesentium status, acerbiorem esse expectationem reliquarum. Quod si evectos per Urbem Pii IX cineres indignissimae perturbationes maximique tumultus consequuti sunt, quis praestare queat, non eamdem improborum futuram audaciam, si Nos incedere convenienter dignitati Nostrae per Urbem spectarent? Praesertim si datam sibi caussam putarent, quod Nos officium coegisset aut latas in Urbe leges non iustas damnare, aut quicquam aliud publice non iure gestum reprehendere. Quapropter magis magisque intelligitur, non alio modo Nos Romae nunc posse consistere, quam in aedibus Vaticanis captivos. Immo si quis attente certa indicia consideret, quae passim erumpunt, simulque cogitet, aperte coniuravisse sectas in excidium catholici nominis, non sine caussa affirmari potest, adversus Ecclesiam Christi et Pontificem maximum, fidemque avitam Italorum perniciosiora consilia maturari ».

Quanta sapientia. prudentiaque student huius beneficii participes efficere populos, dum sarta et tecta conservat Ecclesiae iura, iam vidimus, cum de statu Religionis in imperiis, regni et gentibus sub finem Pontificatus Pii IX disseruimus. Eius Encyclicae Litterae ac Epistolae, quae doctrina et sermone scripta referunt Sancti Leonis Magni, singulos homines, familiam, hominumque civile consortium a malorum barathro retrahere, et ad rectum quietumque tramitem revocare contendunt.

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos universos catholici orbis Litteram Encyclicam misit Leo XIII die 28 decembris 1878. Haec, quae incipit: *Quod Apostolici muneris*, mala Litteris Encyclicis mensis aprilis deplorata brevi increvisse indicat. De illa nempe hominum secta loquitur Pontifex, « qui diversis ac pene barbaris nominibus *Socialistae*, *Communistae* vel *Nihilistae* appellantur, quique per universum orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod iampridem inierunt consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, perficere adnituntur ». Causam horum perfidorum hominum audaciae ab iis venenatis doctrinis repetit, quae superioribus temporibus tamquam vitiosa semina medios inter populos diffusae, tam pestiferos suo tempore fructus dederunt. Sed sectarum conatus in irritum cessuros affirmat, si catholicae Ecclesiae doctrina, Romanorumque Pontificum auctoritas, et penes principes et penes populos, debito in honore manserit. Et ad principes et populos vocem attollit Leo XIII, eosque per propriam ipsorum ac reipublicae salutem precatur, obtestans, ut Ecclesiam, de publica regnorum prosperitate tam egregie meritam, magistram recipiant et audiant, ipsamque Ecclesiam in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanae societatis commodum possit exerere.

Egregie iterum luctuosissimum societatis humanae praesentem statum adumbrat in altera Littera Encyclica, quam iisdem dedit suis Venerabilibus Fratribus die 29 iunii 1881, quaeque de Politico Principatu audit. Incipit enim dicens: «Diuturnum illud teterrimumque bellum, adversus divinam Ecclesiae auctoritatem susceptum, illuc, quo proclive erat, evasit; videlicet in commune periculum societatis humanae, ac nominatim civilis principatus, in quo salus publica maxime nititur. Quod hac potissimum aetate nostra factum esse apparet. Cupiditates enim populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea: et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones ac turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem tutum incolumitatis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini, conceptaeque flammis invidiae iam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis aut apertis latrociniis ad internecionem expetita ». Efficacissima remedia his gravissimis periculis Catholicam Ecclesiam afferre posse ostendit; nam ad politicum imperium quod attinet, illud a Deo proficisci recte ipsa docet, cum id reperiat « sacris Litteris et monumentis christianae vetustatis aperte testatum; neque praeterea ulla potest doctrina cogitari, quae sit magis aut rationi conveniens, aut principum et populorum saluti consentanea ».

Non minus autem Summi Pontificis sollicitudinem experta est familia, rudimenta quae continet civilis societatis. Quoniam lethifera pestis, quae per artus intimos humanae societatis serpit, naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram, dehonestat, filiorum familias mentes et corda depravat, Leo XIII et christiani Matrimonii naturam ac excellentiam vindicavit, et iuvenum instructionem ad rectam normam exegit. Epistola Encyclica: *Arcanum divinae sapientiae*, quam dedit die 10 februarii 1880, documenta ac praecepta continet de Matrimonio christiano non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere spectantia. Quae ad instaurandam utiliter philosophiam ipse Summus Pontifex scripsit in Epistola Encyclica: *Aeterni Patris*, die 4 augusti 1879; alia Epistola: *Iampridem considerando*, quam misit ad Cardinalem Antoninum de Luca, sacro Consilio studiis regundis Praefectum, die 15 octobris eiusdem anni, ut Romae praesertim philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici enucleate, dilucide, copiose traderentur et excolerentur, coetus Academicus in Urbe Roma institueretur, qui s. Thomae Aquinatis no-

mine et patronatu insignis, eius opera explanaret ac illustraret, novaque fieret editio Operum sancti Doctoris accurate emendata; demum recens, sub die 18 augusti an. 1883, Littera: *Saepe numero considerantes* missa ad Cardinales Antoninum de Luca Vicecancellarium, Ioannem Baptistam Pitra Bibliothecarium S. R. E., et Iosephum Hergenroether Tabulariis Vaticanis Praefectum, qua praecipitur ut viri probi in historicarum disciplinarum genere scienter versati, animum adiiciant « ad scribendam historiam hoc proposito et hac ratione, ut quid verum sincerumque sit appareat, et quae congeruntur iam nimium diu in Pontifices romanos iniuriosa crimina docte opportuneque diluantur; haec totidem monumenta sunt altissimae sapientiae ac prudentissimi consilii Leonis XIII. His accedunt in Urbe scholae ad pueros erudiendos, gymnasia et lycea edocendis iuvenibus, academiae iuris, philosophiae, ac historiae, quae ab eo parata, aere auctoritateque sua servantur.

111. *Indulgentiae concessae, et indictae supplicationes catholico orbi*—Uti mos est, Leo Pp. XIII ob suam ad Pontificiam Cathedram elationem Plenariam concessit Indulgentiam in forma Iubilaei, Litteris suis Apostolicis: *Pontifices Maximi* diei 15 februarii 1879. Sed novis Apostolicis Litteris: *Militans Iesu Christi Ecclesia*, missis die 12 martii 1881, alterum extraordinarium Iubilaeum indixit. Iam a die 3 decembris 1880 Epistolam Encyclicam: *Sancta Dei civitas*, conscripserat de Institutis a Propagatione Fidei, a Sacra Iesu Christi Infantia, et a Scholis Orientis provehendis. Muneris Sui esse duxerat Pontifex, his Litteris « piis studiis caritatique christianorum admovere stimulos, ut qua precibus, qua largitionibus sacrarum missionum opus iuvare et fidei propagationi favere contendant ». Cum autem proxima esset occasio habendi saecularia solemnia ob memoriam s. Francisci Assisiensis, Litteras Encyclicas dedit: *Auspicato concessum*, die 17 septembris 1882, quibus de ipso Sancto et de Tertio Franciscalium Ordine propagando disserens, non modo pietatem suam erga Franciscum testatur, verum etiam Pastorum Ecclesiae caritatem excitat, ut in hominum salute cum eo curanda adlaborent, similitudinem aliquam et imitationem tanti Viri fidelibus omnibus inculcando. Verum ad facilius hunc finem assequendum, Constitutione Apostolica: *Misericors Dei Filius*, die 29 maii 1883 leges Franciscalium Tertii Ordinis saecularis, aetati nostrae aptatas tradidit, cum Indice Indulgentiarum ac Privilegiorum Tertiariis ex utroque sexu singulis concessorum, quibus incitamenta praebuit omnibus, ut Tertio huic Ordini nato apto multitudini nomen dare non recusent. Animadvertens autem praecipuum semper ac solemne catholicis hominibus fuisse, in trepidis rebus dubiisque temporibus ad Mariam confugere, et in materna Eius bonitate conquiescere, opportunum censuit universales hoc tempore supplicationes instituere, et invocare per Rosarii preces Virginem augustam, ut parem necessitatibus opem a Iesu Christo eius Filio omnes impetrarent. Epistola Encyclica: *Supremi Apostolatus officio*, diei 1 septembris 1883, mandat universis christianis non modo, ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium Rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent, sed etiam ut integrum octobrem mensem illius anni caelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque celebrent, quinque saltem Rosarii decades, adiectis Litaniis Lauretanis quotidie in sacris templis recitando. Huic Summi Pontificis voluntati obtemperatum est studio et alacritate tanta, quantam vel rei sanctitas vel caussae gravitas postulabant. Ipse vero, ut in commendabili Rosarii Marialis precandi formula perpetuitas et constantia inter catholicos obtineant, Litteris in forma Brevis, datis die 24 decembris 1883, et quae incipiunt: *Salutaris ille spiritus precum*, edixit in optatis suis esse, ut in dioecesium singularum templo principe quotidie, in templis curialibus diebus festis singulis Rosarius recitetur. Iisdemque Litteris iterum statuit, quod humillimas preces sibi oblatas a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, excipiens iam indulserat, decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 10 decembris 1883, ut ceteris Litaniarum Lauretanarum beatae Mariae praeconiis, in Ecclesia universa, in posterum addatur et hoc postremo loco: *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis*. Nuperrime autem, die Epiphaniae Domini huius anni 1884, praecepit decreto eiusdem Sacrae Rituum Congregationis, ut in omnibus tum in Urbis tum catholici orbis Ecclesiis, in fine cuiusque Missae sine cantu celebratae, flexis genibus recitentur nonnullae adsignatae preces, ter centum dierum Indulgentia locupletatae.

112. *Leonis Pp. XIII praecipuae erga Italiam curae* — Ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis augmentum, Leo Pp. XIII, die sacro Immaculatae Virginis Conceptioni anni 1881 Sanctorum catalogo adscripsit Beatos Ioannem Baptistam de Rubeis, Laurentium a Brundusio, Benedictum Iosephum Labre Confessores, et Claram a Cruce, Virginem. Mense autem ianuarii 1882 labente inter Beatos recensuit Venerabiles Alphonsum de Orozco sacerdotem ex Ordine Eremitarum s. Augustini, et Carolum a Setia, ac Humilem a Besiniano ex Ordine Reformatorum s. Francisci. Verum etsi, ut dicitur in Epistola Encyclica diei 15 februarii 1882 ad Archiepiscopos et Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios in Regione Italica, universam christianam rempublicam et singulas eius partes Ipse vigilantia et caritate complectitur, tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque suas ad se Italia convertit. Singulares siquidem coniunctionis necessitudines Ipsi cum Italia intercedunt, « in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit ». Venerabiles igitur Fratres suos Italiae Episcopos adhortatur, ut mentem diligentius intendant, et vigilantius populorum italicorum animos muniant, omnibusque praesidii firment, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica diripiatur. « Apud italas gentes, ait Christi Vicarius, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, imminuta nunc passim Ecclesia libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fuit Italorum non sine causa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia; proscripta Ecclesiae bona; rata citra ritus catholicos connubia; in institutione iuventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti, cuius causa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis ». His malis ingravescentibus, remedia comparare desiderans, Pontifex Episcopos hortatur, ut edoceant summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere et quam magna eiusdem tuendi necessitas. « Intelligant, inquit, quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere, cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus; quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit ». Ad hanc alendam augendamque virtutem vehementer exoptat, ut floreant lateque amplificentur Societates, « quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes iuvenum opificum; quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis; aliaeque ex eodem genere complures ». Quantum lege possunt, agendo, rogando, contendendo, tantum vult ut fideles enitantur et efficiant, Pontificis caussa, cui reapse non specie libertas est restituenda. Permagni referre, subiungit, publicari et longe lateque fluere salubriter scripta. Praecipuas autem curas cogitationesque Episcoporum in eo evigilare opus esse monet, ut ministros Dei idoneos rite instituant, praesertim in clericorum Seminariis, quae sibi plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae partes eorum vindicant.

Gesta haec dictaque Leonis Pp. XIII vix valent exprimere eius animi magnitudinem, et virtutem a labore invictam, quibus Petri Cathedram sex abhinc annis illustrat. Perfectam vero imaginem sui reddidit Ipse quatuor his versibus, quos sub quadam sua effigie conscripsit:

Iustitiam colui; certamina longa, labores,
Ludibria, insidias, aspera quaeque tuli;
At Fidei vindex non flectar: pro grege Christi
Dulce pati; ipsoque in carcere dulce mori.

FINIS TOMI SECVNDI

ERRATA — CORRIGE

TOM. I.

Pag.	VIII,	*col.*	...	*lin.*	11	An. 1703	An. 1073
»	105,	»	1,	»	44	Ladiocena	Laodicena
»	120,	»	2,	»	41	Sraesanct.	Praesanct.
»	174,	»	1,	»	33	occupatus	occupatis
»	ib.,	»	2,	»	43	scripsit	scriptis.

TOM. II.

Pag.	37,	*col.*	2,	*lin.*	ult.	268-269	265-266
»	82,	»	2,	»	50	Praeect.	Praelect.
»	ib.,	»	ib.,	»	52	catholica e	catholicae
»	83,	»	1,	»	56	IX	IV
»	96,	»	2,	»	45	Veritas	Veritus
»	ib.,	»	ib.,	»	49	Archiepiscopum,	Archiepiscopum
»	165,	»	2,	»	49	addicit	addit
»	187,	»	2,	»	7	bedienti	bediendi
»	362,	»	2,	»	ult.	349	346
»	375,	»	2,	»	52	Gorgonienses	Gorcomienses
»	376,	»	1,	»	54		
»	ib.,	»	ib.,	»	56	211	211 et 176
»	382,	»	1,	»	55	paccos	paucos
»	390,	»	2,	»	19	Osabur-	Osnabur-
»	400,	»	2,	»	45	ostenderetur	ostenderentur
»	433,	»	2,	»	39	Ecclesia	Ecclesiam
»	ib.,	»	ib.,	»	37	scilicet	scilicet,

Nihil obstat
NUNTIUS *Can.* SIGNORIELLO
Censor Theologus

Imprimatur
IOSEPH *Can.* MOLINARI
Deputat.

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM, QVAE IN HOC COMPENDIO HISTORIAE ECCLESIASTICAE CONTINENTVR *

A

* Primus numerus I indicat tomum, alter 1 paginam

B

C

D

G

H

I

M

N

Q

R

S

T

U

V

W

X

Z

FINIS

